COMMENTARIVS IN HIPPOCRATIS COI LIBELLVM DE ALIMENTO,

IN QVO MVLTIPLICI DIDASCALIA VARIAE Controuersiæ in vtramq; partem disputantur,

ET ARGVMENTORVM FVNIBVS, AVTHORVMQVE securibus SATYRO CORNVA ligantur, confringuntur.

OPVS IN QVATVOR SECTIONES DIVISVM, quarum priores duæ in hoc volumine continentur.

AVTHORE STEPHANO RODERICO CASTRENSI Lusitano, Philosopho ac Medico præstantissimo, & in alma Pisana schola dignissimo antecessore.

Camill. falconer, aggr. bug. natal. fili, Andr. nepos Carol. pronepos 1693.



EXCVSSVM FLORENTIAE IN TYPOGRAPHIA Sermartelliana cum Superiorum facultate.

Anno Domini. M.DC.XXXV.



AMPLISSIMO, ET VALDE

Illustri viro Domino Colendiss.^{mo}

COSMAE BARTOLINIO BALDELLIO

SERENISSIMI MAGNI HETRVRIAE
Ducis à secretis, & cursorum prefecto generali.



VBES me securo esse animo: quippe, vt multorũ litteris ad te vndequaq; missis accepisti, (multos, & officij ratione, & beneficiorum cautione tibi deuinctos habes) calumniator meus, potius cauillator, nihil in me potuit. Hanc adhortationem vt pote à beneuolentia in me tua, & diligenti rerum mearum cura, profectam, non possum non grato animo interpretari, & tamquam salutare quoddam signum suscipere, suspicere, venerari. Hoc quidem iure optimo: quid enim maiori in pretio habendum est, quàm te (proh superi qualem virum!) tutelarem, in re qualibet, experiri. Te, inquam, in cuius animo benignitas, & constantia ita certant, vt vnaquaq; & vincere, & vinci simul velle videatur. Facit has virtutes tibi indigenas splendor sanguinis, eas tamen nostra ætas, tamquam aduenas, admiratur; quarum vnaquæq; in te præcoces iam pridem fructus protulit: benignitas in hominum animis conciliandis. constantia in rebus aduersis perferendis. Præcoces, dixi, et meritò;

nam in ætate non ſenili, ſenilis animi ſæpius exhibuiſti documenta Celebrat ſuis carminibus Homerus Vlyſſem, quòd per longam annorum ſeriem mores hominum multorum vidit, & vrbes; ſi te Homerus aliquis laudandum ſuſciperet, maiore iure celebraret quod non tranſgreſſus pubertatis annos fueris peregrinatus; nec verò inaniter, & ſine cauſa, ſed Celſiſſimi Principis, mandata faceſcens: eius enim arcanorum particeps factus, prius apud Cæſaream, poſteà apud Catholicam maieſtatem humeris adhuc non aſſuetis grauiſſimam ſarcinam ſubire non recuſaſti: edotus ſcilicet hanc artem ſub magno magiſtro, cuius fidei, & prudentiæ Principes optimi res ſuas, hoc eſt vniuerſæ Etruriæ commiſerunt. Nunc autem, quæ tua eſt humanitas, leuiſſimam hanc prouinciam ſuſcipere non dedignaris. Faciam quoad potero, vt illa tibi quoad poterit minus grauis euadat: res agitur cum vermiculo, quem calcatum iri certo ſcio, quod ſi, tamquam calcata Cenchris, refragauerit, maiorem præſtò ruinam experietur, & planè ſubmergetur, ſin à ſui conſimilibus adiutus adhuc laſciuire perget, Ianuuij ad portas ſolus relinquetur. Tu interim ſaluus ſis & vale, meq; tui amantiſſimum redama. Ex Muſæo meo prid. Id. Aug. 1634.

Rhamnuſius Maſtix Seuerinus Lectori .S.



Dmonendus mihi es Lector, Satyrum, quem ſic appellare libet, hunc ſibi ſuo genio, ſuo etiam ingenio, nomen comparaſſe: genio, quia nil melius homunciōnis iſtius naturam exprimit, quàm Satyrorum mores, adde etiam figuram. Ingenio quòd ſuis cacographijs emblema præfigit, in quo Satyrus Mercurium fugit: Mercurius eſſe nequit, Satyrus eſſe debet. Homuncionem dixi, gigantem putato; hoc eſt gigantum fraterculum, terræ filium, murem ridiculum. Quantumuis tamen gigantum ſit conſanguineus, nil me terret: gigantes ſub montibus ſepulti iacent, & tacent, caſtrum in monte ſitum eſſe ſentiet, & pondere oppreſſus gemet. Quid ni? Caſtrenſis mons eſt, nempe Athos. Audiſti ne montem Athon tantæ eſſe altitudinis vt, inter Macedoniam, & Thraciam ſurgens, vmbrā vſq; ad inſulam Lemnon porrigat? ſolebant ad eius verticem homines annuis ſacrificijs peragendis aſcendere, ibiq; cineres ſparſos relinquebant, quos ſequenti anno reperiebant intactos: quia ſcilicet infra hunc verticem nebulæ, pluuię, tornitrua, & reliqua huiuſmodi meteora fiunt. Non Caſtrenſem, qui vertice ſidera tangit, nebulones tangunt: infra turba abiecta iacet, & ad radices, pedes ve mōtis lupi iſti vlulant, canes latrant, ſed nequicquam. Non deerant qui contemnendum iſtum, & ſine reſpōſione relinquendum congruens fore exiſtimabant. Sanum quidem conſilium ſi Caſtrenſis duntaxat cauſa agitaretur; quorſum enim maculam ablueret vbi non eſt macula? Verùm cōmunis res agitur. Si incaſtigatus demittatur, in alios ſuperbiens inſanire nō deſinet. Addiſcat, addiſcat non eſſe in diſputationibus ſputandum venenum; Et qui philoſophus appellari vult, philopſogus appellari nolit. Amet ſapientiam odio habeat vituperia. Alij ſunt qui nefas iſtud leuius quàm pro meritis punitum eſſe dolent. Hi propediem conſolabuntur: in prælo volumen alterū manet, Apologiam edere iam iam ſeueriſſimæ Muſæ parant, quæ ferreo flagello eum totū recreabunt. Sin hoc non erit ſatis, ſemper Africa aliquid noui in illum feret: neque vnquam pijſſimo huic officio deerit Luſitanus: nihil tàm pium eſt quam deuium reuocare. Cœterum ſunt aliqui iuuenes, qui, tamquam prauæ arboris germina, odioſis ſtercorati dogmatibus pullulant, hos autor flocci facit nam diabolarij cum ſint aliquid videri volunt, & in eū ſagittas collimant expectantes vt eaſdem in eos ipſe retorqueat, & ſic ſpectantium oculos ad ipſos conuerti faciat, cum alioquin neutiquam forēt ſpectabiles. Sicut nuperrimè quidam, qui nomen ſuum diſſimulat, futurus magis ignotus ſi palam nominaretur. Plebeius nempe medicus ne viciniæ quidem notus, apologiam in Stephanum de Caſtro ſcribere non eſt veritus ſperans videlicet ſe ex reſpōſione poſſe ad ſcriptorum cathalogum adſcribi. Abſit tamen à Luſitano, vt hanc reliquis autoribus noxam inurat. Dedignarentur profectò manes eorum qui in arte profecerunt, ſi in ſerie in qua ſerij viri collocantur iſtæ hominum ſimiæ legerentur. Maneat ergo nigra

gra obrutus caligine, & apologiam, quam ſemel à ſe ſolo panxit, atq; pudore ductus occultauit, iterum Satyro auxiliante emendatam in lucem edidit ſeq; ipſum cum ea, ad lucifugos, & mendaces tenebriones (dignus, qui in latrinis lateat) Satyro impellente tranſmittat: quippe veritas quã paſſim apologizando lędit, ita fieri iubet. Veritas ne ab iſto lęſa? imo maximè, pręcipuè cum ait, Luſitanum per litteras medicos Italos rogaſſe vt ſecum de ſeri lactis ſtillatione ſentirent, quod hoc epigrammate aliquando luſit ipſe Luſitanus.

EPIGRAMMA IN TRIOBOLVM MALEDICOrum, ex quibus Perſius Treuius, alias Petrus Seruius apologiam cacauit, quidam ſufflauit, Licetus baſiauit.



N quid ais? Luſitanus celeberrimus autor
Emendicatis vtitur auxilijs?
Siccine adoleſcens mordaci inglorius ore
Fundere in inſontem vis maledicta ſenem?
Vnde tibi hoc? tanto ne viro tu iuſtus es hoſtis?
Iunge tibi aſsimiles mille: quid inde? nihil.
Subdolus in campum quidam ſe prodat, habebis
Ætate, ingenio, moribus, arte parem.
At maledicendi ſi deſit vtriq; magiſter,
Ecce Licetus adeſt, cui licet omne nefas.
Mordacis, ſed mendacis, tria fulmina linguæ,
Pro ſale queis anima eſt; ſed ſale lingua caret.
Piſcantur famam famæ iactura alienæ
In laqueos, alijs, quos poſuere, cadunt.
Currunt ad furcas, quas non ſibi ferre putabant,
Vt tres iure queam dicere furciferos.
Tres ſunt furciferi, ſed corde trifurcifer vnus,
Aut tres furciferi, nempe trifurciferi.

Vis ſcire ô Satyre quos habeas fautores? accede ad epigrãmatographum, cuius auxilium implorasti, vt tuo libello pręfigeret epigramma elegans, ſalſum, doctum, interroga illum quantam habeat priorem ſyllabam verbum *neſcio*, quid reſpondebit? neſcio, ſcio tamen quod ſciuit, potius quod ignorauit, nam breuem fecit, quam longã eſſe, vel pueri, qui non dum manum ferulæ ſubduxerunt, non ignorant. Hunc etiam epigrammate ſugillauit, ſugillaturus millies, ſi millies inſolens fuerit reluctatus.

Epigramma ad L. M. præconem laruatum qui verbo *neſcio* primam ſyllabam breuem fecit.

Neſcio producit primam, tu corripis illam,
Sic mage fit longum neſcio, nempe tuum.

Siccine

Siccine grammatico patre natum syllaba fallit?
Credideram satis hoc te docuisse patrem.
Laruatus sis vsq; licet, sis denique larua
Dum sis Stultitiæ tu quoq; præco tuæ.

Perge vlterius, cōmisisti OEnocaco vestrati ex ijs qui tua vina bibunt nēpe, quem vocat Horatius vappā, & nebulonem, vt quasi precatiō singulatim libellum famosum legendum daret. ille nocendi artibus valde instructus mandata tua peregit. Hunc noluit Musa silentio preterire.

Ad nothum OEnocacum, qui libellum famosum plerisq; viritim ostentabat.

Esse quid hoc dicam? patrio qui iure fidelis
Esse nequis, cuidam fidus es, ille tibi.
Estis consimiles inter vos moribus, estis
Ambo bina odij stemmata, & Inuidiæ.
Non mordere canem didicit canis; aut lupus vnquam
Dente lupum, ceruum ceruus amare solet.
Vtriq; est natura eadem: CERVI estis vterq;
Estis vterq; canes; estis vterq; lupi.
Vnum dissimile est, & in hoc tibi turpior est mos;
Ore quòd immundo quod vomit ille voras.
Quæq; voras reuomis, facemq; reuoluis eandem;
Accidet in turpi sic tibi fæce mori.

Aliud ad eundem.

Improbitas tua magna facit, ne occulta relinquat
Probra procax in me quæ fremit ore lupus:
Et tibi mirifica functus probitate videris
Improbe, si applaudens improba probra probes.
Nil mirum; improbitas genuit te matris in aluo;
Fecerat hæc natum, te facit ipsa patrem.
Hæc eadem longos adeò te ducit in annos,
Improbus vt nequeas esse, sed improbitas.

Te nunc alloquor Satyre, accipe hæc pauca, plura alibi habiturus.

Epigramma de Lycambe nostrate.

Spe vacuus quondam Archilocus, plenusq; furore,
Quem socer infesto luserat ante dolo,
Musas, Vltrices Musas clamore vocabat:
Ecce Lycambeo tela cruore madent.

In sponsam, in socerum fera Musa armauit iambos;
Queis laqueum, pœnas fraudis, vterq; tulit.
Surgit deterior nostra hac ætate Lycambes;
Cui laqueum fraudes, & maledicta ferunt.
O risu, & lacrymis rem dignam; quærere laudem,
Et misero ad furcas laudis amore trahi.
Quicquid agat; quicquid scribat; quicquidue loquatur,
Omnia sunt iugulo restituenda suo.

Aliud de eodem.

Quæris cur veteres in te renouantur Iambi?
Cur ætas per te nostra lycamben habet?
Hoc mores fecere tui: mendacia, fraudes,
Ingenij asperitas; mollities genij.

Aliud ad conuiciatorem.

Si conuicia amas, conuicia dura rependam;
Donec te in ventos cogat abire dolor.
In ventos si abeas remanebis imago iocosa:
Nec verbis reddes integra verba meis.

Distichon ad vapularem.

Ex corio, mihi crede, tuo tibi flagra parasti.
Verbera sunt verbis sed leuiora tuis.

Aliud de turdo.

Aucupio turdum facili retinebo loquacem,
In se qui viscum quo capiatur habet.

Nunquid hic cantionum finis? minime, sed cautionum initium, & præludium quoddam futuræ scenæ. Interim tu Lector fruere, & ad altiora legenda animum accingito. Vale.

INDEX

INDEX QVAESTIONVM, QVAE IN HAC PRIMA, ET SECVNDA SECTIONE

NEC NON ETIAM QVÆ IN TERTIA, & Quarta, propediem edendis, continentur.

¶ ¶ Quæstionis

An

SECTIO SECVNDA.

SECTIO TERTIA.

Quomodo

SECTIO QVARTA.

Vnde nam

Galeni

FINIS.

Adm. Illustris, & Adm. Reuerendus Dominus Nerius Iacopius videat libellum istum, & referat si in eo sit aliquid quod repugnet Catholicæ fidei vel bonis moribus vt typis mandari possit. Datum Florentiæ die XIIII. Septembris 1632.

Horatius Quaratasius Vicarius Florentinus.

Opus de Alimento Domini Stephani Castrensis excudi posse affirmo tanquam à fide bonisq; moribus haud absonum licet in eo Satyrum se petentē remordeat. Quinto Nonas Octobris 1632.

Nerius Iacopius Canonicus Florentinus.

Imprimatur Florentiæ si placet Adm. R. Patri Inquisitori

Horatius Quaratasius Vicarius Florentinus.

Ego Frater Antonius Franciscus Caballius ab Emporio Ord. Min. de Obseruantia Prouinciȩ Tusciȩ in Conuentu Omnium Sanctorum Florentiæ, S. Theologiæ Generalis Lector, à Reuerendissimo Patre Clemente Egidio Generali Inquisitore Florentiæ deputatus ad videndum librum, cui titulus: *Commentarij in librum Hippocratis Coi de Alimento, Authore D. Stephano Roderico Castrensi Lusitano, Medicinam in Pisano Gymnasio primo loco docente,* an in eo aliquid sit fidei obstans, bonisq; moribus repugnans; vidi, & perpendi, legique quamplurima in Logica, & Philosophia prȩclara, nonnulla in sacræ paginæ expositione Orthodoxorum Patrum mentem redolentia, excellentissima existimo ea quæ circa medicinam; nihil contra fidem, aut bonos mores reperio: Quia & si in alium inuehitur, vim vi repellit, imò rationibus, nonnisiq; lacessitus lacessit, ita vt videatur mihi Satyrum Satyrum peperisse. In quorum fidem, propria manu scripsi in Conuentu Omnium Sanctorum Florentiæ. Die 23. Octobris 1632.

Imprimatur die 23. Octobris 1632.

Fr. Clemens Egidius Inq. Generalis Florentiæ.

Sebastianus Cellesius.

7

COMMENTARII IN LIBRVM HIPPOCRATIS COI DE ALIMENTO.

AVTORE D. STEPHANO RODERICO CASTRENSI Lusitano Serenißimi Magni Etruriæ Ducis Medico, & Medicinam in Pisano Gymnasio Primo Loco Docente.

SECTIO PRIMA.



DMIRATVR Galenus (lamentari simul posset) infælicitatem librorum Hippocratis, quorum aliqui, longa temporis intercapedine, fuerunt dilapsi, alij praua hominum curiositate quidpiam alienum habent insertum: tertium infortunium adiungam: plurimos ex ijs esse, quos, an vera Magni Medicinæ Parentis sint soboles, dignoscere haud quaquam possumus. Causa mali tanti auaritia, quæ, ne quid intentatum relinqueret, in scriptorum etiam sanijs monumenta. Quo tempore Attalus, & Ptolomæus Reges de comparandis libris certatim inter se contendebant, ab ijs, qui ex oblatis celebriorum virorum scriptis pecuniam reportabant, cœperunt inscriptiones, digestionesq; vitiari, eoq; deuentum est, vt posteà ad dignoscendos legitimos ab spurijs, non vnus duntaxat suffecerit Aristarchus. In hoc munere excelluit Galenus, qui tametsi mille annis Hippocrate fuerit posterior, perinde ac eius viuo eloquio vsus, non solùm opera, sed sententias etiam veras à falsis sciuit disgregare. Ex quo tum eius in peruolutandis libris Hippocraticis assiduitas, tum in doctrina penetranda subtilitas commendatur. Quæ tamen fuerit eius sententia circa librũ περὶ τροφῆς hoc est de alimento, non expressè constat. Vnde nescio quo iure Cornarius, & ante eũ Caluus initio huius libelli hanc præfigit scriptionẽ. Hũc librũ Galenus, Hippocratis esse negat, sed tamen nõ alicuius plebei, aut vulgaris hominis esse dicit, & fortassis ipsius Thessali, quidam Herophilũ autorẽ putant. *Fateor, me multum tempus, in perquirendis huiusmodi verbis apud Galenum consumpsisse, nec mihi adhuc ea reperiri contigit. Imò verò, cum cæteros libros, de quorum fide dubitatur, ipse Galenus citat ambigue id facit, inquiens, siue Hippocrates, siue Polybius, siue quicumq; alius fuit, hunc tamen indubitanter nominat Hippocraticum. Præterea nullum aliud ex Hippocratis operibus (si aphorismos, & prognostica excipiamus) adeo frequenter, ac istud, solet nuncupare, cuius si autoritas corruat, firmitas simul multorum artis medicæ dogmatum nutabit. Tandem in librum de alimento extat commentarius Galeni (hoc nescio quommodò Vallesium virum alioquin in Galeni doctrina versatissimum latuit: si quidem mirari se ait, cur Galenus hunc librum sinè commento reliquit) est quidem commentarius temporis edacitate dilaceratus, ex quo (si non aliud) diuidendi totum opus rationem accepi, & sic magni viri exemplo, quatuor instituo sectiones, ab eo priùs designatas. Tres expositores, non plures, quod sciam, hactenus habuit. Prior fuit Fracantianus, qui breuiùs, quàm oporteret verba contextus perstrinxit: à controuersijs procul abesse voluit, laude tamẽ dignus, quòd ænigmata multa, ad rem satis enodauit. Alter Hieronymus Cardanus, qui vtinam sicut prælectiones in hunc librũ scripsit, lectorum ingenijs magis, quàm suo proprio genio sua scripta accommodaret, sed homo*

suapte natura à communi via ex professo deuiare solitus, per salebras distinctionum ex proprio marte scaturientium, ad contextus explicationem, ferè nihil conducentium nos ducit, adeo ut plana fide profiteri possim me rarissime ab eius lectione magis instructũ, quàm priùs discessisse. Tertius est Vallesius, vir quidem serius, sui tamen confidentissimus, qui sententias huius libri ad alimentum infantis in vtero accommodans, doctrinam quæ vniuersalis esse posset, reddidit particularem. Ego quarto loco accedens plurimos habebo censores, & meritò, siquidem ex aliorum erroribus sapiens fieri poteram, & tamen dum breuitatem aliorum accuso, in contrarium prolapsus, diffuse nimis scribens nauseam sim pariturus. Liceat tamen mihi excusationem aliquam adhibere, & longissimæ scriptionis remedium commonstrare. Recurrat lector ad caracterum diuersitatem, & quicumq; controuersias odio habet, soliusq; contextus inhiat expositioni, hanc distinctam, & separatam proprijs signis agnoscet. Qui vero difficultatum, quæ ad Hippocraticæ doctrinæ præcisam cognitionem faciunt, enodationem desiderat, hanc aliter scriptam, designatamq; reperiet. At verò quicumq; æstimationi meæ indulgens criminationes, quibus in me Philosophaster quidam vsus est, non impunè esse cupit, responsiones potiùs castigationes digito demonstratas reperiet. Digito, inquam, non salutari, sed medio, qualem porrigere debeo ijs, quæ in me coniecit. Quod si, vt Martialis ait, monstrari digito pulchrum est, habebit iste hic (quod dici solet) bis, & ter, quod pulchrum est. Melius fortasse erit, & decentius illi sibi Harpocratem aliquem mente fingere dicentem, digito compesce labellum, alioquin audiet ab ore Plautino, si me vno digito attigeris, te ad terram affligam scelus. Propterea non dolebit si totam in se manum sentiet, qui digito ferire voluit, quamquàm non digitum quidem, sed indignè manum extulit: (neq; plura congerere potuit, quàm quæ, per summum nefas, in me protulit) hanc amputare fas est. Manum igitur modò supinam, mox pronam ei offero: quid significare velim consulat ille Plutarchum in vita Timoleontis. Ad libellum Hippocratis redeo, in quo ex industria obscuritas affectata apparet, ob id aliqui eum tamquam spurium extra Coum insulam repellunt: neq; enim phrasis hæc sapientissimo Seni est vsitata. Cæterum mihi vice, circo tanto magis Hippocraticus videtur: nam si semper vir magnus ænigmaticè loqueretur, id vitio vertendum putarem, vt Heraclito faciunt Plato, & Aristoteles. Heraclitus namq; discipulis suis solitus erat præcipere σκότισον, idest, obscura. At Hippocrates non ita, breuitatem quidem amauit, obscuritatem odit, verùmtamen nihil prohibet, eum aliquando posterorum ingenia suis sententijs voluisse exercere, & semel tantum sub recondita oratione doctrinæ suæ fontes occultare. Vnum spectare oportet, num quæ hic scribit consonent cum ijs, quæ alibi ab eo sunt scripta; hoc explorandi modo Galenus librum de natura humana legitimum esse agnouit: sic etiam exploremus in præsens. quid ergo apparebit? videlicet nihil hic dictum, quod, si rectè intelligatur, aliunde probari nequeat. Oedipum, fateor, expositorem libellus hic mole exiguus, dignitate magnus, postulat; Gracilis ne, an ventricosus fuerit Oedipus ignoro: scio tamen Mineruam, quæ ex Iouis capite est orta, in cerebro vniuscuiusq; sedem habere, non in ventre. Ideo spero non mihi ventrem nociturum ad hanc expositionem, quam paro. Iste autem, qui mihi obesitatem tamquam crimen obijcit, dicat nobis quo in loco Nemesim reperit, quando ad eam pro suis nemeseticis conscribendis se consulit: erat tunc tempus (vt ipsemet fatetur) Bacchanaliũ: forsan cum Baccho commorabatur. Ex Nemesi, & Baccho quid potuit nasci? turdus, qui sibi (honestè loquar) struxit malum. Deceptus semel, quoniam putauit, me, ob ætatem, vindictæ non superfuturum, decipiendus iterum, & millies si me inultum moriturum arbitratur.

TEXTVS PRIMVS.

Alimentum, & alimenti species, unum, & multae: unum quidem, quatenus unum genus est: species vero, humiditate, ac siccitate finitur. Et in his formae, ac quantitas est, & ad quaedam, & ad tot.

COMMENT.



ERFECTI medici ideam fuisse Hippocratem, tum ex alijs suae doctrinę locis, tũ vel maximè ex huius operis exordio, constat, siquidem in eo nec se logicae penitus ignarum, nec omnino eidem addictum ostendit. Logicum quidem agit, dum vnum genus constituit, quod in suas species diuidit. Ex altera parte dum genus istud, quod aequiuocum est, propriè ne, an impropriè genus sit, nõ curat, à logicis quęstionibus videtur abhorrere. Vt vel hinc intelligi possit, turpiter medicũ technis logicorum irretiri, quod in Archigene Galenus reprehẽdit. Alimentũ ęquiuocum esse inferius, ex Galeni sententia, proferemus, nunc solùm quaerimus cur sapientissimus autor, cũ rectus ordo postulet, vt in õni tractatione, ante õnia, omonymia auferatur, nõ incoepit ab explanatione equiuoci, sed eam in posterum reliquit. In posterum quidem reliquit, nõ in postremum: voluit nãq; prius aliqua omni alimento communia percurrere (haec enim significati distinctione non indigent) deinde ad magis propria deuenire. Accedit (quod alij obseruarunt) in Hippocratis scriptis nõ obseruari perfectum ordinem: quippe erant haec recens natae artis rudimenta.

Vnum quidem, quatenus unum genus est.

Est itaq; diuisio isthęc reducẽda ad diuisionem generis in suas species; hę sunt humidum, & siccum, sunt tamẽ species subalternę: quippe sub se alias, quę infimę sunt, habẽt: videlicet secundùm formam, secundùm qualitatem, secundùm alias conditiones. Iccirco posteà quàm dixit, *Species vero humiditate, ac siccitate finitur*, vt insinuaret has species in alias diuidi, adiunxit, *Et in his formae, ac quãtitas est, & ad quędam, & ad tot.*

Species verò humiditate, ac siccitate.

Existimat Fracãtianus, diuidi alimentũ ab autore penès qualitates passiuas, humiditatem, inquam, & siccitatẽ, actiuarum verò, hoc est, frigoris, & caloris non fieri mentionem: quoniam actiuae medicamentorum magis, quàm alimẽtorum sunt proprię. Verùm decipitur: nã medicamentis tàm vtimur ad humectandum, & exsiccandum, quàm ad calefaciendũ, & refrigerãdum, singulis cũ oportet: quare nõ est, cur magis actiuas, quàm passiuas medicamẽtorũ proprias esse dicamus. Deinde humiditas, & siccitas, non propterea quòd nihil agant, passiuae appellantur: agunt quidem, sed minùs quàm aliae: ideò, alijs ab agendo, his à patiendo nomẽ est inditum: à precipua nempè facultate; itaq; licèt medicamenta agant magis, quàm patiantur; alimenta è cõtra patiantur magis, quàm agant, tàm in his, quàm in illis, tam has, quàm illas experimus qualitates. Tandem in alimento nõ respicimus ad qualitates, sed ad substantiam, si, quatenus alimentum est, consideretur. Nam omnia, quę generantur, & intereunt, duplici mutationi obnoxia esse, dixit Galenus: vt pote quorũ substantia tum alteratur, tum diffluit. Alterationi medicamentis contrariam qualitatem habẽtibus ei, quae excedit, occurrim⁹: diffluxui verò alimẽto simili substãtia praedito ei, quae deperdita fuit. Melius fortasse dicemus similem ei, quae, post deperditam remansit: cum enim agens assimilet sibi passum, cum rursus substãtia, quę remanet, sit quę in alimentum agit, hinc, non autem deperditae alimentum simile fit. Sed quaenã est differentia inter deperditam, & remanẽtem? nempe, quia remanens ob partem deperditam deterioratur, & ita quicquid acquiritur, impar est deperdito, par autem ei, quod remãsit. Atq; haec est via, quae ad senectutem ducit, de qua suo loco plura dicem⁹. Porrò quoniã diximus, in alimento, vt alimentum est, qualitates non spectari, quãuis hoc

Infrae ad tex. 2. q. 9. art. 3. n. 2. corollar. 1.

hoc fusè inferius sit pertractandum, nō præteribo difficultatem, quę nūc ex præsentis contextus verbis oritur.

Si alimenti species constituit autor in humiditate, & siccitate, cur nos in alimēto qualitates spectandas esse negamus? Duplex respōsio huic quęsito satisfacit. Prima cum dicimus, in alimento, vt alimentum est, qualitates non considerari, duplicatio importat secum hanc significationem, alimentum secundùm qualitates non est alimētum, sed secundùm substātiam. Possumus vlteriùs dicere, scholarum more, qualitates nō inseruire alimēto ad esse, sed ad benè esse. Cæterùm quoniā si humiditatis, & siccitatis nomine qualitates itelligamus, diuisio erit non generis in species, vt autor vult, sed subiecti in accidentia; præstat aliter respondere.

Consentaneū est, & Hippocraticæ loquutioni accomodatū, humidū dicere pro liquido, siccum pro solido. Sic quādo idem ait, *Cibus humidus febricitantibus*, celebres expositores humidū, hoc est, liquidum interpretantur. Rursus, cū ait, *Facilius est impleri potu, quàm cibo*, potus nomine cibaria poculēta intelligit, alioqui nō diceret *impleri*. Hinc Plato, & Aristoteles edocti forsā ab Hippocrate, ille *Humidum* ait, *corporis alimentum, seu bonum, seu malum sit, potum vocamus*; Hic autem gelu, omnemq; humorē concretum siccum appellat actu: terram, cineremuè humore permistam, dicit esse humidam: cumq; alibi dicat sāguinem, cū humidus sit, receptaculum habere, humidū dicit pro liquido. Idem Aristoteles alibi hāc rem penitus declarat, inquiens, *Amplius molle quidem humidi, durum autem sicci*: Quippe ibi plures humidi, & sicci acceptiones ex professo tradit. Galenus quoq; fluxiones humidas appellat, quæ quamuis potestate sint siccæ, vt bilis, & succus melācholicus, liquidam tamē obtinent substantiam. Hęc humidi, & sicci, pro molli, & duro, seu pro liquido, & solido, acceptio, sępe in hoc opere occurrit, e. g. tex. 33. *Principium alimenti, & humidi, & sicci os, gula ventriculus*. Et tex. 48. *Sanguis humidus, & sanguis solidus*: & tex. 52. *Humidum alimentum facilius transmutatur*, & tex. 54. *Humidum ad reficiendas vires medicamen optimum*. Quæ singula suis locis explicabuntur.

Restat adhuc dubium soluendū: nam cum liquidum, & solidū sint modi substantiæ, diuisio nō erit generis in species, vt voluit Hippocrates, sed duntaxat modalis. At in primis nos iam diximus, nō esse diuisionē veri generis in veras species, sed reduci ad eam. Deinde modi intrinseci rerum variare faciūt speciem & subinde cōstituunt specificam distinctionē: quippe gelu nō differt ab aqua, nisi secundùm substantię modum, cum nihil aliud sit, quàm aqua cōcreta, & tamen ab ea, specie differt. Verùm plus nimio, præter medicum institutum, logicis rebus videmur indulsisse.

Et in his forma.

Quælibet, ex duabus alimenti speciebus, nempe humidi, ac sicci, diuiditur secundùm formas, & secundùm quantitatem. Formam ne, an speciem, an differētiam, an naturam dicamus, in Galeni, & subinde Hippocratis doctrina, idē est. Itaq; varię sunt alimentorum formę, seu naturæ, ab animalibus, & plantis deductæ, de quibus, pręter alios, Galenus tres libros scripsit, quos de alimentorum facultatibus inscripsit. Cęterùm quoniā diximus cū Galeno, alimentum accipi ex animalibus, & plantis, quæ duo vniuersum viuentium genus cōprehendūt, quoniam rursus id, quod alitur, nempe viuens, familiaritatem debet habere cū eo, à quo alitur, hæc familiaritas in gradu viuentis cōsistere videtur, quod quatenus verum sit, in pręsente libet inquirere.

AN NVTRIMENTVM NECESSARIO à re viuente fiat.

QVÆSTIO PRIMA.

1 RIA breuiter præfari oportet: primum cū quęrimus de nutrimēto superfluū esse addere viuentis, quādoquidē pręter viuens nihil nutritur, vt ex Philosopho mox patebit. Alterū cum dicimus, nutrimentū sumi ex viuente, nō intelligi viuens actu; nā sic propositio ista *Viuēs nutritur ex viuēte*, esset manifestè falsa, quod etiam constabit ex dicendis.

cendis. Tertium, nos non agere de nutrimento imperfectorum animaliũ, maximè sãguine carentiũ, vt sunt zoophita vocata, quæ à Budęo plantanimalia nũcupantur: neq; enim sunt stirpes, neq; animalia, sed medium quiddam inter vtrumq; e. g. ostrea, & spongia. Nam ex horum genere non pauca à non viuente cibum capiunt, quicquid in contrarium blateret Satyrus de Recho, qui eò stultitiæ accedit, vt ne plantas quidem ex non viuente nutriri velit, quamquàm multiloquio inuolutus non sibi admodum constat. Sed obiter hîc aliquot eius lapsus, quos circa hoc, inter alios, colligere potui, in medium afferam.

lib. 4. de his qui sine alimento c. 3. 2 Primus lapsus est, quoniã in plantarũ alimento sibi contradicit: aliquando enĩ sic ait, *Vt nusquam terra non sit humore ab animatis corporibus referta: quare dum sibi alimentum hauriunt radicibus è terra plantæ, tunc etiam succum sibi trahunt, qui ex animato corpore fluxit.* Hîc manifestè, ait, plantas ex corporibus animatis, quibus terram refertã esse ait, alimentum sumere. Quod vlteriùs probat, quia in terra sicca, & huiusmodi succo vel penitùs, vel maximè, vel magis, quã par sit, destituta, plãtæ nec viuunt, nec adolescere possunt, nisi stercore animaliũ inspergatur. Cęterùm quòd plantę sinè stercoratione in terra sicca nõ viuant, nec adolescant, mẽdacij istũ insimulo, & iudices appello colonos: quod autẽ vberiùs veniunt plantę in terra stercorata, hoc non est, quia in stercore vitalis aliqua virtus consistit, alioquin quò plus stercoris inijceretur, eò gleba fieret vberior, quod falsũ est: vnde Plinius, *Ager, si non stercoratur, alget, si nimium stercoratur, aduritur,* sed quia stercore incalescit terra, & ex terrę calore sibi vitalem calorẽ planta vegetiorẽ reddit. Sed redeo ad contradictionẽ, quam teneor ostendere. Idem iste alibi cum plantas affirmet ali nõ ex terra, sed ex succo, ei aduentitio: *Accidit autẽ,* (inquit) *illi à causis externis, & potissimũ ab ambiente varijs humoribus imbibi, quibus terræ quidẽ puritas alteratur, at substantia interna non mutatur.* Hęc sunt eius verba: sed nũquid humores isti, quibus terra imbibitur ex ambiente nos aere proueniętes, vitę participes sunt? istemet negat viuẽtes esse: ait enim *Plantæ, quarum essentia longè perfectior est, quàm essentia succi terreni, quem sibi hauriunt in alimentum: is enim viuens non est, licèt viuenti proximum, cum plantæ in viuentiũ numero collocentur.* Ecce qui priùs dixit, plantas haurire sibi succum, qui ex animato corpore fluxit, nunc viuens esse negat, nec confugiet ad viuens actu, nam sic nullum alimentum diceretur viuens.

Primus lapsus Satyri de Recho.

☞ *Cõtradictio.*

Plin.

lib. 2. c. 114.

☞

lib. 4. c. 3. 3 Secundus lapsus. Negat, cænũ per se nutrire posse, *Nam vbiq; in eo luto multa sunt animalium excrementa, quin & animalium, plantarumq; putredine dissolutarum succi, viscidiq; lentores, vnde viuentibus imperfectioris conditionis nutrimentum;* Et pluries ibidem prolixè repetit, in luto reperiri vel excrementa, vel partes plantarum putridas, quæ in animalium nutrimentum cedunt. Et tamen alibi negat, excrementa nutrire posse, & rectè quidem: nam si id, quod nutrit vitę munere est capax, cur hanc dignitatem excremento tribuemus? num quia à corpore viuente exit? at potiùs ob id ab omni vitalitate est alienum? quippe iste idem dicit alibi, *Excrementa, vt inutilia, & importuna foras eijciuntur.*

2. lapsus.

☞ *Cõtradictio.*

lib. 1. c. 2.

lib. 2. c. 207.

4 Quòd si velit, excrementum esse quidẽ inutile, & importunũ corpori, ex quo eijcitur, futurum tamen vtile, & opportunũ alteri inferioris conditionis, hęc respõsio non soluit difficultatẽ: potest namq; excrementũ esse v. g. vermibus opportunũ alimentũ, non tamen inde sequitur excremẽtum in viuentiũ serie reponi: immò sic manet stabilitum nostrũ pronũciatum, videlicet nõ esse necessarium, vt animalcula imperfecta ex viuente nutrimentum accipiant, quandoquidẽ nutriuntur excremẽtis, quæ (licet ex viuente prodeant) cum viuente nullam habent communitatem.

☞

5 Sed vnde nam probabit iste, rem à viuentis natura expulsam viuentis vim aliquam habere? nempe ex eo, quòd res ista à natura expulsa nutrimentum est viuentis, quod esse non posset, nisi viuentis vim aliquam haberet. At sic in circulum, veluti vertiginosus, versabitur: probat enim excrementum esse viuens, quia est alimentum viuentis, & esse alimentum viuentis, quia viuens est.

error logica.

6 Tertius lapsus. Ait, lutũ esse mistũ imperfectum, quia fit ex terra, & aqua: perfectum foret si omnia quatuor elementa ad mistionem istã concurrerẽt. Sed nõ ne terra, & aqua cõtinent in se excremẽta, & partes viuẽtis, quę mista sũt perfecta? Hoc apud istum frequentissimum est. Cur ergo ex miscibilibus perfectis non fit mistum perfectum? Non ne Aristoteles mistionẽ, ait, esse miscibilium alteratorũ vnionem? quid ergo impediet ne miscibilia hæc inuicẽ alterentur? Ergo ex istius doctrina, qui partes viuentiũ simul cum terra, & aqua cõmiscet, lutũ, contra eiusdem doctrinã, fit mistũ perfectum. Dico ex eius doctrina, quia partes istas viuentis, & excrementa

3. lapsus.

semper

semper necessariò terræ inesse, istius est dogma; quod nemo sibi assumet. Quòd si
precariò velit admittere, aliquando terram simplicem esse, & ab omni viuentiū par
tium consortio liberam, iam cogetur concedere, non semper animalia, que cæno
4. lapsus. nutriuntur, nutriri viuente: & sic saltē sui dogmatis vniuersalitatē ipsemet destruet.
7 Quartus lapsus. Alere illud solummodò posse mistum perfectū, quod habet lib. 2.
dispositiones propinquas ad induendā animā nutriendi sub formæ ratione. Sed nō c. 14.
declarat, vnde nā colligātur istiusmodi dispositiones, nec potest eas aliūde colligere,
quàm ex eo, quòd mistū istud alere potest. Ecce iam iterū vertigine corripitur.
error ī logica Nēpe quòd ait, alere solūmodò posse mistum, quod habet dispositiones propin-
quas, & deinde cogitur dicere, mistum habere dispositiones propinquas ex eo,
quod alere potest. Sed plus nimio cū isto in cæno, & stercore versati sumus. Nolo
plures lapsus percurrere, percurret aliquis, cui plusquàm mihi otium suppetit.

8 Restringitur ergo problema sic, vt quod nutritur sit viuens perfectū, nutrimē-
tum autem, quod priùs vitam habuit. Hac explicatione habita verè dicimus, viuēs
non nisi à viuente nutriri, hoc est, viuens perfectū non nisi ex alimento, quod priùs
quoquomodò vixit, nutriri. Hæc autē nutritio intelligi debet proxima, & immedi-
ata: nam per plures mutationes accidit, vt omnia ex omnibus nutriantur, quod iam
2. de Meteor micro- cos. c. 11. dudū in libro de Meteoris microcosmi demōstraui, argumento ducto ex terra, quæ
omne alimētum nobis producit, vnde Aristoteles, terrā omnia esse dicit: quippe re-
rū omniū seminarijs grauida, parturit ea, quæ nobis in cibū veniunt. *Inest* (īquit Hip
pocrates) *terra, & acidum, & amarum, & dulce, & salsum, & omnigenum.* Hæc omnia
alibi homini inesse ait, quod manifestè indicat transūptionem substantiæ à vi alente
factā. At vnde nam terra, quæ aliàs simplex corpus est, tot saporum varietates in
se continet? nēpe quia illa (vt ait Aristoteles) vicem fœminæ, matrisq; obtinet: Cœ-
lum verò vicem maris, & genitoris; Mineralia igitur, cœlo agente, in terrę vtero re-
cipiuntur, quorum particeps est omne id, quod è terra emergit.

9 Porrò nutritio non per plures mutationes, sed proximè ex alimento facta, ex
alimēto fit, quod priùs vitam habuit. Cur autem ita fiat, Satyrus de Recho fatuā ad-
hibet responsionem: quippe ait, viuentia non quocūq; ali, sed eo tantùm, quod si-
bi familiare est: hanc autem cōmunionem inter alimentū, & id, quod alitur, consi-
Error Satyri de Recho stere arbitratur in cōmunione materiæ. Hoc ex Aristotelis decreto esse ait: nunquā
tamē Philosophus ita decreuit, ne cogeretur multiplicitatē materię inuehere, quā
iste, nescio, vbi reperit. Inquit igitur, materiā, in qua communicant alimentū, &
id, quod alitur, non esse primam illam communissimā omnibus corporibus cadu-
cis: quippe nō omnia cedunt in alimentū viuentis: sed stultè ait, alimentū, & quod
alitur nō communicare in materia, quæ ōnibus est cōmunis; ignoscendū tamen est
illi: voluit dicere, non communicare in hac sola, sed præter hanc, in alia. Adiungit lib. 2.
vlteriùs. *Nec materia vltima, & proxima, quandoquidem alimur cibis diuersi generis, sed* c. 10.
est materia quędam media inter proximam, & remotissimam: huius autem mediæ mate-
riei duæ sunt primę species: alia est materia misti, alia verò animati. Sanè cum non
alamur quocumq; misto; sed eo solùm, quod est animatum, aut ad animatum quoquo
pacto referatur, seu tanquam pars, seu tanquàm fructus, seu tanquàm semen, seu
alio quouis modò; procul dubio conuenientia necessariò intercedens inter alimentum, &
alendum corpus, nulla erit alia, quàm quòd vtrunq; obtineat materiam, quę suapte
natura sit in potentia proxima ad animam, & ad animatum generatim acceptum pro
ximè referatur. Hic est istius progressus plurimis scatens erroribus, vt mox fiet ma-
nifestum.

Probat Satyr. de Recho idē per idē error ī logica. 10 In primis, vt concludat alimentū cum eo, quod alit, cōmunicare in materia
animati, ponit pro antecedente, quod nō alamur quocūq; misto, sed animato. Hoc
autē est probare idem per idē: nempè alimentū communicare cū alito in materia
animati: quia alimentū, & alitum vtrunq; est animatum. Hoc tamen leue est, illud
verò absurdum grauissimū, quòd materiam illam communissimā vult aliā esse ab
ista, quā dicit esse in potentia proxima ad animā. Nō ne anima est forma? at materia
illa communissima est in potentia proxima ad formā, ergo ad animā. Qui hoc ne-
garet, in errorem Academicorū incideret, qui animā dicebant corpori mortali, &
caduco non immediatè, sed per alia corpora intermedia vniri.

11 Deinde, cum dicit alimentū, & id, quod alitur (nempe animatū) communio-
nem habere in materia animati, ne intellectu quidē potest concipi materia animati,
quin cōcipiatur simul animatū: iam ergo conuenientia inter alimentū, & quod ali-
tur, erit in alio præterquā in materia, nēpe in forma, quæ efficit, vt materia simplex

sit materia animati est materia animata. Si verò disputationis gratia admittatur, posse intellectum abstrahere materiam animati ab animato (quam abstractionem impossibilem esse censeo) iam materia ista abstracta erit nuda materia, ac proinde erit communissima, quam iste reijcit.

12 Tertio ex Aristotele *Actus est, qui distinguit*, quare consentaneum etiam est, vt actus sit, qui vnit: nã secundùm rationẽ prius est vnire, & cõstituere, quã destruere, & separare. Si igitur actus, id est forma est, quæ vnit, actus, siue forma est, quæ conuenientiã facit, & disconuenientiam, non autem materia. Confirmatur etiã ex eodẽ Aristotele dicente, partẽ quamlibet augeri secundùm formam, non autẽ secundùm materiã. Hinc autem communissimũ peripateticæ scholæ decretũ emanauit, nẽpe id, quod nutritur, manere idẽ secundùm partes formales, non autẽ secundùm materiales. Tametsi autem quid partiũ formaliũ nomine significetur vario modo interpretes declarẽt; nihilominus optima est D. Thomę, & suorum interpretatio, videlicet partes formales dici partes integrantes absolutè spectatas secundùm cõmunem essentiæ rationem, materiales verò acceptas secundùm conditiones indiuiduales, quæ ad materiam magis spectant. Itaq; nutritio fit secundùm eas partes, in quibus est conuenientia inter alimentum, & id, quod alitur: sed nutritio fit secundùm partes formales, ergò conuenientia est secundùm partes formales. *Ar. 7. meta-ph. tex. 49. Ar. 1. gen. & cor. t. 35.*

13 Tandẽ materia prima, quam iste remotissimã appellat, approximatur adeò vt euadat materia animati, hæc autẽ approximatio non potest fieri p aliud, quàm per dispositiones, quas habet ad suscipiendã formam animati. Has dispositiones nõ habet alimentũ, nisi cum animato corpori vnitur, nos autẽ consideramus alimentum separatum, & quærimus, cur necessariò debet esse viuens. Si verò respõdeat, alimentũ prius cũ fuit viuens, habuisse has dispositiones, quę postea in mortuo remãserunt, in primis, incidit in opinionẽ Fernelij, quam reprobat. Fernelius namq; ait, viuens nutriri viuente. *Quoniã nostra vita, nosterq; calor, non nisi aliorum vita, & calore, neq; corporis nostri substantia, non nisi illorum materia sustineri potest.* Reijcit iste hãc rationem: quoniam his alimur non nisi vita functis, caloreq; qui vitæ sit comes destitutis. Sed cum calor sit vna ex dispositionibus, quibus vita inducitur, & cõseruatur, si calorẽ non admittit in alimento, cur admittit in eo dispositiones, quib⁹ vita inducitur, & conseruatur? Quoniam item Fernelius ait, substantiam nostri corporis non posse sustineri sine materia alimentorum, arguit iste, quia hoc est, quæsitum alijs verbis repetere, non quæsiti causam assignare. Sed tu non ne in eandem incidis foueam? siquidem reddens causam, cur alimentum debeat esse viuens, inquis quia conueniunt in materia animati: non ne idem est conuenire duo in materia, & vnum non posse sustineri nisi in materia alterius? *Fern.*

14 Tot sunt absurda, quę secũ affert multiplicitas isthęc materierũ, ab omni philosophia, vt patet, aliena: quare prorsus extra veritatis studiosorũ animos eliminãda. Ne autẽ problema sine responsione maneat, memoria tenendũ est id, quod Hippocrates nõ semel inculcauit, nempe omnia in circulũ volui. Quare cũ Fernelius dicat, nihil nõ alere posse, quod nõ alatur, possumus per conuersionẽ adiungere, nihil posse ali, quod etiam alere non possit. Deinde vlterius progrediẽdo aliũ circulũm conficiemus: cũ enim coctio necessariò præcedat nutritionẽ, nihil nutrire potest, quod non possit concoqui: rursus nihil concoqui potest, quod nutrire non possit.

15 Vtriusq; circuli centrũ est substantia viuens: cur substantia viuens? nũ quia viuens est? minimè: siquidẽ frustra in alimento requirimus vitã, cum oporteat, vitam, vt alat, amittere. Sed quia substãtia viuens habet secũ mediocritatẽ mistionis, quę mediocritas, vt vitę, sic coctioni est apta: quippe, quæ imperfectè sunt mista, vt sũt meteora, à calore soluuntur, & propterea dissoluta nec vitã, nec coctionẽ recipiunt: quæ valde sunt mista, vt lapides, & mineralia neq; spiritibus, quorũ beneficio viuitur, sunt peruia, neq; mollitiem, quã coctio requirit, obtinẽt. Mediocriter igitur mista meatus habent, per quos spiritus vitę delatores communicantur, non tamen ita amplos, vt imperfectè mista, quæ spirituum impetum retinere nequeunt, neq; ita angustos vt habent valde mista, quæ propterea vitali spiritu carent.

16 Hęc itaq; mediocris mistionis substãtia & alit, & alere potest, & cõcoqui potest, & constat substantijs per coctionẽ elaboratis, & simul est substãtia viuens. Cũ substantiam viuentẽ dico, intelligo viuentem in potentia, actu verò non viuentẽ. Nam non viuens bifariã dicitur, vno modo negatiuè, quòd nullã cum viuente familiaritatẽ obtinet, vt sunt lapides, mineralia, meteora: altero modo priuatiuè, quod licet neget formam actu, potentiã tamen ad formã viuentis non excludit. Hinc sapiẽter

Hippo-

Hippocrates de insōnijs.

Hippocrates in libello de insomnijs ait, ex mortuis nutritionem, accretionem, & semina accipi, dixi ex mortuis, hoc est, priuatiuè nō viuentibus, si verò dixisset absolutè ex non viuentibus propositio foret falsa, quia non viuentium nomine continentur ea, quæ negatiuè talia sunt, ex quibus nutritionem non accipimus.

17 Porrò cū priuatio negatio formæ in subiecto apto nato, si interitu ex viuente fit non viuens, abest forma, adest tamen aptitudo ad eam, nā hęc non tollitur priuatione. Cū ergo Aristoteles, quē Satyrus de Recho citauit, sed non intellexit, ait, *Alimentum ad animatum est, & non secundùm accidens*, non intelligit habitudinem alimēti ad animatum respectu materiæ, sed habitudinē, potiùs aptitudinem ad vitam secundùm substantiam. Vt scilicet substantia, quæ per priuationē est nō viuens, sit apta, ac proinde sit in potentia ad formam viuentis. Vnde nā hec aptitudo substantiæ inest? nēpe (vt iam diximus) ex modo mistionis: quemadmodū enim ex qualitatibus elementorum vario modo contemperatis, varia emergunt temperamenta, sic ex substantijs elementarijs vario modo mistis pullulant variæ substantiæ, quarū aliquæ ex modo mistionis, sunt ineptæ ad vitam, aliæ verò aptæ. Modus autem substantiæ aptus ad vitam cum semel adest, etiam post interitum permanet. Vndè quod vixit, potest quidem non viuere, non tamen potest esse non aptum ad vitam: quia priuatio abstulit formam, non verò aptitudinem subiecti.

Ar. 2. de ani. t. 46.

18 Remanet tamen vna difficultas: cū enim ideo substantiā viuentis diximus esse aptā, vt ex ea fiat alimentū, simul diximus esse aptam, vt concoquatur, & ideo quia concoqui potest, posse alere; cæterùm cū substantia sit coctibilis per humiditatē, humiditas autē sit accidens, iam alimentū erit alimentum secundùm accidens, cōtra id, quod voluit Aristoteles. Negandum tamen est coctibilitatē aduenire alimento propter solā humiditatem: licèt enim coctio cibi in ventriculo sit elixatio quędam, & proinde postulet humidum, hoc humidum est extraneum per potum ingestum: quod inseruit quidem coctioni, non tamen est causa, cur alimentum sit coctibile: nam assatio, & maturatio sunt species coctionis, & non postulant hanc humiditatem, quæ in elixactione, vt commodiùs res elixentur, solet immitti. Quòd si humiditas foret causa coctibilitatis, ea, quæ maximè sunt humida, maximè coctibilia forent, quod est falsum, vt ostenditur in aqua.

19 Quamuis autem non sit negandum, mollitiē, & subinde humiditatē esse requisitā, vt substantia coctionē admittat, & substantia non nisi mollis, & humida concoqui possit, non iccirco dicitur substantia esse coctibilis per accidens, & ex consequente non dicitur, alimentum respicere alitum per accidens, sed familiaritas inter alimentum, & id, quod alitur, consistit in substantię proprietate, quæ est de alimenti, & aliti essentia, ac propterea conuenientia inter hęc duo essentialis est, & substantialis, non autem per accidens.

Ac quantitas est.

Diuisio alimēti secundùm quantitatē dupliciter potest fieri, primò prout cibi alij sunt, quorum magna pars est alimētosa, alij, quibus exigua, de quibus agemus infra ad textum quartum. Secūdò prout multi, aut pauci cibi ingeruntur, vnde accipitur diuisio in victū plenum, & victum tenuem, cuius plures sunt gradus, vel differentiæ, vel species, quæ ex primo aphorismorū colliguntur: est nēpe victus tenuis ptysana, est tenuior ptysanæ cremor, est tenuissimus mulsa, est extremè tenuissimus (autore Galeno) cū omnimoda abstinentia seruatur. Extra hos est victus plenus, qui quoniam ad sanos magis pertinet, non ita exquisitè in gradus suos diuisus cōsideratur. Existimant aliqui, maiorem committi errorē in victu tenui, quàm in pleniore: quippe Hippocrates ait: *In tenui victu ægri delinquunt, quo fit vt magis lędantur: quicunq; enim error committitur maior in hoc fit, quam in paulo pleniore victu. Propterea etiam sanis valde periculosus existit valde tenuis, & constitutus, & exquisitus cibus: quoniam errores grauius ferunt. Ob hoc igitur tenuis victus, atq; admodum exquisitus, eo qui paulo plenior sit, magis periculosus.* His Hippocratis verbis decipiuntur arbitrantes, victum tenuē ab eo damnari, quod si ita esset, magnus vir sibi cōtradiceret, qui in opere de victu acutorū victum tenuē summoperè laudat. At re vera non damnat cibum tenuem, sed cauere iubet, ne illi, qui (morbi natura sic iubente) victu tenui vtuntur, errores circa res alias committant: nam isti ob imbecillitatem à victu tenui cōtractam non poterunt ferre damna, quę ex quocumq; errore proueniunt. Hoc sanorum exemplo confirmat;

Hipp. 1. aph. 5.

Expositio aphorismi.

mat: quippe sani, qui tenuiter nutriuntur, labilem, & facilè resolubilē naturā habent: hi si in morbos incidant, magis, ob imbecillitatem, periclitantur, quàm qui lautiùs viuunt. Hanc expositionem potiorem Galenus ait, quā multi ex interpretibus recipiūt, & vt mea fert opinio nulla alia rectè constare potest.

Et ad quædam, & ad tot.

Hactenus diuisit alimentū in species absolutas, nunc adiungit aliquas respectiuas inquiens, *Et ad quædam, & ad tot.* Hoc est, diuiditur etiam alimentum habito in primis respectu *Ad quædam*: nempè ad quasdā occasiones alendi rationē mutantes: sunt autem præcipuę regio, anni tempus, & ætas, & consuetudo de quibus infra tex. 36. & tex. 44. Addit *Et ad tot* videlicet, ad indiuiduorum varietates, quę tot sunt, vt numerari nequeāt. Variatur enim cibus iuxtà indiuiduorū varias appetentias, vndè Horatius.

Tres mihi conuiuę propè dissentire videntur,
Poscentes vario multùm diuersa palato.

Variatur etiā secundùm proprietates, quas medici indiuiduales solēt appellare, secundùm quas cōtingit multoties, vt cibus, qui vni est proficuus, & saluber, alteri sit nocuus. De his etiam inferiùs dabitur pertractandi occasio: supersedendum propterea nunc est, & ad alterius contextus explicationem transeundum.

TEXTVS II.

AVget autem, & corroborat, & incarnat, & aßimilat, et dißimilia facit, quæ in singulis sūt, iuxta uniuscuiusq; naturam, ac facultatem, quæ ab initio adest.

COMMENT.

ESse potest hic text⁹ subdiuisio quædam prioris diuisionis, vt volunt Fracantianus, & Cardanus: mihi tamen magis placet dicere, peracta superiore diuisione generis in suas species, tradi nunc omnium simul specierū proprietates: nam omne alimentum, siue solidū, siue liquidū *Auget, corroborat, & incarnat, & assimilat, & dissimilia facit.*

Auget autem.

Cum augmentatio nutritionem supponat, quod ex Galeno colligi potest, priùs nutritio foret commemoranda, quàm augmentatio: sed eo ipso, quòd vera nutritio ad veram augmentationē supponitur necessariò, videtur magnus senex consultò nutritionem omisisse, tū ob hanc causam, tū etiam, quia si nutrimentum nutrire diceret, sententia indigna esset tanto autore, qui nihil vulgare vnquā fuit loquutus. Si quis verò obijciat eum infra tex. 7. *Alimenti autem, quod alit, hoc alimentum,* quare non est sententia Hippocrate digna, quam nos, vti optimam, ab illo recipimus, respondeo Hippocratem nō potuisse aliter alimētum proprium ab improprio separare, & analogiam auferre, nisi tres acceptiones alimenti, quę in ęquiuoco cōueniunt, attulisset; sunt autem hę, *Quod alit, quod est velut alimentum, & quod futurum alimentum est.* 1. nat. faculi. c. 7.

Porrò, vt ab augmentatione, cum autore, exordium sumam, facultas augēdi (vt Fernelius ait) est, *Qua corpus quoquouersum porrigit, ac profert, ipsa autem illius gestio accretio est*; Dixit *quoquouersum* hoc est, (vt ipsemet explicat) in lōgitudinis, simulq; latitudinis, & altitudinis dimensiones. Hæc igitur, vt nutritionē semper comitē habet, imò à nutritione non differt (vt infra probabimus) sic solius naturę est opus, non artis, quod Galenus appositissimo exēplo demonstrat. Pueri namq; suillas vesicas implent, & confricando distēdunt, *Sed hoc puerili opere, quantum interna vesicæ capacitas est aucta, tantum necesse est, vt corpus eius in tenuius sit redactum. Quod si tenuitatem hanc sarcire pueri possent, vtiq; perindè ac natura, ex parua magnam vesicam efficerent: nunc verò id opus consequi ijs non licet: nec duci id in imitationem vlli iam perfectorum hominum, quoquo pacto fas est, ne dum pueris: id enim solius naturę proprium munus est.* Sic Galenus. Quoniam ergò quicquid augetur, nutritur simul, quæsitu dignum est, an augmentatio, in crescendi ętate tam secundùm partes carnosas, & adiposas, quàm secundùm seminales, fiat? Fern. libr. 5. physi. c. 3. vbi supra.

SECVNDVM QVAS PARTES fiat augmentatio.

QVÆSTIO SECVNDA.

Ioub. quæst. parad. 30.

1 Nquirendum hoc loco esset, an caro sit verè pars corporis, propter vnum Ioubertũ, qui, vt neget carnẽ augeri, negat simul esse verè partem. Verùm nõ omnia vbiq; sunt disputationibus protrahẽda, maximè cum autore, qui conclusionẽ, quam paradoxã nũcupauit, improbatã reliquit. Ratum igitur sit, carnem esse viuentis partẽ, quoniam, & ipsa est viuens: est autem viuens, vt colligitur ex eo, quòd præscriptum habet magnitudinis suæ terminum, quæ est conditio viuentium ex Aristotele. Nec Galenus carnem, & adipem è partium numero excludit, sed inter partes, has duas semper recenset.

Arist. 1. phy. c. 4. G. art. med. c. 9 et 11. simpl. & de cur. rat. per sang. miss. c. 8. & 6. de placit. c. 8. G. 4. nat. facult. c. 5.

2 Res igitur in hunc modũ procedit, si sunt viuentium partes, viuunt, si viuunt, nutriuntur, si nutriuntur, tantũ alimenti quoquouersùm accipiunt, quantũ fuit deperditum; si ergo recipiunt tantum, cur etiam in ijs ætatibus, in quibus redundat, hoc est, vsq; ad consistentiã, plus nõ recipient? Contrarium tamen sentit Fernelius, & cum Fernelio nonnulli, qui tenent totam incrementi rationẽ ad solidas duntaxat animãtiũ partes, maximèq; ad ossa pertinere, quæ si crescunt, pariter animal vniuersũ crescit. Videtur huic opinioni fauere Galenus, qui sic inquit, *Auctio verò solidarum partium, quarum esse formationem iam diximus, augmentum*. Verùm Galenum solidarũ partium nomine, etiam comprehẽdisse carnosas, constat, tùm ex ipsius verbis, nempè *Quarum esse formationem iam diximus* (At formatio omnium est, tã spermaticarum, quã aliarum, quę sanguineę nuncupãtur) tùm etiam quoniã apud eum solidæ partes non vno, eodemq; modo accipiuntur; interdum enim solidæ vocãtur, quæ ex semine fiunt, respectu carnosarũ, quę fiunt ex sanguine, & molliores quidem sunt Interdum autẽ solidę appellãtur omnes tàm spermaticę, quàm sanguineæ hoc est, tam ossa, nerui, mẽbranæ, & cętera albedinẽ præseferentia, quàm sanguineæ, hoc est, carnosæ, & adiposæ: omnes namq; respectu humorũ sunt solidæ. Difficilius videtur, quòd Galenus, dum partes, quæ augentur, recenset, solas spermaticas nominat: nempè arterias, neruos, venas, ossa, cartilagines, membranas, ligamenta, deniq; tunicas omnes. Sed respondetur, eum ibi non exprofesso tradere voluisse, quæ partes augeantur, quæ non augeantur, sed commemorauit loco exempli illas, nec proptereà exclusit alias, quarum in augmentationis modo similis est ratio.

Ratio pro op. Fern.

3 Fauet prætereà opinioni Fernelianæ experimentum: videmus namq; in ætate consistendi, & vltra, ossa, neruos, & reliqua huius ordinis, propter contractam duritiem nõ ampliùs augeri, quamuis enim vberius alimentum adsit, dilatatur quidem in latitudinem corpus, vnde senes fiunt ventricosi, in proceritatem verò, in qua precipuè augmenti ratio consistit, non augmentãtur; si ergo quia solidis tantùm partibus, non autem carnosis deest augmentatio, corpus dicitur nõ augeri, sed esse vltra augescendi ætatem constitutum, meritò solidis duntaxat partibus non autem simul carnosis auctrix facultas tribuitur.

4 Diluitur tamen hęc difficultas, si cõsideremus, partes tã solidas, quàm carnosas, infra ętatẽ cõsistendi, augeri quidẽ, cæterùm hanc esse inter vtrasq; differentiã, quòd solidæ & sibi, & alijs fulcimentum præstent, carnosæ solidis adhæreant, & fulciãtur. Quoniam autẽ solidæ partes tum ob duritiem, tum ob paucitatẽ effluxus post augescendi ætates desinunt augeri, carnosæ, quæ non nisi adhærẽdo solidis proceritatẽ acquirunt, non possunt vberiorem, qua fruuntur, alimoniã, in longum producere, ideò ad latitudinẽ cõuertuntur. Cumq; augmẽtũ, vt diximus, debeat fieri quoquouersũ, & maximè secundùm longitudinẽ, dilatatio in latitudinẽ, non dicitur augmẽtatio. Cur autẽ in senectute magis hæc dilatatio accidat, inferiùs cõmodiore loco tractabitur. Nunc autẽ sufficiat scire non proptereà quòd partes carnosæ adhærẽdo solidis augentur, dicendum esse eas non augeri. Nam hedera e.g. licèt muris, & trũcis arborum fulciatur, à se ipsa, non à fulcimentis dicitur habere augmentum.

5 Atq; hæc est huius rei vera ratio, quæ inferiùs magis innotescet, non illa, quam ☞ Satyrus de Recho affert deliramentis plenã: nempè sic: *Da tu quantamuis augmentationi materiam, nunquam eam operationem edet anima in ætate consistentię, nunquam* P. 126.

quam in senili corpore: non in senili corpore, quod senes ob defectum caloris, tantum alimenti sibi conficere nequeunt, quanto ad augmentum sibi opus esset: non in ætate consistentiæ, quod ætate consistentes iam adepti sunt terminum magnitudinis naturæ suæ conuenientem. Sic iste: cæterùm quod ad senile corpus pertinet mox tractabitur, priùs namquè quod ait *AEtate consistẽtes iam adeptos esse terminum magnitudinis naturæ suę conuenientem*, in examen traho. Dicat ergo, cui naturæ debet esse conueniens magnitudo, vltra quam corpus non potest transire? nunquid non potest transire terminum magnitudinis conuenientem naturę specificę, hoc est terminũ, qui speciei illi conuenit? at hoc est falsum: multi enim in ætate cõsistendi, nõ vlteriùs augẽtur, qui non sunt adepti totã magnitudinẽ, quæ speciei humanæ debetur, habent enĩ exiguã, præ cæteris hominibus, corporis molẽ. Remanet, vt terminus, de quo iste loquitur, sit cõueniens naturæ indiuidui, at indiuidua non habent determinatã sibi corporis magnitudinem, pro vt indiuidua sunt: nam à quo illam haberent? nũ à generãte? at generãs potest esse maioris, minorisuè molis, quã sit genitũ. Num à principijs generationis? at hęc nihil efficere possunt, quòd si posśet, emendationẽ etiam susciperẽt: quemadmodùm enim ille, cui principia vitę breuem vitam pollicebantur, potest mutato in melius temperamento plus de huiusmodi principijs suscipiens, fieri longæuior, sic ille, cui eadem principia exiguam molem corporis tribuerent, posset beneficio artis reductorię, maiorem eorum principiorum augmentationẽ consequi.

6 Accedo ad corpus senile. *Vltra ætatem consistendi*, ait iste, *calorem debilem non possẽ concoquere tantum alimenti, quantum satis est ad augmentationẽ promouendam, & acquisitam conseruandã, quare senes minus alimenti sibi adiungentes, quàm sit substãtia iugiter è suo corpore defluens, ab interno calore, atq; ab externis causis ei cooperantibus, in halitus dissipata, tantum abest, vt augeri valeãt, quod nec pristinam molem sibi conseruare valentes necessariò diminuuntur in dies.* Hactenus Philosophaster philosophatus inania protulit. Nam in primis, dicere, vltra ętatem consistendi, calorem debilem nõ posse concoquere tantum alimenti, quantum sufficit ad augmentationẽ, & conseruationem, hominis est, qui ignorat differẽtiam inter facultatem, & facultatis instrumentum; Fateor, calorem in sene debiliorem esse, quàm in adolescente, tamen non propterea tribuẽdus est defectus augmẽtationis debilitati caloris, sed facultatis: imò si in corpore senili calor adolescẽtis vigeret, nõ adhuc senex augmẽtaretur vera augmẽtatione. Deindè si calor debilis vltra ætatẽ cõsistendi est causa, cur homo nõ solùm nõ augeatur, sed minuatur etiã, cur homo vltra ætatẽ consistẽdi è morbo conualescẽs reficitur, & pristinum corporis habitũ recuperat? Tandẽ quæro, cum dicit, corpus vltra ętatem cõsistendi minui, an intelligat minutione, quę vera est decretio, opposita veræ augmẽtationi, nẽpe secũdùm omnes dimensiones; Si hoc ità dicat, mentitur quidẽ: etenim senes fiunt ventricosi, & incrassantur, ac ita nõ fit in eis minutio secundùm latitudinẽ, proindè non secũdùm omnes dimensiones; Si verò dicat, minui secundùm aliquas, tunc interrogo, secundùm quas? non secundùm proceritatem, nam cum ab Hippocrate sit dictum, *Proceritas senectuti indecens*, manifestum est, proceritatem in senectute permanere: non secundùm latitudinem, vt iam diximus; sed dicet, senes fieri rugosos, quod non accidit nisi per diminutionẽ carnis. At sciat, oportet, rugas non aduenire statim post ætatem consistendi, sed in vltimo senio: præterea rugas non contrahit homo, nisi secundùm manus, & faciem; Cum ergo minuatur secũdùm paucissimas partes, augeatur secundùm multas, stultè dicitur, simpliciter hominem in senectute minui. Hi sunt Satyri errores; Omitto quòd substantiam nostram à calore interno dissipari, ait, calor autem internus est naturalis, quem ille passim non absumere substantiam nostram dicit. Cur autem senectus dicatur decrescendi ætas, dicetur infra.

P. 24. 97.98.

Quæs. seq. ar. 2. in fine

7 His dictis quasi triumphans, victoriam ita canit. *Falsò igitur asseris data augmẽtationi materia, functionem auctionis nunquàm intermissum iri.* Hic te hominẽ grammaticum in grammatica peritiorem desidero, vt saltem verborum significationem teneas, & synonima aptare scias. Hactenus laborasti causã afferendo, cur in senectute augmentatio omittatur, & ex hoc tuo labore infers, falsò, me dixisse; auctionem nũquã intermisũ iri, & ego infero, te ignorare, quę differentia sit inter verbũ omitto, & verbum intermitto. Omitti dicitur in senectute augmentatio, non intermitti, & nec in senectute, nec in alijs ętatibus augmentatio, sicut neq; alię actiones naturales, intermittitur, interpollatur, feriatur, quibus ego verbis sum vsus.

8 Ceterùm, vt huic quęstioni finem imponã, nec ieiunum lectorem omnino dimittã, placet breuiter causas referre, cur cesset vltra ætatem iuuenilẽ augmentatio,

cũ tamē in nulla ętate cesset nutritio, quę vitę indiuidua est comes. Tametsi auctrix facultas in senectute nō aboletur (quod inferiùs non sinè demonstratione dicem⁹) minuitur tñ, & debilior fit. Minui autē animę facultates, alicui videbitur absurdum, nō tamen ijs, qui facultatē auctricem in senectute aboleri arbitrantur (nam eo iure, quo illi aboleri dicunt, nos dicim⁹ diminui) sed alijs, qui potentias omnes recipi in nuda anima arbitrãtur (pauci tñ hi sunt, & præter Apollinarem, & Iandunũ, nescio an sit aliquis alius) Verùm cũ facultatum quędã sint immateriales, quas anima secũ defert, quãdo à corpore separatur, alię materiales, quas relinquit simul cũ corpore, illę, vt intellectus, & voluntas, in anima sola existũt, istę autē (inter quas est nutritio & augmētatio) in toto composito, imò (vt cōmunis schola tenet) in materia, prout formæ subest, reperiũtur. Hæc diuisio colligitur ex Aristotele, qui potentiarũ quasdam esse, ait, organicas, idest, organis inhęrentes, quasdam non. Itaq; potentię materiales, vt sunt sensitiuæ, aut naturales, hoc est nutritio, augmentatio, & reliquę, potiùs nutritiua, & auctrix, resident in toto composito, aut si mauis, in materia, prout substat formæ: sunt enim hę potentiæ accidentia materialia, extensa, ac propterea non possunt inhærere soli animę, quę immaterialis est, indiuisibilis, & inextenta, quippe id, quod in aliquo, per inhęsionem, recipitur, necessariò sese ad naturam recipientis accommodat. Qui ergo poterunt materialia accidentia extensionem habentia animæ immateriali, & extensionis immuni accommodari? Multa alia possem ad huius placiti confirmationem afferre: Sed instar multarum nobis sit D. Augustini pronunciatum, quod sic habet. *Ex duabus substantijs constat homo: anima cum ratione sua, & carne cum sensibus suis*; Quod autem de sensibus dicit, de reliquis potentijs materialibus dictum esse, constat.

D. August. sententia de potentijs materialibus.

9 Porrò cum augmentatio (de hac nobis nunc sermo est) sit potētia materialis, quę inheret toti composito, vocatur potentia, seu facultas animę à nobiliore parte sui subiecti, ab ignobiliore autē habet, quòd possit diminui, quare manet firma predicta sententia, posse nēpè corpus senile, ac debile debilem habere facultatē. Cæterùm dum facultatem auctricē dicimus, solùm videmur probasse, debilē etiam fore in senectute augendi functionē, cum tamē probandũ esset, eam penitus cessare. Hoc quidē ita est; verũ si vlteriùs progrediamur, quemadmodũ debilis facultas, licet, nō impedita, debilem edit functionem, ita facilè impeditur, vt nullam edere possit. Sed sunt ne in senectute impedimenta, quę auctionē quoquouersũ fieri prohibent? imò maxima: videlicet siccitas, quę meatus reddit angustos, per quos alimētũ introduci debet; Cũ igitur siccitate cōpressi difficulter, & non nisi magno ingredientis alimēti impetu aperiantur, cum (vt supponimus) facultates, nempe attractix, & apponens sint debiles, impetus debilis aperit quidem meatus quantum sufficit ad nutritionē, nō autem ampliùs quantũ ad augmentationē, quod infra magis diffusè tractabitur.

Infra q. 2. Art. 4. i fine.

Gal. 1. Aph. 14.

10 Opponet aliquis huic doctrinę Galenum, qui terrestre fieri quotidie animalis corpus, dum augetur, dixit. Vnde infertur, siccitatem non esse impedimentũ augmentationi, imò potius ei inseruire. Inseruit quidem, dum intra debitũ consistit terminũ: substantia namq; corporis, nisi à siccitate induraretur, humida, ac mollis difflueret: cæterùm cum eò peruentum est, vt vlterior exsiccatio non expetatur, tunc siccitas nocua est, & augmentationem impedit. *Si igitur* (ait Galenus) *facere potuisset natura, vt postquam animal, vel stirpem ad vigorem vsq; perduxisset, aliam rursus viribus parem induceret elementationem, hoc vtiq; duntaxat modo sinè senio, & corruptione eius perdurasset fabrica*, & quę sequuntur. Colligitur ergo ex his, si posset impedire siccitas, senectutem, & multò magis consistendi ętatem impeditum iri, ac proinde siccitatem esse, quę senectutem inuehit, & cum senectute senectutis incommoda, inter quę vnum est, non posse augeri. Verùm de his satis: quippe ex mox dicendis hæc, quę dicta sunt, longè magis explanata euadent.

Gal. de Marc. c. 4.

An Nutritio, & Augmentatio duæ sint functiones à duabus facultatibus diuersis prouenientes.

QVÆSTIO TERTIA.

De distinct. īter nutritiuã & generãtē v. īfra q. 4. art. 13. n. 44.

DIssidium magnũ inter neotericos est ortum, quibusdã affirmantibus nutritiuã, & auctricē duas esse diuersas facultates, quarum etiã functiones sũt diuersę;

Alijs

Aliis contrarium asserentibus, & ex vtrisq; vnam duntaxat constituentibus. Hinc indè adeò fortiter pugnatur, vt adhuc sub iudice lis esse videatur; & (quod difficiliorem controuersiam hanc facit) plures sunt surculi, qui ex ea pullulant; Quare operæ pretium erit articulatim procedere.

Argumenta, quæ suadent, facultates esse diuersas. Articulus primus.

QVI nutritiuam, & augmentatiuam diuersas esse sentiunt, fundamentis nituntur valde efficacibus. Primò ergo sic argumentantur. Si ad actum nutritiuæ facultatis respicimus, est reparata substantia, si ad augmentatiuę, est aucta quantitas. Cum ergo Philosophicum dogma sit, potentias distingui per actus, & obiecta, manifesta hìc distinctio conspicitur. *1. arg.*

2 Deindè, inter duo, quorum alterū absq; altero potest subsistere, datur distinctio realis, siue rei à re; Subsistit in primis nutritio sinè augmentatione, quoniam licèt *Tandiu viuimus, quādiu nutrimur*, nō tamen quādiu viuimus, augemur, siquidem à consistendi ætate incipimus non augeri. Subsistit etiam sinè nutritione augmentatio, vt quando puer diuturna febre laborans, simul augetur, & marcescit. *2. arg.*

3 Tandem Aristotelis, & Galeni autoritate hæc eadē fulcitur opinio; Aristoteles, *Necesse esse*, ait, *omne, quod est ortum, accretionem, & statum, & decretionem habere, quæ quidem, vt patet, sinè nutritione fieri nequeunt.* Sic Philosophus. Si igitur ad augmentationem necessariò requiritur nutritio, vtiq; diuersæ res sunt; nihil enim dicitur indigere se ipso. Idem alibi ad tria duntaxat prædicamenta esse per se motum, docet, ad quantitatem, ad qualitatem, ad vbi; Ad quantitatem esse augmentationem, ad qualitatem alterationem, ad vbi lationem; Cum autem nutritio circa substantiam versetur, & ad substantiam non sit per se motus, manifestum videtur, esse augmentationem à nutritione diuersam. Si quis hìc obiter quærat, cur ad substantiam non sit per se motus, respondemus, motum inter contraria versari, substantiæ autem nihil esse contrarium; neq; in substantia esse spatium, quod percurratur; quippe intentionem non admittit: non enim suscipit magis, & minus, nec extensionem, nisi per accidens, ratione scilicet quantitatis. Galenus autem actiones, quę tribus operibus respondent, tres esse, ait, generationem, auctionem, nutritionem. Alibi etiam auctrici facultati nutritiuam ministram tribuit; quòd si eius ministra est, non est cum ea eadem. *3. arg. Ar. 3. de an. c. 2. Ar. 5. phy. c. 1. in fine. Gal. 1. nat. facul. c. 5.*

Fulcitur contraria opinio: nempe vtramq; facultatem vnam, & eandem re vera esse. Articulus secundus.

QVOD autem nō sit auctrix facultas diuersa à nutritiua, multi etiā tenent, cui opinioni eò libentiùs adhæreo, quò magis à facultatū multiplicatione distat: frustra enim fit per plura, quod per pauciora ęquè commodè pręstari potest. Referā ergo fundamenta, quibus fulcitur, & quicquid in contrarium obijcitur, retundam.

2 Primò, sicut in non viuentibus ab eadem potentia, per eandem actionem, producitur partialis substantia, & quantitas, ę.g. quādo augetur ignis eadē est potentia, per quam successiuè tàm quantitas, quàm substātia producuntur, ita etiā in viuentibus. Neq; est incongrua isthæc comparatio; nam in primis non viuentia dicūtur nutriri, licèt impropriè, ignis autem, vt Aristoteles affirmat, inter illa maximè nutriri videtur: tùm quia, ex eodem, solus, & maximè forma est, hoc est formalis (est autem formalis, quia suapte natura sursū fertur) tùm quia suffecta materia crescit, tùm quia semper accedit, & decedit, tùm quia vorax est, tùm quia exhalat fumum tamquam coctionis excrementū. Ad stabiliendam autem comparationem inter nutritionem viuentium, & nō viuentium sufficit similitudo in modo nutritionis; vtraq; siquidē nutriuntur per iuxtapositionē: licèt iuxtapositio viuētibus sit intrinseca, extrinseca verò non viuentibus. At siue extrinsecùs, siue intrinsecùs alimentum apponatur, rectè potest vtrobiq; vna, & eadem facultas alimentum conuertere in substantiam, & conuersione quantitatem augere. *Ar. 3. gē. cor. t. 50.*

3 Secundò, Per eandem actionē, in primo instante generationis producitur substantia, & quantitas; (iuxtà opinionem, quæ tenet, quantitatem non esse coæuam

materiæ,

materiæ,quam veriorem sentio) sicut ergo tunc totalis substantia, & totalis qualitas non fiunt per diuersas actiones, ita etiam posteà substantia partialis, & quantitas partialis per vnam, & eandem debent fieri.

4 Si quis verò respondeat, primam illam totalem quantitatē non esse intentā ab agente,sed fieri duntaxat per resultantiam,ac proinde non indigere facultate peculiari,ac etiā peculiari actione,tunc ego sic instabo. Quando dicitur, quātitas non intendi ab agēte, vel nomine agentis intelligitur substātia,quę in primo instante facta est,& tunc dicemus,partialem quantitatem etiam à partiali substantia non intendi, neq;enim contrarium potest probari: vel nomine agentis intelligimus animal,quod nutritur,& augetur, & tunc dicemus, totalem quantitatem esse intentam ab agentę non minus,quàm sit partialis. Nam quemadmodùm quantitas partialis est necessaria ad perfectiores edendas operationes, ita quantitas totalis necessaria est ad esse totius: quia citra hanc quantitatem non poterat animal produci. Addo etiam, quantitatem totalem esse intentam à natura generante, seu à natura generantis; sicut enim semini eadem natura indidit vim formatricem, ita indidit requisita ad formationem, inter quæ præcipuum requisitum est quantitas. Similiter in partiali quantitate conspicitur intentio naturæ; quippe formatrix, vt circa substantiam negociatur, & efficit, vt membrorum figura in nutritione seruetur, sic in magnitudine, vt ad conuenientem molem accedat.

3 arg. ex Vallesio. 5 Tertia ratio ex Vallesij officina deprōpta,sic potest formari. Virtus augēs nullam habet propriam actionem à nutritionē distinctam:nam reparari tantum,quantum est deperditū,vt in nutritione,& reparare plus, quàm est deperditū, vt in augmentatione,nō nisi secundùm magis,aut minus differunt. Corroboratur hęc ratio; quoniam quòd reparetur magis,aut minus,procedit ex robore,aut debilitate facultatis, ex maiore etiam, aut minore alimenti dispositione. Verùm facultas debilis, aut fortis, dispositio alimenti hæc, aut illa, non mutant facultatis speciem.

Respōsio nō nullorū ad argu. Vall. Redargutio respōsionis. 6 Soluunt aliqui contrarię factionis hoc argumentum,aut soluere se posse putāt, respondentes,veram rationē augmenti non consistere in repositione maioris quātitatis:possunt namq;corpora nutrimenti vbertate carnosiora fieri,nec tamē propterea augeri,sed consistere in extensione. Hæc tamen responsio non satisfacit. Nam supponēs corpora posse nutrimenti vbertate carnosiora fieri,nō augeri, considerat corpora, quę vltra ætatem vigoris sunt constituta, tunc autem adsunt(vt diximus) impedimenta,nempe siccitas,& facultatis debilitas, propter quā debilitatem sphera actiuitatis eius fit minor,& sic non potest ad alimentū longius productum accedere. Quare non rectè conficitur argumentum à facultate impedita ad probādum vbertatem alimenti non esse de ratione augmenti. Esse namq; potest, vt præsens sit nutrimenti vbertas, nec tamen sequatur auctio, in ea ætate, in qua facultas est impedita; Deinde non est admittendum,augmentationē consistere in sola extensione:nam ea, quæ rarefiunt, etiam extenduntur, & tamen non augmentantur, vt iam exemplo vesicę à Galeno allato demonstrauimus. Consistit in tali extensione, hoc est, in ea, quæ fit cum reparatione substantię, ac propterea coincidit in idem: nam extensio cum reparatione substantiæ, non nisi ab vberiore substantia fit.

4. aliud arg. ex Vallesio. Resp. ad arg. 7 Quarta ratio ex eodem Vallesio. Si accretio esset actio diuersa à nutritione, esset etiam decretio, dareturq; actionum, & subinde facultatum multiplicitas? Respondent, qui contrariam sectam tuentur, decretionem, vel fieri deperditione substantiæ, & sic consideratam quidpiam priuatiuum esse, ac propterea non esse actionem, vel fieri repositione minoris quantitatis, quàm fuit deperdita, & hoc modo ad augmentationem referri.

Refellitur respōsio. 8 Sed refellitur isthęc respōsio. In primis enim, ex vi vocabuli,nō potest decretio ad accretionē referri, imò vnum alterius priuationem pręsefert; Quare si quis dixerit decretionē ad augmentationē esse referendam, eodē iure cogetur dicere, auaritiam ad prodigalitatē spectare:sicut enim in medio est liberalitas, in vtroq;autē extremo prodigalitas,& auaritia, sic media est nutritio, cuius vnum extremū est decretio, alterum accretio. Præterea, si ad augmentationem, in qua magis reponitur, quàm fuit deperditum, referenda est decretio, in qua reponitur minus, longè melius etiam ad eandē augmētationem referetur nutritio, in qua reponitur equale; Et sic ex sua met responsione conuincentur aduersarij, referentes nāq; nutritionē ad augmentationē sentiunt nobiscum. Tandē si decretio est, in qua minus reponitur, quam fuit deperditum, isthęc decretio erit atrophia; quare si decretio sic accepta refertur ad augmētationem, ad eandem etiam referetur atrophia: vnde ante ætatē decrescendi nō poterit

teritcorpus atrophia laborare, quod est ridiculum..

9 Demum inanis est diuisio decretionis in eã, in qua substantia absumitur, & aliã, in qua minus reponitur, quàm fuit consumptũ; Nã in omni decretione minus reponitur, quàm sit cõsumptũ, quod probo manifestè: etenim corpus viuens necessariò nutritur, nutritio est repositio substãtiæ: qui decrescit, viuit, si viuit, nutritur, nõ autẽ nutritio fit repositione vberioris substantię, quàm fuit deperdita, nã sic augmentaretur: nõ æqualis, etenĩ consisteret absq; decretione; necesse igitur est, vt reponatur min⁹, & fiet decretio, quod si nihil reponeretur, vita deficeret ob nutritionis defectũ.

10 Sed obstat difficultas; nã senes in ætate decrescẽdi sunt constituti, & tamen nõ reponunt minus substãtię, quàm fuit deperditũ. nam sic moles corporis in senectute esset minor, quod supra reprobauimus, cõtra Satyrũ de Recho, qui dixit, *Non posse senes pristinã molem sibi seruare.* Dicendum, senile temperamentum esse siccum ob defectum humidi substantifici, humidum verò ob redundantiã humiditatis excremẽtosę: quare senes sunt sicci in ętate decrescendi propter decrementũ humidi substantifici, seu radicalis, non autem decrescunt secundùm corporis molem, quam excrementa parem in quantitate, imo aliquando ampliorem conseruant, sed in substantiæ bonitate longè deteriorem. Ergo corporis molem augeri, nullo ex tot locis ab isto citatis Philosophus dixit, nec sic sentiunt omnes Philosophi, ac Medici, quos iste ita sentire putat, quia eos non intelligit.

Pag. 130.

Pro responsione ad primum argumentum asserentium diuersas esse facultates, expenditur axioma, in quo fundatur. Articulus Tertius.

TOTA vis prioris argumẽti cõsistit in eo, quòd potẽtię per suos actus, & obiecta distĩguãtur, quod axioma suas habet cõditiones, vt infallibilis veritatis euadat *Prima.* Actus, & obiecta nõ debent inter se subordinari: nã si subordinantur actus actui, & obiectũ obiecto, nõ arguent diuersã facultatẽ: e. g. appositio, agglutinatio, assimilatio diuersi actus sũt subordinati facultatis vnius, nẽpe nutritiuę. Quòd verò spectat ad obiecta, lux subordinatur ad colores, sunt ergo duo obiecta subordinata vnius visionis. Si quis autem obijciat attractionem, retẽtionem, coctionẽ esse actus subordinatos, & tamen à diuersis fieri facultatibus, Respondeo, satis esse, vt axioma in vno deficiat, licèt in altero cõpleatur, ad hoc vt dicatur nõ esse perpetuę veritatis, quod intendimus. Deinde tres illos actus, licèt arguant diuersas facultates in specie infima, conuenire tamen in specie subalterna, nempe in facultate naturali, cuius sũt tres actus. *Secunda conditio.* Actus, & obiecta debent habere inter se, non quãlibet, sed realem distinctionem; hæc conditio patet: nam si distinguantur duntaxat, vt modus rei à re, quę distinctio appellatur modalis, non poterunt arguere diuersitatem facultatum. *Tertia conditio.* Actus, & obiecta debent esse diuersa, considerata secundùm formalem rationem: possunt enim res esse diuersæ, earum verò ratio formalis vna, vt calidum v. g. & asperum, quę duo conueniunt in tangibili. *Quarta conditio,* vt actus, & obiecta sint adæquata.

2 Si verò per omnes has quatuor cõditiones discurramus, inueniemus, nullã in prẹsens adesse, ac propterea nõ posse inter augmentationem, & nutritionẽ sumi differentiã per actus, & obiecta. *Et quod attinet ad primam.* Manifestum est, reparationẽ substantię subordinari ad reparationem maioris substãtię: iam enim diximus, nutritionem supponi ad augmentationem, quod autẽ supponitur, subordinatur ad aliud. *Secunda conditio etiam deest:* Nam quando elicitur actus augmentationis, simul, & eodem cõtextu elicitur actus nutritionis: quippe materia, quæ accedit ad nutriendũ, accedit ad augmentandum; Actio verò, hoc est, conuersio alimenti in substãtiam aliti, vtrobiq; est eadem: per eãdem verò numero actionem nõ possunt produci duo actus per se diuersi, licèt per accidens possint. Sed nemo dixerit, per cõuersionem produci per se nutritionis terminũ, per accidens verò augmentationis: nã vterq; terminus fit directè, & intenditur à natura. *Quod spectat ad tertiam conditionẽ,* Obiecta, nempe substantia, & quantitas sunt quidem diuersa secũdùm se, vel (si loquamur scholarũ more) materialiter, conueniunt tamen in vna ratione formali, hoc est in ratione reparabilis, seu reparabilitatis: vtraq; enim concurrit ad reparandã substantiã, licèt sub diuerso modo: vna quidem cõcurrit per modũ conseruantis in

eodem statu, altera verò per modum proficientis in melius. *Quarta etiam conditio deest*. Nam nec substantia per se, nec per se quantitas sunt obiecta adæquata, neq; si daretur substantia sinè quantitate nutriret, neq; quantitas sinè substantia: quia neutra istarum, per se solam, est apta agere, aut pati. Et sic manet destructum primum argumentum: cum enim desint conditiones requisitæ, vt facultates per actus, & obiecta possint distingui, frustra ab his argumentum sumitur ad distinctionem inter facultates constituendam.

Pro responsione ad priorem partem expenditur, an in senectute sit abolita facultas auctrix.

Articulus Quartus.

SEcundum argumentum, ad cuius responsionem tenemur, duas habet partes: in vna ostenditur exemplo duarũ ætatum, adolescentiæ scilicet, & senectutis, posse dari nutritionem sinè augmentatione; In altera exemplo pueri febre chronica laborantis, augmentationem sinè nutritione posse fieri, persuadetur. Libet singulis seorsum satisfacere, & ad primam sic. Proponit argumentatio cessationem augmenti post virilem ætatem, vt ita ostendat, posse nutritionem, quę tunc necessariò adest viuenti, consistere sinè augmentatione. Cæterùm dupliciter augmentationẽ consideramus, vno modo, an sit secundùm omnes dimensiones, & hæc est propria augmentatio, an secundùm aliquas, & est impropria; altero modo, an fiat vniuersaliter in toto corpore, an in aliquo membro particulari. Priore modo senibus non adest quidem augmentatio propriè dicta, adest tamen impropriè: quippe non augentur secundùm longitudinem, augentur tamen secundùm latitudinem: imò verò etiam secundùm latitudinẽ valde deteriorem augmentationẽ subeunt, quàm sit iuuenũ augmentatio: quoniam (vt diximus) cũ sint humidi ab excrementosa humiditate, quicquid ab hac sibi acquirunt, flaccidũ est. Altero modo augẽtur quidẽ senes secundùm omnes dimensiones, non autẽ secundùm omnia membra, sed secundùm aliqua: sic in vlcere cauo cum sanatur, etiã in senili corpore, fit (in parte duntaxat vlcerata) augmentatio: quippe reponitur noua caro magis, quàm fuit per effluxum deperdita. Sic dentes continuum suscipiunt augmentũ, quicquid in contrarium blateret Satyrus de Recho, cuius fatuitatem posteà seorsim castigabimus. Itaq; hæ augmentationes in senectute accidunt, ex quibus rectè colligimus, facultatem auctricem in senili corpore non esse abolitã: quippe actio supponit facultatẽ.

Satyrus reprehenditur. quæst. sequẽte

2 Nec mihi quispiam dicat, prędictas augmentationes, cum sint particulares, nõ inferre necessitatem auctricis vniuersalis: nam respondebo, etiã in ętatibus crescẽdi augmentationem fieri per partes: quippe non aliter totum euadit auctum, nisi singulis membris augescentib⁹. Deinde non sunt statuendæ duæ facultates auctrices, vna, quæ sit totius altera, quæ sit singularum partium. Manet itaq; stabilitum, facultatem in ætatibus crescendi immunem esse cuiuslibet impedimenti, eandem verò post vigorem impedimentis obscurari, nihilominùs tamen adhuc existere, nec vnquam posse deleri; quod mihi videtur insinuasse Galenus quandò ait, *Vbi verò perfectam magnitudinem animal est adeptum, toto, postquam editum est, tempore, vsq; ad ætatis vigorem auctrix facultas dominatur*. Dixit *dominatur* quoniam per has priores ætates dominatur quidem auctrix, hoc est, non est impedita, posteà verò desinit dominari superuenientibus impedimentis, non tamen desinit existere.

Gal. 1. facul. nat. c. 7. Confider. optima ĩ Galeni dictione.

3 Si quis verò interroget; Cũ substãtiæ dissipatio, tã in sene, quàm in adolescẽte fit quoquouersũ, cur refectio in vtroq; nõ fit similiter? Respondeo, nutriri quidem senile corpus quoquouersũ, hoc est, secundùm omnem dimensionem, nõ tamen, secundùm omnem augeri: cõsiderare namq; oportet, corpus vniuersũ multis meatibus esse peruiũ, qui in longitudinẽ sunt porrecti, quod indicant ligna, quę faciliùs in longũ, quã in transuersum secantur, & aqua per tabulam effusa, quę in lõgitudinẽ excurrit, vnde accipitur ratio rectitudinis seruandæ in sanguinis missione ab Hippocrate cõmendata. Itaq; meatus isti, qui in longum porriguntur, præ siccitate in senibus valde conniuent, eos autẽ alimentũ ingrediens vi facultatis implet quãtum potest, non tamẽ potest tantum, quantum ad augmentationem est necessariũ. At si aliquãdo vberior fit alitio, consentaneũ est, vt magis eosdem meatus dilatet in latum, quàm extendat in longum: quippe facilior in propinquũ, quàm in distans fit

actio:

actio: & sic dilatari quidem potest senile corpus, in longum augeri nō potest. Si iterum quærat: cur ergo corpus non decurtatur, siquidem meatus non in totam longitudinem implentur, sciat meatus, (vt diximus) etiam in longitudinem impleri, sed non adeo, vt longitudinem augeant: deinde si aliquantulū maneant conniuentes, conniuentia meatuum non infert decurtationem.

Pro responsione ad alteram argumenti partem expenditur exemplum de puero febre diuturna laborante.
Articulus Quintus.

INfregimus vim exempli, quo probare nituntur, posse nutritionem sine augmentatione consistere. Remanet aliud, cuius inuentor fuit Fernelius, vt persuadere posset, è contrario existere augmentationem sine nutritione. *Plerumq; cernimus* (inquit ille) *tum pueros, tum adolescentes febribus, diuturnisq; morbis oppressos, grandi macie torreri, atq; attenuari, qui tamen intereà incrementum capessant. Hi, cum parcius alantur, planè declarant, accretionem, neq; pleniorem nutritionem esse, neq; illi perpetuò, tamquam comitem assidere.* Hactenus Fernelius, à quo sumpsit Peramatus. Sed vtriq; respondemus, parcè nutriri, intelligendum esse pro ratione multitudinis effluxuum: nempe quia nutritio, quæ alias sufficeret ad cōseruandum corpus in eadem quantitate, atq; etiam ad augendum, cum non correspondeat portioni substantiæ, quæ deperdita fuit, minus nutriri corpus, dicimus, quàm oporteat. Quapropter cum membra alia sint, quæ solida vocantur, alia carnosa, non vtraq; pariter dissipantur, sed carnosa plurimum, solida quàm minimum, & ex hac inæqualitate prouenit, vt carnosa dicantur minus nutriri, solida magis pro portione dissipationis. Itaq; carnosæ substantiæ portio, quæ solidis membris adhæret, simul cum illis in lōgitudinem producitur, & sic corpus procerum euadit, sed simul emaciatum, quia caro, & adeps dissipationem maiorem, quàm sit refectio, patitur.

Fern. lib. 5. c. 3. Argu. Fern. dicta à puero febre longa laborāte. Responsio.

Responsio ad autoritates in contrarium adductas.
Articulus Sextus.

QVòd autem Aristoteles dicat, accretionem, statum, & decretionē non posse fieri sine nutritione, nihil fauet opinioni illorum: neq; enim hinc colligitur nutritionem, & accretionem esse diuersas actiones, sed per actionem nutriendi tria illa opera confici: nam nisi detur actio nutritionis, corpus non potest auctum, aut diminutum, aut in pristino statu permanere. Deinde cum dicat, ad quantitatem esse per se motum, non tollit ad substantiam esse motum per accidens. At hoc sufficit, vt substantia, & quantitas per vnam, & eandem actionem acquirantur: quippe ad quantitatem fit per se motus, ad substantiā verò per quātitatem. Motus igitur vnus est, respectus verò duplex. Porrò cum substantia sine quantitate, & quantitas sine substantia naturaliter existere nequeant, ad vtramq; vnus est motus; sed nutritio dicitur mutatio ad substantiā, quia cū non appareat quantitas aucta, nō fit mentio illius; in augmēto dicitur motus ad quantitatem, quoniam hæc videtur augeri, quamuis vtraq; vtrobique reperiatur. Ad Galenum accedamus. Is tres esse dixit actiones, generationem, auctionem, nutritionē, sed non est, vt hæc verba nos à nostra opinione cogant discedere. Nam dupliciter respondemus: vel enim tres actiones dixit, pro tribus vnius actionis modis, & sic inter hæc tria modalis duntaxat distinctio erit, non realis, vel, cum sint tres actiones subordinatæ, non arguunt (vt ex superiùs dictis patet) facultatum diuersitatem. Sunt item istarum obiecta actionum inadæquata: quippe, nec substantia sine quantitate, nec quantitas sine substantia obiectum per se nutritionis, augmentationisuè esse potest. Altera Galeni sententia, videlicet nutritionem esse augmentationis ministram, nihil contra nos facit: idem enim sibi, secundùm diuersam rationem, potest ministrare; quemadmodum enim irradiatio à Sole, & illuminatio, quæ fit in aere, non differunt, nisi ratione, quam scholastici ratiocinantem appellant, sic in nutritione, & augmentatione contingit.

Galenus explicatio.

AN DENTES TOTO VITAE tempore augeantur.

QVÆSTIO QVARTA.

HVIc quęsito, quod seorsim tractandum reposui, apposita Aristotelis sententia, respondere libet, quam in libello de Asitia sum sequutus. Exprobat mihi Satyrus de Recho, quòd autorem non citauerim. At in tractatu compendiario, non erat transcribendis autorum placitis locus: satis fuit veræ doctrinæ succũ vt mella apes, extrahere, cuius iste oppositum præstat, potiùs araneum imitatus: quippe verba profert, quæ reprobat, quod quo iure sit factum, tempus est, vt appareat. Verba Philosophi sunt hæc. *Dentes accrescunt soli omnium ossium in tota vita, quod patet in dentibus, qui mutuum tactum declinant. Causa incrementi est, quoad pertinet ad id, cuius gratia, vt fungi officio possint: breui enim tempore attritu consumerentur, nisi subinde repararentur. quando vel nunc senescentibus, non nullis edacibus dente non magno præditis, admodum proteruntur.* Nemo, qui bouino non sit cerebro, his perlectis non acquiescet. Nõ acquieuit Satyrus de Recho, & in hac veritatis planitie, vbi ne ridiculus quidem mus fossulam, qua euadere posset, reperiret, tria pudenda subterfugia reperit.

de Asitia ca. 16. *Ar. 2. de gen. anim. c. 4.* *Pag. 130. 131.*

2 Primum subterfugium: quod hæc proferat Aristoteles veluti dubitationem, cuius mox allaturus est solutionem. At heus tu, ne tantam tibi arroges autoritatẽ vt velis quicquid tibi vsui esse possit, legislatorum more proferre. Vbi nam sunt aduerbia dubitandi, quibus vtitur Aristoteles, quoties dubitanter loquitur? Deinde, vbi nam est isthæc solutio, quam illum mox allaturum dicis? profecto neq; mox, neq; post longa secula adhuc apparuit. Sed tu molestus alioquin paginarum transcriptor, cur hanc solutionem nobis inuidisti? profer quæso eam per fidem, siqua tibi est fides, per liberos, te, si vocata partubus lucina veris adfuit. Hoc dum non præstas, te duplicis criminis reum facio: quorum vnum est tua illa familiaris ignorantia: siquidem ignoras aduerbia, per quæ suam mentem exprimit, quicumq; sub dubio aliquid scribit: alterum consueta malignitas, qua experitam solutionem, vel simulas, vel dissimulas.

Adagium.

3 Alterum subterfugium: quòd Philosophus ex opinione vulgi, non ex mente propria hæc proferat. Sed non ne Philosophus, quẽ ob eloquentiam Galenus laudat, sciret loqui, & palam profiteri, se ex vulgi sententia, non propria loqui? Imò verò loquitur philosophicè, & causam se tradere ait, quæ est cuius gratia, nempe causam finalem, quę nõ cuilibet ex vulgo est obuia. Tu tamẽ coniectaris, Philosophum non ex propria mente loquutum; quia alioquin sibi esset contrarius: alibi enim aliter sentit. Ita ne? proferto ergo locum aliquem, in quo Philosophus aliter sentit, idest, in quo scriptum reliquit, dentes non augeri toto vitæ tempore; Si hoc prestabis, *Iungentur iam gryphes equis, æuoq; sequente, Cum canibus timidæ venient ad pocula damæ.* Cum igitur non loquatur alibi de augmento dentium, & ibi solos dentes, ait, omnium ossium accrescere tota vita, innuit, dentes asse autogenos, ac proinde communium legum immunes, quod in alijs etiam conditionibus indicant.

Ar. 1. gen. & cor. t. 32. & 35. *Adagium.*

4 Videamus tamen, vnde colligas, Philosophum aliter sentire: nempe quia sic alibi ait, *Videtur itaq; eius, quod augetur, quæcumq; pars aucta esse, similiter autem, & in diminutione minor generata esse.* Sed hæc verba cur impediunt dentium incrementum? forte sic infers, Eius, quod augetur, quæcumq; pars debet augeri: ergo eius, quod non augetur (vt est senile corpus) nulla pars debet augeri: & sic impeditur augmentum dentium in senili ætate. Hoc tamen logicæ imperitiam valde sapit. An nescis ab vniuersali affirmante, ad particularem negantem non valere argumentum? Confice igitur argumentationem hoc modo, Omniũ quæ mouentur, omnes partes moueri debent: ergo cuiusdam, quod non mouetur, nulla pars moueri debet. Ignoras ne, te habere cor, & cerebrum, quæ licet non mouearis, hoc est, non mutes locum, mouentur? Sed vade ad tuos pueros logicæ tyrones, & interroga, quam vim habeat hæc argumentatio. Præterea tua illa affirmatiua falsa est: nam non necessariò eius, quod augetur, quælibet pars augetur: accipe puerum, crus, aut brachium paralysi resolutum habentem,

logicæ imperitia.

augebitur

augebitur puer, at eius pars, nempe brachium, aut crus minuetur; falsò ergo imponis Aristoteli id, quod illum vis dicere. Verum quidem est, eius, quod augetur, omnem partem augeri, hoc est, quicquid augetur augeri secundùm omnes sui partes, nempè, secundùm omnes dimensiones, & similiter, quod decrescit: sed hoc quid ad rem?

5. Alter Philosophi locus à te citatus ita habet, *Quoniam autem dubitatum est de his sufficienter, oportet, & solutionem dubitationis tentare inuenire, saluantes, manente eo, quod augetur, & adueniente aliquo augeri, recedente autem minui: Adhuc autem quodcumq; signum sensibile, aut maius, aut minus factum est.* Ex his verbis ne Delius quidem natator posset id, quod tu vis expiscari: nempe dentes non augeri toto vitæ spatio; Expressè Philosophus significat, opus esse, vt id, quod augetur, maneat, & incrementum fiat aliquo extrinsecus adueniente, decrementum verò aliquo abeunte, & vt quælibet pars, quæ sensu notari possit, crescat, diminuaturuè. Tu verò hinc colligis, dentes nō augeri; cur ita? num quia augmentum eorum sensu notari nequit? facito in te ipso experimentum: erue tibi dentem, & videbis intra paucos dies dentem oppositum ita auctum, vt sensu cognoscatur. Te. 35. Adagium.

de his, qui sūe cib. l. 2. c. 178. 6 Tertium subterfugium: quia libri de animalibus inter exotericos numerantur. Hæc tua vetus est consuetudo, imò impudentium omnium, operi, quod ipsis obesse potest, fidem abrogare. Memini, cū de caloris pabulo ageres, quoniam liber de longitudine, & breuitate vitæ tibi aduersabatur, te Aristotelica autoritate, ex eo libro desumpta, vinctum, hac etiam industria vincula rumpere tentasse, & omnia illa opera, quæ parua naturalia inscribi solent, tamquam multis exotericis, vulgaribusq; placitis referta, damnasse. Ita nunc offendit te doctrina, ex secundo de generatione animalium decerpta, ac propterea omnes libros de animalibus ad exotericos relegas. Verùm libri de generatione animalium, de quibus agimus, verè acroamatici ab omnibus censentur, in libros de historia animalium aliquid solet iactari. Attamen tecum conuenire volo: reijciamus libros de animalibus, sed par vtriq; nostrùm lex esto, ex tuis quoq; scriptis autoritates ex libris de animalibus expungantur: proh quot lituris scatebunt! poterimus cum Martiale dicere, *Non possunt nostros multæ Faustine lituræ Emendare iocos.* Magnum tibi nunc accidit infortunium, qui sapientiam simulas, & stultitiam palàm facis: quippe, vt ait P. Syrus Mimus, *Stultum est alium velle vlcisci pœna sua.* *p. 131.* *P. Syrus Mimus. Adagium.*

7 Quando autem Aristoteles tibi nauseam moueat, conuertere ad Galenum: at neq; hic quidem tibi stomachum componet: quippe eadem illi cum Aristotele mens est: apponam eius verba. *Si verò liuidi per omnem suam substantiam facti appareant dentes; nihil mirum est, ipsos quid inflammationi simile pati. Cui rei ex eo quis amplius fidem habeat, quod ex nutrimento ferè per omnem animantis ætatem, incrementum accipiant: id, quod euidenter sæpe numero apparet, in ijs dentibus, qui exemptis oppositi sunt, vt pote qui semper augescunt: quantum verò augescunt, tantū in ciborum mansu deteruntur.* Quid ergo habes, quod Galeno obijcias? quid etiā, quod alijs post Galenum omnibus, præter tuum Costæum, cui non debueras adhærere, tum quia ipse solus Aristoteli, & experimento opponitur, tum quia Galenum non vidit; quippe si vidisset, non dedignaretur eum nominare? Gal. 5. loc. c. 8. Costæus.

8 Redeo ad Aristotelis verba, quæ postquam, vt dubitanter prolata, vulgaria, & in libro exoterico scripta infamasti, ad eadem exponenda te accingis. Verùm si sententia his verbis prolata expositionem patitur, cur priùs eam lacerasti? nempe ne tibi deesses. Ais igitur Aristotelem in libro de generatione animalium non agere de vero, sed de simulato dentium incremento, & ad vulgi opinionem, quæ sensus quandam fallaciam sequuta deceptio est: verè namque dentes in senibus longiores fieri videntur sensui, cur autem ita existimes, duas profers rationes valde tuas, quarum vna est. *Quia tenuiores euadunt gracilescentes: nam crassities occultat sensui longitudinem rerum, quam gracilitas prodit, ac veluti parere, augereq; videtur.* Itaq; credis oculis gracilitatem dentium tibi repræsentantibus, non credis eisdem ostendentibus longitudinem. Hoc autem quid aliud est, quàm quicquid in buccam venit liberè effutire? Altera ratio: *Quia gingiuę senectute contrahuntur, vnde partem dentium, quam operiebant olim tumidiores, nudatam relinquentes, in causa sunt, vt dentes longiores videantur in senibus: quo sanè modo videntur etiam vngues in emortuo crescere: cum re vera quamquam*

sensus, & vulgus ab eo deceptus, existimat esse dentium, & unguium augmentationem, sit gengiuarum, & carnium digitorum tabes, & consumptio, qua nudantur partes dētium, & unguium antea delitescentes, & coopertæ. Hoc multiloquio secundam rationem tradis, quæ tuam sapit logicam. In mortuis, ais, videtur augeri vngues, ergo in viuis similiter euenit; Iterum in mortuis augeri videntur vngues; ergo in viuis videntur augeri dentes. At vngues, & pili non augeri videntur, sed verè augentur. imprime signum radici vnguium, videbis illud post aliquod tempus mutatum versùs aliam extremitatem; Cæterùm de hoc inferiùs exprofesso agemus. Non ne hinc colligis vngues creuisse? Sed si non crescunt, cur secantur? Sic etiam videbis aliquos maculam iuxtà radicem dentis habentes, quæ macula temporis progressu versùs aciem eiusdem dentis porrigitur: siue enim per iuxtà positionem, siue per intus susceptionem accretio fiat, semper motu locali fit ex Aristotelis sententia. Tandem ain tu dentes viuentium videri crescere, quia gengiuę contractę eos denudant? profectò si sannio hoc diceret, risum audientibus moueret; nempe quoniam dens versùs radicem denudatur, versùs aciem crescere videtur? Crescere autem versùs aciem, quæ cibos conterit, euidentissimū est. Accipe aliquem, cui vacuus sit extracti cuiusdam dentis locus, & aspice dentem, huic vacuo oppositum, reperies eum vltra suos consocios prominentem: non credis oculis, crede tactui, digitum in os immittito, quòd si mordeat vnius tantum dentis vltra alios prominentis signum recipies in digito; si periculum subire nequis, Galeno fidem habeto, cuius verba superiùs relata breuiter repetam. *Id, quod euidenter sæpe numero apparet in ijs dētibus, qui exemptis oppositi sunt, vt pote qui semper augescunt.* Tandem quod ais, dentes senibus graciliores, non longiores fieri, falsum est, & sententiæ Aristotelis, quam exponis, repugnat: nam sic habet, *Senescentibus nonnullis edacibus dente non magno præditis admodum proteruntur.* Sic ille: si proteruntur, ergo augentur, sin minus, omnino consumentur.

Satyri error in logica.

Infra sect. 3. q. 18.

Ar. 1. de gen. & corrupt. t. 25.

9 Tu autem, qui neq; experimenta, neq; Aristotelis, neq; Galeni, neq; aliorū doctissimorum autoritatem recipis, rationem excogitasti, vt ostenderes, etiamsi dentes augeri videantur, (imò dicam ego ex prædictis etiam si augeantur) augeri non posse, & tuam fallaciam, quam veritatem vocas, euidentissimo argumēto te probare posse putas, inquiens: Si cui consistentis ætatis viro dens quapiam ex causa frangatur ex dimidio, nunquam is illi reficitur, & ad aliorum mensurā redit. Quin multos te vidisse narras, quibus in maxillis fractorum dentium radices subsunt, quę nunquam vllatenus augentur in dentes vsui aptos. Hanc tuā rationem fortiorem tibi efficiam; quippe non solùm in ætate consistendi, sed in pueritia, & in qualibet crescendi ætate dens ruptus non restauratur. Verùm non propterea discedere debueras à tuo Aristotele, & alijs dentium incrementum agnoscentibus, sed sententiam illam receptissimam recipere, & istam tuam rationem, problematis loco, proponere, quod inter alios fecit Andreas Laurentius: is enim, & dentes semper augeri affirmat, & cur fracti non reficiantur interrogat, respondetq; Liceat ergo eius problema huc transcribere.

Andr. Laur. li. 2. q. 13.

10 *Cur dentes erosi non curantur, scissi non vniuntur, fracti callo non obducuntur, vt cætera ossa, crescunt tamen, & renascuntur? An quia nudi sunt dentes, & aeri expositi, itaq; ab ambientis frigore impeditur calli generatio? an quia nullus à dentium calore exiguo humor exprimi potest ob duritiem, & soliditatem? an quia callus non tam ab ossis, quàm vicinarum partium excremēto generatur? at nudi sunt dentes, nihil ergo vicinæ partes suppeditant.*

11 Nec verò natura, quæ prouida parens est, & non deest in necessarijs, in re hac maximè necessaria defuit, sed cum dētibus, ne continuo attritu homo edentulus fieret, incrementum toto vitæ tempore concessit, materiam etiam huic incremento necessariam prouidere voluit, quam in maxillis reseruauit: iccirco eis, solis ex ossibus, venas tribuit, ad vberioris alimenti confluxum. Hoc vberius alimentum in priore ætate facit, vt dentes renascantur, quod Hippocrates non siluit in libro de carnibus, seu de principijs à te frequenter citato, vbi sic ait. *In maxilla venæ sunt, & hæ huic ossi soli inter omnia ossa, ex inferno ventre alimentum præbent,* & parum infra adiungit. *Dictum autem à me prius est, quod solæ ex ossibus maxillæ ipsæ in se ipsis venas habent, & ob id alimentum amplius in ipsas, quàm in alia ossa trahitur,* & quæ sequuntur. Trahunt igitur maxillæ vberiùs alimentum, quā reliqua ossa: nimirum per venas, quas, præter aliorum ossium conditionem, habent.

Hipp. de carnibus.

habent. Istius alimenti pars absumitur, & reficitur, sed semper ibi quantitas conseruatur, quæ dentium incremento possit inseruire. Cum hanc doctrinā Satyrus de Recho in meo libro de Asitia legisset, existimauit, me dixisse dentes hoc habere priuilegium, vt ab ortu sibi comportent materiam assiduo augmento multorum annorum suffecturam, conditam in maxillarum thesauris. Tunc nusquam alibi magis verax ruditatem suam fatetur, inquiens, *Amabo te rudem me doceas, quomodo intra maxillas infantis pusilli nuperrime nati perexiguas, tanta materia contineri valeat, quæ continuo dentium augmento ad annum octogesimū̄ sufficiat: compara tu magnitudinem triginta dentium hominis octogenarij simul in vnum conglobatorum, & illi molem adiunge, quæ toto eo temporis decursu continua attritione decessit edentibus: compara, inquam, omnem hanc dentium molem cum magnitudine maxillarū recens nati puelli, procul dubio comperies materiam dentium illorum longè maiorem, quam sint ossa maxillarum pueri septuennis, ne dum infantis nuper exorti.* Hæc in me iactas, addita etiam grammatica quadam censura, quia dixi, dentes *continuò augeri* cum deberem dicere *continuè*. Sed ego *continuò* dicam, hoc est, promptè. Quæ tamen, verbositate nimia obijcis, breuiloquium tibi soluet. Seruatur in puerorum maxillis vberior materia, quàm pro maxillis alendis est necessaria, vt quod supersit, cedat in dentium non nutrimentum solum, sed etiam incrementum. Hoc ne est seruari simul in primo exortu, quicquid in totam vitam est necessarium? an reponi semel quantum oportet, vt proprio, & alieno augmento inseruiat, deinde successiuè refici iuxtà eandem proportionem?

p. 130.

12 Hic subtiliter quispiam interrogare posset. Si maxillæ etiam post ætatem consistendi, sibi congerunt tantam materiam, quanta necessaria sit, tum pro ipsarum alimento, tum pro alimento, & augmento dentium, cur ex hac materia, ex qua dentes augentur, non augentur ipsæ? Crediderim, Aristotelem, perspicacissimi ingenij virum, hanc præuidisse difficultatem, ac propterea recurrere voluisse *ad id, cuius gratia*, hoc est, ad finalem causam, insinuans à natura esse institutum, vt dentes semper augeantur propter cōtinuum attritum, quo semper minuuntur; vnde etiam Galenus citatus ait. *Quantum verò augescunt, tantum in ciborum mansu deteruntur.* Demum iam diximus, dentes esse autogenos, hoc est, peculiarem quandam naturam sortiri, quæ alijs membris non est concessa. Sufficiat ergo, duplicem causam assignare finalem, & materialem: finalem quidem vt id, quod perpetuò atteritur, non accedat ad totalem consumptionem, sed continua refectione sustentetur: materialem, quia in maxillis vberior est materia, quàm quæ postulat nutritio, atq; hāc non, vt iste ineptè ait, totam initio generationis ad totius vitæ dispensationem simul aggregatam, veluti agunt, qui ad diuturnam nauigationem alimenta in naui congregant, sed quæ quotidie absumatur, & quotidie restauretur; Nam cor etiam in dextro ventriculo tantum sanguinis arterialis reponit, quantum sufficiat non solùm, vt in sinistro fiant spiritus, sed etiam, vt ex eodem alatur pulmo: neq; propterea statim in ortu animalis totus sanguis, qui tota vita absumendus est, reponitur. Porrò non augentur maxillæ, quia non atteruntur, & tantum reponunt, quantum effluxit, & hoc nutritio est: augentur dentes, quia reponunt non solùm quantum effluxit, sed etiam quantum attritu deperditum est, & hoc augmentatio apellatur.

VTRVM NVTRITIO, ET SVBINDE augmentatio sit actio continua, an interrupta.

QVÆSTIO QVINTA.

Quæsiti explicatio. Articulus Primus.

MVLTA hic ex iam dictis supponenda sunt: neq; disputandum, an nutritio, & augmentatio sint plures actiones ab vna, vel à pluribus facultatibus prouenientes: satis enim est quòd augmentatio sine nutritione esse nequit, vt vtramq; dum, sit vni, & eidem conditioni obnoxiam esse, dicamus; neq; etiam repetendum ad substantiam non esse per se motum: quippe sufficit in præsente,

vt sit

vt sit motus per accidens, hoc est, per aliud: nimirum per quantitatem, sine qua naturaliter esse non potest, sicut nec quantitas sine substantia: quare & in nutritione, & in augmentatione requiritur, imò acquiritur simul substantia, & quantitas: in nutritione par, quàm effluxu, fuit deperdita, in augmentatione maior.

2 Porrò dum quærimus, an nutritio, & subinde augmentatio sit motus continuus, an interruptus, non intelligimus continuum, hoc est perpetuum, seu quod toto vitæ spatio durat, & interruptum, hoc est, quod ante obitum abrumpitur, cessàtue; Nam sic esset nodum in scirpo quærere: manifestum enim est, nutritionem durare per totam vitam, augmentationem, saltem vniuersalem, & quæ propria est augmentatio, non ita. Ideirco quando superiùs dixi, augmentationem esse obnoxiam eisdem conditionibus, quibus est nutritio, consultò addidi, dum fit: potest namq; non fieri, hoc est, cessare augmentatio manente nutritione, quamuis non vice versa. Cessat itaq post vigorem augmentatio, propriè dicta, quæ vltra quàm vniuersalis est, & secundùm omnes dimensiones, maiorem suscipit quantitatem, quàm fit effluxu deperdita: si enim loquamur impropriè, & augmentationem lato modo velimus accipere, semper vbi fit nutritio, fit etiam augmentatio: quippe id, quod nutritur, cum noua substantia suscipit, etiam nouam quantitatem, iuxtà nostram opinionem, qui quantitatem non coæuam materiæ facimus. Noua ista substantia, & quantitas, si respiciamus ad corpus quatenus per effluxum est diminutum, augetur quidem iuxtà diminutionem illam: si quidem ab ea restauratur si respiciamus ad molem, quæ fuit deperdita: si maior non fiat, non dicitur augeri. Priore igitur modo augmentatio est, sed impropria, quia in ea non datur conspicuum incrementum: posteriore modo est vera, & conspicua augmentatio: prior semper est, quemadmodum semper est nutritio; posterior, cessat, licèt nutritio non cesset.

3 Non etiam intelligimus continuū, quod fit per partes continuas, & minimè inter se diuisas, nec interruptum, quod perdiuisas fit particulas: nam sic nulla foret controuersia: manifestum est alimentum, vt suo munere fungatur, in particulas valde exiguas diuisum (quæ an minimæ sint alibi disputatur) meatibus applicari. Nihilominus ex hac alimenti in tot particulas diuisione non denominantur plures actiones: neq; enim dicimus, animal multis nutritionibus nutriri, sed vna: vnum namq; est agens, nempe facultas, vnum instrumentum, hoc est, calor, vna substantia, quæ nutritur, videlicet vnitate formæ.

4 Quærimus ergo an nutritio, & augmentatio, quæ in toto corpore fiunt, sint ex actionum numero, quæ non habent interiectum ociandi tempus; an verò possint interpollatim fieri, ita vt per aliquod tempus sint in opere, & laborent, per aliud quiescant, & longiusculo ocio perfruantur. Nam actionum viuentis, quędā fiunt à facultate animali, vt sunt sēsationes, & motiones quamplurimæ, hæ autem liberæ sunt, possuntq; sine detrimento, imò multoties cum vtilitate ab opere cessare: alię, quæ naturales dicuntur, seu vegetabiles, ad quas etiam (vt alibi explicabo) vitales referuntur, semper sunt in opere, inter has numeratur nutritio, & consequenter augmentatio. Cum ergo semper agant, dubitatur nunc an agant necessariò, hoc est, an eis non possit ocium aduenire, nisi per animalis interitum, an verò possint viuente eo, per aliquod tempus cessare, vt iterum redeant.

Argumenta, quibus persuaderi posse videtur, esse actionem interruptam. Articulus Secundus.

Posset aliquis in hunc modum argumentari. In prima nutritione, quæ post primum instans viuentis producti contingit, non possumus dicere, dum assimilatur vna pars viuentis, viuens nutriri ex alia, quæ sit prior priore, & quæ priùs fuisset assimilata, igitur si post primum instans productionis potest intercedere aliquod tempus sine nutritione, & conseruari animal, non est, cur postea etiam non fiat: ac proinde nutritio non erit actio continua. Huic argumentationi, quæ subtilis admodum est, aliæ crassioris Mineruæ ex cerebro Satyri Xechensis ortæ afferendæ sunt. Profiteor tamen, me nec eius verbositatem velle sequi, neq; omnia afferre, sed in compendium redigere ea, quæ aliquod difficultatis specimen habentia, possent rudioribus, quibus cum versatur, nempe pueris.

primū argumētū

p. 258.

ris, imponere: quis enim illud chaos, in quo argumenta interdum ad centenariũ numerum propagat, ingredi velit? Maximè quòd indistantibus locis, quasi ex professo confusus, eandem materiam repetit, & permiscet.

2 Sit eius prima ratio ex istius penu deprompta. Alimentum bifariam consideratur: actu nimirum, & potentia, si actu consideretur, alimentum eousq; est actu nutriens, quousq; nutritur animatum: quia peracta nutritione, nihil amplius alimenti actu nutrientis adest, per eam enim mutatum fuit in corpus viuẽs. Quare hinc non potest colligi nutriendi actionem non esse interruptam: quia tunc non est actio nutricationis, nec alimentum actu nutriens. At vero si sermo sit de nutrimento potentia, falsum est, alimentum potentia nutriens esse eousq; quousq; viuens nutritur: siquidem alimentum, nondum ab animato susceptum, potentia est alimentum, nec ad eius esse pertinet, vt viuens eo alatur: imò neq; dici potest, animatum esse non posse sine nutrimento potentia nutriẽte: quia viuenti sufficit habere aliquando nutrimentum actu, quo se nutriat. *Prima rat. ex Satyr.*

2. ratio 3 Altera ratio: ex Aristotele *Motiuum est eò quod potest, mouens eò quod agit.* Iuxta hoc placitum differentia debet constitui inter nutritiuum, & nutriens: secũdum quam dicetur anima nutritiua, quæ nutrire potest, nutriens, quæ actu nutrit. Nutritiua est in vnoquoq; viuente ab initio suæ generationis vsque ad terminum suæ corruptionis, & de hac loquitur Aristoteles, quando ait, *Nutritiuam igitur animam necesse est habere omne, quodcumq; viuit, & animam habet à generatione vsq; ad corruptionem,* non autem de nutriente: nam nutritiua non semper molitur nutricationis actum sine interruptione; quia potest ab eo munere feriari plerumq; ac solùm illi tribuere vitam, seu esse viuens, vt contingit seminibus, ouis, & plantis hyeme, brutis plerisq; bruma delitescentibus, Lucomoriç populis hiberno tempore, alijsq; ieiunantibus. *Ar. 3. phys. t. 18.* *A. 3 de ani. t. 59.*

3. ratio 4 Tertia: ex tribus actionibus, quas, Aristoteles ait, animatum omne post originem suam habere: hæ sunt augmentum, status, & decretio, ex his, inquam, tribus, duæ nempe augmentatio, & decretio, sunt interpollatę, non iuges, & assiduæ; nam stirpes non augentur hyeme, oua extra ouiparam; nec semina in horreo, nec animalia toto vitæ tempore ante consistentiam: in atrophia nãq; morbisq; pluribus alijs emaciantibus corpora, iuuenes non augentur. *Ibidē.*

4. ratio 5 Quarta: Idem est dicere, hęc tria augmentum, statum, decrementum esse non posse sine alimento, (quod verè statuit Aristoteles) aliud esse non posse sine nutritione continua: potest namq; alimentum in viuente esse non actu nutriens, vt dum præparatur in ore per masticationem, dum trahitur in stomachũ, dum coquitur in ventriculo, dum fit eius altera coctio in hepate, dum distribuitur per venas in vniuersum corpus, & dum tertiam coctionem sustinet in particulis omnibus, antequàm in earum substantiam mutetur.

5. ratio 6 Quinto: adest pro hac parte Auerrous inquiens, *Vnde videmus quod motus augmenti, & alterationis sunt plures motus: non enim possumus dicere quod augmentum est motum vno motu de initio augmenti vsq; ad finem, apparet enim motus eius in tempore sensibili, & similiter est dispositio in pluribus alterationibus: & impossibile est vt in toto tempore augmenti sit motum, & non comprehendatur à sensu: motus igitur augmenti de initio motus ad finem componitur pluribus motibus, & pluribus quietibus: in vno autem motu translati, qui est de principio ad finem, non interponitur quies, & ideo continuatio est manifestior in eo: & credimus hoc in augmento, & alteratione, quia videmus aliqua augeri per annum vno digito, & remotum est vt ille digitus diuidatur per omnes partes temporis illius anni: quoniam minimum tempus sensibile non habet ex eo partem sensibilem, cum non crescat planta continuè.* Hæc Auerrois theoria confirmatur abundè per doctrinam ab Aristotele traditam de contritione lapidis à gutta, deq; fractura saxi ab enascente caprifico, de qua nos infra ex professo dicturi sumus. *Auerr. 3. phy. com. 6.* *Ar. 8. phys. t. 23.*

6. ratio 7 Sexto: sicut in dormientibus inest potentia visiua suam operationem non edens, vt plurimum, ita in omnibus animatis, quæcumq; crescunt, & diminuũtur, inest anima nutritiua, non solùm dum actu nutricatum promouet, sed etiam dum feriata suum hoc munus intermittit; & hoc theorema consentit illi, quod olim proposuerat Aristoteles inquiens, *Vnde, & vegetabilia omnia videntur viuere: videntur enim in se ipsis habere potentiam, & principiũ huiusmodi, per quod augmentum, & decrementum suscipiunt secundum contraria loca, non enim ideo sursum quidem augentur, deorsum autem non, sed similiter in vtraq; & in omnem partem* *infra ad t. 2. q. 9. ar. 3 cor. 2.* *Ar. 2. de ani. c. 14.*

aluntur, & viuunt semper quousq; possunt accipere alimentum. In his Philosophi verbis notandum est, quod in fine scribitur, nempe *viuunt semper, quousq; possunt accipere alimentum,* non autem dicit, *quousq; actu accipiunt alimentum, & eo actu fruuntur*: Notandum insuper, Aristotelem agere de nutritiua potentia, non de anima nutriente actu, quam optimè sciuisset proprio nomine dicere animam alentem, vt alibi, si eam in actu nutriendi sumere voluisset. Notandum deniq; Philosophum in precitatis verbis meminisse solius augmenti, & decrementi, non autem status, cuius tamen meminerat antea: quia status, vt quid distinctum à motu augmenti, siue vt quid illis duobus motibus contra positum, geminus est. Vnus est motus consistentiæ medius inter augmentum, & decrementum, de quo statu loquutus fuit prius, sed quia non est necessarium viuentia, dum non augentur, neq; diminuuntur absolutè nutriri, & tantumdem substantiæ corporeæ ex alimento sibi comparare, quantum vi caloris, & aliæ cuiusuis causæ (alius causæ dicere debueras) consumentis amiserint; ideo magister in vltimo dogmate non meminit vllius huiusmodi status. Alter status est priuatio motus augmenti, & decrementi, ac etiam nutricationis: quo statu quiescunt abstinentes nutricationem intermittentes, tum ob æqualitatem virium caloris, & humoris, tum etiam ob exiguum adeo caloris excessũ, vt non nisi multo tempore vix exiguum humoris absumat, cum nutricatio viuentibus ad auertendam celeriorem humidi consumptionem à calore viribus pollentiore: poteras dicere potentiore, sed grammatices factus tyrannus verba tibi fingere vis. Hæc sunt, quæ potui ex tuis scriptis decerpere: & quamuis pollicitus sum, me loquacitatem tuam euitaturum, vix potui, timens ne te defraudatum esse exclamares.

Ar. 2. dè an. t. 49.

*

*

Vera Sententia ex Aristotelis doctrina deprompta statuitur. Articulus Tertius.

Ar. 2. de an. t. 47. PRæstat Aristoteli adherendo, hoc eius met verbis conficere pronunciatum. *Alimentum conseruat substantiam, & eousq; est, quousq; alitur.* Hanc sententiam in tractatu de asitia ita transtuli, *Animal eousq; est, quousq; alitur.* Exclamat Satyrus Rechensis, & me gratis, imò verò ingratijs hanc vocem *animal* in contextum introducere conqueritur. At non addidi vocem vllam, sed mutaui, & pro substantia animal dixi: quippe Philosophus ait *alimentum conseruat substantiam, & eousq; est* (nempe substantia) *quousq; alitur.* Et quoniam substantia, quæ alitur est viuens, pro substantiâ viuẽte, seu viuentis, dicere animal non fuit error. Tu autem, magnus grammaticus aliter construenda hæc verba censes: nempe *alimentum conseruat substantiam, & alimentum eousq; est, quo vsq; alitur, hoc est, quousq; fit alitio in viuente.* Consule grammaticos omnes, videbis, nullum esse, qui tibi hanc constructionem permittat, quippe *alitur* personale est verbum, *fit alitio* impersonaliter dicitur. Verùm non ampliùs lis esto. Consulamus Aristotelem, is se ipsum declarabit paulo infra sic. *At vero cum hoc in officio tria sint hæc, necessarioq; concurrant, id, inquam, quod nutritur, & quo nutritur, & quod nutrit: id quidem, quod nutrit est ipsa anima prima, id autem, quod nutritur, corpus est, at id quo nutritur, ipsum est alimentum.* Acquiescis ne, cum magister te doceat, id, quod nutritur, esse corpus? corpus, inquam, viuens, quod ego animal appellaui. Putas ne, ita bardum fuisse Aristotelem, vt dixerit, quod tu illum dixisse vis? nempe, *Alimentum sua substantia conseruans animatum, eousq; in viuente esse alimentum, seu fungitur officio alimenti, quousq; alitur, hoc est, quousq; in viuente fit alitio, seu, si placet, quousq; alitur animatum?* Hæc tua est expositio valde tua. Quis non videt, idem esse dicere alimentum eousq; fungitur officio alimenti, quousq; fit alitio, ac si diceret. e. g. verber eousq; fungitur officio verberis, quousq; fit verberatio? potest ne maior ineptia excogitari, quàm tu Philosophorum coryphæo ignarus imposuisti? p.257.

☞

*

t. 49.

t. 41. 2 Alter locus est apud Aristotelem, in quo hæc actionis continuatio perspicue apparet. Verba sunt hæc. *Quandiu viuit animal, etsi decretionem subeat, alitur, sed non semper accrescit.* Explicat hanc sententiam explicator ineptus in hunc modum, *Cum augmentum non vigeat ab ortu animantis in toto sua vite naturali curriculo vsq; ad extremum vltimâ senectæ, sed tantum vsq; ad mediam ætatem, quam consistentiæ tempus appellamus: consimiliter incrementum non lacessit corpus animati per totũ eius vitæ* p.256. 257.

☞

vitæ spatium, at solùm à consistentia; seu potiùs ab initio primi senij vsq; ad vltimum ætatis decrepitæ: sola nutricatio, ad horum differentiam non determinant vnam sibi vitæ partem, sed à primo vitæ principio ad mortem usq; (siue continua, siue cum interruptione) perpetuari, ac produci potest, consueuitq; licet absolutè, nō ex necessitate perennet: quia nutritio, vt alia qualibet vitæ nostræ functio, intermissione debita, certaq; quiete opus habet. Sic tu ais, sed quàm benè mox videbis: nam quòd augmentatio excurrat vsq; ad ætatem consistendi duntaxat, nutritio verò vsq; ad vitæ terminum, iam satis inculcatum est, idq; Aristoteles adeò manifestè pronunciat, vt nihil manifestius possit dici. Quod verò tu pro tua sapientia adiungis, nutritionem siuè continuam, siue cum interruptione perpetuari, ac produci posse, hoc tuum est, non Aristotelicum, nec solùm posse ita fieri dicis, sed ita fieri consuetum esse, imò vlteriùs gliscente insipientia, nutritionem, inquis, vt aliam quamlibet vitæ nostræ functionem intermissione debita, certaq; quiete opus habere. In quo mirum est quod dicis, nutritionem posse esse, aut continuam, aut interruptam, & posteà addis eandem interruptione opus habere. Vnde inferre licet, nutritionem cum continua est, & interruptione caret, malè se habere, siquidem caret eo, quo opus habet. Præferenda igitur ex tua sententia est nutritio interrupta nutritioni continuæ, iuxtà tuum placitum. *cōtradictio.*

3 Vt autem tuæ istius interruptionis vanitatem agnoscas, considera nutritionem esse vnam actionem, ac proinde vnum motum; vnitas cōstat ex termino ad quem, vnde D. Thomas *propria, ait, actio, sicut & motus, à termino speciem habet: à principio autem habet, quòd sit naturalis.* Itaq; motus distinguntur per terminū ad quem, non per terminum à quo, seu per principium agendi; &, ne à facultatibus recedamus, ab eis exemplum sumi potest. Vna est facultas, nempè voluntas, quæ est principium suarum actionum, à voluntate procedunt odium, & amor contrarij motus: quia ad contraria diriguntur. Quòd autem nutritionis terminus ad quē, sit vnus, ostenditur vel considerata nutritione vniuersali, cuius terminus est vniuersum corpus, vel considerata particulari, quæ terminatur ad vnam particulam, vtraq; terminum habet vnum. Est ergo vna actio, seu vnus motus: si est vnus, ergo nō interruptus; hoc te docet Aristoteles inquiens, *Multi igitur, & non vnus motus, inter quos quies est: quia si aliquis motus statu intercipitur, neq; vnus est, neq; continuus.* Cur autem Philosophus exemplo guttæ lapidem excauantis, in accretione, & nutritione plures motus reperiat, infra explicandum est. *D. Th. q. de potentia ar. 8.* *Ar. 5. physic. t. 41. infra ī responsione ad 5. Arg.*

4 Prætereà motus, vt pote qui res successiua est, non incipit in instante, hoc est nō incipit per primum sui esse, incipit ergo per vltimum esse quietis præcedentis, ergo quies præcedens, & motus subsequens continuantur: siquidem nullum est instans, in quo possimus dicere, nunc incipit motus. Iam ergo tibi constare debet, impossibilem esse nutritionis interruptionem, quam tu necessariam esse dicis, idq; te ostendisse profiteris in libris de vita. Impulit me curiositas, vt librum, & caput à te citatum perlegerim, nihilq; quod ad istam probationem faciat, præter hæc pauca verba, reperi. *Neq; semper nutriuntur* (de plantis loqueris) *vt plantæ multæ extra humum, & quæ in humo hyeme folijs carent, atq; alia quamplura, de quibus alibi fusiùs agemus, in proprio tractatu.* Videris ex hoc loco in alium transmittere lectorem; sed mihi hæc sunt satis: plus solicitus esse nolo. Possem tibi respondere, inaniter argumētum duci à vegetabili plantarum ad vegetabilē animalium; licèt enim communissimo genere conueniant, aliàs in multis differunt. Sed volo tibi obsecundare, & iuxtà sapientis consilium respondere stulto iuxtà stultitiam suā. Plantas extra terram dicis non ali, puto te intelligere eas, quæ in aere suspensæ germinant, & sustentantur, aloen, scillam, & cæpas etiam: has si homini comparas, te ipsum suspendito, vt videas, an similiter possis in aere germinare, aut saltem viuere; sed extra iocum: putas ne plantas exiguas multum glutinosi, multumq; acris & calidi in se habentes non posse tantum alimenti intra se ipsas continere, quantum sufficiat ad alimoniam? Vbi nota obiter, has plantas sustentari, & germinare, non crescere: nam quæ parua suspensa fuit, parua etiam manet; quippe nutriuntur viscoso succo, erūpunt vi succi acris: non augentur, quoniam paucitas alimenti impedimento est. Transis ad plantas, quæ licèt radicibus humo affixæ sunt, tamen hyeme folijs carent. Has etiam, putas, non nutriri: cur? nempe quia folijs carent; sic homines alopecia laborantes, diceres, non nutriri. Libet paululum te irridere, hominem, quem, tametsi de facie non nouerim, ridiculum mihi describunt multi, & quis meliùs, quàm Camillus Gloriosus? quin & apud *li. 2. c. 17. idē repetit c. 15.* *Camil l'Glorioso.*

Pisanos tuarum hodie iocationũ manet recordatio. Seriò tamen loquar. Plantæ per hyemem, veluti animalia per somnum, collectum intus calorem habent, qui sicut in animalibus ad ventriculũ, sic in plantis ad radices, quæ ventriculi vicem subeunt, se recipit, propterea hoc tempore radices alimento impletæ tument, exteriora verò, seu superiora plantarum deseruntur, adeò vt ne alendis quidem, tuendisq; fructibus, ac folijs sufficiat. Verno tempore extendi incipit alimentum, & ad superiora conuerti, exeuntq; flores, & folia, æstate etiam fructus quàm plurimi. Non est ergo vnquam planta sine alimento, neq; sine alitione, sed hæc hyeme multa est ad radices, exigua ad ramos, vere, & æstate è contrario. Atq; sic destruitur exemplum, quod magno apparatu in libros de vita reseruasti.

5 Pergam igitur hanc tollere interruptionem. Vita aut est actio, aut certè nõ sine actione; si quæras, quę nam sit actio, vitalem esse, respondebit schola medica; & hanc tibi in corde suam sedem præcipuam habere, indéq; per vniuersum corpus transmitti demonstrabit; si philosophos adeas, hanc actionem, facultatemq; à qua procedit, distinctam à vegetabili non agnoscunt: medici tamen, cõmuniter in hoc saltem consentiunt, quòd omnes (præter vnum Mercatum, qui eam ad sensitiuã referri vult) vitalem vegetabilis partem esse sentiunt; Nam vtraq; reparat, quod è corpore euanuit, absumptumq; est: nempè ea, quæ est in corde aereum, & igneum, quæ in iecore terreum, & aqueum; iccirco Auerrois medicam diuisionẽ reijcit, & tam naturalem, quam vitalem, sic à medicis appellatas, ad vnam vegetabilem, cuius officium est reparatio substantiæ, redigit. Cæterùm quoniam distant origine, quippe vna in corde, altera in iecore initium habet, & ductibus, vna enim per arterias, altera per venas materiam transmittit, quoniam etiam distant communitate, nam quæ aeream, igneamq; substantiam conficit, solis animalibus conuenit, licèt non omnibus, vt testatur Aristoteles: quæ cibum, potumq; reficit, communis est animalibus, & plantis: in hac enim duntaxat conuenit vegetabilis plantarum cum vegetabili animalium, non in altera; quãuis enim Empedocles plantis tribuat spiritus, hoc commentum destruit Aristoteles. Quoniam, inquam, in his distant, & duntaxat conueniunt in generali quodam vegetandi munere, meliùs à medicis, & magis exactè, distinctéq; non vna vegetabilis indiuisa constituitur, sed in duas partes naturalem, & vitalem ista vegetabilis diuiditur, quamuis hæc diuisio non omnino religiosè obseruetur: Galenus namq; interdum ait, motum thoracis ab anima fieri, cordis à natura, & sic actio cordis, quæ vitalis est, à natura, hoc est, naturalis appellari censetur.

2. coll. c. 7.

Ar. de plãt. c. 1.

Ibidẽ.

6 Ex dictis colligitur, non esse discrepantiã inter Galenũ, qui mortẽ constituit in priuatã respiratione magis, quàm in iecoris actione, & Aristotelẽ qui in priuata nutritione: est enim respiratio nutritio partis summopenè necessariæ, nempe spirituosæ, quæ quoniam citò dissipatur velocem reparationem expostulat, cuius defectu animal confestim moritur: substantiæ verò crassioris nutritio, vt non deficit de repentè, sic non de repentè suo defectu interimit, vtraq; tamen non nisi morte finitur, vtraq; continua est: continuã respirationem dico, prout est actio composita, inspirationem, & expirationem, & duas quietes comprehendẽs, ita tamen, vt neutra quietum valdè excedat: quippe quietis excessus valde magnus iam totius respirationis interruptio erit, & subinde mors, quod mox inferiùs demonstrabimus, Continua etiam nutritio dicitur, quamuis quæ ei ministrant actiones suis quoq; quietibus perfruantur, dum per vices agunt, & vicissim ociãtur: operante enim tractrice, reliquæ quiescunt, sequitur coctricis, tandemq; expultricis operatio, ab his appositio, & agglutinatio. Cæterùm tota respiratio ex duobus motibus composita, quasi vnus motus circularis est; tota nutritio per interquiescentes ministras facta non minùs dicetur continua, quàm in officina Vulcani, licèt Steropes, Brõtes, & Pyragmon vno ociante, alij agerent, diceretur tamen ferrum iugiter exerceri, nec nisi ociantibus omnibus vacatio appellaretur; Sic intelligendus est Galenus, quando ait, naturales facultates omnes semper necessarijs sibi operibus incumbere, & nunquam torpescere, aut negligentes esse: nimirum semper sunt in opere omnes collectiuè sumptæ, licèt aliqua aliquando quiescat, quiete quidem sibi à natura præstituta, quæ sanè quies suum seruans ordinem, suamq; durationem, pro opere habetur, non aliter ac miles, dum excubias in tempore præscripto agit, dicitur non esse ociosus. Abeat igitur in malam crucem isthæc opinio de ferijs animæ altricis, cum suo autore, neq; eum defendunt rationes pro se allatæ, queis facilè respondebimus.

1. de diffic. respir. c. 12.

Responsio

Responsio ad rationem priore loco adductam.
Articulus Quartus.

PRIma ratio, quam valdè subtilem esse diximus, valde quoq; subtilem expostulat responsionem, in cuius gratiam meminisse oportet, nutritionem esse conuersionem alimenti in substantiam aliti, conuersio autem, & generatio non differunt re, sed duntaxat ratione; non differunt quidem re, quia terminus ad quem vtriusq; est vnus, & idem: nempe introductio formæ viuentis; differunt ratione, quoniam terminus à quo generationis consideratur, vt subsequentis formę priuatio, nutritionis autem vt positiuũ: quippe vterq; terminus conuersionis debet esse positiuus, conuersio enim est mutatio ex re vna in aliam.

2. Considerare iccirco oportet, terminum, vndè procedit generatio, dici terminum à quo, cum verò, vnde profluit conuersio, siue nutritio, esse terminum ex quo, vtrumq; tamen esse vnum diuerso modo acceptum, vtrumq; etiam esse extrinsecum suæ actioni, nam intrinseca ratio tam generationis, quàm nutritionis consistit in termino ad quem, hoc est, in introductione formæ viuentis.

3. His sic præcognitis, quoniam argumentum supponit, in vno instante fieri viuens, in alio nutriri, & quoniam inter duo instantia datur tempus intermedium, in illo spatio temporis est viuens sine nutritione, vnde infertur, posse similiter esse in alijs temporibus, non admittimus, verum esse id, quod supponitur, sed dicimus in eodem instante fieri viuens, & nutriri: quippe iam diximus, generationem, per quam fit viuens, & aggenerationem, siue nutritionem, quæ est conuersio, re non differre, quare subinde possunt simul esse.

4. Opponet tamen aliquis, in illo primo instante generationis non præfuisse dissipationem, quæ prærequiritur, vt fiat nutritio: est enim nutritio deperditæ substantiæ restauratio. Respondeo, præfuisse calorem, qui dissipat, præfuisse etiam substantiam humidam, quæ dissipatur; quòd si substantia ista, cum dissipabatur, non erat adhuc viuens, nihil interest: quippè iam diximus, terminum ex quo esse extrinsecum, & rationem formalem consistere in termino ad quem. Satis ergo est ad hoc, vt fiat nutritio, quòd substantia, quæ nutritur, sit viuens tunc quando nutritur, licèt antea non fuerit viuens. Sed instabit adhuc quispiam in hunc modum, si, vt substantia nutriatur, oportet, vt sit viuens, priùs est esse viuens, quàm esse nutritum, & sic inter instans, quo fit viuens, & instans, quo fit nutritum, tempus interiacet. Respondeo requiri quidem, vt id, quod nutritur, sit viuens, sed nón prærequiri: siquidem esse viuens prius est ordine naturæ, non autem priùs tempore: & sic manet soluta difficultas.

5. Verùm si cuipiam magis placeat, fieri viuens in vno instante, & nutriri in alio, adhuc nihil obtinebit: nam tempus illud, quod interiacet inter vnum, & alterum instans, insensibile est, & quamuis sufficiat ad probandum in illo exiguo temporis spatio potuisse viuens esse sine nutritione, non tamen concludit idem etiam fieri per alia tempora: nam iam conceditur ex aduerso in illo priore non fuisse dissipationem, quod nos, si concedendum sit tempus sine nutritione, similiter concedimus; ergo in illo exiguo spatio duntaxat nec fuit dissipatio, nec nutritio: per alia verò tempora cum necessaria sit caloris actio, ac propterea dissipatio, necessaria etiam est continua refectio. si quidem vnus, & idem calor, nempe naturalis, vt respicit substantiam viuentis, eam dissipat, vt autem respicit alimentum, illud conuertit in substantiam aliti, & præparat ad conuersionem. Esse autem calorem naturalem, qui dissipat, ex eo vel maximè constat, quòd iccirco mortem, & senectam naturalia opera dixit Galenus, ut pote quæ sequuntur ad operationem naturæ, hoc est, ad actionem caloris naturalis, qui omnium actionũ, in viuente, autor censetur. Explodendus hinc est error Satyri de Recho,

L. 1. de spont. vi. or. c. 40. & 52. qui calori externo putrefacienti tribuit vim coquendi hoc pacto. *Calor externus corrumpens propriam caliditatem vnius cuiusq; illorum, quæ putrescunt, simul, & semel concoquit, ac digerit plerasq; partes, quæ in re putrescente contentæ segregantur ab alijs, quæ per putredinem in elementa diffluunt.* Omitto hoc loco agere de duplice illo fictitio calore ab isto inuecto, quorum vnum dicit esse tactu perceptibilem, qui accidens est in genere qualitatis, alium mente sola dignoscibilem, qui substantia est simplex in elemento, mistâ verò, seu veriùs composita in misto, cuius rei falsitatem alibi ostendo. Nunc solùm quæro ab isto, vt mihi dicat, quomodo

Infra q. 9. ar. 3. 1. prin.

calor externus corrumpens, eius substantiæ, quam corrumpit, partes aliquas concoquit. Hoc si non est merum figmentum, neq; chymæram figmentum appellabo.

☞ 6 Dic mihi quæso, quis te in sic absurdam opinionem detrusit? nempe spontaneus viuentium ortus, cuius causam dum rimaris, in foueam incidisti: in foueã ne? imò in foueas: quod iam tibi palàm facere aggredior. Elementa, quæ appellas nostratia, ex quorum varia mistione ad inuicem cuncta & viuentia, & inanima constituta fuere, ais, esse quidem simplicia, partes tamen habere singula non omnes eiusdem puritatis: deinde solito multiloquio eò te deducis, vt dicas calorem ambientis eadem functione partes misti non synceras putredine afficere, & in elementa resoluere, earum calore proprio ad se auocato, & partes eiusdem misti synceriores digerere, & concoquere, & quibus calorem eripere nõ potest, qui arctissimo cum alijs qualitatibus vinculo coniunctus est, ijs eundem calorem vegetiorem efficere, sibi similem fouendo, & subditam illi materiam digerendo: & ne longus euadam, concludis, spontanei animantium ortus causam materialem nunquam esse verè substantiam putridam, sed semper substantiam coctam, quæ nullam omnino putredinem perpessa est: si quidem substantia putrescens tantùm abest, vt in naturam viuentem, supra misti conditionem transmutetur, quòd potius per putredinem infra mistorum essentiam in elementa dissoluatur. *Cætera de genere hoc adeo sunt multa loquacem, Vt laßare queant Fabiũ.* Si quis in his legendis velit defatigari, adeat tua scripta; At heus tu interim, ne mihi vitio vertito, quòd non omnia transcribam. e. 58.

7 Sed veniamus ad rem: volo te deducere per absurda, & suis numeris singula distinguere. *Primum absurdum.* Quòd ais elementa hæc nostratia esse, ex quorum varia mistione ad inuicem cuncta viuentia, & inanimata constituta fuere, crediderim, te nostratia appellare elementa hæc impura, quę nobis in vsu sunt, hæc autem dicis esse, ex quibus cuncta (nempe corpora) constituta fuere. Sed dic sodes, quando fuere constituta ex his elementis? num quando vnumquodq; corpus particulariter fuit genitum? si sic ais, oportebit in vnaquaq; particulari generatione fieri mistionem, denuò concurrentibus ad eam vndiq; impuris his elementis, quod falsum est; Nam quamquam hæc noua mistio, nouusq; elementorum nostratium concursus possit fieri, concurrente scilicet cœlo, (vt est communis philosophantium opinio) & conuocante elemẽta hæc in vnum, vt ex his simul coniunctis (actu ne, an potentia nunc non disputo) fiat vnum; & hanc mistionem definiuit Aristoteles dicens esse miscibilium alteratorum vnionem, nihilominus, quod ad naturalem, & ordinatam mistorum generationem, de qua nunc debemus tractare, attinet, in ea mistum generatur ex misto, & per introductionem formæ substantialis, absq; alia noua actione, genitum mistum euadit: quippe forma misti eadem est cum forma substantiali, quæ in homine non distinguitur ab anima rationali; & hæc est doctrina D. Thomæ; Aliquando etiã forma misti accipitur pro qualitate composita, & contemperata ex mistione simplicium qualitatum, quæ ita se habet ad formam substantialem corporis misti, sicut qualitas simplex ad formã substantialem corporis simplicis; & hanc mistionem qualitatum, ait idem alibi, esse propriam dispositionem ad formam substantialem corporis misti, vt ad formam hominis, aut lapidis. Hoc aut illo modo sumatur, vnum certissimum est, nunquam corpora mistorum esse non mista, sicut nunquam materia prima est denudata ab omni forma substantiali. Duo tamen possunt hîc obijci: primum est, hanc doctrinam non posse stare iuxtà opinionem eorum, qui dicunt fieri resolutionem vsq; ad materiam primam: nam si semper manet idem mistum, manẽt eadem miscibilia, ac proinde non denudatur omnino materia. Dupliciter respondemus: primo, hanc opinionem de resolutione vsq; ad materiam primam, non esse adeo certam, vt sit nefas ei aduersari: quippe contraria, fortissimas pro se rationes, & grauissimorũ virorum autoritates habet; Deinde potest etiam cùm resolutione vsq; ad materiam primam stare hæc perpetuitas mistionis; Nam si dicamus (vt priùs) formam misti, & formam substantialem esse eandem, non est necessaria noua mistio, sed per easdem dispositiones, per quas introducitur forma substantialis, per easdem fit mistum: si dicamus (vt secundo loco diximus) formam misti esse qualitatem compositam, iam diximus ex D. Thoma, hanc qualitatem esse dispositionem ad formam substantialem, ac proinde dispositionem antecedentem formæ introductionem,

D.Th. 4. cõt. gen. c. 81.

D.Th. 1. p. q. 76. ar. c. 4.

1. obiectio.

ctionem; at hanc materiæ inesse necessarium est, alioquin materia aliquo momento maneret non disposita, & sic requireretur tempus ad disponendam eam maneretq; eo tempore materia absq; forma.

8 Altera obiectio quæ afferri potest, est, corpus mistum nihil aliud esse, quàm corpus ex quatuor elementis conflatum: si ergo putredine totum corrumpitur, corrumpi consequenter partes, ex quibus conflatur: corruptis igitur elementis, ex quibus corpus priùs constabat, vt noua generatio fiat, noua rursus elementa concurrant oportet, & sic vnaquæq; generatio nouum expostulat elementorũ cõcursũ. Respondeo, aliud esse mistionem, aliud cõpositionem, quę est Aristotelis doctrina: *Mistio*, ex eodẽ, *est miscibilium alteratorũ vnio*: per hanc alterationem desinunt esse actu, vt priùs erant, & remanent in misto in potentia tantùm; cum autem soluitur mistio, miscibilia ad priorem statum reducuntur, & non ampliùs potentia sunt, sed actu: Quare per dissolutionem misti miscibilia perfectionem acquirunt, qualis est ab esse potentia, ad esse actu. In composito verò naturali (de hoc nobis est sermo) componentia (nempe forma, & materia) actu existunt, & tunc suam perfectionem habent, quam corruptione compositi deperdunt: quippe materia, si extra compositum consideretur, non est hoc aliquid, sed pura potentia, forma verò extra compositum euanescit, aut saltem, si est anima rationalis, remanet in statu præter naturam. Hinc est quòd miscibilia, quę, vt Aristoteles ait, contrarietatem inter se habent, sui misti destructionẽ moliuntur; componentia compositum suum conseruant; nec mihi quispiã afferat vulgare illud: materiam nempe habere semper appetitum ad aliam formam diuersam ab ea, cui inest, & inde accidere totius compositi corruptionem: quod quidem falsum est, quippe appetitus materiæ nihil aliud est, ex Diui Thomæ sentẽtia, quàm materiæ ad recipiendam formam inclinatio, quæ ipsi penitus insita est, sicut & cæteris rebus ad proprium finem, perfectionemuè sectandam. Hic autem appetitus respectu formæ, qua caret, dicitur desiderij, respectu verò eius, quam possidet, dicitur complacentiæ. Vnde meritò eam Philosophus adulteræ vxori comparauit, quæ nec marito vult carere, & alterius concubitũ appetit.

Altera obiectio.

Ar. 1. de gen. & corrup. t. 36.

init. l. de an.

9 Colligere igitur vela oportet, & ad obiectionem respondere, aliud esse corrumpi mistum, aliud corrumpi compositum: in corruptione misti remanent miscibilia perfectiora, quàm erant in misto, in compositi interitu, componentia, vel omnia euanescunt, aut saltem diuersam, deterioremq; conditionem subeunt. Atq; ita exhausta est omnis difficultas, quæ obscurabat veritatem, manetq; inconcussa doctrina, quæ tenet, falsum esse in vnaquaq; particulari generatione nouam fieri elementorum deforis aduenientium mistionem: neq; enim ita fieri necessarium est, cum præexistentia elementa, seu miscibilia sufficiant, solùmq; adueniat simul cum noua forma nouus mistionis modus, nouauè miscibilium inter se proportio iuxta exigentiam formę substantialis, quæ producitur.

10 Quare corpora animatorum, & inanimatorum, quæ (vt tu dicis) ex elementis nostratibus constituta fuere, non fuere constituta tunc, cum Socrates v. g. fuit genitus, sed elementa illa iam præextiterant in corpore præcedente, & eadem in alio priore, & sic in alijs retrocedendo vsq; ad mundi originem: (relinquimus Aristotelem, qui processum istum in infinitum à parte ante deduceret) quemad modum enim ab origine Mundi, quando materia esse cœpit, simul cœpit esse informata substantiali forma, neq; vnquam postea sine forma extitit, sic etiam miscibilia, quæ sunt materia mistionis, formam mistionis acceperũt, neq; vnquam posteà per tot mutationes extiterunt sine forma: & sicut compositum ex materia, & forma nunquam desijt esse compositum, constans ex vna, & eadem materia, diuersis tamen formis successiuè acceptis, sic mistum semper manet mistum sub eisdem miscibilibus, licèt tot formas mistionis, quot formas substantiales mutauerit: quippe vtraq; vna, & eadem est. Neq; verò propterea quòd sine nouo elementorum accessu mista constent, putandum est, elementa hæc nostratia frustra esse in Mundo, imò quàm plurimos alios nobis vsus, præstant, vt aer ad refrigerandum calorem, & respiratione restaurandos spiritus, ignis ad fouendum calorem innatum, & impediendam congelationem à frigido, aqua ad potum, terra ad plantarum productionem, neq; has solùm, sed & multas alias vtilitates nobis præstant. Restat adhuc, quod possit dicere, nempe quia per putredinem elementa, quæ erant in misto, ad sua elementa recedere coguntur, aqua ad aquam, ignis ad ignem, & cætera eodem modo necessarium

esse;

esse, vt si quid post putredinem gignitur, (si mistum esse debet) conuocet iterū è suis locis elementa. At hoc non ita se habere, aliterq; recessum elementorum ab Hippocrate adductum, intelligendum esse, tibi mox infra ostendam. Interim sufficit scire, corpora mistorum, tunc cum genita fuerunt, cœpisse esse mista, sin minus da mihi tempus, in quo animal, aut saxum fuerunt non mista, genita autem fuerunt in mundi primordio, & tunc mistionis formam acceperunt, & sic successiuè nouæ generationes, nouæq; mistionum formæ, eadem permanēte materia tum compositi, tum misti, continuarunt. Fuit ergo in illo primordio facta mistio, non ab elementis impuris; (quia tunc non erant adhuc impura) sed à synceris. Vnde euertitur tuum figmentum de partibus puris, & impuris sumptis ab impuritate elementorum nostratium.

v. ifra q.5.ar. 2.n.4. 11 *Secundum absurdum:* quia dum ais, calorem externum partes non synceras putredine afficere, synceras autem coquere, & digerere, existimas nihil posse putrescere secundùm se totum, imò per putredinem aliquas partes perfectionē acquirere: coctio quippe perfectio est. Sed debueras recordari, coctionem, & putredinem in eo inter se differre, quòd coctio fiat à proprio calore, putredo ab alieno, ne sic stultè vtraq; ab vno alieno fieri diceres. Porrò quòd partes aliquę vnius misti faciliùs concipiant putredinem, aliæ difficiliùs, constare quidem potest, sed quòd in fine putredinis non sit totum secundùm omnes partes putrefactum, hoc præter te nemo audebit dicere: nam dum partes aliquæ putredinis immunes omninò sunt, poterunt adhuc suum totum à putredine vendicare, quod exemplo vini acescentis, quo Galenus vtitur, poteras addiscere: siquidem Ga. 2. aph.17. cum vinum iam acidum obtinet saporem, nondum tamen prorsus abijt in acetum, pristinam recipere naturam potest, post quàm verò acetum est factum, nō ampliùs ad habitum naturalem reuertitur. Tandem ex hoc absurdo, quòd scilicet nihil possit secundùm omnes suas partes putrescere, alia pullulant absurda, quæ referre non magnus est labor.

12 *Tertium absurdum*, ex præcedente ortum habens, est: quoniam si partes aliquę remanent sanæ, imò coctæ, & subinde perfectiores, quàm antea, quicquid ex his partibus remanentibus per coctionem, vt tu vis, gignitur, perfectiorem mistionem habebit, quàm id, quod fuit putrefactum, & sic vermis ex putredine hominis genitus perfectiorem mistionem, hoc est, ex perfectioribus miscibilibus conflatam habebit, quàm homo: quippe homo constat ex partibus synceris, & non synceris, vtpote qui putrescit, vermis autem constat ex solis synceris: has enim solas existimas concurrere in generatione spontanea.

13 *Quartum absurdum*, propago eiusdem trunci: Nam si partes synceræ non potuerunt putrescentibus alijs putrefieri, quicquid ex his solis constabit, erit imputrescibile: nec dicas præter istas synceras acquisiuisse alias denuò nō synceras, nā hoc ita fieri nulla necessitas cogit. Tu dices has partes synceras per coctionē fieri dispositionem vltimam, & proximam ad introductionem animæ spontanei viuentis, producatur ergo cum his dispositionibus optimis, non est cur compellatur ad asciscendas sibi alias deteriores.

14 *Quintum absurdum*: cum dicas, in his partibus syncerioribus relictum fuisse calorem, (innatum puto, te intelligere) quem extraneus calor non potuit ab eis eripere, & illum calorem relictum fieri ab isto extraneo vegetiorem, quem sibi similem fouet, & subditam illi materiam digerit, monstra loqueris: nempe quia calor externus naturalem non potuit à subiecto suo eripere, quod idem est, ac si diceres, non potuit eum destruere; iccirco illum sibi similem fouet, ac digerit. At si non potuit eum eripere, signum est, eripere tentasse: tentauit eripere naturalem extraneus, & præter naturam, tentauit, inquam, destruere, & cum hoc non potuerit consequi, similis ei, & amicus factus cœpit eundem fouere, atq; concoquere. Profectò calor extraneus erat priùs extraneus, quando naturalem impugnabat, est, vt tu vis, adhuc extraneus: neq; enim vsquam ais, naturalem esse factum, quòd si factum nuturalem nunc velis dicere, dic simul, vndè nam ei euenit, vt sit factus naturalis, non ex permistione cum naturali: nam id accidere poterat subitò, quando naturali fuit adiunctus, neq; oportebat priùs illum velle debellare. Scimus fomentis, ventriculo adhibitis calorem extraneum fouere naturalem, vt naturalis vegetior fiat ad coquendum, tunc verò coctio fieri dicitur non ab extraneo, sed à naturali vegetiore reddito. Tu autem vis, calorem extraneum licèt iungatur naturali, & naturalis functiones moliatur, nihilomi-

nihilominus extraneum permanere, quod indicant tua hæc verba. *Sæpe numero, ab ambientis calore, misti partes puriores, nil nisi maturitatẽ, & coctionẽ adipiscuntur.*

15 *Sextum absurdum* est, cum inquis, plerumq; fieri, vt coctio sit eius materiei vltima, proximaq; dispositio ad animam, aut plantæ, aut animalis induendam, atq; ideò ad spontaneam viuentium generationem. At si coctio est vltima, & proxima dispositio, hæc determinat materiam ad hanc, vel illam formam suscipiendam, cum autẽ coctio sit commune quid omni substãtiæ viuenti, quomodo poterit determinare materiã? determinatio namq; ad vnum non fit ab eo, quod pluribus est commune.

16 *Septimum absurdum* sic habet. *Substantia putrescens tantum abest, vt in naturam viuentem, supra misti conditionem, transmutetur, quod potius, per putredinem infra mistorum essentiam in elementa dissoluatur.* Putas ne, id, quod putridum est remanere infra mistorum essentiam? at infra mistorum essentiam non remanet nisi corpus simplex: corpus ergo putridum erit simplex: cadauer quatriduanum putridum corpus esse, non negabis, erit proinde corpus infra mistorum essentiam; agnoscis ne tuam vecordiam? Dices fortasse, per putredinem mistum dissolui, quòd si dissoluitur, in ea dissoluitur, ex quibus mistio fit, nempe in elementa. An nescis, Aristotelem generationi opponere putredinem? sicut ergo generatio tunc fit, cum adsunt dispositiones, quæ determinant subiectum ad illam peculiarem formam suscipiendam, ita putredo accidit corruptis dispositionibus, quibus illa forma conseruabatur: inter has dispositiones præcipua, & fortasse sola, erat mistio, corrumpitur ergo in putredine mistio, non quidem omnis mistio (nam sic non remaneret post putredinem vnum corpus, sed plura corpora simplicia) sed corrumpitur illa mistio, sub qua particularis forma conseruabatur, remanet ergo corpus dissolutum comparatiuè, hoc est, priuatũ ea mistione, quam requirebat præcedens forma, nihilominus non priuatum mistione, sub qua forma v. g. cadaueris potest sustentari, imò verè sustentatur. Transmutatio igitur partium elementarium in putredine, non fit per omnimodam separationem, vt quælibet in suum abeat elementum, sed per eam tantùm, quæ necessaria erat ad sustentandam præcedentem formam in subiecto: vndè malè ais, putrescentem substantiam remanere infra misti essentiam, cũ maneat duntaxat infra essentiam huius misti.

17 Condonandũ tamen tibi est, quia socios habes istius opinionis: existimantes scilicet per putredinem abire elementares partes ad sua elementa, quod ab Hippocrate putant se discere potuisse. Huius opinionis vanitatem in opere de Meteoris Microcosmi exprofesso confutaui, nihilominus præstat nunc idẽ breuiter repetere. Verba Hippocratis sunt hæc: *Necesse est secedere singula in suã ipsorum naturam, homine moriente, humidum nimirum ad humidum, siccum ad siccum, calidum, ad calidum, frigidum ad frigidum.* Hinc tamen non infertur, quod Galenus ibi ait, fieri videlicet *singula elementa, vbi homo vita defungitur, secreta inuicem ad suam naturam recedere*; in quam interpretationem nescio quomodo fuit deductus, qui alibi non ex elementis hominem constare ait, sed ex alijs substantijs, quæ elementis proportione respondent. Cæterùm quicquid alij sentiant, verba Hippocratica non cogunt nos fateri hunc partium putrescentis substantiæ ad elementa recessum: solùm namq; ait moriente homine quicquid indè generatur constare ex eisdem partibus, ex quibus homo constabat, eademq; esse omnium mistorum miscibilia, sic humidum corrupti abit in humidum geniti, & siccum in siccum, calidum in calidum, frigidum in frigidum, & hanc esse eius mentem ipsemet declarat adiungens, *Huiusmodi autem tum animantium, tum aliorum natura est: nam cuncta simili modo nascuntur, & desinunt*; Quod à sapiẽtissimi Salomonis doctrina non abhorret dicentis, *Vnus interitus est hominum, & iumentorum, & æqua vtriusq; conditio: sicut moritur homo, & alia moriuntur.* Atq; hæc est germana Hippocraticæ sententiæ expositio: quicumq; autem pertinaciter tenet recessum partium ad elementa, oportet vt duo nobis tradat, vnũ per quam viam secedant hæc elementa ad suas regiones, alterum quid est, quod remanet abeuntibus his: nos videmus remanere corpus mistum putridum.

Hip. l. de nat. hum. t. 14.

Eccl. c. 13.

18 *Octauum absurdum* est: quoniam licèt admittatur iste partium ad elementa recessus, parùm philosophicè ais, partes impuras, seu non synceras esse, quæ abeunt, synceras, quæ remanent. Sed cur id, quod difficilius est, fieri potest, facilius non potest? facilius autẽ est, partes synceras transmutari in elementa, quàm non

Ar. 2. gen.& corru. t. 34. nō ſynceras. Habentia quidem cognationem, (ait Philoſophus) citiùs generantur ex ſe inuicem, non habentia autem tardiùs: maiorem ſanè cognationem habent partes ſynceræ cum elementis, quàm non ſynceræ, & tamen has ad elementa abire ais, illas verò nō ita. Aer nos ambiens partes impuras admiſtas habet, has tu vis in aerem cedere, verum autem, & exquiſitum aerem minimè. Sed cur hoc ita fieri exiſtimas? forſitan quia, vt ais, his partibus ſynceris calor naturalis manet alligatus, qui eas retinet? Sed calor iſte ad omnis caloris fontem, nempè ad ignem pertinet, ad ignem ſimiliter abeat neceſſe eſt. Deinde etiam accipe terram, & aquam in his quādo remanent ſynceræ elementorū partes, nō remanet calor, non remanet, inquam, calor naturalis, quippe extinctus fuit per interitum, iſte autem à te ſupponitur remanſiſſe, quod poſſet eſſe aliud abſurdum; Verumtamen hæc pauca curſim collegiſſe ſufficiat, plura alius, qui maiore ocio perfruatur, poterit fortaſſe colligere.

Solutio argumentorum Satyri de Recho.
Articulus Quintus.

ACCedo ad tua argumenta, quæ poſtquam leui reſponſione euaneſcent, magis tua videbuntur. Ais, alimentū dupliciter conſiderari, actu videlicet, & potentia, in quo mihi videris ignorare, alimentum non eſſe alimentum, niſi tex. 7. cum actu alit: quod Hippocrates in hoc libello de alimento infra optimè declarat inquiens. *Alimenti autem quod alit hoc alimentum, & quod veluti alimentum, & quod futurum alimentum*: Quorum verborum explicationem ſuo loco adſcribemus. Sed eſtò, admittamus tibi hanc diſtinctionem: quid hinc putas te inferre poſſe? nempè ſi accipiamus alimentum actu, non poſſe hinc colligi actionem eſſe non interruptam: quippe peracta nutritione nihil ampliùs alimenti actu nutrientis adeſt: ſi accipiamus alimentum potentia, ſimiliter non poſſe dici, animatum eſſe nō poſſe ſine nutrimēto potentia nutriente: quia viuenti ſufficit habere aliquando nutrimentum actu, quo ſe nutriat. Ego verò dico, & actu, & potentia alimentum eſſe debere, actu, quod eſt verum alimentum, & verè actu nutrit, potentia, quod Hippocrates vocat velut alimentum, nempe quod continua ſuggeſtione alimentum actu ſuſtentat, ne vnquam deficiat, ſicut in lucerna eſt oleum in lychino, quo flamma actu nutritur, eſt & oleum circumfuſum, quod eſt alimentum potentia. Tu autem ais, non eſſe neceſſarium alimentum potentia: Sed vnde nam hoc probas? nempè, quia viuenti ſufficit habere aliquando alimentum actu, petitio prici-pÿ err. Satyri in logica. quo ſe nutriat: at hoc erat tibi probandum, quare aſſumis in antecedente, quod in conſequente ponere debueras. Tota quæſtio eſt, an ſufficiat habere aliquando, an ſemper alimentum actu, tu autem ex hoc conſequente conficis antecedens: quaſi dicas, ſufficit habere aliquando alimentum actu, ergo non neceſſarium eſt alimentum potentia. Hæc, & ſimiles tuæ argumentationes mihi oſtendunt, te ex conducto philoſophum logices limina non tetigiſſe.

Satyr. err. in logica. 2 Conimbricenſes in medium affers, qui dicunt, magiſtrum intelligere alitionis nomine omnem alimenti mutationem, quæ fit in viuente à prima eius ingeſtione ad vltimam ipſius conuerſionem in ſubſtantiam corporis animati, quos ideò ego non potero attrahere in meam ſententiam de continua aſſimilatione. Ego ne Conimbricenſes in meam ſententiam attrahere volo? qui potiùs de aſitia c. vlt. dixi in fine libelli de Aſitia. *Conimbricenſes quidem in alienam meſſem manum mittentes, non cognouerunt, quid in corpore humano agatur, hoc eſt, quam conſonantiam facultates miniſtrantes inter ſe continuè ſeruent, vt quicquid attractrix, vel retentrix, vel concoctrix excedat, aut deficiat, totum ruit opus nutritionis; quippe ideò illæ miniſtrantes appellatur, quia continuè nutritiuæ miniſtrant: nutritiua ſemper adeſt, quare miniſtrantes ſemper in officio adeſſe, eſt neceſſarium.* Si ergo Conimbricenſibus exprobraui, quòd in alienam meſſem falcem mittentes errauerint, quorſum mihi exprobras, quòd non poſſim eos in meam trahere ſententiam? Si hoc peruicacia non eſt, quid eſt peruicacia?

Ar. 3. phyſic. t. 18. 3 In ſecundo argumento differre ais nutritiuam facultatem à nutriente: ſicut enim (vt Ariſtoteles ait) *Motiuum eſt, eò quod poteſt, mouens autem, eò quod agit,* ſic nutritiuum, quod nutrire poteſt, nutriens, quod actu nutrit. Sed ex hac tua diſtinctione quid aliud potes colligere, niſi differentiam rationis, vt ſcilicet motiuum,

tiuum, & nutritiuum eo appelletur mouens, & nutriens, quod actu agit? nunquid propterea non poterit semper actu agere? Remanet quidem adhuc eadẽ, quæ priùs, difficultas. Nam licèt potentiæ liberæ possint aliquando non agere, & propterea intellectiuum v. g. poterit esse sine intelligente, in potentijs necessarijs, quales sunt naturales, inter quas est nutritio, non ita accidit: quare nutritiuum, & nutriens semper simul erunt. Hic te videbam iterum in eundem, inquem priùs, syllogozandi errorem incidisse: quippe, vt probares, animal non semper actu nutriri, rationem adhibes, quia nutritiua, & nutriens sunt diuersæ, at hoc erat, quod assumpseras probandum. Probas tamen, sed quomodo? ab exemplis; vera ne sunt exempla, & realia? imò partim falsa, partim inania: semina, & oua, ais, esse viuentia, & non nutriri; sub iudice lis est, an semen viuat: sed demus tibi, oua, & semina viuere, & vitã habere, nempè in actu primo, nam nullas adhuc edunt viuentis operationes: si ergo viuunt vitam, quæ non habet actu operationes, quomodo hoc exemplo probabis, viuentia omnia in actu secundo vitam habentia posse carere operationibus? Nutritio est actio viuentis, nempè viuentis, quod actiones habet, sed viuens in actu primo non habet operationes, non ergo indè rectè conficis argumentum. Adducis deindè plantas hyeme: has tamen iam superiùs tibi ostendi hyeme viuere, hyemeq; nutriri, licèt iuxtà radices magis, iuxtà truncum minùs, æstate verò è contra. Affers præterea bruta hyeme delitescentia, & Lucomoriæ populos hyberno tempore. Sed quænam impudentia est hæc? nos versamur in hac difficultate, & inquirimus, quomodo istorum aut alitio fiat non conspicua, vt omnes volunt, aut vita sine alitione, vt tu præter omnium sententiam vis, & tamen hæc eadem, de quibus soliciti sumus, tamquam manifesta pro exemplis proponis. An ignoras exemplorum præcipuam conditionem esse, vt de his constet apud omnes?

p.261. 4 Quoniam autem magnam vim facis in tua ista distinctione inter nutritiuam & nutrientem, aisq; & millies repetis, Aristotelem, quando dixit, *Nutritiuam igitur animam necesse est habere omne, quodcumq; viuit, & animam habet à generatione vsq; ad corruptionem*, intelligere de anima nutritiua, quæ est in potentia, non de nutriente, quæ est actu, quam optimè sciuisset proprio nomine dicere animam alentem, vt alibi, si eam in actu alendi sumere voluisset. Volo te ab hoc osse rodendo seuocare. Aristoteles alentem quidem animam appellauit, & ibi posset etiam nutritiuam dicere, quippe ait, *Quoniam autem sunt tria, quod alitur, & qua alitur, & alens: alens quidem est prima anima, et c.* Alentem dixit. quam, & nutritiuam poterat dicere: neq; enim ibi sermo erat de duratione eius, & cõtinuatione per totam vitam, sed de ea potentia, quæ alit, at quæ alit etiam dum alit, nutritiua est, neq; enim tunc cum alit, desinit esse nutritiua. Quòd si obijcias axioma Aristotelicum, nihil posse simul esse actu, & potentia, respondebo cum reuerendo patre Suares hoc non esse verum in actionibus vitalibus, sed in rebus merè naturalibus: quippe verum est, lapidem, aut animal non esse simul actù, & potentia, motum etiam quemlibet, vt actu esse incipit, desinere esse potentia; At in actionibus vitalibus non ita, sed potentia non excludit actum, nec actus potentiam, sic intellectiuum non desinit intellectiuum esse, quando actu intelligit; nec motiuum potentiam mouendi amittit, quando actu mouet. Quod si Aristoteles ait, *Motiuum est eo quod potest, mouens autem eo quod agit*, non exclusit mouens à motiuo tamquam duo incompossibilia, sed distinxit id, quod simul mouet, & potens est mouere, ab eo, quod potens est mouere, licèt actu non moueat: quæ distinctio rationis magis est, quàm realis: ergo quando dixit, calorẽ esse mansionẽ animæ nutritiuæ, nutritiuam dixit, nec exclusit nutrientem, si quidem ambo stare possunt: Sed dic mihi, quando Aristoteles alibi ait, *Vitam autem dicimus, quæ per ipsum* (scilicet corpus) *fit alitionem, augmẽtationem, diminutionem*, tunc definit ne vitam per potentiam nutriendi, an per actiones? at ego putabam *alitionem, augmentationem, diminutionem, actiones esse*: tu verò consule tuum Priscianum.

Ar. 3. de an. t. 59. Ar. 2. de an. t. 49. Ar. 3. physic. t. 18. Ar. 2. de vita et morte c. 4.

5 Redeo tamen ad Aristotelis sententiam, qui ait, nutritiuam animam esse vnicuiq; quod viuit à generatione vsq; ad corruptionem: tu nutritiuam accipis in potentia, non in actu; Sed si ita acciperet Aristoteles, frustra hoc suum placitum ab actionibus probaret. Inquit ergo, *Necesse est enim quod genitum est augmentum habere, & statum, & decrementum: hæc autem sine alimento est impossibile: necesse est igitur inesse nutritiuam potentiam in omnibus, quæ augmentantur, & diminuuntur*. Putas ne, hic sumi nutritiuam potentiam, prout excludit actum nutrien-

Ar. 3. de an. t. 59.

nutriendi? sit ita: augmentari, & diminui saltem actum significant, neq; enim dicit Philosophus augmentatiuum, & diminutiuum, *sed quæ augmentantur, & diminuuntur*: erit ergo augmentatio, & diminutio actu, nutritio verò non nisi in potentia; Sapit hoc tuam sapientiam.

6 Tu effugis, aisq; (hinc ego extraxi tertium argumentum) has tres actiones non probare continuitatem nutritionis: nam duæ ex ijs augmentatio, & diminutio, sunt interpollatæ, non iuges, & assiduæ. Ad hoc ego respondeo, falsum esse, eas, cum fiunt, fieri non iugiter, & exempla, quibus vteris, non te tueri: nã semina in horreo nec iugiter, nec non iugiter augentur: quia nempe non nutriuntur: non nutriuntur autem, quia non habent vitam in actu secundo, seu in actu exercito, quod iam superiùs inculcaui: similiter etiam oua extra ouiparam; stirpes autem hyeme secundùm radices augentur satis conspicuè, secundùm ramos autem, vt inconspicuè nutriuntur, sic inconspicuè augmentantur; corpora eorum, qui atrophia, aut quolibet morbo emaciante laborant, augentur, imò ex eorum manifesto augmento (vt supra diximus) Fernelius, & alij in suspicionẽ inciderunt, posse dari augmentum sine nutritione. Deinde licèt concedatur, duas ex his tribus actionibus esse interpollatas, non hinc concluditur, nutritionem interpollatim fieri; Nam Philosophus non accipit vnamquamq; actionũ seorsim, sed omnes tres collectiuè sumptas: omnes ergo tres ita sunt necessariæ, hoc est, nunquam animal potest esse in vita sine aliqua istarum, sit licèt hæc, aut illa interpollata (quod tamen solùm disputationis gratia, & ex hypothesi tibi concedo) omnes tamen efficiunt vnam nutritionem continuam: quippe animal semper habet vnam istarum, & nulla istarum potest esse absq; nutritione.

1 7 Quarto loco admittis, posse animal esse sine alimento, quod Aristotelem dixisse, ais, dum scilicet alimentum præparatur in ore, & dum fiunt tres coctiones, & tamen esse sine nutritione. Mendacio nititur hæc tua argumentatio, nã Philosophus loquitur de nutritiua anima, inquiens, *Nutritiuam igitur animam necesse est habere, &c.* non loquitur de alimento, & quamuis de alimento loqueretur, iam tibi dixi, id, quod non dum nutrit (ex oraculo magni Senis) esse, aut futurum alimentum, aut veluti alimentum, non autem verè alimentum.

1 Conib. de gen. et corr. l.1.c.5 q. 16. ar. 2. cõc. 1.

2 8 Ad quintũ, in quo niteris autoritate Auerrois, qui motum augmenti de initio ad finem componit ex pluribus motibus, & pluribus quietibus, respondeo, nihil nos cogere, vt in eius verba iuremus, cum potiores autores habeamus cõtrarium asserentes, quos Collegium Conimbricense citat, & sequitur, plures etiam alios Ruuius; quos breuitatis gratia prætereo: forsitan etiam Auerrous augmentationis motum accepit pro mutatione instantanea, qua introducitur in alimentum forma aliti, hæc enim cum fiat in instante, & inter quælibet duo instantia medium sit tempus, illud tempus appellabitur tempus quietis. Verumtamen impropria esset isthæc acceptio. quippe nutritio consideratur in extensione formæ in substantiam alimenti, quæ vniformiter difformiter, per indiuisibilia fit, vt infra demonstrabimus. Aristoteles non tibi fauet, imò si eius mentem percepisses, eiusq; verba intellexisses, caueres tibi, neq; in hoc Philosophi productorem, potiùs proditorem ageres. Probat ille id, quod in conclusione ipsius poteras reperire, sic enim habet, *Manifestum est igitur, quod non est necessariũ semper aliquid abire, quia diuiditur ipsa diminutio in infinita, sed totum aliquando abire.* Attulerat ad huius cõclusionis probationẽ tria exẽpla: gutta enim, quæ cauat lapidem, & caprificus, quæ lapidem scindit, non operantur ita, vt dimidiũ in dimidio tempore fiat, sed totum simul fieri dicitur, sicut etiam (& est tertium exemplum) plures homines trahentes nauim, efficiunt vnum impulsum. Hæc exempla infra ex professo declarabo. Tu autem ais, Aristotelem dixisse inter vnam, & alteram excauationem intercedere multum tempus, turpiter tamen, more solito mentiris: quippe Aristoteles ait, (positis tribus exemplis) *Nullum eorum est seorsim, sed simul*; licèt autem tibi admitterem (quod tamen non admitto) morulas istas, hoc est paruas quietes, malè argumentaris dicens, quiescunt exiguo spatio, ergo possunt quiescere longo tempore. Meliùs argumentaberis ita, non quiescunt, nisi breui spatio, ergo aliqua vis est, quæ cogit accelerare actionem promptissimè; quapropter hæc exigua mora promptitudinem ostendit altricis animæ nõ feriantis, sed suo muneri vigilanter incũbentis. Quòd si mora longior fuerit, quàm oportet, & nutritiua sui muneris oblita opus deserat, id fiet cum animalis pernicie: quare nutritiuæ facultati, seu altrici animæ, dum ferias tribuis,

2 Ruu. de gen. et corr. l. 1:c.5. tr. de augm. q. 3. n. 27.

ĩfra q. 2. ar. 3. coroll. 2. n. 4. Ar. declarantur.

Infra eodem loco.

☞ *p.260.*

inferias

inferias paras; Cur autem nutritiua non possit in ocio perdurare, tibi infra demonstrabo. *Infra*

9 Interim quia Aristoteles semel dixit, omnem motum esse continuum, iterum verò accretionis, & decretionis motum continuum esse negauit, à contradictione est liberandus, quod nos facturos promisimus. Motus aut consideratur, vt est à mouente, aut vt est in mobili: à mouente potest interruptus esse, quia mouens ad vnam motionem potest plures impulsus adhibere, possunt etiam simul esse plures mouentes, & ad vnum motum concurrentes: in mobili, si motus vnus est, hoc est, ad vnum terminum, continuus est, mobili tamen permanente eodem: nam si animal cadat à turri, & in medio aere pereat, motus duo fiunt mutatione mobilis. Hanc distinctionem nullo modo meliùs demonstrabo, quàm Aristotelicis exemplis; Sic plures guttæ sunt, quæ plures ictus adhibent ad excauandum saxum, sed excauatio vna duntaxat est: sic plures conatus adhibet caprificus ad scindendum lapidem, scissio tamen est vna sola: sic plures homines nauem impellunt, impulsus tamen fit vnus totalis ex multis partialibus. Similiter ergo ex pluribus particulis alimenti, formam aliti inducentibus, fit vna alitio. Aristoteli autem satis erat ostendere, mouentes diuisim agere, vt conuinceret eos, qui existimabant, omnia, & semper in continuo motu esse. Plures hic latent theoriæ, à quibus (quoniam ad rem nostram non faciunt) libèns supersedeo. *Liberatur Ari. a cõtradictione.*

10 Sextum argumentum inscitiam tuam prodit: siquidē confundis potentias liberas cum necessarijs, quas naturales appellant medici. Nunquid quoniam potentia visiua, quæ animalis est, & subinde libera (liberum, & animale Galenus dicit ad conuertentiam) quoniam, inquam, visiua potentia per somnum ociatur, similiter nutritiua per ocium dormit? Sed tu aduersùs te ipsum, more solito, Aristotelem, quem citas, habes. Ait ille: *Aluntur, & viuunt semper, quousq; possunt accipere alimentum*. Tu autem notas, eum non dixisse *quousq; actu accipiunt alimentum, & eo actu fruuntur*. Sententia Philosophi optima est: notatio verò tua fatua, ne dicam falsa. Insinuans ille continuitatem alitionis, à qua tu abhorres, inquit, *Aluntur, & viuunt semper, quousq; possunt accipere alimentum*: nam cum ampliùs non possunt *accipere alimentum*, non possunt subinde materiam alitioni suggerere, & sic abrumpitur alitio, cuius abruptione vita deficit: ideo dixit *aluntur, & viuunt*: hæc enim duo pariter eunt. Non poterat autem dicere, vt tu putas, *quousq; actu accipiunt alimentum*, nam hoc solis plantis, fortasse etiam conchylijs conueniret: animalia verò perfecta aluntur, & viuunt, etiam quando actu non accipiunt alimentum, hoc est, non vescuntur. Subdolè etiam tu adiungis; *& eo actu fruuntur*. Non loquitur Philosophus de fruitione, sed de acceptione alimenti, quæ, licèt interpollata sit, producit tamen ex se iugem fruitionem, nempe iugem alitionem. Sed tu interdum per ignorantiam, interdum per fraudem velum semper veritati obducis. *Ar. optima explic.*

11 Statum bifariam diuidis, vnum, ais, esse motum consistentiæ, alterum priuationem motus augmenti, & decrementi; Ex his duobus membris, primum est ridiculum: appellas enim motum consistentiæ, quasi dicas, sapientiam stultitiæ: consistentia quies est, erit ergo, iuxtà hanc loquutionem, motus quietis; nihilominus ab hac stultitia te eximere conaris, sed (quod tibi infaustum est) in deteriorem laberis, inquiens, est motus, quia est conuersio alimenti in substantiam corporis viuentis, est etiam status, & consistentia: quia per eum viuens nõ mutat suæ magnitudinis terminos. At ò grammatice, hoc non est dicere motũ consistentiæ, sed in vno, & eodem tempore secundùm diuersas rationes dari statum consistentiamuè, & simul motum. De hoc ergo statu consistentiæ dicis loquutum Aristotelem, quando solius accretionis, & decretionis mentionem fecit: optimè quidem; quando loquutus est de hoc statu consistentiæ (inquiens aluntur, & viuunt) de hoc statu mentionem nullam fecit, sed solius augmenti, & decrementi. Rationem tamen reddis, quia non est necessarium viuentia, dũ non augentur, neq; minuuntur, absolutè nutriri, & tantumdem substantiæ corporeæ sibi ex alimento conparare; quantum vi caloris, & aliæ cuiusuis causæ consumentis amiserit, ideò magister in vltimo theoremate non meminit huiusmodi vllius status. Quis hoc ferat? nempe, quia corpus neq; augetur, neq; minuitur, quamuis substantiam vi caloris amittat, cum non sit reparanda maior, aut minor, nõ est necessarium parem comparare. Ætatē ergo consistendi nõ necessa- *Ridiculũ.* ★

riam esse fateris. Deinde, magis necessarias esse supponis accretionem, & decretionem, quàm nutritionem, & necessarium esse acquiri plus substantiæ, quàm fuit deperditum, vt fit per augmentationem, aut minus, vt fit per decretionem, non autem necessarium esse acquiri tantumdem. Deniq; admittis deperditionem substantiæ; negas eiusdem reparationem, nisi vltrà, aut citrà deperditionis terminos euadat.

12 Alter status (in quis tu) est priuatio augmenti, & decrementi, ac etiam nutricationis; Iste secundus status ferè coincidit cum priore, nisi quòd in illo nutritionem, ais, non esse necessariam, in hoc eam omnino tollis: utrobiq; perperã: quippe naturæ genium defraudas, & quod Battheo in Cælesyria frequenter à cibo abstinenti, accidit, accidere multo magis poterit ei, qui semper à cibo abstineat, nempe vt dentibus vermiculi scaturiant. *Sozomeni⁹ li. 6. c. 34.*

Ratione animæ non potest interrumpi nutritio. Articulus Sextus.

Cõtra id quod l. 3. de his qui sine al. c. 17. DEcreueram congeriem sophismatum (sic librum de his, qui sine alimento viuunt, appellari audiui) prorsus silẽtio damnare: quippe vnum quodq; eorum obuiam habet responsionem, nolo tamen vt tuis pueris per iactantiam dicas, ideò fuisse omissa, quia indissolubilia sunt: Ais ergo, ex parte animæ, seu ratione animæ nutricationem intermittere posse, & statim fateris hanc functionẽ vegetantis animæ, inter alias operationes, ad vitæ custodiam, maximè necessariam iure censeri: & adiungis, ea tamen, vel ad multum temporis sublata, non esse propterea necessarium, animam è corporis consortio seiungi, & vitam finiri: ergo apud te nutritio & est maximè necessaria ad vitæ custodiam, & ea sublata, non propterea vita finitur. At si logicos, cum quibus videris dissidium habere, consuleres, docerent te, maximè necessarium esse id, quod illi appellant necessarium ad esse: nam necessarium ad bene esse est minùs præcipuè necessarium; si igitur est maximè necessaria nutritio ad vitæ custodiam, est necessaria ad esse, hoc est, sine illa vitæ custodia nõ constat. Cur igitur addis ea sublata nõ auferri vitam? *Satyr⁹ nescit logicã.*

2 Argumentaris deinde sic. *Quæuis functio sua causa effectrice posterior est, prius autem sine suo posteriore esse non potest; Cum ergo nutritio fiat ab anima, poterit anima sine nutritione consistere.* At hæc tua argumentatio non distinguit inter prius tẽpore, & prius natura, quæ distinctio philosophiæ tyronibus est nota. Distinguamus nos, & dicamus, causam priorem suo effectu esse tempore, non semper esse verum, priorem autem esse ordine naturæ, veritatem continet: causa namq; quæ proprijssimè est causa, nempe causa continens, ea est, qua posita statim ponitur effectus, & qua sublata aufertur: neq; necessitas cogit reperiri in omni causa prioritatem temporis, licèt cogat reperiri prioritatem naturæ.

3 Sic propositio tua castigatione indiget, potiùs tu qui eam profers. Assumptio eodem vitio laborat: ais namq; animam esse causam nutritionis: distingue sodes, & animam per se solam, negato, animam cum corpore concedito. Quando autem apud Aristotelem legis, animam esse, quæ alit, legito superiùs non debere dicere animam irasci, aut misereri, quæ sunt functiones magis immateriales, quàm sit nutritio, & hanc materialem omnes appellant. Non ne nutritio est actio? at actiones sunt suppositorum, quod axioma à theologis, & philosophis receptum, & sacris concilijs approbatum, si non receperis anatema esto. Iam ergo patet falsitas tuæ argumentationis. An verò anima sit de numero causarum, quæ antecedunt tempore suos effectus, & quantum hæc antecessio tibi possit fauere inferiùs explicabo. Interim teneto, sensationẽ, ex Aristotele, neq; solius animæ esse, neq; solius corporis, quod de nutritione multo meliùs dici debet. *Ar. 2. de an. t. 49. Ar. 1. de an. t. 64* *de sõn. & vig.*

★ 4 Adiungis animam nõ dependere à nutritionis munere, sed vicissim (voluisti dicere vicẽ versa: nam vicissitudo reciprocationem significat.) cum ergo res independentes diutiùs valeant sine alijs consistere, poterit anima, quæ independens est, diu consistere sine alijs. Admoneo te, vt expungas illud [*diu*] nam cum eo enthimema erit falsum, siquidem aliquid ponis in consequente, quod non est in antecedente hoc modo, Id, quod independens est, potest absq; alijs consistere, ergo anima, quæ est independens, poterit diu absq; alijs consistere. Nunquid necesse est, vt quod potest sine alio consistere, possit diu consistere sine alio? Vi-

ctima

ctima in sacrificio (vt narrat Galenus) potuit exempto corde respirare, clamare, currere, quæ sunt operationes viuentis, at non potuit diù in eo statu consistere; Apoplexia forti correptus potest sine sensu, & motu in vita consistere, at non potest sic diù viuere.

5 Sit ergo anima indepēdens à nutritione, sit causa effectrix suo effectu prior tempore: vtrumq; tibi gratis concedo. Attamen superiùs, in responsione ad primum argumentum, tibi dixi, licèt concedamus, priùs animam introduci, & posteà incipere nutritionem, illud posteà importare breuissimam morulam, ex qua non potest confici argumentum ad inducendum ocium diuturnum. Imò potiùs argumentū in te sic retorqueo: Morula fuit exigua, quia, cum primùm cœpit substantia dissipari, necessariò accessit restauratio, hoc est, nutritio, ergo cum deinceps dissipatio fit continua, erit similiter continua nutritio: & cum dissipatio nunquam cesset, nunquam nutritio cessabit. Quòd ex continua dissipatione nascatur continua alimenti necessitas, Galenus animaduertit, qui corpus adamantinum oportere esse, insinuat, vt careat necessitate alitionis. Si ergo est continua alendi necessitas, nouerca fuisset natura, & in necessarijs deesse putaretur, si nutritionis muneri continuitatem denegaret. G. sani.tuē d. c.4.

6 Progrederis inquiens, nutritionem esse actionem, & subinde negocium, sed negocium debet esse proportionatum viribus quoad durationem. Ego verò tibi admittam etiam quoad omnia; quid inde? nempe posse hominem per diem integrum ambulare, biduo, aut triduo non posse consumptis diuturna operatione spiritibus, fatiscentibusq; ideò viribus: at verò iacere, & ociari ad plures menses valet in diuturna quiete nullam penitus iacturam sentiens. His præhabitis, sic concludis. *Cum ergo nihil penitus intersit animam per biduum à nutricatione feriari, haud certè neq; per multos menses, & annos, cum ad huiusmodi ocium nullis vtatur viribus.*

7 Priorem huius tuæ ratiocinationis partem, in qua inertiam videris laudare, quæ nullo fit virium dispendio, parasitus in scena celebrabit, posteriorem, in qua abstinentiam commendas, quippe cum ea vitam perdurare posse censes, exibilabit. Si saltem dixisses comedendo fatigari, vt dicis fatigari nutriendo seipsum, vtiq; tolerabile foret: quippe comestio maxillarum fit motu, & propterea veluti omnes alij motus, qui musculorum ope fiunt, laborem affert: musculorum enim motiones membrum in suo situ naturali quiescere non sinunt, in quam rem legendus est Galenus, qui eos decubitus non inferre laborem, ait, in quibus musculi ociantur, sic decubitum supinum quærunt defessi, aut ebrij, aut debiles, quia in hoc musculi non fatigantur, vnde cadauera, quæ suum duntaxat sequuntur pondus, in latus non decumbunt, sed supina, pronauè concidunt & maxillarum media figura non valdè aperto, nec valdè clauso ore commendatur ijs, qui maxillæ luxationem patiuntur. Itaq; motus arbitrarij, quorum instrumenta sunt musculi, fatigant, actiones verò naturales, quarum instrumentum calor naturalis est, tantum abest, vt fatigationem afferant, quin potiùs afferunt vigorem. Hoc Galenus expressè tradit, inquiens. *Calor naturalis nutrimentum ad se ipsum trahit, materiamq; gubernat, apponens, agglutinans, assimilans:* quod idē est, ac si dixisset *nutriens:* quippe nutritioni (vt inferiùs dicemus) tres actiones inseruiunt, appositio, agglutinatio, assimilatio. Si ergo calor naturalis nutricationem peragit, si inuicem calorem naturalem nutricatio roborat, manifestum est ex actione nutricationis factæ per calorem innatum, vt per instrumētum, robur, non fatigationem afferri. G 2. de motu musc. c.4. Gu. de mar. c. 3. īfra q. 8. nu. 11.

8 Cæterùm cum dicam, nutricationem, quæ est actio, non fatigare, iure fateri teneor non fatigari facultatem, à qua procedit isthæc actio, in quo mihi videor esse contrarius, qui dixi in senectute facultates naturales esse debiliores, quàm anteà. Sunt quidem redditæ debiliores, sed non ob fatigationem in agendo, verùm ob aliam causam: cum enim naturales hæ facultates sint materiales, insunt non animæ duntaxat, sed toti composito: dicūtur autem animæ à nobiliore parte denominationem assumentes quod infra dicemus; pars autem altera, quæ est corpus ob defectum humidi substantifici, multum de suo vigore deperdit; par enim est, vt debili facta subiecti, in quo facultas inest, parte aliqua, debilis etiam fiat ipsa facultas; quòd autem facultates istæ, de quibus loquimur, sint materiales, & insint toti composito, ex eo patet, quòd anima, cū separatur, non eas secū defert, sicut defert alias, quæ immateriales dicuntur, vt intellectum, voluntatē, īfra q. 10. ar. 2. n. 2.

memoriam

memoriam intellectiuã. Sic euanescit tua ratiocinatio sumpta à comparatione inter negociũ,& ocium, in qua admiror tuam logicã: ais namq; in negocio non posse hominem diù consistere, in ocio autem posse, tunc infers, ergo cum anima possit per biduum à nutricatione feriari, poterit per multos menses. Quasi dicas negocium est breue, ocium verò longum, ergo cum ocium nutricationis sit breue, poterit etiam esse longum; Damnaui te priùs, quia posuisti aliquid in consequente, quod non erat in antecedente: in hac ponis aliquid in antecedente (nempe negocium) quod non est in consequente: Et sic peccat in materia, & in forma.

Satyr. absurdũ in logica.

9 Vlteriùs sic argumentaris. Cuiq; agenti perfectio est propria operatio, cum autem nobilior sit rationalis anima, & perfectioris naturæ, quàm sit vegetabilis, cumq; rationalis hæc nobilior ab actione cesset, cessare etiam debet vegetabilis ignobilior. Etiam hæc argumentatio vitiosa est: quippe mutat terminos, & ab intensione procedit ad extensionem: ais namq;, perfectionem agentis esse propriam eius operationem: hinc quid aliud posses concludere, quàm perfectioris agentis perfectiorem esse operationem? siquidem id, quod perfectius est potentià, perfectius etiam actu esse debet. Sed tu conuerteris ad extensionem perfectionis, & dicis perfectioris agentis operationem debere esse magis durabilem, magisq; continuam, quod tamen falsum esse, in alia quauis operatione addisces: nam perfectior est homo, quàm planta, at actio comedendi in homine est interpollata, in planta est continua.

Error Sat. in logica.

10 Deinde in hac quoq; maiore propositione distinctionem desidero, qua tu, si scires vti, videres totius argumenti fabricam ad terram ruere. Est ergo actio quædam immanẽs, quædam verò transiens: immanens cũ terminum suum intus habeat, perfectionẽ suo agenti tribuit, licèt extrinsecam: transiens autem vel aliquam vtilitatem suæ potentiæ affert, vel nullam, si nullam affert, potest ociari sine potentiæ detrimento, si aliquam, quoties ociatur, potentiæ suæ nocet. Cùm igitur sensationes nullam conferant sensibili potentiæ vtilitatem (quippe visiua potentia. v. g. ociante visione, suum esse conseruat) possunt esse in ocio, neq; propterea potentiã damnum aliquod pati; cum verò nutritio conferat suæ potentię commodum (nam in nutritione consistit viuẽs, quod est subiectum denominans nutritiuam potentiam) non potest nutriendi actio cessare, quin viuens patiatur, ac proinde patiatur simul nutritiua, quæ in viuente subiectatur.

11 Est ista tua argumẽtatio mera terminorum confusio: in primis perfectiorem, & nobiliorem simul misces, sunt autem res diuersæ: quòd simul vtramq; confundas, patet: siquidem ais, rationalem animam nobiliorem esse, & perfectioris naturæ, quàm sit vegetabilis. Non ne potest aliquid in suo genere perfectius esse, & tamen ignobilius alio? potest quidem: nam qui imperfectè videt, perfectè potest concoquere, atq; ita nobilior potentia erit imperfecta, minùs nobilis, perfecta. De hoc autem pluradicam inferius.

ifra ar. sequẽt.

12 Alia confusio: nobile confundis cum necessario, differunt tamen toto cœlo: quandoquidem, res præstantioris naturæ potest esse minùs necessaria, quàm alia minùs præstans. In sensibus hoc reperies: nam visus nobilior est tactu, quippe visio fit ad distans, & mediante lumine per species, veluti intellectus, tactus verò non nisi per realem obiecti applicationem: visus elemento ignis correspondet, tactus terræ, & tamen tactus longè magis necessarius est ad vitam, quàm visio.

13 Præterea quod tu appellas ociari, & tamquam defectum, nobiliore potentia indignum nobis proponis, appellant omnes liberè agere, & ad nobilitatem potentiæ referunt: vt scilicet nobilioris potentiæ sit actio libera, quæ cessare potest ad libitum, ignobilioris verò actio necessaria, quæ non potest abesse sine sui subiecti corruptione. Sed quis dubitat longè præstantiorem esse in agendo libertatem, quàm necessitatem? Deserere hic Aristotelem parumper oportet, si verum est, ab eo fuisse dictum, Deum agere ex necessitate naturæ, quod tamen non constat apud omnes. Auerrous namq; inter alios in suis destructionibus negat, Aristotelem ita sensisse. Quare cum nemo tibi dicat, actiones animæ sensitiuæ esse necessarias, non potest ex his actionibus inferre, quicquid agit, licèt necessariò agat, habere interruptionem suæ actionis. Tu, qui nutricationem dicis esse omnino necessariam ad vitæ custodiam, cogeris explicare, quomodo cum hac necessitate agendi possit conuenire actionis cessatio.

14 Accedo ad exempla actionum, quæ cessare ais: præfabor priùs, non esse

agendum de intellectione, quod iam sæpius inculcaui: nam est actio procedens à potentia immateriali, nec pertinet ad nostrum institutum. Putas ne, pueros non habere sensationes sensuum internorum? At sic pueri brutis essent imperfectissimis imperfectiores. Habent potentias, formant phantasmata, sed confusa admodum propter defectum experimentalis scientiæ, qua omnino carent. Hic citas Aristotelem, qui sensitricem in vtero plures menses feriari dixit. *Si tibi dens caderet quoties mendacia dicis, Iam tua non possent viscera pane frui.* Nihil, quod ad tuam rem faciat, reperitur apud Aristotelem. 7.phys. t.20.

15 Fatui, inciuiles, & agrestes, quos tu putas actione etiam omnis rationalis potentiæ carere, in te insurgunt; habent quippe actionem, tametsi deprauatam. An nescis tripliciter actionem lædi, *vel cum minuitur, vel cum aufertur, vel cum deprauatur?* consule Galenum de symptomatum defferentijs: actio deprauata, quæ in fatuis, phreniticis, & similibus apparet, actio est. Hæ tamen omnes, cum ad sensitiuam animam spectent, possent quidem cessare, nec proinde liceret tibi inferre, idem accidere in actionibus animæ vegetatiuæ. Imò & in ipsa anima vegetabili, quid prohibet, quasdam actiones ità à natura institutas esse, vt fiant ad tempus, siquidem in his vita non consistit, alias semper, vt pote quæ vitæ fundamentum sunt? Augmentatio non est summè necessaria ad vitæ custodiam, vt tu de nutritione dicis; neq; Aristoteles dixit, tandiù viuimus, quandiù augmentamur. Saltem hoc certum est, quandiù augmentamur, nutriri simul, & postea cum iam ad vltimum augmenti peruentum est, & vltra augendi ætatem adhuc si nutritio cesset cessare ilicò, & vitam, quod Comes Vgolinus, si rediuiuus foret, tibi posset testari. Generatio non semper fit, quia est actio in alio, nec semper mas, & fœmina simul sunt: si tamen vis aliquid, quod generationis vicem gerens per totam vitam perduret, do tibi aggenerationem, quæ est partium generatio, nempe alio nomine nutritio, quam vt recipias, scito, controuersiam esse apud autores, an nutritio, augmentatio, & generatio sint vna & eadem actio; ego iam tibi (quod faciebat ad institutum) ostendi, augmentationem, & nutritionem esse vnam, & eandem: de generatione idem statuito, & ad huius rei complementum autores perlegito: neq; enim vbiq; omnia tractare possumus. *Comes Vgolinus.*

16 Pergis argumentum ducere à formis inanimatorum ad formas viuentium: num quia rheubarbarum, dum in pixide seruatur, non purgat bilem, ideo anima hominis, quam tu dicis in corpore, tamquam in vase seruari, non fungitur munere nutritionis? ignem, dicis, posse non calefacere: da mihi quæso ignem, à quo saltem vicinus aer non in calescat: hebetari ne vnquam ignem vidisti, ità vt agere desinat? Adiungis *Dependere ab alimento, & nutricatione, vt diù ab his vacare, absoluiq; non possit, animæ haud minus laboriosum est, quàm corpori commistum esse non potens absolui.* Hic tuæ dementiæ cumulum addidisti. Sit ita: laboriosum sit animæ, non posse esse sine alimento, quemadmodum laboriosum est, esse corpori adiunctam, nec posse ab eo solui. At nihilominus animam voluit natura hunc laborem pati, nec posse à corpore solui, quin totum dissoluatur; hoc naturæ imperium exequitur anima, cur non exequetur & aliud, nempe non posse esse sine nutrimento? quanto magis, o' Philosophe (mentior) nec laboriosum est animæ esse corpori commistam, nec laboriosum, nutritione vti, hoc iam superiùs satis diximus; Quod etiam addis de seminibus, & ouis, non est, cur iterum pertractetur. *Offendit miserum crambe repetita magistrum.* *adagiũ*

Non posse nutritionem ociari ratione corporis.
Articulus Septimus.

Antipodum in morem aduersis vestigijs contra tua vestigia libet assistere, & quæ singulis capitibus scribis, eodem, quo tu ordine posuisti (si ordo vocãdus est) eadem refellere. Egisti de nutritionis interruptione, ratione animæ, agis postea de eadem, corporis respectu: Sic incipis. *Nutricatio corpori deseruit non nisi vel ad incrementum, vel ad instaurationem (vt vulgo dicitur) eius substantiæ, quæ iugiter effluit,* (timuisti dicere quod vno verbo poteras, ad nutritionem) *vel ad perfectionem viuẽtis accidentalem, hoc etenim, vt quodcumq; agens, perficitur actione sua: modo his de causis, neq simul iunctis, neq; seorsum acceptis, fieri potest, vt corpus diù viuere nequeat sine alendi functione.* Hac habita præfatione polliceris, te singulas *Cõtra id qd l. 3. de bis qui sine al. c. 18.*

gulas

gulas ſeorſim contemplaturum. Putabam hæc ordine fore pertractanda, quęſiui, & non inueni, cogor propterea tecum inordinatè progredi.

2 Itaq; hæc eſt tua prima ratio. *Corpus non maiorem perfectionem ſortitur à nutritione, quàm anima, imò longè minorem: quandoanima eſt principium agens, idq; præcipuum* (principium agendi diceres potiùs, nam principium, vt principium, non agit) *cum ergo anima diù carere poſſit huiuſmodi perfectione, vt nuper oſtendimus, multo magis idipſum corpori contingere poteſt.* In hac tua argumentatione continetur elenchus valdè deceptorius nempe à coniunctis ad ſeparata; ac ſi diceremus, pater tuus fuit bonus barbitonſor, ergo fuit bonus: At id, quod conuenit toti, prout totum eſt, non cõuenit partibus per ſe ipſas ſeorſim conſideratis; conuenit toti homini compoſito ex materia, & forma riſibilẽ eſſe, imò ſi mauis etiam ridere non tamen materia per ſe ipſam cõſiderata, aut forma riſibilis dicitur, nec ridere. Si ergo quia viuens perficitur nutritionis perpetuitate, anima ſeorſim eadem perpetuitate perficitur, etiam quia viuens nutritione alitur, dicetur ali anima.

[*Logicalis err. Satyri nempe elench⁹ à coniunctis ad ſeparata.*]

3 Conficis argumentum à maiore ad minus. *Si anima, quæ eſt præcipua, non ſumit perfectionem hanc ab alimento, multo minus percipiet corpus.* Probas animam non ſuſcipere perfectionem à nutritione: quoniam iàm id ſuperiùs probaſti: Hoc autẽ quàm feliciter tibi ſucceſſerit vnuſquiſq; qui noſtras redargutiones legerit, iudicabit. Deinde cum neceſſariam nutritionem appelles perfectionem, memineris, te paulò ante, in fine præcedentis capitis dixiſſe, laborioſum eſſe animæ dependere ab alimento, & à nutritione, ita vt ab ea vacare nequeat: at perfectio res grata eſt, non laborioſa; inſuper dixiſti, hanc continuam nutritionem eſſe laborem fugiendum animæ, at perfectio appetenda, proſequendaq; eſt, non fugienda.

[*Cõtradictio.*]

4 Sumis alterum argumentum à generatione, aiſq; *Amplius rationi conſonum eſt, corpus ſi à vitæ functionibus perfectionem ſortitur, à dignioribus maiorem perfectionis gradum adipiſci; cum ergo cunctarum functionum vegetalium propagatio ſobolis ſit omnium perfectiſſima quippe in eam, velut in finem, nutricatio, & augumentatio ab Ariſtotele redigi viſa eſt, dudum, & vulgo perfectiſſimum opus prædicetur; certè magis à generatione ſobolis, quàm à nutricatione perficietur corpus. Aut verò, quòd impunè totam vitam ad multos annos generandi perfectione carere poteſt, qua lege aliquot menſes, & annos minori alimoniæ perfectione idem corpus carere nequibit?* Hæc tua bella argumentatio bella latinitate confecta, in qua præter cætera ais, cum viſa eſt, & prædicetur, vt in eadem oratione *cum* præpoſitio duos modos ſimul poſtulare velis. Hoc volui annotare, vt aliqua ex parte tuam ſequar grammaticalem ſcrupuloſitatem: Ad rem venio, & ad memoriam tibi reuoco, iam ſupra eſſe relatum, cur non debeat duci argumentum à generatione ad nutricationem: nã tàm in hac, quàm in illa diuerſa militat ratio, diuerſitas autẽ rationis diuerſitatem facit reſolutionis. Generatio tendit in conſeruationem ſpeciei, & proptereà in ſpecie continua eſt, ac minimè interrupta, vnde Ariſtoteles. *Propterea quòd huius corruptio alterius eſt generatio, & huius generatio alterius corruptio, inceſſabilem neceſſe eſt tranſmutationem eſſe.* Vides, vt Philoſophus generationẽ tranſmutationis inceſſabilis nomine donauerit. Igitur cum generatio reſpiciat ſpeciei conſeruationem, inſtituit natura, vt generationum ſeries nunquam intermittatur, ſed conſequentia quadam perpetuetur, ideo materiam ea lege aſtrinxit, vt abeuntium, & ſuccedentium formarum viciſſitudinem in ſe recipiat, neq; vnam dimittat, quin aliam aſciſcat. Eodem modo nutritio, quæ, vt generatio ſpeciei, ſic illa indiuidui cuſtodiam reſpicit, rurſus ſicut generatio in ſpecie permanentiã, ſic illa in indiuiduo eandem conſeruat.

[*Ar. 2. de an. t. 49.* ★ *Ar. 1. gen. & corr. t. 17.*]

5 Addo etiam, non eam perfectionem, quæ conuenit ignobili, neceſſariò magis nobili conuenire debere: nam vnum quodq; in ſuo genere ſuam habet perfectionem. Plurima huius rei tibi exempla afferre poſſem, accipe tamen vnũ, quod tibi ſit inſtar multorum. Perfectio viuentis, ex Ariſtotele, eſt facere aliud ſibi ſimile, viuẽtibus ignobilioribus hæc perfectio conuenit, nũ propterea conueniet nobilioribus, vt Angelis, & Deo? At tu forſan, qui deum viuere negaſti, hanc rationem non recipis, reſipiſces tamen ab hac hæreſi, cum tibi ſuo loco eius falſitatem oſtendam. Interim Angelo intellectiuam vitam ſi negaueris, ſtultus es; vita intellectiua nobilior eſt in angelo, quàm in homine: at in homine, quatenus viuens eſt, perfectio eſt poſſe generare, nec proptereà hæc perfectio conuenit etiam Angelo.

[*Ar. 2. de an. t. 34. Infra ſect. 3. q. 23. nu. 7.*]

6 Deinde

6 Deinde perfectũ in qualibet re est eiusdẽ supremũ: at quod est in minùs nobili, hoc est, in inferiore, supremũ, hoc est, perfectũ, est in magis nobili, seu in superiore, infimum, hoc est, nõ perfectũ, quod axioma Dionisij Areopagitæ nobis confirmat *Supremum infimi attingit infimũ supremi.* Iam ergo hinc non deduces, perfectiones ignobilium necessariò reperiri in ijs, quæ sunt nobiliora.

7 Tãdẽ cõcludamus (medica isthęc est disputatio) indiuiduũ cõseruãdi studiũ nobis inest: cõseruatur per nutritionẽ, hæc si interrũpatur, conseruationẽ quoq; abrũpi necesse est. Viuentis conseruatio cum abrũpitur, mors aduenit, à qua naturaliter non datur regressus: cum abrumpitur, inquio, non cum minuitur.

8 Præter hæc, ais adhuc. *Re vera corpus in vitæ operationibus, nõ subit vices agentis, sed potiùs patiẽtis: agens etenim præcipuũ est anima, instrumẽtale calor innatus; adæquatũ (quod appellant) totũ viuens ex anima, & corpore cõstitutũ. Quare corpus solũ ex se, vt capax non est perfectionis agenti congruæ, sic ea perfectione potest, imò debet diu, semperq; carere; non ergo corpori necessaria est nutricatio, ad perfectionẽ & complementũ accidentale.* Vide quàm titubes in hac argumẽtatione. Dicis primò, corpus in vitę operationib⁹ non subire vicẽ agentis, sed patientis: & post pauca ais, agens adæquatum esse totũ viuens ex anima, & corpore constitutũ. Dic ergo mihi, quando totũ viuens ex anima, & corpore constitutũ agit, partes, ex quibus est cõstitutũ, quomodo se habẽt? patitur ne tunc ea pars, quæ corpus est? Ne mihi dicas, vnam partẽ, nẽpe animã, agere, alteram, nẽpe corpus, pati, nam totum non est vna tantùm pars; Iàm ergo in vna, & eadẽ argumentatione tibi cõtradicis. Deinde cũ dicas, animã esse præcipuũ agens, da mihi agens minùs præcipuum: certè illud non est totũ viuens, insanientis .n. esset dicere, partẽ magis præcipuè agerẽ, quàm illud totũ, cuius ea est pars: nõ reperies agens minùs præcipuũ, nisi corpus: iam ergo tibi iterum contradicis, cum inquis, corpus non agere, sed pati. Tertio cũ ais, corpus ex se nõ esse capax perfectionis agẽti congruę: accipis corpus ex se, hoc est, nõ prout constituit suũ totum: sed ratio exigit, vt eodẽ modo accipias animam, nẽpe ex se, non prout cõponit totũ; Tunc quæro à te, anima ne secundùm se, & non prout cõstituit totũ, est agens pręcipuũ nutritionis? necessariò admittes: ergo actio nutriẽdi cõueniet animæ separatæ, quicquid enim habet anima ex se, & non prout informat cõpositũ, defert secũ, quando separatur. Demũ fatua est cõclusio, nẽpe corpus nõ esse capax perfectionis agenti cõgruæ, & sic ea perfectione posse, imò debere diu, sẽperq; carere. Quænã est isthæc perfectio? nẽpe continuitas nutritionis; Cur huius cõtinuitatis non est capax corpus? quia nec est capax actionis, hoc est, nutricationis; si ergo est incapax huius perfectionis, sẽper ea carebit. Cur autẽ *diu* addidisti? nã si *diu* ergo tandẽ aliquando non; si aliquãdo non, ergo non sẽper: nã *diu* terminũ importat ante quàm res finiatur, *semper* vsq; ad finẽ porrigitur. Sed tu forsan vis dicere *diu, sẽperq;* hoc est, diu sine intermissione; verùm si diu perfectio durat, & tandẽ cessat, quomodo aliquãdo redibit? quis nã igitur corpus faciet aliquando capax? quid nisi deliramẽta poteris respõdere, & cõuerti ad adagia, ad fabulas, ad conuitia, & ad sententias per indices librorum conquisitas?

Cõtradictio.

Cõtradictio.

9 Plura cõgeris indigna respõsione. Redis ad semina, & quæ, quę sunt viuẽtia, & non nutriũtur. Sed iã diximus, actionẽ non cõuenire viuẽtibus in actu primo, sed in actu secundo, qui secund⁹ actus per actiones definitur. Augmẽtũ nos videre, ais, varijs de causis ante seniũ impediri; ne dicas nos videre, quod tu solus, forsitan sõmians vidisti. Iã tibi dixi adolescẽtes morbis emaciantib⁹ laborantes, nihilominus augeri, quo exẽplo vtitur cũ Fernelio Peramatus, vt probet dari augmentũ etiã in defectu nutritionis. Adiungis, homines viuere in ætate decremẽti, quibus deperdita substantia nõ instauratur verè, cũ longè maius sit id, quod è corpore diffluit, quàm quod alimentorũ vsu corpori affluit. Dicis maius esse, quod diffluit, Galenus non diceret maius, sed magis: quippe senilis ætatis decrementũ ad siccitatem refert, non ad molẽ corporis: propterea superiùs dixi, senes non decrescere secundùm corporis molem, sed secundùm humidum substantificum.

10 Cæterùm in præsente tibi, disputationis gratia, admitto, senes magis deperdere, quàm reponant, nunquid iccirco dicere tibi licebit, minus acquiritur, quàm fuit deperditum, ergo nihil acquiritur? Tu per numeros procedens supponis, corpus decrescere, vt quatuor, restaurari verò, vt tria, tunc infers, ad multos menses, & annos absq; nutricationis interuentu, nulloq; accedente in locum deperditi, viuere poterunt, quibus quotidiè substantia effluit, vt vnum; Ita ne ais? & putas, tres illos gradus, qui acquiruntur, & vnum, qui deperditur quotidie, esse sensibiles? scias tamen sicut in augmento, in quo, homo (vt Horatiana loquutione

vtar) *crescit occulto, velut arbor, æuo*, insensibile est, quod acquiritur, sic in decremento sensim sine sensu deperditio fit, *tacitisq; senescimus annis*, vt Ouidius ait. Igitur ille vnus gradus insensibilis, qui quotidie deperditur, nos insensibiliter ducit ad interitum. Vt hinc contra te argumentum ducam. Si deficiente vno, & altero, & pluribus subsequenter, nondum morimur, nisi cum eò deuentū est, vt restauratio non iam sufficiat, (de interitu naturali loquor) ergo ex defectu nutritionis mors aduenit, cuius rei signum est, quòd restauratio, si in ea nullus committitur error, senectutem retardat. Vnde Galenus. *Si enim in neutro sit erratum, neq; quod exhaustum est restituendo, nec excrementis expellendis, & sanitate interim corpus fruetur, & vigoris tenorem, quàm longissimè seruabit.* Multa in hanc rem adduci possent, præstat tamen non laborare in manifestis.

11 Reuerteris ad cōtabescētes, ad atrophia laborantes, ad oua, & semina, de quibus supra pluries mētionē fecisti, iterūq; mox infra idē repetis, vt te gallinaceorū memoriā habere existimē, qui cantū frequenter repetere dicuntur, quia se cātasse obliuiscūtur. Interim, inquis, nihil, aut minimū calore miti absumi, vt proinde citra vitæ dispendiū nulla ingruat necessitas eius instaurandi. Ego sanè hoc non ita tibi admittā: nā calor naturalis calor mitis est, at à calore isto naturali substātię dissipationē fieri, cū Galeno consentiunt omnes; Si verò mitē intelligas, hoc est, exiguū, scito, calore exiguo parùm corp⁹ nutriri, vitāq; pro nutritionis paucitate debiliter sustineri adeo vt cum nutritio ad vltimū paucitatis aduenerit, adueniat etiā vita ad vltimū durationis. Tandē cōcludis, posse corpus humanū ita se habere ad caloris tū interni, tum externi vires, vt eius actioni valeat longum tempus resistere penitus, & in ea lucta nihil suæ substantiæ, solidioris præsertim, quidpiam amittere. Verùm circa hanc luctam luctabimur postea: repetitiones eiusdem rei effugiam, quoad potero. Repete tu, & molestus esto, quantum voles: Sic de tuo etiam galli cantu prouerbium aliud iactabitur *Canis ad vomitum.*

adagiū

Non posse hominem diu intermittere nutritionem ratione caloris. Articulus Octauus.

contra id quod l. 3. de his qui sine alimē to c. 19.

CAlorem viuentis, ais, omnium vitæ functionum autorem esse, veluti primum, & vniuersale instrumentum animæ in omni opere. Sed ante quàm vlteriùs progrediamur, videris mihi negare facultates, siquidem has sicco, vt aiunt, pede pertransis. Importuna esset digressio, si vellem nunc in re ista immorari, alibi commodiùs tractabitur. Sit inpræsente hypothesis communi physicæ scholæ consensu stabilita, animam suas habere facultates, per quas ipsa, quæ per se ad omnia opera indifferens est, ad has, aut ad illas determinatur: calorem autem proximum esse facultatum instrumentum, non tamen solum, habent enim præter calorem sua etiam organa: nempe vnusquisq; sensus suum sensorium, mouendi verò facultas suos neruos, & musculos, facultates autem naturales, quæ non communicantur influxu, sed vbiq; insunt; vbiq; etiam, & fibris, & propria membrorum substantia operātur. Prætereà licèt facultates, vt diximus, determinent animam ad has, aut illas functiones, ipsæ facultates, quæ ex se determinatæ sunt, non insuper determinantur à calore, neq; calor est, qui vni functioni magis incumbat, quàm alteri, vt proptereà hanc accipiat, illam deserat, indeterminatè enim omnibus adest; proprium est facultatum, animam, quam determinant, ad se rapere, ita vt si valdè fortiter ab vna rapiatur, alijs assistere nequeat. Quare frustra calori attentionem, ad vnum opus tribuis, quam facultati tribuere debuisses.

Ifra q. 12. ar. 2. per totū.

2 Perge igitur: *Certum est*, inquis, *agens vnum alicui operi summè intentum, à cæteris omnibus feriari: nam & anima vehementer occupata, vel in meditando, vel in appetendo aliquo, huic soli functioni tota incumbit, alias omnes interim penitus omittens & ad multum temporis, vt quibus in ecstasim diuturnam, aut vehementem, & assiduam vindictæ libidinem lapsus est.* Hæc indistinctè, ut soles, profers, quæ si cum distinctione accipiantur, tantum abest, vt tibi faueant, quin potiùs valdè nocent. Distingue igitur, & dic: Agens aliud est necessarium, aliud liberum: necessarium (quales sunt in viuente facultates, quas ad differentiam animalium naturales appellant medici, in quorum numero recensetur nutritio, de qua agimus) non potest feriari absq; subiecti, in quo inest, interitu: liberum (vt sunt sensitiua, & arbitraria motrix) potest sponte feriari: Sed neq; adhuc omne agens liberum (quod ad præsentem rem spectat) potest valdè in suo opere occupatum, alias potentias liberas à suis operibus abstrahere: quippe hoc solum concessum est

agentibus

agentibus cognoscitiuis; cuius rei ratio est, quòd cognitio, seu cogitatio cum
aduertentia operatur; quando ergo valenter vni operi incumbit, aduertentiam
ibi collocat omnem, quam iccirco aufert ab alijs operationibus.
3. Itaq; tuum illud pronunciatum *Agens vni operi occupatum, alias operationes*
interrumpit, à te vniuersaliter prolatum adeo restringi debet, vt non solum intra
limites facultatum, quæ liberæ sunt, contineatur, sed etiam ad solas eas reducatur,
quæ cum cognitione agunt: motiones enim, si secundùm se ipsas considerentur,
possunt in pluribus locis vehementes esse, nec vnam ab alia impediri; vnde ægro-
tus potest, vt Hippocrates ait, crura, manus, & pedes simul inæqualiter iactare: si
verò consideretur quando præcedente fit cognitione, tunc ob valde intensam
cogitatiuam, accidit quies, vt ambulanti cogitabundo contingere videmus. Sed
de hoc alibi, cum de respiratione dabitur agendi occasio. Porrò non est calor de
genere eorum agentium, quæ occupata in vno ab alijs distrahuntur. Sed vide,
p.247. qui homo sis, aut quod peruicaciæ monstrum. Non admittis alibi actiones libe-
ras, vt sunt respiratio, mictio, potatio, à vehemente cogitatione impediri, & vis
calori hoc posse accidere, calori, inquam, quem tu met agere ex necessitate naturę
p. 29. concedis. At agere ex necessitate naturæ, nihil aliud est, quàm ea natura esse præ-
ditum, quæ necessariò agat; agit verò necessariò, quod non potest non agere. Infra.
Longum esset respondere hic ijs, quę circa hanc differentiam inter actiones natu- sect. 3.
p.108. rales, & liberas inaniter iactas, liceat ergo mihi id in alium locum ex professo q. 27.
tractandum reseruare. ar. 24.
4. Exempla, quibus niteris, ostendunt, te omnino discrimen inter potentias
liberas, & necessarias ignorare: nam libido vindictæ cogitationem valde occu-
pans, animum distrahit; quid hoc cum calore agente naturali? Ecstasis maiorem
haberet difficultatem propter Abulensem qui in ecstasi, ait, feriari omnes poten-
tias, præter intellectum, præstat tamen cum D. Thoma (quem communiter D.Th.
recipi video) dicere, non requiri ad raptum, vt vires animæ vegetraticis ab opere 2. 2. q.
cessent, propterea quod agunt per modum naturæ, non autem ex intentione 175. ar.
animæ, vt facultates sensitiuæ, quarum proindè occupatio minuit intentionem 5.
animæ circa intellectiuam cognitionem. Verùm de ecstasi, & de diuini concur-
sus suspensione, polliceor, me seorsim acturum. Dux ille Fauentinus, qui iuuenis, Infra.
& pulchrę vxori coniunctus, ob inimicorū insidias, quas assiduè mente voluebat, sect. 2.
non potuit per plures annos maritale debitum soluere, non negligebat, vt tu q. 10.
putas, naturales actiones, sed animales, quippe coitus voluntaria est actio, & ope
musculorum, penem erigentium fit. *In magnis febribus*, ais, *calore alioquin valdè*
intenso, corporis substantiam maximè dissipante instaurandiq; deperditum miram
necessitatem incutiente, diuturna inappetentia, & abstinentia ab omni alimento peni-
tus, nutriendiq; functionis mera priuatio conspicitur: nisi quia calor ei, quod magis
vrget, cæteris omnibus omissis totus incumbit: discussioni scilicet causæ, morbum facien-
tis. Dicis itaq; in febricitantibus diuturnam appetentiam, & abstinentiam ab
omni alimento penitus, nutriendiq; functionis meram priuationem conspici.
Sed priuatio nutritionis oculis non conspicitur, mentiris ergo: conspicitur tamen mēda-
inappetentia; sed hæc pertinet ad facultatem animalem: quippe ad eam faculta- cium.
tem pertinet priuatio, ad quam pertinet id, quod priuatur: appetentia, quæ per
inappetentiam, hoc est, auersionem à cibis, aufertur, ad facultatem animalem
spectat: ad eandem igitur eius priuatio, inappetentia. Conspicitur etiam abstinen-
tia; potestq; per aliquot dies, non per plurimos, febricitans, imò, & sanus, à cibo
abstinere, non, tamen iccirco à nutritione. Hoc tibi forsitan, qui medicinæ
præceptis imbutus non es, nouum, & inauditum videbitur; non tamen ijs, qui
in artis præceptis sunt exercitati. Consule Galenum; reperies apud eum, homines, 2. de
qui angustas venas habent, exigui esse sanguinis, nec longam inediam ferre, eos tempe.
verò quibus latæ sunt venæ, copiam sāguinis habere, & citra noxam cibo abstine- c. 4.
re. Quære ergo, cur hi, quibus latæ sunt venæ, & copiam sanguinis habent, citra
noxam à cibo abstinent? nempè quia sanguis in venis existens membris alimonia
subministrat, dum verò durat isthæc subministratio, durat etiam nutritio, simul,
& vita, deficiente autem sanguine, nisi noua sanguinis materia ingestis cibis
suggeratur, nutritio, vitaq; finiuntur. Itidem Galenus plethoram inedia curauit,
cur ita? nempe quia toto inediæ tempore redundans sanguis in corpore plętho- G. 1. ad
rico alimoniæ materiam præstans, absumitur, & sic redundantia, & plethora cura- Glau.
tur, dummodo deficientibus plethoræ signis, non deficiat nouus cibus. Idem c. 10.

Galenus inedias, ait, quantum prosunt ad morbi coctionem, tantum, vel amplius viribus officere. Ad coctionem ne inedia? maximè: nempe ad coctionem alimenti intus existentis, & præparationem ampliorem, vt nutrire possit, postulantis. Hæc omnia non ne tibi ostendunt, posse cum abstinentia (nimirum sine cibis ingestis) corpus nutriri? quid ergo ex abstinentia colligis nutritionis defectum? His tu, si reluctaris, scito te bellum gerere non mecum, sed cum omnibus, & singulis autoribus medicis, qui ita sentiunt, cum quibus te ad belligerandum iniustum hostem esse, quis non videt?

5 Quæ dicta hactenus à te, tolerabilia forent, illud verò prorsus intolerabile, quod ais, intensum febricitantis calorem incumbere discussioni causæ, morbũ facientis. An nescis, calorem intensum esse calorem febrilem, & hunc non discutere, imò fouere, imò augere causam morbum facientem, nempe putredinẽ inducendo, eiq; serpendi potentiam præstando? Calor naturalis est, qui circa coctionem materiæ febrilis laborat, calor, inquam, naturalis quantumuis oppressus; Hunc si vis incumbere coctioni humorum, & deserere alias functiones, fac, vt febricitans nullas alias actiones edat. Non ne dixisti priùs, calorem esse omnium operationum autorem? Vis nunc, istum autorem vni tantùm discussioni causę morbificæ attendere, ita vt deserat alias, ergo non magis deseret nutritionem, quàm coctionem, expulsionem, attractionem, retentionem, sensum, & motum: hæ omnes actiones calorem habent autorem: ab his omnibus distrahetur, si vni tantùm incumbit.

6 Accedamus ergo ad impedimenta, quæ tu dicis obstare, quo minus calor nutricationem obeat. *Primum est, si cibus non assumatur;* huic iam satisfecimus, & diximus cessante assumptione cibi, non cessare adhuc per aliquot dies nutricationem. *Alterum, quia ingesta ob sui prauitatem nulla ex parte cedant in nutrimentum.* Sed quæ sunt isthæc ingesta? num venena? hæc pernecabunt: num mineralia? cum his non viuet homo: omne aliud, quod nutrimenti nomine sit dignum, nunquam adeo prauum esse potest, quin aliquam partem alentem habeat. *Tertium, quia humoribus prauis commistum reddatur alendo ineptum; quo nomine Hippocrati corpora impura quanto magis nutries, tanto magis lædis.* Hæc Hippocratis verba tibi in faciem expuunt: nam cum dicat prudens senex, *Quanto magis nutries*, iam fatetur, corpora impura nutriri, quod si læduntur, læduntur à nutrimento suscepto, quod si non susciperent, non læderentur: læduntur, inquam, praua nutritione, ergo non ablata, datur ergo nutritio in corpore impuro, quæ tamen lædat.

7 *Quartum impedimentum*: quia vires calori necessariæ sunt, ad hoc vt possit nutriendi munus obire, ac certè multo maiores, quàm vt possit animam corpori colligare: namq; in alendi actione opus est, multas moliri substantiarum operosas mutationes, nempe ciborũ, & potionis in chylum; chyli in sanguinẽ, sanguinis in partes solidas: insuper, & excrementorum digestionem, expulsionemq; per plurima corporis loca fieri à calore, necesse est: nihil autem vetat, calorem in eo gradu diutius consistere, vt vires quidem habeat nectendi animam corpori, sed tamen non habeat validiores, quibus opus est ad nutricationem promouendam, & ad consumptionem insignem, ac celeriorem corporis: quo factum est, vt calor possit viuente homine diutiùs à nutritione desistere.

8 Hic tu me accusas, & condemnas (accusatorem simul, & iudicem agens) quod dixerim, te dixisse plura requiri ad nexum animæ cum corpore, cum tamen *Infra.* contrarium à te sit dictum; deinde ridiculè ais, à me quęsitum esse, in quo cōsistat iste nexus, & ad multa alia circa vitæ essentiam prolaberis, quæ si hoc loco pertractanda forent, longissima fieret incepti sermonis interruptio; permitte ergo mihi, vt quicquid in hanc rem afferre debeo, in aliam occasionem remittam; me non defuturum planè spondeo. Nunc autem ab ijs, quæ sunt huius loci, nolo recedere.

9 Plura ais requiri ad nutritionem, quàm ad nexum animæ cum corpore, ac proinde longè maiores caloris vires requiri ad nutritionis opus, quàm ad nexũ animæ. Nexum autem animæ, quem tu alibi dicis, *Consistere in naturali propensione, tum corpus naturale organicum ad vitam, tum anima ad corpus naturali organicum viuificandum*, quod quàm parum philosophicè sit dictum, suo loco agnosces: nexum, inquam, istum, nunc ais, fieri calore: siquidem ad istum ne- *cōtrad.* xum caloris vires requiris, licèt minores, quàm ad nutricationem. Iam ergo

consistit

consistit nexus in alio præter propensionem, nempe in calore: & sic tibi contradicis; calor autem iste cum circa nexum animæ cum corpore operatur, cuiusnam facultatis est instrumentum (nec dicas, me confugere ad interrogationes, vt fugiam: quia mihi facilius est interrogare, quam tua dogmata confutare, nam aliter, nisi interrogando confutare non possum) dic ergo, cum calor sit agens instrumentale, quando nexui animæ cum corpore inseruit, cuiusnam facultatis est instrumentum? Ex tuis dictis responsionem accipiam. Tu dixisti alibi, nutritiuam animam, (anima, & facultas apud te idem sunt) quæ inest viuenti ab initio suæ generationis, ad terminum suæ corruptionis, posse *à munere nutriendi feriari plerumq; ac solùm illi tribuere vitam, seu esse viuens*. Ita ne? at nutritiua ista anima, cuius instrumentum est calor, cum sit quæ tribuit vitam, est quæ nexui animæ cum corpore inseruit; nam licet tu aliquando negasti, nexum non esse vitam, non negasti esse quid antecedens proximum, ad quod vita necessario consequitur, quod si negasses, nemo te a culpa eximeret; da mihi animam corpori annexam, dabo tibi viuens. Iam ergo nutritiua anima est, per quam calor circa nexum animæ operatur, sed tunc non operari dicis nutritionem, sed videris velle animam tunc viuenti esse pro sale. Bene est: habemus ergo animam nutritiuam operantem, cuius tamen actio non sit nutritio, animam dixi, facultatem intelligo, facultas ergo nutritiua non cognoscetur per suam actionem: Deinde etiam tu superius distinctionem fecisti inter nutritiuam, & nutrientem, quoniam nutritiua est in potentia, nutriens verò actu; & nunc mihi das nutritiuam reductam ad actum sine nutriente. Sanè reducere nutritiuam ad actum, & non nutrire, est sicut reducere ad actum visiuam, & non videre. Iam igitur intelligis (ni bardus es, vt te esse passim fateris) quid ex his velim colligere, nempè calorem, quando operatur nexum animæ cum corpore, operari simul nutritionem: quippe operatur vt instrumentum nutritiuæ facultatis, cuius vnicum munus est nutrire. Vnde malè separas vires caloris in nutritione, à viribus caloris in animæ nexu. Deinde caue, ne logicus aliquis tibi improperet tuam argumentationem, in qua, vt logicè loquar, principium petis: nempè tuo more. Dicis, plures vires requiri ad nutritionem, quàm ad nexum animæ cum corpore, quare supponis nutritionem, & nexum istum separatas res esse: hoc tamen est, quod erat probandum. Nam hactenus non laborauimus in alio, quàm in disquirendo, an cessante nutritione eo ipso, quod cesset, soluatur nexus animæ cum corpore, me, cum omnium consensu, affirmante, te autem solo negante. Erat probandum hoc, nempè non solui nexum animæ, licèt soluatur nutricatio, supponis separari vnum ab alio.

p. 259. (left margin, beside "est instrumentum? Ex tuis dictis…")

Principium petit Satyr. error in logica.

10. Conficis præterea mimicum argumentum, & propterea quòd piper, & pyrethrum, quorum vtrumq; calidissimum est, in sacculis plures menses conseruantur, infers, posse etiam calorem naturalem, qui mitis est, & ab humido hebetatur, non consumere substantiam partium solidarum, quæ dissolutu difficilis est, vnde cessat nutritionis necessitas. Sed heus tu accipe precor, piper, & pyrethrum dum in sacculis sine alimento includuntur, præbe illis alimentum, inuenies, ne aliquid, quo nutrire hęc duo possis? puto nil reperiri posse; cur ita? nempè quia cum actu non viuant, non habent nutriendi facultatem. Insanis ergo quoties ex non viuentibus ad viuentia argumentum ducis, quod tamen sæpissimè facis.

11 Sed longè maiorem detegis ignorantiam, dum à calore in potentia ad calorem actu argumentum ducis: calor viuentium actu existit: calor autem mistorū, non viuentium, dixerim potius medicamentorum, imò, & alimentorum, potentia calor est, non actu; & ne discedamus à pipere, & pyrethro, quid de pipere dicit Galenus? nempè sic: *Igitur eorum, quæ in confesso est facultate esse calida, nullum omnino apparet nos excalfacere prius, quàm in tenuia sit comminutum: nam siquis piper solidum cuti inspergat, nullam planè caliditatem percipiet, eadem ratione si quis vel linguæ imponat, aut deglutiat, aut alio pacto vtatur integro*, & quæ sequitur. Ex quibus vides, piper esse de genere eorum, quæ facultate sunt calida, & vt eorum caliditas in actum reducatur, trituratione opus esse. De pyrethro itidem. *At facultas causa quædam est effectrix, eaq; partim actu, siue energia est, partim in futuro tempore: actu quidem, vt calefaciendi in igne, refrigerandi in glacie: in futuro autem, vt calefaciendi in pyrethro, & castoreo, & similibus: refrigerandi in altereo, mandragora, & id genus aliis*. Calor autem noster naturalis est in energia, & actu

Ga. 1. simpl. c. 11.

Ga. 1. simpl. c. 1.

& actu in præsens, non in futurum, adeò vt teste eodem, si digitos in sinistrum cordis sinum immiseris, inuenies locum hunc omnibus, quæ in animali sunt non paulò calidiorem. Quare dum ta ctu corporis calorem agnoscit præsentē actu, non futurum potestate eum esse profitetur. Cur ergo comparas calorem, pyrethri, & piperis, quæ non reducuntur ad actum, nisi à calore nostro, cum eodem calore nostro, qui actu est? Si verò pleniorem notitiam caloris, qui potestate est, & eius, qui est actu, desideras, consule Galenum, qui id ex professo per-
3.de te- tractat: & inde addisces quàm inepta sit admiratio, cur ea, quæ potestate tantùm
per.c.1. calida sunt, in sacculis inclusa non consumuntur, ea verò, quæ calorem habent actu, ab eodem consumptionem patiuntur.

12 Chymæram videris somniare, dum triplicem calorem à nemine adhuc excogitatum inuehis, vnum fixum, duos influentes, quorum vnus influit per arterias, alter per venas: cæterùm cum dicas triplicem calorem, seu potius in triplice substantia, suspicor, te velle eam diuisionem accidentis in subiecta, qua febris diuiditur in ephemerā, humoralem, & hecticam, accommodare calori naturali, quod nullus vnquam fecit, nec facere debuisset: nam aliud est, calorem præter naturam hanc, vel illam substantiam apprehendere, aliud, calorem naturalem per vniuersum corpus dispergi. Nam calor naturalis in toto corpore est factus, & æqualis: calor autem febrilis in vna ex tribus substantijs factus, seu (vt scholarum more loquar) in facto esse, in alijs fit, aut est in fieri. Quare ista tua trimembris caloris diuisio non nulla absurda continet, quæ in tui gratiam recensebo.

13 *Primum absurdum* quia calorem fixum, seu implantatum, & primigenium, solidarum partium dicis esse, quod tamen falsum est, siue partes solidas accipias, prout distinguntur à carnosis, seu prout carnosas comprehendentes ab humoribus separantur: vtroq; enim modo spirituosas in se includunt: quippe factæ sunt ex semine, & sanguine, quorum spiritus in ijs implantantur, præcipuè seminis spirituosæ nimis substantiæ repleti: hic autem spiritus est, qui calor natu-
Ar. 2. ralis appellatur, aut saltem in spiritu hic calor inest, vt cum Aristotele loquar,
de gen. *Inest enim in semine, quod facit, vt fæcunda sint semina videlicet quod calor vocatur;*
c. 3. *idq; non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, spumosoq; corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est proportione respondens elemento stellarū, &c.* Vides, vt Philosophus, & calorē, & naturam vocat calorem naturalem,
☞ qui in semine, & in spiritu, hoc est, in spirituosa seminis parte inest? Hanc tu p.96.
Ar. Ga. doctrinam alibi parùm sobriè exhibes: siquidem eam Aristotelem Galeni testi-
testim. monio tetigisse, ais. Aristoteles ne Galeni, qui post eum mille annis vixit testi-
vsū di monio est vsus. Bacchanalia erant, dum hæc scriberes: risum lectoribus voluisti
xit Sa concitare.
tyrus. 14 Sed nec in hoc solùm ridendi occasionē præstas: varietas dictorum te etiam
vidic. ridiculum facit: nam qui semel triplicem calorem inuenisti, iterum vnum per-
Cōtra didisti, & duos tantùm affers, tertiò tandem, ex duobus amisso vno, alterum dun-
dictio. taxat ostendis. Hoc, ne gratis dictum putetur, non piget referre singula seorsim. In libro de his, qui sine alimento viuunt, triplicem statuis calorem in triplice substantia: vnum in solidis partibus, quem fixum appellas, duos influentes, quorum vnus est in spiritibus, alter in sanguine. In Bacchanalijs autem duos tantùm
☞ commemoras: Vnum dicis esse spiritum, *à quo totum aggregatum seminis, in* p.64.
Cōtra *naturam viuentis transmutatum, dicitur calidum innatum spermaticarum partium,*
dictio. (obiter noto, te dicere transmutari semen in naturam viuentium, cum pluries semen esse viuens tenaciter asseras) ecce iam vnus calor ex semine consistens in
☞ partibus solidis, seu spermaticis. Alterum calorem statuis dicens, *In sanguine,* Ibidē.
qui pariter constat ex humiditate serosa, & substantia quadam halituosa, pars hæc halituosa euadit calor natiuus partiū sanguinearum; Ecce alter calor ex sāguinis halitu in partibus sanguineis. Vbi nā est tertius calor, qui in spiritu continetur? euanuit. Cæterùm non multò post ais, *Calorem naturalem esse misti viuentis portionem igneam, & aeream, quæ spiritus innatus appellatur, præexistens in semine, sanguineq; menstruo, & partibus omnibus ab vtroq; isto communicatus.* Hoc dicis, me posse existimare, mihiq; concedis, quasi tuæ priori positioni nihil contrarium.

15 Illud etiam est risu dignum, quod sanguinem constare, ais, ex humiditate serosa, & substantia halituosa, in quo dupliciter erras: primò, quoniam serositas nō est pars sanguinis, quod mox tibi innotescet; deinde quòd præter substantiam halituosam, nullam aliam in sanguine agnoscis: cum tamen Galenus in

sanguine

sanguine plus aqueæ, & terreæ substantiæ, quàm in semine esse dicat, in semine autem plus aereę, & igneę. Ergo halituosam istam substantiam, quàm tu ita appellas, terream Galenus appellauit, aqueam ille, quam tu serosam: Sed multum differt, aqueam ne dicas, an serosam, aqua enim mistionem ingreditur, serum egreditur tamquam excrementum. Si verò halituosam sanguinis partem dicas eam, quæ spirituosa est, iam confundis calorem, quem alibi posueras in spiritu cum calore sanguinis. Ga. 1. de sanitued. c. 2. [a] Ga. 6. ep sect. 2. cap. 38.

16 Magis adhuc ridiculum est, quòd ex serositate seminis, & sanguinis humidum radicale constituis: si hoc medicis persuadeas, efficies, vt serositates, quas alias vilia excrementa esse censent, in precio habere incipiant. Nihilominus dum excrementa esse putabant, Platonis, Galeni, Hippocratis autoritate se ita sentire arbitrabantur, nũc autem tua autoritas omniũ autoritatem superabit. [a] Vnicuiq; humori suam inesse serositatem Galenus multoties scripsit, sed præcipuè quando ad Platonem id acceptum refert, dicente Platone, *Ichor vero sanguinis quidem serum mitis, nigræ verò bilis, sed acidæ ferus, nobis declaratum est: quemadmodum in lacte serosa quædam humiditas est, veluti colamentum, & circumfluitans crassiorem eius partem, eodem sanè modo in omnibus succis, & humoribus serosum quendam, ac tenuem liquorem reperiri, different tamen inter se secundum eorum, scilicet humorum naturas, quorum serum esse diceretur, &c.* quæ ibi in hanc rem prosequitur. Porro non negamus, semen habere in sua mistione aqueam portionem, cuius merito fit spumosum: hæc tamen portio in misto, cum alijs elementis, euadit in vnum crassamentum, iccirco constare semen dicitur ex substantia crassa, & substantia spirituosa. [b] Ar. 2. de gen. an. c. 4. [c] G. lib. 1. de sen. c. 12. [d] Ga. 5. apbor. 39. [e] D. Th. 1. p. q. 119. ar.

17 Cæterùm adesse semini serositatẽ, quæ sit materia humidi radicalis, omnino aduersatur rationi: quippe seminis substantia coctione incrassatur: nam quod crudũ in eo reperitur humidissimum est, ac proinde inutile. [b] Vnde Aristoteles *Plurimum enim in menstruis quoq; humoris inutilis continetur, vt in maris genitura, quod humidissimum est, tum eadem emissione, tum in diuersis: prior enim emissio minus fœcunda, quàm posterior est: minus enim caloris animalis continet propter cruditatem. At verò quod concoctum est, crassum, & corpulentius est.* Itaq; seminis, quod vtile est, duas esse partes, crassam vnam, alteram spirituosam, communis opinio est, in cuius probatione nolo amplius immorari; Et hinc euertitur serositas, quam tu putas esse humidi radicalis materiam: quasi possit serositas incrassari, & indurari in membri substantiam, quæ est conditio radicalis humidi. 2. i corpore, et i 2 dist. 18. q. 2. ar. 3. & dist. 20. q. 1. art. 2. ad 5. & 2. 2. q. 153. art. 3. ad 1.

18 Te tamen duo fefellerunt, à te non benè intellecta: primum, quia cum ab Aristotele, & Galeno accipias, semen esse excrementum, forsan tibi visum fuit serositatem, quæ excrementũ est, posse semini conuenire. [c] At semen excrementum est vtile; propterea Galenus merito laudat Aristotelem, quòd dixerit. *Vtilis ergo excrementi quædam pars est semen, vtilissima verò, quæ vltima, & ex qua iam vnum quodq; membrum perficitur.* [d] Alibi etiam idem Galenus cõmune esse, ait, omnibus animalis partibus, quæ aptæ sunt humores alios generare, aut ad vsum aliarum partium, aut ad generis propagationem, aut ad conceptus nutritionem, esse humorem illum quandam veluti superfluitatem partis, ipsum generantis. [e] D. Thomas in huius rei confirmationẽ ait, *Hoc autem, quod est in potentia ad totum, est illud, quod generatur ex alimento antequàm conuertatur in substantiam membrorum, & ideo ex hoc semen accipitur*, Quod efficaciter probat, vt videre est apud ipsum pluribus suæ doctrinæ locis. Iuxtà hæc statuimus, semen excrementum vtilis alimenti esse, sola quantitate peccantis: serositas autem peccat qualitate, vt vidimus, neq; alium nobis vsum præstat, nisi vehiculum alimenti esse. et q. 15. de malo art. 1. ad 4. [f] G. aduers. Lyc. c. 7. [g] G. l. 1. de sem. c. 12. & ca. 13.

19 [f] Alterũ, quod te decepit, est locus Galeni aduersus Lycum, vbi habet hæc verba: *Sic etiam semen, quod ex serosa humiditate, ac spiritu, qui in ea est, constat.* Sed mendosus est codex, & pro seminali humiditate serosã habet. [g] Hæc menda colligitur ex libro de semine, vbi reperitur bis serosi humoris substantia, quod tamen vocabulũ in marginali correctione *seminalis* emendatur: paruo quidem lapsu ἰχωροειδοῦς, id est, serosi, pro θορώδους seminalis. Similis est emendatio, qua in libro de placitis [h] Hippocratis, & Platonis dicitur, calidum innatum constare ex sanguine, & pituita, cum dicendum sit ex sanguine, & spiritu; lapsus etiam exiguus vocabuli est: nempè φλέγματε pro πνέυματε. Hoc non ego somniaui (vt tu facere soles, qui tuas chymæras, tamquam receptissimas doctrinas, proponis) sed ex optimis, probatissimisq; autoribus non paucis acceptas refero. [h] Mẽdæ codicis corrig. Ga. 8. de pla. c. 7.

Con-

Concludamus ergo, serosam humiditatem, quæ excrementitia est, non esse humidum radicale substantificum, aliàs benè cum senibus ageretur, quos serosum alimentum colligere, tradit Galenus. Vides ne, quot parturijt absurda primum istud absurdum de calore solidarum partium diuerso à calore spirituum? *Ga. 5. sanit. tuēd. c. 9.*

20 *Secundum absurdum*. Dicis, calorem fixum esse veluti formam, & actum primum, atq; habitum, propterea de se immediatè ferè nihil efficere, nisi ad actum secundum suscitetur à calore influente cum spiritu per arterias; Sed quoniam hic timidè videris incedere (neq; enim dicis calorem istum fixum esse formam, sed veluti formam, cuius autem rei sit veluti forma nō declaras: deinde ais ferè nihil efficere, nisi ad actum suscitetur, nec absolutè nihil, sed ferè nihil dicis) accedo ad Bacchanalia vbi magis, Baccho stimulante, audacter loqueris in hunc modum: *Nam qui diutiùs absq; nutrimento à iesore suscepto permanere possunt homines in vita, illi eidem breui moriuntur, si vitali spiritu à corde sibi per arterias communicato, prorsus destituantur: etenim spiritu illo nititur calor influens, sine quo diu superesse nequit calor fixus cuiq; particulæ, ad cuius implantati, fixiq; defectum, atq; dissolutionem homo moritur*, & cætera, quæ addis ad probandum, caloris fixi extinctione hominem mori. Cæterùm extingui fixum asseris, si ei desit influens? ita ne? maximè: nam si sine influente diu superesse nequit calor fixus, rectè sequitur, necessarium esse calorem influentem, vt fixus non pereat. At quomodo poteris à contradictione liberari, qui antea dixeras hæc verba? *Calor vterq; referri potest, tum ad sui esse, tum ad sui functiones: calor fixus, ad hoc vt sit, non opus est, vt ab influente foueatur: nam præcisa via calori influenti per arteriæ vinculum ad aliquam partem, ea tamen pars diutulè sibi suum calorem fixum retinet sine influente*. Nescio, an velis subterfugere, quod priùs dixisti, calorem fixum non posse *diu* sustineri sine influente, nunc autem ais, sine influente, partem *diutulè* calorem fixum retinere, & differentiam constituis inter *diutulè*, & *diu*: quòd si ita existimas, scito, hanc vocem diutulè, licèt diminutiuum sit, aliquam tamen moram importare. Si autem adeo paruam moram vis esse, vt dūtaxat duret tandiù fixus sine influxu, quandiù durat portio influentis, quæ iam priùs influxerat, non rectè hinc deducis, quod deducere intendis, posse fixum esse sinè influente: quippe adhuc influens, licèt non influat, suum vestigium conseruat. p.184. *Cōtradictio.* p.116.

21 Itaq; semel ais, sine calore influente diu superesse non posse calorem fixum, iterum autem tenes, calorem fixum, vt sit, non opus esse, vt ab influente foueatur. Cæterùm cum neutrum istorum ratione à priore deducta potuisses probare, hoc postremum probas à posteriore, intercludens spirituum iter vinculo arteriæ iniecto. Oportebat tamen scire, Galenum hoc eodem vinculo demonstrasse propositionem omnino contrariam tuæ positioni: videlicet non communicari per spiritus arteriarum virtutem à corde, quòd si non communicatur virtus, nec etiam calor, sine quo virtus constare non potest: nam tu quoq; (nisi immemor es priorum) calorem omnium operum autorem primum, & præcipuum esse, dixisti: si ergo autor actionis est, à facultate non separatur. Itaq; si per spiritus communicaretur calor vitalis, communicaretur etiam & virtus: neq; enim poteris vnquam ostendere ad præsentiam caloris vitalis vitam deesse. At experimento ab arteria ligata ostendit Galenus, spiritus quidem communicari, facultatem verò minimè. Corpus arteriæ ligato, ita tamen, vt calamo intus ducto non occludatur cauitas, sed sola coarctetur substantia, pars, quæ vltra ligaturam est, non pulsabit, & tamen spiritus per cauitatem recipiet. Iam ergo tuum experimentum nihil valet ad probandum, per spiritus influentes influentem calorem transfundi. *G. an sāguis ī arterijs cōtineatur c. vlt. vide infra p. 114.*

22 Dicis ergo, ampliùs calorem fixum non posse functiones obire, nisi foueatur ab influente, *à quo de ocio ad negocium, ac veluti de actu primo ad secundum promouetur*. Pereas cum isto tuo *veluti*; Existimas ne, rectè explicari differentiam inter actum primum, & secundum per differentiam inter ocium, & negocium? videris ita sentire, & tibi dabo duos fautores, quos forsitan ignorasti, Auerroum, & Caietanum: sed isti falsum sequuntur dogma: nam sic nulla esset differentia inter id, quod est in actu primo, & quod est in potentia; qua propter sentire debes cum Simplicio, cum Philopono, cum Themistio, cum. D. Thoma, & alijs, qui actum primum, dicunt, esse principium operandi, actum secundum ipsam operationem: neq; enim necesse est, vt aliquid deforis accedat, vt actus primus p.117.

reducatur

reducatur in secundum; Exemplum tibi præbet Aristoteles in scientia, & contemplatione; Quid existimas, expostulare hominem, qui scientiam in habitu possidet ad hoc, vt actu contempletur? *Ar. 2. de an. tex. 2.*

23 Sed reuertor ad tuam doctrinam, & cum dicas insitum calorem per se existere, & sine auxilio influentis, non tamen per se sine influxu alterius operari, tibi reuoco in mentem axioma illud, *Vt se res habet ad esse, ita se habet ad operari*; quod tu hac tua positione violasti, siquidem aliter esse, aliter operari fixum calorem, dixisti. Cumq; viuere nihil aliud sit, quàm operari, quod Aristoteles insinuat dicens, *Vitam autem dicimus nutritionem, accretionem, atq; decretionem, quæ quidem per id ipsum fit, quod viuere dicitur*, vt viuitur per calorem fixum absolutè, sic per calorem fixum operationes edere deberemus, nulla habita ratione influentis, si tua positio esset vera. *Ar. ibi dē tex. 4.*

24 Verùm tu statim accedis Lucomoris, & auia Tinzonis stipatus, quibus, tamquam militibus, nobis bellum indicis: Sed quæso, vidisti ne illos? nunquid non respirabant? nunquid non habebant artus molliter inflexos, quod virtuti motrici attribuitur? si respirabant, & decubitum habebant, qualis viuentium est, iam non verum dicis, illos nempe iacuisse, sicut mortuos; Si nullum planè vestigium actionis alicuius viuentium aderat, cur eos viuere dices, quos, nō tamquam mortuos, sed verè mortuos, fateri teneris? num quia calor fixus adhuc sine influente existens, vitam absq; vlla operatione potest conseruare? At iam tibi dixi ex Aristotele, viuere esse operari. Sed nunc liberalis tecum esse volo, viuat auia ista tua, viuant tui Lucomori sine influxu cordis; sed tu pariter mihi concedito, vt cor, siquidem non est tunc temporis necessarium ad vitam, his tuis abstinentibus extraham: Sine igitur eos esse sine corde per quatuor dies, & vide, an fœteant: tunc, si fœtent, intelliges non satis fuisse pro sale calorem fixum, sed necessarium quoq; fuisse influentem, cuius defectum, si sapis, omnino effugito.

p. 117. 25 Pergis igitur in hunc modum: *Sed par non est ratio caloris influentis: quoniam is non opus habet alio, quo foueatur; sed ex se satis potest suam operationem obire, quæ est humores ducere per corpus vniuersum: tum etiam singularum partium calorem fixū fouere; ac ad operandum excitare, illiq; operanti opitulari*. Ego verò inquio, calores hos sibi vicem rependere: neq; fixum sine influente, neq; influentem sine fixo posse aut esse, aut operari, & quoad esse, iam superiùs sat diximus, quoad operari autem, auferto calorem fixum: poterit ne tunc influens humores deferre? at ablato calore fixo vita perit, & viuens ex viuente fit non viuens; in non viuente autem calor influens nec est, nec operatur. Calor influens, ais, calorem fixum fouet; scis quid est fouere? reficere, conseruare, tueri. Tu autem dixisti, fixum sine influente esse posse; quomodò erit sine eo, à quo fouetur? Addis: *Calor influens fixum ad operandum excitat, illiq; operanti opitulatur*. Sed quomodò excitat, & opitulatur? num concurrens cum illo, vt sint duo calores in qualibet operatione? at tunc calor fixus erit agens partiale, quod mera nuga est: an ex duobus caloribus fit vnus? iam ergo fixus, suo modo, nutritur ab influente, (dico suo modo, quia spirituum non est verè nutritio, vocatur tamen nutritio ab Hippocrate) siquidem conuersio influentis in fixum specimen quoddam nutritionis est: tu tamen obnixè negas, fixum ab influente nutriri, & quereris, quòd id tibi imposuerim, in quo certè mentiris more solito: nam ego dixi, te concedere fixum ab influente foueri, quod nunc etiam repetis: de nutritione nil tibi imposui. Itaq; negas, calorem fixum nutrimento interno foueri ab influente: quia nō ad essendum, sed duntaxat ad operandum influentis auxilio indigere, ais, & hæc est causa, cur tibi agendas gratias esse censui, easq; tibi ageret Galenus, qui calorē fixum sentit, (vt tu met fateris) esse vinculum, quo anima corpori coniuncta detinetur, hoc autem vinculum indissolubile esse, dabo, quoties mihi dederis illud nutrimento non egere, quo si eget, nullum aliud opportunius habet, quàm calorem influentem, vt potè qui substantia etiam est apud medicos, & substantiæ caloris fixi adeò familiaris, vt eam foueat, excitet ad operationes, & ei ad eandem opituletur: neq; verò alium modum assignabis, quo influens fixum foueat, nisi conuertendo se in substantiam illius. Si igitur calor fixus non nutritur ab influente, à quo solùm nutriri posset, non nutritur: si non nutritur, nec consumitur (quippe nutritio consumptionem antecedentem supponit) si non consumitur immortalis est. *Cōtradictio.* *mēdacium.* p. 184.

26 Tu verò, ne immortalitatē istam concedas, plus nimio te restringis, inquisq; calorem ab ortu semper minui, & alimentis retardari solùm celeriorem illius

G consumptio-

consumptionem, non autem restaurari propriè partem eius vllam deperditam. Sed doce me quæso, quomodo celerior calidi innati consumptio alimentis retardatur, & nulla pars eius deperdita eisdem restauratur: nam Hippocrates in eo aphorismo, quem Galenus aduersus Lycum defendit, alimenti necessitatem ex actione calidi innati colligit, cuius doctrinam Galenus met toties repetit, vt vanum sit tot loca citare. Sed relinquo autorum dicta, & ratione, apud te, si apud te vlla valet ratio, vtor. Actio fit vel minuendo agentis vim, vel reponendo semper aliquid eius, quod actione deperditur. Secundum modum tu non admittis, primum nemo mentis suæ compos admittet; Cur enim alimentum minuet caloris agentis vim? num quia calor agens est, & agendo repatitur? at parum est, quod deperditur repassione, respectu eius, quod acquiritur repositione: calor enim naturalis (vt Galenus animaduertit) est, *Qui nutrimentum ad se ipsum trahit, materiamq; gubernat, apponit, agglutinat, assimilat.* Deniq; putas ne, assensurum tibi aliquem, si dicas, alimentum sumi, vt vires caloris deprimantur? In helluonibus hoc obtineres, sed non ex eo quòd superabundans alimentum opprimit, moderatum identidem opprimere vires potest: imò sapienter dicitur, tantum cibi, & potionis exhibendum esse, vt reficiantur vires, non opprimantur. Neq; argumentum ducere debemus (quod tu tamen ducis) ab eo, quod iniustè fit, ad id, quod iustè; non, quia ingurgitatio calorem suffocat, suffocabit etiam moderata commestio: nam sic & exercitium, & venus, & reliqua, quæ superflua nocēt, nocebunt etiam mediocria, quod tantum abest à veritate, vt potiùs laudentur: vnde Hippocrates, *Labor, cibus, somnus, venus, omnia mediocria.* Itaq; non retardatur, hoc est, non fit minor caloris vis vsq; ad ætatem consistendi imò semper vsq; ad hunc terminum aufertur impedimentum, nempe superflua humiditas, ac proinde calor in iuuentute est acutior, ab ætate consistendi incipit siccitas esse maior, quàm conueniat, ideo caloris vis debilior esse incipit. Retardatur ergo propterea quòd licèt semper in locum deperditi aliquid reponatur, est id deterius deperdito, atq; ita qui salubri vtitur alimento, cum id, quod reponit, non sit valde deterius, retardare dicitur consumptionem, quam ille, qui prauo cibo vtitur, parum retardat: nec alia est via retardandi senectutem, quàm per cibos optimi succi.

G. de mare. c. 3.

27 Demum ais, functionem, qua reparatur calor influens extrinsecùs sumpto nutrimento, non esse eam nutricationem, qua, tu dixisti, carere tuos abstinentes ab omni cibo, & potu; Sed ego putabam nomen cibi, & potus conuenire duntaxat nutrimento extrinsecùs sumpto, ac proinde si dicebas, abstinentes carere omni cibo, & potu, intelligendum esse extrinsecùs sumpto nutrimento. Sed dic mihi, in quo consistit iste meus error? respondes ita. *Fouetur enim calor influens per conuersionem chyli in sanguinem, quæ secunda coctio est medicis in hepate, sed philosophis in iecore quidem incepta, in corde perfecta.* Non erat hic locus excitandi controuersiam celebrem inter medicos, & philosophos, sed condonemus hoc inani tuæ iactantiæ. Ad rem. Functio, qua reparatur calor influens, non est ea, qua abstinentes à cibo, & à potu, carent: nam calor influens reparatur sanguificatione, tu autem agis de reparatione solidarum partium. Esto: iam ergo istis tuis abstinentibus concedis reparationem caloris influentis, quæ fit per cōuersionem chyli in sanguinem, sed de his te non agere, profiteris: sed chylus fit ex cibo: isti tui abstinentes à cibo abstinent, ergo necessariò de hac reparatione teneris agere.

28 Verùm, quoniam ita vis, non agamus de restauratione caloris influentis, omittamus conuersionem chyli in sanguinem. Agamus de conuersione sanguinis in substãtiam partium solidarum: vndè nam hauriemus istum sanguinē, siquidem, ex præcepto à te imposito, non agendum est de conuersione chyli in sanguinem? Tandem abstinentes, qui sicut mortui iacent, abstinent à cibo, abstinent ergo à restauratione caloris influentis, sicut à restauratione partium solidarum: tùm quia deest materia vtriusq;, quippe vtriusq; materia vna, & eadem est, vnius proxima, alterius remota; tùm quia sine calore influente, vt tu fassus es, non agit fixus, & sine fixi actione partes solidæ non nutriuntur. Tu dicis diuersas res esse, & me cinædica mollitie appellas *mi homo*, ego autem tibi debito rigore respondeo, vtramq; in vnam conuenire *mi nonhomo*, quod nomen est generale comprehendens tàm asinum, quàm bouem, quàm saxum.

29 *Tertium absurdum:* Ais, calorem venosi sanguinis inter necessaria instrumenta non connumerari. Rationem reddis. *Quoniam aliquæ partes in corpore sunt, quæ citra venosi sanguinis præsentiam, dummodo arterioso gaudeant, suas operationes*

edere possint, vt ventriculus, & omnes in sui nutricatione, sanguine vtuntur, veluti materia, non vt efficiente. Hoc tuum absurdum, sicut alia pleraq; multis absurdis est stipatum. In primis memineris, te dixisse, caloris influentis operationem esse, humores deducere per corpus vniuersum. Hi humores non sunt alij, quàm sanguis ex quatuor humoribus debitam proportionem inter se seruantibus constans: neq; alium video humorem, qui à calore naturali deducatur: igitur ex duobus caloribus influentibus, quorum vnum collocas in spiritibus, alterum in sanguine, iste influens, qui est in sanguine, est qui deducit humores, hoc est, sanguinem per vniuersum corpus. Hanc operationem tu existimas non necessariam ad esse, sed duntaxat ad benè esse, cùm tamen non minùs necessaria sit viuenti deductio hæc sanguinis, quàm cor ipsum, in quo vita consistit: iccirco Galenus, victimam, ait, crepto corde, arisq; imposito, cùm respirare, & intentè clamare, tùm verò fugere etiam visam fuisse *quoad per sanguinis profluuium conciderit*; Insinuans nempe faciliùs potuisse durare in operationibus animæ sine corde, quàm sine sanguine. Quòd si non credis poetæ dicenti, *Vitam cum sanguine fudit*, & alibi: *purpuream vomit ille animam*, crede sacræ paginæ, in qua reperies sanguinem brutorum pro anima esse.

p. 117. *Ga. de plac. l. 2. c. 4.* *deuter c. 12. n. 23.*

30 Sed tu dicis, aliquas esse corporis partes, quæ suas operationes edunt citra sanguinis venosi præsentiam, dummodò arterioso gaudeant, & in huius rei exēplum ventriculum adducis. At per ventriculi corpus plures venas, quàm arterias prærepere certum est. Vnde nam ergo didicisti ventriculum in suis operationibus arterioso, non venoso sanguine gaudere? reliquæ etiam partes arterijs, & venis ita contextæ conspiciuntur vt semper vel vna in alterius comitatu sit, vel saltem non valde distet. At noua est isthæc tua opinio: nam hactenus putabant omnes, solum pulmonem sanguine arteriali nutriri. Adiungis etiam, partes sanguine vti non vt efficiente, sed veluti materia: Sed nunquid propreteà sanguis non est necessarius? existimabam ego, ad compositum ex materia, & forma, tùm formam, tùm materiam necessariam esse. Quis vnquam, nisi tu, dixit, ideò sanguinem non esse necessarium, quia est veluti materia: quasi materia non inseruiat adesse, sed, vt tu dicis, ad bene esse? Sed nos, ò mi nonhomo, non consideramus sanguinem, sed calorem, qui sanguinem deducit, deductio autem actio est, & deducens agens. Sit ergo quantumuis materia sanguis, calor est agens, seu efficiens, ad hunc respirere deberes, si, quando scripsisti, compos mentis fuisses.

31 *Quartum absurdum.* Inquis, sanguinem à dextro cordis ventriculo per venas influere. Cuperem stabilire, (quia tu sæpe transfugam agis ab Aristotele ad Galenum, à Galeno ad Aristotelem) quem horum velis nunc sequi in venarum origine. Verùm non opertet hunc laborem subire: nam quacumq; via gradiaris, offendicula reperies. Etenim si Aristotelem sequare, qui vni cordi omnium ductuum originem tribuit, dic mihi, vbi nam apud eum reperisti, venas è dextro, arterias è sinistro cordis sinu ortum ducere? ipse quidem dixit à corde venas procedere, & sanguinē ducere, (vt hìc obiter vapules, qui Philosophos ais opinari incipi sanguificationem in iecore, perfici in corde, nisi Philosophos intelligis ab Aristotele dissentientes, potiùs Aristoteli recalcitrantes, in quorum numero sæpe reponi mereris) dixit item Aristoteles duas esse venas, maiorem scilicet, quæ ad priora discurrit, & minorem aortam appellatam, quæ discurrit ad posteriora. Cæterùm si Aristotelem ignorabas, Hippocratem ignorare non debueras, qui in hoc libello de alimento ait, *Radicatio venarum hepar*. Nec Galenum, imò nec autopsiam, quæ ostendit, duo esse vasa, quæ hiant in dextro cordis ventriculo, vnum est vena arterialis (hæc sanguinem arterialem, non venalem ducit, non in corpus vniuersum, sed in solos pulmones.) alterum vena caua, quæ epiphises habet foris intro hiantes, vt sic possint sanguini ingressum præbere, egressum prohibere.

Ar. 3. de hist. an. in c. 5.

32 Pergis in tua hæresi, & quæ priùs dixeras, iterum repetis, febricitantes scilicet abstinentiam seruare: seruant per paucos dies à cibo abstinentiam, non à nutritione, quomodo hoc constare possit, iam superiùs enarraui, sed nunc addis febricitantes vomere, sed quis tibi reuelauit, vomitu omne alimentum reijci ita, vt nulla portio remaneat: natura magis, quàm tu nutricationis solicita, partem aliquam semper retinet: hoc nullibi meliùs apparet, quàm in læuitatibus intestinorum, in quibus deijcitur cibus talis, qualis fuit comestus, & nihilominus succi ex cibo nonnihil naturam in corpore retinere, fatentur omnes, qui consi-

derant huius morbi esse chronicam constitutionem, dicente Hippocrate. *In longis leuitatibus intestinorum, &c.* Qui enim fieri posset, vt longum morbum pateretur aliquis absq; omni prorsus cibo? tibi hoc foret creditu facile, alijs videtur impossibile, maximè Galeno, qui in pestilentia sui temporis, ægrotantibus hoc contigisse memorat, *Fortiores, qui vim sibi inferentes cibum oblatum assumpserunt, ferè superstites fuerunt, plurimi verò mori, quam comedere quicquàm priùs duxerunt.* Hi ergo ob defectum virium ex inedia moriebantur, aliàs si cibum sumpsissent euasuri.

Ga. 3. epid. sect. 3. co. 58.

33 In febribus, ais, calorem natiuum, in igneum esse conuersum, sed istius cõuersionis terminum ignoras: nam si totalis foret conuersio, non remaneret natiui vestigium aliquod: quare nec sentire, nec moueri, nec concoquere æger posset, quæ omnes operationes calore natiuo egent: est igitur conuersio non ad terminum vltimum, in quo suam naturam penitus mutauerit, sed ad eum statũ, in quo calor tantum igneæ conditionis induit, quantum pro lædendis sensibiliter operationibus, sit satis: cum enim febris sit morbus, morbus autem affectus lædens sensibiliter operationes, ad hunc terminum perducto igneo calore febricitare homo dicitur.

34 Addis aliam rationem, non quidem in confirmationem tuę opinionis (quã potiùs infirmat) sed in confirmationem opinionis, quam de te habere debent omnes. *Abstinentia, inquis, potius caloris vires obtundit, & corporis dissolutionem impediens, cæteris consentientibus vitam producit.* Sed quæro ego, quam abstinẽtiam intelligas, num eam, qua sobrij homines ab ingurgitationibus abstinent, quam laudare pertinet nõ solùm ad medicos, quippe Hippocratico edicto, *Studium sanitatis est non satiari cibis*, sed etiam ad moralis Philosophiæ cultores: vnde Philostratus *Frugalitas*, inquit, *sapientiæ, & veritatis magistra est*: an intelligas abstinentiam, hoc est, totalem nutricationis cessationem, quam tu ipse ferias altricis animæ appellas. Si de priore agis, eam extollo, & amo, neq; crassities corporis, quam mihi obijcis, me ab hac virtute abhorrentem facit, sed hęc virtus quid facit ad rem nostram? Si verò de posteriore loqueris, apage sis, inediam vires caloris nostri, in quo robur consistit, obtundere, ita vt corporis impediat dissolutionem, & vitam producat; vitam ne sine cibo fieri longiorem? hoc tibi forsitan herus tuus Pendasius persuadebat, vt te non comedente, suis parceret sumptibus; sed caue, ne in alios sumptus, ex funere, incidas. Abstinentia siccitatem inducit, siccitas est lima caloris, quæ ideo sic est dicta, quia acuit, tu autem pro acuere hebetare dicis, Si abstinentia, (non totalem dico, nã hanc intra septimanã occidere scio, sed quæ sit valde nimia, & insolita) febres excitat ephemeras, accensis præ acuitate caloris spiritibus: qui poterit ergo calorẽ obtũdere? Insurgis tu hisce verbis, *Profectò abstinentes nostros febre carentes non exsiccari verisimile est.* Itaq; cum abstinent, & non febricitant, signum dicis esse nõ exsiccati corporis: quippe exsiccatum febricitaret. In primis scito, dogmata medica non esse perpetuæ passionis, quod intelligens Galenus, aphoristicas sententias accipiendas esse, censet addito, *vt plurimum*. Igitur vt plurimùm exsiccatis per inediam, seu mauis per abstinentiam paucorum dierum, incidunt in febres diarias; tui verò abstinẽtes quot sunt? vnus inter mille millia. Deinde scito, te id, quod probandum erat, tamquam probatum offerre: nempe omnes abstinentes inducta siccitate febricitare: hoc, quod tu tamquam verum improbatum relinquis, improbabile potiùs est; Iam tibi dixi, non esse semper verum, ab inducta siccitate, aliquando tantum abesse, vt febrem concitet, quin potiùs febricitandi occasionem adimat. Quænam maior occasio inducendæ febri, quàm plethoria? & tamen plethoriam inedia curari, dixit Galenus, vt superiùs, me retulisse, memini. Curat quidem inedia plethoriam, sed dum inedia adest, non ociatur nutricatio: quippe interiùs habet alimentum, in quod agit: quo tua isthæc chymæra de ocio nutricationis optimè detruncatur.

35 Tandem reuerteris ad comparationem inter calorem inanimatorum, & animatorum, quæ quàm parum valeat, iam ex supradictis innotescit, neq; oportet crebris repetitionibus chartas implere, quod tu facis, gloriam ex voluminis magna mole inaniter captans.

Nec

Nec ratione viuentis totius posse intermittere nutricationem. *Articulus Nonus.*

QVÆ longa orationis ambage proponis, in pauca redacta sic habent; Cum in essentia vitę nihil pręter animam, corpus, & calorem hanc huic necten- tem, reperiatur, quæcumq; viuenti affectiones insunt, ei ratione alicuius ex his tribus inesse debent. Iam verò probatum est, breuitatem ocij à nutritione haud quaquam conuenire alicui ex ipsis, seu potiùs diuturnitatem cessationis à nutri- tionis munere omnibus conuenire; quare necessariò colligendum est, posse ho- minem diu à nutricatione vacare habita ratione totius essentiæ vitæ. Hoc argu- mentum productum à te eo tempore, quo nemine tibi veritatis viam monstran- te scripsisti, nunc postea quàm nostris rationibus conuictus iaces, poteris sic in oppositum deducere. Siquidem probatum est, vanas esse rationes, quibus animę, aut corporis, aut caloris ratione cessatio à nutricatione ostendi putabam, necessa- riò colligitur vanam, & falsam esse huiusmodi cessationem. *contra id quod l. 3 de bis qui sine alimẽto c. 20.*

2 Alterum argumentum sic conficitur. Omnis substantia, vel etiam accidens, cui aliud accidens subordinatur, si capax est generici alicuius accidentis, indiffe- renter se habet ad capiendas omnes illius accidentis species. e. g. corpus coloris capax indifferenter suscipit albedinem, & nigredinem. Cum ergo vitæ essentia substantia sit tempori subiacens, tùm dum operatur, tùm dum ociatur, omnibus speciebus temporis, præsertim breui, & longo, absolutè, quantum sit ratione sui, subiacet; quare si de ratione vitæ est, aut saltem si à ratione vitæ alienum non est, posse biduum à nutriendi munere ociari, pariter ab ea dissentaneum haud erit, posse bimum, & amplius à nutricatu vacare.

3 Miratus sum aliquando in colloquio cum viris doctis, qui fieri possit, vt homo ad officium professoris philosophiæ in celeberrimo Studio mercede con- ductus, ita fatuè sine facie argumenta scriptis mandauerit. Respondit quidam, qui te nouit, desine mirari, nam res istius, vel etiam addiscentibus ludibrio haben- tur. Tunc admiratione sublata accessi ad responsiones. Inquis ergo, substantias subiectas genericis accidentibus, eorumdem accidentium species indifferenter suscipere. Hæc maior propositio, quam tuo marte fabricasti, non est vniuersaliter vera, nam datur aliquod accidens genericum, cuius aliqua species in vna substan- tia recipitur, non recipiuntur reliquæ. Non ne facultas accidens est, habens sub se sensitiuam, vegetabilem, & rationalem? quis negabit? non ne planta est substan- tia capax potentiæ vegetabilis, nõ autem aliarum? Iam ergo in hoc tua illa vniuer- salis propositio fallit.

4 Concedo tamen, disputationi locum præbens, posse admitti hanc proposi- tionem: siquidem tametsi vniuersalis non sit, particularis tamen est, & in aliqui- bus, si nõ in omnibus, veritatem continet. Esto, sit capax vita temporis tùm longi, tùm breuis; hinc quid inferes? nisi posse hominem diù, posse & breui tempore, in vita perdurare? Tu tamen à vita ad operationes vitæ deducis argumentum, & ab operationibus pergis ad ocium, atq; contendis, vbi ocium conceditur breue, concedi etiam necessariò longum: siquidem vita ad temporis has differentias in- differens est. Verùm tempus etiam alias habet differentias, & magis proprias: *4. phys.* Aristoteles enim definiens tempus dicit, *Est numerus motus secundum prius, & po- sterius*; Sunt igitur hæ duæ species temporis *prius, & posterius*. Sit ergo vita capax vtriusq; speciei, & sicut tu dicis, poterit cessare vitæ operatio per breue tempus, poterit etiam per longum, sed longè magis congruè dicito. Si vitæ essentia capax est temporis, capax est differentiarum temporis secundùm prius, & poste- rius; sicut ergo ei conuenit prius, conuenit etiam posterius. Ecce tibi inuenta immortalitas, quam diù quærimus: nàm quoties mihi dabis vitam, quæ recipiat differentiam temporis secundùm prius, necessariò dabis eandem cum differentia secundùm posterius, & sic nunquam finietur: sin minus, aliquando non erit capax vtriusq; speciei. Vides ne vanitatem tui pronunciati? quippe, quod est capax vnius speciei temporis, esset itidem capax alterius.

5 Sed quando hæc omnia tibi condonentur, quid infers? nempe nutritionem, quæ cessauit per biduum, cessare etiam posse per bimum. Quænam est ista nutri- tio, quæ per biduum cessauit? dum nos eam quærimus, tu tamquam inuentam nobis offers; tuus hic mos est, principium petere appellant logici. Cæterùm, vt

princ. petitSa tir err. in leg. adagiū. video, atramentum habes velut sepia, vis obscurare aquam, vt aufugias piscatorem. Per biduum sine nutritione hominem esse posse, aïs, hoc est, sine cibo, itaq; nunc nutritionem pro cibi assumptione, alibi pro assimilatione, & alimenti in substantiam aliti conuersione vis accipi.

6 Insuper argumentaris, nec tamen multùm differt argumentum istud à priore: inquis enim. Agentia, quæ possunt functionem aliquam breui tempore intermittere, possunt necessariò ab ea longiore tractu cessare, quantum sit de ratione agentium, nisi aliquid obstet. In primis frustra addis hæc vltima verba, videlicet *Quantum sit de ratione agentium, nisi aliquid obstet*: nam sufficit, non posse cessare nutritionem siue ratione sui, siue ratione necessitatis, propter quam natura illi legem imposuit, ne cesset vnquam. Cum ergo calor naturalis continuè absumat substātiam, natura, quæ hanc actionem impedire nequit, damnum ab ea illatum, continua refectione supplet, & hæc est alimenti necessitas à Galeno allata: nec verò, quia nutritio à necessitate cogitur ad opus, perpetuam violentiam pati dicitur: in primis enim violentia non datur in ijs, quæ fiunt à natura: nutritio verò à natura continuitatem habere iubetur; deinde violentia non est in eo, ad quod res est indifferens: cum ergo nutritio ex se sit indifferens ad operandum, & ad quiescendum, vtrumq; sine violentia ei inesset: inest tamen operatio, sic postulante natura viuentis. Tertio nihil dicitur violentiam pati in suæ perfectionis acquisitiōe: operatio autem operantis perfectio est. Quòd si ego aliquando dixi, nobilius esse cessare posse, quàm necessariò operari, loquebar de spontanea cessatione, quæ certè nobilior est, quàm necessitas operandi: quippe spontaneum ocium libertatis est soboles, libertas autem perfectionem importat, vt necessitas imperfectionem, &, vt sic dicam, ignobilitatem. Sed præter hanc responsionem, cur aliam quæro, quàm illam, quæ præcedens argumentum destruxit? nempe, te supponere in nutritione ocium breue, vt inde colligas, ocium longum; oporteret tamen, vt in breui consentiremus, quod si probaueris, eris magnus Apollo.

Ga. 1. sanit. tuend.

Non posse diù intermitti nutricationem ratione ipsius meta nutricationis. Articulus Decimus.

contra id quod l. 3. de his qui sine alimēto c. 21. VIX finieras centies repetitam argumentationem, fallaciam potiùs, ductam ab alijs operationibus, quarum non eadem est ratio cum nutritione, cum iterum ad eandem reuerteris cantilenam, vt verum sit, quod de te dixi, te gallinaceorum memoria pollere, & eorumdem cantum imitari. Tunc addis aliam etiam superiùs repetitam, & sic ex recoctis dapibus amplum conficis apparatum. Itaq; quietem, & motum eodem modo se habere ad tempus, quoad durationem, vtrumq; siquidem pariter longo, breuiq; tempore admetiri potest (obiter hic tu grammaticus verbo admetior deponenti significationem passiuam tribuis) Aristotelis decreto. Sed heus tu vide quàm verè Aristotelis autoritate vtaris; Philosophus ibi motum mensurat, vicissim magnitudinē cum motu, aitq; *Mensuramus magnitudinem motu, & motum magnitudine: multam enim dicimus esse viam, si ambulatio multa est, & hanc multam, si via multa sit, & tempus, si motus, & motum, si tempus.* Sic ille: de quiete autem ne verbum quidem. Sed mensuretur eadem etiam mensura quies: num quia in multo motu multum est tempus, & in multa quiete multum similiter tempus, ideo cogimur dicere, vbi multum fuit in motu tempus, multum etiam sequi debere tempus in quiete? quasi verò statutum sit à natura, vt qui multum vigilat, multum etiam dormiat. Tandem non est (quod tu male persuades) de natura nutritionis longo, aut breui tempore durare; de natura nutritionis est reficere deperditum, cumq; deperditio sit continua, continua etiam debet esse refectio. Iam tibi dixi, ex effluxu substantiæ colligi à Galeno necessitatem refectionis: ne quæso me tuis induas moribus, & repetitorem me etiam facias.

*

4. phys. t. 113.

2 Adiungis: vita subcælestis, & proinde omnis eius operatio ortui, & interitui est obnoxia, *nutricationem cuiuslibet viuentis aliquando incepisse: cum antea nunquam multo tempore non fuerit* (nempe vt puto, ante ortum istius viuentis,) *& aliquando finiendam, cum postea nunquam perpetuo futura sit: si ergo de ratione nutricationis est, ante quàm incipiat, & postquam finita fuerit, ex toto posse longissimo tem-*

mo tempore non edi, quid prohibebit eam in viuente homine intermissam aliquot mensibus, & annis ocio, & quieti cedere? Ex præmissis, ex quibus vis colligere, nutricationem in viuente intermittere, posses multò meliùs, si cerebrum haberes, colligere oppositum, hoc est, nutricationem esse operationem vitæ comitem, & quemadmodùm vitam, sic & hanc functionem esse continuam. Nam si nutricatio cæpit cum viuente, & cum viuente tandem desinet, euidens est coniectura, eam vitæ esse omnino necessariam: sin minus, dic mihi, si operatio, quia ante exortum non fuit, & post obitum non erit, arguitur esse interrupta, cur etiam vita, quæ ante quàm incepit, non fuit, nec erit postquàm desinet, interrupta non erit? si annuis, dabis nobis crebras resurrectiones naturaliter factas.

3 Reuerteris iterum ad contemplationem, & ex hac, quia continua non est, arguis nutritionem quoq; non esse continuam, scilicet quod te millies repetijsse conquestus sum, iterum repetis. Quis hoc credat? putas ne, alios ferreas habere aures, quas contundis toties? *Demum nutriendi operationem*, ais, *quæ est conuersio alimenti digesti in substantiam viuentis* (hic iam nutritionem aliter accipis, ac quando illam abstinentiæ opponis) *necesse est multas præire coctiones, & distributiones alimenti, quibus obeundis temporis differentia effatu digna necessariò impeditur.* Hoc iam alibi à te prolatum est, & à me profligatum: nihil enim prohibet alimenti partem aliquam concoqui, aliam distribui, aliam apponi, aliam agglutinari, aliam assimilari, & hæc omnia vno, & eodem tempore, quod tibi declaraui exemplo officinæ, in qua Brontes ferrum igni admouet, Steropes aliud tundit, Pyragmon aliud flectit; Alio nunc exemplo vtar; Non ne eodem tempore aquæ quædam portio è fonte scaturit, alia fertur per canalem, alia in stagno recipitur, & sic receptio ista in stagno, ad quam reliqua tendunt perpetuò, & sine intermissione fit? Ita euenire intelligito in nutritione, quippe continua fit assimilatio ex materia, quam aliæ actiones incessabiliter ei subministrant.

Non posse intermitti functionem alendi, ratione humoris, qui calori subijcitur, nec ratione spirituum.

Articulus Vndecimus.

Corpus esse, ais, alterum ex principijs internis, & primarijs, immediatisq; vnde constituitur essentia viuentis, humorem autem haud ita intimè, proximeq; vitam constituere, qui solùm calori, hic apud nos detinendo inseruit. Duos in his breuissimis verbis errores committis: primum cum dicas, corpus esse ex primis, proximis, immediatisq; principijs essentiam viuentis constituentibus; Alterum cum dicas, humorem non habere aliud officium, quàm calorem hic apud nos detinere. *contra id quod l. 3. de his qui sine alimẽto c. 22.*

2 Quod attinet ad primum: quamuis verum sit, animatum, quatenus animatum, constare ex corpore, & anima, quippe anima est actus corporis, vnde ex anima actuante corpus animatum resultat, nihilominus viuens, inquantum viuens, (loquor de viuente mortali) viuit per actionem caloris in humido, sicut moritur, ex decreto Philosophi, per eiusdem caloris extinctionem. Igitur viuẽtis, vt viuens est, vnum principium est calor, alter humor radicalis. Deniq; verba Aristotelis sint pro huius veritatis conclusione: *Oportet autem accipere*, ait ille, *quod animal est natura humidum, & calidum, & ipsum viuere tale.* Sed quid plura? tum ab ipso Aristotele, tum à Galeno, quibus omnis schola tam philosophica, quàm medica assentitur, duo statuuntur principia vitæ humidum, & calidum. Tu, quæ tua est sapientia, omnibus reluctaris, qui præter hæc duo principia, nempe calidum, & humidum, statuis aliud inauditum vitæ principium, nempe corpus. *Ar. de longit. & breuit. vitæ c. 3.*

3 Quod spectat ad secũdum errorem, nullum aliud humido officium tribuis, quàm calorem apud nos detinere, & iccirco existimas, non constituere proximè, & immediatè vitam. Vide quid dicas, ne destruas [a] Aristotelicam vitæ definitionem, simul, & definitionem generationis: vtramq; enim breuiter his verbis comprehendit. *Generatio est prima participatio cum calido nutritiuæ animæ, vita autem mansio huius.* Verùm quoniam ex professo alibi de calido, & humido agam, hic solùm ea examinabo, quæ ad probandam nutricationis interpolationem adducis. *[a] Ar. de vita, et morte c. 14. infra. sect. 3. qu. 2. per totum.*

4 In primis sic ais: *Humor, calorem natiuum continens in viuente, non est in indiuisibili positus, sed magnam obtinet latitudinem, vt non possit cito calore consumi, cuius actioni etiam resistit viscidilate sua; cum autem nutricatio videatur in eum etiam finem concessa viuentibus, vt retardaretur humidi consumptio a calore, qui ad alimenta solet auocari, profecto vel ociante facultate alente, calor non adeo cito humorem absumet, quin hic illius tyrannidem, ad longum tempus, in viuente sustinere valeat.* Duo hinc colligo abs te dicta: primum est, humorem, quia non consistit in indiuisibili, sed latitudinem habet maximam, non posse citò à calore consumi: Alterum, calorem auocari ad alimentum, & sic deserere, aut saltem minus efficacem reddere actionem suam in humidum, vnde sequitur maior humidi duratio.

supr. q. 4. art. 3. 5 Ad primum: verum est, totum humidum non subitò, nec citò absumi, consumi tamen paulatim per suas partes, & hanc differentiam, inter vegetabilem spirituum, & vegetabilem membrorum, ab Auerroo desumptam, superiùs me tetigisse memini, quod scilicet spiritus subitò adeo multi deperdantur, & præstò restituantur, vt si desit refectionis eorum materia, animal animo linquatur, si adsit præstò restituatur: solidior verò substantia paulatinam patitur deperditionem, (nisi adsit causa præter naturam confertim irruens e. g. sudor diaphoreticus) paulatinam etiam expostulat refectionem, continuam tamen per partes, sicut per partes continua est deperditio. Iam ergo detecta manet tua fallacia: cum enim dicis, humidum non consistere in indiuisibili, ac poinde citò non consumi, deberes dicere, non consistere in indiuisibili, ac proinde consumi per suas partes, quas diuisibile habet, indiuisibile non habet. Cœterùm an humor consistat in indiuisibili suo loco innotescet, nunc sufficiat demonstrasse, te perperam fuisse argumentatum. Infra q. 9. ar. 3. cor. 2.

6 Ad secundum: calorem, dicis, distrahi ad alimentum, quare minus occupatur in humidi consumptione. Iam satis superq; superiùs actum est de hac distractione, quam tibi demonstraui non conuenire agentibus necessarijs, sed duntaxat liberis, imò ex liberis ijs duntaxat, quæ cognoscitiua sunt, alia enim, quæ cognitione, & quæ libertate carent, non operantur cum aduertentia, ac proinde distractionem subire nequeunt; Imò verò tantum abest, vt calor naturalis, ob actionem in alimentum, distrahatur ab actione in humidum, quin potiùs, quò copiosius alimentum habet, (dummodò non adeo excedat, vt suffocatio accidat) eò fortiùs in humidum agit: quippe cum necessariò agat in humidum sibi approximatum, eò potentiùs aget, quò fortior est, fortior autem ab alimento fit. Plus diffluit ex corpore sanguineo, quàm ex melancholico, plus etiam nutritur sanguineus, quàm melancholicus: cur ita? nempe quia mutuas sibi vices hæc duo ita prestant: alimentum auget calorem dissipantem humidam substantiam, dissipatio auget necessitatem alimenti, quæ necessitas stimulus naturæ est ad augendam, continuandamq; alitionem.

7 Exemplum affers ex pice, & resina, in quibus calor diù detinetur: hoc autem contra te facit: (infortunium tibi satis familiare) humidum oleosum, seu, vt tu ais, viscidum materia est, in qua ignis detinetur: ita ne? at vbi datur multa isthæc materia (dummodò non tanta sit, quę suffocare queat) multum detinebitur ignis: neq; hoc negare potes. Accede nunc ad calorem nostrum: hunc Galenus non vult flammæ comparari, sed ego tecum nunc sentire volo, & ei attribuo humidum viscidum, in quo detineatur, & detinebitur diù, si diù istud humidum ei supersit; Sed vndè nam extraham hoc humidum viscidum, nisi ex alimento? Iam ergo habeo alimentū esse id, quod calorem in nobis detinet: si desit alimentum, inquit Hippocrates, corpus absumitur, & Galenus in hæc verba; *Itaq; si in exhaustis calor interius vergat, nil habens quod conficiat, languescit, & interit: primus enim omnium, vt ignis lignorum materia, ita ipse alimento nutritur.* Sed an caloris pabulum sit humidum inferiùs ex professo enarrabo. Ga. 6. ep. sect. 5. com. 32. Infra sect. 3 q. 2.

8 Quod de humore dixisti, de spiritibus esse asserendum profers, & rationem adhibes; quia *Spiritus sui copia calori, præsertim debiliori, reluctantur ad multam temporis intercapedinem.* Hactenus stulti omnes existimabant spirituum substantiam aeream facilè dissipabilem esse; nunc è suo errore resipiscent. Sed dic mihi, cum sanguis interdum tantus colligatur, vt plethoriam efficiat; cur nunquam ex spirituum redundantia euadit homo plethoricus? causam huius rei referunt autores ad continuam spirituum dissipationem, tu deinceps aliam excogitabis.

Ex

Excogita etiam rationem, cur coniugas spirituum copiam cum calore debiliore: nam audio communi consensu, spiritus esse calidissimos, & calidissimo corde calidiores; quare, vbi abundant, non videtur posse calor esse debilis.

p. 33. 9 Forsitan hic debilem ne dicam, an exiguum solicitus es: quippe in tuis Bacchanalibus me arguis, quòd in tractatu de asitia dixerim calorem esse exiguũ, quando cruditatibus est oppressus, in quo mihi videris tauros imitari, qui clausis oculis cornu petunt. Rem dixi à nemine inculpandam: tu dummodò in mea dogmata irruas, ad nil aliud respicis. Exiguitatem dicis nisi in exiguitate humoris, in qua calor fundatur. Sed quis est iste humor? non ne sanguis? ita sanè: nam ex aliorum humorum enumeratione reperies, nulli, præter sanguinem, hāc conuenire dignitatem, reliqui omnes non, nisi quando sanguinem componũt, sanguinem inquam, hoc est, sanguineam massam, possunt caloris naturalis esse participes; At sanguis, vbi cruditates abundant, paucus esse dicitur, tu verò putabas cruditates sola qualitate frigida nocere, non etiam mole. Scito tamen, sanguinem perfectum, qualis est, in quo calor fundatur, esse perfectè coctum, quare si in sanguine cruditates abundent, abundant in eo partes sustinendo calori ineptæ. Iure igitur calor exiguus dicitur, quoties exiguus est sanguis bonus, in quo fundatur. Tu verò Hippocratis decreto adhærens, dicis, eos, qui crescũt, nempe pueros, plurimum habere calidi innati, poterisq; hinc mihi opponere: siquidem pueri multis abundant cruditatibus, & nihilominus plurima etiam calidi substantia abundant. Ita est: sed puerorum innatus calor, suæ adhuc origini proximus, vegetus admodum est, ac proinde cruditates possunt illum aliquantulum supprimere, & mitem efficere, prorsus autem opprimere non possunt. Hoc cognosces, quia iuuenes parem habent cum pueris calorem, sed ob coniũctam siccitatem acriorem: & humiditas, quæ est in puero, si in iuuene sit, eius calorem suffocabit, & morbos frigidos in eo gignet. Iam ergo vides, cruditates posse calorem iuuenilem, qui puerili est æqualis, minorem reddere, puerilem verò ob vim, quam ex suo exortu adhuc habet, non posse. Verùm quid immoror? non ne medici, quos tu alibi non semel recipis, caloris naturalis nomine substantiam intelligunt? quis autem negabit, magnum, & paruum esse attributa quantitatis, quæ substantiæ necessariò inest, & sic esse corpus, cui conuenit magnum esse, & exiguum? Exemplum affers, quo te fortasse magnum sophismatum inuentorem apud tuos pueros iactasti: ego te stolidum propugnatorem appellabo: sic enim ais: *Iam calor non est exiguus, quia cruditatibus opprimatur, a quibus tamen languidus effici potest: ita sub onere grauissimo baiulus oppressus vires habet adeo languidas vt à puello facile deturbetur in terram, at non ideo dici debet exiguus.* At non ne vides, calori nil aliud esse, quàm suam actionem, qua diminuta, diminutus dici solet, ac proinde exiguus? baiulo autem multa supersunt, quæ oppressa non sunt, vt vox, qua clamat, brachia, & manus; quibus posset tibi colaphum infligere, ac proinde non dicetur secundùm se totum exiguus, sed secundùm eas vires, quas oppressas habet. Et tu homo grammaticus, quid times corpus, quod suis actionibus obeundis impotens est, exiguitatis nomine nuncupare? Aude igitur, & cum audias Claudianum dicentē, *Abundans corporis, exiguusq; animi*, dicito abundans animi, exiguusq; corporis: & de hoc infra diffusius agam. *Infra sect. 2. cauill. 5. nu.*

10 Iam his admonitus resipiscis, & saltem medicis vulgaribus permittis, vt cõfundant caloris exiguitatem, cum eiusdem imbecillitate: me autem, quem medicum, & philosophum præstantissimum esse censes, non decere, nisi subtilia, & procul à vulgo theoremata. In primis tibi gratias ago, quòd præclarum de me iudicium facias, in quo veritatis vim admiror, quæ te inuitum ad ita sentiēdum traxit, deinde precor te, vt sinas, me inter vulgares medicos, & philosophos iacere, siquidem pro comperto habeo, in hac loquendi forma, de qua agimus, te ignarum eius, quod apud Galenum scriptum reperiatur; Miserum Galenum inter vulgares proiecisse! ille namq; in aphorismo, à te paulò ante citato, habet hæc verba: *Senibus verò paucum inest calidum: his sanè iuxtà vtriusq; appellationis significatum paucum inest calidum, siue quis ad qualitatem sermonem referat, siue ad substantiam.* Dixit *paucum*, tu dicito exiguum. Alibi etiam magnitudinem (quod itidem de paruitate censendum est) & ad quantitatem, & ad qualitatem confusè refert, inquiens: *Non solum autem magnitudo qualitatis aliquod nobis dat doloris indicium, sed etiam quantitatis.* Neq; verò Galenus gram- *Ga. 1. aphor. 14.* *Ga. 6. aph. 5.*

H maticæ

Ga. 3. de cõp. med. p gen. c. 2.

maticæ ignarus erat, quippe cognouit quantitatem, & qualitatem non admodũ propriè confundi, attamen non hanc phrasin iccirco reprobat: inquit enim: *Nã haud ita propriè quantitas in qualitate dicitur, quamquam dicatur tamen, vt febris magna, & parua.* Sic ille. Si ergo febris, quæ est calor qualitas, dici potest parua, cur non licebit, calorem naturalem, quem substantiam esse dicimus, paruum similiter appellare?

11 Hanc verò calumniam, grammatico sophisticam, sic diluisse sit satis. Cæterùm ad institutum iter reuertor. Pergis sic: *Vt sinè spiritibus viuunt plantæ, iuxq; vitæ munia exercent, ita sinè animalibus ad nutricatum, & longè magis ad vitam spirituum non est opus.* (hic tuam grammaticam accuso; *magis non est opus,* dicis, pro *minus est opus*) *quorum opera sensui, ac motui planè necessaria est.* Hæc transcribis in tuis Bacchanalibus, quæ ego legens, & admiratus, & risu percitus (risum ex admiratione cum Fracastorio, quem Vallesius aduersus Valleriolam defendit, oriri certum est) exclamaui inquiens, ò pulchrum dictum! Ecce nũc repeto eandem exclamationem, quam curabo ne typographus sinè suo proprio signo edat, ne tua canina rabies hic hæreat. Et non te pudet in hisce quisquilijs hærere? Hanc exclamationem diluis encomio ad te scripto, quod aliquãdo me tibi explicaturum polliceor, vt scias, Puteanum sub adulatoris personã irrisorem abscondisse. Tandem exclamationi rationem addidi: quia scilicet, cum à plantis ad homines argumentum ducas *Parum sanè abest, quin etiam nos terræ radicibus hærere dicas.* Putabam, te hæc audientem faciem in ipsius terræ fossa aliqua, præ pudore abditurum. Verùm vbi nullus pudor, nulla etiam facies, non poterat hoc accidere, imò accidit contrarium: & adhuc persistis aiens, *Neq; si tale quid dicerem a viris doctis culparer: nam Aristotelem talia dicentem admirantur omnes, quotquot sapiunt.* Afferto ergo Aristotelis verba talia dicentis: affers ipsissima. nempe hæc: *Viuunt autẽ principio, & quæ in ouo & quæ in animalibus gignuntur vita plantæ: adhærendo enim capiunt alimentum.* Hæc fateor, sũt ipsissima, vt tu ais, verba Magistri: sed applicato ad rem nostram, efficiesq; enthimema tuæ logicæ consentaneum hoc modo. Pullus intra ouum, & lumbrici intra animalia viuunt adhærendo, ergo nos terræ radicibus inhæremus. Vis vt repetam exclamationem: ò pulcrhum dictum! Addis aliam Aristotelis autoritatem tua autoritate confirmatam, ea sic habet: *Stirpes enim, siue plantæ suis radicibus alimentum iam confectum ex terra hauriunt: quo circa ne excrementum quidem contrahi in stirpibus solet: terra enim, caloreq; eius, perinde ac ventre vtuntur: at animalium genus omne ferè, sed apertè quæ incedunt, quasi terram intra se continent sinum ventris, ex quo, vt illa radicibus, ita hæc aliquo intercedente cibum assumere debent: donec finem sequentis coctionis faciant.* Hactenus Philosophus: & certè si verba hæc ad confirmandam sententiam tuæ sententiæ oppositam attulisses, rem optimam fecisses. Nam Aristoteles ibi nihil aliud agit, quam, quasi tuæ asinitatis præscius, eam demoliri, atq; ostendere homines, non sicut plantas, terræ radicibus inhærere, sed quasi terram intra se continere sinum ventris, & hoc præcipuè se tribuere, ait, iis animalibus, quæ incedunt, vt de incessu loquens te liberet ab ignorantiæ vinculo, quo astringebaris existimans posse dici, nos terræ radicibus inhærere. Sed ne à logica recedamus, confice ex verbis Philosophi argumentum, quo probes id, quod probandum proponis. Plantæ terra, & calore eius pro ventre vtuntur, animalia gressilia quasi terram intra se continent sinum ventris, ergo nos terræ radicibus inhæremus. Confers te deinde ad Galenum, cuius duplicem habet tuo sensui (vt putas) accomodatam sententiam: prima est: *Sed cum posteà aliorum omnium, & medicorum, & philosophorum sententiam esse cognouerim, fœtum vsq; ad expressam formationem plantæ modo dispensari.* Hæc etiam Galeni verba tuum frequens subeunt infortunium, vt scilicet contra te faciant: nam si vsq; ad expressam formationem fœtus, vti planta dispensatur, ergo post expressam formationem non ampliùs, vt planta dispensatur. Altera sic habet: *Verumtamen de plantarum etiam ortu aliquid priùs considerandum videtur: ex ijs enim, quæ necessaria plantis sunt, licebit cognoscere, quot, & qualia sint ea, quibus fœtus indiget, quibusq; vna anima, perinde ac plantæ, regitur, ac dispensatur.* Si tu ex his Galeni verbis colligas, nos radicibus terræ inhærere, do manus, & eos, qui ad te scribunt non ampliùs te irridere, sed verè laudare prædicabo.

12 Relictis autorum dictis ad rationem te confers, cuius vim *mihi* percipi negas (à me percipi dicere voluisti: error est in grammatica tibi satis familiaris) sed

quæ

Margin notes: p.163. — *Infra q.7. in fine ad secūdā calumniam.* — *Ar. 3. gen an. c. 2.* — *err. Satyri in logica.* — *Ar. 2. de par. an. in c. 3.* — *logicæ ignorātia Satyro familiar.* — *Ga. de fœt. form. c. 3.*

quænam est isthæc ratio, cuius vim percipere non possum? *Agimus*, inquis, *de*
nutricatione, quæ functio prodiens ab anima vegetali, competit hominibus ratione illius
vitæ, quam communem obtinent cum plantis : cum ergo spiritus necessarij non sint vitæ
plantarum, planè spiritus (quos ad sensum, & motum necessarios homini, proindeq;
vitæ animali confitemur) vitæ vegetatrici, vitæq; simpliciter in homine necessarij non
sunt. Siste hic parumper, reliqua, quæ sequuntur, postmodò referemus. Nutrica- ★
tionem dicis esse functionem ab anima vegetali prodeuntem, (vegetabili potiùs
diceres) quæ communis est animalibus, & plantis: Sic animam plantis tribuis: Ga. 1.
esto: Galenus tibi ita dicere concedit, dummodò tamen agnoscas, te inusitata facult.
dictione vti. Quoniam autem (vt idemmet sibi meritò persuadet) claritas maxi- nat. c.
ma est dictionis virtus, atq; ea nulla perindè re, atq; inusitatis nominibus vitiatur, 1.
prout vulgus hominum consueuit ita nominās, animal quidem ab anima, simul
& natura gubernari dicit, stirpes à sola natura : tum auctionem, & nutritionem
naturæ esse opera, animæ nequaquam. Diuersitas tamen in hoc consistit, quod
Stoici, referente eodem, *Ne animā quidem prorsus, quæ plantas dispenset, ac procuret,*
sed naturam appellandam censent: Nihilominùs animam, & naturam spiritum esse Ga. 6.
contendunt, sed humidiorem, frigidioremq; naturalem, animalem contra ari- d.plac.
diorem, atq; sicciorem. Aristoteles verò, & peripatetici omnes, animam planta- cap. 3.
rum propriam vegetabilem, naturalem, altricem esse, dicunt, propriam verò ani- quod
malium sensitiuam appellant: nam hæc sensus, & arbitrarij motus principium anim.
est, illa verò auctionis, & nutrionis. Stoici ergo, qui non dignati sunt, plantas mores
animæ, sed naturæ duntaxat participes facere, eis tamen spiritum, tametsi humi- c. 4.
diorem, frigidioremq; non denegarunt: Quid putas facturos peripateticos, qui
animam plantarum hoc nomine dignarunt: plantis ne, dum animam concedunt,
spiritum etiam non concedent? profectò in plantis principium animam quandā
esse apud Aristotelem scriptum reperio: anima an sinè spiritu sit, non dum reperi. Ar de
Anaxagoras eas spiritum habere ait, quod non placet Aristoteli, quoniam ani- an lib.
malia non pauca spiritu carent; Ego quænam hæc sint, non planè noui, siqui- 1.t.95.
dem, eodem affirmante, omnia & sensum tactus, & appetitum habent, quæ duo A.1.de
non sunt sinè spirituum ministerio. Verùm de plantis quid sentiatur, parum in- plant.
terest, de animalibus, præcipuè de homine, hoc sat scio, spiritum naturalem, hoc c.1.
est, qui naturalibus inseruit functionibus, inter quas est nutritio, insitum sinè con-
trouersia concedi, influentem adhuc esse sub lite. Tu tamē huius rei ignarus neq;
quid inter vnum, & alterum intersit agnoscis, neq; istorum alterutrum admittis.
Interim te admoneo, vt caueas à tuo præceptore Costæo, qui, influentem necessa- Coste
rium esse, contendit, quanto magis insitum? *Nulla autem* (inquit ille) *animæ* disqu.
actio sinè spirituum, facultatem impellentium, deducentiumq; ope obiri potest: cur natu- med.
rali facultati spiritum quoq; suum naturalem, qui cum sanguine in iecore ortum habeat, pa.72.
non dicamus respondere? 73.

83 Insurgis tu, & non pateris, cum plantæ spiritibus careant, eosdem homini-
bus ad nutricationem, quæ communis est animalibus, & plantis, necessarios esse:
nec te mouet perfectio, quę in animalibus, quàm in plantis, maior reperitur, vt
admittas maiorem naturæ apparatum in animalibus ad nutricatum requiri; Scias
tamen, naturam animalibus duplex nutrimentum, duplexq; nutricationis princi-
pium accommodasse, quod superiùs ex Auerrois doctrina me tetigisse, memini. Auerr.
Itaq; venali sanguine membra, spiritu verò spirituosa substantia reficitur: venalis 2. coll.
sanguinis principium est iecur, spirituum cor: corde non opus fuit plantis, quia c.7.
nec spiritibus, saltem influentibus. Propterea Galenus dixit, fœtum genito iecore Ga. de
viuere, vt plantam, genito verò corde, vt animal iam administrari, quales sunt fœtus
hiatulæ, buccinæ, pinæ, ostreæ, patellæ, quæ vel minimo, vel nullo prorsus pulsa- form.
tili motu indigent. Hic tamē occurrit difficultas: cur enim genito corde, inquiens c. 3.
fœtum, vt animal administrari, exemplum adhibuit in conchilijs, quæ imperfecta
cum sint, videntur corde carere? nempe vt ostenderet, fœtum genito corde ani-
mal quidem esse, nullo tamen adhuc, aut saltem minimo pulsu indigere: sibi
namq; soli in fœtu intra vterum existente pulsat cor: quippe, & arterialem
sanguinem, & vitalem spiritum per arterias vmbilicales, ex matre suscipit. Meri-
tò ergo dicetur fœtus edito corde viuere, vt animalia imperfecta: quemadmodū
enim hæc vel nullo, vel minimo pulsu indigent, ita & fœtus genito corde. In
hanc rem, in tractatu de asitia dixi, *Non ne differentia est inter viuentia? plantis*
quidem longè nobiliorem vitam viuunt conchylia, quæ sunt prorsus ignobilia. Nec

video, quid magis apposite dici poterat; tu autem Bacchi forsan, aut Veneris abstractus curis, me, dicis, extra chorum saltare. Addis deinde distinctionem, qua extra chorum saltas: concedis namq; conchylia nobiliore vita frui, quàm plantæ ratione sensus; Non ne dico, te Baccho oppressum hæc scripsisse? quis vnquam comparauit inter se duo, quorum vnum incapax est illius rei, circa quam fit comparatio? nisi velis plantas, cum Platone, sensus capaces facere, & nec sic quidem effugies: etenim sensus, quem Plato stirpibus concessit, toto genere diuersus est ab animalium sensu: quippe sensus animalium actio animę cognoscitricis est, sensus autem, qui ad plantas extenditur, viuentibus omnibus est congenitus, magisq; propriè instinctus, quàm sensus appellatur. Itaq; dicere, vt tu dicis, conchylia nobiliorem vitam viuere, quàm plãtæ, ratione sensus, simile est, ac si dicas equum velociùs currere, quàm scopulum, ratione pedum. Grammaticum profiteris, & ignoras, apud grammaticos comparatiuum gradum esse, cuius proprium est superare positiuum, in ea qualitate, quam vtrumq; obtinet. Adiungis deinde. *At in vita vegetatrice non nobilius vegetant, ac nutriuntur conchylia, quàm stirpes?* Huic sententiæ, legislatorum more prolatæ, cuperem, vt rationem aliquam adhiberes: nam plantæ, licèt vberiùs vegetantur (quippe in magnam excrescunt molem) non tamen ideo nobiliùs: nobilitas vniuscuiusq; rei ex sui principij nobilitate deriuatur. Cum autem animarum pluralitas in vno singulari non sit admittenda, planta vnam habet animam adeò ignobilem, vt eam (sicut diximus) vix animæ nomine veteres fuerint dignati, nec animam perfectam, sed partem partis animæ habet magis, vt ait Philosophus: vnum etiam viuentis gradum obtinet, nempe vegetatiuum. Brutorum vna est anima, sed nobilior: quippe duos habet gradus, sensitiuum, & vegetatiuum: longè nobilior hominum, quàm plantarum, & brutorum est anima: gradus possidet tres vegetatiuum, sensitiuum, rationalem. Tota igitur anima hominis nobilior est in ratione animæ, quàm anima reliquorum, quæ sibi inferiora sunt; Similiter anima brutorum in ratione animæ nobilior est, quàm anima plantarum; nec mihi dicas, nobiliorem esse ratione sensitiui, nam præterquàm quòd ita dicere ineptia est, quippe animalia non dicuntur superare plantas in eo, quo plantæ carent, illud etiam est certissimum, bruta non ex vno suæ perfectionis gradu, nempe sensitiuo, solùm perfectiora, nobilioraq; esse, sed ex eo, quòd duos habent gradus, quorum inferior ex coniunctione cum superiore nobilitatur; quemadmodum enim phantasia hominis, licèt sit eiusdem speciei cum phantasia bruti, est tamen nobilior propter coniunctionem intellectiuæ partis, cui inseruit, sic vegetatiua, quamuis sit communis animalibus, & plantis, nobilior est in animalibus, propter coniunctionem cum parte sensitiua: siquidem ex sensitiua parte vegetatiua exactiorem habet appetentiam, promptiorem expulsionem, terminatam satietatem, quæ omnia vegetantis potentiæ officia sunt, aliquo tamen sensus ministerio perfectiùs obeuntur. Nam quod attinet ad appetentiam, plantis quidem ea, quæ naturalis est, sufficit, animalibus non ita, sed alia insuper, quæ sensu diuulsionis perficitur, eis à natura est data; neq; verò putes, pluribus indigere ignobilitatis indicium esse: nam anima rationalis nobilissima pluribus indiget organis, quàm aliæ inferiores. Quod attinet ad expultricem: hæc quamuis omnibus ferè particulis adsit non tamen vtuntur ea, nisi cum vrgentur ab excrementis, quod Galenus animaduertit, vnde infertur, expultricem ad suum munus peragendum aliquam opem à sensibus expostulare. Quòd satietas etiam sensu cognoscatur, eiusq; ministerio vtatur, manifestiùs est, quàm vt verbis referre queam: sicuti etiam notissimum est, tria hæc officia circa vegetandi opus versari. Quare vegetabilis non, vt tu putas, in plantis est perfectior, & nobilior, quàm in animalibus, sed longè ignobilior, vt pote quæ ignobilioris animæ facultas est. Cadit etiam conuicta tua illa grammaticalis censura, qua non admittis, conchylia esse prorsus ignobilia, siquidem plantis sunt nobiliora: cum prorsus ignobile illud sit, *quod nullum gradum obtinet, quo superet aliud.* Sic ais: sed debueras sic adiungere, *quo superet aliud in suo genere,* & reperires, conchylia vilissimum esse animal in toto animalium genere: plantas ergo ex hac comparatione excludet quicumq; non est planta.

[Margin: error ĩ grãm. — Ar. I. plant. c. I. — Ga. I. loc. affect.]

14 Reuertor ad tuas discrepantias: spiritus ad sensum, & motum, proindeq; vitæ animali necessarios esse, fateris, vitæ autem vegetatrici, vitæq; simpliciter in homine necessarios non esse, tenaciter affirmas. In quo triplicem vitam (sic loqui

soles)

soles) constituis: vnam animalem, alteram vegetabilem, tertiam, quam simpliciter vitam appellas; hanc nō aliam esse video, quàm eam, quæ communiter facultas vitalis appellatur, & per arteriarum pulsationem in vniuerso corpore à corde mandata innotescit. Videris propterea solos admittere spiritus animales, qui vitæ animali inseruiunt, vitales, & naturales excludere, quorum illi vitæ simpliciter, hi vegetatiuæ deberent inseruire. Cæterùm non multò post ligatis neruis prohiberi, ais, influxum spirituum animalium à cerebro, ligatis arterijs influxum similiter auferri spirituum vitalium à corde; & sic spiritus vitales maiore errore concedis, quàm fuit ille, quo eosdem negasti; Nam quorsum spiritus hi vitales per arterias à corde deducuntur, si ad vitam simpliciter necessarij non sunt, & duntaxat ad vitam animalem, hoc est, ad sensum, & motum, spirituum ministerium requiris? vides ne, quàm sibi tua Bacchanalia constent? *Cōtradictio.*

15 Increpas deinde me, more solito, hoc est stultè, quod medicus cum sim, poteram & à Galeno, & ab anatomicis addiscere, spiritus non esse necessarios ad vitam: sed vide quàm infeliciter. Galenus, quem tu citas, ostendit neruos quosdam minutos, & capillorum instar subtilissimos, partim è dextro, partim è sinistro latere musculis immissos, quibus interceptis laqueo, vel cultro abscisis, vocis impotens animal redditur, nihil alioquin, quin viuat, & cætera peragat, impeditum. Quid hinc colligis aliud, quàm neruos illos, voci inseruientes, abscisos vocis actionem auferre? nunquid propterea spiritus per arterias dilapsi vitæ non inseruiunt? Hæc tua consuetudo est, vt autores cites, quid autem dicant parùm curas: sufficit, vt qui legit, marginem libri citationibus occupatam, potiùs conspurcatam videat. *Ga. de præsag. ad Posthum. c. 5.*

16 Accedo ad anatomicos, quos obseruasse ais, prohibito fluxu spirituum, & vitalium à corde, & animalium à cerebro ad partem aliquam determinatam ligatis arterijs, & neruis ad illud membrum tendentibus, non propterea vitam illius partis extingui, sed etiam viuere sine spiritibus, licèt motu, sensuq; priuentur, quas operationes restituto spirituum fluxu, per solutionem arteriæ, & nerui, denuò recuperat. Citas Realdum Columbum, qui similiter ac Galenus, quem citasti, loquitur de neruis reuersiuis, & in cane viuo experimentum faciēs, inquit, *Nam si illum* (nempe neruum reuersiuum) *digitis compresseris, dictum, ac factum misero cani vox imminuitur: si manum detrahas, ita vt animalibus spiritibus aditus pateat, vox denuò reuertetur. sin dextrum neruum abscindas prorsus amittitur. Nunc de sinistro,* &c. quæ prosequitur, & nihil ad præsentem rem faciunt: Inanes esse has citationes agnosces, si eas logica trutina sic examinabis. Nerui reuersiui, qui è cerebro procedunt, & voci inseruiunt, si abscindantur, vel quouis modo comprimantur, animal vocem amittit, ergo spiritus, tam animales, qui per neruos feruntur, quàm vitales, qui per arterias, non inseruiunt vitæ vegetabili, nec vitæ simpliciter. Quòd nerui è cerebro ducti sensui, motuiq;, non vitæ inseruiant, omnibus in confesso est, nec oportet ad rem ita manifestā Galenū, anatomicosq; consulere: quòd autem arteriæ vitali actioni sint dicatæ, hoc est, quòd per eas vitales spiritus, vitalisq; virtus feratur, si volebas Galeni autoritate addiscere, erat tibi adeundus liber de placitis Hippocratis, & Platonis, vbi sic habet, *Nam vbi siue nerui laqueo intercludebantur, siue præcidebantur, statim cernebamus continuas cum cerebro partes functiones suas pristinas conseruare, reliqua, quæ vltra laqueum, aut sectionem erant, & sensum, & motum continuò amittere. Simili modo arterias, quæ cordi essent annexæ, micare, quæ vinculo discluderentur, pulsu omnino carere videbamus: perturbationes item animæ, quæ in ira, & terroribus contingunt, cor ipsum à naturali sua constitutione exturbare manifestè conspiciebantur.* Plura prosequitur ad probandum (quæ illius ibi erat intentio) sensum, & motum per neruos è cerebro, vitalem facultatem per arterias è corde mandari. Cæterùm quod ad rem nostram facit, sectione, ligaturaue arteriarū, pulsum in parte vltra sectionem, ligaturamuè existentē amitti; At pulsus non spectat ad sensum, nec ad motum arbitrarium, non spectat ad nutrionem membrorum, spectat ergo ad illud tertium, quod tu vitam simpliciter, communiter omnes cum Galeno vitalem facultatem appellant. Sic manet exsibilatus tuus error: siquidē tam spiritus, qui per neruos excurrunt, quàm eos, qui per arterias, ad sensum, & motum duntaxat, non autem ad vitam, necessarios esse, asseuerasti. *Reald. Colū. l. 14.* *argu. infra err. in logica.* *Ga. de placit. Hipp. & Plat. lib. 6. cap. 3.*

17 Hac tua hæresi fretus bifurcatum conficis argumentum, in scholis cornutū appellatur, vtroq; nomine tuum. Nempe si membrum illud, cui tu arterias, &

nervos secuisti, aut ligasti, nutriri dixero, iam tibi consentiã, nutricationi spiritus non esse necessarios. At si membrum illud tunc nutriri negauero, planè tibi concedam, viuere posse partem animalis, atq; adeo totum animal absq; nutricatu. Cæterùm huius argumentationis cornua fragilia sunt: vide, quàm facilè ea tibi infringam. Ligasti ne benè neruos, & arterias, ita vt ex vtrisq; nulli spiritus ad membrum vltra ligaturam accedãt? ita sanè. Ligasti ne etiam venas? at hoc oblitus es facere. Hæc obliuio te perdidit: nam per venas etiã ab arterijs transfusione accepti spiritus deferuntur, quibus calor adhuc partibus communicatur. Hoc non meum inuentum est, sed expressa Galeni doctrina. *Ergo multoties* (ait ille) *Monarchis gregarijs militibus iam sæpe singulari pugna decertantibus, sed & venatoribus ita venas, & arterias vulnerari contigit, vt necesse medicis fuerit eas vinculo excipere: qui omnes non longo interposito spatio frigidiores sibi redditas partes senserunt: ac citius quidem, quibus tum arteriæ, tum venæ fuere deuinctæ: serius, quibus arteriæ tantum, minimè vero, quibus solæ venæ: ex quibus manifestum est, per venas quoq; aliquem particulis accedere calorem.* Sic Galenus, calorem quoq; per venas, veluti per arterias, minùs tamen, quàm per arterias, communicari admittit. Cæterùm hoc ita accidere, anastomosis nos docet, quod Galenus, discursu optimo reperit: cum enim semper euacuatas cum arteria venas deprehendisset, verum esse sibi persuasit commune dogma de communibus venarum, arteriarumq; osculis, & communi de vnius in alteram transitu: *quippe per hos transitus arteriæ dilatatæ ex venis trahunt, contractæ contra in eas regerunt.* Itaq; iam, ni saxeus es, assentiri debes, potuisse ligatis neruis, & arterijs, aliquid spirituum vitalium per venas cõmunicari: imò verò, si præceptoris tui Costæi dicto obediẽs es, vt esse soles, etiam per venas recepti fuerunt spiritus naturales influentes, quos ille cum plerisq; alijs, concedit: isti autem naturales spiritus vegetabili vitæ inseruiunt; Vt hinc possis addiscere, spiritus per arterias vitæ simpliciter, per venas vitæ vegetabili esse necessarios, quod est contra tuum illud stultum dogma. Manes ne ex hac prima responsione excors, an excorneus? sed tibi neq; cor est, neq; cornua deficere possunt, quoniam, sicut ramus ille aureus, *vno auulso non deficit alter.*

Ga. de vsu pul. c. 3.

G. ifra c. 5.

18 Compatior tamen tuæ fragilitati: Vade, & venas, quas solutas reliquisti, ligato: adhuc ligandi occasio est. Ligatis igitur, pete rursus à me, an membrum illud viuens nutriatur; Respondebo tandiù nutriri, quandiù viuens est. Interrogo, viuit ne sine influxu à corde? respondes alibi, calorem fixum diù superesse non posse absq; spiritu illo, quo nititur calor influens; viuet ergo per aliquod spacium: ergo per aliquod spacium nutrietur; Sed amplius tibi concedo: tu in præsente, absq; cordis influxu (quippe ligatis arterijs tollitur cordis influxus) animal viuere ais; Viuat (memineris tamen hoc disputationis gratia tibi concedi) viuat, inquam, ligatis neruis, arterijs, venis; insurgis exultans, & ais, tibi à me concedi nutricationem sinè spiritu. Sinè spiritu ne influente? esto. At oblitus iterum es, dari spiritum naturalem insitum: & implantatum, qui sectione non tolleretur, nisi vita periret. Pereat ergo ista tua memoria cum tui etiam memoria, siquidem semper aliquid obliuione obliterari permittis, vnde in foueas cadis. Alterum argumentationis cornu est: Si membrum istud nutriri negauero, tibi iam concedam, viuere posse partem animalis, atque adeò totum animal absq; nutricatu. Hoc cornu ventos inuadit: nam tu cum eo hostem fingis, quem ferias. Ego nunquam tibi negabo, membrum, quod viuens est, non nutriri: negabo tamen viuere id, quod nutriri nequit, imò id, quod actu non nutritur. Sed de hoc iam satis alibi.

☞ Cõtradictio. ☞

p. 184.

p. 164.

19 Verùm quoniam agimus de ligatura nerui, & arteriæ in aliquo membro, & tu in hoc secundo cornu ais, viuere posse partem animalis, atq; adeò totum animal absq; nutricatu, videris ex eo, quòd pars non viuat, colligere, totum animal non viuere: quæ quidem stultitia dici potest stultitia stultitiarum. Nunquid si tibi concessero, posse vnum membrum viuere sinè nutritione (quod tamen non concedo) eadem erit ratio de toto animale? Accipe brachium paralysi resolutum; hoc adhuc viuit, licèt sine sensu, nec motu, aliàs si non viueret, intra quatriduum putridum, putidumq; esset. Viuit, inquam, quoniam vitium non est præcipuè in arterijs, non sunt tamen arteriæ omnino liberæ: quare parum caloris est, quod ad brachium istum accedit, pauca propterea fit nutritio, vnde progressu temporis brachij exsiccatio atrophiam indicat. Hanc atrophiam ego, medicorum quidem consensu, valde diminutam nutritionem appello, tu peruicaci-

ter nullam nutritionem esse dicis. Circa hoc alibi contendimus, in præsens autem conueniamus: sit atrophia illius brachij priuatio omnimoda nutritionis. Habebis ergo, iuxtà tuam mentem (non secundùm mentem dictorum) membrum sinè nutritione viuens. At poteris ne hinc arguere, idem posse accidere vniuerso animali? nequaquam. Hoc tibi in Galeni doctrina demonstro: inquit Galenus: *Omnes animantis particulæ proprium nutrimentum ad se ipsas trahunt, æquali tamen attrahendi robore non vtuntur omnes: ideoq; in sanguinis indigentia, non æquè omnes alimento destituuntur: cor enim cum vehementissimā habeat attrahendi actionem, alimento nunquam indigebit, nisi prius omnes animalis particulæ ad extremam deuenerint inopiam.* Habes igitur, cor vltimum esse, quod laborat in vniuersali atrophia. Viuit ergo adhuc totum animal, illæso corde, sed non caret nutritione totum animal, quia cor, quod est animalis pars, adhuc nutritur. Perge igitur: fac, vt cor non nutriatur, adhoc vt possis dicere, totum animal non nutriri; num viuet animal cessante actione cordis? minimè. Audi Galenum eodem capite in principio. *Senectutis autem marcor dissolui profectò non potest, succurri tamen, vt quamplurimum producatur, potest: & hæc est illa medicina pars, quæ græcè γηρoκoμική, idest senum nutrix, dicitur, cuius quidem scopus est (vt etiam ipsa rei natura indicat) obsistere, prohibereq; prout fieri potest, ne cordis corpus adeò exsiccetur, vt tandem aliquando agere desistat: nam is est vitæ finis, ipsa nimirum cordis ab actione cessatio: quandiu enim cor secundùm propriam sui ipsius actionem mouetur, fieri nequit, vt animal moriatur.* Hæc Galeni verba manifestè tibi ostendunt, dum cor non accedit ad summam siccitatem, non posse animal mori, dum autem cor non est exsiccatum, non potes dicere, totum animal nutricatione carere: siquidem adhuc præcipua eius pars nutritur; Ex quo patet, fatuum esse dicere, quod tu dixisti, si membrum viuens non nutriatur, *viuere posse partem animalis, atq; adeò totum animal.* Expunge illud *atq; adeò totum animal,* & sic remanet tua propositio, si non vera, saltem non fatua. Expunge etiam quod addis, fieri hoc non obstante mea iugi consumptione radicalis humoris à calore: nam quorsum meam appellas, si omnium quotquot vnquam fuerunt, sunt, & erunt, communis est? Tu verò, qui autorum placita ignoras, iudicasti forsan hoc meum inuentum esse, meum somnium, meam chymæram, cum tamen nihil magis frequens, magisque vulgare sit. Ga. de marc. c. 5.

20 Nolo tamen, vt hinc discedas, nisi hac hæresi solutus, adeò vt vel coactus fateare, te mentis compotem non fuisse, quando dixisti, spiritus non esse necessarios ad vitam, sed ad sensum, motumq; duntaxat, & vitales, qui excurrunt per arterias, cum animalibus, qui transmittuntur per neruos, permiscuisti. In primis ergo cōtradictionem pessimam, quæ in tuis istis Bacchanalijs reperitur, corrigito, Cōtradictio. nam semel ais: *Ligatis, aut sectis arterijs, & neruis, ad illud membrum tendentibus, non propterea vitam illius partis extingui, sed etiam viuere sine spiritibus, licet sensu, motuq; priuentur.* Iterum verò alibi sic: *Qui diutius absq; suscepto nutrimento permanere possunt homines in vita, illi eidem* (diceres potius ijdem, si grammaticis tyrocinijs fuisses initiatus) *breui moriuntur, si vitali spiritu à corde sibi per arterias cōmunicato prorsus destituantur: etenim spiritu illo nititur calor influens, sinè quo diù superesse nequit calor fixus cuiq; particulæ.* Vah quàm impudens est isthæc contradictio! Ex vna parte sectis neruis, & arterijs possūt animalia viuere sinè spiritibus, ex altera breui moriuntur, si vitali spiritu à corde per arterias communicato destituantur. Deniq; semel dixisti, spiritus non esse necessarios ad vitam, iterum dixisti, spiritu illo nititur calor influens, sinè quo diù superesse nequit calor fixus cuiq; particulæ, ad cuius caloris implantati, fixiq; defectum, atq; dissolutionem homo moritur. Si in spiritu consistit calor influens, in calore influente fixus, in fixo vita, quomodò spiritus non est necessarius ad vitam? Gordius est hic nodus: dicam nodus Gordi⁹ cum Ausonio. *Ocyùs illa iugi fatalis soluere lora Pellæum potuisse ducem, reor.* &c. Tu facito Pellæi ducis modo: ne soluito, sed rumpito.

p.164. ☞ p.184. ☞ ★

21 Dehinc cupiens te docere, quomodò differant spiritus necessarij ad sensum, & motum, quos tu solos esse putabas, ab spiritibus necessarijs ad vitam, quos negasti, multa reperio media, nullum tamen facilius, quàm ex differentia inter lypothomiam, & syncopem, de quibus pauca quædam attingam. Iubet Hippocrates, aliquando sanguinem extrahi vsq; ad animi defectum, quod Galenus Hip. 1. ap. 23. opere aliquando compleuit. Nunquid ad animi defectum, hoc est, ad syncopen? apage: nam syncope affert secum mortis periculum, ad hoc autem nunquam sapientissi-

pientissimus Senex ægrum deduceret: igitur ad lypothomiam, quæ sinè periculo est. Cur ita? nempe quoniam in lypothomia pulsus adhuc, & subinde vitalis virtus est constans, animalis duntaxat, quæ sensũ, motumq; exhibet, labitur; syncope ad cor spectat, in ea vitalis virtus deficit, arteriarum concidit pulsatio, adeò vt
Hip. 2. aph. 41. huic proxima sit exolutio, quæ frequenter, fortiter, & absq; causa manifesta accidens repentinam mortem denunciat. Itaq; in lypothomia spiritus animales, sinè vitæ discrimine minuuntur, in syncope vitales cum periculo mortis labuntur. Si sapis, palinodiã cantato, nec ampliùs dicito, spiritus non esse vitæ necessarios.

Interruptio nutritionis falsis nititur fundamentis. Articulus Duodecimus.

Altricis animæ ferias publicasti: concurrunt viuentia, & cum sibi ocium paratum arbitrarentur, negocium reperiunt, tuumq; vanum dogma homo, qui risibilis est, irridet, cætera suo quæq; modo execrantur. Plantæ hyemem expectabant, vt quiescerent, inani tamen spe delusæ sibi tunc radices crescere sentiunt: nec aliter fieri poterat: viuunt hyeme, nutrimentum sibi adhærens habent, carent libertate: qui poterunt ocium capere? Animalia imperfecta eandẽ cum plantis subeunt sortem: perfectiora hominem se ipsis longè perfectiorem prospiciunt. Homo rationis particeps, rationem à te quærit. Tu Lucomoros tuos, tuam auiam; tuos glyres in testimonium affers. Testes isti nil tibi fauent, quippe toto illo tempore, quo sopita iacent, nec ocium, nec negociũ se agnoscere profitentur. Autores omnes, rem priùs speculati, à ferijs huiusmodi abhorrent, & aliquod occultum alimentum indagant: quidam cruditates intus latitantes, alij alia causantur. Tu solus ex Recho patria tua has attulisti ferias; Sed in descriptione totius orbis Recho non inuenitur, quare sponde pro Recho, & rationes eius, scitu ne, an risu dignæ sint, nobis exhibe.

2 Tu itaq; sic ais. *Ego diuturnæ abstinentiæ causam esse scripsi, formalem quidem vnam nutriendi cessationem.* p. 23. Siste precor: hic me detinet admiratio. Magnam rem narras: duas hic priuationes affers abstinentiam, & nutriendi cessationem, illa est effectus, ista verò causa; nunquid priuatio priuationis est effectus? & quod peius est, effectus formalis? Accedamus priùs ad causam: ea est cessatio nutritionis, quę priuatio cum sit, non habet esse; formalis causa dat esse, dat ergo isthæc cessatio id, quod non habet. Tunc ad effectum: effectus est abstinentia, hæc similiter priuatio est, quæ cum non habeat esse, non indiget formali causa. Præterea causa formalis inter causas continentes recensetur: ea posita ponitur effectus, & ablata aufertur. Auferto igitur causam istam formalem, nempe nutriendi cessationem, subitò etiã abstinentiam auferri necesse est. Cessante igitur nutritionis cessatione cessabit abstinentia, & non abstinebit animal ab alimento. Sed à quonam alimento? nunquid ab externo aliquo? at externum alimentum non ita promptum est, vt momento temporis offeratur, accipiatur; Ergo si cessante abstinentia animal momento temporis ad alimentum conuertitur, non ad aliud conuerti potest, nisi ad internum: aderat ergo priùs, hoc est, tempore cessationis à nutriendo, aderat, inquam, internum alimentum, aderat calor vitalis, quia animal eo tẽpore viuit, aderat facultas, nam hanc tu non abesse concedis; Nescio igitur præsente causa, nempe facultate, instrumento, nempe calore, obiecto, nempe alimento, cur altio cessare debet. Sed tu quicquid sit de causa formali, ad efficientem recurris: hanc quoq; examinabo.

3 Pergis vlteriùs sic: *Effectricem verò, de qua nunc loqueris, geminam, quarum vnam ostendi esse virium caloris & humoris æqualitatem, non ob quam vterq; simpliciter ociatur, & mihi perperam adscribis: at ob quam neuter alterum superet, ac destruat: nam vtrumq; comparaui duobus athletis æquales vires habentibus, qui diu colluctantes, ambo fatigantur, sed nemo alium superat.* Alterum debueras dicere, ò grammatice, non *alium*: nam alterum dicimus de duobus, alium de pluribus. Porrò effectrix causa apud te est æqualitas, sed æqualitas relatio est: poteris ne efficere, vt relatio efficiendi vim habeat? si hoc posses, adeò potens esses, vt tibi cederet natura rerum. Sed quid efficit tua isthæc causa efficens? prorsus nihil: nam si efficit abstinentiam, abstinentia priuatio est, & subinde nihil: si priuatio est, non fit, sed resultat. Quorsum ergo animũ, & aures nobis effectricis causæ nomine perculsisti?

sti? sed quomodò resultat abstinentia? nempe impedita substantiæ consumptione, non quia impediatur actio; nam, vt tu dicis, defatigantur inuicē agēdo calor, & humiditas, tamquam duo colluctatores parem vim habentes. Esto, & licèt impediatur victoria, hoc est, terminus actionis, non impediatur actio, sed producatur ex defectu termini. At si datur actio, cur ferias publicasti? Agit, ais, calor, feriatur facultas: durum quidem est agere instrumentū, ociari verò id, quod per instrumentum operatur. Quare si actio caloris est, ab aliqua facultate naturali est: hæc non est alia, nisi nutritiua: quod probo: nam quoties humiditas minuatur, calor per eandem actionem, quam edebat priùs, nutritionem operabitur, hoc est, continuabitur eadem actio, sed iam cum termino, nempè cum nutricatu; ergo actio prior erat à facultate eadem, nempe nutritiua, quare erit facultas nutritiua simul, & nutriens sinè nutritione, siquidem operabitur, & non sequetur ab actione actus nutritionis. Vide miser, in quas deduceris ineptias. Quereris tamen quòd tibi adscribā falsò, caloris ocium. Cæterùm monstrabo tibi, nihil
p.24. in hoc tibi falsò esse impositum. Non ne dicis, calorem, vt instrumentum animæ motricis, ac sensitricis, non ociari, etsi nutricatum non moliatur? hoc quid aliud est, quàm calorem non esse ociosum circa sensum, & motum, & circa alias functiones, quas ibi refers, esse tamen ociosum circa nutricatum? At ego de nutricatu agens, meritò te dixisse, aio, calorem esse ociosum: siquidem ociosum est in ea re, de qua ago: in alijs quid ad nos? Itaq; tu, qui alibi etiam calorē in abstinentibus, inquis, à nutriendi munere feriari, non debueras clamorem excitare, quòd dixerim, te causam abstinentiæ ad ocium caloris retulisse. At tu dicis, me dixisse, à te esse dictum, calorem simpliciter ociari: expunge quæso illud *simpliciter*, ne dum tibi falsò aliquid impositum esse, ais, falsò aliquid mihi imponas. *Cōtradictio.* p. 9.

4 Porrò inquis, causam effectricem abstinentiæ esse virium caloris, humorisq; æqualitatem. Hoc iam, satis destruxi, sed tibi denuò idem restituam, ea tamen conditione, vt mihi dicas, vnde nam euenit ista æqualitas: num ex constitutione temporis? at hæc sæpe mutatur: num ex cibis? at isti nunquam ita eucrati sūt, vt in trutina qualitates suæ non magis in hanc, quàm in illam partem inclinantes habeant: num ab intrinseco? at tibi inferiùs probabo, non posse suapte natura humidum calido adæquari. Deinde duo colluctatores, quibus tu tuam æqualitatem comparas, simul colluctantes, tametsi æqualem vim habent, defatigantur, quod tu met fateris; vnde nam hæc defatigatio? ex pugna. Si ergo calor, & humor in sua æquali pugna fatigantur, vim amittunt, quare ex caloris, & humidi imbecillitate, quid nisi mors sequitur? Tertio, actio caloris, quæ cum æquali humore pugnat, est actio viuentis, & subinde ab aliqua facultate oritur, non à facultate sensitrice, & motrice, seu (vt medicè loquar) non ab animali: hæc enim licèt supponat subiectum calore naturali, & humido radicali præditum, non tamen actione calidi in humidum operatur, sed sensorij in suum obiectum. Ergo vel actio est à facultate vegetatiua, præcipuè à nutritiua, vel à facultate vitali, quā tu vitam simpliciter appellas, & sinè qua vegetatiua esse nequit. *Ar. 5. metap. c.14.* *Infra n. 36.*

5 Si æqualitatem inter humorē, & calorem supponeres in actione nutriendi, cum hæc actio sit caloris in humidū nutrimentale, tua isthęc æqualitas esset impossibilis; nam siuè æqualitatem in quantitate esse velis, siuè in gradibus, semper calor potentiùs agit, quàm humor. Tu tamen rem tuo palato accomodans tot gradus caloris minuis, tot humoris auges, vt neutrum alterius vires queat superare, & sic, licèt æqualitas non sit in re, sufficit quòd sit in agendi vi. Quòd si dicam adhuc, calorem superare, quia dirigitur à natura, humidum verò alimēti est extraneum, tu etiam bilancem ita compones, vt extraneum æquipolleat naturali. Sed neq; sic effugies: nam calor ita depressus, vt extraneo agenti par fiat, à suo naturali statu deficiet, ac proinde, quoniam nihil violentum est perdurabile, æqualitas ista perdurabilis non est.

6 Sed video, te æqualitatem constituere in actione caloris naturalis in humidum radicale: hæc enim est, quæ efficit, vt sinè cibo possit animal perdurare sicut è contrario ex inæqualitate, vel superante humido suffocatur calor, & aduenit mors, vel superante calido dissipatur humidum, & ecce nutritionis necessitas. Hic ab erudito lectore summoperè peto, atq; contendo, vt apud te, si ocium ei suppetat, labyrintheas diuisiones, & multiplicis dictionis chaos parumper legat, & postquam ibi fuerit submersus, videat, quàm doctus emergat. Ego, quæ meę sunt partes, nudam sectabor veritatem. Supponis igitur, posse æquales esse *l. 3. de bis qui sine alimēto*


I vires

vires caloris, & humidi radicalis. At ego suppono, humidum esse pabulum caloris, tu renuis, mihi demonstrare incumbit, faciam inferius: neq; enim nunc filum orationis libet abrumpere. Sit itaq; hypothesis, humidum esse caloris pabulum: vel ergo pabulum istud est minus, quàm calor postulat, & sic deficit calor defectu pabuli, vel est maius, quàm conuenit, & sic suffocatur calor, velut ignis congerie lignorum: vel est æquale (quod tu vis) & sic non habet rationem pabuli, quippe de ratione pabuli est, vt eo pascatur id, cuius est pabulum; Si igitur calor humido non pascitur, ex defectu pabuli extinguetur, inde mors accidet, quæ est extinctio caloris.

7 Vlterius fictitia est isthæc æqualitas, vt pote non minus impossibilis, quàm chymæra: nam calor suapte natura semper humidi resistentiam superat, resistentiam, inquam, neq; enim tibi admitto inter calidum, & humidum, vt tu vis, esse reactionem; quod vt intelligas, scire debes, resistentiam quandam esse propriam, aliam impropriam: impropria est (quæ positiua etiam appellatur) inter duo contraria inuicem agentia, esse autem dicitur impropria, quoniam non est instituta nisi ad agendum, & agendo, & suum contrarium expellendo censetur resistere ei, v. g. calor agens in frigiditatem, & expellens illam dicitur frigiditati resistere: propria verò resistentia ea est, quæ non consistit in actione, neq; in aliquo actu positiuo proueniente à potentia actiua, sed consistit in priuatione actus: vnde talis resistentia est potiùs quædam impotentia, seu incapacitas, quàm propria potentia, seu potiùs est quædam incõpossibilitas, & repugnantia, qua actio agentis, vel minuitur, retardaturq; vel prorsus impeditur.

8 Sicut ergo resistentia impropria reperitur inter duo, quæ duas habent conditiones, vnam, vt sint inter se contraria positiua, alteram, vt vim habeant agendi, calor namq; resistit frigori, & frigus calori, per suas proprias contrarias actiones, ita ea, quæ propria appellatur, duas habet conditiones, prima, vt communis sit tam agentibus, quàm non agentibus: cæterùm agentibus, quæ resistunt, nõ per eam qualitatem, qua agunt, (nam sic coincideret hæc resistentia cum priore, quàm diximus esse actionem) sed per solam incompossibilitatem, & innatã repugnantiam: e. g. albedo agit quidem disgregando visum, hæc tamen actio non dirigitur ad nigredinem, & tamen nigredinem non compatitur secum, sed ei resistit, non per aliud, nisi ob contrarietatem, quam inuicem suapte natura habent. Non agentia verò manifestum est non resistere per actionem: siquidem actionem non edunt, vt opacitas, quæ non agit, & tamen illuminationi resistit.

9 Altera conditio propriæ resistentiç opposita alteri, ex conditionibus resistẽtiæ impropriæ est, vt non sit inter duo agentia contraria positiua, sed vel inter contraria non agentia, vt durum, & molle, quæ sunt contraria, & sibi inuicem resistunt, non edunt tamen actionem, per quam resistant: vel inter priuatiuè opposita, vt cæcitas, quæ, cum priuatio sit, non agit, visioni tamen resistit, & diminuta visio, quæ retardat visionem: vel inter duo, quæ non sunt contraria, sed disparata, vt densum, quòd penetrationi alterius corporis resistit, licèt in illud corpus non agat.



10 Si quis igitur quærat, cur admisi humido resistentiam versùs calorem, non verò reactionem, respondebo, humidum calori resistere per propriam resistentiam, quæ, vt dixi, nullam habet actionem. Est autem resistentia propria duobus

nominibus

nominibus, tum quia non resistit ea qualitate, qua agit, tum quia non est calori contraria, sed disparata. Quòd non resistat qualitate, qua agit, tibi demonstro: nam humiditas, & siccitas tametsi dicatur qualitates passiuæ, agunt idem, sed minùs agunt, quàm patiantur. Est ergo actio humidi humectare, at humectatione non resistit calori, quippe calor secum humiditatem compatitur, vt patet in aere, & præcipuè in calore nostro naturali, quem substantiam humidam appellat Galenus: imò vt idem met aliquando ait, indiget, simulq; desiderat naturalis animalium calor copiosam humiditatem. Res ita habet: desiderat calor humidũ, quo pascitur, resistit humidum calori, à quo absumitur: non autem reluctatur calor agendo in illum: nam actio propria humoris est humectatio, quæ siccitati directè, non calori reluctatur. Quare humiditas non resistit calori per actionẽ, quam diximus esse impropriam resistentiam, sed per resistentiam propriam, hoc est, per incompossibilitatem, quam cum eodem calore habet. Si verò opponas humidum agere in calorem hebetando illum, sicut è contrario siccitas est lima caloris, respondeo, calorem non per actionem humidi hebetari, aut per actionẽ sicci acui, sed quia siccitas introducta in substantiã calidam addit illi penetrationem, humiditas verò minùs penetrantem, quare hoc magis accidit mutato substantiæ modo, quàm reactione qualitatum. Ga. 1. aph. 14. G. 3. de caus. puls. c. 10.

11 Dubitabit hìc aliquis, qui fieri possit, vt inter calorem, & humiditatem sit incompatibilitas, si simul esse possunt, vt patet in exemplis adductis de aere, qui calidus, & simul humidus est, & de calore innato, quem humidum appellat Galenus. Respondeo, caliditatem, & humiditatem, quia non se mutuò expellunt, vt albedo, & nigredo, esse ex propria natura compossibiles, non tamen semper, sed quandiù humidum consumptionem, quam patitur à calore, aliunde supplere potest; Sic aer, cuius materia, ex Aristotele, est aqua, aqueam humiditatem continuè conuocat in subsidium consumptionis, quam à calore subit: sic sanguis calidus, & humidus, ac subinde calor naturalis humidus deperditionem humiditatis reparat alimento. Quòd si aeri deesset materia ex aqua prorsus ignesceret, si calori innato desit alimentum, similiter ignescit, hoc est, euadit calor preter naturam. Hinc ex inedia febres ardentes accendi dixit non semel Galenus, quin & hecticam febrem, & marasmum ex inedia agnoscit. Habemus igitur, calorẽ, & humiditatem incompossibiles esse, siquidem calor humidum absorbet: aliũde tamen, hoc est, ab extrinseco, esse compossibiles, quia humidum potest continuo affluxu alterius humidi refici. Poterimus dicere, hæc duo esse incompossibilia non absolutè, sed sub conditione: dummodò scilicet vnum ex his non reficiatur aliunde; quæ autem absolutè incompossibilia sunt, nulla ratione possunt coniuncta simul permanere, sic calor, & frigus, albedo, & nigredo, intellige tamẽ in gradibus intensis. Arist. 4. phys. t. 49.

12 Alteram rationem, cur humidum resistentia propria, non autem actione aliqua calori reluctetur, esse, dixi, quoniam calor, & humidum non sunt contraria. Hic tu magnas excitas turbas, & effutire non cessans, vis contendere partim inanibus rationibus, partim conuicijs, & contumelis, & pertinaciter tenes, hæc duo contraria esse. Verùm statutum mihi est, ea, quæ longiorem expostulant responsionem, seponere in alium locum, in quo mihi sermonis continuitatem non abrumpant: iccircò inferiùs tuæ huic fatuitati fiet satis. Interim ne fortè dicas, humidum, siquidem patitur consumptionem à calore, necessariò debere in calorẽ agere: quippe *Omne agens agendo repatitur* ex receptissimo Philosophi axiomate. Scito, agens quidẽ repati, cęterùm dupliciter aliquid patitur, & subindè repatitur, vel per actionẽ sibi contrariã, vel per resistentiam sinè actione. Hoc tibi Philosophus met exemplo monstrat, ait enim, *Et quod secat hebetatur ab eo, quod secatur.* Nõ ne vides, durum aliquod lignũ serram hebetare nõ producta actione in serrã, sed per veram, & propriam resistentiam sinè actione. Si verò quæras, quomodò possit produci aliquid sinè actione, dicam tibi, te ignorare multa per resultantiam produci, neq; habere necessitatem actionis, per quam producantur, deinde etiam id, quod hebetatur, patitur quidem priuationem acuminis: at priuatio non producitur per actionem. Infra.

13 Iam ergo habes, humidum in calorem non agere, sed calori resistere: nunquam autem poteris efficere, vt hæc resistentia sit æqualis actiuitati caloris, & permanere possit: nam æqualitas hæc non fit augmentatione resistentiæ, (quippe resistentia semper est eadem) fit ergo deminutione caloris, vt quasi inclinetur

 & flecta-

& flectatur adhoc, vt resistentię par sit: at ita, iam tibi dixi, non esse in statu naturali, ac proinde durare nequire.

13 Reuertor ad tuam istam æqualitatem, hanc tibi iam dixi, posse nobis inferre immortalitatem: nam si quis per annos poterit conseruare calorem, & humorem pares vires habentes, cur tandem aliquando paritas ista dissoluetur? Tu ais, multos posse esse errores tum internos, tum externos, à quibus huiusmodi dissolutio fiat: Cæterùm errores vel sunt euitabiles, vel ineuitabiles: si sunt euitabiles, euitentur; Tu concedis, magnos euitari posse, paruos autem, cum lateant, ineuitabiles esse, & nos incautos, & inopinantes aggredi. Iam ergo erimus securi à magnis; parui verò non suapte natura sunt ineuitabiles, sed quia nos latent. Adhuc tamen instas, istos paruos, licèt eueniant, non posse caloris, & humoris æqualitatem demoliri. Sed heus tu caue, ne in paruos errores sæpe incidas: nam ex his fiet vnus magnus. Nolo tamen de paruis erroribus tecum contendere: demus, paruos errores sensim obrepere: demus etiam aerem sensim, & sine sensu nobis insinuari (alibi tamen efficaciam aeris, & vehementem in nos actionem tibi demonstrabo) omnia ad placitum tibi concedo. Inquis ergo, hos errores, hunc aerem non posse breui tempore illam caloris, & humoris æqualitatem demoliri, atq; ab ea dependentem abstinentiam terminare. Ita ne? at ego interrogo, nec mihi vitio vertas, quòd meas rationes resoluo in postulata, & suppositiones non probatas: nam si suppositiones non probatas reperias apud me, tunc victor exultato: sed hæc tua exultatio tunc adueniet, *Cum bos porrecto vltra Taygetum capite bibet in Eurota.* Quòd autem per interrogationes, & postulata procedam, ne damnato; hæc est optima ratio instruendi bouina ingenia. Interrogo igitur, cum dicis, non posse breui tempore erroribus æqualitatem humoris, & caloris dissolui, quid breuis temporis nomine designes: nam si breue tēpus intelligas tres, aut quatuor dies, nulla inter nos erit discordia, licèt adhuc aliqua esse posset: si verò breue tempus esse dicas plures menses, aut etiam annos, quibus abstinentes tui hanc æqualitatem (vt sic dicam) sunt perpessi, non admittam, nam sic ne lapis quidem persistit à gutta non excauatus, sed longè minore temporis spatio excauatur.

14 Sed tu, qui exemplo guttæ lapidem excauantis vteris, ne putato, Aristotelem voluisse vno ictu post multos magnam, & valde conspicuam cauitatem induci, vt inde accipias occasionem dicendi, animal per menses, aut per annos obdormiscens, & quasi mortuum iacens à continua aeris actione, nihil perpeti, sed postea vno aeris ictu prorsus expergisci. Mens Aristotelis est, lapidis cauitatem non fieri, ita vt possimus dicere *Si tantum expulit, ac remouit gutta, & dimidium in dimidio tempore prius; sed vt nauis tractio, ita & guttæ, tot tantum mouent; pars autem illarum in nullo tempore tantum: diuiditur enim quod remotum est, in plura; sed nihil eorum motum est seorsum, sed simul.* His Philosophi verbis constat, nullam guttam seorsim lapidem excauasse, sicut nullus homo seorsim nauim traxit, sed simul omnes: Hoc autem quid tibi fauere potest? fateor, vnum ictum aeris, aut cuiusuis erroris seorsim non euertisse tuam æqualitatem, sed euersionem tribuendam esse plurimis ictibus simul. Nunquid propterea expectabit æqualitas ista inconcussa, vt tota simul dissoluatur, an potius dissoluetur parum per plures ictus simul, deinde parum post alios, vt semper dissoluatur aliquid ab ea, non tamen quodlibet in qualibet seorsim parte temporis? Sic nauis impellitur aliquantulum à centum hominibus simul, non ab vnoquoq; seorsim, deinde iterum, ab q; eisdem impellitur, aliquando ita, vt sint plures impulsus, sed vnusquisq; eorum ex centum impulsibus constet. Deinde lapis sensim dispositiones suscipit, & post dispositiones excauatur, & cum viuens non sit, non habet facultatem, qua possit refici à damno harum dispositionum, & cauitatis inductæ, quare inducitur parua cauitas, quæ in dies augetur. At viuentium natura, nimium sui viuentis conseruationi incumbens, nunquam non aliquid molitur, quo deperditionem, quoad potest, corrigat.

15 Magnum proferam tuæ peruicaciæ argumentum: cum ego aliquando per quasdam proportiones alimenti ad partes anni demonstrauerim non posse intra corpus tantam seruare materiam, quæ sufficiat ad alitionem vnius anni, tu demonstrationem es cauillatus, dicens, alias ætates alijs plure alimento indigere, quin & hyeme maiorem alimenti copiam absumi, quàm æstate. Et nunc improbus falsi dogmatis assertor non erubescis dicere, abstinentem, qui per menses, & per annos sine cibo viuit, calorem, & humorem ita in æquilibrio habere, vt nulla

tempestas

Margin notes: ☞ p. 100. p. 101. (beside "fiat: Cæterùm…" / "tentur;"); ☞ p. 100. (beside "dentem abstinentiam…"); Adagiũ (beside "exultatio tunc adueniet"); Infra q. 9. ar. 4. Sycophātia 1. n. 29. (beside "buendam esse plurimis…" to "tulum à centum…"); ☞ p. 34. (beside "15 Magnum proferam…")

tempestas, nulla aeris mutatio, nullus error euitabilis, aut ineuitabilis bilancis linguam in alterutram partem faciat inclinare. Quid plura? non ne tu, qui mordicus tenes hanc æqualitatis inter calorem, & humorem durationem, alibi ais, certum esse, calorem nostrum assiduè mutari, & minui? cur ergo mutasti sententiam? Profecto tu ita inuariabilem, & in puncto æqualitatis positum hominem posse consistere, arbitraris: parùm tecum conuenit Iob, apud quem homo *Nunquam in eodem statu permanet*.

de his qui sic alimeto l. 2. c. 24. — *Cōtradictio.* — *Iob. c. 14.*

16 Putabam, iam omnem caloris, & humoris vim satis ab hominibus esse relegatam; cum ecce alia abstinentiæ causa aliam mihi inuehis æqualitatem; ais namq; in Bacchanalijs sic. *Alteram diuturni ieiuniȳ causam probaui esse tardam, & exilem admodum consumptionem humoris à calore.* Hanc causam alibi dicis esse aut æqualitatem virium caloris, & humoris ad iustitiam; aut saltem æqualitati huic ad iustitiam valde similem humoris, & caloris proportionem. Ecce habemus alia æqualitatem: prior erat ad pondus, vt scilicet inter calorem, & humorem pares omnino vtrinq; vires essent, posteriorem vocas ad iustitiam: iustum enim esse dicis, vbiq; formam, cuius proprium est continere, ac regere materiam, vires obtinere, non tamen adeo validas, quibus eam consumat. Hæc omnia te somniasse, reor: nam in primis peream, si nosti quid sit æqualitas ad iustitiam. Hoc agnosco, quoniam alibi inquis, æqualitatem caloris natiui, & radicalis humoris, quo ad iustitiam, nemine discrepante passim, & præcipuè in sano viuente reperiri posse, & longo tempore in mistis conseruari.

p. 23. — *li. 3. de his qui sine cibo c. 53.* — *Supra c. 47.*

17 Duo hinc colligo: vnum est tuam ethymologiam, qua explicas æqualitatem ad iustitiam dici, quoniam iustum est, formam vires habere supra materiam, non tamen adeo validas, vt eam consumat. Alterum in sano corpore nemine discrepante æqualitatem istam passim, & præcipuè reperiri, & longo tempore in mistis conseruari; Vtrumq; valde erroneum. In primis, quod attinet ad etymologiā, supponis, formam in materiam agere efficienter: siquidem ais, iustum esse, formam habere vires supra materiam, non tamen adeo validas, vt eam consumat. At formæ (vt tu met fateris) proprium est materiam continere, & regere, hoc autem præstat eam in actum reducendo, quare in materiam agit, non vt efficiens, sed vt informans, alioquin non ageret, vt forma informando, hoc est, præbendo esse, quod est eius proprium munus; Non potest ergo vnquam vires habere, quibus efficienter in materiam agens eam consumat. Deinde si tu vis, posse moueri calidum secundum aliquam sui partem, quæ separetur ab humido, & tamen humidum cum residuo suo calido remanere in corpore nec morticino, nec interfecto, sed vitam adhuc agente; si rursus vis alibi, calorem innatum in humido sibi subdito inesse, sicut inest forma in propria materia, facis, formæ partem aliquam euolare, & relinquere materiam absq; dispendio compositi, quod veræ philosophiæ aduersatur. Aristoteles quidem, qui formas naturales cum artificialibus comparat, non negaret, si destructa parte formæ artefacti, ipsum artefactum aliquid deperdere, sic deperditurum compositum naturale, si eius pars euolet.

Cōtradictio.

18 Sed dic mihi obiter, separari dicis, calidum secundum sui partem: calidi ne nomine intelligis substantiam, an qualitatem? si qualitatem, stultè loqueris: nam licet calor accipi soleat pro qualitate, aut pro substantia, calidum semper accipitur pro substantia, nunquam pro qualitate. Deinde si calor, vt qualitas est, recedat ab humido, & euolet ad supernam regionem, iam dabis accidens mutari de subiecto in subiectum: quod falsum esse ab Aristotele tu peripateticus poteras didicisse; Si vero calidum, hoc est, substantiam calidam euolare dixeris, iam hæc pars calidi secum deferet partem materiæ, & sic, præter quam quod nobis das materiale volans, quod non miranis, à nemine vnquam visum, cogeris etiam dicere: euolasse partem compositi: quare quod relinquitur, non manet integrum. Quod si forsan dicas, non remanere integrum, sed non remanere morticinum, quippe parte aliqua viuentis absumpta viuit adhuc reliquum: At mihi satis est, discessisse partem calidi innati, & abstulisse secum partem viuentis.

p. 105. — *p. 125.* — *Ar. 2. physic. tex. 10.*

19 Cæterum vide quam tibi constes, qui nunc dixisti, posse calidum innatum euolare, & viuens adhuc superesse, quare humidum non mutari ad mutationem calidi; & tamen superius comparasti coniugium inter calidum innatum, & humidum radicale, coniugio Indorum, apud quos vritur simul cum viro fœmina, non sicut Europææ coniuges faciunt, quæ mortuo marito ad secundas nuptias pergunt. Si ergo hac comparatione ostendis humidum simul cum calido perire;

p. 98. — *Cōtradictio.*

cur tui immemor negasti euolante calore necessariò moueri humorem ad motum caloris absentis, hoc est, euolare simul cum eo?

20 Vt autem possit lector facilè assequi, quàm doctrina ista tua Bacchanalium tempore scripta Bacchum olet, attendat quæso. Hic tu dicis *Simpliciter simul ac desinit humor radicalis, ilico medicis esse desinit calor naturalis, qui sine humore radicali non consistit: pariter simul ac desinit esse calor naturalis, ilico desinit esse radicalis humor, cuius ille calor est veluti forma: vt nunquam proprie contingat dissolui coniugium caloris, & humidi, dum alterum ipsorum tantum corrumpi accidat, cum alterum alteri superesse, sit impossibile, vtrumq; necesse prorsus est interire, si dissolui debeat calidi naturalis & humidi radicalis coniugium.* Hæc sunt tua verba, quibus etiam addis comparationem, quam dixi, sumptam ex vxoribus Indorum, quæ simul cum marito mortuo cremantur. Voluat igitur lector folium retro, & legat, quæ priùs scripsisti. Dixeram ego, coniugium indissolubile esse, quod fit inter calidum, & humidum. Increpas tu inquiens aduersus me sic. *Quis vnquam dixit coniugium id esse indissolubile? quis hoc assertum deducat è meis placitis, qui plures causas attuli coniugij dissolutrices? & quomodo tu id, quod fit, ais, esse indissolubile? non nescis omnia orta cadere?* Illud tuum *non nescis* laudo, quod idem est ac scis, quasi me interroges, an sciam, omnia orta interire. Scio quidem, sed scio etiam, ea, quæ non nisi simul intereunt, indissolubilia dici; Tu hoc negas. At vbi nunc tuæ illæ Indorum coniuges carmine celebratæ? p.98.

Cum pereunte viro Inda vxor dat se ignibus vri.

Vbi tot præconia indissolubilitatis coniugij inter virum, & vxorem? tanta ne mutatio, tanta obliuio in vnius paginæ spatio? At scio, quid fuerit, inter vnam, & alteram contradictoriam scriptionem fabulis animum diuertisti, & in eis totus occupatus, tui ipsius te obliuio cæpit. Sed quoniam in fabulis etiam fabulosam doctrinam inuoluis, non sunt hoc loco prætereundæ.

Cötradictio. p.97.

21 Tres hominum species ex Platonis Symposio recipis. Prima est *hominum à sole genitorũ, qui ex duplice masculo singuli componebantur.* Hos æmulari ais ieiunãtes, in quibus calor, & humor virium æqualium assiduè pugnant, veluti duo athletæ, quorum neuter vincit, & citra nutricationem, alias vitæ functiones obeunt. In his ais calorem, & humorem validum, ceu duos masculos vigere, ac in vnum coniunctos assiduè colluctari. Altera species est *hominum à terra procreatorum ex duplice fœmina in vnũ corpus coniunctis.* Istos æmulantur abstinentes, in quibus calor, & humor æquè debiles fatiscunt, & languent, adeo vt vitæ functiones omnes intermittant. Tertia species est *hominum à luna productorum ex masculo & fœmina in vnum Androgynum consociatis.* Hos imitantur homines, qui nutriuntur, in quibus calor humorem subigit. Ad hanc tertiam speciem redigis hermaphroditos, in quibus vterq; sexus par est, vel quia vterq; sit mancus, & ineptus ad prolem, quos referunt abstinentes calore, ac humore languido semianimes: vel quia vterq; sit validus, & aptus ad sobolem, quos referunt abstinentes viuidi calore, ac humore virium æqualium, cætera vitæ munia citra nutricationem obeuntes.

Fabula Platonica ridicula a Satyro suis erroribus accõmodata.

22 Pude, et sane Platonem puderet Aristophanem suam fabulam humi reptantem videre, quam in sublimia sublimes philosophi direxerunt, sublimis etiam interpres Ficinus sublimiter est interpretatus. Sed adhuc in hac tua rudi Minerua proh quot latent deliramenta? Ieiunantes appellas eos, qui diu sine cibo in vita permanent. A Sole inquis, habent duplicem virilitatem: nempe tam calorem, quàm humorem pari virium robore præditum, ac propterea *citra nutricatum, alias vitæ actiones obeunt.* Esto: sed cur à luna tuos hermaphroditos productos calorem, & humorem virium æqualium habentes, ais, eos esse, qui viuidi sunt, *& cætera vitæ munia citra nutricatum obeunt?* Sanè hac tua narratione sol, & luna æquas habent vires, siquidem æquales producunt effectus; tam enim homines à sole geniti, quàm hermaphroditi à luna, *vitæ munera citra nutricatum obeunt.* Quæ nam ergo est differentia inter solares, & lunares? Gaudeant hermaphroditi, qui sine sumptibus possunt viuere: optima sors contingeret saltẽ auaris, si forent hermaphroditi.

23 Nec vero fabulam ita narras, velut eam Aristophanes narrauit, sed magis mostrosas productiones facis; nempe à sole duos masculos in vnum, à terra duas, fœminas, à luna masculũ, & fœminam vnum Androgynum. Aristophanes verò masculum à sole genitum, fœminam à terra, promiscuum à luna. Itaq; tu sex

Aristophanis fabulã corrũpit Sat.

personas

personas in tua scena introducis, Aristophanes tres. Præterea tu fabulam tibi inseruire cogis, & fabulosus homo ignoras Androgynum, & Hermaphroditum non esse duas diuersas personas. An nescis hermaphroditum Mercurij, & Veneris fuisse filium, quem à Dijs impetrasse poetæ fingunt, vt Androgynus fieret? hinc omnes Androgyni vocantur hermaphroditi. Androgynos dicis esse eos, qui nutriuntur, cumq; omnes ferè homines nutriantur, excepto vno in mille annis, quem tu vis non nutriri, alij ab externo manifesto duntaxat cibo abstinere, omnes ferè homines essent Androgyni. Plura possent in hanc rem dici, pudet tamen in puerilibus tempus conterere: conterito tu, qui *puerilia* tractas.

24 Nosti parùm congruam tibi hanc fabulam euenisse: iccirco si Platonis apologus non admittatur, aliam excogitasti responsionem, in qua turpiùs, quàm in priore, te geris: inquis enim. *Non semper fœminam cum masculo congredientem ab eo superari.* Confugis ergo (inuitus ne, an libens, non sat scio) ad aliam fabulam, hoc est, ad Pēthesileam Amazonem, quæ pro Troianis pugnans, multos Græcorum consumpsit, & ad Camillam Volscorum reginam, quæ plures Troianos in Latio pugnantes confecit. Poteras, vt es solitus falsis vera, sic latinis vulgaria permiscens, Marfisam, Bradamantemq; nobis obijcere. Memineris tamen, ad rem nostram non facere id, quod mulieres istæ pugnando patrarunt: agimus de calore, qui vitam producit, dum in humidum agit: considerato igitur, quid hæ robustissimæ fœminæ facerent, si genus humanum vellent perpetuare: profectò succumberent, &, si physicè loquendum est, passiuè se haberent, si sacro more, viris humiliarentur. Demum vt te etiam fabulis afficiam, dum virilitatem calori abnegas, Iouem videris imitari, qui Saturno parenti virilia abscidit.

Alia fabula.

Fabula de Sat. et Ioue

25 Accedo ad alterum, quod ex tuis dictis colligebam, videlicet æqualitatem inter caloris, & humoris robur, nemine discrepante passim, & præcipuè in sano corpore reperiri. Illud passim, & præcipuè nescio, cur sit adiunctum, cum sufficerit dicere nemine discrepante. Sed vis, vt quod falsum est, multa affirmatione magis euadat falsum. Scito igitur, citra æqualitatem ad iustitiam sana corpora infinita prope modum reperiri; Siuè enim velis tuo modo æqualitatem ad iustitiam inuehere, siuè eam ab autoribus longè aliter dictam, recipias, semper tibi demonstrabo raram esse istam æqualitatem, non raram autem sanitatem.

26 Tu temperatum ad iustitiam appellas, in quo forma superat quidem viribus materiam, non tamen adeò, vt eam consumat. Et hanc commensurationem, ais, consistere *In calore blando, & miti ad infirmitatem vergente, vel ad summum in mediocritate consistente, iuncto cum humore substantifico multo, crasso, & viscido: namq; caloris vegeta est, atq; actuosa, humoris autem vis est imbecilla: quare vt ad æqualitatem accedat, & ne cito à calore humor absumatur, necesse est multum humoris crassi, & viscidi calori subijcere: secus enī vim nō habuerit humor diu resistendi actiuitati caloris.* Itaq; hæc tua est æqualitas ad iustitiam, nempe, vt paucis dicam, in qua calor sit blandus, & mitis, humor verò multus crassus, & viscidus, & hoc appellas formam superantem materiam, non tamen adeò, vt eam consumat; in hac etiam æqualitate collocas sanitatem, imò & non viuentium conseruationem: ais namq; nemine discrepante in sano viuente reperiri, & longo tēpore in mistis conseruari. Vtrumq; autem est stultè dictum: nam neq; mista non viuentia hoc calore, & hoc humore prędita sunt, neq; viuentia ab hac proportione habent, vt sint sana; De non viuentibus quid aliud tibi dicam, quàm offerre mineralia omnia? nunquid in his reperis calorem mitem, & blandum, humoremq; multum crassum, & viscidum? De sanitate autem viuentium tibi in memoriam reuocabo iuuenes sanos, quorum ætatis proprium est calorem habere acrem, & mordacem, humoremq; lōgè deminutum, imò propterea eorum calor est mordax, quia humidum deficit. Præterea cum supponas multum humidum viscidum, lubricam facis sanitatem. Tandem licet tibi concederem, hanc proportionem esse vtilem, tu mihi concedere debes, eam non esse frequentem, esse tamen longè frequentiorem sanitatem: quare citra tuam istam proportionem, sanitas, quæ latitudinem habet, potest reperiri.

27 Si verò æqualitatem ad iustitiam non accipias hoc tuo nouo, & inaudito modo, sed vt accipi solet ab autoribus, multò melius tua inscitia apparebit. Nonnulli existimant apud medicos æquale ad pondus, & æquale ad iustitiam simul coincidere. Mouentur in primis autoritate Auicennæ, qui ait, *Debes autem scire, quod æquale, de quo medici in suis inquisitionibus tractant, non est denominatum ab*

Auic. de cō plex.

æqualita-

æqualitate, in qua æqualitas cum pondere æqualiter existit, sed denominatur à iustitia in diuisione, & hoc est quod in complexionato in primis attenditur, siue sit corpus totum, siue sit membrum vnum, vt sit in eo de elementis cum suis quantatibus & qualitatibus mensura, quam humana natura habere debet secundùm meliorem proportionis, & diuisionis æquitatem. Confirmatur etiam ratione: quoniam medici res per sensum iudicare solent, sed temperamentum indiuisibile, hoc est, æqualitas in puncto consistens, non cadit sub sensum, igitur medicus de ea non agit, nisi accipiatur cum latitudine: at cum latitudine accepta iam non est ad pondus, est ergo ad iustitiam. Hoc nos docuit Galenus inquiens, illud indiuisibile cogitatione potiùs, quàm quod solidè existat, & quàm re ipsa cōprehendi possit, dari, propter ingenitam nobis alterationem, & propter illa, quæ nobis occursant.

Ga. 1. sanit. tuend. c. 5.

G. 1. de temper. c. 9.

28 Verior tamen est sententia, quæ tenet, etiam ex mente Galeni, æquale ad iustitiam diuersum esse ab æquali ad pondus: quippe æquale ad pondus dicimus respectu habito ad componentium inter se proportiones, æquale verò ad iustitiam respectu ad actionum perfectionē. Constat hoc apertissimè ex eius doctrina pluribus in locis repetita, precipuè autem vbi postquam de medio totius substantiæ egit, tradiditq; signa, quibus cognosci possit, quod appellauit ad pondus, addit, *Quæ verò in animalium speciebus notantur, actionis perfectione, quæ cuiq; sit conueniens iudicatur: conuenit autem homini, vt sit sapientissimus, cani, vt mitissimus pariter, & fortissimus sit, leoni, vt fortissimus tantùm sit, sicut oui, vt sit tantùm mitissima.* Hæc verba iuxtà omnes expositores, de corpore temperato ad iustitiam intelliguntur: siquidem hoc perfectione suæ speciei definitur: æquale verò ad pondus pari pondere, & mensura miscibilium. Alibi etiam vtrumq; expressit inquiens, *Illud modo in ea determinantibus nobis, quod vbi simpliciter substantia quædam eucratos, siue temperata dicitur, tum hac alia siccior, alia humidior, & alia frigidior, alia calidior, eo loco eam, quæ ex contrarijs æqua prorsus intra se portione coeuntibus constet, eucraton, siue temperatam nominamus: quæcumq; verò ab hac deficiunt, superantq; aliquo, eas superantis nomine vocamus. Vbi verò stirpem, animansue vllum eucraton dicimus, nequaquam in ea dictione simpliciter contraria inter se comparamus, sed ad naturam vel animalis, vel stirpis referimus: ficum v. g. temperatam dicentes, cum talis sit, qualis maximè ficus natura esse debet, rursus canem, suem, equum, & hominem, cum eorum quisq; pro sua natura, optimè se habet: optimè verò se habere aliquid pro sua natura ex ipsis functionibus intelligitur.* Post hæc verba subdit quàmplurima exempla ad huius rei confirmationem, & adiungit. *Eiusmodi aliquid & iustitiam esse, dicemus, non quæ pondere, & mensura, sed quæ eo, quod pro dignitate conuenit, æqualitatem explorat.* Hæc transcribere volui, plura autem restant, quibus se optimè declarat, vt nemini dubium esse possit, æquale ad pondus proportionem eorum, ex quibus componitur, secum habere, ęquale verò ad iustitiam perfectionem in actionibus, quas edit. Quid nunc ais? miraris ne addiscens quàm diuersum sit æquale ad iustitiam, quod à Galeno proponitur, ab eo quod bubula tibi dictauit imaginatio?

G. c. 6.

29 Ergo æquale hoc ad iustitiam siue coincidat cum æquali ad pondus, vt aliquos non rectè existimasse dixi, siue sit res diuersa, vt ex Galeni doctrina tibi demonstraui, cum per omnes ætates discurrat, poterit efficere corpus salubre simpliciter semper, vt constat ex Galeno, nihilominùs sūt multi alij sanitatis gradus, vnde male ais, hanc æqualitatem in sano corpore reperiri, quasi omnis sanitas in ea consistat, cum tamen sanitas, quæ in ea consistit, rarissima sit, & longè peius ais, eandem æqualitatem in mistis longo tempore conseruari: quippe æqualitatem ad iustitiam non nisi in viuentibus nobis præbet Galenus, vt colligitur ex multitudine exemplorum, quæ adduxit, quorum nullum est à non viuentibus sumptum.

30 Sed omitto sanitatem, quam obiter tetigi, venio ad nutritionem, quam tu vis propter æqualitatem inter calorem, & humorem, ociari. Sic optimum temperamentum (siue enim sit ad pondus, siue ad iustitiam optimum est) erit causa imperfectionis. Non est cur immorer probando, perfectionem facultatis consistere in actione, quippe perfectior status est eius, qui est actu, quàm qui potestate tantùm, si igitur ocium imperfectionem secum habet, perperam perfectissimo temperamento tribuitur. Christus Dominus secundùm corpus erat optimè complexionatus, ait Doctor Angelicus, idq; probat, quia miraculosè fuit formatum operatione Spiritus Sancti: sic alia, quæ per miracula facta sunt alijs potiora fuerunt, vt notat D. Chrysostomus in vino, in quod Christus aquam conuertit in nuptijs.

D. Th. 3. p. q. 46. art. 6.

in nuptijs; fuit, inquam, Christi corpus optimo præditum temperamento, & tamen nutritio in eo non erat in ocio: neq; afferas ieiunium quadraginta dierum, nam hoc communi Sanctorum Patrum consensu fuit miraculosum, hoc est, supra naturam. *D.Chrysost. hom. 21. I Ioan.*

p.112. 31 Deinde ex tuis dictis in spacio vnius, & alterius paginæ contradictoriam enunciationem quilibet, vel parùm oculeus, conspicere potest. In primis ais, *Honorabiliora viuentia, quò nobiliorem animam sunt assequuta, plurem, proportionabiliter, assequuta esse caliditatem.* Hinc elicio nobiliores facultates plure caliditate frui, nobiliores autem sunt sensitrices, quàm nutritiuæ. Hoc ita constituto in sequente pagina sic habes. *Rei naturæ consonum est, ad plures operationes, caloris ministerium postulantes, maiorem calorem requiri, quàm ad pauciores.* At sensus vnusquisq; in suo fit organo præter tactum, quo non nisi ossa carent, nutricatio per vniuersas corporis particulas peragitur. Deinde vnaquæq; sensatio vna est simplex functio, neq; aliarum apparatu indiget, nutritio verò multiplice constat operatione (quod tu met fateris:) nempe *appetitione absentis alimẽti, coctione crudi, expulsione excrementi, & conuersione digesti in substantiam corporis animati.* Ad tot igitur functiones, ex tua, quam tibi constituisti, lege, plus caloris requiritur, quàm ad sensationem; Ecce tibi contradictoria: videlicet plus caloris requiri ad sensationem, vt pote quæ nobilioris animæ est, quàm ad nutricationem, quæ est ignobilioris; rursus plus caloris requiri ad nutricationem, quæ multiplice constat functione, quàm ad sensationem, quæ simplex est functio. *Cõtradictio.* *Hæc eadẽ cõtr. iterum notabitur infra ar. seq. n. 27.* *p.113.* *lib. de his qui sine al. 3. cap. 41.*

32 Ex vtraq; huius contradictoriæ parte contra te conficitur argumentum: nam tui abstinentes quidam iacent veluti mortui, vt Lucomori, & tua auia, alij ambulant, & solita munia exequuntur, vt puella germanica. Qui non iacent, sed sentiunt, & ambulant, secundùm tuam sententiam habent plus caloris requisiti ad nobiliorem facultatem; cur ergo eis deficit minus caloris ad nutricationẽ, quæ ignobilior facultas cum sit, minus caloris expostulat? Rursus qui iacent veluti mortui, si non habent multum caloris requisiti ad nutricationem, cui plures functiones inseruiunt, cur saltem parum caloris non habent, qui ad simplicẽ actionem, qualis est quælibet sensatio, erit satis? Vis ergo ob exilem calorem, qui nec nutricatui, nec sensui, nec motui est satis, animalia non quidem mori, sed veluti mortua iacere: vis rursus, hanc caloris exilitatem efficere temperamentum æquale? felicior sanè apud te est intemperatus, & valetudinarius, qui operationes omnes exercet, quàm æquali, & subinde optimo præditus temperamento.

33 Prætereà in tua æqualitate ad iustitiam calorem blãdum, mitemq; supponis: at omnis calor naturalis has easdem conditiones habet, & per has eum à calore febrili discernit Galenus; Nec mihi afferas calorem naturalem iuuenum, qui mordax esse censetur: nam iuuentus acrem habet calorem respectu pueritiæ, cum tamen caloris naturalis, prout naturalis est, natura spectata blandus, mitisq; necessariò sit. Tu verò blandum, mitemq; desideras adeò vt in infirmitatem vergat, eiq; adiungis multum, crassum, viscidumq; humorem. At ab isto multo humore parum abest, quin, sicut flamma à multo oleo, extinguatur.

34 Verùm sit ita, calor ad infirmitatem vergens, aut ad summum in mediocritate consistens inseruiat multo humido, potiùs imperet, nec propterea extinguatur, & hinc ortum ducat abstinentia: Cur? nempe quia calor exiguus parum absumere potest: ita ne? at sic quicumq; hac æqualitate pollent tardè ad senium accedent, tardè, nisi quis error anticipet, interibunt. Hoc tamen falsum est: nam calidi, & humidi, hoc est, excedentes non solùm in humore, verùm etiam in calore habent vnde viuacissimi sunt: quippe calidi, & humidi plus habent de principijs vitæ, & sic ratione suarum qualitatum longæuiores sunt, quàm illi, qui in æqualitate constituti viuunt, & ab interitu naturali longiùs distant. Sic pueri licèt propter collecta excrementa ægrotandi, & ex morbo moriendi periculum subeant, nihilominùs ratione copiosioris caloris, & humiditatis longiorem vitam sibi pollicentur, quàm qui minùs calidi sunt. Non est tamen negandum, temperamentum medium omnes operationes collectiuè sumptas perfectiores habere, licèt in aliquibus ab alijs temperamentis superetur. Hoc tamen contra te facit: nam quomodò vis tu tribuere optimo temperamento, cui proprium est perfectas operationes edere, ocium ab eisdem?

35 Vltimo: Dum putas æquale ad iustitiam, & æquale ad pondus esse causam, cur nutritiua anima ocietur, magnum eidem negocium committis. In primis

æquale ad iustitiam dicis esse, quo forma agit in materiam, licèt debiliter, quomodò ergo ociatur, si agit? quomodò si debiliter, potest diù sustineri? deinde non effugis, dum ais, agere adeò parum, vt saltem ista æqualitas in causa sit, ne humidum citò absumatur. Natura non expectat multam consumptionem, vt restauratione succurrat, sed ilico, vt pote quæ non deficit in necessarijs, pro indigentiæ quantitate quantitatem adhibet alimenti. Itaq; quibus parum absumitur, paucam restaurationem offerri admitto, nullam omnino, omnino nego. Tandē hæc exilitas caloris in multo humido per te in causa erit, vt parum consumatur, & sic cessante nutritione vita magis duret, atq; ita vtilis ad vitæ durationem, tu verò nutricationem datam esse ad vitæ durationem, dixisti aliquando. Non prę-teribo dicere, Aponensem virum doctum, & prudentem considerasse, non sufficere rationem istam, quam tu ab illo accipis, ad inducendum facultatis nutritiuæ ocium, & tu notasti, hæsitabundum circa rem hanc, dixisse non parùm mirandum esse, quomodò humidum ita calori sit proportionatum, vt non dissoluatur eius viscíditas: quare confugit ad cœlum, & vim siderum in hoc non parum operari e. istimauit. Tu verò alter Mezentius cœli contemptor, nil præter æqualitatem, quæ æqualitas non est, quæsisti: dico, quæ æqualitas non est, quoniam supponens parum caloris, & multum humoris proportionem, imò improportionem appellare debueras, non æqualitatem. Itaq; sidera contempsisti, ne altum sapere videreris, & dimidiam duntaxat consilij Diui Pauli partem accepisti: cum enim ille dicat *Noli altum sapere, sed time*, tu noluisti quidem altum sapere, sed non timuisti verùm audacter, & temerariè te in impossibilia præcipitem dedisti; & hæc de æquali ad iustitiam.

De his qui sine cibo c. 38.

D. Paul. ad Rom. c. 11. nu. 21.

36 Æquale ad pondus, in quo calorem, & humorem, tamquam duos collucta-tores æqualem vim habentes constituis, non est in ocio, sed in labore, hoc est, in motu, seu in actione; motum tonicum, seu actionem tonicam cum Galeno, si saperes, appellauisses. Motus tonicus est, cum duo æquiualenter se se in contraria loca trahere nituntur: tunc enim, cum neuter trahentium victoriam, ob aduersarij vim parem, possit consequi, id, quod trahitur, in eodem permanet loco. Sic ea conuulsionis species fit, quæ tetanus appellatur, in qua patiens collum nec in posticam, nec in anticam partem potest mouere, fitq; (vt Galenus ait) *cum partes inuitæ in contraria retrahuntur à musculis oppositis*. Ostendit idem hoc exemplo natatoris, qui tātò impetu aduersus fluuij fluxum natat, quanto à fluuio retrorsum rapitur. Quòd si aut fluuius superet, aut natator, iam non est motus tonicus, sed natator mutat locum. Aliud exemplum ab eodem: sit ales, quæ in eodem loco videatur manere expansis in medio aere alis: hæc non est dicenda immobilis, ceu si suspensa supernè foret, sed moueri sursum tantum, quantum grauitas corporis eam deorsū ducit: nam si ipsa vita priuetur celeriter ad terram cadit, quo manifestum est connatam lationem grauitati corporis deorsum æqualem delationi ad superiora vigore animæ esse. Plura alia exempla afferri possunt: sed accipiamus illud, quod tu fortuitò attulisti. Sint duo colluctatores, qui se inuicem impellant, nec vnus altero robustior, persistent in eodem loco: hoc tu vis contingere calori, & humori æqualem vim habentibus, at vti iam superiùs me aduertisse memini, duo colluctatores fatigātur in illa pari contentione, fatigatur ergo calor, fatigatur, & humor, cadet vterq; colluctator fatigatus, vel à pugna desistet, cadent similiter calor, & humor, ac proinde subiectum, cui insit, interibit: at desistere non possunt, quippe colluctatoribus data est desistendi libertas, & eorum cessatio est spontanea, calor, & humor liberè non agunt, nec spontaneam habent cessationem; Laborant igitur calor, & humor parem vim habentes, quare altricis animæ ferias per summum mendacium publicasti.

G. 1 de motu musc. c. 8. & 2. c. 4.

Supra nu. 4.

37 Scio quid dicas: nempe altricem animam, hoc est, nutritiuam facultatem, potentiamuè ociari, calorem verò in labore esse: nam, vt tu dicis, *Idem calor, & vt instrumentum animæ motricis, ac sensitricis, & vt qualitas elementaria subiectum sibi humidum vel citra consumptionem calefaciens, leuiter attenuans, rarefaciens, vel tantummodo probibens, ne congeletur, vel tardè ac parum admodum consumēs, non ociatur in abstinentibus, & si nutritionem in ipsis non moliatur.* In his omnibus, vt Diogeniani adagio vtar ἀλλότρια βάλλεις, hoc est, aliena iacis. Hoc tibi supra satis demonstraui, nunc autē magis particulariter: Vis, vt singula ista seorsim destruam? vide qua facilitate id præsto. *Vt instrumentum animæ motricis, & sensitricis*: Nos loquimur de pugna inter calorem, & humorem, hanc tibi iam superiùs demonstraui

pa. 24. & 39.

adagiū.

strati non spectare ad facultatem animalem, ad quam spectat sensus, & motus, sed tu vnum, & eundem calorem poteris ne ita diuidere, & ei imperare ad libitum, vt in his occupetur, in illis ocietur? *Vt qualitas elementaria:* Calor naturalis, dum naturalis est, à natura gubernatur, & cum naturalis esse desinit, elementaris est, quare ista tua distinctio nec ab ijs, qui plures caloris species admittunt, recipietur: nam ij plures calores esse dicunt, non autem vnum bifrontem. *Subiectum sibi humidum citra consumptionem calefaciens:* Hæc ne calefactio momentanea est, an durabilis? puto te durabilem esse dicturum, siquidem durabilis est abstinentia; da ergo mihi diuturnam calefactionem humidi absq; eo, quod substantiæ aliquid deperdatur: oleum quidem, & saccharum parùm consumuntur, nihil verò consumi est impossibile. *Leuiter attenuans, rarefaciens:* Hæc sunt munera caloris extranei, naturalis verò caloris munus est concoquere, ac subinde incrassare: sed esto, attenuet, rarefaciat, iam æqualitas deperdetur. *Vel tantummodo prohibens, ne congeletur:* Congelatio non fit nisi à vehementissima frigiditate, hanc solùm habebunt ij, qui per niuosa loca iter faciunt; quibus calor naturalis non impedit, quo minùs humidum eorum congeletur, & à congelatione moriantur. Deinde calor aeris posset impedire congelationem, aut quilibet alius calor extraneus; Iniuriosus es aduersus calorem naturalem, cui eam dignitatem tribuis in corpore, in quo est indigena præter eam, quam aduena etiam habet. *Vel tardè, aut parùm admodum consumens:* Consumit tamen, & iam ista tua æqualitas ad pondus coincidit cum æqualitate ad iustitiam, sed tu in priore dixisti, nullam dari actionem, in posteriore exiguam; deinde si consumit, non seruat illam tuam exactam æqualitatem, quam tu vis esse ocij causam. Ecce tuæ ampullæ euanuerunt. Cõtradictio.

138. Sed adhuc euanescent magis, cùm tibi ostendam, ad huiusmodi opera caloris necessariò sequi nutritionem, nec eam posse ociari laborante interim calore; Nam calor in humore ea agens, quæ tu dicis, illum disponit, vt sit aptum ad nutriendum, sin minùs, dic mihi, cur calor, qui ex necessitate naturæ, te etiam non renuente, agit, potest præstare aliquas conditiones in humido, aliàs non potest? Calor idem semper est, humor semper idem, cur non eadem semper operatur? Operetur ergo, vt tu admittis, calefaciat attenuet, rarefaciat impediat congelationem, ego vno verbo dicam, reddat humidum vtile ad nutriendum: cur ergo humidum omnes dispositiones habens, non nutriet? Respondebis, calorem posse ad illum terminum humidum adducere, vt disponatur, cæterùm non sufficere ad munus nutritionis, quod maioris momenti est, nempe ad conuersionem illius humidi in substantiam animati? Ita ne? Atq; ego calorem ab hoc labore liberabo; det mihi calor humidum dispositum, neq; ab eo plus aliquid expecto: etenim conuersio alimenti sic præparati in substantiam corporis, quod alitur, est actio vniuoca, in qua agens, est substantia præexistens, quæ venientem conuertit in se ipsam, non per aliud, quàm per suæ formæ communicationem, introductionem-ue. Porrò cum mihi das factas à calore in materia præparationes, nihil est, cur amplius caloris actionem in materiam, quæ iam prorsus disposita est, expectem, satis est, quòd sua præsentia vitam conseruet; Sed dices, nutritio est assimilatio, hæc quomodò potest fieri sine calore? respõdeo, assimilationem duplicem esse, vnam ex parte materiæ, alteram ex parte formæ, materia iam est assimilata beneficio dispositionum, quas ei calor conciliauit, forma, vt introducatur, non opus habet alijs dispositionibus, nisi antecedentibus, quas illi materia præstat: Et sic dicemus, calorem agere vsq; ad formæ introductionem exclusiuè. Sed nunquid sine calore potest forma introduci? calor quidem tunc requiritur, vt adsit tamquam vitam conseruans (nam sine vita non fit viuentis actio) non autem tamquam materiam disponens. Sed quid moramur? adsit calor, & semper magis, ac magis materiam disponat, semper agat: quippe agit ex necessitate naturæ, ideirco non potest non agere, num nutritiua agente calore, & materiam ad vltimas dispositiones ducente, feriabitur? minimè: neq; enim libertatem habet, ob quam in materiam debitè dispositam, & approximatam possit non agere. Tandem ad eandem facultatem spectat materiam disponere ad nutritionem, & complere nutritionem: iam ergo dum calor disponebat materiam, nutritiua operabatur. Vbi nam istæ tuæ feriæ Nemeseos, Bacchiq; filiæ? p. 108. 109.

139. Dixi, materiam debitè dispositam, & approximatam, vt sic ostendam non habere locum in præsenti disputatione, ineptam defensionem, quam suscipis er-

roris à te commissi, quando ab actionibus liberis argumentum duxisti ad necessarias: cæterùm quoniam multa affers, quæ tuam licentiam sapiunt, eam refrenare distuli in hunc locum. Statuis theorema in hunc modum: *Quæcumq; in vno quopiam conueniunt, licèt plurimis alijs in rebus ab inuicem dissideant, ea in vno illo comparantur aptè, mi Castro.* In primis damno hanc tuam loquutionem, qua sępe vteris, *mi Castro, mi homo.* Sic Ganymedes Iouem alloquitur apud Lucianum. Apage sis mollem istam loquutionem. Ad rem venio: Tuum theorema verum est, imò & puerile, applicatio verò falsa. Nam quomodò hæc applicatio potest esse vera? Si comparatio est apta in illa re, in qua duo, quæ cōparantur, conueniunt, nos autē comparamus duo in ea re, in qua maximè discrepant, profectò non est comparatio, sed potiùs aduersandi ratio. Quænā sunt ista? nempè quia in agente libero consideramus libertatem, qua potest agere, & non agere; in necessario necessitatem, qua non potest non agere. Meritò igitur te reprehendi: nam cum loquamur de cessatione actionis, cur comparasti agentia libera, quę possunt cessare, cum necessarijs, quę cessare nequeunt? putas ne hanc comparationem fieri in ea re, in qua hæc duo conueniunt? Iam ergo tuum theorema nihil valet: absconde illud, si pudens es, sed non abscondes.

Lucianus in ganymede.

40 Incipis deinde afferre discrimina inter agentia libera, & agentia naturalia: hæc quoq; si ad examen accedant, videbis nil tibi proficere: inquis ergo. *Agens liberum, (cuiusmodi voluntas est, & intellectus) etsi præsens habeat obiectum, subiectum vè dispositum, in quod agat, ipsumq; agens non sit impeditum, nihilominùs potest ad arbitrium operari, & ociari.* Nollem, vt hic intellectum voluntati in libertate agendi æquiparares: nam libertatem esse formaliter in voluntate, & non in intellectu tibi affirmat D. Thomas, & cum eo quamplurimi, quos citat Pater Suares, & dicit hanc sententiam esse verissimam: Imò theologi communiter distingunt intellectum à voluntate, tamquā principium naturale à libero; Quòd si non semper intelligit obiecta à simulachris, hoc prouenit non à se, sed à voluntate imperante: vel enim potest imperare, vt intelligat, vel vt quiescat, vel vt hanc rem magis, quàm illam intelligat. Præterea necessitas in intellectu colligitur ex eo, quod dum vult vnum intelligere, plura necessariò sibi in communi representata intelligit. Verùm non hæreo in hoc scopulo, duriora offendicula inuenio. Memineris, discrimen, apud te, esse inter agentia naturalia, & agentia libera, quòd libera, etsi præsens habeant obiectum, possunt nihilominùs non operari: naturalia nō ita, sed necessariò operantur. Nutritiua est ne naturalis? maximè: ergo præsente obiecto, recte disposito, & ipsa non impedita, necessariò operabitur; Quis dubitat? Dic mihi Lucomori, & auia, & glyres, & vrsi, quando subitò concidunt veluti mortui, habent ne præsens alimentum? habent: neq; enim exangues cōcidunt, neq; illis desunt crudidates, humiditatesue, quæ possunt ad ventriculum concurrere: Iam ergo est præsens obiectū: est ne istud obiectum dispositum? quid ni? num fructus, herbæ, & carnes, quæ assumuntur, maiorem dispositionem habent, quàm humores intus latentes? minimè: est ne facultas impedita? quis eam impediet, nisi tua voluntas? Iam ergo mihi dabis agens naturale, hoc est, nutritiuam facultatem, cui conueniat conditio agentis liberi, hoc est, præsente obiecto agere, & non agere. Sed perge ad alia.

Suares in metaph. tom. 1. disput. 19. sect. 5. pag. 523.

41 In primis, quod vtrumq; vires habeat supra resistentiam passi; Hæc tua prima conditio quoad agens liberum, inepta est: nam actiones facultatis liberæ sunt immanentes, & proinde agunt in obiectum non sibi contrariū, quare obiectum impediri quidem potest, agens verò resistentiam pati non potest: quippe vbi non adest qualiscumq; contrarietas, nec resistentia propria, nec impropria esse potest, vt supra tibi latè probaui.

42 Alteram conuenientiam dicis esse *Quod vtrumq; debet habere præsens passiuum, idq; dispositum exactè.* Agamus priùs de præsentia, posteà de dispositione. Circa præsentiam obiecti, vltra difficultatem, quam tibi superiùs obieci, reperio nunc falsitatem; quippe in agente libero non requiritur necessariò præsentia obiecti: nam & intelligimus rem absentem, & desideramus non existentem, & potentiæ internæ etiam somniando circa ea, quæ vel iam longo tempore præterierunt, vel quæ nunquàm fuerunt, versantur. Sed tu confugies forsan ad tua dicta: quippe requiri dixisti non præsens obiectum, sed præsens passiuum, quare sufficit, vt sit præsens species obiecti. Hoc multipliciter redarguitur. Primò: quia multa intelligimus, quorum species non habemus, vt Deum per creaturas: *Inuisibilia*

enim

enim ipsius (vt ait D. Paulus) *à creatura mūdi per ea, quæ facta sunt, intellecta cōspiciuntur*; Nec dicas, speciem creaturarum subire vim passi, nam intellectio, per quam à creaturis elicitur cognitio Dei, aliud est diuersum à cognitione creaturarum: & species rerum creatarum non concurrunt formaliter, aut obiectiuè ad cognitionem Dei, sed duntaxat occasionaliter. Sic etiam diuersarum rerum species concurrunt in intellectione chymæræ, sed præter has species intellectus potest efformare vnum quid, ex omnibus compositum, ad quod non sufficiunt species separatim cognitæ. Deinde species non sunt aliquid passiuum, imò agunt in potentiam, & ideo intellectus, qui elicit intellectionem, dici solet intellectus patiens, & de sensibus dixit Aristoteles, sentire esse quoddam pati. Imò idem met Aristoteles alibi sensum cum intellectu comparat in eo, quod intelligere, sicut sentire est pati; Quòd si tam intellectus, quàm sēsus eliciunt actionem, hoc non facit ad rem nostram: satis enim nobis est, quòd potentiæ istæ respectu obiecti pati dicantur, vt sic assequamur id, quod intendebamus nec obiectum, nec species esse aliquid passiuum, sed potiùs actiuum. Tertiò, tametsi dicamus, & hoc tibi concedamus, agentibus liberis præsens debere esse obiectum per speciem, hæc præsentia longè diuersa est à presentia agentium naturalium, quæ non per speciem, sed realiter adest. Iam ergo malè constituis conuenientiam in ijs, quæ secundùm id, in quo comparātur, disconueniunt: nempe secundùm præsentiam, quæ in agente libero diuersa est ab ea, quæ in agente necessario. Quartò, saltem voluntas non requirit passiuum præsens, & sic ruit tua conuenientia vniuersaliter dicta.

D. Pau. ad Ro. ma c. 1. n. 20.

Arist. 2. de anim. t. 51. Ar. 3. de an. tex. 2.

43 Quòd autem ais, vtrumq; passiuum tam agentis liberi, quàm necessarij debere esse dispositum exactè, cur non declaras quid per dispositionem intelligas? nam si exactè dispositum intelligis, quasi debitè approximatum, hoc iam comprehenditur in præsentia, quam supra requirebas: si dispositum, hoc est non impeditum, hoc comprehendetur in conuenientia, quam postmodò allaturus es: si verò debitè, & exactè dispositum dicas, hoc est exactè præparatum, non est, cur hoc in potētijs naturalibus requiras: quippe, vt Galenus ait, calor naturalis suam sibi præparat materiam, ac proinde facultates, quarum calor instrumentum est, materiam præparare dicunt, nec est necesse, vt illa eis adueniat preparata, sufficit vt adsit, & eius sit naturæ, vt queat præparari.

44 Tertia conuenientia: *Quod vtrumq; non debet impediri*. Hæc conuenientia tuo intellectui est conueniens: nam non debere agens esse impeditum, conditio est omni agenti communis, vt agens est, non vt liberum, aut necessarium. Omisisti dicere id, quod dicere oportebat, videlicet quomodò afficiatur subiectum ex impedimento agentis liberi, quomodò ex impedimento agentis naturalis: & sic non conuenire hæc duo agentia, sed valde disconuenire reperijsses. Potest impediri actio libera absq; eo, quòd pars impedita affectum præter naturam patiatur, vt contigit Pausaniæ sophistæ, qui in tribus digitis sentiendi actionem impeditam habebat, ipsis interim nulla inflammatione, aut affectu aliquo præter naturam laborātibus: quippe affectus erat in vertebris spinalis medullæ. At actio naturalis, cum facultas, à qua prodit vnicuiq; membro, sit indita, non potest impediri, quin pars impedita sit simul affecta præter naturam. Deinde (quod superius iam satis inculcatum est) pars sinè sensu, & motu aliquandiù viuit, sinè nutritione non viuit: quippe sinè sensu, & motu potest calor agere in humidum, in quo vita consistit, sinè nutritione non potest.

G. 1. de loc. affect. c. 6. & 7.

45 Quarta conuenientia: *Quòd vtrumq; non potest simul pluribus operationibus, & diuersis obiectis vehementer incumbere*. Huic etiam conuenientiæ aliarum infortunium contingit: siquidem, neq; ad rem nostram facit, nec vera est. Non facit ad rem nostram, quoniam si potentia aliqua non posset pluribus simul occurrere id eueniret ei, non quòd sit libera, aut naturalis, sed quòd suos habet limites, vltra quos nequit transire. Falsa itidem est, nam intellectus potest multa simul intelligere, voluntas multa simul velle: agens vero naturale, quoniam agit per contactum, vni duntaxat actioni est addictum. Tu tamen, cur ita sentias, rationem adhibes in hunc modum. *Cum enim operatio sequatur essentiam agentis, & essentia cuiq; sit vna, vbi totas vires suas efficientis essentia ponat in vna quapiam functione circa vnum aliquod obiectum, non potest agens illud circa vllum aliud obiectum operari*. Ex hac tua argumentatione colligo, Solem, cum sit vnus, & locum aliquem vehementer illuminet, non posse alia loca similiter illuminare: cum ignis sit vnus, &

ligna comburat, non posse simul comburere stupam. Putas ne nutritiones, quæ fiunt in vno corpore, hoc est in vnius corporis infinitis particulis, esse infinitas? at hoc nemo dixerit, nisi tu: si ergo nutritio est vna, nunquid quando nutrit, vehementer crura nutrit, debiliter brachia? At tu dices, in sensibus ita accidit, nam *Pluribus intentus minor est ad singula sensus*. Verùm iam hic volens nolens vbi conuenientiam quæris, discrepantiam reperis: nam sensus, cum sint potentiæ liberæ, distrahi possunt, potentiæ naturales non possunt; Sed tu, ne vnquam rectè procedas, ais sensus esse *in iudicio promendo de præsentibus obiectis agentia non libera, sed ex necessitate natura*. Prætereo hic tuam grammaticam, qua dicis, sensus * esse *ex necessitate naturæ*, & ad philosophiam accedo Sensus ad quam facultatem pertinent? ni sensu cares, teneris dicere, ad facultatem animalem: ergo ad liberam. Sed te ignis fefellit, cuius ardorem, si præsens sit, tactus nequit non sentire, & auditus magnum sonum præsentem non potest non audire. Citas in hanc rem Aristotelem, sed sæpiùs in te annotaui, quòd quando per fraudem autorem aliquem citas, eius verba subtices, aliàs molestus es transcriptor; Proferam ergo verba Aristotelis, & ostendam, ea contra te facere: sunt autem hæc, *Vnde intelligere in ipso est, cum vult, sentire autem non est in ipso. necessarium est enim esse sensibile*. Hæc verba primo aspectu videntur tibi fauere, sed benè considerata nihil minus præstant, quàm in tuum fauorem aliquid ostendere. Dixit priùs, singularium esse sensus, scientiam autẽ vniuersalium, adiungit postmodò. [a] *Vnde intelligere in ipsa* [scilicet anima] *est, cum vult*: quia scilicet versatur circa vniuersalia, quæ non habent existentiam, qua necessitent intellectum ad intelligendum: *sentire autem est in ipso* [scilicet obiecto] & propterea addit, *necessarium est enim esse sensibile* hoc est, sensus expostulat sensibile existens, nempe sensus externus. Promisi me ostensurum, hæc verba contra te facere: id præsto libenter; Dicit Aristoteles *necessarium est esse sensibile*, collige tu hinc intelligere non est necessarium esse: & ego colligam, ergo intellectus operatur in absentia passiui, & colligent omnes, malè te dixisse tam agens liberum, quàm naturale requirere præsentiam passiui p. 109.

Ar. 2. de ani. te. 60. nã ĩ t. 59. quẽ tu etiã citas, nihil reperitur quod ad rem faciat. [a] *Exponitur Ar.*

☞ *Ar: 2. de ani. t. 123.*

46 Affers alium Aristotelis locum, vt probes auditum totum, à magno quopiam sono lacessitum, non posse alios audire sonos. Peream nisi hic etiam locus contra te facit: hoc iudicent omnes: apponam Philosophi verba. *Manifestum autem ex his, & propter quid sensibilium exuperantiæ corrumpunt sensoria: si namq; sit fortior sensorio motus soluitur ratio, hoc autem erat sensus; sicut & consonãtia, & sonus percussis fortiter chordis*. Itaq; sensibilium exuperantijs sensoria, hoc est, organa sensuum corrumpi ait, quia patiuntur continui solutionem, aut saltem intemperiem (de hoc nunc non disputo) deinde ait, *soluitur & ratio*. Rationis nomine intelligit potentiam, quæ iudicium promit de sensibili. Iam ergo dicit à vehemente sensibili solui potentiam; Quid est solui potentiam? nempe destrui; tu autem vis, sensum sentire vehemens obiectum: si sentit, reducitur de potentia ad actum, ac proinde perficitur, si perficitur, quomodò soluitur? An nescis ex sonitu bombardæ homines obsurdescere? te hoc docere poterat *Nilus ad catadupas*. Quin etiam in visu idem docet Galenus, qui narrat milites Xenophontis, per niuosa loca iter faciẽtes, fuisse excæcatos, & Dyonisius tyrannus consueuisse dicitur, homines ex obscuro carcere in splendidissimam domum subitò perduci iubens, eos visu priuare. Sed tu dices: sensoria ista vehementia, licet potentiam offendant, non posse non sentiri. At ego in primis respondebo, non id dixisse Aristotelem in loco à te citato, ac proinde frustra, ne dicam falsò fuisse adductum: deinde, aio, vehemens istud sensibile repentè irruens potentiam corrumpere, vnde minora sensibilia percipi nequeunt; Quare inane est, quod ais, minora sensibilia non percipi, quia sensus est occupatus in maioribus, dic potiùs, quia est corruptus à maioribus.

adagiũ. G. 10. de vsu p.

47 Pergamus igitur recreationis ergo percurrere cætera exempla. Me autore ais, in ecstasi animam totam obiecto intelligibili soli vacare. Hoc dixi, hoc dico, hoc semper dicturus sum, dico ampliùs, te ignorantiæ tuæ tenaciùs inhærere, quàm conchylia suis scopulis: nemo tibi negat, posse potentias liberas distrahi ab vna actione ad alias: quia scilicet secum aliò ferunt aduertentiam, sine qua reliquæ actiones non constant: negant tamen tibi omnes, in hac distractione conuenientiam esse inter potentias liberas, & non liberas: nam non liberæ quorsum distrahentur? distractio non est, nisi vbi aduertentia requiritur. Accedo nunc ad exempla naturalium actionum; Hippocraticam affers sententiam, quæ

sic habet,

sic habet, *In accessionibus abstinere oportet: nam cibum dare nocuum est;* Addis, 1.aph.
medicos pharmaca non exhibere in accessionibus: vtriusq; præcepti causam esse 11.
arbitraris, ne calor natiuus auocetur à pugna cum causis morbificis, sed totus occupetur in ijs debellandis: in vtraq; causa deciperis: nam neq; vtriusq; vna, & eadem est ratio, nec alicuius ratio est, quam tu arbitraris. Et in primis si cibus, & potus in accessionibus prohibetur, ne calor tunc à suo opere auocetur, magis timendum esset cibare tunc debiles, quàm fortes: etenim debiles paucum habent calorem, cuius auocatio maximè nocebit, fortes verò maiore caloris portione præditi, cum minore noxa partem eius auocari patiuntur, cuius pars alia adhuc remanet, quæ incumbere muneri suo possit. Cur ergo cibus in accessionibus non datur? consule eundem Hippocratem, si Hippocrates is est, sin minùs, sufficit, quòd doctrina sit à Galeno recepta in commento. *Nempe cum pedes frigidi fuerint* In lib.
(hoc est, in accessionibus) *venter necessariò calet, fastiditq; cibum, intenditurq;* 4.Hip-
hypochondrium, iactatur propter internam turbationem corpus, mens fixa non est, po. de
dolet æger, lancinatur, vellicaturq;, vomere affectat, & si mala vomuerit, dolet. Ecce rat. vi
tibi manipulus rationum, ob quas cibus, & potus in accessione non conuenit, ctus t.
non autē ne auocetur calor: nam tunc calor, vt vides, in ventre est, & cibus inge- 39.
stus non auocaret calorem à ventre, imò aduocaret aliunde ad ventrem. Quòd
verò attinet ad medicamentum purgans: addiscas oportet à Galeno, euacuationē Gal.1.
fieri *natura quidem expellente, medicamento verò trahente.* Initio accessionis hu- aph.21
morem natura retinet, si medicamēto exhibito natura ad expulsionem aduocari posset, purgatio rectè succederet: neq; enim tantum damni inferret auocatio, quantum vtilitatis euacuatio; verùm quia retinēte tunc natura, nec se se auocante à retentione, tractio medicamenti per se solam non sufficit ad euacuandum, afferet magis damnum, quàm lucrum. Alia huius rei ratio est, quia medicamen-
tum purgans, vt ait Galenus, naturam habet corporibus nostris aduersam, quare Gal.2.
afflictionem affert: non est ergo exhibendum in tempore afflictionis, nam esset acuto.
afflicto afflictionem augere. Tertia ratio, æger in accessione est ad vomendum comēt.
paratus, non igitur medicamentum retinebit. Quarta (& hæc tuam auersionem 12.
caloris maximè falsitatis conuincit) ex Galeni sententia, medicamenta purgan- Gal.1.
tia omnia potestate sunt calida: si ergo ad actum reducantur in ventriculo, tunc aph.24
cum interiora vrūtur, hoc est in accessione, erit hoc ignem igni addere, ac proin-
de accessionem ferociorem reddere. Vnde quemadmodùm Hippocrates in Hipp.
continuis non exhibet medicamentum purgans in ardore febrili, sed expectan- de pur.
dum esse docet *donec remiserit* febris, hoc est, aduentum declinationis vniuersalis, medic.
sic Galenus ad declinationem particularem medicamentum reseruans, ait, *Tem-* Ga. in
pus autem vniuersæ est particularium accessionum remissio. Atq; sic videmur medica intro-
exempla, (quorum tibi notitia nulla est, ac propterea non erat, cur mitteres falcē duct.
in messem alienam) euertisse. c. 14.

48 Pergis ad alia inquiens, *Norunt omnes, qui sensu pollent, tum visum non posse interdiù sidera conspicere tota facultate visiua circa vehemens lumen diei occupata, tum auditum totum a magno quopiam sono lacessitum simul non posse leuiores audire sonos.* Si vehemens sit obiectum adeò vt sensum corrumpat, iam tibi dixi, ex corruptione sensus oriri, vt nec minora etiam obiecta percipiantur; Si verò non admodum vehemens sit, & non corrumpat, e. g. lux diei, quæ sensum corrumpere nequit, & clamantium voces, quæ efficiunt, vt minor sonus non sentiatur, tunc dicis, sidera non conspici interdiù, quia potentia visiua occupatur circa maius lumen, & sonus exiguus non audiri, quoniam aures clamantium vocibus occupantur; Vtrumq; hoc dictum non meliorem habebit sortem, quàm quicquid hactenus ex tuæ sapientiæ sinu deprompsisti. Agamus priùs de sideribus, quæ ais interdiù non conspici, quia tota facultas visiua circa vehemens lumen diei occupata distrahitur. Hoc ne norunt omnes, qui sensu pollent? imò omnes, qui sensu pollent, tuam irrident fatuitatem. Quid, si dies hyemalis sit, & satis obscura, num tunc aeris lux siderum luce vehementior est? è contrario oriente aurora non ne aeris lux est vehemens, & tamen apparet phosphorus. Interrogaui per iocum nepotem meum ex filio, qui decennis est, qui fiat, vt interdiù sidera non conspiciantur, & longè melius, quàm tu, ad interrogationem respondit: id namq; euenire dixit, quoniam minor lux absconditur sub maiore. In hoc laudandus quòd causam retulit non (vt tu putas, referendam esse) ad potentiam, sed potiùs ad obiectum. Crediderim eandem esse causam, cur sidera noctu

luceant, non interdiù, cum ea, quæ reddi poteſt de Cicindelis, & de felium oculis noctu, non interdiù fulgentibus. Audi igitur, quid loquatur Soſigenes Alexandri præceptor. *Flammulenta*, inquit, *quatenus naturam ætheris, & quinti elementi participant, ea cognatione fiunt, ut admotum ſibi aerem, aut perſpicuum aliud corpus illuminent. Quod autem id maximè noctibus faciant, ratio eſt, quia tunc maius lumen abeſt, alioquin euenit diu, vt exiguum eorum lumen quaſi exoleſcat, & offundatur a magno:* Sic ille. Vides ergo, duo lumina coaleſcere in vnum, quaſi duo ignes; ſic etiam duo ſoni, ſi eiuſdem ſint ſpeciei coaleſcunt in vnum, ſi verò diuerſarum ſint ſpecierum, vt acutus, & grauis, tunc quamius vnus altero ſit fortior, vterq; ſentitur, hinc oritur concentus; Vt ſic iam tibi remaneat ſatisfactum ad alterum, quod de ſono protuliſti: quippe tam ſonus, quàm lux ideò vehementiores obſcurant eas, quæ minores ſunt, quia coaleſcunt in vnum, non quòd potentia viſiua occupata diſtrahatur.

Soſigenes 3. volum. de viſu

49 Adiungis viſui, & auditui tactum, afferſq; Hippocratis ſententiam, *Duobus doloribus, ſimul non eundem locum infeſtantibus, vehementior alterum obſcurat.* Sit ita: auertatur ſenſus tactus à tangibili mitiore ad maius, cum duo dolores ſunt in diuerſis locis: cum verò ſunt in vno, & eodem loco non diuertitur ſenſus, & tam maius, quàm minus tangibile ſentiuntur; Iam ergo falſum eſt, quod ſuperiùs dixiſti, vtrumq; agens tam liberum, quàm naturale non poſſe ſimul multis functionibus incumbere. At in varijs locis dolore occupatis, quando maior dolor minorem obſcurat ſi tibi concedam, id fieri ob diuerſionem potentiæ ſenſitiuæ, non ne iam tibi dixi, potentias liberas poſſe diuerti, quia ſecum deferunt aduertentiam? Tu tamen inſtas dicens, ſenſum agere ex neceſſitate naturæ, noluiſti dicere eſſe actionem naturalem, id tamen vel inuitus dicere teneris: nam facultatem naturalem, & neceſſariam dicit Galenus ad conuertentiam, ſicut è contrario quicquid eſt liberum, eſt animale, quicquid eſt animale, eſt liberum. Deinde non dicitur facultas neceſſaria, quia præſente obiecto, & non impedito non poteſt non agere, nam ſic ne intellectus quidem, nec alia quæuis potentia libera præter voluntatem poſſet dici libera, ſed neceſſaria; & quando tibi ſuperiùs dixi, à theologis intellectum dici potentiam neceſſariam, de hac neceſſitate intellexi, quippe præſente obiecto vero neceſſitatur intellectus ad præſtandum aſſenſum: intellectus enim non determinatur ex neceſſitate ad iudicium, niſi media euidentia rei cognitæ, (vt docet experientia, & ratio: ſiquidem ſine euidentia obiectum non perfectè applicatur potentiæ, vt eam ex neceſſitate trahat, ac determinet) euidentia autem nō poteſt falſum iudicium parere, quoniam fundatur in re ipſa cognita, prout eſt in ſe.

Hipp. 2 aph. 46.

p. 109.

50 Si ergo tam potentia libera, quàm naturalis præſente obiecto neceſſariò agit malè tu ſenſum dicis eſſe potentiam, quæ agit ex neceſſitate naturæ, quoniam præſente obiecto neceſſarium eſt fieri ſenſationem, ſiquidem hoc commune eſt vtriq; v. g. tactus præſentis ignis ardorem non ſentire nequit, ſi, inquam, vtraq; potentia hoc commune habet, vt præſente obiecto non poſſit non agere, vnde nam accipietur diſtinctio inter actiones, potentias vè liberas, & neceſſarias? Ad hoc quæſitum reſponſionem tu non intellexiſti, propterea potentias liberas, quales ſunt ſenſus, dixiſti agere ex neceſſitate naturæ. Scito tamen, differentiam eſſe in hoc, quod potentia libera poteſt ſponte agere, & non agere, nullo indè in ſubiectum damno redundante, quippe poteſt homo quieſcere, poteſt non intelligere, & alios actus liberos nō edere, nec proinde damnum aliquod ſentire, imò ceſſatio ab his potentijs aliquando in animalis commodum redundat v. g. in ſomno. At potentiæ naturales ita agunt, vt ſi non agant, magnum indè animali ſequatur incommodum; auferto coctionem, nutritio parum conſtabit, auferto nutritionem, non conſtabit vita: tandiù enim viuimus, quandiù nutrimur.

51 Sigillum tandem imponis ineptijs, ſic inquiens. *Sed heus bone vir, quomodò me nunc inſimulas, qui calorem comparaui cum potentijs liberis, cum tu ſuperius contuleris calorem cum maſculo, humorem cum fœmina?* Gratias tibi ago, quòd licèt doctrina, & moribus ab eruditis, & probis viris diſſentias, in hoc cum illis conuenire voluiſti, quòd me bonum virum appellas, & me in ea æſtimatione, in qua optimi quiq;, habes. Ego calorem cum maſculo, humorem cum fœmina in eo comparaui, in quo ſimilitudinē cum his habent: nempe in vinculo indiſſolubili, quo coniunguntur: tu verò comparas facultatem liberam cum naturali in eo, in quo

ſibi

sibi contrariantur, hoc est, in eo, quod liberum liberè agit, naturale necessariò; Ego per metaphoram calorē masculum, humiditatem fœmininam coniugio iunxi, neq; in hoc vim aliquam argumentationis collocaui: tu verò non vteris simplice comparatione, sed cogere vis incautos, vt credant ex eo, quòd agētia libera possunt cessare ab operatione, posse etiam cessare agentia naturalia. Aliud autē est assimilando comparare, aliud argumentando inferre. Sic in vna, & eadem re possem ego veram similitudinem facere, tu verò falsam argumentationem; dicam ego Genuenses, & Rechenses eadem loquutione vti, tu verò argumentaberis dicens, Genuenses sunt ciues nobiles, ergo necessariò Rechenses debent nobiles ciues esse. Sed de his satis.

Respondetur autoritatibus ad probandam nutricationis interruptionem allatis. Articulus Decimustertius.

CElebres autores inuitos ad tuam hæresim trahere conaris, sed frustra, vt ex responsionibus apparebit: eas meus niloticus canis percurret, nil interim tuos latratus, morsusq; inanes metuens. Percurret, inquam, quia in singulis immorari esset valdè fastidiosum: non tamen reliqua, quæ in consequentiā adduci possunt, effugio, verùm ea in sua loca reseruo, & vbi quętenda sunt in margine annotare volo: tu, si placet, ea quęrito, sic rerum series, & dispositio meliùs constabit. Ducit ergo tibi primam aciem generosus antesignanus Hippocrates, qui in libello de flatibus sic ait (verba ex tuo libro transcribo) *Tanta omnibus corporibus spiritus necessitas extat, vt siquidem ab omnibus alijs abstineat homo, neq; cibum sumat, neq; potum, possit tamen dies duos, vel tres, & plures ducere: si cui verò spiritus in corpus viæ intercipiantur, in breui parte vnius diei intereat; vt vel hinc quanto vsui spiritus corpori sit, liceat æstimare. Amplius autem ab omnibus operibus aliquando immunes quiescunt homines: multæ enim sunt mutationes in vita, verum ab hoc opere nulla omnibus mortalibus animantibus requies contingit, vt cessent spiritum ducere, ac rursum exhalare. Vides ergo ex his, quæ dixi, quanta communio omnibus animantibus in fruendo aere existat.* Hactenus magnus senex: neq; enim Valleriolæ, & Cardano assentior, qui librū hunc de flatibus alterius, quàm magni Hippocratis sobolem esse censent. Hanc sententiam à te adductam in libro de his, qui sine alimento viuunt, ego in tractatu de Asitia retuli, vt eam perperam à te acceptam fuisse ostenderem: tu meam hanc reprehensionem, quam boni consulere debuisses, si saperes, Nemesiasten agens in tempore Bacchanalium, respuis, & me calūnijs multis laceras: quare singulas diluere erit operæ pretiū.

lib. 3. de his qui sine alimēt. c. 83.

p. 169.

2 I. *Calumnia*. Arguis me, quòd vbi scribit Hippocrates *Homo neq; cibum sumat; neq; potum: possit tamen dies duos, vel tres, & plures ducere*, ego muto verba contextus; siquidem vbi dicere deberem, *& plures ducere*, dico *vel plures ducere*. Hoc à me malignè factum esse proclamas, quippe subodoratus sum, maiorem vim inesse in copulatiua *et*, quàm in disiunctiua *vel* ad tui placiti confirmationē. Duo monstra hęc calumnia secum affert, sed illa quidem tibi satis familiaria. *Ignorantiam, & malignitatem*. Priùs de ignorantia aliqua dicam, posteà de malignitate, quā omnes admirabuntur. Ignoras in primis particulam *et* multóties esse disiunctiuā: vt cum dicimus corpus, & est magnū, & est paruū. Hoc autē adeò commune, frequensq; est, apud Philosophos, vt mirari liceat, te Philosophum ex conducto id ignorasse. Deinde ignorantia est aliquid timere, vbi nulla est timendi ratio: nam siue hoc, siue alio modo dicamus, nihil inde contrariū inferri potest. Ignoras etiam quàm parum curauerint interpretes istam differentiam, quam tu tanti facis: nam tametsi in gręco codice bis particula καὶ nempè *et* ponatur, illi semel dicunt, *et*, iterum autem *vel* est in gręco sic δύο καὶ τρεῖς καὶ πλέονας, hoc est, *duos, & tres, & plures*: Foesius vertit *duos, & tres, vel plures*: Cornarius, & Mercurialis, *duos, vel tres, & plures*: Hos tu sequeris, & transcribis itidem *duos, vel tres, & plures*: quare tu quoq; à gręco contextu, saltem in vna parte recessisti. Hinc tua incipit apparere malignitas. Sed multò magis refulget, cum postquam contextus verba apponis, ea explicas inquiens, *Sanè primam aeris, & cibi, potusq; collationem faciens, inquit Hippocrates, hominem posse duos, vel tres dies vel plures a cibi potusq; ingestione abstinere*. Ecce iam vtrobiq; particulam disiunctiuam pro copulatiua tibi licuit apponere: imò hanc lectionem laudas, dum

v. infra hoc ar. n. 24.

Vitiū quod i alijs reprehēdit Bos de Re-

L mox

cho ipsi cõmit tit. mox iterum sic repetis, *Sapienter quidem duos, vel tres dies, vel plures indeterminatè dixit hominem citra cibi, potusq; assumptionem viuere posse.* Si sapienter duę disiunctiuę appositę sunt, quid inuenisti in mea translatione, quod posses lacerare? Iam ergo non transtulisti verba contextus, vt dicis, *fidelius, & integrius*, imò potius ab omni fide, & integritate alienus; Iam si argumentationem ex particula disiunctiua elicere vellem, te autore id facerem: iam crimen illud magnũ, quod in me conijcis, tuum est. *A te commissa arguere in altero potes?* Scurram te, & leuem hominem appellat Arrianus, qui ait, *Scurram, & leuem hominem esse necesse erit, qui ipse uitio cuipiam obnoxius alios reprehendat.* Attamen hic nullum in re vitium subest, sed in reprehensione.

Sibi cõtrari° Satyr. Arrianus.

3 II. *Calumnia.* Transcripto Hippocratis contextu, addidi. *Sic Hippocrates, qui cum ab omnibus operibus quiescere posse homines dicat, iam videtur fateri, etiam à nutritione posse quiescere.* Tu verba mea corrigis, inquiens, *Fatetur apertè, non videtur fateri*; ego tamẽ non puto, eum loqui apertè, qui non loquitur expressè; Cum ergo Hippocrates non exprimat nutritionem, non fatetur apertè, se de nutritione loqui. Dixi itaq; *videtur fateri*, quia video tibi sic visum fuisse, tibi, *adagiũ.* inquam, qui omnia præposterè, & dicis, & facis.

4 III. *Calumnia.* Præposterè te Hippocratis mentem accipere, dixi. Tu hoc *præposterè* calumniaris, inquisq;, *posse quempiam præposterè verba alicuius referre, sciebam: at præposterè mentem alicuius ab aliquo percipi, non putabam: quia præposterè connotat ordinis turbationem, qui locum habet in multitudine verborum, non in vna mente, ac sententia pluribus verbis expressa.* At ego putabam, te philosophiæ professorem non ignorare in mente etiam, inter eius cõceptus ordinem dari, in coq; differre intellectum Angelicum ab humano, quòd Angelicus omnia simul apprehendat, humanus non nisi ordinatè conclusionem post præmissa. Cæterùm quamuis *præposterè* possem dicere, hoc est, *peruerãm* (synonima namq; interdum sunt) ostendam tibi *præposterè* te gessisse in expositione Hippocraticæ sententiæ. Dixit Hippocrates, *Siquidem ab omnibus alijs abstineat homo*: quæ nam sunt ista alia, à quibus abstinere potest? ipse declarat: nempe *si neq; cibum sumat, neq; potum*, afferens pro exemplo ea, quæ actioni naturali inseruiunt, hoc est nutritioni, cui omnia alia inseruiunt, & ad quam tamquam ad suum finem diriguntur; Si igitur ab his abstineat, potest dies duos, & tres, & plures viuere: tunc addit per contrapositionem, *sicui vero spiritus in corpus via intercipiantur in breui parte vnius diei intereat.* His dictis probauit necessitatem spirituum (quæ erat eius intentio) opponens necessitati spirituum necessitatem cibi, & potus. Aliam rursus adhibet probationem inquiens, *Amplius autem ab omnibus operibus aliquando immunes quiescunt homines.* Quæ sunt ista omnia opera, à quibus aliquando immunes quiescunt homines? Hic te præposterè geris, siquidem recurris ad ea, quæ iam dicta sunt, nempe ad opera naturalia: hoc in Hippocrate suspicari non licet, ne eum nugatorem esse credamus: in te id non solùm suspicor, sed affirmo, siquidẽ putas semel, atq; iterum inter eadem comparationem fuisse factam. Reuertor ad contextus verba comparationem istam secundam non esse inter actiones naturales, & animales, quæ iam fuit facta, sed *ampliùs*, hoc est, vltra hæc, quæ dicta sunt, adiũgatur, quasi per pleonasmon, *ab omnibus operibus aliquando immunes quiescunt homines*, quiescunt quidem ab omnibus operibus animalibus illi, qui profundo somno ob fatigationem oppressi iacent; Quòd autem intelligat ab omnibus operibus animalibus, & liberis, ex his, quæ adiungit, manifestum fit: inquit enim, *multæ enim sunt mutationes in vita*. Ita est: aliquando namq; homo mouetur, aliquando quiescit, interdum sentit, interdum sensus sopitos habet. Itaq; animales actiones aliquando cessant omnes præter vnam respirationem. Quòd autem respiratio nunquam cesset, tu in dormientibus manifestè vides: in hystericis autem mulieribus, & alijs, quorum respiratio videtur ablata, sed non est, alibi demonstrandum relinquo: satis nunc est, quod Hippocrates in præsens ait: *multa enim sunt mutationes in vita, verum ab hoc opere nulla omnibus mortalibus animantibus requies contingit, vt cessent spiritum ducere, ac rursus exhalare.*

præposterè, i. perperam.

Infra. sect. 3. q. 24.

5 IIII. *Calumnia.* Ego sic dixi. *Prius Hippocrates (de actionibus naturalibus verba faciens) dixit, posse hominem per duos, aut tres dies sinè cibo viuere.* Tu iterum *adagiũ.* redis, sicut canis ad vomitum, & metuis ne ex ista disiunctiua aliquid tibi mali accidat; depone timorem, nihil hic mali subest. Deinde culpas me, quòd dixerim sinè cibo, & potum omiserim. At iam potus antea mentionem feceram,

inanes repetitiones tibi, qui eis delectaris, relinquo.

6 V *Calumnia*. Quoniam Hippocratem agere prius dixi de actionibus naturalibus, deinde accedere ad animales, increpas me interrogans, vbinam reliqui actiones vitales, quas Hippocrates primario instituto comparat cum naturalibus. Verùm si tu intelligis, Hippocratem hîc actiones vitales comparare cum naturalibus, indigita illas; Hîc nihil aliud reperio, quàm interceptionem viæ spirituum: hoc ne ad actiones vitales pertinere ais? Sed tu antea dixisti, spiritus *vitæ vegetatrici*, vitæq; simpliciter in homine necessarios non esse quomodò nunc dicis, eorum interceptionem ad actiones vitales spectare? Deinde cum Hippocrates ait *Sicui spiritus in corpus viæ intercipiantur*, tu, qui hoc refers ad actiones vitales, & ex hac interceptione actionum vitalium vis hominem in breui parte vnius diei, vt ait Hippocrates, interire, quomodò vis, vt hæc interceptio fiat? num à causa morbifica, an sponte ab aliquo anatomico? si dicas à causa morbifica, ego nunquam apud autores hanc interceptionem reperi. nam syncopem, & mortẽ repentinam ob cordis affectum fieri scio, ob vias autem spirituum interclusas nunquam: intercluduntur viæ spirituum animalium in sua origine, videlicet cerebro multa pituita crassa obducto, hoc non est mirum, quippe cerebrũ frigidi, & glutinosi sedes, atq; metropolis dicitur ab Hippocrate; nec tantum habet motum, quantus sufficiat ad discutiendum humorem in ventriculis eius contentum. At cor viscus igneum, spiritibus impetum facientibus repletum, & continuo motu se concutiens, maximè eius sinister ventriculus, qui arteriæ magnæ, ac subinde arteriarum omnium origo est, quomodò potest intercludi? Si verò in sua origine viæ spirituum non intercludantur, tametsi tibi concederem, hanc, vel illam arteriam intercludi, deficeret in illa pulsatio, tam in substantia, quam in cauitate, animal verò in vita perduraret. Si autem dicas intercipi posse arterias chyrurgico instrumento, doce nos quomodò id fieri possit; num arteria vinculo fortiter alligata? at sic constringis simul cum cauitate substantiam arteriæ, & hoc in vna, aut in altera est certe potes, non in omnibus: cum autem corpus arteriæ constringas, iam cessat actio vitalis, non ob interclusam viam spirituum, sed ob astrictam arteriæ carnem, per quam vis vitalis defertur, adeo vt, teste Galeno, si arteriam ligaueris, & cauitatem calamo immisso, liberam reliqueris, adhuc deperditur pulsatio, quod iam tibi superius inculcaui; sed Galenus quidem potuit carnem arteriæ constringere, cauitatem autem liberam relinquere, tu verò nunquam poteris cauitatem constringere, carnem autem liberam relinquere. Insuper cur compararet Hippocrates actiones naturales cum vitalibus, inter illas dissimilitudinem reperiens, quas nunquam inter se separauit? neq; enim vlibi apud Hippocratẽ reperies facultatis vitalis distinctæ à naturali mentionem factam: imò Galenus ipse eas simul confundit, vt cum ait, *Sicciorem esse spiritum animæ, naturæ vero humidiorem*. Quare neq; hîc, vt tu putas, neq; alibi Hippocrates actiones vitales naturalibus contra posuit. Non ne animaduertis, Hippocratem de respiratione loquutum, addidisse posteà *Verum ab hoc opere nulla omnibus mortalibus requies contingit*? cur non considerasti illud *ab hoc opere*, quod orationem refert ad antecedentia, nempe ad respirationem? quare in priore, & in posteriore de respiratione loquitur. Accedit, quòd antecedentis sermonis decursus totus versatur circa aeris necessitatem, vnde spiritus susceptionem nullam aliam intelligere debemus, quàm respirationem, cuius defectu intra breuissimi temporis spatium animal interire suo loco demonstrabo. Demum tu ais, non de omnibus naturalibus actionibus Hippocratem agere, sed comparare aeris attractionem, & vsu in corpore cum assumptione, & vsu cibi, & potus. Esto: iam hinc duo colligo tuæ instabilitati valde consentanea.

7 Primum est, quod dixisti, Hippocratem comparare vitales actiones cũ naturalibus, deinde ais comparare aeris extractione cum cibi, & potus assumptione. Debueras ergo dicere, Hippocratem comparare duas actiones animales inter se: nam cibi, & potus assumptio, quamuis naturali facultati inseruiat, est actio facultatis animalis, nempe libera, & quæ per musculos peragitur. Respiratio, quamuis vitali facultati inseruiat, peragitur etiã per musculos, & est actio animalis, de cuius libertate etiam alibi agendum est. Alterum tuæ nolitatis signum est, quod hic Hippocratẽ non agere dicis de actionibus naturalibus absolute, sed de cibi, & potus assumptione comparatiuè ad respirationem: si non agit

p.164.

Cõtradictio.

Hipp. lib. de carnib. seu de princ.

G. an sãg. in arter. côtineatur ol tim.

Supra hac q. art. 3. n. 21.

Ga. 6. epi. sect. com. 5.

Infra.

Infra. sect. 3. citata.

agit de naturalibus actionibus cunctis, sed de cibi, & potus assumptione, etsi tibi concedam hanc cibi assumptionem esse naturalem, cum agat (vt tu vis) solùm de illa, non agit de reliquis, in quorum numero est nutritio: Si de nutritione non agit, quorsum hanc Hippocratis sententiam affers ad probandum sinè nutritione posse hominem viuere?

8 VI *Calumnia*. Dixi priùs egisse Hippocratem de actionibus naturalibus, posteà accedere ad facultates animales: calumniaris: nam comparatio debet fieri inter illa, quæ sunt sub eodem genere: quare ab actionibus naturalibus ad animales pergere potuisse Hippocratem, non autem ad facultates. Hanc potuissem sinè responsione relinquere, siquidem omnibus notum est, pergere ex vno ad aliud non esse comparare vnum cum alio. Hippocrates priùs de actionibus naturalibus verba faciens dixit, posse hominem per duos, tres, & plures dies sinè cibo viuere. Hac peracta comparatione, qua ostendit, sinè respiratione non posse viuere, & sic maiorem esse necessitatem aeris, quàm cibi, confert se ad facultates animales, non vt comparet eas cum actionibus naturalibus, de quibus non erat iam cur ampliùs ageret, sed vt comparet facultatis animalis inter se actiones, quippe ab omnibus actionibus animalibus, vt est ea expuitio, quæ musculorum ope fit, anacatharsin medici vocant, vt est mictio, quæ etiam ad musculorum actiones refertur & deiectio, & aliæ omnes, abhis, inquam, posse hominē cessare, ab aeris verò attractione, quæ etiam est animalis actio, non posse. Viden, vt hic comparentur facultates animales inter se, non autem facultates cum actionibus? atq; ex hac comparatione sicut ex præcedente eliciat magnus Vir id, quod intendebat probare, & erat illius operis, scilicet libelli deflatibus, præcipuum institutum: nimirum inculcare necessitatem aeris in corpore viuente. Quòd verò hic me accusas, quasi dixerim à facultatibus posse hominem cessare, inferiùs cum de facultatibus agam, tibi faciendum est satis: neq; hanc tuam proteruiam
Infra impunitam relinquam. Cæterùm hoc vnum tibi ex hac disputatione posse re-
sect. 3. manere admoneo, ex quo tui ipsius cognitionem assequaris, nempe, aliud esse
q. 7. ar cibi, & potus assumptionem, aliud nutritionem: cibi autem, & potus assumptio-
4. n. 17. nem, intermitti quidem posse, imò interrumpi necessariò, ne homo, vt Galenus ait, fieret ἄμουσος καὶ ἀφιλόσοφος nutritionem nō intermitti ex communi omnium consensu. Tu autem, vt probes, nutritionem posse interrumpi, vteris autoritate Hippocratis qui loquitur de cibi, & potus interrupta assumptione. Certè dum quærimus, an per aliquot dies possit homo sinè cibo viuere, optima erit responsio Hippocratis, nempe si homo neq; cibum, neq; potum assumat, posse dies duos, vel tres, vel plures ducere. At dum de intermissione nutritionis loqueris, & addis hæc verba, *Confirmatur, diu sinè opera nutricatus viuere posse homines de sententia principum autorum, ac primum Hippocratis*, quid tibi fauere potest Hippocrates, qui non de opere nutricatus, neq; de non intermissa nutricatione loquitur, sed de cibi assumptione? Hoc habent omnia tua placita fundamētum; Sed accedo ad explicationem sententiæ Hippocraticæ, in qua quot errores committas, paucis referam.

9 Itaq; ais, cum Hippocrates dicat *ab omnibus operibus aliquando immunes quiescunt homines*, illam particulam *aliquando* indefinitè cùm breue, tùm longum tempus connotare. Video, homines multum scire de ijs rebus, ad quas eos innata procliuitas deducit; Tu verò naturaliter ad grammaticas considerationes videris natus, & tamen nihil minus scis, quàm grammaticem. Putas *aliquando*, & *aliquandiù* vnam, & eandem rem esse, cùm sint diuersæ: nam *aliquandiu* connotat tempus, quod tu *aliquando* connotare dicis, *aliquando* autem idem est atq; *interdum*; Significat etiam *aliquādo* idem, quod *tandem*. Atq; hæc sunt synonima *aliquando, nonnunquam, interdum, tandem*. Quare non consuluisti tua dictionaria, ante quàm argumentum hauríres ex grammaticę fontibus?

adagiū. 10 Omnia vis permiscere, & ad te pedibus trahere, sed turpiter. Et cum Hippocrates dicat, *verum ab hoc opere* (respiratione scilicet) *nulla mortalibus animantibus requies contingit*, tu nullam requiem intelligis, quasi dicat, non posse longiore tempore viuere, aut vt in pluribus: *quod enim parum est, pro nihilo plerumq; reputatur à summis autoribus*. Memoria teneto hæc verba à summis autoribus prolata: hoc pignore tecum in posterum certabo. Concludis tandem sic, *Cum absolutè constet, posse viuentem hominem sinè respiratione aliquot horas, diesq; viuere, certè poterit Homo ex Hippocratis doctrina in multum tempus æquè; atq; in*

pautum nutritionem intermittere, qui non nisi in paucū respirationem valet omittere. Hæc tu ex Hippocratis doctrina desumpta esse, ais, quæ nihil habent Hippocratis doctrinæ consentiēs. Vide quàm melius ex ipsissimis Hippocratis verbis meam colligam sententiam: meam? imò communem omnium. Ab omnibus operibus, in quibus multæ in vita mutationes sunt, (hæc sunt opera libera) homines immunes interdum quiescunt: à respiratione autem nulla omnibus mortalibus animantibus requies contingit, vt cessent spiritum ducere, ac rursum exhalare. Iudices quære in hac causa, rem totam in eos remitto.

11 Affers deinde Celsum, qui plures tabis species constituens, vnam, dicit, esse, *qua corpus non alitur, & naturaliter semper aliquibus decedentibus, nullis verò in eorū locū subeūtibus sūma macies oritur, & nisi occurritur, tollit, ἀτροφίαν græci nominant.* Id ipsū confirmare Galenū ais: Sed eius sētentias adeò infideliter citas, vt neq; venaticis canibus eas reperire fas sit. Interim memēto, symptomatum differentias vno duntaxat libro cōprehendi, tu tertiū liberalitate tua cōcedis: sed ad rē venio. Interrogabis ergo quid sibi vult Galenus, imò omnes practicas scribentes? nisi atrophiā esse priuationē nutritionis, seu alimēti? Hoc non oportebat tot sententijs confirmare, siquidem vocabulum ipsum priuationem alimenti significat. Sed heus tu, tenes ne memoria id, quod te superiùs tenere, iussi? Videlicet parum prò nihilo reputari à summis autoribus? At non ita pridem hoc dixisti; Appone nunc huic loco eandē sententiā, & videbis, atrophiam, id est, priuationem alimenti, apnæam, priuationem respirationis, apepsian, priuationem coctionis, & pleraq; alia significare facultatis, seu actionis, cuius priuationes esse dicuntur, non omnimodam priuationem, sed valde magnam exiguitatem: sic manucodeata, quæ apodos, hoc est, sine pedibus dicitur, exiguos valde habet pedes. Nihil meliùs tibi ostendit ablatam nutritionem dici, cum non est omnino ablata, quàm læuitas intestinorum: in hoc affectu per inferiora egeritur cibus nihil omnino alteratus, sed talis, qualis fuit ingestus: dices, non remanere incorpore aliquid, quo corpus ipsum nutriatur, & tamen est morbus longus, vt colligitur ex Hippocrate dicente, *In longis læuitatibus intestinorū, &c.* Cæterùm, tenent communiter autores, naturam vitæ animalium solicitam aliquid ex illo cibo, in tanta licèt debilitate, assumere; Hinc est, quòd Antonius Musa affirmans exiguam in hoc affectu fieri mutationem, rationem reddens ait, quia prorsus nulla non nutriretur corpus, & ex consequentie non uiueret. Vt hinc vel maximè colligas, quàm abhorrens sit à communi autorum mente tuum istud perniciosum dogma, quod appellas ferias altricis animæ. Itaq; vt omnia simul, quæ de atrophia dicuntur concludamus, quando Auicenna ait, si fallat nutritiuæ facultatis operatio, eò quòd partibus non adueniat alimentum, atrophiam fieri: tu intelligito eò quòd partibus exiguum adueniat alimentum, & recordare, Auicennam summum autorem esse, te autem dixisse, apud summos autores parum pro nihilo reputari parum autem esse illud, quo atrophia laborans nutritur, manifestat idem Galenus, quando ait, atrophiam esse affluentis humoris inopiam: quippe inopia non omnimodam priuationem significat, sed magna ex parte defectum.

De his quæ sūt cibo li. 3. c. 26. in quo Galeni loca, partim falso partim parum fideliter referuntur.

Hipp. 5. aph. 1.

Aui. li. 1. fe. 1. doc. 6. c. 2.

Ga. 1. nat. fac. c. 11.

12 Referre hoc loco libet Galeni verba, quæ tu magni facis, sunt autem hæc. *Cum itaq; tres sint principes partes, quibus gubernatur animal (quippe præter cordis principatum, ostensum est & sensum, & motum corporis partibus a cerebro suppeditari, iecur verò nutricis facultatis esse principium) sæpe mors ad immodicas sequitur cordis intemperantias: simul enim cum ipso omnes vitiantur partes: Cum enim (vt ostendimus) ipsæ peculiari cordis temperie actiones suas proficiant, hac pereunte, actiones quoq; ipsarum perire necesse est, ac proinde cerebri quoq; ac iecoris. Horum verò temperie deperdita, non oportet cordis simul actionem perire: si enim neq; sentiendi, neq; mouendi ab iectione facultatem animal habuerit, neq; nutriatur, velut in latentibus accidit animalibus, nihilominùs viuere ipsum posse, quoad cor manserit illæsum, haud quaquam negandum est.* Hactenus Galenus: tu colligis ex his verbis, uiuere posse homines, absq; eo, quòd nutriantur, quin & hyeme latentibus animalibus id euenire, vt eo tempore non alantur. Sed tu mutas particulam comparatiuam *velut* cum particula *et*, quæ vt diximus copulatiua est, & disiunctiua esse potest, comparatiua autem nequaquam: aliud enim est dicere Socrates viuit, & Epicurus, aliud Socrates viuit, velut Epicurus. Dicit ergo Galenus, homines non nutriri, veluti contingit in hyeme latentibus animalibus, sed non dum est stabilitum, quid in animalibus latētibus hyeme accidat, num careant nutritione, vt tu vis, an incon-

Ga. 5. loc. aff. c. 1.

vide infra n. 22.

spicue

spicuo alimento vtantur, vt volunt quam plurimi. Quando igitur mihi demonstraueris, animalia hyeme latentia non edere actionem facultatis nutritiuæ, tibi id admittā in hominibus, sed nec in his, nec in illis aliquid unquam efficies.

13 Addis tamen, Galenum velle, vt priuatio hæc nutricationis sit effectus destructæ, ac deperditæ intemperiei hepatis, cui nuper concesserat idem Galenus principium nutricis facultatis. Cæterum ignoras, quomodò hepar sit principium nutricis facultatis; Scito in primis, esse principium non quemadmodùm cerebrum est principium facultatis animalis, cor principium facultatis vitalis: nam animalis, vitalisq; facultates communicantur per influxum: tertia verò facultas naturalis non influit; Est ergo hepar principium facultatis naturalis, non quòd ab eo hæc facultas influit, sed quòd ab eo materia nutritionis demandatur nempe sanguis, ex quo per vlteriores actiones fit nutritio, seu conuersio in substantiam aliti.

14 Cum igitur iecur non sit principium influens facultatem naturalem, nam non datur facultas naturalis influens, sed eam singulæ particulæ innatam habent (vt est melior opinio, quicquid in contrarium dicat tuus Costæus) est principium duntaxat transmittens materiam alitionis. Potest igitur iecur per tres, aut plures dies ociari, quoniam non ei transmisit ventriculus chylum, nunquid propterea ociabitur nutritio? minimè: nam potest adhuc ex transmissa priùs materia portio conseruari, quam virtus nutriens depascatur. Quòd si posteà desit, materia, quæ priùs fuerat à iecore confecta, & vltra iecur conseruata, tunc præ inopia conuertitur nutriens suo instrumento, hoc est calore, ad membra, & (vt Hippocratis verbis vtar) corpus absumitur, ex nimia autem corporis consumptione fit vitæ consumptio, hoc est, vitalis caloris defectu, sui pabuli consumptio: calorem non carere pabulo, suo loco addisces. Itaq; hæc est differentia inter principium influens & principium materiam transmittens, vt principium influens v. g. Cœlum vbi suo influxu hæc inferiora priuabit, cuncta dissoluentur, principium verò materiam transmittens potest cessare à sua transmissione, & non propterea ea, quæ materiam recipiebant, statim deficient. e. g. fons si desinat fluere, remanebit adhuc aqua in stagno collecta. Quare accedo ad explicationē verborum Galeni. Est quidem hepar principium nutritiuæ facultatis, nempe principium materiam præstans, deperdita huius hepatis temperie, non statim peribit homo: ita est: sed simul etiam non statim peribit virtus nutriens, quippe ea in singulis particulis est insita, & materiam habet, nempe à iecore priùs transmissam, & posteà etiam à calore in membrorum succo acquisitam.

Hip. 1. aph. 15

15 Nec verò existimes, actionem iecoris esse simpliciter, & absolutè necessariam ad nutritionem: etenim & grauissimi autores, & experimentum tibi citra iecoris actionem præbent alimentum: quod infra cum exponemus verba Hippocratis *Forinsecus alimentū ex extrema superficie ad intima peruenit*, tibi fiet manifestum; posse nempe alimenta extrinsecùs apposita nutrire, nec necesse esse, vt priùs in sanguinem conuertantur.

Ct. 23.

16 Quicquid hactenus circa Galeni verborum explicationem à me est dictum, risu excipis, & facetijs. Quid faciam miser ab optimo scurra irrisui habitus? vindictam ne sumam? minimè: statutum mihi est, Nemesin cum Minerua non permiscere: hoc quis faceret, nisi tu? illa turbatum animum postulat, hæc pacatum: recurram ergo ad autores serios, forsitan mihi meliùs, quam Plautus, fautores erunt. Itaq; putas, me dicere ea, quæ tyrunculus non diceret. Accipio hoc, & boni consulo, neq; enim veterano conuenit conuenire cum tyrunculo; sed quid est, quod dixi tyrunculo indignum? nempe, *Cessante sanguificatione, adesse in corpore tantum alimenti in tertia coctione, vt per aliquot dies calor habeat vnde nutrimentum sumat.* Hoc ne tibi videtur erroneum? videtur; quare nam? quia scilicet *sciunt omnes, alimentum peracta sanguificatione seruari pro multorū dierum nutricatu in venoso genere, quod est proprius alimenti thesaurus, naturalesq; flauisse.* Duo hic agis, quæ velim, sciant omnes, vt tuam sapientiam agnoscant. Primum est, quod dum me in foueam conijcere paras, in foueam incidisti: alterum, quia errorem meum esse putas, & tuus est error. Quod ad primum attinet: sit ita: seruetur sanguis peracta sanguificatione pro multorum dierum nutricatu in venoso genere: iam ergo dabis cessante iecoris actione, non adhuc per multos dies cessare nutritionem; Cur ergo dixisti paulò ante, Galenum, qui ait, eum, qui ob viriū iecoris imbecillitatem sine alimēto permanet, diutius sufficere posse, nomine alimenti p. 18

Cōtradictio.

materiam

materiam nutritionis intellexisse, non sanguificationem? Quoad alterum, dum me accusas, quòd dixerim, alimentum seruari in tertia coctione, tu non nisi in venoso genere tamquam in thesauro, & flauissa seruari dicis, ignorans scilicet in thesauro, & flauissa res contineri ibidem permanentes: sanguinem verò in venis non nisi per transitum, nempe continuo raptu ad vlteriorem coctionem attractum. Itaq; dum flauissę vocabulo nõ vsitato elegantiam affectas (est enim locus, in quo moneta flata, & signata seruabatur) in errorem delaberis: restitue ergo suum vocabulum Gellio. Quòd sanguis per venas raptim excurrat, patet ex eo, quòd partes corporis continuè ab eis rapiunt, ductæ scilicet appetitu naturali, quod apud Galenum reperies, in eo ordine, quo fames excitatur. Cum ergo in venis (ob particulas corporis semper famelicas) non possit sanguis consistere, iam ibi non est illa tua flauissa, quam dicis, omnes scire. In tertia autem coctione seruari alimentum, quod iam propriè alimentum est (nam sanguis est quasi alimentum) ex eo patet, quod potest apponi, plusquam agglutinetur, quippe tractio fortior, multum deducit ad membra, quod eis apponitur, non tamen præ multitudine agglutinari, & multò minùs assimilari potest. Hoc si ignoras, consule Galenum: is tibi demonstrabit vitium agglutinationis, remanente appositione illæsa, vt in leucoplegmatia, vitium item assimilationis sinè agglutinationis vitio, vt in vitiligine. Vnde crediderim, animalia hyeme, latebia tunc cum latent, pinguiora fieri, non vero carnis augmento, sed eo non agglutinato: sic leucophlegmatia dici solet hiposarca, seu anasarca, non quòd hoc morbo laborantes habeant verum carnis augmentum, sed quod illud habere videantur.

G. 1. de Caus. symp. c. 7.

Ga. 1. nat. facult. c. 11.

17 Postquam me in dissentionem conijcis cum tyronibus, seminas inimicitias inter me, & prouectiores, sed non meliore euētu hæc secunda calumnia tibi erit, quàm fuit prior. Ais ergo sic. *Prouectiores medicinæ candidati animaduertentes, tertiam coctionem fieri solùm in partibus solidis, ad quas terminantur venæ capillares, vltimum alimentum ijs nutriendis veluti rorem exiguum effundentes, tibi negant in tertia coctione, hoc etiam nomine, tantū sanguinis posse contineri, vt sinè noui sanguinis receptione à iecore, possit vniuerso corpori, singulisq; particulis nutriendis ad aliquot dies sufficere: nam totum illud sanguinis, quod in tertia coctione tibi dicitur esse, ac illis in venis capillaribus, seu verius extra venas effusum, in ipsis particulis, eisdem assimilandum vnica coctione coquitur, coctumq; vertitur citissimè in partis alendæ substantiam, nec ad aliquot dies alendis partibus vllo pacto sufficere potest.* Hæc omnia transcribere libuit, vt præ oculos habeat vnusquisq; tuam istam æconomiæ corporis nostri ignorantiam. Parum quidem est, quod per vnamquamq; venam capillarem effundi potest, neq; hoc oportebat dicere: sufficit enim scire, exiles admodùm esse has venas, quæ idcirco capillares vocantur; sed quia vnaquæq; parum effundit, non poterunt multæ simul effundere multum? In hoc ego dico te corporis æconomiam ignorare, quòd putas tot, nec plures esse venas capillares, quot sunt venæ maiores: & ignoras ex vena caua venulas alias, quasi ramos quosdam dissecari, ac per omnes corporis partes disseminari, nec solùm ramis, sed etiam arborum radicibus has venarum diuaricationes assimilat Galenus, vnde eruit argumentum ad demonstrandum, iecur esse venarum principium; Fiunt ergo ex vna vena innumerabiles venulæ.

Ga. de placit. lib. 8. c. 1.

18 Deinde aberras, cum ais, coctionem tertiam citissimè fieri; & quamuis verum sit, vnicam esse tertiam coctionem, in ea tamen plures mutationis gradus reperiri argumento sunt quatuor humiditates ab Auicenna numeratæ, de quibus nos suo loco ex professo agemus. Harum prima est humor in foraminibus extremitatum paruarum venarum contentus: alia est humor per omnia simplicia transiens membra sicut ros: tertia est humor, qui parùm ante coagulatus fuit, & appellatur cambrum, quòd ab Auicenna dicitur iam esse nutrimentum ex parte complexionis, non dum tamen ex parte substantiæ: quarta est humor, qui est intus in membris simplicibus, & dicitur glutem, & hæc est humiditas, per quam partium continuitas existit. Hæc omnia continuè fiunt, tempore tamen egent: neq; est, vt tu putas, simultanea, repentineq; concoctio.

Infra.

19 Non est prętereunda alia cauillatio, cum dicis, philosophiam addiscentes, dum me audiunt, ponere sanguinē, seu alimentū ad multos dies in tertia coctione, recurrere ad Aristotelem enumerantē modos, quibus aliquid esse in aliquo dicitur, & inter sex illos à Magistro notatos, meum hunc non inuenientes, ambigere, an septimus iste modus sit recipiendus. Verum est: recurrunt quidem, sed

Ar. 4. physic. te. 23.

Errat Satyr. dūmodos quibus aliquid est in alio enumerat.

sed Aristoteles eos increpat, quòd tibi crediderint, sex tantùm modos assignanti, cum ipse octo tradiderit, reuertuntur illi, queruntur q; apud scholæ Patauinæ Rectores, quòd honorarium soluant nullius honoris homini, qui eos falsorum dogmatum doctrina decipit. Accipe igitur tu, & addisce octo modos, quibus aliquid est in alio: posteà docebo tuos addiscentes in quo nam istorum ponendus sit iste, de quo agimus. Primus modus est, *Vt pars in toto*, secundus, *vt totum in partibus*, tertius, *vt homo in animali*, hoc est, *vt species in suo genere*, quartus, *vt genus in specie*, quintus, *vt forma, siue substātialis, siue accidentalis in materia*, sextus, *vt in Rege græcorum grex*, hoc est, *vt res sunt in efficiente, seu imperante, seu mouēte*, septimus, *vt ea, quæ diriguntur ad finem, sunt in suo fine*, octàuus, & maximè proprius, *vt aliquid in alio est, vt in vase, & omnino in loco.* Resipíscis ne ex tuo errore, & agnoscis, non sex, sed octo modos esse, quibus res in alio est, traditos à Magistro? Ego verò admitto tibi, vt sex tantùm sint, imò ex his sex duntaxat sextum accipio, & pueros tuos moneo, vt te percutiant, si quidē non es assequutus, alimentum esse in tertia coctione sexto illo modo, quo res sunt in efficiente, seu in imperante, seu in mouente: quippe alimentum ante tertiam coctionem erat velut alimentum, tertia coctio mouēs est, quæ à statu isto mouetur ad statum veri alimenti: & sic per tertiam coctionem ex veluti alimento verum alimētum euadit. Profectò iam tuus Plautus cum sua Casina, non emptitaret titiuillitio tuas istas schurrilitates, ad quas nequicquam attendis, imò dum in his conquirendis, & verbis inusitatis à Gellio petendis immoraris, latius foret indagandæ veritati incumbere.

20 Pergis, & quemadmodùm culpam in me conijcis, quam conijcere deberes in eos autores, à quibus doctrinam hausi, sic etiam quicquid culpa amanuensis aut typographi peccatum est, mihi pro magno crimine obijcis; Sed heus tu memineris, te in fine tui libelli errata notasse: multa tamen, quæ præterijsti excusatione carere, quæ excusatio mihi conuenit, siquidem non adfui, dum liber typis mandabatur. Verùm istas puerila tuis pueris communicato, à quibus viri docti abhorrent, sicut abhorrere eos scio à tuis moribus, à tua doctrina. Explicationem igitur verborum Galeni bonis auibus aggrederis inquiens. *Quoniam scilicet iecoris actio, quam medici vocant sanguificationē, a natura instituta est in duos fines, alter est, vt generētur sanguis arteriosus, seu materia sanguinis arteriosi, & vitalium spirituum cordi necessariorum ad suam functionem obeundam, quæ Galeno est vita, seu viuificatio singularum partium; alter est, vt procreetur sanguis venosus, seu materia nutricationi singularum itidem partium.* Sistamus hic parùper, & consideremus istos duos fines, quorum es inuentor. In primis sanguificatio est actio, & subinde motus, finis motus est eius terminus, quare sanguificationis finis nullus alius est, nisi sanguis: facultas dirigitur in finem per suam actionem, est ergo facultatis iecoris actio sanguificare, finis verò, ad quem tendit, est præstare corpori alimentum. Quòd autem ex sanguine venali fiat sanguis arterialis, fiant etiam spiritus, hoc non est ex fine sanguificationis, sed ex communi auxilio, quod sibi inuicem præstant facultates, quia sunt vnius animæ. Animalis facultas, cuius munus est respiratio, inseruit vitali, vitalis inuicem animali, ei spiritus vitales suppeditans, ex quibus fiunt animales. Rursus animalis facultas sensū per neruos sextæ coniugationis ad os ventriculi transmittens, vt concitetur fames, auxilio est facultati naturali alimētum expetenti, naturalis vice versa facultatis animalis instrumenta nutrit, quæ alioquin in officio esse nequirent. Tandem, & vitalis naturalem fouet (quippe sinè vita non fieret vegetatio) & naturalis vitali auxiliatur oblato sanguine venoso ad materiam sanguinis arterialis, spirituumq; vitalium. Quare quòd ex venali sanguine fiat arterialis, & ex hoc spiritus vitales, non pertinet ad finem aliquem, quem sibi proponat facultas sanguificandi, sed prouenit ex connexione facultatum inter se propter identitatem subiecti.

21 Hic tu more anguillæ vis è manibus delabi, aisq; sanguinem arterialem, & vitales spiritus cordi esse necessarios ad suam functionem obeundam, *quæ Galeno est vita, seu viuificatio singularum partium.* Sed dic mihi, Galeno ne soli actio cordis vita est, an tibi etiam, qui peripatoum incolis? si Galeno, & non tibi, frustra ratiocinaris, accipiens pro fundamento id, quod falsum esse censes: si Galeno assentiris, à te ipso dissētis, qui alibi, spiritus neq; vitæ vegetatrici, neq; vitæ simpliciter necessarios esse, affirmasti, imò insolenter improperasti, quòd medicus cum sim, hanc veritatem ignoro, quam experimento te demonstrare posse putasti, ligans *p. 164*

Cōtradictio

sti, ligans arterias, & neruos, spirituumq; vias intercludens: nam sic etiam dicebas, animal viuere sinè spiritibus, licèt sensu, motuq; priuetur. Meministi ne à te hoc fuisse dictum? cur igitur nunc dictorum tuorum immemor, sentis, spiritus ad vitam necessarios esse? *in quã iterum incidit vt ego annotaui supra hoc articu. n. 5.*

t. 27. 22 Transeo ad alium Galeni locum, quem etiam te posse iuuare existimas: verba affers non solùm confusa, sed multis etiam additamentis conspurcata, vt quilibet in tuo libro videre potest: quare melius cẽseo, ea ex ipso fonte transcribere, quamuis transcriptiones istæ longæ non forent omnino necessariæ: verùm parendum est bestiæ, ne cornu petat, aut calceo percutiat: Verba sunt hæc: *Contingit autem hominibus, qui aqua frigida perluuntur, si debile corpus habuerint, refrigerari, atq; offendi: si verò robustum, primum quidem innatum calorem ad interiora refugere, ibiq; seipsum colligere, postea verò ad exteriora remeantem, multò, quàm prius erat, fieri fortiorem: Sic & animalium quæcumq; sunt natura frigidiora, ijs calor innatus à frigore hyberno superatur, adeò vt ferè extinguatur: quare plurima ipsorum similia mortuis conspiciuntur, cum sinè sensu, ac motu in latibulis iacent, quædam verò prorsus in hoc ipso affectu moriuntur.* Ex his Galeni verbis videat vnusquisq; an possit elicere aliquid, quod ad ferias animæ altricis probandas, faciat. Tu quoq; quãtumuis ea vi trahas maxima, nihil proficis. Nõ ego multiloquio tuo meas hic paginas conspurcabo, sed quæ necessaria sunt, duntaxat transferam. Ais in primis, alendi functionem vegetiore calore indigere, quàm sit ille, quo indiget motus localis, citasq; Aristotelem, qui certè coctionem à calido naturali fieri dixit, nũ autem à maiore, quàm motus, nec quæstionem excitauit, nec determinauit: cæterùm tua est frequens consuetudo autoritates aggregare, nihil curans, an ad rẽ, de qua agitur, faciant. Ad institutum reuertor: si motum localẽ intelligis eum, quo alimentum alendis membris accedit, ad hunc vsum paucus quidem sufficit: si verò intelligis motum arbitrarium, tibi met contradicis, qui dixisti, *Honorabiliorem animam assequuta plurem proportionabiliter assequuta esse caliditatem.* Honorabilior autem anima, ac proinde animæ operatio est sentiens, quàm vegetas, imò si inter sensum, & motum velis distinguere, maiore calore opus est ad motum, quàm ad sensum: quippe maior in motu, quàm in sensu spirituum fit dissipatio. Non nego, plures mutationes, quæ calore indigent, accidere in nutritione, quàm in sensu, & motu: affirmo tamen, te non tibi constare. Itaq; verba Galeni modo quodam à nemine excogitato ad te trahis, inquiens, quando Galenus ait animalia latentia *Sinè sensu, & motu* esse, intelligere *sinè sensu suctionis, sinè motu alimenti.* O præclaram interpretationem! quomodò ergo sinè motu alimenti possunt animalia latentia impinguari? tametsi enim pinguedo illa non sit vera carnis accretio vt dixi superiùs, nihilominùs fit vitio agglutinationis, non appositionis: nam si appositio deficeret, macies contingeret, & atrophia: quoniam verò omnes partes redduntur ab alimento apposito, non verò agglutinato, tumentes, manifestum est, materiam nutrimenti membris apponi. *Ga. 1. aph. 15* *Ar. de iuuẽt. & senect. c. 2.* *Cõtradictio. quam iterum notaui supra articulo præc. n. 31.*

p. 112.

23 Itaq; nec ex Hippocrate, nec ex Galeno attulisti aliquid, quod tibi fauere possit, imò si vnum ex altero velis interpretari, inuenies, vtrumq; mentem à tuo hoc prodigoso inuentu habere abhorrentem. Non ne tu dicis, ex Galeno illustrari Hippocratis placitum in libello de flatibus? si ergo Hippocrates ibi dicit, *Neq; cibum sumat, neq; potum*, hinc agnoscemus pariter Galenum, cũ dicit, *Neq; nutriatur*, intelligendum esse, quasi dicat, *Neq; cibum sumat, neq; potum.* Non est interpretatio à me excogitata, eam reperies apud expositores, præcipuè apud Thomam Rodericum à Veiga meum quondam præceptorem, cuius doctrinæ præstantissima extant monumenta. Rursus quando idem Galenus ait, animalia latentia iacere sinè sensu, & motu mortuis similia, intelligere debemus Hippocratem dicentem ab omnibus operibus aliquando immunes quiescere homines, quasi dicat *Ab omnibus operibus animæ sentientis*, ab his enim quiescunt, dum per somnum quasi mortui iacent: nam *Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis imago?* Ecce Galenum explicamus ex verbis Hippocratis, Hippocratem ex verbis Galeni.

24 Deniq; multas affers Aristotelis autoritates, & singulis suum dedicas caput, quibus si prolixè respondere, in tuam inciderem prolixitatem; quare licèt me tuis insulsis dicterijs insecteris, breuiter ijs respondere decreui, ita tamen, vt ex mea breui responsione vnusquisq; tuam stoliditatem facilè comprehendat. Primus locus est, vbi Aristoteles viuere, vt tu dicis, in multas scindit differentias, *A. 2 de anima te. 13.*

Particula et disiunctiua v. sup. nu. 2. hoc ar. supra n. 10.

inquitq; *Multipliciter autem ipso viuere dicto, etsi vnum aliquod horum insit solum, viuere dicimus, vt intellectus, & sensus, & motus, & status secundum locum; adhuc autem motus secundum alimentum, & augmentum, & decrementum.* Hic obiter notato particulam *et* disiunctiuè poni, quam tu supra contendebas esse semper copulatiuam: sed hoc omisso venio ad Aristotelis mentem, secundùm quam tu vis sufficere vnum aliquod horum solum, quodcumq; illud sit, adhoc vt quicquam dicatur propriè, ac verè viuere, & esse animatum. Cæterùm si Philosophus hoc assereret, error esset. verùm quoniam longè alia ejus mens est, non dicemus, errorem esse in Philosophi mente, sed in philosophastro amente. Sin adhuc contendis, tuam expositionem tueri, vide in quam foueam te deducis. Potest vnum quodlibet istorum satis esse, vt quidpiam dicatur viuere; Esto: da mihi vnum quodlibet, quod sufficiat, vt viuere quicpiam dicatur. dabis altionem, & hæc quidem Philosophi mens est, vt probet plantas vno solo ex his modis viuere. Hactenus conuenimus, & ni vltra pergimus, iam teneris fateri, altionem esse omnibus necessariam, siquidem sola per se facit viuens contra id, quod tu intendis. Tu tamen debes vltra progredi, & cum dicas, quodlibet istorum sufficere, vt quodlibet viuere dicatur, ego autem eligam intellectum, vbinam mihi dabis hunc solum, à quo quidpiam viuere dicatur. Libenter hic cõfugeres ad Deum, ad Angelos, ad animam separatam, in quibus reperitur intellectus, non sensus; Attamen tibi præclusisti viam, siquidem, & Deum viuere negasti, & ex tuis principijs, nec Angelus, nec anima separata possunt dici viuentia: sed de hoc alibi. Porrò Aristoteles parùm infra eum locum, quem citasti, te admonet, ne dicas, vnumquodq; istorum per se ipsum constituere viuens; sed vti dicebam, solam nutritiuam potentiam per se seorsim stare posse, vt pa et in plantis, quibus nullum viuentis requisitum inest præter vegetabile: ait enim, *Atq; hæc quidem vis* (loquitur de vi altrice) *a cæteris seiungi, separari q; potest: cætera autem in ipsis mortalibus, ab ista nequeunt separari; Quod quidem in ipsis percipitur plantis, nulla enim prorsus in ipsis, vt patet, alia præter hanc, animæ potentia, atq; officium inest.* Iam ergo habes ex Aristotele, solam altricem potentiam posse separatim constituere viuens: quod, an contra te faciat, vnusquisq; videre potest. vt verum sit, quod superiùs dixi, te semper tibi met laqueum parare.

Infra sect. 3. q. 23. nu. 7.

li. 1. de vita c. 10.

A. 2 de anima te. 15.

Vbi supra te. 14

adagiũ.

25 Circuis adhuc quærens, an ex eodem capite possis dulce aliquid colligere, quod tuam amaritudinem condiat, ª sed mel istud non est tuo ori. Verba hæc Philosophi in medium affers: *Vnde vegetabilia omnia videntur viuere: videntur enim in se ipsis habere potentiam & principium huiusmodi, per quod augmentum, & decrementum suscipiunt secundùm contraria loca: non enim sursum quidem augentur, deorsum autem non, sed similiter in vtraq; & omnem in partem aluntur, & viuunt semper, quousq; possunt accipere alimentum:* Sic Aristoteles. Sed videamus, quid hinc extrahas ad tuæ mentis confirmationẽ. *Dum primo loco*, inquis *demonstrat Aristoteles, vegetabilia omnia viuere, non quia crescant, & minuantur, & alantur in omnem partem, sed quia in se ipsis habent potentiam animæ, quæ principium est augmẽti, decrementi, & nutricationis, apertè nos docet ad vitam, necessario minimè requiri augmentandi, minuendi, & nutriendi functionem.* Quid est, quod audio? Aristoteles ne ait, vegetabilia viuere, non quia crescant, minuantur, alantur in omnem partem? imò verò hoc ipsum, quod eum negare tu dicis, affirmat manifestè. Attende ad eius verba: *Videntur enim in se ipsis habere potentiam & principium huiusmodi, per quod augmentum, & decrementum suscipiunt.* Non dicit suscipere possunt, aut sunt susceptibilia, sed *suscipiunt*, nempe actu. Vbinam est illa particula negatiua, quã tu apponis, & Aristoteli imponis? Pergis inquiens, *Sufficere principium harum operationum in actu primo corpori coniunctum.* Istum actum primum tu tibi etiam fingis: neq; enim apud Aristotelẽ reperitur; Sed esto: sufficiat ad constituendum viuens, principium nutricationis, in actu primo: si sufficit, non est, cur vnquam ex necessitate viuentis, vt viuens sit, deducatur ad actũ secundum: quare dabitur viuens, quod toto vitæ tempore viuat sinè nutritione, tu tamen aliquando fateris, *Non posse quidem vllum animal carere planè alimentis, posse tamen aliquod animal ijs carere diutius: nam carere planè est tota vita, carere ab ortu ad interitum quod nos vltro fatemur nulli animali perfecto conuenire: quippe natum animal, augeri debet, incrementum autem nutricationem habet necessario adiũctam.* Si ergo necessarium est, aliquando viuenti, vt exeat in actum secundum, non igitur sufficit, adhoc vt sit viuens, consistere in actu primo, sed necesse est, vt tandem aliquando ad secundum se conferat.

Cõtradictio.

li. 4 de his qui sine alimẽto c. 8.

26 Cæ-

26 Cæterùm quoniam Philoſophus initio capitis naturam animæ ab obſcuris naturæ, nobis autem manifeſtioribus indagandam propoſuerat, ſi nunc & principia functionum, & functiones viuentis conſtituere dicamus, Ariſtotelem ſui faciemus immemorem, qui à principio functionum, re ſcilicet nobis magis ignota, exorſus eſt. Video, te cæcutire in re, in qua cæcus non cæcutiet. Promiſit Ariſtoteles progrediendum ſibi eſſe à notioribus nobis; ita eſt: functiones ſunt notiores nobis, quàm principium functionum: & hoc quidem ita eſt: ſed tu non vides, Ariſtotelem progredi à functionibus: ſtatuit ille, viuentia habere principium, & potentiam, per quam accrementum, & decrementum ſuſcipiunt ſecùndùm contraria loca, tunc ad probandum huiuſmodi pronunciatum progreditur à notioribus nobis, hoc eſt à functionibus, inquiens, *Non enim ſurſum quidem augentur, & deorſum non, ſed ſimiliter in vtraq; & omnem in partem aluntur, & viuunt ſemper.* Non ne ſic ex actionibus potentiam arguit, hoc eſt ex notioribus nobis ea, quæ ſunt minùs nota, colligit? Quid ergo blatteras? A.2.de an c.2. te. 11.

27 Vltimum inſcitiæ eſt, quod notas in verbis Philoſophi. *Aluntur*, inquit ille; *& viuunt ſemper, quouſq; poſſunt accipere alimentum.* Tu tuas ferias hìc reperiſſe ratus, adijcis, *Cur enim haud inquit, ea viuere ſemper, quouſq; accipiunt actu alimentum, ſed quouſq; poſſunt illud accipere? profectò non niſi quia etiam ſi non accipiant alimentum, & quamuis omnino à nutriendi functione ocientur, dummodo in ſe ipſis potentiam illam animæ obtineant, quæ principium eſt nutricationis, ſemper propriè viuere dicuntur: quippe uita conſiſtit in participatione ſola eius potentiæ, non autem in operatione, quæ ab huiuſmodi principio prodire poteſt.* Itaq; quoniam Philoſophus dixit, homines nutriri, ac viuere ſemper, quouſq; poſſunt accipere nutrimentũ, putas, illum potentiam admiſiſſe, operationem negaſſe. At ſi Philoſopus ad tuum palatum verba componeret, vt non de potentia loqueretur, quomodò dicere debuiſſet? nempe aluntur, & viuunt, donec accipiunt alimentum. At ſi ſic diceret, eum ex tuis principijs arguerem. Non ne tu ſuperiùs dicebas, atrophiam eſſe, cum homines ſuſcepto alimento non nutriuntur? iam ergo ex tua doctrina poteſt homo ſuſcipere alimentum, & non ali. Vt igitur oſtendat Philoſophus magnus, deperdita ſuſcipiendi alimenti facultate, aboleri nutritionem, abolita nutritione aboleri vitam, ait, *Aluntur, & viuunt ſemper, quouſq; poſſunt accipere nutrimentum.* Vbi duo notato: vnum, quòd dicit *ſemper* connotans continuitatem alitionis, alterum, quòd dixit, *aluntur, & viuunt* inſinuans, vitam eſſe alitionis conſectaneã. Non ergo dixit *poſſunt*, quaſi in alendi potentia vita conſiſtat, hæc enim non eſt, quæ vitam ſuſtinet, ſed potiùs eſt, quæ cum vita ſimul ſuſtinetur: vitam ſuſtinet alitio: ſiquis ergo accipiendi alimenti officio fungi nequit, impedit alitionem. Quare illud *poſſunt* non refertur ad nutriendi potentiam, quam tu putas ad vitam ſuſtentandam non ſufficere: refertur ad alimenti acceptionem, quæ operi nutritionis inſeruit; Quare quando Philoſophus ait *Aluntur & viuunt ſemper, donec poſſunt accipere nutrimentum*, non eſt explicandus, quaſi dicat, donec potentia nutritiua adeſt, ſed donec adeſt poteſtas inſeruiendi operi nutritionis. Nec verò conſentaneum eſt, Ariſtotelem eò trahere, vt dicat ſufficere ad vitam ſolam potentiam nutriendi ſinè nutritione: nam eius conſtans ſententia eſt, neceſſe eſſe id, quod genitum eſt, augmentum habere, & ſtatum, hæc autem ſinè alimento eſſe impoſſibile cenſet, ſinè alimento, inquit, non ſinè alendi potentia.

28 Producis deinceps in ſcenam eundem Philoſophum dicentem, *Ea quidem, quæ ſanguine carent, vel viuere diutiùs poſſunt truncato capite.* Sed *quid cani cum balneo?* quid nobis cum ſanguine carentibus? At quoniam addit, ſe huius rei cauſam alio loco docuiſſe, quæris locum, & ecce tibi inter problemata vnum occurrit, cuius hæc ſunt verba. *Cur animantium alia præciſo capite, vel protinus moriuntur, vel poſt, alia minimè? An ita afficiuntur quæ ſanguine carent, exiguoq; cibo contenta ſunt? quippe quæ neq; continuè cibum deſiderent, neq; in humore calor eorum diffundatur: quibus rebus priuatum animal ſanguine conſtans, viuere nequit: illa verò ſine reſpiratione viuere multò diutiùs poſſunt.* Tu autem in horum verborum ſerie, aliqua ſubdolè permiſces non permiſcenda: etenim cum Ariſtoteles dicat, exanguia exiguo cibo contenta eſſe, tu dicis exanguia pauco cibo ad multum tempus contenta eſſe. At aliud eſt exiguo cibo contenta eſſe, aliud exiguo cibo ad multum tempus contenta eſſe: quippe conchylia v. g. exiguum accipiunt cibum, nõ tamen exiguum ad multum tempus. Sed quamuis tibi dem, exiguum cibum ad

A.3.de pa.an. t. 10. adagiũ. A.ſect. 10.pro. vltim. Subdolo la trã ſcriptio.

multum tempus sufficere animalibus sanguine carentibus, non icciрco poteris inferre, in his nutritionem esse interrutpam, sed solùm coctionem esse tardam, nutritionem verò exiguam, sed continuam. Sed Aristoteles rationem affert, cur exanguia viuant abscisso capite, sanguine prædita non uiuant? & hæc est inter vtraq; differentia, tu vero vis probare ex hoc eodẽ loco inter vtraq; conuenientiam, scilicet vt possit homo, aliquando ad eam caloris inopiam deuenire, vt sanguine carentibus adæquetur. Ait namq; Aristoteles, *Quibus rebus priuatum animal sanguine constans, viuere nequit;* Sunt autem res istæ, nempe neq; desiderare continuè cibum, quia non habent ita exquisitum oris ventriculi sensum, vt habent sanguine prædita, neq; calorem eorum in humore diffundi: quare ait, quoniam exanguia ita se habẽt, sinè respiratione viuere diutiùs possunt, tu adiungis accidere, vt sinè respiratione animalia sanguine prædita diutiùs viuere nequeant, præsertim si ea sint benè constituta, non vt hyrundines germanicæ, aut Lucomori, quibus vltra modũ refrigeratis nulla adest respirãdi necessitas. Cæterùm memineris, Philosophi placitum ab omnibus sinè hac tua exceptione recipi: quippe viuens sanguine præditum, calore indiget, vbi calor adest, fuligines colliguntur, quare duo necessaria sũt, & aeris ingressus ad calorem attemperandum, & egressus fuliginum ad eundem conseruandum, ne scilicet ab his oppressus extinguatur. Itaq; falsò concludis, *Inter homines multos esse posse, quibus calor exilis, quantùm fert hominis conditio, assiduè respiratione temperatus adeò conseruatur, vt corporis substantiam vel non absumere, vel minimum absumere valeat, quos propterea vt exanguia diù sinè cibo, & intermissa nutriendi functione viuere dicendum sit ad aures Aristotelis.* Ego autem non ad aures, sed publicè profiteor, te hic tot errores commisisse, quot verba. In primis ais, multos esse posse, quibus corporis substantia vel non consumatur omnino, vel consumatur parùm. Hic duos reperio ex tuis erroribus: vnus est, quòd multos esse dicis, vnde multi deberent esse, qui sinè cibo viuunt, & tamen alibi fateris, & diffiteri nequis, hos rarissimos esse: alter, quòd inter nihil consumi, & parùm consumi, nullam videris constituere differentiam, quoad alimenti necessitatem, & tamen qui nihil absumerent nullo cibo indigerent, qui verò parùm, pauco, ac proinde isti posteriores non possent ferijs, à te publicatis, frui. Deinde dicis, homines posse, quantùm fert hominis conditio, ad exanguium exilitatem caloris deuenire, quod tibi negaret Galenus, vnicuiq; animalium speciei suum caloris gradum assignãs, intra cuius terminum duntaxat conseruatur. Præterea dixeras nuper, supra modum refrigeratis nullã adesse respirationis necessitatem, & sic abstinentibus v.g. Lucomoris denegabas respirationem, nunc, vt intermittatur nutriendi munus, expostulas, vt calor mitis respiratione contemperetur, vt nunquam tu tibi constes. Tandem dicis, vt exanguia diù sunt sinè cibo, & intermissa nutritione sic homines esse posse: in quo dupliciter peccas, primò quòd existimas, posse hominem eò inopiæ caloris deduci, vt sanguine carentibus æquiparetur: deinde quoniam supponis exanguia intermissam habere nutritionem, cum tamen habeant quidem tardam, diminutamq; coctionem, intermissam verò nutritionem nequaquam.

Cõtradictio. *Cõtradictio.*

De animæ definitione. Articulus Decimusquartus.

POST hæc in duplice animæ definitione quæris, an aliquid tibi proficuum latere possit. Est prima definitio ex Aristotelis verbis elicita hæc. *Anima est actus primus corporis naturalis* (omisisti dicere *instrumentalis*, seu organci, quod tamẽ Philosophus nõ omisit) *potentia vitam habentis.* Inprimis vt tu notas, Aristoteles admonet, se nomine vitæ significaturũ actiones animæ vegetabilis, nẽpe nutricationem ex se, augmentum, decrementumq; & hoc recipis, qui tamen in tuis Bacchanalijs asseris, vitam, quæ est esse substantiale, non mensurari tempore: quippe tempus est solum mensura motus, ac omnino functionum, vnde vitam à functionibus distinguis, hic autem tuæ inseruiens intentioni vitam ab operationibus non discernis, & sic videtur tua omnis doctrina habere nasum cereum. Verùm hoc leue est peccatum comparatione aliorum. Dicis ergo, vitam esse actum primum corporis habentis vitam in potentia, hoc est, habentis potentiam sese nutriendi, augendi, & minuendi. Itaq; iam corpus istud per has potentias est animatum: hoc quoq; concedis, & ita Aristotelis decreto censendum esse censes.

Cõtradictio. p. 114

ses. Sed si corpus, cuius anima est actus, animatum esse dicis, iam in animali dabis duas animas, vnam priùs, per quam animatum dicitur, & per quam habet potentias illas nutriendi se, augendi, & minuendi, alteram istam, per quam constituitur in actu primo. Deinde si anima est actus corporis animati, iam anima non vnitur materiæ primæ immediatè, sed mediante illa anima, per quam dicitur animatum. Veritas igitur est, quam tenet D. Thomas: nempè in hac definitione corporis nomine intelligi materiam primã: & quia additur *organici* (quod tu conticebas) erit materia prima affecta organis. Vnde Philosophus, *Manifestum est*, inquit, *quod anima quid substantia prima, corpus vero materia, homo vero animal, quod ex ambobus.* Ar. 7. meta-ph.tex. 39.

2 Est igitur anima actus primus, sed potuisses dicere, per animam constitui viuens in actu primo, in quo nondum compositum operationes suas edit, ac proinde non nutritur. Verum quidem est, viuens in actu primo carere operationibus, per has enim esse dicitur in actu secundo. Attamen duo, volo, vt in memoriam reuoces: primum, te dixisse superius, calorem esse vinculum, per quod vnitur anima corpori: alterum, te concessisse, calorem agere ex necessitate naturæ. Igitur cum primùm vnitur anima corpori, adest calor, imò præcedit calor vniẽs, & perseuerat conseruans; Calor quidem in viuentibus imperfectis, qualia sunt in actu primo, vt semina, & fructus, adeò exiguus, vt non aliquid ampliùs præter coniunctionem animæ cum corpore queat operari, in viuentibus autem perfectis adeò vegetus, vt ad omnes operationes sit sufficiens. Tunc sic, in animalibus perfectis, quoniam datur coniunctio animæ cum corpore, datur calor: hic calor agit ex necessitate naturæ, & est sufficiens ad vitæ operationes, ergo operationes necessariò eduntur. Quare viuentia perfecta, cum sunt in actu primo, necessariò etiam simul sunt in actu secundo, ac proinde quamuis anima sit actus primus per se, nihilominùs propter vinculum, quo corpori coniungitur, reducit totum compositum in actum secundum, cuius sunt operationes, inter quas est nutritio, & sic colligitur necessitas nutritionis.

p.114. ps.29.

3 Vltra hæc si sufficit viuenti esse in actu primo, & tui abstinentes, & animalia viuentia sunt in actu primo secundùm omnes functiones, & hoc sufficit, vt viuẽtia sint, quorsùm natura ea deducet ad actum secundum? num quia in actu secundo maior est perfectio? at non semper actus secundus perfectior est primo: quamuis enim in potentijs immaterialibus actus secundus secum afferat perfectionem, secus tamen est in materialibus, quæ operando defatigantur. Deinde cum nutritio necessariò supponat defectum, ad quem restaurandum est instituta, longè meliùs est carere hoc defectu, sicut caret viuens in actu primo constitutũ. Si verò quęrat aliquis, cur dormientia, quę videntur esse in actu primo, expergiscantur? respondeo, ꝑ somnũ nec ligari omnes potentias, neq; ligari omninò, ac proindè naturam satagere, vt ab imperfecto statu, qualis est dormientis, ad perfectum vigilantis suum viuens reducat. At ne fortè aliquando mihi dicas, velle te filiolos tuos, (si tamen tui sunt) à somno tamquam ab imperfectione arcere, scito multas esse imperfectiones, quę ad perfectionem conducunt, vt taciturnas ad contemplationem, corruptio ad generationem, & in re medica euacuationes ad sanitatem: sic somnus moderatus ad reparandas vires. Atq; hæc de prima definitione, in qua, vt vides, licèt anima sit actus primus, viuens in esse viuentis per animam constitutum, si viuens perfectum est, necessariò debere esse in actu secũdo, quod tu manifestè hic, nesciens quid diceres, fassus es. Nam viuens est, quod vitam habet, vitam autem dixisti, ex Aristolis decreto, significari nomine operationum vegetalium: quare viuens necessariò adiunctas habet operationes vegetales, quarum præcipua est nutritio, cuius tu acerrimum te hostem exhibes. Et sic nihil habet prima definitio, quod tibi ad rem esse possit.

4 Accedamus ad alteram, quæ sic habet: *Anima est principium, quo viuimus, & sentimus, & mouemur loco, & intelligimus primò*. Parum refert, quod ex tua penu addis *principium*: ad argumentationem, quam conficis, accedo: inquis enim, *Cum igitur anima, & animatum æquè respiciat singulas vitæ operationes, consimiliter vt animæ præditi diu possumus intellectionem, & sensum, & motum, & augmentum intermittere, ijdẽ quoq; nutriẽdi functione diutius ociari poterimus ex Aristotelis doctrina*. Merito quin tibi Aristoteles ambas iratus buccas inflet, quoniam ex eius doctrina dicis esse id, quod eius doctrinæ penitus aduersatur: passim ille inculcat, nutritionem nunquam cessare. Afferam aliqua loca, tu plura reperies, si quæras, sed adagiũ.

non vis

non vis quærere id, quod te inuenisse pœnitebit: non aliter ac si vxoris pudicitiam quæras, quam inuenisse impudicam te pœnitebit valde: forsitan ideo nec de ea, nec de veritate doctrinæ Aristotelicæ solicitus es. Itaq; Philosophus in libro de ortu, & interitu sic ait, *Ideo nutritur quidem quousq; saluum fuerit, etsi diminuatur augmentatur autem non semper*. Vides, vt non se obligat ad vitæ operationes con-similiter omnes inducendas, quod tibi videtur necessarium? vis enim naturam cogere, vt tuo modo faciat, & Aristotelem, vt tuo modo dicat, cum tamen & naturæ factis, & Aristoteli dictis aduerseris. Ergo Philosophus docens, semper dum viuit animal nutriri, non semper augeri, iam te reprehendit, qui ex vnius functionis necessitate necessitatem alterius vis aucupari. Et in lib. 2. de anima sic habet: *Alimentum autem præparat ad operandum, vnde priuatum alimento non potest esse*: libro autem tertio eiusdem, adeo necessariam esse alitionem, tenet, vt propter illam tactum, & gustum necessarios esse dicat, siquidem horum duorum sensuum necessitatem ex eo deducit, quòd nutritioni rei penitus necessariæ necessarii sint: & in libro de somno, & vigilia idem confirmat: locum citaui in libro de asitia dicens, *Facultati nutriendi somnus non obrepit*. Hæc verba cynicè mordes, sed nihil feliciùs, quàm reliqua; Dixi ego, facultatem animalem obdormire, vegetabilem verò minimè: tu vtramq; partem reprehendis, imò inaniter accusas: primam, quoniam phantasia dormientium soluta est, soluti etiam sensus externi, vt patet in noctambulis. Hoc ego infra, cum de somno ex professo tractabo, in examen ducam: sufficiat nunc accipere, somno sensum cōmunem ligari, quod tu non negas, vt possimus dicere, operationes facultatis animalis esse, quæ per somnum quiescunt, licèt non omnes, nec omnino; At naturales per somnum non solùm nihil prorsus quiescere, sed præcipuas, qualis est coctio, & coctionis ministræ, vegetiores esse. Alteram partem conuellis inquiens, me Aristoteli falsò imposuisse illa verba *facultati nutriendi somnus non obrepit*: tu verò falsò hoc mihi imponis, nam in contextu ita habent verba Philosophi, *Quæcumq; quidem viuentium augmento, diminutioneq; participant solum, quod in his non est neq; somnus, neq; vigilia veluti plantis*. Mutata diceret verba puer, qui verbis duntaxat attendit, non tu, qui quotidiè non verba solùm, sed sententias adeo immutas, vt eas vel inuitas in tuam sentētiam trahas. Cum ergo dicat *veluti plantis*, plantas affert pro exemplo, non autem, vt tu putas, tam de his, quàm de animalibus promiscuè loquitur: id indicant hæc verba, quæ antecedunt, *De nutritiua quidem, quæ separatur ab alijs, aliarum vero nulla sinè hac existente*. Hoc non quadrat plantis: quippe plantæ, nullam aliarum particulam habent, sed solam nutritiuam: quadrat animalibus, quibus, quoniam plures adsunt particulæ, siuè facultates, aliarum nulla sinè nutritiua existit. His tamen omissis tuam transcribo argumentationem nihil ei addens, vel diminuens: ea est huiusmodi. *Anima est principium, quo primo nutrimur, & augemur, & sentimus, & mouemur loco, & intelligimus*. Hæc est maior propositio, vera quidem, quod, in te, coruo est rarius albo: affers minorem sic. *Cum igitur anima, & animatum æquè respiciat singulas vitæ operationes*; Illud tuum *æquè* non omnino recipio: nam animatum eas respicit tamquam principium completum, anima verò tamquam incompletum. Deinde anima respicit operationes aliquas, quarum nō indiget, vt est nutritio, neq; enim anima nutritur: animatum respicit operationes, quarum indiget: nihil enim animato magis necessarium est, quàm nutriri. Tandem anima respicit operationes, vt principium quo, animatum autem vt principium quod. Hoc significat Aristoteles inquiēs, *Dicere autem irasci animam simile est, ac siquis dicat eam texere, vel ædificare: melius enim fortassis est non dicere, animam misereri, aut addiscere, aut cogitare, sed hominem anima*. Itaq; pluribus nominibus illa particula *æquè* tuam minorem propositionem falsam reddit. Sed quid ex maiore vera, & minore falsa colligis? nempe hoc: *Similiter vt anima præditi diu possumus, & intellectionem, & sensum, & motum, & augmentum intermittere, ijdem quoq; nutriendi functione diutiùs ociari poterimus*. Sed quid quæso ad istam consequentiā facit tua illa comparatio inter animam, & animatum? Suspicor, te velle, vt sicut anima incumbit singulis æquè operationibus, hoc est, non magis huic, quàm illi, sic animatum facere debet. At neq; ita quidem illud *æquè* admitti debet: etenim anima intellectioni, & operibus sensuum internorum magis incumbit, quàm animatum: & de intellectione quidem non est dubium, siquidem quò magis à corporeis impedimentis abstrahitur, meliùs, & efficaciùs intelligit; De sensibus internis etiam verum

[Margin notes: *De gen. & corrupt. l. 1. t. 41.* — *adagiū.* — *De an. lib. 2. te. 48.* — *De an. l. 3. te. 60. 61. 62. 63. 64.* — *de sōno & vig. c. 1.* — ☞ *Infra.* p. 213. — *adagiū.* — *Ar. 1. de an. t. 64.*]

verum est, siquidem cogitamus melius, quando animam ab externis sensibus abdicamus, vnde Cicero, *Habet animus, quo se delectet, etiam occlusis sensibus*, nec defuit, qui, vt cōtemplationi meliùs vacaret, sibi oculos eruit. Ex altera parte operibus facultatis naturalis meliùs animatum incumbit, quàm anima ex se: sic coctioni nocet cogitatio, meliùsq; animatum curis solutum naturalibus functionibus indulget, quàm qui animi affectibus vexatur. Itaq; nutritio, quę est actio animati, non ęquè procedit ab animato, atq; ab anima: contemplatio, functio itidem animati, non æquè ab anima, & ab animato procedit, sed contemplatio meliùs ab anima abstracta, nutritio meliùs ab animato continente actiones animæ. Ergo ad tuam inanem consequentiam dico, intellectionem, & alias actiones, quas animæ appellat multoties Galenus, multoties etiam animales, posse animam, vt pote quæ sui iuris est, intermittere, iccirco has functiones liberas appellamus, & voluntati liberum arbitrium attribuunt theologi. At verò functiones animati, quibus animatum totum incumbit, tanquam sibi necessariis, & quæ magis functiones naturæ dicuntur, quàm animę, vt iam superiùs diximus ex Galeno, non magis intermittere possunt, quàm potest animatum suam ipsius intermittere essentiam: quippe de animati essentia est vita, at vita, vt tu superiùs falsas es, est operatio: quòd si non sit formaliter operatio, est tamen necessariò concomitans, & propria quarto modo, siquidem omne viuens est animatum, & omne animatum viuens. Quare non est, quòd ex hac secunda definitione, sicut etiam nec ex prima, aliquid tibi proficiat, neq; ex vtraq; quantumuis laborasti, magis, quàm ex ligustico tuo mari pisciculum ad pauperem cœnam es expiscatus. *Cic. tuscul. li. 5.*

5 Adsit nunc alius Aristotelis locus, nępe eum affers, in quo Philosophus, animā corporis viuentis causam in triplice genere causæ, finalis, formalis, & efficiētis statuit: in huius rei probatione multiloquio laboras, sed non erat, cur laborares in re, quam Aristoteles manifestè docet, omnesq; libenter recipiunt. Iamdiu est, quòd his nænijs impedior: protinus me expedire volo. Concludis ergo in hunc modum: *Ex his apertè constat, vitam, quæ ab anima, veluti à forma prodit, tum præcedere omnes functiones, quæ ab anima, ceu ab effectrice causa, proficiscuntur in vltimo statu viuentis corporis, & speciatim nutricationem, tum ab illis non dependere, tum demum ipsis non indigere; cum autem priora, & independentia, & non indiga diù esse possint ex se, consiteri necessarium sit, ex Aristotele, corpora viuentia, vt reliquas vitæ functiones singulas, ita & nutriendi munus diù intermittere posse*. Commiseratione dignus est Aristoteles, quem toties renitentem sophismatum funibus eò vis trahere, quò nullis vnquam machinis trahetur. Non immorabor ostendendo, quàm parùm in tuis verbis conueniant antecedentia cū consequentibus: vnusquisq; videt, te in antecedentibus nihil de nutritione, nihil de dependentia, aut indigentia dixisse, in consequentibus hæc omnia pro tua vbertate addidisse. Ad enodandum tuū sophisma me confero, cuius fraus latet in illo verbo *præcedere*. Cum ergo dicitur vita præcedere omnes functiones, declarandum est, quæ nam sit isthæc pręcedentia, num ordine temporis, an naturæ: relinquo & alias, quoniam ad has reduci possunt. Si ergo præcedentiam temporis vis esse, falsum dogma assumis: quippe sufficit vt causa præcedat suum effectum ordine naturæ: imò quemadmodùm non repugnat rem aliquam esse priorem duratione, & posteriorem natura, vt lumen, quod accedit alteri lumini ad eius conseruationem, est quidem prius natura, vt causa conseruans, & posterius tempore, vt patet: sic etiam vice versa potest aliquid esse prius natura, & posterius tempore, v. g. forma, quæ quidem naturæ ordine materiam præcedit, vt pote quæ nobilior est, tempore autem præceditur à materia, quandoquidem materia prima est coæua vniuerso. Itaq; si præcedentiam temporis accipis, falsò ais, animam esse vita priorem: si dicas præcedere ordine naturæ, hinc non elicies, animam existere sinè vita, quod ex his, quæ dicta sunt, fit manifestum. *Ar. 2. de an. te. 36.*

6 Si verò quæras, cur falsum sit dicere, *anima præcedit tempore vitam*, facilis est respōsio: etenim instans, in quo anima producitur, & in quo informat corpus, siue materiā, & in quo resultat viuens animatum, est vnum, & idem: cum igitur constituatur viuens in esse viuentis per vitā, cum rursus in eo instante fiat viuens, quo producitur anima, necessariò, sequitur, nullam temporis differentiam esse inter productionem animæ, & resultantiam vitæ.

7 Ais, animam non dependere à vita, neq; vitæ esse indigam. Hic etiam do-

lum

lum malũ abſcondis: deberes namq; declarare, num loquaris de anima rationali, an de anima brutorum: & ſic quidem tam hæc, quàm illa dependet à vita, licèt diuerſo genere dependentiæ: nam anima rationalis dependet à vita non in ſuo eſſe, iuxta illud Christi Domini, *Nolite timere eos, qui occidunt corpus animã autem non poſſunt occidere*: pendet tamen in ratione nexus, quippe & vitam deficere, & ſolui nexum animæ, & corporis vna, atq; eadem res eſt. At anima brutorum, atq; etiam plantarum pendet à vita in ſuo eſſe, & conſeruari, nam ſimul ac anima exiſtit, vita etiam eſt, abeunte vna euaneſcit anima: nec mihi dicas, hanc, aut illam, eſſe priorem, nam vtraq; eſt ſimul tempore. Porrò brutorum, plantarumq; anima vitæ comes eſt indiuidua, & viciſſitudine neceſſaria mutuam habent dependentiam, mutuamq; indigentiam, vt nec vita ſinè anima eſſe queat, neq; anima ſinè vita. At anima rationalis dependentiam, indigentiamq; habet ratione nexus, duntaxat, in quo etiam viciſſitudo datur: ſiquidem neq; ſinè vita poteſt anima corpori eſſe nexa, neq; ſinè nexu poteſt vita conſiſtere.

Math. c. 10. n. 28.

8 Quæſiui aliquando à te, in quo conſiſtat iſte nexus: tu autem iſtud meum quæſitum, (vt cum Martiali loquar) *rides quaſi barbara verba*, & me tale quærentem Ariſtotelis autoritate damnas. Ariſtoteles verò te ſua autoritate abutentem damnat, omnes etiam irrident, qui vident, te implere margines Ariſtotelicis citationibus nihil ad tuam rem facientibus: ait namq; Philoſophus, non oportere quærere, ſi vnum eſt anima, & corpus, ſicut neq; ceram, & figuram. At quorſum hoc? ego enim non dubito, ex anima, & corpore fieri vnum: quod autem quæro, diuerſa res eſt, videlicet quo nexu hæc duo iungantur in vnum. Ecce me ridiculum appellas, & te ridiculum exhibes. Cæterùm, quæ tua eſt pietas, ridiculæ meæ interrogationi reſpondere vis, ſed ridiculè: quandoquidem ais, *Nexum corporis, & animæ conſiſtere in eſſentiali propenſione, quam habet tum corpus organicũ aduitam, tum anima ad corpus naturale organicum viuificandum*. Vtinam non reſpondiſſes, neq; enim cachinnos excitaſſes: quippe ex tua hac reſponſione, duo ſequuntur, quæ ne comicus quidem ſcurriliter diceret: vnum eſt, cadauer, quod corpus eſt organicum, habere propenſionem ad vitam: alterum, animam ſeparatam eſſe ſimul, & nexam, & ſolutam: nexam, quia habens propenſionem habet, ex tua ſententia, nexum: ſolutam, quia eſt ſeparata.

De Aſtia ca. 15.

Ar. 2. de an. t. 7.

p. 113.

9 Improbras, quòd dixerim, Ariſtotelem, qui mortem dixit eſſe caloris extinctionẽ, dicturum, vitam eſſe caloris durationem. Prodit Satyrus in ſcenam, atq; in me ſic inuehitur: *Tu mihi confundis vitam cum nexu corporis, & animæ, quæ duo diſtinctiſſimam prorſus naturam habent, & Ariſtotelis autoritate prorſus abuſus es in loco non opportuno*. Ego tunc cœpi circunſpicere, an aliquis eſſet error, dũ ſententiam Ariſtotelis attuli, vt ex oppoſitis argumentum conficerem: in hoc mihi orthographia ſuccurrit, inquiens, mihi rem eſſe cum idiota, qui opportunitati litteram vnam eſt ſuffuratus. Reſpexi ampliùs, neq; vidi, quomodò poſſem vitam cum nexu animæ, & corporis confundere: nam diuerſa ſunt, quæ confunduntur: nexus iſte, & vita, vna, & eadẽ res ſunt. Verùm de nexu poſteà: nunc ego non dixi, vitam eſſe nexum, ſed poſſe ex oppoſitorum regula (cum mors extinctio caloris dicatur) vita dici eiuſdem duratio. Tua ſatyriaſis hic non acquieſcit: negas namq; vitam eſſe durationem caloris; admittis tamen eſſe moram ſeu permanentiam animæ cum calore, ſed hoc ab Ariſtotele debere accipi in latiore ſignificatu. Magna tibi, ò Satyre, ad aures, ſubtus cornua, Ariſtoteles myſteria communicauit. Vnde nam elicis, Ariſtotelem, quando vitam definit per operationes, & ſimiliter, quando per moram, & permanentiam, id facere in latiore ſignificatu? Nempe (ais tu) *quia etſi non moraretur diutiùs anima in corpore, ſed illi coniuncta ſtatim ab eo ſepararetur, vitam nihilominus vel momentaneam illi communicaret*. Hìc libet paululum iocari. Exiſtimas ne, vitam aliquam eſſe inſtantaneam, quæ in vno inſtante incipit, & in eodem finitur? At hoc ne pulici quidem eueniret: quippe diſpoſitiones, ducentes ad interitum, debent præcedere, & ſic non morietur beſtiola in eo inſtante, in quo nata eſt: ſi verò in alio, cum inter duo inſtantia mediet tempus, iam vita durabit per aliquod tẽpus, ac proinde phyſicè loquendo dabitur mora, permanentia, manſio, duratio: Medicè verò loquendo longè maius requiritur ſpatium, vt ſit vita, imò & moraliter etiam, vnde Iob, *Fuiſſem quaſi non eſſem de vtero tranſlatus ad tumulum*. Nec ex Cadmæis dentibus ſeminatis, adeò breuis vitæ homines prodierunt, vt tu imaginaris, neq; ephemera animalcula. Abi igitur in malam crucem inſane, cum iſtis tuis cauillationibus.

p. 114.

Iob. c. 10. n. 19.

Pergis

Pergis sapere, & mentem Philosophi velle assequi: Philosophus namq; cum dicit, mortem esse extinctionem, non definit ibi, ais, mortem, nec eius ideam, essentiamuè ostendit: mortemq; nihil aliud esse contendis, quàm animæ solutionem à corpore: *Sed quia caloris extinctionem mors necessario consequitur: vt pote soluto vinculo, quo nectebatur anima corpori: calor enim tale vinculum est disponens corpus ad animam*. Iam ergo à me accepisti, quid sit vinculum, nam ego in sequente capite de Asitia dixi: *Quippe vinculum, quo vnitur corpori* (scilicet anima) *aut dispositio, qua corpus est aptum ad retinendam illam, est calor innatus ex calido, & humido constans*. Videris mihi sordidos illos helluones imitari, qui spuebant in patinis, vt ipsi soli dapibus vescerentur. Sed dic mihi, quomodò potuisti recipere, calorem esse vinculum animæ, & corporis, si iam priùs dixeras, vinculum istud esse propensionem? Bacchum olent isthæc tua Bacchanalia. *De Asitia ca. 16.* *Cõtradictio.* *adagiũ.*

10 Peream, si tibi mens constabat, quando hęc scripsisti: tbis me notas, quòd duo valde diuersa, tamquam vnum accipiam; Semel quando ais, me dixisse, vitam esse caloris durationem, Aristotelem verò, esse mansionem nutritiuæ animæ cum calido: atq; hæc, ais, inter se longè esse diuersa; Longè ne diuersa est duratio, & mansio? longè ne diuersa est duratio caloris, & mansio animæ cum calido? Diuersitas ista non est in re ipsa, sed in tuo intellectu. Iterum etiã, quando ais, me confundere vitam cum nexu animæ, & corporis, quæ duo distinctissimam naturam habent: distinctissima ne est natura nexus, quo ligatur anima corpori, & natura vitæ? cur ita? nempe, ais tu, *Quia vita non est nexus animæ, & corporis, sed illum nexum consequitur*. Hic ne reperis distinctissimam naturam? At ea adeò indistincta est, vt ne mente quidem distinctio concipi possit. Tu ordinem fingis naturæ, melius diceres rationis, quia sola ratiocinatione comprehenderetur, si comprehendi posset, sed ego ita vtraq; vnum esse existimo, vt neq; abstrahente intellectu separentur: synonima potiùs esse dicam. Iube ergo intellectum tuum, vt concipiat solutionem animę à corpore, & non concipiat mortem: iube rursus, vt consideret animæ cum corpore essentialem vnionem, & abstrahat à vita: quomodò hoc fiet? nam abstractio est inter duo, quæ licèt re separari nequeunt, separantur saltem ratione, sed in vno, & eodem, re, & ratione nõ eò se extendit intellectus, vt abstractionem possit formare. Quid est mors? tu ais, essentiam mortis nihil aliud esse, quàm animæ solutionem à corpore; quid vita? certè, ex contrariorum lege nexus eiusdem cum eodem: quomodò ergo definitum sinè definitione essentiali, aut definitionem essentialem sinè definito poteris imaginatione comprehendere? Hic obiter dicam, te definire mortem per solutionem, & nolle definire vitam per nexum. *p. 114.*

11 Cum igitur perperam nexum animæ, & corporis à ratione vitæ non modò excludas, sed rem esse distinctissimam dicas, videamus ampliùs, an reliqua, quæ similiter vitæ nomine dedignaris, simile subeant infortunium. Nexum ergo, dixisti, non esse vitam, quia vitam potiùs sequitur: deinde meliore Minerua edoctus dicis, nexum esse calorem: at calor (ais tu) non est vita, sed anima: ita est: Aristoteles vult, vt vita sit *mansio animæ cum calore*: calor igitur saltem est instrumentalis vitæ causa, anima formalis, vtriusq; cum corpore nexus, seu permanẽtia, seu mora, seu mansio, seu permansio est id, quod propriè vita appellatur. Quoniam autem mansio isthæc durationem supponit, tu eam non recipis, quia momentaneam vitam posse dari putas, quæ tempore non mensuratur: *Quippe tempus*, ais tu, *est solum mensura motus, ac omnino functionum*. Cæterùm cum tibi iam satis, vitæ durationem probaui, & instantaneam vitam exprobaui, nunc satis est addere, ex Aristotele vitam per functiones definiri, functiones, vt tu dicis, tempore mensurari: sed tu functiones, ais, esse vitam in latiore significatu, neq; ego hoc renuam, dummodò vitam esse omnino non neges, & sic habebo intentum.

12 Non præteribo, quod hic de duratione scribis, valde reprehensione dignũ, ne pueri tui, cum hoc legunt, decipiantur: testis mihi erit tuæ ignorantiæ, virorum doctorum consensus. Omitto, quòd me falsò accusas, quasi dixerim, essentiam tẽpore mensurari: ego clarissimis verbis dixi, *Vitam esse caloris durationem*. Itaq; tu constituta priùs vita illa (quam tibi habeas) momentanea, adiungis hęc verba: *Nam vita, quæ est esse substantiale, non mensuratur tempore: quippe tempus est solum mensura motus, ac omnino functionum, non autem essentiæ, quæ mensuratur æuo, & æternitate, non tempore propriè*. Quæsiui apud Aristotelem istud esse

substantiale vitæ, neq; adhuc reperi, quæsiui apud te, nihil aliud inuenio, nisi vi-tam esse mansionem animæ nutritiuæ cum calido, vbi persistens in tua illa asi-nitate, consideras, dixisse Philosophum animam nutritiuam, non animam nu-trientem, quasi detur nutriens, quæ non sit nutritiua, aut etiam (apud Aristote-lem, & viros doctos) nutritiua, quæ non sit nutriens: sed hoc satis est ventilatũ, seu in ventos latũ. Quid nunc ais? vitam esse quid substantiale: at vita est man-sio animæ, mansio autem non est substantia, sed substantiæ existentia, existentia autem, & duratio re quidem non differunt, sed ad summum sola ratione, quæ est vera doctrina communiter recepta. Nec verò putes, vitam mortalem (de hac enim agimus) esse rem permanentem, nam exsibilabunt te omnes tam San-cti Patres, & sacræ paginæ expositores, quàm ethnici Philosophi. Num tu so-lus vitæ lubricitatem ignoras? si igitur vita successiua res est, necessariò debet tempore mensurari; Itaq; cum durationem vitæ dixi, nihil dixi, quod posses accusare, nisi iniustus fores accusator; Nam duratio, & permanentium rerum est, & successiuarum: differentia tamen in eo est, quòd permanentia durant im-mutata, successiua verò semper aliquam subeunt mutationem, imò verò dura-tio præcipuè de successiuis dicitur, de permanentibus autem successione quadã vocabuli, quod P. Suares considerauit.

Suar. 2. vol. disp. 1. sect. 2. nu. 2.

13 Omnem tamen iocositatem superat, quòd dum agimus de vita hominum, brutorum, ac plantarum etiam, tu eam tempore non mensurari, ais, sed æuo, & ęternitate: inquis enim (verba tua apponam, ne videar aliquid tibi imponere) *Quippe tempus est solum mensura motus, ac omnino functionum, non autem essentia, quæ mensuratur æuo, & æternitate, non tempore propriè*. Hęc quidem vera sunt, sed quorsùm? nempe ad probandum id, quod antecedit, hoc est vitam, quæ esse substantiale est non mensurari tempore: esto: non mensuretur tempore, mensu-rabitur ergo, vt tu dicis, æuo, & æternitate, habemimusq; bestias, & plantas æter-nas, & ab ęterno. Deinde particula *et*, quam tu superiùs copulatiuam esse volui-sti, & me, quòd eam disiunctiuam fecerim, accusasti, nunc æuum cum æternita-te coniunget, & Dei durationem cum duratione Angelorum comparabit.

Suar. 2. vol. dis. 31. sect. 2. n. 12.

14 Res est valde controuersa, distinguatur ne realiter existentia, ab actuali es-sentia: illud tamen certissimum est, & à magna Theologorum parte, quos citat P. Suarez non distingui re ipsa, & huius sententię fundamentum breuiter expo-situm, sic habet: *Non potest res aliqua intrinsecè, ac formaliter constitui in ratione entis realis, & actualis per aliquid distinctum ab ipsa: quia hoc ipso, quòd distingui-tur vnũ ab alio, tamquã ens ab ente, vtrũq; habet, quod sit ens, vt condistinctũ ab alio, & consequenter non per illud formaliter, & intrinsecè*. Sed quia vita est existentia, & existẽtia tẽpore mẽsuratur, videris mihi, dum essentiã æuo, & æternitate men-suras, existimare, essentiam differre ab existentia, & sic accipere essentiam pro ea, quæ in potentia est, non autem pro ea, quæ est actu, nam hæc, vt vides, non di-stinguitur ab existentia; Sed quid facit ad pręsens institutum essentia in potentia, cum agimus de vita, quę, si est effectus animæ; vt tu dicis his verbis, *Vitæ verò principiũ, & causa propriè nõ est calor, sed anima, vt docet Aristoteles*, si est inquã effe-ctus animæ, ergo est in actu, si est in actu, nõ habet essentiã in potentia, ac subinde habet essentiam existentem, existentia autem eius nec æternitate, nec æuo men-suratur. Si verò ab æterno realem essentiam constituis, mittam te ad manes hę-resiarchæ Vuicleff, qui inter alios errores, vt notat * Vualdensis, hũc etiam com-misit, quòd creaturas, dixit, habere ab æterno aliquod esse reale distinctũ ab esse Dei: & Thomistæ reprehendunt Scotum, quòd affirmauerit, creaturas habere quoddam esse ęternum, quod est esse diminutum earum, scilicet esse obiectiuũ, seu essentię in esse cognito. Si verò dicas essentiam ab ęternitate esse, sed non extra diuinam essentiam, quæram ego, quid hoc faciat ad rem, de qua agimus.

** Vuald. lib. 1. doct. fid. antiq. c. 8.*

Scot. in 1. dist. 35. §. ad ista, & dist. 36.

15 Longa, fateor, fuit hæc digressio, quæ me adeò procul ab instituto principali deduxit: parcendum tamen est; neq; enim sine prolixitatis vitio satyricæ proca-citati licet frænum imponere. Erat institutum anteà propositum ostendere, animam, quæ vitæ causa est, neq; à vita dependere, neq; vitæ indigere. Hoc satis manet demonstratum, nec tibi proderit dicere, effectum dependere à sua causa, non causam à suo effectu: sciunt namq; omnes, aliquando causas sibi inuicem esse causas, licèt non eodem modo, quod Philosophus exemplo sic probat: vt laborare causa est bonæ habitudinis, & hæc laborandi. Verùm si concedam tibi, animam nec à vita dependere, nec vitæ indigere, non adhuc quicquam efficies,

Ar. 2. phys. t. 30.

adeo

adeo enim imbecilla sunt tua fundamenta, vt etiam non euersa ædificiū sustinere nequeant. Partes integrales non habent mutuam dependentiam, indigentiam vè & tamen separatæ, sinè totius euersione esse non possunt: forma physica causa est, quæ materiæ dat actum, separa illam, ruet totum compositum: sic in nostro casu, sit anima causa vitæ, separa animam, destruetur viuens, & sic non ampliùs feriæ tuæ altricis animæ celebrabūtur. Alium ergo Aristotelis textum tibi magis faustum quærito.

De his qui sũ cibo li. 3.s.177 16. Confers te ad libros paruorum naturalium, quos aliquando multis exotericis, vulgaribusq; placitis refertos esse censuisti, nunc tamen eosdem amplexaris & magna vi in auxilium vis trahere: verba, quæ tibi putas inseruire posse, sic habent: *Generatio igitur est prima participatio cum calido nutritiuæ animæ*. In his verbis, in quibus nemo crederet, te aliquid reperturum, quod ad tuam peruicaciam sustentandam faceret, tui satis memor sarculasti, & tandem inuenisti nihil. Inquis autem, *Cum ergo generatio viuentis tota penitus nutricatu absoluatur, siquidem non alitur Aristoteli nisi viuens iam sit, non dum autem est, dum quidpiam gignitur: quippe finis generationis est esse rei genitæ, imò cum generatio viuentis hic ab Aristotele ponatur in prima participatione animæ nutritiuæ ante omnẽ nutritionem, statuẽs ipsemet immediatè vitam esse mansionem, seu moram huius ipsius, cuius proximè dixerat generationem esse primam participationem, cui non videatur Aristoteles vitam ab omni nutriendi functione absoluere, perinde ac generationem?* Optimo sane consilio obscuritatem in hac oratione affectasti, vt eam nemo sinè magno labore assequi queat: laborem autem nemo in tuis rebus intelligendis impendet, atq; ita vnusquisq; id, quod non intelligit, pro vero reputabit. Itaq; velle videris, hominem, dum gignitur, non adhuc viuere, quare nec etiam nutriri, nutritiuæ tamen animæ, ex Aristotele, participem esse: vnde infers, posse nutritiuam esse sinè nutriente. Et quoniam postquam Philosophus ait, *Generatio igitur est prima participatio, cũ calido nutritiuæ animæ*, adiungit immediatè hæc verba, *Vita autem mansio huius*, ex hoc ordine verborum colligis ordinem, quo natura procedit, vt scilicet prius sit generari, & nutritiuam animam induci, posteà verò viuere. Cæterùm cum generatio non vno duntaxat modo accipiatur, oportebat cum distinctione loqui, tu tamen (qui tuus mos est) voluisti ambiguitate sermonis fraudem sophismatis occultare, quam nunc meum erit detegere. Itaq; generatio, in suo proprio, & stricto significatu, vt à physicis accipi debet, consistit in introductione formæ in materiam: cum autem formæ productio, & eiusdem in materiā introductio sit vna, & eadem actio, cum rursus formæ productio sit instantanea actio, introductio quoq; instantanea est; Quòd autem forma in instante producatur, constat, quoniam forma substantialis, de qua agimus, substantia est, substantiam autem in instante produci Aristotelica est doctrina. Hinc etiam est, quòd generandi actio non fiat per motum, sed per mutationem, quippe ad substantiam non est per se motus.

17. Porrò cum Aristoteles, vt sentiunt interpretes, quando ait *Generatio est participatio cum calido nutritiuæ animæ*, intelligit generationem strictè sumptam, intelligat oportet actionem instantaneam, ac proinde meritò dixit, generationem esse primam participationem nutritiuæ animæ cum calido: quippe ante illud instans generationis, hoc est introductionis animæ in corpus, non erat anima nutritiua, ac proinde in eo instante fuit prima participatio animæ. Quare simul cum generatione instantanea cœpit esse animatum, ac subinde viuens; Iam ergo nunquam datur anima nutritiua, quin detur viuens: at non dari viuens sinè nutritione vetus illud axioma confirmat, nempe, *Tandiu viuimus, quandiu nutrimur*; Et perperam tu dicis, non esse quicpiam viuens, dum gignitur: Aduerte, particulam *dum* importare aliquam moram temporis (vocatur iccirco à grammaticis aduerbium temporale) generatio autem non fit in tempore, ac propterea negat Aristoteles, eam esse motum; Si autem medicè loquaris (nam tu aliquando medicũ vis agere, aliquando Philosophum, sed vt plurimum agis neutrum) generatio accipitur pro formatione fœtus, & hæc in tempore fit, sed tamen non est ea, de qua Philosophus debet loqui, sed ad medicos solùm spectat. *Ar. 5. phys.t. 8.& l. 6.t.45.*

18. Controuersia autem est inter autores medicos, vtrùm generatio, augmentatio, & nutritio sint vna tantùm actio, an plures. De nutritione, & augmentatione supra satis est dictum, vbi mihi visa est magis rationi consona ea opinio, quæ tenet nutritionẽ non distingui ab augmentatione, tum quia fortiora habet *Supra q. 2.*

N 2 funda-

fundamenta, tum etiam quia per eam multiplicatio facultatum euitatur. Eodem modo nunc placet, nutritionem à generatione non distingui; quod aliqui docti admodùm tuentur, præcipuè Vallesius, qui sic ait. *Quare quantum ego opinor (quamquam hæc sententia vulgaris non est, nec nisi doctioribus, & ingeniosioribus proponenda) virtus generans à nutriente re vera nō differt.* Præcipuum eius fundamentum est, quoniam eisdem particularibus actionibus completur generatio, quibus & nutritio; vtraq; enim actio fit conuersione alimenti in substantiam aliti. Quòd si quis dicat, differentiam esse inter vtramq; nam in generatione fiunt membrorum formationes, in nutritione verò minimè, sed quæ multo ante fuerant formata conseruantur, respondebo, id non fieri ob diuersitatē potentiæ agentis, nec arguere diuersitatem actionis, sed contingit in nutritione non fieri figuram, quia non oportet, vel quia generatio assequitur figurationem, quam nutritio non assequitur, & sic differentia sit secundùm magis, & minus, sicut etiam idem Vallesius dixit, augmētationem à nutritione differre: nempe ratione maioris quantitatis, quæ acquiritur in augmentatione. Possumus autē cognoscere, non formari figuram in nutritione ob id solum, quia non est opus: nam quando est opus, hoc est, quando aliquod membrum est deperditum, restauratur secundùm suam propriam figuram, quam postulat, vt patet in vlcere cauo, in quo & caro redit ad propriam figuram, & venæ exiles, quæ tamen suam figuram habent, regenerantur, sicut etiam regenerantur ossa puerorum, dum sunt adhuc veluti cerea, vt Galenus ait. Si igitur, quando oportet, nutritio formatricis munus solet obire, manifestum est, quando illud non obit, id accidere, quia aliàs non est opus.

Valles. l. 2. cōtrou. c. 19.

Ga. 6 meth. c. 5.

19 Alterum Vallesij fundamentum est, quia generatio, nutritio, atq; etiam augmentatio eisdem facultatibus ministrantibus complentur, attractrice, retentrice, &c. Instabit aliquis dicens, facultates istas ministrantes esse extrinsecas; quippe attractio se habet vt actio, quæ debet applicare materiam ad commutationem, retentio, vt duret in applicatione, expulsio excrementi fit peracta actione, coctio est, quæ disponit ad commutationem: hæ autem facultates extrinsecæ sunt, & versantur circa materiam, siue generetioni præparetur, siue nutritioni. Hoc tamen non obstante argumentum suam vim habet: nam facultates ministrantes tribuunt generatiuæ, & nutritiuæ modum operandi; vtraq; enim per eas operatur attrahendo, retinendo, expellendo, & commutando. Cum ergo modus sit idem, arguitur rei identitas, præcipuè cum diuersitas aliunde probari nequeat. Quòd autem generatio agat in subiecto nondum constante, nutritio verò in subiecto iam constante non infert diuersitatem: quid enim prohibet vnam, & eandem facultatem operari in subiecto variè se habente? imò in ministrantibus, de quibus loquebamur, hoc apparet: quippe attractio vna, & eadem est, quæ trahit materiam in subiecto non constante, vt fiat generatio, & in subiecto constante, vt fiat nutritio; Neq; credo, aliquem dicturum duas esse attrachrices, sic nec dicere potest duas esse facultates, vnam, quæ operatur in subiecto constante, alteram in subiecto non constante.

20 Accedis tu, & dicis, nutritionem esse actionem viuentis, dum autem animal gignitur, non dum est viuens. Ego tripliciter tibi hanc tuam leuissimam, instabilemq; arundinem infringo. In primis tu loqueris de generatione, quæ fit in tempore, hoc est, de generatione medicè considerata, & vis accepta generatione in hoc sensu explicare Aristotelem, qui loquitur philosophicè, & intelligit generationem momentaneam: ad quam sæpe dixit (vt notauimus) non esse per se motum. Secundo: In formatione sicut embryon tendit ad perfectam formationem, sic tendit ad perfectum statum viuentis: ac proinde dum generatur, sicut non adhuc est perfectè viuens, sic nec perfectè nutritur: attamen nutritur minùs propriè, quod est quoddam rudimētum veræ nutritionis; Quòd autem adsit hoc rudimētū a Galenus fatetur, dum pluries inculcat, semen masculinū, fœmininō vti pro alimento: vt quando ait, agens de semine maris, *Ipsum etiam amplius coquitur, atq; initio statim, ex fœmineo semine nutritur, tamquam id natura familiare magis, & omne, quod nutritur, similibus augeri facilius est*: Et alibi, *Atq; ita fit, vt vtraq; hæc semina membranis copulentur, quas scilicet fœmineum propria sua progressione efficit semen, vt totam genituram complexum hunc vsum exhiberet fœtui, vt illiq; esset alimentum: tenuius enim ipso cum sit, & frigidius, accommodatius est ad alimentū præstandum, quam quodpiam aliud*: Et alibi, *Qui igitur factum est, vt eam Erasistra-*

a G. 14. meth. c. 11. l. 1. de sem. c. 7. G. l. 3. facult. nat. c. 3.

tus non nouerit, si scilicet ea est prima seminis actio, vt competentem sibi sanguinem trahat: competens enim fuerit, qui tenuis adeò halituosusq; est, cum in omnem seminis partem veluti ros sit attractus, nusquam sui speciem representat: sic namq; fiet, vt facilè eum vincat semen, & celeriter assimilet, & sibi nutrimentum faciat; mox arbritor secundo attrahet, & tertio, quo scilicet molem sibi, magnitudinemq; iustam ex nutritione adijciat. Hæc omnia referre volui, vt te doceam, quàm ex professo Galenus seminis nutritionem omnibus suis numeris descriptam tradiderit. At pertinax adhuc flecti nequis, & nutritionem impropriam forsitan appellabis: flectar ego, & tibi concedam impropriam esse, verùm adeò propinquam propriæ, vt est propinquus status formationis statui viuentis. Sed tu dic mihi, cur non vis esse propriam nutritionem? respondes, quia nutritio est viuentis, id autem, quod gignitur, dũ gignitur, nondum viuit. At tu ignorantissime vis, facultatem aliquam viuentium inesse non viuenti, actionem non inesse; non ne tu concedis esse iam in eo, quod gignitur, participatione animæ nutritiuæ? ita sanè. at animam nutritiuã, siue facultatem nutritiuam in nondum viuente esse ais, actionem autem minimè. Ego verò actionem, inquio, non inesse, quoniam facultas non inest. Porrò dari facultatem viuentis in non viuente, tu forsan inter tua monstra recipies; ego autem ad impossibilia referam. Non præteribo tertiam responsionem. Nõ ne tu contendis in libris à te editis, & sæpe repetis, semen esse animatum? si animatum est, ergo, & viuens: cur ergo viuenti denegabis actionem viuentis, potẽtiam non negabis? Omnia ista si in schola publicè diceres, publica exibitione acciperentur. Tandem non te pudet in Aristotele quærere arma, quibus contra Aristotelem pugnes? Tu ex Aristotele vis accipere, generationem non habere comitem nutritionem, ille autem tibi clamat inquiens; *Quoniam autem eadem potentia animæ est vegetatiua, & generatiua* (pro vegetatiua vertunt alij nutritiuam, & meritò, nam addit statim) *de alimento necessarium est determinare primùm: separatur enim ab alijs potentijs opere hoc.* Iccirco Philoponus, & Niphus expositores celebres ex hoc textu colligunt, nullam esse distinctionem inter nutrientem, & generantem, cui sententiæ, vltra prædicta fundamenta à Vallesio allata, potest adhuc adiungi aliud non minoris momenti, videlicet, quia ab eadem facultate oriri potest generatio totalis, & partialis: at nutritio partialis quædam generatio est, quod probatur, quia tum in generatione, tum in nutritione semper fit nouæ substantiæ aduentus, & id, quod deperditum, corruptumq; est, reficitur, per generationem quidem totum, per nutritionem verò pars; Vnde Philosophus sic ait, *At verò neq; dubitare oportet, quare generatur aliquid semper de perditis: quemadmodum enim, & corrumpi simpliciter inquiunt, quando ad insensibile venerit, & non ens similiter, & generari ex non ente, inquiunt, quando est insensibile. Siue igitur existente aliquo subiecto, siue non, generatur ex non ente, & corrumpitur in non ens, &c.* Ex quibus colliges, siuè existente, siuè non, hoc est, siue generatione totali, quę fit in subiecto non existente, siuè partiali, quæ fit in subiecto existente, & est nutritio, semper generatione produci rem dici, Atq; hæc sufficiant circa textum paruorum naturalium.

A. 2. de anima te. 42. — *Philoponus, & Niphus.* — *A. 1. de gen. & corru. te. 21.*

21 Ex paruis naturalibus ad magna moralia transis, atq; ibi etiam specularis, an tibi fungus aliquis nascatur, transfersq; hæc verba: *Nutrientis partis animæ actio ab electione non est; nam in huiusmodi parte impulsus esse non videtur, sed igni videtur esse consimilis, cui quicquid immerseris, absumet: at si non obieceris, ne quidem ad capiendum impellitur: ita hæc habet pars animæ, vt si alimentum obijcias, alat, sin minus, ne quidem ad alendum commoueatur:* Sic ille. Tu in primis hinc, precor, elicito, nutrientem animam dici hic ab Aristotele eam, quę potest nutrimento non oblato non commoueri: vt, si sensum habes, illam tuam phantasticam distinctionem, toties à te recantatam, inter nutrientem potentiam, & nutritiuam, incipias damnare. Deinde elicito, differre actionem, quæ est ab electione, ab alia, quæ, vt Philosophus ait, non habet impulsum, sed est sicut agentia naturalia; quod ille demonstrat exemplo ignis, necessariò agentis, & non ab electione. Vnde nunc quoq; tuum solitum infortunium experiris, quòd frequenter ea, quæ in auxilium vocas, tibi sunt in perniciem. Tandem agnosces tuam solitam interpretandi rationem: quippe Philosophus dicit, *Si alimentum obijcias, alat: sin minus ne quidem ad alendum commoueatur:* tu verò ita colligis: *Quibus apertissimè constat; alentem animam in homine posse nutriendi officio feriari,* (ab officio diceret bonus grammaticus) *& quidem diutius, si diũ careat homo alimentis.* Vnde nam ★

Magn. moral. lib. 1. c. 5.

tua impudentia, extraxit illud *diutius*, & illud *diu*? Imò tu te confundis in adiectis: adijcis namq; , *Haud secus atq; ignis diù consistere potest nihil comburens in propria sphæra*. Ita ne Aristotelem interpretaris? num ille de igne in sua sphæra loquiutur, cum dicat, *Sed igni videtur esse consimilis, cui quicquid immerseris absumeit*. Sed vide, quàm sit impertinens tua isthæc comparatio: tu comparas hominem cum igne in sua sphæra, nempe id, cui alimentum subtrahitur, cum eo, quod alimentum nunquam habuit: vnde poteris vice versa comparationem ita facere: quemadmodum ignis in sua sphæra nunquam nutrititur, sic homo potest nunquam nutriri: atq; hinc oritur in te contradictio, quippe tu aliquando ita dixisti: *Addere liceat, non posse quidem illum animal carere planè alimentis, posse tamen aliquod animal ijs carere diutius: nam carere planè est tota vita carere ab ortu ad interitum, quod & nos vltro fatemur nulli animali perfecto conuenire: quippe natum animal augeri debet, incrementum autem nutricationem habet adiunctam*. Si ergo animal non potest toto vitæ tempore sinè alimento permanere, quorsum illud comparas cum igne in sua sphæra, vbi perpetuò ab initio suæ creationis non vtitur alimento? Tandem si comparatio instituenda est inter duo, quorum vnum indiget alimento, sed ei denegatur, alterum non indiget, compara corpora hæc mortalia cum corporibus gloriosis à mortalitatis consortio exemptis. Porrò vt vno verbo tibi monstrem quàm parum faciant verba magnorum moralium ad tuam intentionem, considera, Philosophum ibi dixisse, altricem animæ partem sinè oblato alimento non commoueri, vt pote quæ non habet impulsum, non tamen dixisse, animal ablato, seu non oblato alimento posse in vita permanere, quod tu dicis, & addis, *diutius*.

Cōtradictio. — *lib. 4. c. 83.*

22 Accedis ad problemata, vbi hæc verba reperis: *Tabescũt enim, & qui esuriunt: quia nullum penitus capiunt alimentum, & qui vitiosè vescuntur: quia quod assumpserint, perfrui nequeunt*. Non exuis tuos mores in hac etiam expositione, inquis enim: *Ac profectò quomodò clarius indicare poterat Aristoteles, posse hominem a nutricatione penitus ociari, quam asseuerans, tum qui male cibo vescuntur, maloue habitu afficiuntur, icciro intumescere pedibus, reliquis autem partibus contabescere? quia quod assumpserint, alimento perfrui nequeunt, tum qui diuturna fame laborant, id ipsum perpeti, non nisi quia nullum penitus capiunt alimentum*. Hæc est tua pulchra expositio. Quæsitum Philosophi erat, *Quamobrem qui vel cibo vitioso vescuntur, vel fame diutina laborant, pedibus intumescere soleant*? quæsiti rationem reddit, quia vtrisq; per tabem, consumptionemq; illud accidit. Tenetur tunc declarare, cur vtrisq; tabes, consumptioq; accidat: huius rei causam esse ait, quoniam qui esuriunt, non accipiunt cibum, ex quo nutriantur, qui verò vitioso cibo vescuntur, cibum quidem accipiunt, sed talem, qui nutritioni non inseruiat: semper tamen intelligenda est negatio, quæ non omnino tollat id, quod negat, sed magna ex parte. Iam tibi dixi, atrophia laborantes dici carere nutritione, quoniam exiguam habent, idemq; de respiratione dicendum esse inferiùs dicturus sum. Tu in his Philosophi verbis reperis tuas infelices ferias, ociumq; nutritionis; Vbi nam est hoc ocium? num in ijs, qui esuriunt? at esuries spectat ad alimentum externum, hoc est, ad cibum: quare esurientes à cibi ingestione feriari, dixisse Aristotelem, par est, non verò à nutritione: Si verò quæras, cur ob cibi defectum emaciantur corpora, addiscito responsionē ab Hippocrate, dum ait, *Plurimo propterea indigent alimento, alias corpus absumitur*. Si rursus quæras, cur ex prauo cibo in maciem deueniunt, addisce ab eodem dicente, *Impura corpora quo magis nutries, eo magis lædes*; Si tandem quæras cur emaciatis pedes intumescant? Respondeo inprimis τὴν συντηξιν, quòd Gaza vertit *per tabem*, meliùs verti à Doctissimo Septalio *ob colliquationem*: colliquati verò humores membris non agglutinantur, sed suo pondere ad inferiora, nempe ad pedes delabuntur. Deinde etiā tabidis coctiones fiunt diminutæ, & calor iecoris infirmatur, vndè aquosus redditur sanguis, qui ineptus est, vt apponatur, magis ineptus, vt agglutinetur, aptissimus verò, vt dilabatur. Itaq; tam qui prauo cibo vtuntur, quàm qui esuriunt, intumescunt pedibus, hoc est, cachectici fiūt. Quare vitiosus cibus est causa cachexiæ: ergo, vbi in græco est οἱ κακοσιτοῦντες, hoc est secundùm Gazam *qui vitioso cibo vtuntur*, malè vertit Gualtauinius, qui malo sunt habitu cachectæ nuncupati; posuit namq; effectum pro causa, videlicèt cachexiam pro vitioso cibo, ex quo cachexia fit. Cæterum si malum corporis habitum dicere voluisset Aristoteles, haberet in lingua græca fœcundissima, quomodò diuerso vocabulo eum corporis habitum

A. sect. 1. prob. 5. — *Infra.* — *Trāslatio Septalij melior quam Gaza.*

pranum.

prauum, qui fit ab inedia, ab alioquo, significatur habitus prauus, qui fit à prauo humore: quippe à prauo humore contractus prauus habitus dicitur græcè *καχεξία*, contractus verò ab inedia λιμόφωρος appellatur. Abeat igitur ad latrinam cum suo turpi græcismo tuus Guastauinius, quem cum encomio eruditissimum nominas, vt dici possit Ἀφρυών τιμή. Ex dictis euanescit vana illa nutritionis interruptio, pro qua quid tibi imprecer, nisi vt tibi eueniat? *Inepto rum bonor.*

23 Hæc sunt collectanea ex tuorum scriptorum confusione, quibus respondendum duxi, satisq; fore arbitror, vt ex ijs docti viri tuam inscitiam, tamquam ex vngue leonem agnoscant. Si quid amplius tibi remanet, cui satisfactum iri velis, proferto foras: styli optio apud te esto: me autem, vt aduenies, sic inuenies, si comis, comem, si contumeliosus, contumeliosum. At si diuini numinis occulta lex te vitæ indignum post me adhuc in vita reliquerit, non deerit vir probus, & doctus, qui veritatis amore, & improbitatis odio ductus causam meam defendendam suscipiat: iustius enim, sanctiusq; habetur (teste Aristotele) hominibus vita functis opem ferre, quàm viuis: quia scilicet viui præsidio esse possunt illi, defuncti nihil præterea possunt. Supererit etiam mea progenies, cui studium erit tuam frænare petulantiam. Reuertor ad contextus explicationem, à qua longa quidem digressione, sed non inutili, deuiaui. *adagiū.* *A. sect. 29. proble. 9.*

Auget autem, & corroborat, & incarnat.

SAtis iam in superioribus, de corporis augmentatione, vel secundùm omnes dimensiones, (& hæc est propria) vel secundùm aliquas, (& est minus propria) egimus. Vnum modò ad plenam contextus notitiam mihi remanet dicendum: videlicet meritò autorem dixisse de alimento absolutè *auget*; Quippe auget si non vt causa efficiens, at vt causa materialis, diciturq; augere, vel quando animal crescit, vel quando in statu est, vel quando decrescit: Nam tametsi respiciendo ad terminum ad quem in sola augmentatione, in qua reponitur maior portio, quàm fuit deperdita, dicitur animal augeri; nihilominus respectu termini à quo tā in nutritione, quàm augmentatione, quàm etiam in diminutione alimentum aliquid auget; quorsum enim sumitur alimentum? nempe ad supplendum aliquod defectum substantiæ: iam ergo ex parte defectus, (quem voco terminum à quo) illud supplementum affert secum aliquid auctum. Sit ergo substantia A, cui deperditæ sunt quinq; vnciæ substantiæ, & augeatur per sex vncias. Alimentum auget, & quoniam auget reponens plusquàm fuit deperditum, dicitur augmentatio. Sit rursus substantia B, quæ perdidit quinq; vncias, & augetur per easdem. Alimentum quidem auget; sed quia non præterit eam molem, quæ fuit deperdita, eam tamen adæquauit, nutritio appellatur. Sit tertiò substantia C, quæ easdem quinq; vncias perdidit, augeatur per tres, alimentum etiam hanc auget: sed quoniam auget minus, quàm fuit deperditum, minuitur corpus, & vocatur diminutio positiua. Hæc est illa, quæ infert maciem, & atrophiā maiorem, aut minorem pro ratione maioris, aut minoris acquisitionis, quæ fit per alitionem. Altera verò diminutio priuatiua, quæ fit, quoniam nihil assumitur, non potest dari nisi moriente animali, quod iam satis Satyro de Recho probauimus, & exprobrauimus admonentes eum, vt autores medicos medicè loquētes accipiat, neq; passim à medicis ad philosophos fiat transfuga, quem scimus nullibi receptum iri.

Et corroborat.

Non solum substantiam corporis auget alimentum, sed vires etiam: quare poterit alicui videri satisfuisse dixisse *auget*, vt hoc quoq; verbo viriū augmentum comprehenderetur. Nihilominùs tamen ad membra pertinet augmentatio, ad vires robur: virium nomine naturam, facultates, virtutem etiam amplector: quippe hæc tria sunt synonima. Cum igitur tres sint facultates corpus nostrum gubernantes, ex quibus natura nostra constat, tres dicimus esse vires, animalem, vitalem, naturalem. Omnes autem istæ alimento corroborantur, aucta scilicet caloris innati substantia, quam in sanguine & spiritu consistere diximus. Quoniā autem sanguis est materia spirituum, & comes, qui sanguinem dicit, calidum innatum dicere censendus est.

Qua

Qua propter, veteres ethnici, qui animam à natura non distinguebant, illā in sanguine collocabant: vnde Poeta *Purpuream vomit ille animam*: Et profectò si in anima brutorum consisterent, neq; ad humanam progrederentur, probabilia dicerent, & à sacræ paginæ sententia non abhorrentia: *Sanguis enim eorum pro anima est*; Sed cum hanc etiam opinionem de anima rationali habuerint, damnandi omnino sunt. Res itaq; in hunc modum procedit: ex alimento sanguis augetur, ex sanguine vires.

Deuter. 12. n. 23

VTRVM IN SANGVINE vires consistant.

QVÆSTIO SEXTA.

Galeni opinio. Articulus Primus.

G. de plenit. c. 7.

INuehitur Galenus in Erasistratum, quòd dixerit sanguine aucto virium etiam augeri robur: & aduersùs eum, ex professo, argumentatur; Summa argumentationis consistit in hoc, *Cùm neq; si is* (sanguis) *sit in maiori copia, quàm anteà validior, necessariò sit futurus homo, neq; si minori, imbecillior, sicuti neque si æqualis sit, necesse est, illum viribus eodem se habere modo*. Priorem partem, scilicet non augeri vires augmēto sāguinis, hypothesi quadā cōfirmat: *Si quis enim, qui & aliquius pituitosi sanguinis copiā ex ocio cōgesserit, & viribus prætereà imbecillis sit, optimo cuipiā gymnastæ offeratur; hunc ille, paulo post, valentiorē quidē, non autē pluri, quàm quando illum susceperit, sanguine abundantē reddet*. Posteriorem partem, nempe non ex eo, quòd minor sanguinis quantitas sit facta, vires redditas esse minores, videtur comprobare: quoniam qui lassitudinem tensiuam, ob sanguinis redundantiam, patiuntur, ex euacuatione sanguinis, vires quàm antea fortiores consequuntur.

Quæstionis resolutio. Articulus Secundus.

OPortet ante controuersiæ resolutionem conuenire in terminis habilibus; Nam, vt video, Galenus accipit sanguinem auctum, & diminutum, vltra terminos sanitatis, & sic verissimam adstruit doctrinam, ab eo optimè demonstratam: videlicet sanguine adeò aucto, vt tensiuam lassitudinem, & grauitatis etiam sensum inducat, vires opprimi: si hec igitur redundantia ad minorē quantitatem reducatur, tantum abest, vt vires diminuantur, quin potiùs augebuntur. Si ergo Erasistratus eodem modo accipiebat, meritò damnatur: Verumtamen nihil prohibet aliter supponere, & comparationem ducere non à redundantia sanguinis præter naturam, sed ab statu mediocritatis, à quo si minuatur sanguis, debilior æger euadet: si autem ita augeatur, vt non adhuc in lassitudinem incidat (hoc ita fieri posse ostendit latitudo sanitatis) vires fient robustiores, quā antea.

Ga. de sang. miss. c. 2

G. 1. sanit. tuend. c. 5. & l. 2. c. 8. G. 1. aph. 15. G. 2. acut. 30. & 44. & 5. sīpl. & alibi sæpe.

2 Neq; verò quempiam deterreat hypothesis facta à Galeno; Nam esto: sit homo pituitosus, & debilis, imò, eò quod pituitosus, debilis: siquidem ex ipsiusmet Galeni doctrina pituitosis sanguinis missio interdicitur; Tradatur iste cuipiam gymnastæ: gymnasta eum exercitio curabit: quippe, teste Galeno, gymnasta tantùm, quæ ad exercitationes pertinent, callet: Exercitium autem, vt idem Galenus ait, auget calorem natiuum, quapropter augebitur sanguis: etenim corpus incalescens, pituitam, quæ ex hypothesi est multa, in sanguinem exquisitum conuertit, quòd ita fieri, Galenus met non semel repetijt. Constat ex dictis exercitio auctum fuisse sanguinem, subindè auctam caloris innati substantiam, auctasq; iccirco vires: solùmq; in ijs, qui tantam sanguinis redundantiam habent, vt opprimantur vires, poterit sanguis virium robori impedimento esse.

QVANDIV VIRES POSSINT sinè cibo vitam sustinere.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Quæstionis explicatio. Articulus Primus.

De Asitia ca. 20. &

QVoniam in meo tractatu de Asitia præstitutum tempus Asitiæ citra noxam declaraui, posse ab hoc labore supersedere, ni cornupeta Satyrus Rechensis, mihi instaret à tergo, cui terga dare periculosum est; Nec immeritò dixi, illum institisse à tergo: nam cum vigesimi capituli initium, quod frons est, vellet oppugnare, principium duxit à tergo, hoc est, à fine præcedentis. Egeram de isto simulato nutritiuæ animæ ocio, illudq; non posse dari, probaueram, tunc capitulum conclusi his verbis: *Quæris per quot dies? ego libens subiungam*; Satyrus clausis oculis, vel saltem simulans clausos habere, in me irruit, & accusat, quod non prius quæsieram, *An res sit, deinde quid sit, qualis, & propter quid*. At non vides tu nequam, inceptum esse quærendo an sit? & quoniam repertum fuit, rem non esse, non oportebat quærere quid sit, multò minus propter quid. Putas ergo, me perperam per historias demonstrasse rei essentiam, quoniam historia demonstrat rei existentiam. Nos autem, ò Satyre, non loquimur nisi de existentia, tibi autem satis est, quòd Aristotelem, & Plutarchum ad marginem adnotasti. *p.185. eũ sqq.*

2 Sed misso Satyro in syluas, aut in peius, vnum prius admoneo, me non solùm quærere, quandiù vires sinè cibo illæsæ maneant, hoc est, à ieiunio nihil penitus patiantur, sed vlteriùs quærere, quandiù vita duret sinè cibo: sinè cibo, inquam, non sinè alimento: nam sinè hoc vitam permanere nõ posse, satis manet inculcatum. Quamuis autem satis esset medico consistere intra terminos naturę, nec altiùs velle sapere, nihilominùs quoniam offert se mihi iste, qui ex Philosophastro transit in iatrum, ex iatro in sacrilogum, ostendam planè, eum ex sacrilogo in sacrilegum se præcipitasse.

Quandiù vires in ieiunio potius proficiant, quàm deficiant. Articulus Secundus.

COnsideremus cibum, qui semel assumptus nullum alium post se adhuc habuit; Iste post præparationem, quæ fit in ore, in rebus solidis adeò necessariam, vt eam inter coctiones videatur aliqando Galenus recensere, tres præterea subit coctiones, primam in ventriculo, secundam in iecore, tertiam in singulis membris, post has est appositio græcè πρόσθεσις quæ tũc fit (autore Galeno) *cum id, quod nutritur, halitus speciem in se recipit*. forsan meliùs legendum *roris speciem*, quod consonat cum eodem Galeno, qui alibi nutrimentum appositum *rorem* appellat: à quo desumpsit Auicenna. Ad appositionem sequitur agglutinatio, græcè πρόσφυσις, quasi agnatio, seu adhærentia. Tertia sequitur assimilatio, quæ quidem vltima est: an verò in ea nutritio tota consistat, an simul cum alijs vna sit actio, inferiùs ex professo tractabitur, & de omnibus istis actionibus peculiaris habebitur sermo. Nunc sufficiat scire, in assimilatione compleri opus assumpti alimenti, vt quæramus, quot intersint horæ ab ingestione cibi ad assimilationem: nam hac peracta incipit inopia, ac proinde virium diminutio. *Ga. 3. sympt. caus. c. 3. Ga. 1. meth. c. 6. Infra q. 8.*

2 In primis quoad ętates iam constat ex nostro summo Dictatore, non omnes vnam habere temporis mensuram ad ieiunium sustinendum: siquidem ait, *Senes facillimè ieiunium ferunt: secundo loco, qui ætatem consistentem habent: minus adolescentes: omnium minimè pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores*. Ex facilitate tolerandi ieiunium, qua senes pollent, colligemus, eos longiore temporis spatio accedere ad vltimum terminũ alimenti, hoc est, ad assimilationem: *Hip. 1. aph. 13. & 14. & 15.*

O quippe

quippe tandiù toleratur ieiunium, quandiù prorogatur alimenti vltima confectio. Similiter est incerta mensura ratione anni temporum; quippe hyeme, & vere, calido naturali magis, quàm in alijs temporibus ventres abundant: sic incerta etiam est ratione regionum, quod ex libro de aere, aquis, & locis colligitur, imò in vno, & eodem corpore mensura hæc incerta est; quippe aliquando meliùs fit concoctio, quàm in alio tempore. Quare difficile est, certum, & determinatum, quod omnibus vnum, & idem sit, præscribere. Sanctorius tamen in suis Staticis concepit animo, posse mensuram certam reperiri, aitq; *Non quolibet hora corpus eodem modo perspirat: quia ab assumpto cibo, quinq; horis libram circiter perspirabilis, magna ex parte exhalare solet: à quinta ad duodecimam tres libras circiter; à duodecima ad decimam sextam (quo tempore occasio est alendi) vix selibram*. Cæterùm de Sanctorio possumus dicere, quod Plato de diuino historico: *Benè dixit, si probasset.*

Sanct. in arte static. sect. 1. aph. 56

3 Athleta etiam, qui ad summum bonitatis gradum peruenit, cum non possit in eo consistere, nec tamen momento temporis dilabatur, toto eo tempore, quo consistit, non famescit, ac proinde non postulat denuò cibum: præscriptas autem consistendi horas nemo est, qui sciat: satis est scire, eas fore paucas, vt bonus iste habitus *statim*, vt ait Hippocrates, medico soluendus proponatur. Particulam verò *statim* nullum determinatum tempus significare, dixit Galenus. Itaq; sicut paruam plethoram inediæ corrigendam committit Galenus (quippe sanguine non superaddito, is, qui præerat redundans, à calore semper agente diminuitur) sic committere magnam: sed in magna calor multitudine oppressus non potest agere, & periculum interceptionis, ruptionisue vasorum, quod imminet, non tardum auxilium, quale est inedia, sed velox, quale sanguinis missio copiosa, expostulat.

Ga. 1. cris. c. 7.

4 Vt autem spatium, quòd inter duas cibi assumptiones vnusquisq; seruare debeat, innotescat, recurrendum est ad famem, quæ de indigentia nos admonet. Quinq; symptomata recenset Galenus, quæ ad famem excitandam concurrunt. *Primum vacuatio est: secundum vacuatorum appetentia naturalis; tertium ventris suctio; quartum eius sensus; quintum appetentia eius animalis, quæ omnium est vltima*. Hinc colligimus, primam appetentiæ animalis, seu famis radicem consistere in vacuatione, ex qua, teste eodē, oritur alimenti necessitas. Euacuatio igitur, qua nostri corporis particulæ indigētiā patiuntur, facit, vt hæ trahant à venis, venæ à iecore, iecur à meseraicis, meseraicæ à fundo vētriculi, fundus à vētriculi ore. Quapropter, dū particulæ adhuc alimento humectantur, non indigent vlteriore alimento: at cum primùm exsiccari incipiunt simul incipiūt indigere, ac trahere; Hoc autem quibusdam citiùs fit, quibusdam verò tardiùs, pro caloris absumentis ratione. Sufficit signum adesse, quo absoluta inediæ hora significatur: nimirum appetentiam, quam vltra, citraq; nequit consistere virtus: non citra, nam sic grauabitur calor, velut ignis congerie lignorum: non vltra, nam sic replebitur ventriculus prauis humoribus, ex quibus prauum conficiet alimentum. Hinc est, quòd Auicenna ait, *Tolerare famem stomachum putridis replet humoribus*. Hìc Satyrus satyrizat, & me de duplice crimine reum facit: vnum est, quòd particularem propositionem veram peruerterim in vniuersalem falsam; Cur ita? nempe, quia ex contextu Auicēnæ substuli particulam *quandoq;* Alterum, quòd dixerim *putridis*, cum tamen dicendum foret malis: nam verba Auicennę in hunc modum transcribit. *Famem quoq; tolerare, stomachum quandoq; malis replet humoribus*. Non ne ego dicebam priùs, Satyrum petulantem à tergo aggredi? non ne terga sunt posteriora? at iste à posteriore capituli parte legere incepit, reliquit priorem. In posteriore quidem parte verba scripta sunt, vt iste transcripsit, in priore verò vt transcripsi ego; vt hinc vel maximè colligi possit, parùm referre, num hoc, an illo modo dicatur.

Ga. 1. sympt. caus. c. 7. Ga. 1. sanit. tuend. c. 3. Auic. fen. 3. lib. 1. doct. 2. c. 7. p. 210.

5 Libet tamen hic immorari, vt Satyri petulantia fiat palàm: & incipio à priori crimine. Ego ne vniuersalem propositionem statuo? at vniuersalis propositio est de omni vbi nam est in meis scriptis hoc signum? profectò cum nec omne, neq; quiddam dixerim, indefinitam, non autem vniuersalem propositionem feci: indefinita autem particulari æquipollet, vt vult Aristoteles, eamq; appellat vniuersalem non vniuersaliter. Quis Satyrum logicæ ignarum ad Philosophiæ fontes permisit accedere? Verùm, vt omnino accusationem diluam, atq; deleam,

Ar. de interpr. l. 1. c. 8. & l. 1. prior. c. 7.

admitto particulam *quandoq;*: dicat ergo Auicenna, quandoq; ob inopiam cibi stomachum repleri prauis humoribus: imò admitto ampliùs, dixisse Auicennam semel in plurium annorum spatio hoc ita accidere; Non ne hoc satis est ad demonstrandum, possibile esse ita fieri? At mihi sufficit probasse, aliquando ex famis tolerantia noxam accidere. Quid nunc habes, quod ampliùs in me congeras? Congeris alteram accusationem, videlicet quòd dixerim *putridis*, vbi dicendum foret *malis*. Lege Auicennã in priore capitis parte, & inuenies, in quodam codice, *putridis*, & ad marginem *virulentis*: in alio verò codice in contextu *virulentis*. Vnde constat in posteriore capituli parte, cum dixit autor *malis*, intellexisse putridis, & virulentis: nam nulla est contradictio, quippe putridum est malum. Tu verò Satyre ais, malum non esse putridum, contendisq; *malis*, dici posse, non autem *putridis*; Cur ita? nempe, *Quia putridis humoribus affluere, scatereq; nequeunt nisi ægrotantes, sani verò, de quibus Auicenna agit, malis humoribus abundare possunt*. Vis itaq; putridos humores in corpore sano non reperiri: Galenus autem non putridos duntaxat humores in corpore sano tibi dabit, sed venenum ipsum, quod diù latitans, nihil mali agit, posteà à sua sede commotum in cor irruit, & interficit: quin multi lumbricos simul cum fæcibus è corpore emittunt: animalia multa sunt, quæ partes aliquas veneno infectas habent. Hæc tamen omnia, forsitan dices, efficere, vt corpus sanum dici nequeat. At ego sanum dixerim, vbi morbus non adest, non adesse autem morbum, non aliunde meliùs colligo, quàm ex morbi definitione; Est enim morbus affectus præter naturam lædens sensibiliter per se, ac primò operationes: homines verò, & animalia, de quibus dixi seruare venenum, & putredinem intra corpus, nullas habẽt læsas sensibiliter operationes. Itaq; iam tibi monstraui, posse in corpore sano reperiri homores putridos, posse & merum venenum. Si verò meis dictis non acquiescis, acquiesce Auicennæ dicenti, impleri stomachum virulentis humoribus: acquiesce eius interpreti Iacobo de Partibus, qui in eum locum sic ait, *Non humores, sed malas, & putridas superfluitates*: acquiesce Galeno dicenti, *Estq; non nunquam, quominus animal esuriat, causa nutrimenti in iecore abundantia: quippe venter si melius, paratiusq; nutrimentum habet, externum non postulat: sin aliquando postulat, nec eius copia est, excrementis impletur*. Dixit autem *impletur*, hoc est, nutritur, phrasi scilicet Hippocratica, vt cum ait, *Facilius est impleri potu, quàm cibo*. Acquiesce tandem tibi, qui ais sic: *Deinde vt sanorum aliqui possunt in hypochondrijs, & in capite multos humores tum crudos, tum excrementitios etiam habere citra putredinem, qui mali tamen absolutè sunt, & fame stomachum lacessente trahi valent in ventriculum: ita sanorum pleriq; habere possunt corpora pura ab humoribus malis, proinde fames etiam vehemens nihil mali succi protrahat in ventrem*. In primis cum humores excrementitios à putridis separas, cautè hoc facito: nam excrementorum natura ab animalis natura valde aliena est: fætor etiam, & praua coagmentatio nunquam omnimodam culturam suscipiens, propinquitatem cum putredine indicat, nisi quòd putredo ab extraneo fit calore, excrementorum sequestratio à naturali. Attamen (quod satis mihi est) tu concedis, ex humoribus excrementitijs corpus tempore inopiæ posse nutriri. Hæc ne nutritio bona erit? profectò si bona esset, non preciperet Auicenna bis in eodem capitulo, ne tardetur in comestione. Quòd verò ais, posse sanos habere corpora pura ab humoribus malis; esto (quamuis difficile sit corpus ita defæcatum reperire) sed num propterea nihil per vehementem famem in ventrem protrahetur? At Galenus dicit, ventrem postulare alimẽtum externum, si autem hoc non offeratur, transit, ad excrementa; Sed tu, qui vis, plerumq; excrementa in corpore non reperiri, dicis, tunc nihil trahi, quasi verò ignis dum non reperit ligna, non conuertatur ad lapides, & incendat totam domum. Hippocrates toties à me citatus, te docere debuerat, cum ait, *Alias corpus absumitur*. Negabis ne, corpus emaciari, & colliquari, si ei alimentum externum desit?

6 Sed tu, qui superiùs non recepisti, excrementa pituitosa nutrire, quomodò nunc trahi dicis tempore famis humores excrementitios in ventrem? profectò si in ventrem trahuntur, non trahuntur, nisi vt nutriant: quippe, vt Galenus ait, *Nihil trahit propter ipsum trahere, sed vt eo, quod trahit, fruatur*. Forsitan existimas excrementa, & humores excrementitios diuersas res esse: aduersatur tamen tibi prædictus Iacobus de Partibus, qui malos illos humores, quos tu excrementitios

Ga. 3. loc. aff. & 6. eiusd.

Iacob⁹ de Partibus.

Ga. 3. nat. facult. c. 13.

Cõtradictio.

p. 204.

Ga. 3. nat. fa cult. c. 6.

appellas, nõ vult appellari humores, sed malas, & putridas superfluitates. Aduerte etiam, à Galeno esse dictum, vbi cibus non offeratur, ventrem excrementis impleri; Quænam sunt hæc excrementa, nisi tui excrementitij humores? Tu autem, qui non videras apud Galenum impleri ventrem excrementis, contendis ex ipsomet Galeno elicere, excrementa non posse nutrire: & in hoc etiam, more tuo, captiosè te geris; Nam si intelligis excrementa, vt excrementa, seu potiùs ea parte, qua excrementa sunt, non nutrire, rectè dicis, neq; in hoc est, qui tibi se opponat: si autem dicas, excrementa non nutrire, hoc est, in excrementis nullam reperiri partem alimentosam, distingue, si sunt mera excrementa: ita est: sed vt plurimùm excrementa, præcipuè ea, quæ circa ventrem existentia ad ventrem trahuntur, non sunt adeò defæcata, quin ex illis trahi etiam possit pars aliqua, quæ nutriat: hoc indicant verba Galeni à te citata, vt verum sit, omnia, quæ affers, in tuam perniciem redundare; transferam verba Galeni non ita prolixè, vt tu
G.4. sanit. tuend. c.3 facis, sed ea duntaxat, quæ ad rem facere videbuntur. In primis Galenus, auferens ab excrementis facultatem nutriendi, concludit sic: *Quod igitur omnino alienum est, nulla fieri ratione potest, vt id natura gratiam recipiat, sed educere id quàm primùm est tentandum:* Sic Galenus: tu respice ad illud *omnino*, & te docebit, eum loqui de mero excremento, cuius nulla pars elici potest ad alimoniam: excrementa verò, quæ aliquid alitioni conferunt, non ita se habent. Paulò infra sunt etiam hæc verba à te citata: *Ac proinde vitiosum quiddã in superuacuo eius relinquitur, quod propriè excrementum vocatur*. Considera illud *propriè*: excrementa autem pituitosa, de quibus loquimur, non sunt propriè excrementa. Hanc doctrinam
A.1. de gener. an. c.18 posses, si scires, ex Aristotelico fonte haurire; quippe ait, *At omne excrementum, aut alimenti inutilis est, aut vtilis: inutile dico, à quo nihil præterea corpori suppeditetur, sed quò plus absumitur, eò magis natura vitiatur: vtile contra.* Porrò capitalia illa crimina penitus euanuerunt, machina, quam erexisti, & ipsa cecidit in caput tuum: appara deinceps fortiora.

Quandiù, licèt cum virium dispendio, non tamen prorsus cum vitæ iactura, possit inedia tolerari.
Articulus Tertius.

De Asitia c.20 REpetenda mihi sunt aliqua, quæ in tractatu de Asitia scripsi, quoniam ea video inter cornua Satyri vim pati. In primis igitur triduanam asitiam posse hominem impunè tolerare (impunè inquam, hoc est, sinè vitæ iactura) exemplo nobis sint medici diatritarij, quorum dux Thessalus fuisse perhibetur. Hi per triduum ægrotos à cibo prorsus abstinere cogebant, & (vt credibile est)
G.10. meth. c.6. eorum quàmplurimi euadebant, aliàs à sua secta desisterent. Nutriebant autem suos ægrotos hoc modo (vt refert Galenus) primùm quarta die eos cibabant, mox sexta, posteà octaua. Dicis, diatritariorum ægrotis triduanam inediam tolerantibus te pridem alios adiunxisse, quos non solùm à cibo, sed etiam ab omni potu constat abstinuisse; Quid ad me? incipio quærere numerum dierum, quo homo potest inediam tolerare: reperio in primis apud medicos diatritarios triduanam inediam: quid ergo me interpellas dicens, te his pridem alios adiunxisse, qui & à cibo, & ab omni potu abstinuerunt? ita esto: sed ego contentus fui dicere à cibo, neq; addidi à potu, memor muscarum militarium, de quibus Lu- p.185. et seqq.
Lucianus in muscæ encõio. cianus αἵγε καὶ μακροβιώταται εἰσι, καὶ τοῦ χειμῶνος ὅλον ἄσιτοι. hoc est, hæ longæ vitæ sunt, & tota hyeme incibatæ perdurant; Has tu muscas militares nosti: tui per quàm similes nonnulli eas appellant canes, sonitu asperrimæ, & volatu velocissimæ sunt: sic tu inter autorum placita ab vno in contrariũ molestè bombilando transuolas.

Ga. 2. dier. decret. c.12. Hip.1. aph.7. Postquam diatritarij dederunt mihi ieiunium trium dierum, morbus exactè peracutus abstinẽtiam quadriduanam exhibet: hic namq; teste Galeno, quarta die suum habet vigorem, ei Hippocrates extremè tenuissimum præscribit victum: extremè tenuissimus victus (sic exponente Galeno) nullus cibus est. Dixi, sic exponente Galeno, quoniam in cõmento præcitati aphorismi exponit, quid sit extremè tenuissimus victus in hunc modum: *In quibus verò morbi vigor statim futurus est, hoc est, in primis quatuor diebus, in ijs possumus victu extremè tenuissimo vti:*

mouit: cum vires tolerent, & inediam omnimodam, & solius melicrati exhibitionem, & ptisanæ succum paucum omnino: talis quidem tenuissimus est victus. Tu verò, Satyre, nequam, ais, Galenum in loco à me proposito scribere, extremè tenuissimum victum non solùm excludere omnem cibum (vt ego dico) at omnem prorsus alimentum, & speciatim etiam potum: & hunc non tantùm rei alimentaris, vt est melicratum, sed etiam rei, quæ nullum præbere potest alimentum, vt est aqua. Ecce musca militaris, fugis locum Galeni, quem ego citaui dicens, *sic exponente adagiū. Galeno*, vbi ille ex professo exponēs verba Hippocratis tradit, quid sit tenuissimus victus, & non excludit melicratum & ptisanæ pauxillum, & te confers in alium locum, quem ego citaui dicens, *& alibi*, quia iam habita expositione victus extremè tenuissimi, necessarium videbatur aliquo exemplo inediam aliquorum dierum quærere.

3 Transtuli Galeni verba, sed quia mea translatio nō est, ex verbo ad verbum reddita, communi translationi conformis, eam refutas, quasi puerulus, qui non nisi in sua tabella nouit legere. At videat vnus quisq; an in rei substantia aliquid in meis verbis transmutetur, addatur, aut minuatur, à communi translatione. Tu verò, in tua translatione subfuratus es dictionem summoperè necessariam, cum enim deberes dicere, *Statim extremi dolores adsunt, & extremè tenuissimo omnium victu vtendum est*, tu omisisti illud *extremè*, & simpliciter dixisti *tenuissimo*. Hæc omnia libens contemnerem, sed tua me procacitas contagione infecit. Transferre igitur libet integra Galeni verba iuxtà vulgatā editionem. *Adolescens ergo quis valido morbo correptus sit, qui in primo quaternione iudicabitur: aphorismū in hoc maximè illum imitandum puta. Cum morbus peracutus fuerit, statim etiam extremi dolores adsunt, & extremè tenuissimo omnium victu vtendum est, neq; alimentum quoduis huic adhibueris, nec melicratum, aut huic simile, imò etiam ab aqua quantum potest abstinere iubeto.* Hæc est hypothesis Galeni, in qua supponit adolescentem valido morbo correptum, cui cibus, imò & alimentum quodlibet interdicatur omnino, aqua verò quantum possibile est. Hinc colligis, Galenum de aquæ potu num præbendus, an prohibendus foret, non fuisse valde solicitum, de quo tu inaniter solicitus es, & propterea non admittis, vt dicam, hac hypothesi haberi quatuor dierum asitiam, sed dicendum contendis *athrepsiam*, siue *athrepsin*, cum asitia solum cibum excludat, non item potum. Nimius es in cōstringendo hunc asitiæ significatum; sed ego quando seorsim de inscriptionibus librorum tractabo, tibi hanc insaniam è capite auellam, & tuum hoc stultum inuentum in ventos abire faciam, ne mihi posthac blatterando obstrepas.

Ga. 2. dier. decret. c. 11.

Infra.

4 Post quatuor dierum inediam reperio apud Galenum inediam dierum septem: inquit enim prosequens ea, quæ anteà transcripsimus, *Quod si præterquàm quòd iuuenis sit, & validissimis viribus præditus, etiam se longam inediam ferre posse ipsemet fateatur, ac præter hæc ægrè transpirabilis tibi appareat, ac nullo etiam tali morbo corripiatur, qui vel oxymel, vel mulsam requirat, is omnino ad septem vsq; dies à cibis abstinere potest: qui si ad tres, vel quatuor quaterniones crisis futura videatur, non ita abstinere potest, nec sola potione seruari.* Sic Galenus, in quo volui perscrutari, cur tam longam inediam tolerari posse existimauerit: longam dixi, tu pro tua humanarum rerum doctrina, inter breues abstinentias eam connumerandam putas. Cur ita? nempe quia multò longiorem inediam esse constat, quæ protrahitur ad menses, & annos: schurram agis: proceræ staturæ hominem, procerā habere staturam negabis, quia proceriorem habent gigantes. Tu, qui grammaticis quisquilijs delectaris, ignoras, comparatiuum addere posse supra positiuum, & solum superlatiuum esse, quod supra se non tolerat aliud. Longam inediā dixi, non longissimam. Sed cur dixi longam? quia rarum est, similis longitudinis alias reperire. Dic tu age, quot homines vidisti in vita tua septem dierum ieiunia tolerantes? Sed tu dicis, si vni, & alteri potest contingere ieiunium septimanæ, cur non etiam pluribus? In primis quoniam non est frequens, vt tot contingant conditiones simul, quot requirit Galenus in suo iuuene, nempe vt sit validissimis viribus præditus, vt agnoscat, se posse longam inediam ferre, vt sit ægrè transpirabilis, vt nullo tali morbo corripiatur, qui nec oxymel, nec mulsam requirat. Postquam igitur mihi dabis in vno corpore hæc omnia simul, adhuc tibi dicam periculosam esse huiusmodi inediam septem dierum. Non ne, tibi videtur, rarò posse hunc circunstantiarum concursum euenire? iam ergo meritò dixi, inediam istam esse longam, tu verò ignoranter eam inter breues connumerasti. Itaq; po-

G vbi supra.

p. 187. Vt

test hæc inedia, vt dixi, *vni, vel alteri* contingere: typographus tamen pro *alteri* posuit *alterij*: leuis lapsus, quem tu quisquiliarum amator non præteristi. Rem miram mihi narras, quòd tuus nepos, hunc errorem notauit, vix credibile est puerum in ætate adhuc tenella eò iam vitiositatis peruenisse, vt à te, & sycophantiosè agere, & maleficè addiscat. Monendus est, & increpandus, ne tuis moribus assuescat: sin minus relinquet in domo tua morum monumenta tuorum.

5 Itaq; volui (vti dicebam) perscrutari causas longæ inediæ, hoc est, inediæ septem dierum, & præter eas, quas Galenus affert, consideraui etiam, illum proponere nobis iuuenem ægrotantem, ægros verò dixi, faciliùs inediam ferre, quoniam in lecto iacentes non exercentur, ac proinde parum est, quod eis diffluit, *adagiū.* deinde etiam morbus nutrit, vt dici solet, quod de morbis à pituita conuenit in- *Diogeman⁹,* telligere Ecce apparet Satyrus, & salem, atq; fabam apponit, quo prouerbio vtitur Diogenianus in eos, qui se simulāt scire, quod nesciunt. Duo tela aduersus id, quod verè est dictum, conijcis, quorum primum est, iuuenem à Galeno propositum validissimis viribus esse prædītum, non ergo poterat iuuenis iste morbo *p.th.* à pituita laborare, quippe non poterat abundare pituita morbum procreante, *Sup̄ videlicet ī proxima exposit. verbor. cōtext⁹* siquidem cum pituitæ vbertate in sanguine parum inest caloris, & spiritus, in quo redundante consistit virium robur maximum. Hoc tuum telum cuspidem non habet. Nam in primis, cùm dicas in redundantia caloris, & spiritus, quæ duo, redundante sanguine, redundant, Galeno cōtrariaris, qui, vt diximus supra redundantiam viribus obesse dixit, & meritò, affert enim secum sensum grauitatis. Deinde turpiter deciperis existimans, omnes morbos esse (quos appellant me- *Hipp. 2. aph. 34.* dici) proportionales. An nescis aphorismum Hippocratis satis notum, *In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut tempori magis congruit morbus, quàm quibus secundùm nihil istorum congruit.* Collige igitur hinc, morbos esse, qui naturæ, hoc est, ex Galeni mente, qui temperamento ægrotantis non congruunt, vt frigidi possunt ægrotare morbis calidis, & calidi frigidis: sic iuuenis propositus pro hypothesi, poterat esse sanguineus, & validis viribus potens, & *G. art. med. c. 74.* tamen incidere in morbum à pituita. Nonne quemadmodùm vidit Galenus quendam, cuius totus habitus pituitosus erat, quotidie tamen bilē flauam vomebat, potest reperiri alius, cuius habitus sit biliosus, & tamen catarrhos, & pituitosas defluxiones à capite, cruditatesq; ventriculi patiatur? At non necessarium est, (vt tu stultè putas) omnes morbos pituitosos fieri à pituitæ vbertate in sanguine; Nonne pituita, quæ est extra venas, potest morbos pituitosos excitare? Interroga medicos, quoties biliosa, aut sanguinea corpora susceperūt curanda, quæ cruditatibus scatebant, quæ cerebri grauitate pituitam attestante laborabant, imò & febricitantibus febre sanguinea coma, hoc est, delatio in somnum à pituita, contingit. Iam igitur primum hoc tuum telum est confractum.

6 Alterum telum, quod in veritatem conijcis, est, si Galenus tractat de ægroto, cui nec conuenit oxymel, nec mulsa, & hæc duo sunt communia omnibus morbis à pituita, cur ego morbum istum, de quo Galenus, pituitosum fieri inquio? Ignoras profectò, indicationes sumi à plerisq; rebus, posseq; remedium aliquod propter vnam indicationem conuenire, nō conuenire ob aliam. Morbi plurimi sunt compositi, in quibus variæ concurrunt indicationes, quod me in- *Libell. de cōplexu morborum.* pulit, vt libellum ederem de complexu morborum, quem nō vidisti, vt suspicor, siquidem eum non mordes. Itaq; constituamus Galeni hypothesin eo modo conflatam, vt adueniat iuueni validissimis viribus prædito, morbus ex pituita, qui nec postulet oxymel, nec mulsam. Sit, si tibi placet, iuuenis iste arthritide laborans cum febre. Hoc ne putas rarum esse, ne dicam impossibile? si ita putas, bardus omnino es: si verò assentiris habebis validum iuuenem, cui pituita in varios corporis articulos defluxit, huic ne genus neruosum, musculosūq; quod patitur, offendatur, oxymel nō dabimus, quoniam etiam serosis abundat humoribus calidoq; est temperamento præditus, ei mulsam prohibebimus. Ecce & hoc telum confractum. Dixisti me asserentem in iuuene viribus præstante pituitam abundare, non esse præstantissimū theoricum, & dicentem morbum, cui non conuenit mulsa & oxymel, morbum esse pituitosum, non esse præstantissimum practicum. Nunc quia vtramq; tuam cogitationem falsam esse ostendi, restitue mihi præstantiam vtramq; & in theoria, & in praxi, conciliabis simul tibi duplicem præstantiā, & in ignorantia, & in malignitate. Verùm tu sicut insecta, quæ diuul- *adagiū.* sa viuunt, adhuc palpitas, audesq; me arguere, quòd dicam morbo pituitoso laborantes

borantes posse diei septimæ ieiunium ferre, quia pituita concedat illis in alimentum, & alibi placitum à Iouberto, & Portio prolatum de puella germanica morbis pituitosis laborante, ac diutius abstinente, dixi, esse risu excipiendum. Verùm te in hac accusatione non risu, sed flagris exciperem. Vis ieiunium septem dierum, de quo nunc loquimur, comparare cum ieiunio triennali puellæ germanicę, de quo loquebantur Ioubertus & Simon Portius, quos ego ob longitudinē ieiunij refutaui, non verò quòd cruditates putarem ineptas ad nutriendum imo eas in tempore inopiæ concessi: mea verba sic habent: *At si ita est nullum erit alimentum cruditatibus præstantius, & tamen cruditates ad nutriendum non conuocat natura nisi tempore magnæ inopiæ.* Deniq; non desinis latrare, & me mordere, quòd pituitam, quæ morbos facit, voluerim cedere in alimentum, cum tamen hæc pituita sit vel excrementitia, vel putrida, quarum neutra potest esse nutriendo corpori, pituitam verò quæ viuenti concedere potest in alimentum, esse semicoctum sanguinem. Hanc accusationē solitis contumelijs inuolutam proponis, pro qua vituperationem subibis. Supponam hìc aliqua tamquam receptissima, neq; enim vbiq; omnia ad medicæ contemplationis vsum sunt demonstranda; Pituitam in ventriculo ex pituitosis edulijs generari dixit Galenus; aliquando & hęc, teste eodem, sanguinis generationem antecedit, non quòd semper necessaria sit ante sanguinis generationem præcedens pituitæ generatio, nam lac (quod medium est inter pituitam, & sanguinem, vt ait Galenus) fit sanguis non præcedente pituita, sed quoniam quoties hæc in prima coctione fit, ad secundam transire postulat. Nec solùm ex pituitosis edulijs, sed nulla facta ciborum mentione etiam in ventriculo pituitam gigni, constat ex eodem. Hinc accipito, pituitam esse, quæ nutrire potest, mediatè quidē: hanc autē sanguinē semicoctū appellare, vt tu appellas, mera stultitia est: etenim in ventriculo nō adhuc sanguinis nomen meretur, in iecore autem cur perfectè concoqui non poterit, vt concoquitur chylus? Aliā pituitam fieri etiam in iecore est consentaneum: siquidem doctrina Hippocratica est ab eo demonstrata ab alijs recepta, omnes quatuor humores in iecore generari. Demonstratio Hippocratica fundamentum habet in eo, quòd in omni natura, & ætate, & regione, & tempore inueniuntur simul. Si verò vnus duntaxat, aut duo secundùm naturam essent, solis illis oporteret aliquam naturam, ætatem, regionem, aut temporis constitutionem assignare. Cum igitur quatuor humores in iecore secundùm naturam sint, quatuor ibi generari consentaneum est: nam ea pituita, quæ in ventriculo fuit genita, non est in iecore secundùm naturam, vt chylus: nam chylus semper aduenit, pituita verò non nisi quando ex aliqua causa gignitur. Hos etiam quatuor humores in iecore gigni, nobis demonstrat nutritio infantis, dum in vtero est. Nam huic neq; chylus, neq; pituita, neq; aliud quidpiam à ventriculo accedit ad iecur: quippe alitur per venam vmbilicarem, quæ recta via ad iecur tendit, neq; ventriculum attingit. In iecore autem infantis ex sanguine materno conficitur aliturus sanguis: is autem necessariò debet esse ex quatuor humoribus compositus, siquidem membra diuersas naturas habentia est restauraturus. Habemus ergo præter pituitam in ventriculo, aliam in iecore fabricatam: illam, quæ nutrit mediatè, hoc est, in sanguinē priùs mutatione accepta, aliam, quæ potest dici immediatè nutrire, saltē quoad eam partem, quæ simul cum alijs humoribus massam sanguinis componit, & pituitosa membra est apta nutrire; alia namq; pars, quæ separatur vertenda adhuc in sanguinem, magis propriè pituita est, cuius infinitas propemodum species esse, ait Galenus, pro ratione maioris, minorisuè distantiæ à sanguine: nihilominùs cum vtraq; bilis sua habeat receptacula, flaua nempe vesicam fellis, atra lienem, sanguis verò quartus humor, vt pote à mediocri calore factus, nullam habet partem inutilem ad alendum, quam seponat, soli pituitæ nullum à natura instrumentum, quo expurgetur est conditum, propterea quòd frigida, humidaq; est, ac veluti ex dimidio coctum nutrimentum. Hæc, quā in iecore confici dicimus, humor ab eo appellatur, non autem alia, quam in ventriculo.

De Asstia ca. 7. G. l. de atra bile c. 8. l. 2. acu. 30. G. 1. de na. hū. c. 39. Hip. de na. hū. G. 4. sanit. tuend. c. 4 G. 2. facult. nat. c. vlt.

7 Has tu duas pituitas in sanguinem verti posse, non videris negare, aliam verò excrementitiam, & putridam non esse corpori nutriendo, contendis. Cum autem ego pituitæ morbum facienti (quam vltra prædictas dari posse non est negandum) nutriendi facultatem attribuerim, satyricè, hoc est, petulanter, & impudenter, insurgis, nefasq; putas, me hos errores discipulis è suggestu proponere addiscendos, doctissimisq; viris de prælo (tuam sequar erroneam grammaticam)

p. 191. ★

cam) publicè legendos, & indignos esse, ais, quos Hercules Bæotius, antequam soluisset Prometheum, & cum Chirone loquutus fuisset, diceret. Benè est, remunerationem habebis. Crudos humores ad pituitæ genus refert pluries Galenus: quòd si in aliquo est differentia, in eo solùm esse videtur, quòd humores crudi magis inepti sint ad alendum, quàm pituita, & nihilominùs crudis humoribus, & putridis in tempore inopiæ corpus nutriri iam supra ab Auicenna recepimus; & tu nisi bouino cerebro esses præditus, hoc pro comperto haberes. Sed quoniam tua me peruicacia monet, vt ampliùs in huius rei probatione insistam, confero me ad Galenum. is enim sic ait in eo capite, in quo de ijs agit, qui ex crudorum humorum copia febricitantes syncope facillimè corripiuntur: *Si verò medicanti tibi tres primos dies, vt dictum est, nihil occurrat incommodum, ijsdem ipsis vteris, vsq; ad septimum, aqua duntaxat mulsa, in qua incoctum hyssopum sit, contentus: siquidem longissimam, qui ita sunt affecti, cibi abstinentiam ferunt, corpore scilicet, ex crudis ipsis, quos continet, succis concoquendis alito.* Infra in alio capite de ijsdem, qui syncope corripiuntur verba faciens hæc habet: *Quippe crudi succi nutrire prius, quàm sint concocti, nequeunt*. Alibi etiam sic: *Nempe biliosa cruda ita appellauit* (scilicet Hippocrates) *quoniam & excrementorum coctionem appellat, quamquàm mutata nutrire non possunt, vt bilis vtraq; & qui græcè ἰχῶρες dicuntur. Verumtamen quoniam, & talia euincit natura, cocta quidem vocare consueuit Hippocrates excrementa huiusmodi, quæ à natura ipsa euicta sunt: cruda verò quæ non sunt euicta. Ob id, & pus in phlegmonis, quæ concoquuntur, fieri ait, quamquàm pars nulla ex parte alimoniam accipiat, veluti accipit ex crudis appellatis humoribus, & pituita.* Plura afferre possem, sed hæc doctis sufficient, tibi nec multa alia sufficerent. Quid ais nunc? Hercules ne Bæotius tibi videor? at tu mihi Hercules factitius. Quòd si Hercules sum tibi, tu Achelous es mihi, sed vnum erit discrimen, quòd Hercules Acheloo detractum cornu fortunæ donauit, vt refert Dion, alij Satyro admodùm fortunato cornua donant, ego frango renascitura semper. Assiduè è suggestu multa discipulis addiscenda propono, quæ mox prælo excussa volitant per ora doctissimorum virorum: tu suggestum quo gestu ascendis? nempe illo, quo suggestum ascendebat Demosthenes, quem, ob mollitiem, Æschines Batalum appellauit. Hoc tamen contingit sinè periculo quippe ex suggestu nihil potes docere: siquidem in tuo gymnasio *Apparent rari nantes in gurgite vasto*. Prælo quidem multa mandasti, multa quotidie: nec te pudet, mandare soles, quæ ad pigmentarios, salsamentariosq; deferuntur. Me audes opprobrijs petere Mus sordidissime, quem non pluris facio, quàm scarabeum. Tu me non magis offendere, quàm sus Mineruam, Phæbum Marsyas.

[Margin notes: G. 1. meth. c. 3. — p. 191. 192. — G. 12. meth. c. 5. — G. 12. de victu acu. 44. — Dion Prusięus. — Æsch. — Adagia]

Interpretatio sententiæ ex libro de carnibus. Articulus Quartus.

QVamquàm Galenus audacter septem dierum ieiunium, sinè internecione fore pollicitus est, non ita audax fuit autor libelli de carnibus, seu de principijs, qui licèt ad Hippocratem magnum non referatur, dignus tamen omnibus visus est, qui frequenter citetur, & eius sententiæ recipiantur. Hanc ergo inter alias apud eum est legere: *Si quis in septem diebus nihil edere, aut bibere velit, plerisq; quidem in ipsis moriuntur. Sunt etiam quidam, qui persuasi sunt, vt, ne desperarent, se ipsos fame conficientes, sed comederent, ac biberent: verum venter non amplius suscipit.* Sic ille, nec aliquis dubitet, quòd dixerit *plerisq;* nam medica theoremata non sunt perpetuæ veritatis: satis namq; est, si vera fiant in multis. Si quis tamen quærat, cur huiusmodi ieiunium septem dierum interimat, ne longiùs abeat, sed ab ipsomet rationem accipiat, quippe statim ita ait: *Ieiunum enim intestinum in his diebus concreuit moriunturq; etiam illi*. Non concrescit intestinum ea concretione, quæ fit à frigore, vel à calore, sed concrescit, hoc est, cohærescit, præ siccitate: sic exponunt communiter omnes: ab inedia autem siccitatem induci, manifestum est: maximè in ieiuno intestino, quod tum ob vicinitatem sugentis hepatis, tum ob venarum promptissimè chylum exhaurientium multitudinem, tum ob bilis illuc accedentis, & succum incunctanter detrudentis acrimoniam, semper est vacuum, vt propterea ieiunū appelletur. Va-

cuitas autem hæc nihil aliud est, quàm siccitas. Quare cum membra per inediam exsiccantur, consentaneum est, vt illa maiorem contrahant siccitatem, quæ in se plures exsiccationis causas habent, vt est ieiunum intestinum, quod in totius corporis ab inedia siccitate omnium validissimè exsiccatur, cohæret, constringitur.

2 Huic expositioni contextus à suo autore allatæ, & ab omnibus tamquàm à Mercurij ore prolatæ vnusquisq; acquiescit: solus Satyrus Mercurium fugiens non acquieuit, sed licentiosus suam in medium affert. Adesto igitur Satyre, & tuo Marte fabricatam expositionem expone, sed vide, ne Mars tuus dum ita exponit, cum Venere expositus mentem habeat nebulosam. Expositio est huiusmodi, nempe: *Intestini* nomine intelligi vis omne viscus nutricatui dicatum, ac speciatim ventriculum, ob *ieiunium longius humiditate priuatum, adeoq; rigidum, vt veluti membrum concretum, non concedat adytum alimento deinde deuorato.* Non ne ego dixeram priùs, tuam expositionem fore animi inuerecundi, qualis erat animus Martis cum Venere cubantis? te tamen in rete comprehendam, & per doctorum hominum gymnasia traham. *Ieiunum intestinum*: in ieiunio septem dierum concreuisse ait autor: tu ieiuni intestini nomine *ventriculum* vis intelligi. Vbi nam inuenisti hoc ieiuni intestini significatum? certè nullibi: nam hæc acceptio tota tua est, hoc est, ad libitum; num quia tua, ideò ad libitum? maximè: impudentis est ad libitum loqui. Sed nil mirum, nam qui imprudenter, impudenterq; te autori valde recepto, se se ipsum explicanti, tuam expositionem obiecisti similiter imprudens, impudensq; vocabulorum significationibus, sicut multis alijs rebus abuteris.

p.186.

3 Autoris expositioni ego obsecundans dixi, concrescere intestinum ita vt transeunti chylo adytus non pateat: tu respondes, meam dubitationem de chylo nullam esse, quod à te est dictum παρὰ τὸ μέλος, hoc est, prętercantionem vt dixit Lucianus edoctus à Platone. Quis tibi dubitationem mouit? asseueranter dixi, ieiunum intestinum (quod autor concrescere dixit) ob concretionem adytum chylo in iecur occludere: tibi hoc impossibile videtur, sed quare? duplice responsione occurris, quarum neutra oboli est. Prima sic: quia chylus cum per arctissimas, & capillares mesæraei venas quotidie transeat, nullo negocio permeare poterit intestina septem dierum ieiunio constricta. Sæpiùs reperam, te ne è limine quidem logicam salutasse: qui non credit, accedat, & tuas positiones logico examine perpendat, & in præsente hanc, qua te Philonide indoctiorem præstas. Fiet ergo ex tuis dictis hęc argumentatio: chylus per arctissimas, & capillares mesæraei venas quotidie transit, ergo poterit transire per intestinum longo ieiunio concretum. Nullam ne putas maiorem occlusionem esse in intestino concreto, & coherente, quàm in venulis licèt arctissimis, attamen apertis? Deinde etiã chylus transit suà innata doctrina, corpore secundùm naturam se habente, per venas mesæraei, ergo transibit in statu præter naturam per intestinum concretũ. Verùm ex hac pulchra responsione tua ad alteram pulchriorem transire libet: eam pluris quidem facis, siquidem sic ais, Tum maximè quia in septenario ieiunante ventriculus adeò concreuit, ac riget exsiccatus, vt edulia non admittat, neq; coctionem moliatur vllam, adeòq; nullum omnino chylum generet: quare chylo non existenti frustra ego dico, occlusum esse transitum ad hepar in abstinentia septimæ diei. Hìc omitto grammaticam bellam, qua *Septenarium ieiunans* dicis, comata, & puncta, quæ semper malè collocas: has minutias tuis pueris corrigendas relinquo. Ad rem accedo: Frustra ne ego dico, occlusum esse iter ad hepar in abstinentia septem dierum? imò frustraris tũ, cum ita sentis: nam in primis exponere verba autoris contra autoris mentem inane quidem est, verùm si non expositorẽ agis, sed noui dogmatis inuentorem, scito te in hac hæresi nullum habere posse sectatorem; Nam intestinum quidem, vt autor voluit, cõcrescit, quia facilis concretionis est, ob rationes à me superiùs assignatas, ventriculus autem, quando plura membra concrescerent, non nisi vltimo loco concretionem pati aptus esset: quippe perpetuis scatet humiditatibus, quarum aliquas esse aduenas constat, hoc est, illuc aliunde semper confluentes, alias verò indigenas, quas præteritus cibus ibi reliquit, quare ab exsiccatione valdè defenditur.

adagiũ. Luc. in Eunucho Pl. I de rep. & Critia. adagiũ. adagiũ.

4 Quid me accusas, quòd doctissimum Mercurialem appellaui quẽdam neotericum? sanè non accusares, si legisses apud Ciceronem hęc verba: *Quidam ex aduocatis homo, & honoribus populi ornatus, & summa virtute præditus.* Eius

Cic. pro Cluentio.

nomen ad marginem annotaui, vt aliorũ doctissimorum etiam nomina, te antẽ, cur eadem mensura mensurarem? nimia tua esset arrogantia, velle pariter cum viris doctis tractari. Num sedere velles apud herum, cuius pane, & iusculo victitasti? at herus tuus Aldrouandus, herus Costæus, herus Pendasius, qui sanè cũ viris à me nominatis ad mensam sedere poterant, te famulum, qui eis calceamenta soluisti, sibi parem locum habere dedignarentur.

Satyr[?] Recẽpis ser... veris Philosophis

5 Arguis me, quòd non arguerim peritissimum in lingua græca Mercurialẽ, quoniam forsan typographi, forsan amanuensis culpa, ἀσῖται dixit, cum deberet dicere ἀσῖται. Ego ne hæc minima curarem? profectò dicterium Augusti in te quadrat, qui dicenti Floro (de re indigna imperatore) facerem, si Cæsar essem, respondisse fertur, & ego facerem si Florus essem; Sic tu, si meas vices gereres, minutiam illam accusares, & ego, si tuas gererem. Arguis me etiam, quòd notam spiritus tenuis omiserim, & cum scribendum foret ἄσιται, scripsi ασιτα, & addis vocabulum ita scriptum apud grçcos nihil significare, quasi verò spiratio tenuis, si auferatur, auferri significatum, dicendum sit. Persuasisti ne hoc tuo nepotulo? palinodiam cantato, ne eam tua doctrina falsis inficiat dogmatibus. Hæc tu tenuia magni facis, quoniam magna sunt tuo captui, à quo non minùs abhorreo, quàm abhorret castus (sic Castrum dempta littera canina libet appellare) à sodomita. Satis quidem mihi fuit, vt significarem, me non assentire errori, quem typographus in Mercuriali commisit, vocabulum aliter ac ille scripsit, scribere: Sed de his satis.

adagiũ.

6 Narratum sibi ait Mecurialis (non loquitur ex propria sententia) *Et olim factitasse, & nunc Græcorum monachos facere, qui sæpe, & septem, & pluribus diebus absq; vllo cibo viuant, neq: fame crucientur, ob id ἀσῖται appellari.* Nemini volui contradicere, sed ita dixi: *Verùm fides apud istum autorem, seu potius apud eos, à quibus hoc accepit, esto.* Huic ego narrationi non censui fidem non esse habendam, sed fidem apud autores relinquendam esse duxi. Cur autem nõ omnino acquiescerem, duplex me suadebat coniectura: vna quòd longa nimis videtur inedia, quæ septem dierum spatium pertransit, tu contradicendi æstro percitus, breuem esse, ais. Iam suprà tibi factum est satis. Nec me accuses, vt facis aliquando, quòd ordinem non seruem: nempe putas ordinem esse, si tuam sequar confusionem, inordinatus essem, si tuis vestigijs insisterem, meum sequor ordinem, & quicquid ad hunc facit ex dispersis tuis scriptis in examen voco, notatis tamen locis vnde singula eruo. Profectò si, vt tu dicis, ordo est anima librorum, tuos libros, vel tuas tabellas, possemus dicere inanimes, vel saltem exanimes. Si autem librorum animam esse doctrinam in eis contentam dicamus, possumus merito dicere, in tuis scriptis vnam animam vestire multa corpora: nam quicquid in vno scribis, in pluribus scriptitas. Sed hæc obiter.

Su pio re art. nu. 4. ☞ p. 25.

7 Altera coniectura est: quia si contigit septem dierum spatium, & vltra sine cibo transigere, hoc vni, vel alteri contigit: quare suspectum esse dixi, hoc ieiunium venisse omnibus in consuetudinem. Ades obiurgans, & admonens in hunc modum: *Virum præclarum non dixisse monachos græcos omnes ad vnam septimanam ieiunare, sed monachos indefinitè: propositio verò indefinita logicis in materia contingente non æquipollere vniuersali, sed particulari.* Existimabam superiùs, dum meam propositionem indefinitam conuertebas in vniuersalem, te id facere ob logicæ ignorantiam, & hoc suspicari quidem poteram ob alios errores, quos logici in te passim reperiunt: Verùm in præsente deceptus sum: non fuit ignorantia hæc, sed malignitas, altera ex tuis socijs; Sed vide, quàm te tua rabies insanire facit: cæcus es, nec vides, me indefinitam Mercurialis propositionem accepisse, vt particularem, quando dixi, id vni, vel alteri contingere posse: tu qui vnum iota superfluum conspexisti, non conspexisti propositionem, ita vt accipienda erat, à me fuisse acceptam. Addidi non omnibus, hoc est, non omnibus abstinentibus à cibo per septem dies, sed paucis ex his potuit contingere, vt euaderent. Me tamen improbitatis arguis, quòd existimem, aliquos ad ostentationem sanctitatis, abstinentiam omnimodam simulasse: & ego te arguo stoliditatis, quòd impossibile esse putes, aliquos hypocritas diuturnam inediam simulasse; Affers Philonis iudæi historiam, neq; consideras, eam tibi aduersari: nam in primis non se extendit vltra ieiunium sex dierum, nos hactenus loquebamur de his, qui septimam diem transcendunt. Deinde monachi relati à Mercuriale, in sua abstinentia (vt illi narratum fuit) non cruciabantur fame: isti verò Philonis (vt ex eius

☞ p. 187. Sup. ar. 2. n. 5.

verbis

verbis apparet) edebant, ne esurirent; bibebant, ne sitirent: saturitatem cauendo, vt inimicam animo pariter, ac corpori. Non dubito, te alias abstinentium historias potuisse colligere: miror tamen, quòd dum eas quærebas, non incideris in aliquos pseudagios, qui mentitæ sanctitatis ergo ieiunia simulabant. At ego te admonui in tractatu de Asitia, multa in hanc rem apud Metaphrastem reperiri, & speciatim historiam retuli à Beato Prospero acceptam. Hanc historiā ais tu, me potuisse à te accipere, qui eam in libro De his, qui sine cibo viuunt, retulisti; sed cur eam tu à te etiam non accepisti, & in hunc locum transtulisti? nēpe quia contrariatur alijs à te relatis: nunquid non hoc improbitatis indicium est? At tu probus vir, improbitatibus tamen repletus, me improbitatis accusas, quòd non crediderim, viros Deo dicatos veritatem in suis dictis habere. Mentiris tamen, neq; ex meis dictis poteris colligere, non esse fidem habendam viris Deo dicatis: hos ego veneror, eis fidem habeo, eorum mihi dicta summoperè probantur. Tu verò non vis differentiam constituere inter prophetas, & pseudo prophetas, inter verè sanctos, & hypocritas, imò tuos, quos sectaris falsò probitatem ostentantes, sub hoc scuto vis tueri; Si tua integritas vera est vnicuiq; historiæ à te relatæ eorum, qui ob veram sanctimoniā sinè cibo permanserunt, adiunge saltem vnam illam aliorum, qui ieiunium simularunt: sin minùs, intelligent omnes, te velle veritati nubem obtendere, & mendacium defendere.

De Asitia c 28 *Prosp. collat. 22.c.6.*

p.112. l.de his qui sīe cib.l.2. c.181.

8 Cum autor libri de carnibus in præcitatis verbis dixerit; *Sunt etiam quidam, qui persuasi, vt ne desperarent, se ipsos, fame conficientes, sed comederent, ac biberent.* Colligis hinc, me perperam dixisse, sententiam autoris de sano homine esse intelligendam, non autem de ægrotante: quippe *tractat de illis, qui sponte sibi famæ mortem consciscere volunt: quia desperant se ab aliquo morbo molesto conualescere, nec volunt diutius eo torqueri:* hunc morem, ais, fuisse frequentem apud antiquiores, incipisq; paginas implere nonnullis huius rei testimonijs prolixè, tuo more, ab autoribus translatis. Hoc ne tibi Agar, hoc est, encyclopędia reuelauit? Sed poterat eadem Agar, seu encyclopędia etiam te docere, fuisse etiam aliquos, qui ex desperatione non ob morbos, sed ob alios sinistros euentus mærore confecti, perierunt, & aliqui fame se necarunt. Scis, me eum esse, qui non soleam historias congerere, sed vna, vel altera mihi est satis: vnam ergo duntaxat breuiter referam. *Timoleon, quod fratrem Tinophanem Corynthiorum tyrannum, subornatis sicarijs trucidandū curauerat: mater vt rem intellexit, caput eius deuouit, dirasq; imprecata eum in conspectum suum non admisit. Ille dolore perculsus se ipsum inedia conficere statuit.* Non ne tu, si illum vidisses, exhortareris, ne desperaret, se ipsū fame conficiens? Ecce tibi quidam desperatione compulsus non præ corporis morbo, sed animi: quę tua isthæc encyclopędia Cyclope turpior? hic saltem monoculus est, isthæc ἀνεπόψις. Porrò habes, per horas aliquot, animal absq; virium detrimento, ab alimenti ingestione, non ab alitione, cessare: Habes, per tres, aut quatuor dies, licèt vires diminuantur, nihilominùs vitam absquè cibo sufficere; habes tandem vltra septem dies non posse sinè cibo vitam perdurare, non posse, inquam, vt plurimum: sic enim medicorum placita accipienda esse docuit non nunquam Galenus.

Timoleōtis histor.

ἀνεπόψιος ex Suida.

9 Monstrosas plurium mensium, annorum vè abstinentias, ego cum moderatione accipiendas ducebam in hunc modum. Historiæ, quæ nobis longas has abstinentias narrant, aliæ falsæ sunt, aliæ veræ: falsæ vel ob autorum ambitionem, qui suis scriptis admirationem volunt conciliare, vel ob nimiam eorum credulitatem, qua se ab impostoribus decipi posse non discernunt, vel ob abstinentium fraudem, qui simulatæ sanctimoniæ ergo, aut aliqua alia ratione ducti inediam mentiuntur. Veræ, aut naturales habent causas, aut supra naturam: naturales varij varias proponunt; Ego non singulas seorsim, sed multas ex his simul sumptas sufficere posse existimabam, vt si eueniat simul corporis habitum densum esse, ac durum, humores circa officinas coctionis crudos quamplurimos, calorem innatum non plurimum, assuetudinem ieiunia tolerandi antiquam. Tunc fieri potest, vt homo tot stipatus occasionibus diuturnam inediam toleret. Has omnes causas recepi, coniunxi: tuam illam altricis animæ vacationem, vt pote quæ culpa non vacat, sed inanis, ac vacua est, demisi, explosi, & fustibus in exilium, applaudentibus omnibus, emandaui. Iam ergo turpiter mentiris, dum ais, me autoribus non credere: credo equidem, sed non omnibus: quis me cogit? credam ne tibi? at te autorem non reputo nisi ineptiarum, & mendaciorum, qui conge-

De Asitia ca. 21.

stas decem historias (sint etiam viginti, sint triginta, sint quinquaginta) in tot seculorum duratione, in tot populorum multitudine, frequentes euentus appellas, quas tamen vnus quisq; tamquam rarissimas admiratur. Tu solus non admiraris, nec tibi Plutarchus (quem mihi os obturare posse dicis) os etiam obturauit, nec obturasset Hercules cum suo Philoctete. Non ne Plutarchus à te relatus dixit, *Vbi causæ ratio deficit, ibi dubitare, & inquirere, hoc est, philosophari incipimus*? Et hoc potuit accipere ab Aristotele dicente, *Propter admirationem enim & nunc, & primo cœperunt homines philosophari*. Cum ergo admiratio sit propter res insolitas, & nouas, hæ autem tibi frequentes videntur, neq; admiratus es, neq; philosophandi occasionem accepisti, sed pro philosopo factus es Philosophaster, sic namq; qui honorificentiùs de te sentiunt, te solent appellare. Cæterùm de admiratione, cuius naturam te ignorare agnosco, dabitur suo loco scribendi occasio, sicut etiam de mistyca asitia, quam diximus esse eam, quæ causam habet supra naturam: neq; enim miscenda sunt sacra profanis; tecum nunc loquor. Sed neq; conuinciandi est locus: ad alia libet properare: contumeliæ, quas in me cynica rabie concitatus, conijcis, non tibi impune erunt. Tempus est, vt ad intermissam contextus expositionem reuertamur.

adagiū — *Ar. 1. metap. 22.* — *Infra sect. 3. q. 8. p totū*

Incarnat.

CVM dixerit priùs *auget*, quo verbo significari diximus & nutritionem, & augmentum, quæ duo non aliud sunt, quàm carnis, aut saltem nō sinè carne, generatio, dubitabit fortasse aliquis, quorsùm Hippocrates addidit σαρκοῖ, hoc est, *incarnat*. Cui dubio facilè fit satis considerando, nutritione fieri carnis augmentum, quod est in omnes quatuor dimensiones accretio, fieri etiam aliud augmentum secundùm latitudinem, quod ideo dicitur incarnatio, quoniam eius contraria est emaciatio. Hinc est, quòd illi, qui incrassantur, hoc est, qui secundùm dilatationem augentur, carnosi dicuntur, græce σαρκώδεις, emaciati verò ἀσαρκώδεις, hoc est, excarnes, non quoniam omnino sinè carne sint, (iam diximus priuatiuam particulam non semper omnino priuare) sed quia paucissimam habent carnem.

DE PRAESTANTIA CARNIS.

QVÆSTIO OCTAVA.

PRæsentis contextus occasione (siquidem de carne agitur) facturum me operæ pretium existimaui, si carnosum habitum, quem mihi contigit habere, à Satyro tamquam ignominiosam rem exprobatum, ab eius dentibus, cornibusq; liberarem, vt magis, atq; magis istius rabies, & ignorantia viris probis odio, doctis sibilo excipienda pateat. Adesto nunc, ò Satyre, te in certamen, imò in examen voco: sparge marite nuces.

adagiū

A sublimioribus igitur incipiendum est. Carnis nomen, tàm in sacra pagina, quàm apud sacros doctores analogum est. Oportet hanc analogiam explicare, deinde ad nostros medicos accedere, à quibus etiam non vno duntaxat modo hoc vocabulum accipitur. Multa dicam viris quidem doctis satis nota, tibi prorsus ignota.

Quot modis in sacris literis caro dicatur. Articulus Primus.

QVI consideratè incūbit lectioni sacræ paginæ, tot carnis acceptiones in ea reperit, vt vix possint in vnā seriē redigi. Multæ à sacris autoribus colliguntur, sed dispersim, prout vnaquæq; vniuscuiusq; inseruit intentioni; nobis in præsens satis erit præcipuas colligere. In primis accipitur caro pro vniuerso animantium genere, vt cum ait diuinus historicus, *Ingressa sunt ad Noe in arcam bina, & bina ex omni carne, in qua erat Spiritus vitæ*: & mox, *Masculus, & fæmina,*

na, ex omni carne introierunt. Sed cõprehendi sub carnis nomine inter reliqua animantia etiam hominem, manifestè declarat infra eodem capite sic: *Consumptaq; est omnis caro, quæ mouebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarũ, omniumq; reptilium, quæ reptant super terram: vniuersi homines, & cuncta, in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt*. Gen.c. 7.n.15. n. 16. n. 21.

2 Hominem tamen præcipuè, & per se solum, carnis nomine designari, ex alijs plerisq; locis comprehendimus: e. g. quando dicitur, *Omnis caro corruperat viam suam*, & alibi, *Ante obitum tuum operare iustitiam: quoniam non est apud inferos inuenire cibum: omnis caro, sicut fœnum, veterascet, & sicut folium fructificans in arbore viridi*: & alibi, *Omnis caro fœnum, & omnis gloria eius quasi flos agri. Exsiccatum est fœnum, & cecidit flos: quia spiritus Domini sufflauit in eo: verè fœnum est populus, exsiccatum est fœnum, & cecidit flos, verbum autẽ Domini manet in æternum*. Hic obiter intelliges, me carnis nomine, nulla facta ossium mentione, potuisse iuxtà sacram phrasim hominem meritò significare, te autem immeritò, imò turpiter hanc loquutionem reprehendere. Cætera pedetentim addisces. Gen.c. 6.n.12 Ecclesi. ca. 14. n. 18. Esai. c.40.n. 6. p.262.

3 Interdum autem caro significans hominem accipitur in malam partem, vt *Non permanebit spiritus meus in homine in æternum: quia caro est*; Interdum autem in bonam partem, & cordis duritiei opponitur: v. g. *Et dabo eis cor vnum, & spiritum nouum tribuam in visceribus eorum, & auferam cor lapideum, & dabo cor carneum*. Rursus hoc nomen caro aliquando in sacra pagina significat carnem indistinctè, hoc est, simul cum osse: aliquando carnem prout ab osse separatur, & in hoc magnum mysterium latet. *Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam, cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea: & ædificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem*. Quomodò autem Deus repleuit carnem pro costa, non est res inuentu facilis. In primis verbum hebraicum, pro quo vulgata editio habet *repleuit*, significat etiã, & valdè propriè *clausit*, & sic dicemus, carnẽ Adæ ob detractionẽ costæ interruptam, & hiantẽ clausit, repleuit seu continuauit: quæ expositio placet Pereiræ. Verùm hinc emergit dubitatio, an scilicet costa illa fuerit superflua, & manserit Adam post extractam costam cum debito costarum numero (sunt numero vigintiquatuor: duodecim ex quolibet latere: hoc est legitimæ, & veræ septem, spuriæ, scumendosq; quinq;) an verò costa illa extracta vna fuerit ex iis, quæ iustum costarum numerum complent, & postea coniunctione carnis defectus costæ fuerit suppletus. Vtraq; opinio difficultates habet non paruas: nam si dicamus, Adamum fuisse factum cum excessu vnius costæ, necessariò fateri tenemur, eum laborasse morbo in compositione, hoc est, in numero aucto: neq; ego video, cur sextus digitus dicendus sit morbus, non autẽ vna costa extra numerum costarum: si verò dicamus, mansisse posteà cum vnius costæ defectu, similiter dicendus erit tota vita morbo ex defectu laborasse, non aliter ac ille, cui vnus digitus fuit abscisus. Gen.c. 6.n.3. Ezech. ca. 11. n. 19. Pereira ĩ Genes.

4 Theologi communiter solent dicere, creatum fuisse cum costa superflua, quæ si consideretur in Adamo prout erat primus homo, futurusq; principium totius generis humani, ex quo formanda erat Eua, necessaria quidem fuit, nec est dicendus Adam costam superfluam habuisse: si verò eadem costa consideretur in Adamo, prout erat persona particularis, & quidam singularis homo, tunc erat superflua, & minimè ad integritatem corporis pertinens. Hoc tamen non esse inconueniens probant exemplo seminis, quod quidem homini, vt est quoddam indiuiduum superfluum est, generandæ tamen proli necessarium. Hæc tamen responsio non absoluit Adamum à monstrositate, seu mauis à morbo, quem pateretur, si vnam haberet costam præter statutum numerum costarum; Sicut enim si ex capite Adami producenda foret Eua, non iccirco, cum biceps esset, poterat excusari à vitioso excessu, sic & de costa illa dici debet; Similitudo autẽ sumpta à semine non concludit: nam in primis semen factum est à natura ad nutriendos testes, sed ex prouidentia summi opificis data est testibus capacitas procreandæ maioris quantitatis, quàm vt suæ ipsorum nutritioni sufficiat, vt scilicèt quod superest, possit ad generationem prolis reseruari. Deinde semen non est pars corporis, quare nec eius defectu, nec eiusdem excessu vitiatur humana compositio.

5 Inter omnes opiniones, quæ circa hanc rem afferri solent, omnium conuenientissima est illa, quam refert Catharinus, nec autoris nomen declarat: nempe costam, ex qua ædificata fuit Eua, non fuisse superfluam, sed vnam ex costis necessarijs, Catharinus.

cessarijs, qua tamen extracta non remansit Adam mutilatus, quia in locum detractę statim alia similis suffecta est, ita vt Adā nec priùs superfluam aliquam costam habuerit, nec posteà caruerit necessarijs. Tostatus huic opinioni se opponit existimans, absurdum videri, costam illam, si primò fuit de necessarijs costis Adę, & ad integritatem eius pertinens, ablatam fuisse Adamo, & in eius vicem repositam esse aliā costam, quæ non fuerit ex primæua eius corporis integritate. Hæc tamen obiectio leuissima est; Nam quodnam absurdum hic potest reperiri? primam enim costam breuissimo tempore habuit, siquidem statim post formationem eius extracta fuit ad formationem Euæ, & costa secundò producta durauit per totam vitam: vtraq; ab eodem opifice fuit facta, vtraq; supernaturali modo fabricata. Tandem cum idem Tostatus dicat, in locum extractæ costæ suffectā fuisse carnem, idem etiam aduersùs eum potest afferri: nam cur magis absurdum erit, costam de nouo genitam pertinere ad integritatem corporis, quàm carnē?

Tostat. q. 393. sup c. 13. Genes. 1.

6 Longè minorem vim habet altera obiectio ab eodē Tostato allata. In resurrectione. inquit ille, costa illa debetur Euæ, quoniam ex ea fuit corpus eius compositum, debetur & Adamo, ad cuius integritatem pertinebat, siquidem nunquam fuit in eo superflua. At non vidit, Adamum pro illa costa beneficio autoris sui aliam omnino similem habuisse, qua remansit eius corpus integrum: hanc integritatem in resurrectione habiturum.

7 Maiorem difficultatem ingerunt verba sacræ paginæ, quippe narratur, Deum impleuisse locum detractæ costæ carne, non autem osse: at costa ex ossorum numero est. Responsio ad hanc difficultatem est, quæ nostro proposito omnino inseruit, & anhelantem Satyrum penitus exanimem reddit. Audi igitur, neq; credas, solam carnem, solamuè costam esse substitutam, sed costam carne vestitam. Quod autem vtrumq; videlicet & costam, & carnem sumpsit Deus ex Adamo ad ædificandam Euam, cognouit ipse Adam, dum ab illa ecstasi reuersus aut à somno expergefactus, dixit, *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro ex carne mea.* Hinc intelliges, quando dicitur repositam fuisse carnem, nomen carnis, & os, & carnem significari: quando verò dicitur, *Os ex ossibus meis & caro ex carne mea*, carnem suum strictum significatum habere diuersum ab osse. Vt iam deinceps desinas oblatterare contendens, carnis nomen semper aliquid diuersum ab osse denotare. Quòd si Aristoteles ait, *Similiter autem & carnes, & ossa materia sunt hominis*, rectè quidem dixit, sed tu eius doctrinam cauillis cupis tuis posse inseruire. Nos de re non dubitamus, aliudq; ossa, aliud carnes esse asserimus: non negaret tamen bonus Aristoteles (quod tu non bonus negas) carnis nomine posse totam corporis molem comprehendi, quod nemo hactenus mihi meliùs declarauit, quàm Isidorus Pelusiota, cuius hic verba placet transcribere. *Carnales deniq; eos, qui affectibus carnis se vinci patiuntur, ab eo, quod plurimum in ipsis pollet, denominationem eorum sumens. Quales sunt homines scelerati, & impuri, & qui circa libidines, & coitus insaniunt: quamquàm enim spiritualis etiam homo corpus habet, & animam, & animalis corpus habet, & carnalis anima non destituitur, tamen ab eo, quod potissimum est, quisq; appellatur. Quemadmodùm enim corpus, tametsi aliorum elementorū particeps sit, ideo tamen terrenum dicitur, quòd maximam partem ex terra constet, sic illis quoq; ex eo, quod potentius est, nomen obtinuit.* Sic Isidorus. Cæterùm ne ab Aristotele recedam: non ne ille tibi ait hæc verba? *Non est enim facies nisi animā habet, neq; caro: sed corrupta æquiuocè dicitur facies, aut caro.* Si igitur caro non est caro, nisi cum est animata, si rursus, cum est animata, est animal meritò carnis nomine animal designatur, & per antonomasiam homo.

Ar. l. 1. cæl. tex. 94.

S. Isid. Pelusiota l. 4. ep. 127.

Ar. l. 2. de gen. an. c. 1.

8 Cum autem ego dixissem, alimentum conuerti in humanam carnem, & humanam figuram, tu qui videris natus ad risum in scena concitandum insurgis inquiens satyricè aduersùs me, *Sed cur cœlos dixisti nefas esse animatos, qui propriam sibi figuram vendicant?* Expecta parumper, donec risus sedetur: surget tunc ex schola puer dialecticæ tyronū minimus, atq; iussus à te hunc ex tuis scriptis cōficiet syllogismum: Caro, & figura componunt animal, cœlum non habet carnē, habet tamen figurā circularem, ergo cœlum est animatum. Dixi tibi, & repetij, & millies repetam, oportere te libros tuos ad logicam incudinem remittere, vt Vulcanus aliquis logicus eos possit reformare. p. 262.

Syllog. qui cōfici debet, ex Satyri dictis

9 Tandem, vt nunquam ineptiendi finem facias, quoniam de carne loquutus sum, tu de ossibus loqui vis, & vbicumq; ossium factam mentionem inuenisti, illuc te tua contulit stultitia. Celebre extat vaticinium Prophetæ Exechielis, qui

manu

manu Domini eductus fuit in medium campi, qui erat plenus ossibus, iussusq; fuit vaticinari ijs in hunc modum: *Ossa arida audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his: Ecce ego intromittam in vos spiritum, & viuetis, & scietis quia ego Dominus, & prophetaui sicut præceperat mihi. Factus est autem sonitus prophetante me, & ecce commotio, & accesserunt ossa ad ossa vnumquodq; ad iuncturam suam, & vidi: & ecce super ea nerui, & carnes ascenderunt, & extenta est in eis cutis desuper, & spiritum non habebant: & dixit ad me vaticinare ad spiritum, vaticinare fili hominis, & dices ad spiritum: Hæc dicit Dominus, Deus. A quatuor ventis veni spiritus, & insuffla super interfectos istos, & reuiuiscent. Et prophetaui, sicut præceperat mihi, & ingressus est in ea spiritus, & reuixerunt, steteruntque super pedes suos exercitus grandis nimis valde: Et dixit ad me fili hominis ossa hæc vniuersa domus Israel est.* Sic Propheta. At heus tu vide, quomodò sacra transferas verba: nam vbi scriptum est, *& reuixerunt*, tu transcribis, *& vixerunt*: diuersa res est: nam *reuixerunt* significat restaurationem populi Israelitici ex captiuitate Babylonica, de qua ibi, & in præcedente capite agitur: at verò *vixerunt*, vt tu transfers, significaret vitam nunc primùm concessam, non verò restitutam. Præterea vltima verba, quæ transfers, te poterant docere, sensum illius vaticinij non esse literalē, sed allegoricū: inquit enim Dominus ad Prophetam, quasi explicans allegoriam *Ossa hæc vniuersa domus Israel est*, quibus verbis, si quæ sequuntur (à te malignè suppressa) adderes, res clarior euaderet: sunt autem hæc: *Ipsi dicunt* (nempe Israelitę) *aruerunt ossa nostra, & perijt spes nostra*. Sed quid quæso habet commune reductio Israelitarum à captiuitate cum hominis formatione ex carne, & osse? At scio quid velis: nempe hoc vaticinium spectare ad resurrectionem, quam expectamus, iccirco attulisti carmina illa, quibus, vt video, magis credis, quàm Prophetæ, imò quàm Deo. Deus dixit Prophetæ, ossa illa esse domum Israel, quæ clamat præ ossium ariditate in captiuitatis ærumnosa vita, tu cum Poeta putas, sermonem esse de resurrectione. Sed quando posset vaticinium futuræ resurrectioni accommodari, putas ne, resurrectionem esse similem formationi? At scito res esse omnino contrarias: nam formatio incipit à carne, vt pote à substantia faciliotis concretionis, ita vt in prima origine ossa sint mollissima tāquàm caro; Resurrectio (quando tu velis illud, quod Propheta in spiritu vidit, tuo sensui accomodare) incipiet è contrario, nempe ab ossibus. Porrò vt hunc sermonem, iam vltra, quàm par est, progressum, penitus claudam, tu qui putas, ad significandum totum hominem non sufficere, si fiat carnis mentio duntaxat, sed necessarium esse ossa simul commemorare, videris in carnis resurrectione, quam articulus fidei promittit, non credere totum hominem resurrecturum. Tace, vilissime Cerdo, noli sapere vltra crepidam.

Ezech. c. 37.

Error Satyri in sententiæ trāscriptione.

adagiū.

Quotuplex sit caro apud medicos.
Articulus Secundus.

IN Galeni, & medicorum doctrina quadrifariam carnis nomen accipi solet. Prima eius valde stricta est significatio: nempe cum significat substantiam mollem rubicundam, ex sanguine mediocriter concreto efformatam: hæc est gingiuarum caro, & quæ in penis glande conspicitur: est etiam huius speciei ea caro, quæ seorsim, in musculis potest considerari, vt consideratur à Galeno, quando ait musculum ex simplice carne, & fibris neruosis esse contextum. Secunda carnis acceptio minùs quidem propria, sed quæ proprię valde accedit, est cuilibet parti solidæ particularis. Hanc, quia proprio nomine caret, carnosam substantiam Galenus appellare solet: quippe vt ipse ait, *Alia in alijs partibus habetur, nec vnum commune nomen est nacta: cæterum docendi causa nihil vetat, eam carnosam substantiam voces, vel certè huius particulæ quādam carnem, quæ in ventriculo quidem sit alia, in iecore alia, similiter in arteria, & musculo.* Vocari autem, ait, carnem eam tantùm quæ in musculo est, reliquarum verò nulla caro vocatur. Vbi aduertendum est, musculum quidem componi (vt diximus) ex carne simplice, & fibris, nihilominùs totum musculum simul cum carne simplice, & fibris carnem etiam appellari, nempe huius secundi generis: quod patet ex ipsius verbis citatis, nam musculum dicit esse carnem, ex carne simplice & fibris constantem: & alibi sæpe ait, musculum carnem simplicem, esse permistam: Infiniti propemodùm sunt

G. art. med. c. 50.

G. 10. meth. c. 11.

& 11. vsu pa rt. c. 3. & de motu musc. Ga. 2. loc aff. c. 2. loci, in quibus Galenus musculum carnis nomine appellat. Inter has duas carnis species, seu differentias, seu quomodocumq; libeat appellare, prior, nempe caro simplex, magis propriè, magisq; strictè caro est, alterius frequentior est acceptio; *Nam musculorum id, quod neruosum est,* (inquit Galenus) *in plurimis vel capitibus, vel extremis partibus omnes homines carnem nominant, nemine intelligente, cum exquisitè dissecatur non esse solam carnem, sed cum tenuissimis quibusdam veluti fibris, in quas neruosum genus resolutum est.* Tertia carnis interpretatio est eius, quam Erasistratus παρέγχυμα hoc est, affusionem appellauit: est autem simplex pars, nullam in se habens delineationem, hanc propterea Arabes, & qui eorum sectam profitentur, confusam nominant: quare prior species est simplex, secunda composita, tertia confusa. Est autem visceris pars præcipua, cui officialis actio debetur. Vnde non venis, quibus iecur est intertextum, sed carni ipsius iecoris sanguificatio tribuenda est, quicquid in contrarium aliqui dicant, quorum opinio suo loco refutabitur: lienis caro est, quæ sanguinē à melancholico succo excrementoso expurgat, renum caro, quæ serositatem trahit: pulmonis caro aerem: cordis caro sanguinem arterialem, vitalesq; spiritus conficit: cerebri caro animales: & deniq; vnaquæq; viscerum caro est, cui illius visceris actiones debentur. (Infra sect. 3. q. 4. ar. 2. n. 1.) An verò cor ad parenchymata, an ad musculos referri debeat, dubium est: nam ex vna parte substantiam refert simplicem reliquis parenchymatibus similem, & quæ sicut reliqua affusionē sanguinis attestatur: ex altera ab autore libri de corde, dicitur. *Cor musculus valde fortis, non neruo, sed densitate, ac constrictione carnis:* Et meritò: siquidem cor fibras habet, vt musculus, quas reliqua parenchymata non habent, licet cor omne villorum genus habeat, musculus vnum duntaxat. His coactus Galenus, cor sui generis viscus nulli alteri simile esse statuit: *Cum enim aliud instrumentum nullum sit, cuius tanta esset actionis constantia, ac robur, quanta est in corde, consentaneū ob id fuit, corporis ipsius substantiam ad robur simul, & patiendi difficultatem comparari:* Porrò lingua etiam, quæ varijs motibus agitatur musculus videri posset, nihilominùs tamen, quoniam fibris omnino caret, inter parenchymata debet recenseri. His tribus carnis differentijs adiungenda est quarta magis impropria, quàm reliquæ, & est caro glādulosa: glandulæ enim dicuntur carnes in se conuolutæ: cum autem autor libelli de glandulis dicat, *Natura ipsis est spongiosa: sunt enim raræ, & pingues, & neq; carnes sunt reliquo corpori similes, neq; aliud quid simile corpori;* non negat prorsus esse carnes, sed dicit, carnes esse non alijs carnibus similes, sed autogenas id est sui generis.

2 Post has quatuor acceptiones aduertendum est, Hippocratem, qui & musculos carnem appellauit, vt quando ait, *Quæcumq; enim membra carnem in orbem circumsitam habent, quam musculum appellant,* qui etiam carnem esse cognouit, qua reliqua coagmentantur, inquiens, *Ossa corpori stabilitatem exhibent, nerui flexionem, & contractionem, ac distentionem: carnes, & cutis omnium colligationem, ac constructionem,* eundem carnis nomine abusum fuisse, & latissimè ei significatum aliquando accomodasse, fœtum iam partium rudimentum quoddam habētem carnis nomine denotando: reperias enim apud eum hæc verba, *Meretrices publicæ, quę sępius de se ipsis periculum fecerunt, vbi cum viris rem habuerint, sciunt quando in ventre concipiant, & posteà conceptum intra se perdunt. Postquā autem iam perditus est, elabitur velut caruncula. Hanc carunculam in aquam coniectam si conspicatus consideraueris, omnia membra habere reperies, & oculorum regiones, & aures, & manus, & manuum digitos, & crura, & pedes, & pedum digitos, & pudendum, & reliquum totum corpus manifestum.* Sic Hippocrates. Nonne vides vt corpus iam membris manifestè distinctis configuratum appellauit carunculam? Neq; te deterreat, quòd Cornarius, & alij carunculam dixerunt, carnem dixit Hippocrates, nempè τὴν σάρκα. Quid ergo me ineptè arguis, quòd hominē dixi constare carne, & figura? num quoniam, vti dixisti, præcipuum est in eo spiritus? At ego iam tibi, ex Aristotele demonstraui, carnem non esse sinè spiritu, hoc est, sinè anima: aliàs enim non nisi æquiuocè caro est. Recordare sententiæ Diui Isiodori, nempe appellationem indere nos posse rei ex prædominante parte, quæ in ea est: prędominari autem carnem tibi mox ostensurus sum, & tuæ obiectionis inanitati occursurus.

Lib. de arte. In Mochlico. De carnib.

Quæstionis resolutio, qua ostenditur, carnem multis nominibus, præ reliquis partibus, esse commendandam.

Articulus Tertius.

IN compendium redigenda nunc sunt carnis encomia: neq; enim libet latissimè, vt possem, in hoc campo peruagari. Sit igitur primum à Galeno acceptum dicente, *Pleræq; animantium partes communes inter se omnium sunt: nulla tamen est æquè communis, vt caro. Hanc enim habet omne animal sanguine præditum, vt homo, & omnes quadrupedes, tum aues, serpentes, lacertiq; quos sauros vocant, testudines, & quæ sunt eius generis. Sanguine carentia, tum ostrea omnia, tum non pauca genera eorum, quæ in aquis degunt, sicut & nonnulla, quæ in terris. Et quod ex animantibus maximè editur, caro est: nam viscerum plurima moles ex carnibus ipsis inhærentibus constat. Verum nonnulli medicorum carnem viscerum parenchyma vocandam censēt: propterea quòd ex venis effusus sanguis circum vasa omnia concrescat, vt ipsi arbitrantur: sed eam, quę visitur in musculis, solam carnis appellatione dignatur. Verùm de nominibus, vt semper monemus, contendendum non est, sed exercenda potiùs rerū scientia, &c.* Hæc tibi volui transcribere, ò Satyre, vt cognoscas, quàm inaniter in nominum inquisitione semper verseris. Cæterùm communissima est caro tum omnibus animantibus, tum etiā plantis, vnde Theophrastus, & Plinius plantis circa lignosos, ac velut neruosos villos, suam carnem inesse aiunt. In ferro quoq; rubigine exeso carnem contabuisse, fibras ob duritiē restitisse, ac eodem modo in lapidibus carie exesis compertum esse, dicit Gorræus. Vt hæc sit prima, & valde magna carnis excellentia, communitas cum pluribus. Verumtamen Galeno, qui carni primum communitatis gradum tribuit, videtur Aristoteles aduersari, inquiens, *Similarium sanguis potissimùm communis animalibus sanguineis omnibus est, nec minus communis ea pars est, qua sanguis continetur: locum autem communitatis secundum obtinent ea, quæ ijs proportionentur, hoc est, sanies, & fibra, atq; etiam caro, quod præcipuè corpori animalium inest. Os item, & quod vice fungitur ossis, vt spina, & cartilago. Adde communitati huiusmodi cutem, membranam, neruos, vngues, pilos, & quæ ijs proportione respondeant. Ad hæc adipem, seuum, atq; extrementa, stercus dico, pituitam, bilem tum flauam, tum etiam atram.* Sic Aristoteles: verùm non est Galeno contrarius, nam Galenus comparat partes omnium animantium inter se, & dicit communissimam esse carnem: Aristoteles recensēt tum humores, tum membra, tum excrementa animalium sanguine præditorum, atq; asserit inter hæc primum communitatis locum sanguini, obiter tamen notabis, sanguinem dixisse, præcipuè corpori inesse.

Ga. de simpl. med. facul. in princ. lib. 11.

A. 2. de histor. anim. l. 3. c. 2.

2 Secunda carnis prærogatiua est, quòd membra præcipua omnia carnis, vel in hac, vel in illa significatione acceptæ nomine comprehendantur: nam parenchymata iam diximus ad carnem referri, glandulæ etiam, vt sunt testes, & mammæ ad eandem referuntur: ventriculus, & intestina suam propriam carnem habere dicuntur: & in his, vt diximus, præcipuum actionis cuiuslibet principium est caro: quod inductione manet demonstratum.

3 Tertia, quòd reliqua membra sunt propter carnē: vnde Aristoteles de carne agens ait: *Hoc enim principium, & corpus per se animatum est, quod ratione etiam patet: animal enim eo definimus, quod sensum obtinet, primumq; eum, qui primus est. Tactum autem primum esse, certum est, tactus vero sensorium pars eiusmodi est, aut prima, vt pupilla visus: aut coniuncta, per quam agitur, perinde quasi pupillæ omne diaphanum.* Itaq; Philosophus probat, tactum esse, propter quem alia sunt data, tactus verò instrumentum esse carnem, ac proinde carnem appellauit *principium, & corpus per se animatum*. Sed tu, vt dignitati carnis detrahas, ais, eam definitam esse ab Auicenna, *Repletionem inanium locorum, seu quod inania loca replet:* quasi hoc officium ignobile sit. Auicenna quidem sic carnem definit: *Postea est caro, quæ est locorum vacuorum impletio, quæ in horū membrorum situ in corpore existunt.* Sed tu stultè, hinc colligis carnis ignobilitatem: neq; enim locus nobilior est locato alioquin iuxtà tuam erroneam opinionem, qui tenes animam esse in corpore, sicut in vase, anima erit ignobilior corpore. Vera ratio colligendi nobilitatem, ò Satyre, est ex modo, quo se res habet ad alia, cum quibus comparatur; Considera igitur causam finalem, & id cuius gratia res est esse vnum, & idem ex

A. 2. de part. an. c. 8.

Au. f. 1. l. 1. doc. 5. c. 1.

p. 264.

Ar. 2. Aristotele: considera rursus, finem, seu causam finalem, seu id cuius gratia res est habere in se rationem optimi. His constitutis si tibi probauerim, carnē esse cuius gratia facta sunt ossa, necessariò, rumpantur licèt tibi præ rabie viscera, mihi concedes, carnem esse ossibus nobiliorem. At ossa carnis gratia facta esse, non aliūde meliùs probabo, quàm ex Aristotele. Siste Satyre, qui ex peripato victum quæris: ecce tibi verba Aristotelis: *Caro circa ossa consistit, vinculis modo fibrarum tenuibus adhærens; cuius causa ossium genus habetur: vt enim qui ex limo, aut alia massa humida animal effingunt, firmo aliquo subdito corpore obducunt, atq; efformant, sic natura ex carnibus animal condidit: cæteris igitur partibus, scilicet carnosis ossa omnibus subiacent, aut flectendi gratia, si mouentur, aut conseruandi gratia si immobilia sunt, ut costæ, quæ pectus salutis viscerum gratia claudunt.*

[Margin: Ar. 2. phys. t. 23. — A. 2. de partib. an. c. 9.]

4 Quarta carnis commendatio sumitur ex vsu, hoc est, ex vtilitate, quam nobis præstat: ea multiplex est, referam tamen partem aliquam ex Galeno, qui postquàm agit de musculorum fibris, ad eorum carnem accedens ait: *Verùm si id fecisset solùm, neq; spatia inter ipsas media substantia molli (quæ instar stibes cuiusdā, ac sedis firma, ac tuta esset futura) oppleuisset, ne temporis quidem momentum seruari potuissent, quin contunderentur, ac rumperentur. Stæben igitur hanc natura (quæ eius in omnibus est sapientia) haud quaquam reliquit inutilem: sed quo æstus, ac frigora propulsaret, atq; operimentum rebus pilo, lana vè coagmētatis esset simillimum, tum fibris ipsis in orbem circumiecit, tum autem venis atq; arterijs substerniculum quoddam, atq; amiculum admirabile comparauit. De quo primo omnium libro admonuimus, carnem id nominari dicentes, quòd vtilitates eiusmodi animalibus præbeat: tum autem quod ipsa aduersus caloris, ac frigoris vim est remedium, quamquàm hæc inter se pugnent.* Plura ibi prosequitur, & alibi sæpiùs exequitur carnis encomia, quæ videntur ex professo scripta ad confundendam Satyri asinitatem, qui ait, *Partes albas esse primarias; rubras autem accessorias.* Si hoc simpliciter diceres, deceptum te fuisse crederem, & ignorantiæ tuæ aliquid condonarem: verùm cum Auicennæ autoritate munitus aduenias, & illi falsò rem hanc imponas, mentiri te dico, & iam non deceptum, sed deceptorem appello. Sed non solùm Auicennæ falsum imponis, verùm etiam Galeno, quem multis in locis citas: hos lector videre poterit, neq; vnum inueniet, in quo Galenus dicat, carnes esse accessorias, & solùm ad replenda spatia inania factas imò verò ex superiùs à me relatis intelligit, Galenum naturę prouidentiam fuisse admiratum, quòd carnem ad replenda spatia factam non reliquit inutilem, sed multis alijs vtilitatibus dicauit, quas etiam Auicenna exagerat.

[Margin: G. 12 de vsu p. c. 3. — ☞ — p. 26. — Ga. de fœt. fo. c. 2. & c. 5. l. 2. de tē p. c. 3. 10. meth. c. 11. 11. meth. c. 1.]

5 Persistis adhuc repetens, quod priùs dixerat sic: *Cum itaque carnes, quod ex sanguine menstruo medicis exoriantur, sint partes secundariæ, & accessoriæ, ossa verò, quibus materialis origo est a semine, sint partes humani corporis primariæ, cumq; totius corporis denominatio fieri debeat à partibus magis præcipuis, quod Aristoteles docuit, non autem à secundarijs, iam tibi non benè materia corporis humani caro dicitur aptè, pretermissis ossibus.* Rectè quidem Aristoteles dixit, denominationem à partibus magis præcipuis debere fieri, & ego, vt probarem à carne denominationem esse faciendam, tibi demonstraui, carnem esse præcipuam comparatione ossium, neq; de hoc contentionem ampliùs esse, quisquam sani iudicij patietur. Cæterùm quod dicas, carnes fieri ex sanguine menstruo, ossa verò ex semine, & hinc colligas, carnes esse secundarias, accessoriasq; ossa verò primaria, & magis præcipua, hic me cogis paululùm immorari. Non erit inutilis digressio, ex qua, si cerebrum habes, aliquid scitu dignum accipies. In primis te admoneo, vt cautè loquaris: sæpe enim ab Aristotele, nescio num incautè, aut dolosè sis transfuga. An nescis tu, qui homo peripateticus es, hanc esse veterem pugnam Galeni cum Aristotele, quòd Aristoteles nullam corpori ex semine materiam præstari dixit, Galenus verò in eo præter efficientem vim materialem etiam agnouit? Tu, qui in meo libro de Meteoris Microcosmi sat benè versatus mihi videris, poteras in eo addiscere, quid in hac controuersia vtrinq; dicatur: sed tu libros deuoras, non autem prioribus saltem gustas labijs, magis pronus ad mordendum, quàm ad mandendum, vt apparet in tuis scriptis, ex quibus si inanes aliorum refutationes extrahantur, exigua pars remanet. Verùm ad rem redeo; Semini tribuis materiam ossium, nec te pudet, Aristoteli tergа dare: is namq; ex professo sibi proponit tractandum, in quo genere causæ semen in generatione concurrat incipiens, *Apertum [illegible] est, de quo disse-*

[Margin: A. 1. de gener. an. c. 20.]

rendum

vendum deinceps sit, quemadmodum scilicet ad generationem mas conferat, & quonam pacto semen maris causa eius, quod gignitur, sit: Et quæ sequuntur. Deinde progressu sermonis ait: *Vt cum mas formam, & principium motus præbeat, fœmina corpus, atq; materiam*: quod probat exemplo casei comparans coagulum semini, lac autem, quod coagulatur, sanguini mulieris: & alibi, *Fœmina semper materiam prębet, mas vim creandi: hanc eorum vtriq; facultatem tribuimus: idq; est, quod alterum mas, alterum fœmina sit.* Itaq; hæc fuit Aristotelis opinio, & sic eam accipit Galenus, quando aduersùs Aristotelem nominatim, & diffuse argumentatur. Neq; de hoc dubitare vidi recentiorem aliquem. Neq; sibi contradixit idèm Aristoteles, quando ait, *Ossa igitur in prima partium constitutione gignuntur ex seminali excremento*: neruos etiam ex eodem seminali excremento gigni dicit, non, inquam, sibi contradicit: nam hoc vitium in magno viro nefas est credere, sed seminalis excrementi nomine maternum sanguinem intelligit; qui loquendi modus familiaris est ei, vt cum ait: *Indicium semen esse in menstruis, quod simul, vt ante dixi, maribus semen fieri incipit, & fœminis menstrua innotescunt eadem ætate: tamquam ea loca distendantur, quæ vtrumq; recipiunt excrementum.* Itaq; quando Aristoteles dixit, illas partes fieri ex seminali excremento, & ex eo nutriri, non est intelligendus de vero semine maris, aut fœminę: nam hoc dari non concessit, illud verò non esse materialem causam asseruit; sed appellat sanguinem menstruum nomine seminalis excrementi: quamuis autem alię etiam partes rubræ ex sanguine fiant, fiunt tamen ex parte sanguinis puriore, ossa verò, & nerui ex crassiore, magisq; melancholico, & terreo, quod possumus demonstrare ex eò, quòd vnumquodq; ex eo nutritur, ex quo constat: At ossium nutrimentum (etiam Galeni consensu) crassum, & magis terreum, quàm aliud quoduis nutrimentum est.

Ar. 2. de gen. an. c. 3. *Ga. 1. de sem. c. 3.* *c. 20. citato.* *Ga. 2. meth. c. 5.*

6 Porrò cum ossa, ais, è semine fieri iam omnium consensu, transfugis ab Aristotelis castris ad castra Galeni, & tamen in castris Galenianis non es recipiēdus, siquidem mendacijs armatus incedis: etenim, vt diximus, plura, quàm vnu Galeni loca citas, in quibus eum statuisse, ais, partes albas esse primarias; rubras autem accessorias, cum tamen neq; per somnium Galenus tale vnquam dixerit. Galeni opera vnicuiq; in conspectu sunt: legat, qui velit, & te mendacissimum omnium mortalium appellabit, neq; te tuus Suidas, vt tu cupis, ob hoc scelus lilijs coronabit, sed potius Asino vectum, corona papyracea, in qua cornucopiæ flores eleganter sint depicti, publica loca pertransire faciet. Nec video, qui aliter adeò callidum mendacium, vt cum Plauto loquar, puniri queat. Galenus ne vnquam dixit, *Partes albas esse primarias, rubras vero accessorias?* num cor, & hepar erunt partes accessoriæ, officula, & neruuli primariæ? At in quibus nam reponès cerebrum, quod album quidem est? Apage qui nihil aliud scis, quàm dicere theoriam, encyclopędiam, & alia similiter inania verba; doctrinam autē solidiorem aufugis magis quàm canem, & anguem. Cætera, quæ de semine affers, non hic habent locum, ne tamen in ijs tibi complaceas, donec mensuram debitam accipias.

p.261. ☞ *Mēdacium.* *adagiū. Infra.*

7 Sed dic sodes, vnde nam colliges, carnem esse secundariam, ossa verò primaria? num quod ossa formentur priùs, quàm carnes? At Galenus in eo loco, quem ad probandum ossa esse priora attulisti, ita ait: *Vnde fieri non potest* (loquitur de fœtu dum in vtero est) *vt aliquod membrum absq; substantia sanguinea in ipsis gignatur. Quæcumq; tamen albæ, & exangues partes sunt, non ita facile possunt procreari, vt iecinoris caro: celerrimè enim viscus hoc è sanguine consistit, vt pote substantia sanguini quam simillimum.* Sic Galenus: neq; quempiam puto negare vnquam posse, carnes citiùs constari, quàm ossa. Si primaria intelligas ossa dignitate officij, iam tibi satis demonstrauit Galenus, carnes totum hominem ab incursantibus tueri: iam vidisti ex Aristotele, ossa facta propter carnes. Si primaria appellas ratione materiæ, scias oportet, partes aliquas sanguineas appellari non quòd ex solo sanguine, sed ex eo potissimum constent, quemadmodum spermaticę, quòd constent, potissimùm ex semine, potius ex seminis crassamento, quippe in vtero semen, seu mauis duo semina, cum sanguine simul permiscentur: seminis verò natura, vt suo loco dicemus, non valde distat à sanguine. Si primaria etiam intelligas ossa ratione nutrimenti, cum verum sit, & à Galeno nobis traditum, vnum quodq; membrum ad se accommodatum sibi alimentū attrahere, deinde vbi ex eo quicquid sibi necessarium est perceperit, reliquum

Ga. de for. fœtus c. 2 & l. 1. nat. facult. c. 10 & 2. de temper. c. 2. *G. l. 1. de sem. c. vlt.*

excernere: cum rursus carnem citiùs, quàm ossa nutriantur, nutrimentum ossiũ debet esse nutrimenti carnium superfluitas. Num primaria sunt ossa ratione temperamenti? at ea frigida, & sicca statuit Galenus, quod temperamentum, infimi elementi, nempe terræ, & ignobilissimi humoris, hoc est, melancholiæ tẽperamento correspondet, carnes verò temperatas esse ait. Deniq; ignobilitatẽ ossium hæc Galeni verba optimè persuadent: *Quòd si tu in Mundo mihi lapidem ostenderis terreum sanè corpus, ego tibi illi simile in animantibus ossium, cartilaginum, pilorumq; genus ostendam*. Vnde nam tibi tanta cum carne inimicitia accedit, qui carnarius homo es? quod tibi turpe opprobrium esse potest, mihi autem, cui carnosum habitum, tamquàm rem pudendam obijcis, parùm tua dicacitate noces. Esto, sis gracilis: contraxisti hunc habitum, quia, dum famulus fuisti, nunquam satur esse poteras, mihi paterna domus alimentum suppeditauit. Deniq; mihi est in carne durities, tibi in ossibus mollities. Neq; obesitas, vt tu fallacijs munitus niteris persuadere, ingenio nocere potest: & in hoc, vt in cæteris magis contumeliosè, quàm verè insistens cogis me tibi, responsione alioquin indigno, respondere. p. 11.

G. de semen l. 1. c. 5.

8 Cum mihi in Galeno displicuisset, quòd argumentum, in quo se posset diffundere, diminutè tractasset, suscipis eius defensionem, aisq; me Galeno, (quem verè veneror, & admiror) non parcere, ac proinde non miraris, si philosophum peripateticum lacesso: quærebam anxius, quis esset Philosophus iste peripateticus, quem ego lacesso, nec prorsus inueniebam. Tunc me admonuit quidam, te ipsum esse, vt pote qui peripateticus soleas appellari: vix hoc potui credere, nisi forsitan ita appellaris ab ijs, qui deambulantem te per plateas ridiculoso incessu vident. Nam peripateticum te, hoc est, Aristotelicæ scholæ alumnum cur appellabo, qui sępissimè ab eo recedis? Instabat adhuc admonitor ille, inquiẽs, te nihilominùs peripateticam doctrinam, siue benè, siue malè profiteri. At egò, qui fieri potest, inquio, vt homo peripateticus in suum magistrum sit contumeliosus? sanè ipse aliquando scripsit, *Quicquid garriat Aristoteles*: & hæc verba non patitur ipse Satyrus in se conijci, quæ tamen in magnum omnium magistrũ impudenter conijcit. Miratus est admonitor, mirabitur quicumq; hoc legerit, non mirabitur solus, qui te cognouerit, ergo rectè monitus has nænias relinquo, p. 230. & ad ea, quæ aduersùs obesum habitum scribis, me conuerto. p. 267.

Satyr. in Ar. contumeliosus.

9 Itaq; quod in Galeno desiderem plura, quàm scripsit circa illud argumentum, de quo agit, putas, me eum odio habere: quæris causam, & nullam aliam reperis, nisi quòd obesus cum sim, videor à Galeno vituperari, quippe Galenus, *Hunc habitum athelicum multa, & solida carne munitum vituperat*. Sed quomodo vituperat? tu eius verba refers, quæ sic habent: *Et hoc ab omnibus ferè hominibus, quoniam omnium verissimum est, adagium decantatur, crassus venter subtilem mentẽ non parit*. In primis tu habitum obesum, seu crassum cum athletico, aut, vt meliùs dicas, homines crassi ventris cum athletis confundis, quod inscitè, aut improbè facis. Athleticus habitus, de quo nos infra ex professo dicturi sumus, redundantiam sanguinis secum affert, & duplice de causa à Platone, à quo Galenus nõ dissentit, improbatur: primò ratione finis, quem sibi athletæ proponunt, quippe non optimum finem, sed absolutè virium, quibus aduersarij prosternantur, incrementum amant, & roboris causa cibos, potusq; adhibent; secundò ratione plenitudinis, propter quam capitis semper aliquas distentiones, atq; vertigines reformidant, sapientięq; studium eorum ortus causam asserunt: quare semper se ęgrotos opinantur, neq; de corporis habitu queri vnquam desinunt. Hęc, & similia sunt, quæ in athletas tum Plato, tum Galenus conijciunt. Habitus verò obessus longè alia res est: imò quemadmodùm athletæ sanguinis redundantiam patiuntur, sic obesi eiusdem inopiam. An nescis crassos ab Hippocrate breuioris vitæ censeri, quàm graciles, non ob aliam causam, vt Galenus ait, nisi quia crassi paucum habent sanguinem? *Angustę sunt enim horum arterię, ac venę, atq; ob id paucum omnino sanguinem, & spiritum habent: adeò vt cum ætate processerint, celeriter in ipsis, vel paruam ob causam calor natiuus destruatur*. Quomodò ergo confundis athletas sanguine redundantes cum crassis sanguinis paucitate laborantibus? Cum igitur Galenus athletas damnet, nihil ad me, neq; causam habeo, vt tu ineptè dicis, cur cum illo inimicitias geram, sed cum tuis prauis moribus. Quod si prouerbio communi vtens ait, *Crassus venter subtilem mentem non parit*, crassi ventris nomine, gulositatem intelligit, à qua ego longè disto, vt pote qui

Ga. ad Thrasyb. c. 37. Infra in tex. 37. ad Thrasybul. c. 36.

Hipp. & Ga. 2. aph. 44.

ferè abstemius sum, nec valde edax. Quære ergo aliud adagium, quo me insimules: nam istud tuam inscitiam, non meam culpam sapit.

10 Nec tibi magis fauet Aristoteles inquiens, *Solus homo animalium omnium erectus est: quoniam eius natura, atq; substantia diuina est: officium autem diuini est intelligere, atq; sapere, quod nō facilè esset si vasta corporis moles assideret: pondus enim tardiorem reddit mentem, & sensum communem.* Sic Aristoteles, qui non de hoc, aut illo homine loquitur, sed de vniuersa natura hominum: non quidem de habitu corporis, sed de figura: tu autem nescis, quid inter primam, & tertiam speciem qualitatis intersit. Philosophus ait, si homo assideret corporis mole, ineptum esse ad diuinarum rerum contemplationem, quod Ouidius carminibus sic expressit. 4. de pa. an. c. 10.

Pronaq; cum spectent animalia cætera terras,
Os homini sublime dedit, cælumq; videre
Iussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Hoc autem quid ad rem? certè in te quadrat paræmia *Non eadem loquitur sucula, qua Menecles:* Autores trahis inuitos, sed nequicquam, ad tuas nugas. Nō est Aristoteles, qui (vt tu illi impudenter imponis) garrit, sed tu Aristotelem ad garriendum inuitas. Nec mirum, quòd magno interprete naturę abutaris, siquidem natura ipsa abuteris. Vale, & me alibi expectato, nunc ad contextum me confero. adagiū.

Assimilat, & dissimilia facit.

SIcut superiùs alimentum dixit augere, corroborare, & incarnare, nō quòd istorum operum sit causa efficiens, eodem nunc modo dicit, idem alimentum assimilare, & dissimilia facere, hoc est, quicquid simile, aut dissimile in nostro fit corpore ab alimento esse. Mos est Hippocratis, causam efficientem pro materiali accipere: v. g. cum ait, *Vbi cibus plus iusto assumitur, hic morbum facit:* cibus quidem nō nisi materiam præstando morbum facit, & causa morbi, quæ euacuatur, materialis est causa. Porrò præsentia verba præcedentium conclusio quædam sunt: quasi dixerit autor, *Alimentum auget, corroborat, & incarnat,* & in his omnibus assimilatio est, & dissimilium sequestratio. Nam ex his duobus nutritio constat (nutritionis nunc vocabulo carnis repositionem, augmentum, & virium incrementum intelligo) duobus inquam, hoc est, assimilatione alimenti ad corpus, quod alitur, & separatione excrementi inutilis: constat assimilatione, cui appositio, & agglutinatio præeunt: constat, & expulsione eius, quod dissimile est, dissimile inquam post coctionem: nam alioquin omne alimentum est dissimile, scilicet in principio, vt in fine simile euadat. Itaq; ni hæc sequestratio fieret, nutritio non sequeretur; si fieret, sed imperfecta, foret quoq; imperfecta nutritio. Duo hinc euentilanda emergunt, primo, An assimilatio per se sola nutritio sit: alterum, an sine expulsione possit contingere nutritio.

VTRVM NVTRITIO SIT ALIQVID amplius præter assimilationem.

QVÆSTIO NONA.

QVoniam agentia naturalia eò tendunt, vt passum sibi pro viribus assimilent, quod Aristoteles pronunciauit, in prima coctione ventriculus materiam sibi obiectam, quoad potest assimilat, in secunda iecur, quod manifestè patet, sicut etiam in tertia, quæ in membris fit, eadem materia membris similis euadit: per nutritionem autem alimentum membris fit simile, vnde Fernelius, Fabius Paccius, & alij occasionem habuerunt, confundendi tertiam coctionem cum nutritione, & inter hæc duo nullam adesse differentiam, existimarunt. Nihilominus tamen, eos contra communem autorum sententiam loquutos fuisse, constat: receptum enim est apud omnes, coctricem facultatem vnam esse ex quatuor ministrantibus, nutritiuam autem, cui reliquæ ministrant. Præterea termi- Ar. 1. de gen. & corrupt. c. 7.

nus

nus coctionis longè inferior est termino nutritionis: quippe sufficit, vt coctione materia eam similitudinem acquirat, qua possit apponi membris: cum enim, (vt ex eodē Aristotele constat) alimentum initio dissimile sit, in fine autem simile euadat, cum rursus natura gradatim procedat, alimētum semper eò progreditur, vt magis simile euadat. Progreditur ergo semper coquendo, & in omni coctione excrementa separando, vbi autem eò deuentum est, vt alimentum eam similitudinem assequatur, quæ sufficit, vt appositionis, seu apponentis facultatis sit commodum obiectum, iam finita est tertia concoctio, neq; dantur vlteriores coctiones, nec vlteriora excrementa: quæ enim ex appositione, aut agglutinatione excrementa relinqui possunt, cum hæ duæ non agant separando aliquid ab alio? Iam verò tertia assimilatio excrementa non habet, vt pote quæ iam alimentum suscipit sibi non tantùm contiguum, sed etiam continuum, vt mox patebit.

Ga. 3. Sympt. caus. c. 3. — 2 Post tertiam igitur coctionem sequitur alimenti planè concocti appositio membris, quæ græcè πρόσθεσις appellatur, quam tunc fieri censet Galenus, *cum id, quod nutritur, halitus speciem in se recipit*: forsan meliùs legendum *roris speciem*, quod consonat cum eodem Galeno alibi, nutrimentum appositum appellante rorem. Ga. 1. meth. c. 6. Prætereà si halitum dicamus, videbimur incidere in opinionem Heraclyti, & Asclepiadis, quorum vterq; nutritionem, & alia multa per vapores fieri contendebat. Sunt, qui appositionem ab attractione non distinguant, persuasi Ga. 3. nat. facul. c. 1 Galeni verbis, qui appositionem tractionis finem esse, dixit: tunc sic argumentantur. Si finis, ergo terminus, si terminus, ergo idem cum motu. Subtiliter quidē, verùm latet hìc æquiuocatio: nam finis in illa Galeni sententia non accipitur pro termino, sed pro finali causa, ad quam tractio dirigitur, quod ibidem Galenus in hunc modum declarat. *Alimenti in singulas partes deductio agentis adhuc, trahentisq; virtutis est opus: adductum iam esse, & particulæ apponi ipse est finis, cuius scilicet causa eiusmodi actio est destinata: quippe iccirco est attractio, vt sit appositio.* Sic Galenus, qui apertè declarat, finem cuius causa (quod idem est, ac si diceret causam finalem) tractionis esse appositionem. Siquis autem quærat, quænam ægritudo ex appositionis defectu oriatur, respondet Galenus, esse atrophiam.

3 Ad appositionem sequitur agglutinatio, græcè πρόσφυσις, quasi agnationē, seu adhærentiam velimus dicere. Circa hanc actionem magna oritur dubitatio, nam alimentum per appositionem continguum duntaxat factum, per agglutinationem aliquid amplius acquirere debet, hoc autem nihil aliud esse potest, quàm continuitas: ergo alimentum, agglutinationis beneficio, fit continuum cum substantia præexistente: si continuum, ergo eandem cum illo habet formam, eadem accidentia: quare non est, cur vlterius procedatur. Valles. 2. cõtr. c. 17. Vallesius facilè hanc difficultatem effugere potest, quippe agglutinationem non fieri à facultate arbitratur, sed sicut cera ceræ, & pix pici breui tempore, si simul sint, & nihil impediat, vniuntur sola agentis vi ignis: sic alimentum in corpore, actione caloris, absq; vlla facultate vnitur. Si ergo hæc Vallesij opinio vera foret, non daretur peculiaris facultas vniens, solaq; appositione, & vniretur alimentum, & formā viuentis acciperet: & licèt vnio sit prior natura, quàm receptio formæ, vtraq; tamen est simul tempore. Verum tamen est, cur hæc Vallesij opinio non sit admittenda, nam appositio desinit in continguitate: debet ergo dari alia facultas, cui continuitas debeatur. Hoc autem, medicè loquendo, nullo meliùs modo probari potest, quàm exemplis à Galeno adductis: si enim ob culpam appositionis fit atrophia, ob culpam verò agglutinationis leucophlegmatia, duo hæc vitia ad duas pertinebunt facultates. Responderet Vallesius, qui vnionem per moram fieri ait, posse atrophiam fieri ex defectu appositionis in principio, leucophlegmatiam verò ex eiusdem appositionis defectu in fine, quando iam alimentum deberet esse agglutinatū. At ista responsio non sufficit: nam si mora requiritur, vt alimentum conuertatur in substantiam aliti, nec adest alia facultas, præter appositionem, fateri oportet, formam substantialem paulatim introduci, quod est absurdum.

4 Respondeamus igitur ad difficultatem priùs oblatam, qua videbatur probari, agglutinatione introduci formā, ac subinde accidentia, ita vt nihil ampliùs ad nutricatum desideretur. Fit quidem alimentum vnum cum parte, quæ nutritur, recipitq; formam eandem, & accidentia eadē, licèt non omnia; Imò etiam tametsi formæ substantiales, in ratione substantiæ, non recipiant magis, nec minus;

habent

habent tamen aliquos gradus perfectionis, quos possunt acquirere, postquam productæ sunt, vt apparet in productione fœtus.

5 Porrò agglutinatum alimentum iam continuum est, ac subinde eandem cum alito habet formam non tamen eandem perfectionem. Dari autem diuersitatem perfectionis in indiuiduis eiusdem speciei, patet: nam tametsi aliquis inæqualitatem animarum decreto Parisientium confirmatam, multorumq; consensu receptam nolit recipere, at certè materialium substantiarum (de quibus agere ad nos spectat) inæqualitas non est reijcienda: e. g. posse aliquid ex se gignere, perfectio in vno quoq; indiuiduo est: hanc autem alia alijs, in vna, & eadem specie magis participare, nemo est, qui dubitet. Vnaquæq; potentia sentiens perfectionē indiuiduo sēsitiua anima prædito affert: at indiuidua quædam in eadem specie in qualibet potentia valde se excedunt. Itaq; diuersitas perfectionis in carne etiam datur, vnde Aristoteles, *Duri enim carne inepti mente, molles autem carne benè apti*. Si igitur potest dari in carne, sicut in alijs, augmentum perfectionis, hoc consequetur homo assimilationis ope. Ar. 2. de anim. te. 94.

6 Acquiri autem assimilatione perfectionis gradus aliquos, qui agglutinatione non fuerant acquisiti, nulla re meliùs probari potest, quàm ægritudine, quæ consequitur ad assimilationis defectum. Nam sicut defectu appositionis fit atrophia, qua corpus emaciatur, & cōsumitur, defectu agglutinationis fit leucophlegmatia, qua alimentum in corpore manet dissociatum, & vagum, sic defectu assimilationis fit vitiligo, in qua non substantia partis in colore est dissimilis, sed in se ipsa admodùm imperfecta. Si ergo ex defectu assimilationis pars est imperfecta, profectò ex assimilatione perfectio ei adest. Ac propterea dicendum, alimentum agglutinatione iam eò deuenisse, vt sit pars totius, pars tamen etherogenea, assimilatione autem factum esse partem homogeneam, & habere omne id, quod requiritur, vt sit idem cum alijs.

7 Si quis autem dicat, hos perfectionis gradus, qui assimilatione acquiruntur, esse qualitates, ac proinde assimilationē non eximi ab alterationis nomine, & ratione, cùm tamen, alteratio cum sit, secundùm qualitates distet à nutritione, quæ est secundùm substantiam. Respondeo alterationem strictè sumptam, pro mutatione in vna qualitate non sufficere ad constituendam assimilationem: si verò alteratio sit in pluribus qualitatibus, iam tunc à Galeno dici mutationem in tota substantia, ac propterea satis ei quadrare denominationem assimilationis. Hoc autem qui in Galeni doctrina fuerit exercitatus facilè intelliget: nam ille, quando corpus, in vna qualitate duntaxat, alimentum mutat, non adhuc nutritionem fieri, ait, *Et si illud admodum mutet, id est tota substantia operetur, vtiq; tum sibi assimilabit id, quod mutatur, tum ab eo nutrietur*. His verbis velle videtur, & ita est, mutationem in vna qualitate non esse sufficientem ad assimilationem, nec ad nutritionem, sed requiri mutationem in tota substantia. Appellari autem à Galeno mutationem in tota substantia eam, quæ in concursu omnium qualitatum consistit, colligitur ex eodem, quippe alibi concursum hunc qualitatum tota substantiā appellat, inquiens, *Non secius quòd quædā tota substantia in se mutuò, & agant, & patiantur: quedā verò vna duntaxat, aut duabus qualitatibus*: Sic ille. Siue igitur elementorū substātias remanere in misto cum aliquibus dicamus, siue solas qualitates, hoc certissimum est, omnium qualitatum in vno misto concursum efficere substantiam peculiari natura præditam in genere misti, adeò vt quando mistum secundùm harum qualitatum proportionem operatur, à tota substantia operari dicatur. Ga. 3. tēp. in fine. Ga. 1. simpl. c. 3.

8 Adhuc ad euertendam assimilationem occurrit hæc ratio. Alimentum per agglutinationem factum fuit idem cum substantia aliti, cum ergo agglutinationi superueniat assimilatio, iam isthæc non aget in alimentum, sed in alitum. Respondeo, has tres operationes appositionem, agglutinationem, assimilationē habere quidem inter se ordinem naturæ, fieri tamen simul: nam dum alimentum apponitur, simul agglutinatur, simul etiam assimilatur. Hoc tametsi in artificialibus non teneat, verissimum tamen in naturalibus est: nam in coctionis opere alimentum simul, cùm trahitur, retinetur, coquitur, & sequestratur: ignis simul calefacit, & liquefacit.

9 Sit itaq; ratum, assimilationem differre ab alteratione strictè sumpta, quæ est mutatio in vna qualitate, non differre autem à mutatione in pluribus qualitatibus, quæ in Galeni doctrina est mutatio in tota substantia, & potest secundùm

eiusdem

eiuſdem doctrinam etiam alterationis nomine deſignari, dummodò alteratione latè ſumptam velimus intelligere: Hoc modò intelligendus eſt Galenus, quando ait; *Coctio, & nutritio alterationes ſunt.* Alibi etiam agens de nutritione, apponit hæc verba, *Alteratio quidem hic quoq; ipſius actionis genus eſt:* & paulo infra; *Itaq; non immerito alterationem illam nominamus generationem, hanc aſſimilationem.*

10 Has tres actiones nempe appoſitionem, agglutinationem, aſſimilationem, Peramatus ad vnam redigit: tres namq; actus eſſe ait, qui in vnam coincidunt actionem; vnius enim facultatis, inquit ille, vna eſt operatio, quare facultatis nutritricis actio vna erit, ab alimenti appoſitione ad exactam aſſimilactionem, per ipſius alimenti agglutinationem progreſſa. Hanc actionem, per quam tres actus producũtur, vult appellari nutritionem, nomine ſcilicet à facultate accepto. Appellari etiam dicit aſſimilationem ab actionis fine, ſicut dealbatio ab albedine, quæ conquiritur. Itaq; nutritionem arbitratur, nihil aliud eſſe, niſi iſtos tres actus, præcipuè niſi aſſimilationem: hęc enim totius actionis eſt finis: & re vera Galenus non videtur diſſentire, ſiquidem ſæpe aſſimilationis nomine nutritionem intelligit, imò in hoc ſe ipſum declarat, vt quando ait: *Ac quod neceſſe ſit nutritionem eſſe aſſimilationem nutrientis, ei, quod nutritur, clarè liquet.* Prius dixerat, nomen rei eſſe nutritionem, rationem verò huius nominis eſſe ad id, quod nutritur, eius, quod nutrit, aſſimilationem: vt manifeſtum ſit, eum non obiter, ſed ex profeſſo hanc doctrinam fuiſſe profeſſum: *Alibi nutritio fit, cum is qui nutrit cibus, corpori quod nutritur aſſimilatur.* At nullibi manifeſtiùs, quàm vbi hæc verba ſcripta reliquit, *Eſt enim concoctio, quæ in ventre agitur, alteratio: non ſecus autem, & quæ in venis, quibus accedit ea, quæ in vna quaq; particula, poſt quàm quarta eſt, quam aſſimilationem vocant, nomine quidem a nutritione diſſidens, re autem non diſſidens.* Cæterùm videtur Galenus non quamcumq; aſſimilationem voluiſſe nutritionẽ dici; ſed eam, quæ exacta eſt, quod ſignificauit dicens, *Neq; enim aliud nutritio eſt, quam aſſimilatio perfecta.*

11 Verùm ex Galeni ſcriptis nihil certum in hac re elicere poſſumus, vt pote qui videtur nominibus fuiſſe abuſus: nam, vt vidimus, nutritionum ad aſſimilationem refert: Alibi tamen eam refert ad agglutinationem, inquit enim; *Cum id corpori eius, quod nutritur, omni parti affigitur, nutritio eſt, cauſa vero ipſius ipſa facultas.* In pleriſq; alijs locis non iam agglutinationi, ſed appoſitioni tribuit nutritionis naturam: e. g. quando ait, *Vocatur autem alteratio ipſa vſq; quo in ſimilitudinem partis, quæ nutritur, transfmutatur, concoctio: vbi vero iam parti apponitur, nutritio.* Idem repetit alibi his verbis, *Nutritio autem eiſdem partibus appoſitio quadã eſt:* & ſæpe alibi. Quare relicto Galeno veritas ex naturæ fontibus eſt accipienda.

12 Cum ſicut facultas cognoſcitur per ſuas actiones, ita actio per ſuos actus, qui ſunt eiuſdem termini, non poteſt Peramatus excuſari ab errore, qui dixit, appoſitionem, agglutinationem, aſſimilationem eſſe vnius actionis tres actus diuerſos: eſſe autem tres terminos diuerſos, patet, quoniam appoſitionis terminus eſt contiguitas, cum qua non adhuc datur formæ ſubſtantialis mutatio. Agglutinationis terminus eſt continuitas, quæ iam mutatam arguit alimenti formam in alteram aliti. Aſſimilationis terminus eſt perfectio, quæ licèt forſan in rigore logico non faceret differentiam ſpecificam, facit tamen medicè loquendo; ſic etiam coctio perfectio eſt, & apud medicos crudum à cocto ſpecie differt, & euacuatio humoris crudi ab euacuatione concocti: eodem planè modo actio, quæ verſatur circa inductionem formæ, & quæ circa inductæ, perfectionem differre ſpecie à medicis dici debent. Poteſt etiam diuerſitas actionum iſta probari eo modo, quo diuerſitatem, potiùs triplicitatem potentiarum internarum probat Galenus: nempe à peculiari vniuſcuiuſq; læſione. Cum ergo ex ſupradictis pateat, appoſitionis vitio gigni atrophiam, agglutinationis autem leucophlegmatiam, aſſimilationis tandem vitiliginem, manifeſtum relinquitur, tres eſſe actiones inter ſe diuerſas.

13 Cæterùm quemadmodùm attractio, retentio, expulſio, coctioni inſeruiũt ita appoſitio, agglutinatio, aſſimilatio inſeruiunt nutritioni; eſt tamen diſparitas in eo, quòd præter attractionem, retentionem, expulſionem manifeſtum eſt, coctionem eſſe actionem ab alijs diuerſam. At præter appoſitionem, agglutinationem, aſſimilationem, nutritio non eſt quid diuerſum. Ego ſanè non dum

reperi,

Margin notes: Ga. 1. na. fac. c. 3. — Ga. 1. na. fac. c. 12. — 1. ſ. c. 11. — Ga. 6. ſanit. tuend. c. 3. — Ga. 3. ſymp. cauſ. c. 2. — G. 3 de temp. c. 1. — Ga. 2. fac na. c. 7. — Ga. 8. local. c. 7. — Ga. 2. na fac. c. 9.

reperi, quid vltra exactam assimilationem detur, quod nutritio appellari possit. Nam si rem in se considero, omnes actiones precedentes assimilationi inseruiūt, adeò vt quantum possunt semper procedant assimilando, quippe ex eo puncto, in quo ventriculus cibum accepit, vsq; ad id, in quo permutatur in substantiam aliti, semper magis, ac magis similitudinem cum alito gradatim acquirit. Quare, vt dictum est, nutritio, & assimilatio vna, & eadem res sunt, neq; datur inter hæc duo distinctio realis: datur tamen rationis: nam vt respicimus ad alimentū, est assimilatio, ipsum enim est, quod assimilatur: si respicimus ad substantiam preexistentem, dicitur nutritio, quippe hęc est, quę nutritur.

Rejectio calumniarum quarundam.

14 QVoniam Satyrus omnia suo halitu coinquinat, & hoc genus omne pestiferum (ex consilio Ciceronis) ex hominum communitate exterminandum est, consulto satyrica quædam offendicula, quæ præcedētis quęstionis decursum poterant impedire, in hunc locum reieci. Precor tamen probos, & doctos viros, in quorum manus, liber hic meus inciderit, vt cum detectam istius plusquàm satyricam petulantiam viderint, si debitę castigationis officio me deesse agnouerint, id detestationibus suppleant. Accede ergo in scenam saltando, quem meritò Saltamartinum omnes appellant, & tuam solitam dialogistę personam assumito. Adest sycophanta tribus onustus calumnijs, quas tamē omnes formica portare posset. *Cic. 3. de offic.*

Prima Calumnia.

15 MEA verba proferam ex tractatu de Asitia, quem omnes margaritam appellant, tu tamquam gallus Æsopicus pessundas. Tu proferes tua ex libello famoso inter Bacchanalia fabricato. Dixi ergo in hunc modū, *Atrophia igitur, in qua penitus nutritio deficiat, paucarum horarum erit, ea autem, in qua nutritio exiliter fit, longioris temporis, vnde in hac non solùm gracilescit corpus, sed valde extenuatur: quia parum est, quod reponitur, sed tantum, quantum impediat, ne calor defectu pabuli extinguatur.* Hæc sic integra transferre debueras, non mutilata, semper tamen aliquam veritati nubem obtendere conaris, sed frustra: nā *Quo magè oppugnatur, hoc fit veritas robustior.* Agis igitur admirabundum, vbi nulla est admirandi ratio, sed ne desinas esse in tua admirabili impudentia admirabilis: ais itaq; *Quid audio? non ne tu superius nobis obieceras, hominē tandiù viuere, quandiù nutriri?* Humiliter respōdeo: non sū ego, qui tibi hoc obieci, sed Aristoteles, & cū Aristotele omnes, qui ab eius seculo in hanc vsq; diē vixerunt. Pergis tamē sic: *Illis igitur paucis horis homo viuet, quoniam laborat atrophia: morbus enim, & symptoma morbum consequens non est in cadauere, sed idem homo tibi viuet, quia non alitur: sic viuentem non viuentem facies, vt supra fecisti penetrationem non penetrationem.* Non est hic locus agendi de penetratione, suo tamen loco, & tempore de hac proteruia vapulabis. Agamus nunc de vita sinè nutritione. Iam superiùs audiuisti, nisi Toronæo portu surdior es, facultates, quia vnius animæ sunt, connexionem inter se habere. Iam tibi retuli exemplum victimæ, quæ corde exempto cucurrit, respirauit, clamauit: cur ita? nempe quia tametsi deerat cor, quod spiritus vitales ad animalium fabricam suppeditaret, nihilominùs adhuc cerebrum tot habebat spiritus animales, quot sufficerent ad paucum tempus, propterea sinè virtute cordis aderant adhuc quædam scintillæ virtutis cerebri, quibus animal actiones animales edebat. Conuertere nunc ad vegetabilem, quam tu appellas vitam (memineris te vitam vegetabilem à vita simpliciter distinxisse) huius præcipua sedes est in hepate, in quo, imò à quo sanguis conficitur, cuius portio ad cor transmittitur, vt fabricentur spiritus vitales. Pereat igitur vita vegetabilis, desinat hepar sanguificare, desinant membra nutriri, adhuc tamen in corde remanent spiritus, qui ad vitam simpliciter, *paucarum* tamen *horarum* sufficiant. Tu qui in stultis quibusdam, inanibusq; griphis explicandis es totus, explica hanc à te propositam contradictionem, *Viuit non viuit.* Vis ne, vt te expositionem doceam? accipe: Non viuit, quia extincta est nutritio, ac

De Asitia ca. 19.

p. 177.

Infra. q. 9 ar. 2 coro. 2.

adagiū.

R subinde

subinde vita vegetabilis: viuit, quia vita simpliciter adhuc *paucarum horarum* superest. Hanc vitam *paucarum horarum*, si nescis, appellant docti mortem in fieri, ac propterea, vlterius progrediendo dicemus, non solùm deesse prorsus vegetabilem vitam, (ego dicam vegetandi vim) sed incipere egressum vitæ simpliciter, discedentibus iam qualitatibus, & dispositionibus, quæ animam corpori connectunt. Nec tamen adhuc corpus transijt in cadauer, quoniam non dum recessit anima. Tu tamen forsan non pateris extincta vita vegetabili atrophiam adhuc adesse, quæ est morbus spectans ad istam vitam. Scito tamen, moribundis semper aliquem adesse morbum, etiam ijs, qui senio confecti (naturalem interitum appellant omnes) moriuntur: morbus tamen iste, quoniam paucarum horarum est, non medicus, sed philosophicus dici solet. Atrophia autem, licèt materialiter ad facultatem, vitamuè spectet vegetabilem, prout scilicet defectus est nutritionis, nihilominùs formaliter, hoc est, prout est morbus, passio viuentis ad vitam simpliciter refertur, & attributionis subiectum viuens corpus habet. Interrogas igitur me insolenter, & simul ignoranter, inquiens, *Nonne pariter asseruisti, nutritionem non posse feriari?* imò iterum assero, & millies repetam, ferias tu appellas interruptionem nutritionis, & ab hac interruptione, ab his ferijs ab hoc ocio posse hominem redire ad negocium: ego quid statuo? nempe vitam *paucarum horarum*, vt scilicet iam homo sit discessurus, non amplius reuersurus; Pergis interrogando, sic, *Quin etiam nec vna hora à nutricatu feriari:* ita est, nam eo ipso, quod nutriens facultas feriatur, iam vita illa non est vita, sed eam, vt dixi cum doctis hominibus, mortem in fieri appellabo.

Secunda Calumnia.

3.symp. caus. c. 1. 16 PRosequor inquiens, *Iccirco Galenus aliquando ait, id, quod velut priuatio est, in crudis consistit succis: loquitur de nutritione, in qua non ausus est dicere priuationem, sed veluti priuationem.* In primis grammatica quadam insolentia illud meum *aliquando* corrigis, meq; increpas, quòd non dixerim *quando*, & sic tu tibi videris sapere; Sed istam tuam correctionem ne obolo quidem emam, adagiū. Desine ergo tædiosus esse digna facies screatu: Accede ad alia. Galenus (quem ego citaui, & cuius tu paginam ferè integram transfers) ostendit, actiones tripliciter esse læsas, nempe quia aut sunt ablatæ, aut diminutæ, aut deprauatæ, & vt hoc exemplis comprobet, discurrit per omnes coctiones. Quoad primam sic ait: *Atq; in ventre quidem, ceu mox est dictum, priuatio quidem actionis est, cum cibi ne vel minimam quidem mutationem accipiunt: deficiens autem in tarditate coctionis consistit: sicuti praua, & errans in corruptelis.* Transit deinde ad secundam coctionem inquiens; *In venis autem priuatio actionis est, cum succi omnino sunt crudi: deficiens actio cum semicocti, praua cum vitiosi.* Inde ad tertiam adueniens sic ait: *Ad eundem modum in tota quoq; animalis mole, quæ veluti priuatio est, in crudis istbic consistit succis: quæ tamquam deficiens est functio, in semicoctis, sicut praua in vitiosis hoc loco succis erysipellata, cancri, gangrænaq; nascuntur, præterea phagedenæ, carbūculi, vlcera serpentia, aliaq; eiusmodi.* Tandem de nutritione in hunc modū concludit: *In nutriendi autem actione priuatio quidem nutritionis in atrophia est: deficiens verò nutritio in gracilitate, vitiosa in leucis, & elephantiasi cernitur.*

17 Hìc me contumeliosè, imò impudenter arguis, quòd quæ Galenus enunciat de læsionibus tertiæ coctionis, quam ipse distinctam ponit ab actione nutriendi, de qua nunc agimus, ego interpretor de læsionibus actionis nutriendi, quas absolutè Galenus hìc ait esse priuationem nutritionis in atrophia, deficientem nutritionem in gracilitate, vitiosam in elephantiasi, & nulla prorsus apposita particula diminuente non dubitauit dicere, in atrophia esse priuationem nutritionis. Diluam prius istam calumniam, mox ad ea, quæ adiungis, leuiter accedam: Vident omnes, me loquutum fuisse de nutritione, & iuxtà Galeni doctrinam distinxisse ablatam, à deminuta, & in ablata constituisse atrophiam, quæ paucarum horarum vitam comitatur, in diminuta eam, quæ gracilitatem secum affert. Non ne ego dixi, *Atrophia igitur, in qua penitus nutritio deficiat?* Galenus similiter dixit, *In nutriendi actione priuatio quidem actionis in atrophia est.* Iam ergo in mea doctrina nihil à Galeni doctrina dissimile est. Tu autem rem non curans, sed verba, arguis, quòd verba à me relata, nempe, *Id, quod veluti priuatio est*

tio est, in crudis consistit succis; dico de nutritione esse dicta, cum tamen Galenus ea proferat de tertia coctione. Scito tamen, tertiam coctionem non solum à Fernelio, & alijs (vt diximus) pro nutritione accipi, sed etiam Galenum hanc differentiam parùm curasse, quod tibi ex hoc loco facilè demonstrabo. Non ne Galenus, inter alios morbos vitio tertiæ coctionis factos, reposuit cancros? non ne idem inter morbos vitio nutritionis ortos recensuit elephantiasim? At inter cancrũ, & elephantiasin, differentia non est, nisi quia cancer appellatur elephantiasis particularis, elephantiasis verò cancer vniuersalis, quod à Paulo est dictum, ab vniuersa schola medica receptum. Putas ne, magnam esse distantiam à coctione tertia, quam Galenus in tota mole corporis constituit, à nutritione? respice igitur ad vitia vtriusq;, & ea eadem esse reperies. Sed esto, dicamus, Galenum dixisse atrophiam, non apposita particula *veluti* esse nutritionis priuationem, non tamen negabimus, in vitijs tertiæ coctionis hanc particulam apposuisse. Da igitur mihi, tertiam coctionem non posse omnino auferri, sed veluti auferri, nutritionem verò auferri posse: operabitur ergo tertia coctio, feriabitur nutritio, quod idem est ac si mortuo cibum offeras. Aut ergo sine particulam *velut* accommodari nutritioni non minùs, quàm actionibus ei inseruientibus, aut eam prorsus expungito: tu verò particulam istam tuo modo vis accipere. Verùm ne heteromoliam causam agas, tibi mox adero, priùs tuis satisfaciam contumelijs. *adagiũ.*

18 Rogas me, qua fronte putaui, me viris doctis in re manifestissima fucum facere posse? Aperta quidem fronte, non personata, qua à doctis, probisq; viris semper honorificè fui tractatus, non à te proborum, doctorumq; mastige, quare est, cur glorier, nã quod à te iniurijs sim lacessitus, probis, doctisq; annumerabor, an verò vnus ex ijs sim, non ad te pertinet iudicare, non ad alium tibi in liuore parem, dignum, qui tecum in trutina ponatur eadem, iuxta Horatianum prouerbium. Huius tu in tuorum Bacchanalium indice dotes cumulasse, refers, & re vera cumulasti in fine operis, vt saltem tuæ comœdiæ finem, cum risu omnes exciperent; Dotes ne istius narras? sed quas dotes? non quidem maternas, siquidem inter matrem eius, & patrem non interfuit matrimonium, neq; coniugali fœdere fuerunt coniuncti, non dotem vxoriam, nam vxorem accepit indotatam, & sic quidem adhuc magis onerosam, quàm honorosam; Illum appellas, virum inclytum, græcè, latinèq; peritum, medicum, ac philosophum præstantem, morum eius comitatem, probitatemq; erudita, docta, & morata eiusdem monumenta valde commendas. Profectò si libellus iste tuus ad antipodas accesserit, putabunt illius mundi accolæ rem ita se habere. At in nostro hoc hemisphærio, monumenta ea extant, adsunt testes oculati, qui te mendacem arguunt, adest ipse quem videntur liuor, improbitas, penitusq; inscitia, suis coloribus depinxisse. Iste me docere posset, velut sus Mineruam, sed nil mirum pares estis moribus, & honoribus vtriq; corona eadem. Ais tandem, me voluisse viris probis, & doctis fucum facere. At ego in hac iniuria, qua me afficis, nolo tibi par pari rependere, sed potiùs è contrario te laudare, quòd nemini fucum facias, imò potiùs in aperto tuos mores, tuam vesaniam, insaniamq; exponas: adeò vt occasionem dederis hominibus te per irrisum laudandi, tu verò, quæ tua est inanis de te ipso existimatio, quibus succensere debueras, gratias agis. Rescribe Puteano, vt tuas illas immodicas laudes supprimat: quid si te Regiam, Cæsareamuè maiestatem nuncupasset, num hoc etiam tibi foret gratum? At notum tibi sit, non tibi magis illa encomia quadrare, quàm puero calapodium Gigantis. *adagiũ.*

Tertia Calumnia.

19 QVoniam inquio, à Galeno fuisse dictum, *Id, quod veluti priuatio est*, quia non ausus est dicere, atrophiam esse priuationem, sed *veluti* priuationem, tu ais particulam illam *velut* à Galeno esse prolatam non pro conditione diminuente, sed *pro ratione formali, & modo essentiali, addito etiam duabus differentijs læsæ actionis:* tunc interroganter addis: *An ne cum dixerit læsio, quæ veluti priuatio est, in crudis isthic consistit succis, cum immediatè subdit, quæ tamquam deficiens est functio in semicoctis, sicut praua in vitiosis, hoc loco succis, particulæ tamquam, & sicut, sunt similitudines, quibus hic vtatur Galenus semicoctos succos pendere à deficiente functione, vitiosos à deprauata? nihil minus.* Expecta nunc interrogationi tuæ

meam responsionem, nam ideo te interrogasse arbitror, vt responsione tibi fieret satis. Quando Galenus dicit, *Deficiens est functio in semicoctis, sicut praua in vitiosis*, particula *sicut*, si est accipienda, vt tu dicis, pro ratione formali, & modo essentiali, efficiet deficientem functionem eiusdem essentiæ cum praua, & humores semicoctos cum vitiosis, hoc autem non ita est, sed additum est illud *sicut*, vt similitudinem inter vtrumq; indicet. Perge vlteriùs: Quando idem dicit, quæ tamquàm deficiens est functio, in semicoctis, non ne significat diminutã actionem? ita sanè, nam diminuta est, quæ in semicoctis consistit. Rectè ergo appellatur tamquàm deficiens, quia diminuta, non est omnino deficiens, sed aliqua ex parte: non ne deficere habet pro synonimo deesse? at quod diminutum est, non deesse dicitur, sed tamquam desit aliqua ex parte non esse, alia ex parte esse. Iam ergo tua te fefellit grammatica, nec tibi suggessit Laurentius Valla oppositiones congruas. Sed tu, qui nihil aliud agis, quàm dictionaria lectitare, vt nodum aliquem in scyrpo quæras, vbi nam inuenisti, particulam *veluti* accipi pro ratione formali, & modo essentiali? peream si quid ratio formalis, quid modus essentialis sit, nosti. Meritò ergo Illustrissimi, & Excellentissimi Patauini gymnasij moderatores professorem, te contempto, D. Ioannẽ Thomasiũ Giliolum, insignem litteris, & nobilitate virum, in defuncti locum substituerunt.

AN POSSIT ALIMENTVM REPERIRI, quod nullam habeat partem excrementosam.

QVÆSTIO DECIMA.

Argumenta pro parte affirmatiua.
Articulus Primus.

Occasione verborum contextus, quæ præ manibus habemus. *Assimilat, & dissimilia facit*, assimilari dico partem, quæ nutricatui est apta, dissimilia facere ea, quæ tamquàm inepta reijciuntur, locumq; habet in præsens valde tritum axioma, Calor congregat homogenea, & disgregat etherogenea. An verò semper sit necessaria isthæc segregatio eorum, quæ etherogenea sunt, hoc est, partis excrementosę, an aliquando fieri possit, vt sola homogenearum partium congregatione nutritio peragatur, inquisitione est dignum.

2 Videtur posse accidere, vt absq; vlla sequestratione inutilium partium nutriat alimentum. Accipio nunc alimentum, non pro eo, quod proprijssimè tale dicitur, quale est, quod iam poris apponitur, sed pro eo, quod futurum est alimentum. Sit igitur prima ratio. Non censeri debet impossibile, posse alimentum, antequàm in corpus ingrediatur, adeò defæcari, vt nulla relinquatur expultrici operandi occasio: Nam alimentũ tres pertransit coctiones, & in vnaquaq; earum duo excrementa separantur, vnum tenue, alterum crassum: tunc apponitur, estq: appositio vna ex actionibus nutritioni inseruientibus, in qua non ampliùs datur quarta excrementorum species præter præcedentes. Cur autem hanc perfectionem, quæ tribus coctionibus acquiritur, non poterit alimentum extra corpus vi ignis acquirere? quod si possit, non dabitur occasio separandi excrementa.

3 Deinde supponamus corpus ægrum, quod habeat duas partes impuritatis, vnam verò puram, ex altera parte alimentum valde purum: partes istius alimẽti, quæ multæ sunt, abibunt in nutritionem vnius partis puræ, partes aliæ eiusdẽ alimenti paucæ impuræ, & aliquæ puræ, quæ supersunt, nutrient partes corporis impuras, & sic nullum erit residuum.

Supra q. 6. ar. 2 n. 4. 4 Ampliùs: si eo tempore, quo quispiam solitus est cibum assumere, desinat cibari, calor (vt superiùs ex Auicenna diximus) accipiet excrementa, & ea in cibum conuertet: Vnde constat, excrementa posse nutrire, siquidem saltem tẽpore inopiæ nutriunt: si possunt, ergo nutriant (possibile enim posito in actu nullum sequitur inconueniens) iam ergo tempore inopiæ dabitur nutritio absq; excrementi sequestratione.

Quarto: mel (ex sententia Galeni sæpiùs ab eo repetita) in senibus vertitur in sanguinē, ac proinde eis est accomodatissimum nutrimentum, si accomodatissimum, ergo paucissima habebit excrementa: non est autem impossibile dari aliud alimentum magis accommodatum, quare si mel gignit paucissima excrementa, istud aliud, quod supponimus esse magis accommodatum, nulla gignet.

Necessitas excrementorum ex parte alimenti.
Articulus Secundus.

CONsiderari debet nutritio ex tribus, ex parte alimenti, ex parte caloris, ex parte corporis, quod alitur, & in singulis reperietur necessitas excrementorum, cui præcedētia argumēta non posse obstare, vltimo loco monstrabimus. Porrò cum nutritio in assimilatione (vt diximus) consistat, assimilatio autem sit, per quam alimētum corpori, quod alitur, fit simile, necesse quidem est, vt alimentum in principio sit dissimile: quippe simile ex dissimili fit. Hoc Aristoteles pertractat redigens in concordiam duas inter se discordantes opiniones. *Dicunt enim quidam simile simili ali, sicut & augeri. Alijs autem, sicut diximus, e contra tio videtur, contrarium contrario, tamquam impossibile sit simile à simili, alimentum autem mutari, & digeri: mutatio autem omnibus in contrarium, aut in medium. Adhuc autem alimentum patitur ab eo, quod alitur, sed non hoc ab alimento, sicut neq; faber à materia, sed ab illo hæc; faber autem mutatur solum in actum ex ocio. Vtrum autem sit alimentum id, quod vltimo aduenit, an id, quod primò, habet differentiam. Si verò vtraq; sed hoc quidem indigestum, illud autem digestū. Vtroq; vtiq; modo continget alimentum dicere: inquantum enim indigestum, contrarium contrario alitur: inquātum autem digestum, simile à simili. Quare manifestum est, quod dicunt quodammodo vtriq; & rectè, & non rectè.* Sic Aristoteles. Oportet ergo, vt dum alimentū in suis officinis, ex indigesto tendit ad digestum aliquid deponat, per quod indigestum, dissimileq; erat, ac proinde nulla datur coctio, in qua aliquid non separetur. *A. 2. de an. te. 44. 45.*

Necessitas excrementorum ex parte caloris.
Articulus Tertius.

CVnctarum actionum, quæ in corpore viuentis fiunt, calorem autorem esse, omnes norunt, non quidem, vt causam principalem, sed vt instrumentalem: conspicitur caloris vis in alijs, sed præcipuè in coctione, quæ, vt ex dictis patet, nutritionem debet præcedere, quippe per coctionē ex indigesto fit digestū. Satyrus de Recho, in huius caloris natura, suo more inaniter, versatur: nam & calorem extraneum concoquere dixit (vt supra ex eius dictis collegimus) & alibi calori natiuo hoc munus attribuit; Sed quod peius est, duplicem fingit calorem, vnum tactu perceptibilem, qui accidens est in genere qualitatis, alium sola mente dignoscibilem, qui substantia est simplex in elemento, mista verò, seu veriùs, composita in misto. Poterat ne aliquis, qui ex professo delirare vellet, absurdius delirium effutire, quàm istud? Vidit iste caloris naturalis nomine aliquando qualitatem, aliquando substantiam significari. & hinc suam finxit fabulam, neq; considerauit, qualitatem quidem caloris sensu esse perceptibilem, calorem autē, hoc est, substantiam calidi innati non esse à qualitate destitutam. Dices ne colorum aliùs est albedo, alius corpus album? minime: at eodem modo dicitur caloris alius est qualitas, alius substantia calida. Verùm deterius multo est, quod inquit, calorem, qui est substantia, reperiri in elemento simplicem, in mistis cōpositum. An nescis substantiam, quæ dicitur calor, constare ex sanguine, & spiritu ac proinde solis viuentibus inesse? cur eam tribuis elementis? putas ne elementa esse viuentia? Præterea, substantiam caloris in mistis compositam esse, ais: sed cur non explicas, ex quibus sit composita? num ex forma, & materia? at elementa etiam sua forma, suaq; materia constant: num ex diuersis particulis? at diuersarum particularum in vnum collectio mistio est: cur ergo dicis, potiùs appellandam esse substantiam compositam, quàm mistam? Vlteriùs, particulæ *Sup. q. 4. ar. 4 n. 4.* *p. 30.*

istæ

istæ sunt ne omnes calidę, an aliquæ frigidæ? si omnes calidæ, quænam est isthæc compositio ex eisdem? si aliquæ frigidæ, cur magis simplex erit ista substātia in elementis, quàm in mistis? Explodatur igitur ab hominum commercio tua isthæc inuentio, quæ nunquam in mentem alicui venit, nisi tibi; quem omnes mihi narrant amentem esse, vt opere satis ostendis.

2 Porrhò caloris omnium actionũ opificis munus est heterogenea separare; hæc autem separatio parturit excrementa, quippe si non esset purum, & impurũ, non esset separatio, sed omnia homogenea forent. Nihil autem est tam purũ, quod non cōstet ex dissimilaribus particulis, quod idem est, ac si dicamus, quod non habeat admistas particulas dissimilares, quod Galenus testatur inquiens; *Sed supra demonstratum est, inæqualia esse propemodum omnia: quippe aut impossibile est, aut perdifficile vllam inuenire substantiam, quæ adamussim similarium sit partiũ.* Nec me deterret, quod dixerit, *propemodum omnia,* & dubitanter etiam; *aut impossibile, aut perdifficile;* nam re vera inquirendo, & rem ad integrum resecando; nulla prorsus inuenitur similarium omnino partium. Saltat in hac scena Satyrus, aitq; *Amplius illud postremum placitum tuum mihi suspectum non esse non potest.* Corrige, precor, istam tuam negationis duplicis collocationem; caue ne vapules à Prisciano. Sed cur tibi suspectum est hoc placitum? nempe ob duo: p. 29. 30. vnum, *quia calor non solùm heterogenea disgregat, sed inter corpora sunt & homogenea, quę congregantur à calore:* alterum, *quia peracta iam tertia coctione vltimũ alimentum adeò purum est, vt vi natiui caloris nullæ partes ipsius à reliquis separentur, sed totum omnibus excrementis depuratum conuertitur in naturam viuentis, quod eo nutritur.* Hæc ne sunt duo capita, ob quæ tibi non placet meum illud placitum? audi igitur, &, si caput habes, vtraq; capita detruncata iacere videbis.

3 Primum illud tuum dictum, ex Aristotelis, imò ex communi omnium doctrina recipio: nempe calorem non solùm heterogenea separare, sed etiam congregare homogenea: imò vlteriùs tibi dicam, non posse vnum sinè altero consistere: neq; congregari queunt homogenea, quin heterogenea separentur, neq; separantur heterogenea, quin congregentur homogenea. Nondum hoc prius consideraueras, addisce ergo. Homogeneum si daretur corpus, partes haberet omnino inter se vnitas, quippe nihil impediret, quominùs ita esset: iam ergo constat, tunc calorem non congregaturum partes homogeneas, vt pote quæ iā anteà congregatæ essent: ex consequente etiam si heterogeneitas partium facit, vt impediatur vnio, separatis heterogeneis, vniuntur homogeneæ. Ego verò nō mentionem feci congregationis partium, quæ homogeneæ sunt, tum quia id comprehenditur in separatione aliarum, quæ sunt heterogeneę, tum quia ad institutum pertinebat agere duntaxat de ijs, quæ separantur. Iam ergo in hoc primo capite tuæ petulantiæ manet satisfactum.

4 Alterum, nempe quod ais, peracta tertia coctione vltimum alimentum esse omnino purum, nec habere partes, quæ vi natiui caloris separentur, sed totum conuerti in substantiam aliti, deceptorium est, vt mox patebit. Addiscito res cō siderari, vel simpliciter, vel secundùm quid, & in hoc duplice statu diuersas penitus habere dignitates. Appello autem simpliciter id, quod absolutè spectata propria natura tale est: secundùm quid autem id, quod comparatione alterius consideratur. Ergo alimentum peracta tertia coctione homogeneum est, ac purum, nec partes habet heterogeneas, quæ separari debeant: hoc autem non simpliciter, sed secundùm quid, hoc est, non secundùm propriam naturam, sed secundùm substantiam eius, quod alitur: nam si alimentum post tertiam coctionē simpliciter, & absolutè remaneret homogeneum, vtiq; non ampliùs posset separationem pati. Accipe nutricem, huic ex cibo factum fuit lac, si lac assumat, rursus ex lacte fiet sanguis, & ex sanguine lac, & hæc est cohobatio, quæ per naturalem fit spagyriam. Sed tu forsan nesciebas adhuc mammas nutriri ex lacte, & lac iam esse passum omnes tres coctiones. At saltem debebas scire, si quispiam suismet carnibus vesceretur, ex eisdem excrementa debere separari. Iam ergo intelliges, alimentum in tertia coctione tantam adeptum fuisse puritatem, quanta sufficiat ad similitudinem cum reliqua carne accipiendam, non autem quanta sit satis, vt remaneat penitus homogeneum. Et sic iterum affirmo, potuisse Galenum sinè vllo ambiguitatis signo proferre, nullam dari substantiam, quæ adamussim similarium sit partium. Verùm ille medicè loquebatur, cui satis est, vt similare simpliciter dicamus similare, neq; ad rigorem philosophicum oportet

ascendere

ascendere semper, sed quando loquimur cum philosophis, non cum Philosophastro, in quem me impegisse queror, eius tamen calũnias cogor sæpe resecare.

Resectio trium calumniarum.

5 IMpunè impudens esto, quoniã tibi, sicut Lacedæmonũ edicto, imò & præconio Chijs permissũ est impudenter agere. Agito: nã me nihil tua lædit petulantia, neq; vllam æstimationis meæ curam circa tuas maledicentias habendam puto. Verùm tamen veritati deessem, ni mendacijs, quibus eam obnubilare contendis, occurrerem. Alij tuas sycophantias odio habeant, dicántq;, *Dij talem terris auertite pestem*, ego eas duntaxat detegam. Si autem videor meam causam agere, condonandum est: neq; enim possum sine defensione propria, tuarum offensionum vanitatem palàm facere.

Prima Calumnia.

6 INcrepas me, & (vt primo aspectu quilibet iudicabit) meritò, quòd ita dixerim, *Vnũ te admoneo* (loquebar cum Simone Porta) *calorẽ quando agit in necessitate naturæ, adbuc esse calorem, omnem autem calorem separare heterogenea.* Tu in primis irrides meum loquendi modum, aisq;, *Vnum ego te aliud oro, vt me doceas, quid intelligendum sit per calorem agentem in necessitate naturæ: quia rudis adeò sum, vt habens aures assuetas calori agenti ex necessitate naturæ, tuæ peregrinæ loquutioni non ita possim accommodari.* Heu me miserum! barbara verba loquentem iure optimo incusas. Nec cessat hic mea calamitas: incusas iterum sic: *Deinde, quid mihi distinguis tu calorem, quando agit ex necessitate naturæ ab alio tempore? non ne calor, vt animæ nutrientis instrumentum, est agens ex necessitate naturæ?* Ecce in alio delicto comprehensus gemo: dixi, *Calor, quando agit ex necessitate naturæ*, quasi posit calor aliquo tempore non agere. O me perditum, qui talia protuli. Vlteriùs me vrges inquiens, *Deinceps quid tibi vis, calorem quando agit in necessitate naturæ adbuc esse calorem? an putas, vel aliquem putaturum existimas, calorem non esse calorem, quando non agit ex necessitate naturæ? tua hæc assertio mihi subtilior, & acutior videtur arista, cum hebetis meæ mentis aciem effugiat, sed hæc inter ea repono, quæ inutilia, & inefficacia reddit ipsa subtilitas.* Rectè agis, castiga rigidè hanc vltimam inscitiam meam, qua nulla maior esse potest. Vbi habebã ego cerebrum quando scripsi, *Calorem, quando agit ex necessitate naturæ, esse calorem?* certè non hoc diceret Asinus Ægyptius si scribere, aut loqui nosset. Exulta ergo, & victoriam parũper canito, dum inquiro, an aliquod tutelare numen velit mihi patrocinari, sed interim caue, ne te malo Asino vehi, tuus tibi dicat Suidas.

De Asitia c. 7

adagiũ Suidas in dictione ὀνοκοῦ

7 Dum mecum ipse cogitarem, vnde nam euenerit, vt adeò pueriliter sim lapsus, genius meus mihi aurem vellit, & admonuit, mea verba à te transcripta mutilata esse, addito tamen, *& cætera*, quod quoties facis, per fraudem facis. Accessi, & legi, & ecce duas paginas suppressetas, in quibus refero, & refello, causam à Simone Porta allatam, ob quam triennale ieiunium puellam germanicam ab scabie, & pustulis liberauerit: nempe quia non egerebat puella, & quicquid egerendum foret cum alimento permistum in pustulas, & scabiem abibat, hæc autem sordities pustularum, & scabiei diuturna asitia absumebatur. Non egerebat, inquit Porta, quia alimentum erat semidigestum. hoc impugno: nam si ita esset, alimentum semidigestum laudabile foret, vt pote quod nullas fæces ex se deponat. Rursus ait idem Porta, alimentum istud, tenue cum sit, non habere excrementum nisi vaporosum, quod per transpirationem excernitur: hoc etiam damno, siquidem cruditates, ex quibus puellam fuisse nutritam supponit, ad iecur trahuntur, vt in sanguinem conuertantur, ac proinde excrementa secundæ coctionis, quæ fit in iecore, habere debuisset, non autem solam tratspirationem, qua tertiæ coctionis excrementa effluunt. His positis addo tertiam eiusdem rationem hoc modo: *Tandẽ adiungit, fæces nullas fieri propter naturæ ad nutriendum necessitatem.* Hoc ego, veluti per iocum, refello inquiens, *Vade ergo, abstine à cibo, donec necessitate premaris, tunc assume cibum, & experire, an tibi egerendi necessitas superueniat. Præstiterit sanè vnumquemq;, vt ab egerendi fæditate abstineat,*

raro,

raro, & non nisi vrgente necessitate cibos assumere. Hæc omnia suppressisti, vt postea referres mea verba absq; colligatione cum præcedentibus, & sic remanerent insulsa, puerilia, erronea, quæ tamen præcedentibus adiuncta tuam detegunt fraudem. Audiat ergo vnusquisq;, an rectè fluant, quæcumq; scripsi.

8 Aptanda sunt ergo sequentia præcedentibus ab eo, qui candidè rem velit agnoscere, & quoniam Porta dixerat, *Feces nullas fieri propter naturæ ad nutriendum necessitatem*, subijcio ego sic: *Vnum te admoneo, calorem quando agit in necessitate naturæ* (hoc est, quando agit in illa, ad nutriendum, naturæ necessitate, quã tu dicis inductam ab inedia) *adhuc esse calorem* (hoc est, omnibus adhuc caloris officijs fungi) *omnem autem calorem separare heterogenea*, hoc est, inter officia, quæ calor omnis habet, vnum esse separare heterogenea: quare si calor in necessitate naturæ ad nutriendum, inducta ab inedia, hoc est, in necessitate, quam natura habet propter inediam adhuc caloris officio perfungitur, adhuc separabit heterogenea, & consequenter adhuc erunt excrementa. Agere igitur in hac necessitate naturæ ad nutriendum, non liberat corpus ab excrementis. His perlectis, & consideratis circunspexi, & omnis culpa, omnis error ex me euanuerat, & in te cœpit pullulare: exclamo: viros doctrina, & probitate præstantes appello: rem ex ordine narro: cœperunt omnes tuam execrari peruicaciam, meam laudare perspicaciam, tu manes damnatus, ego indemnis. At quicquid à te isthic in me peccatum est, Deum habet vltorem.

Secunda Calumnia.

9 QVOD calor semper partem aliquam reperiat, quam separet, donec substantiã vniuersam absumat, volui probare exemplo chymistarum inquiens: *Norunt hoc spagyrici, qui post plures cohobationes adhuc vident separari purum ab impuro.* Tu, ne à te recedas, hoc damnãs ais, *Quam aptè transeas a calore naturali viuentis ad elementarem ignem chymistarum in proposito, viderint alij: mihi certè videris non rectè hunc transitum facere, qui cognoui à natiuo calore perpurgatum alimentum vltima coctione, nihil amplius perpeti posse, quod tamen ab igneo calore potest vlterius in excrementum aduri, ex quo fuligines a partibus tenuioribus adhuc separentur.* Hoc, quod ego attuli ab spagyricis desumptum, tu transitum vocas, si saperes, exemplum deberes appellare. Sed cur argumentum deductum ab arte ad naturam damnas tu, qui illo vteris, *Cum ab arte ad naturam, cuius ars est imitatrix, frequenter Aristoteles argumenta deducat?* Tu, qui alibi argumentũ aduersùs me accipis deductum à chymistarum testimonio? Tu, qui alibi cutem, ais, similem esse operculo, quod prohibet, quominus a qua vitæ effluat? *aduers. Porta. p. 14. p. 64. p. 122.*

10 Sed tu, qui dicis, alimentum tertia coctione omnino expurgatum nihil ampliùs perpeti posse, posse tamen ab igneo calore in excrementũ vlteriùs aduri, ex quo fuligines à partibus tenuioribus adhuc separentur, putas ne, effluxum, quem semper patimur, à calore igneo fieri, non autem à naturali? at hic error verberibus est dignus. In primis si putas, calorem elementarem, & naturalem diuersos esse specie, autores quidem fautores habes, vt Fernelium, & alios: cæterùm opinionẽ erroneam hanc esse ex eo vel maximè patet, quòd calor externus fomentis, emplastris, catulisq; ventriculo appositis, cum calore actionum naturalium autore fit vnus, & idem; Sed per me tibi liceat eligere, vt semper facis, deteriorem viã, illud tamen non patiar, vt dicas (quod tamen dicere non erubescis) calorem naturalem, non prout est instrumentum animæ, sed qua enus est elementaria qualitas, consumere, & depasci corporis animati substantiam, quod te alibi demonstrasse iactaris: locum citas, quæsiui, & nihil reperi: hoc tamen in numero tuorum multiplicium mendaciorum repono. Præcipuè ad rem pertinet quod ais, calorem naturalem, prout est organum animæ, dici posse, licèt improprijssimè, virtutẽ naturalem, non autẽ prout est elementaria qualitas. *pa. 30. p. 88. mẽdacium. De his qui sine ali. lib. 3. c. 88.*

11 In primis calorem naturalem improprijssimè dici virtutem naturalem, proprijssima tibi ignorantia, ne dicam impudentia est, nunquam enim impudentiùs agit homuncio, quàm cum imperanter proceribus artis, quam tractat, opponitur: quòd si opponi se nescit, præstiterat non mittere falcem in segetem alienam. Dic mihi, virtus naturalis, & natura, non ne synonima sunt? at Galenus, calorem innatum naturam nostram esse, non semel dixit: imò vlteriùs cum

Hippocrate

Hippocrate progrediens, calorem innatum, dicit, esse illam naturam, quæ regit solida corpora. Tandem eò accessit vterq;, vt calorem naturalem animæ substantiam esse diceret. Num hi loquuntur improprijssimè, & tu eos propriè loqui docebis?

12 Deinde calorem naturalem, vt est organum animæ, distinguis à qualitate elementaria in nobis, ita vt actiones aliquas edat, prout est instrumentum animę, alias prout est elementaria qualitas. Sed quæso instrumentum istud animæ estne qualitas, an substantia? vtrumq; poteris respondere: sed quamuis substantia sit, non agit nisi per qualitatem: hęc autem non alia esse potest, quàm calor, qui efficacissima (vt ait Galenus) in eo est qualitas. Iam ergo actiones caloris naturalis fiunt per qualitatem, quę calor est: ista qualitas, si est alia ab elementaria qualitate, dabit nobis prouentum calorum, quem superiùs reieci. Sed esto: libeat tibi plures calores constituere: at certè in viuente quicumq; calor non naturalis est, præter naturam censetur: calidum autem hoc, vt Galenus aduertit, *Sæpius acquisititium, interdum non naturale, non nunquam à natura alienum vocatur.* Vis ergo, in corpore inesse calorem pręter naturam, à quo continua fiat substantiæ dissipatio, atq; ob hanc causam teneris fateri, nunquam corpus frui perfecta sanitate: siquidem nunquam sine calore præter naturam est. Deinde dissipatio ista, si non est à calore naturali, prout naturalis est, erit à calore, prout est præter-naturam, & sic vbi multa est dissipatio, multus erit præter-naturam calor. vnde iam nobis dabis pueros multo calore præter naturam abundantes, nam in his tāta est substantiæ dissipatio, vt propterea Galenus vsq; ad decimum quartum annum sanguinis missione non esse euacuandos censeat, tum quoniam dissipatio illa magna sufficit pro euacuatione, tum quia in tanta dissipatione vires non cōstant ad tolerandam venæ sectionem. Sed concludamus hanc disputationem. Quid est, quod loqueris? num calorem, quando est instrumentum animæ, seu potiùs prout est instrumentum animæ, non efficere dissipationem substantiæ? ita sanè: & te ipsum vlteriùs declarans ais, prout est instrumentū animę nutrientis, animam autem nutrientem Galenus naturam appellat, nec tu etiam reluctaris, qui animam istam, etiam naturalem facultatem, distinctam à vitali, & animali, esse fateris. Ergo apud te, hoc est, (vt dici solet) apud Bouem, calor naturalis, prout est animę instrumētum, non erit, qui dissipat substantiā corporis, sed prout nō est animę instrumentū: in quo dupliciter erras: primò, quòd calorē naturalem considerans, prout nō est animæ, hoc est, naturæ instrumentū, rē impossibilē imaginatione cōcipis: quippe imaginatione concipi nequit, calorē esse naturalē, & nō esse animę instrumentū. Vis ne abstractione factā per intellectum calorē naturalē accipere, instrumentū naturę, vel animæ relinquere? An nescis tu, qui Philosophi nostro æuo insignis successor esse, magnæ industriæ vi, cupis, philosophū non posse abstrahere à materia sensibili, hoc est, subiecta accidentibus? cum ergo caloris naturalis accidens sit, maximè inseparabile, accidens inquam, quarti prædicabilis, & proprium quarto modo, esse instrumentum animę, non potest philosophus abstrahere ab hoc. Alter error est, quòd dum negas, calorem naturalem, quatenus est instrumentum animæ altricis, dissipationem substantiæ moliri, negas simul, hanc dissipationem esse à natura factam, ac proinde quicquid ad hanc dissipationem sequitur, debes dicere, esse pręter naturam. Quare tecum comparatus Galenus bardus quidam homo est, qui dixit, *Verum sane est, senectutem secundum naturam esse, ac ineuitabilem, siquidem necessario naturæ opera consequitur.* Ecce tibi senectus consequitur opera naturæ: quæ sunt ista opera naturæ? nempe continua substantiæ dissipatio, & ob dissipationem exsiccatio. Si ergo sunt naturæ opera, ab instrumento naturę fiunt;

aduer. Lyc. c. 7.

Ga. 6. epi. sect. 4. c. 25.

adagiū.

Ga. de marco re c. 2.

Tertia Calumnia.

13 NON posse mihi spagyricos opitulari, contendis, tum quia nec illi vllo vnquam calore videbunt separari purum ab impuro, si aurum obrizum in crucibulo ad lassitudinem vsq; inflammauerint, tum etiam quia ego non videor intelligere, quid sit cohobatio: *Quid enim mirum, (addis tu) post plures cohobationes ab spagyricis inspici, separari purum ab impuro, si cohobatio est iterata destillatio massæ, ex pristinis fecibus cum priore extracto commistis constituta?*

S Hæc

Hæc tua calumnia duo habet capita, vnum, quod frustra spagyricos cõsulo, quos, scimus, nunquam terminum imponere separandi purum ab impuro: alterum, quod ignoro, quid sit cohobatio. Vtrumq; caput rescindam, & te in tuis dictis nec caput, nec pedes habere ostendam. Quod attinet ad primum, satis mõstrat inter Bacchanalia fuisse scriptum: quandoquidem in parietem caput istud impegisse videtur. Non ne ego ita scripsi? *Nihil adeò purũ est, quod aliquas partes, quæ separari queant, non habeat:* Non ne ad hoc probandum adiunxi, *Norũt hoc spagyrici, qui post plures cohobationes adhuc vident separari purum ab impuro?* Quomodo tu in contrarium affers verba, quæ non contraria sunt, sed meam sententiam confirmant? ita dicis: *Sed nec tibi suis cohobationibus opitulari possunt spagyrici, tum quia nec illi vllo vnquam calore videbunt separari purum ab impuro, &c.* Ridete pueri: non mihi opitulari possunt spagyrici, qui nunquam vident calore separatum purum ab impuro, mihi, inquam, qui dico nunquam posse separari purum ab impuro, & hoc probo spagyricorum exemplo. Oportet, vt deinceps scribas abstemius, sin minùs ebrios quærito, & caput frangito.

adagiũ — *Sibimet cõtrarius Satyrus.*

14 Alterum tuæ istius calumniæ caput est, quòd me ignorare ais, cohobationis significatum. Existimo tibi vocabulum fuisse nouum, & de eius significatu cõsuluisse pharmacopœam Quercetani, vbi reperisti illa verba, quæ transtulisti, videlicet, *Cohobatio est iterata destillatio massæ, ex pristinis fæcibus cum priore extracto commistis constituta.* Existimasti ergo, omnem cohobationem hic esse comprehensam, ac propterea dixisti: Quid mirum, si post plures cohobationes aliquid impurum adhuc separetur, cum id, quod separatum fuit, rursus fæcibus superaffundatur? Profectò si nulla alia foret cohobandi ratio, meritò à te hoc fuisset dictum: verumtamen quærere debueras, an aliter etiam fiat cohobatio, reperissesq; vniuersaliorem, frequentioremq; cohobationem, sed tu Eustathij prouerbio notandus es, qui *Cum adsit via, semitam quæris.* Martinus Rulandus, quẽ Quercetanus ipse magni facit, explicans cohobationem, vult vt cohobatio sit *Liquoris corpori sæpius affusi abstractio:* e. g. siquis extrahere velit substantiam ex croco, id faciet *per cohobationem* hoc est, affundendo aquam vitæ, & relinquendo vas in ventre equino (sic fimum appellant spagyrici) aut in loco calido, deinde extracta hac, affundendo aliam. Scito ergo tam ex vi vocabuli, quàm ex cõmuni spagyricorum vsu, cohobationem esse sæpiùs repetitam actionem, siue ea sit destillatio, siue affusio eiusdem aut alteriùs liquoris, siue quocumq; modo reiterata substantiæ alicuius extractio. Quid ergo accusas? pudeat te in tyrocinio veteranum videri velle. Et vt ad rem redeam, cohobationes plures, (vti tu in meum fauorem ignarus dixisti) non sufficere ad separandum omnino purum ab impuro, alimentum autem, vt iam dixi, licèt cum alit, purum adeo sit, vt corpori, quod alitur, simile euadat, non est simpliciter purum, nam si hæc pars assimilata iterum recoquatur, iterum partes aliquas deponet, quod tibi exemplis sat supra demonstraui.

adagiũ. — *Eustathius ĩ odiss. v Mart. Rulãd. ĩ lexico spagyrico.*

Necessitas excrementorum ex parte corporis, quod alitur. Articulus Quartus.

Corpus etiam, quod nutritur, in causa est, cur excrementa acervuentur: nam alimentum (vt diximus) per tres coctiones defæcatum apponi incipit particulæ nutriẽdæ, cui simile est vt tunc postmodò autem cum particula ista in cõtinua sit exsiccatione, iam alimentum remanet aliquantulum dissimile: quare necesse est, si vniri debet, vt aliquod residuum maneat. Hoc autem residuum ad excrementa tertiæ coctionis refertur, quippe excrementum pertinet ad eam coctionem, ad quam sequitur, non autem quam antecedit, propterea malè dixerunt aliqui, dari præter excrementa trium coctionum alia vlteriùs: quomodò enim possunt esse excrementa nutritionis, si antecedunt nutritionem? Quamuis autem paucum sit, quod hac via cõgeritur, nihilominus est continuum, & continuitate sua fit tantum, vt, si retineatur, nocere possit. Hæc vltima excrementa præter priora agnouit Galenus, siquidem ait, *Si quid nec confectum, nec prorsus assimilatum est, id corpori non adnascitur, accrescit vè, & per ipsius laxiora intus spatia tamquam superuacaneum errat: vnde nomen quoque rectè à maioribus ei rei* περίττωμα *est inditum.* Duo ex hac doctrina elicio corollaria, quæ quoniam

Ga. 1. sanit. tuend. c. 3.

scitu

scitu dignissima videntur, non sunt silentio pretereunda.

Corollarium primum.

2 QVoniam alimentum partibus per substantiæ humidæ effluxum siccioribus, quàm anteà, assimilari debet, necesse est, vt sit siccius, quàm fuit substantia deperdita, tenditq; corpus in ingem siccitatē, quæ, citra ætatē consistendi, proficua quidem est ad induranda membra, quæ indurata, & exsiccata actionibus, saltem animalibus, magis sunt apta. Post hanc ætatem siccitas est damnosa, cumq; cohiberi nequeat, infert necessitatem senescendi, tum quia defectu humidi pinguis sustinentis innatum calidum, calor ad eam exiguitatem accedit, vt vix reparetur, viresq; iccirco senibus fiant essentialiter debiles, tum quia siccitate conniuent meatus, redditurq; difficilis alimenti ad particulas corporis transitus, euaditq; nutritio tardior, ac difficilior, & cum nō correspondeat continuo effluxui, fit etiam deminutior, corpusq; propterea siccius euadit, tum etiam quia multę siccitati, quam post vigorem ætatis esse, diximus, quælibet aucta magni momenti est. Hæc tria, nempe defectus caloris ob nimiam siccitatē, & ob eandem siccitatem defectus alimenti, & tertia siccitatis additio supra siccitatem nimiam, efficiunt, vt omnibus dicatur senium in siccitate cōsistere, præcipuè Galeno, qui sępissimè marcorem, siue cum febre, siue sinè febre *senium ex morbo* appellans indicat, senectutem in siccitate consistere, adeò vt si in ætate consistendi dari posset (vt ille ait) noua quędam elementatio, *Hoc vtiq; duntaxat modo sinè senio, ac corruptione eius perdurasset fabrica*. Si verò quæramus ab eo, vnde nam hęc siccitas prouenit, bis in eius doctrina responsionem inuenio. Cum enim nobis vtrinq; ex humida substantia, hoc est, ex semine, & sanguine geniturę origo proficiscatur, hanc tamen humidam seruari conueniens non sit, si modò ex ea ossa, nerui, cartilagines, & alia id genus fieri deberent, statim ab initio oportuit conijcere elementum, quod exsiccandi vim habeat. *Est verò id natura quidem maximè ignis, sed tamen & terra: est enim ea quoq; res sicca. Verum huius plus immisceri principijs commodum non erat, quod hæc magis humida erant futura. Ignis certè quominus plus sit admistum, nec obstat quicquam: & sanè illius admistum est tanto planè plus in vtroq; principio, quantum nec iam torreat, vratue, & tamen abundè siccet*: & quę sequuntur. Satis ergo liquet in doctrina Galeni, ignem geniture inditum esse, qui exsiccando ad senectutem ducit.

[G. l. de maras. & alibi sępe. — Ga. de marc. c. 4. — Ga. de marc. c. 4. & 1. de sanit. tuend. c. 2. — De Asitia c. 14]

3 Hanc veritatem, quam ego ex Galeni scriptis depromptam tradidi, inquiens, *Senium, & mortem, ad quæ duo calor nos exsiccans deducit*. Satyrus Rechensis impugnat, ignorans scilicet se in Galenum irruere. Nam si sciret in illum, non in me sycophantaretur. Oportet ergo, ô Satyre, procerum artis, quam tractare vis, libros versare, nec in fabellis, & nænijs tempus conterere. Contemnenda forent, quæcumq; hic scribis, ne tamen tu inaniter gloriabundus dicas, me ea aufugisse, libet singula attingere. *Nec senium* (inquis tu) *absolutè prouenit ab interno calore*. Sed antequàm vlterius progrediamur, quærerem à te, cur addis illud verbum *absolutè*, quod & *conditionaliter* significat, & *perfectè*? sed quoniam affers alias causas, à quibus consumi etiam, ais, humidi radicalis substantiam, puto te velle dicere, senium non prouenire ab interno calore *completè*, sed ab alijs etiam causis, (vt tu te ipsum declaras) extrinsecùs occursantibus: & sic mihi iam non est dubium, velle te, non sufficere internum calorem ad inducendum senium, & post senium mortem, sed necessariò concurrere causas externas, imò has esse, te tradicente, quæ magna ex parte consumunt humidi radicalis substantiā. Conueniamus ergo priùs in hoc aduerbio: nam si calor internus per se solum sufficiens est ad inducendum senium, rectè ego dixi, & tu non rectè me accusas: si verò nō est sufficiens per se solum, sed causæ etiam externæ concurrunt necessariò, tunc illud *absolutè* idem erit, ac *respectiuè*, quasi dicamus, senium, & mors non eueniunt nobis absolutè, hoc est, absq; vllo respectu, sed respectiuè, hoc est habito respectu ad causas externas, quæ loquutio forsitan in Recho tolerabitur, non autem in schola celebri, in qua tu indignus sedes, sed relicto dicendi modo. Scis quid hinc sequatur? nempe non esse *absolutè* verum illud pronunciatum, *Omne generabile est corruptibile*, quod tamen verum esse, Galenus non negat, licèt neget, demōstrari posse, & duntaxat experientia cognitum esse, velit. Nec profectò à

[p. 99.]

vera philosophia aberrabit; qui experientiæ huius enunciationis examen hoc modo committet. Si falsa est hæc propositio, *Omne generabile est corruptibile*, eius contradictoria erit vera, hoc est, *Aliquod generabile non est corruptibile.* Quærat tunc experientia in singularibus aliquod generabile, quod nō sit corruptibile, cumq; inductione illud non inueniat, manebit vera prior vniuersalis propositio, *Omne generabile est corruptibile*, & absolutè vera, non autem respectu habito ad causas externas.

A. l. 1. de cal. c. 12. 4 Aristoteles in lib. de cœlo aduersus Platonem, qui aliquod generabile posse incorruptibile esse, dixerat, multis argumentis agit, sed quę fundamentum habent in ęternitate Mundi à parte ante. Ea verò nos, qui aliter credimus, parum iuuant. Ac pręterea licèt ex hypothesi admitteremus, Mundum non habuisse originem, adhuc non essent demonstrationes necessarię. Peramatus rationes minùs quàm probabiles, nempe suasorias tantùm esse, ait. Verùmtamen si quis eas attentè introspiciat, non parum roboris habere censebit, quas tamē omitto, patent quippe apud Aristotelem. Vnum mihi videtur efficax argumentum. Relictis sphęris cœlestibus, quæ non per generationem, sed per creationem productę sunt, generabilia ita constant ex forma, & materia, vt forma per dispositiones materię vniatur, & in ea conseruetur: dispositiones autem datę sunt à generante, generans, cum virtutem habeat finitam, non potest effectum producere infinitum: quare dispositiones, cum sint finitę, tandem aliquando corrumpentur, & coniugium formę cum materia dissoluetur. Dissolutio igitur hæc ab intrinseca ratione prouenit, hoc est, ex eo, quod coniūctio per dispositiones corruptibiles facta fuit, non ergo ab extrinseco, hoc est, ab externis causis, vt tu dicis. Quòd si ab extrinseco, & non aliter, mors adueniret, ab intrinseco, hoc est, ex sua ratione formali, homo esset immortalis. Scito tamen primum parentē, etiam in statu inocentiæ, à summo rerum omnium autore creatum fuisse mortalem, proptereàq; ei datum fructum ex ligno vitæ, vt eius esu præseruaretur. Relinquo multa, quæ in hanc rem adduci possunt, & omnium instar mihi sint paucissima D. Augustini verba. *Adam*, inquit ille, *non immortalitate illa absoluta, atque indissolubili, sed ligno uitæ à mortis necessitate probibebatur, atq; in iuuentutis flore retinebatur*: & alibi, *Aderat homini in Paradiso cibus, ne esuriret, potus, ne sitiret, lignum autem vitæ, ne senectus eum dissolueret.* Iam ergo constare arbitror, hominē absolutè, hoc est, ex natura sua, seu ab intrinseco esse senio, mortiq; obnoxium, licèt externarum causarum damna non experiretur.

D. Aug. 13. de ciuit. Dei c. 23. Idem l. 14.

5 Sed nolo transire causas has externas à te, imo ab Auicenna prius allatas, quæ omnes potentes quidem sunt, si eis abutamur, ad accelerandam senectutē, sicut è contrario ex recto earum vsu senium retardabitur: retardari autem posse senium beneficio artis medicę non est à Galeni doctrina alienum, siquidem ait, *Senectutis autem marcor dissolui profectò non potest, succurri tamē, vt quàm plurimum producatur potest.* Causæ igitur externæ senectutem properare faciunt: sed quomodo id faciunt? nimirum calorem nostrum excitando, eidemq; acrimoniam aliquam, & agendi vim præstando: Nam causæ externæ (vt hoc quoq; addiscas) non inducunt immediatè morbos, sed morbi causam excitant: Hinc est, quod ad curationem à causis externis non esse sumendam indicationem admonet Galenus, indicatio namq; sumitur vel à morbo ipso, vel à causa immediata. Stultè igitur ais, præter calorem internum concurrere etiam ad inducendam senectutem externas causas: & causæ omnes, quas refers, non aliter agunt in nobis, nisi excitando internum calorem. Hoc te discurrens per singulas facilè docebo: fac, vt facilè etiam addiscas.

Ga. de marco. c. 5.

6 Inspis igitur dicens, magnam partem humidi radicalis consumi etiam à motibus. At ego nunquam te posse deprehendi, putabam in rebus, cuilibet è plebe homini satis cognitis. Tibi ne vni in hoc vniuerso ignotum est, *Motum esse causā caloris?* hoc ita fieri ex * Platonis, Aristotelis, omniumq; Philosophorū consensu patet; Quomodò autem fiat, multi inter se digladiantur, quod tamen in præsens non facit: satisq; est, ex motibus calorem nostrum augeri: vt iam ex motibus non sumatur causa consumendi humidum, quæ sit diuersa à calore. Rectè igitur ais, motu vehemente substantificū humorem absumi, sed non rectè sentis, motum istum vehementem aliter, quàm calori nostro suppetias ferendo id præstare; *Velut est* (inquit Galenus) *quod in exercitationibus, amplius, & frequentius respiramus: neq; enim dissimile vera est, etiam ob calorem ex vehementi motu*

* Plato in Theateto. A. 2. de calo t. 42. 1. meteo. c 4. & sect. 5. prob. 13. Ga. de vtilit respir. c. 4.

auctum

auctum fieri, quod enim neq; hic propter arteriarum expletionem respiramus, manifestum est ex eo, quod à principio statim sæpe vehementer contingat, non tamen respiratio mutetur priùs, quàm multum calefiamus: vbi verò excalfacti sumus, etiam si ad multum tempus à motu quiescimus, tamen eandem respirationis speciem conseruari videmus. Sic Galenus: Sed quorsum in re manifesta laboro? quis negare poterit, motu corpus incalescere, auctoq; calore augeri effluxum?

7 Accedis deinde ad occursantia, & incipis *ab ambiente*. Ambiguum est, & ab autoribus admodùm in controuersia positū, an aer perpetuò exsiccet corpora nostra: tu autem rem dubiam, tamquàm indubitatam supponis. Nolo tamen hanc disputationem in longum protrahere, sed in alium locum eam remittere; præstat tecum sentiendo dicere, aerem continuam in nobis siccationem moliri. At tu, qui peripateticum te esse iactaris, deseres ne Aristotelem? negabis ne, aerem esse calidum, & humidum? absit. Aer igitur sua humiditate nos non exsiccat: remanet ergo, vt exsiccet suo calore, nempe substantiam humidam dissipando: vt autem hoc faciat, debet calori interno vniri, sicut vnitur calor emplastri, ventriculo exteriùs adhibiti, calori ipsius ventriculi, vt meliùs concoquat. *Infra sect. 3. q. 1. ar. 2. n. 2.*

8 Addis etiam *à fame*, aisq; Galeno propterea Hippocratem præcipere, dominante fame laborandum non esse: *Quia fames corpora desiccat, & motus vehemens etiam substantificum humorem absumit*. Verùm per manifestum mendaciū hanc aphorismi expositionem Galeno attribuis: tua quidem est, & à Galeni expositione longè diuersa: quippe Galenus ad vires respicit, quas duplice de causa lapsuras esse agnouit, nempe, & propter inediam, & propter adiunctum laborem: inquit enim: *Est igitur ipsi sermo communis ad ægros, & sanos: sanis enim non sunt præcipienda exercitia simul cum inedia, nec ægris aliquis vehementior motus adhibendus vna cum abstinentia: non sanguinis missio, non alui purgatio, non vomitus excitatio, non frictio multa, non deniq; vehemens vlla corporis commotio, aut alteratio: in talibus siquidem motibus omnibus, vbi cibus defuturus sit, vires dissoluuntur. Vbiq; verò Hippocrates magnoperè studet seruare eam, quæ regit animalia, potentiam.* Hactenus Galenus, qui, vt vides, ad vires respicit; Sed relicto aphorismo, qui nihil ad rem facit, certum quidem est, inediā exsiccare, sed quomodò exsiccat? nempe quia negato corpori alimento calor membra absumit: hæc est Hippocratica ratio sæpiùs repetita, nempe eis, qui calido innato abundant, si cibus non offeratur, membra absumi. Magna tibi est ambitio implere libelli tui margines citationibus locorum nihil ad rem facientium, vt quemadmodùm ex pleno vase redundat aqua extra margines, sic & libelli tui, mendacijs referti, mendacia in marginem redundent. Perge igitur. *2. aph. 16.* *Hip. 1. aph. 14*

9 *Vigilia quoq;*, ais, *consumi radicalem humorem*. Affers Galenum ex Hippocrate percunctantem, an vigilauerit homo, qui de repente emaciatus est. Certè Hippocrates faciem cadauerosam describit, quæ quoniam ab eo elegantèr descripta est, facies Hippocratica appellatur: hanc dicit esse exitiosam, si non præcessit causa externa, nempe aut vigilia, aut alui fluxus, aut fames, hoc est, inedia. Cæterùm dixit ne ibi Hippocrates, aut eius interpres Galenus, hanc maciem inductam à vigilia, & alijs aliter, quàm per calorem, fuisse ortam? certè huiuscemodi nihil ex illo loco constat: constabit autem aliunde tibi vigilias exsiccandi vim habere propter calorem, quem ingerunt. Vade ad eam sententiam Hippocratis, quæ habet: *Aqua edax, vigilia edax*, tum quærere, quid in hæc verba scribat Galenus: reperies inter alia sic: *Dissipat vigilia insito calido, dum exteriùs emicat, secum haud exiguas corporeæ substantiæ particulas educente*. Sic ille. Quam ergo differentiam statuis inter consumptionem factam à calore interno, & factā à vigilia? non ne vigilia operatur per internum calorem? *Hipp. & Ga. 1. prog. 8.* *Ga. 6. epid sect. 4. co. 20.* *Infra sect. 2. cauill. 16. n.*

10 Tandem concludis præter Galenum, me potuisse à Salomone addiscere, cui *Spiritus tristis exsiccat ossa*, vt sic agnoscerem, mœrore substantificum humorem consumi. Docuerunt me sanè Galenus, optimus medicus, & Salomon diuinæ sapientiæ thesaurus: scio, mœrore ossa absumi, sed non dum ab eis didici, quomodò hoc fiat: quoniam autem Salomon huic quæsito mihi non respondet, aliū quæram magistrum: Adest patientissimus simul, sapientissimusq; Iob, & totum me consolatur inquiens; *Cutis mea denigrata est super me, & ossa mea aruerunt præ caumate: versa est in luctum cythara mea, & organum meum in vocem flentium*. Satis tibi sint hæc verba, vt scias viro huic in medio luctu, & fletu ossa aruisse præ caumate. Sed & Galenus, qui sæpe febres à mœrore excitari dixit, non patitur *Iob c. 30. n. 30.*

tur tristitiam, mœroremq; aliter exsiccare, quàm eo pacto, quo cętera, quæ iam diximus, exsiccant. Sed si rectè consideras, animi passiones anorexiam secum afferunt: quare in his genium defraudatur, cogiturq; calor carnes edere: ideò Bellerophon præ mœrore errasse dicitur in campis, *Ipse suum cor edens, hominum, & vestigia vitans.* Cuncta igitur ad vnum caput reducentes dicamus, seniū in nobis siccitate induci, siccitatē autē substantię fluore, fluorem substantiæ à calore dissipante. Itaq; solitum tuum infortunium est, quicquid in rem tuam esse putas, esse potiùs in tuam perniciem.

Home. Iliad. 2.

11 Progrediamur ergo vlteriùs. Senectus, cuius temperamentum est siccum, siccitatem quidem quoad particulas nostri corporis habet: cum hoc tamen ab excrementis humiditas senectuti inest, sic sentit Galenus inquiens, *Est ergo humidus senex non proprijs suis particulis, sed excrementis: rursus siccus non excremētis, sed particulis ipsis: ita nimirum alio genere siccus, alio humidus.* Sic Galenus. Verùm excrementa ista non sunt, quæ senem interimunt, quando interitus est naturalis: possunt quidē interimere interitu pręoccupato, nempe si plus, quàm par est, augeantur, sin minùs ad mortem comitantur. Augetur ergo processu senectutis debilitas, & hæc est, quæ ducit ad mortem, hoc est, quæ mortem naturalē molitur, fitq; mors naturalis per resolutionem. Attamen Satyrus Rechensis, interitum ita contingere rarissimum esse, ait his verbis, *Licèt aliquando, sed rarissimè contingat, ad humoris substantifici totalē consumptionem, deficere, ac marcescere natiuum calidum in vltimo senio, nec ab humiditate nimia suffocatum, neq; frigiditati contraria in humido, quod posset illud diutius sustinere, simpliciter extinctum.*

Ga. 2. tēper. c. 2.

p.100.

De interitu naturali.

12 CVM artis nostrę magnates, senectutem, & quæ ad senectutem consequitur, mortem secundum naturam esse, dicunt, videntur contradictoria loqui: quid enim magis contra vniuscuiusq; rei naturam est, quàm eiusdem destructio, ad quam per senectutem tendit, & in interitu consistit? Hanc difficultatem excitat Galenus, & resoluit. *Neq; enim profectò eodem dicimus modo secundum naturam esse senectutem, quo nutriri, ac augeri: quippe cum hæc naturæ sint opera, senectus verò non opus, sed affectus necessario consequens. Nullum siquidem, quod genitum est animal ἄγηρον, idest, insenescibile, senijue expers visum est: ideòq; nonnulli senium secundùm naturam esse dixerunt, quod omnia, quæ à natura dispensantur, necessariò consequatur.* Et paulo post: *Nam si intelligunt, quo nunc dictum est modo, verum sanè est, senectutem secundum naturam esse, ac ineuitabilem; si quidem necessariò naturæ opera consequitur.* Sed ne quis opponat dicens, Galenum loqui de senectute duntaxat, non autem de morte, vnde, tametsi concedatur, senectutem esse secundùm naturam, non tamen inde colligi, idem de interitu dicendum, legat vltimam partem capitis, & reperiet hæc verba: *Hactenus igitur ex experientia sola senium necessarium est, ac secundum naturam, quemadmodùm sanè & ipsa mors, quæ nec ipsa demonstrata est ab ijs, qui promptè enunciant, ac dicūt, quicquid genitū est, id omnino etiam necessario interiturum.*

Ga. de marco. c. 2.

13 Porrò habemus ex dictis, senium, & mortem non quidem esse naturę opera, vt auctio, atq; nutritio, sed affectus consequentes ad opera naturæ: ideòq; accepto *Secundum naturam*, hoc modo rectè dici, senium, & interitum naturales: sunt autem naturę opera, continui effluxus, à calore naturali facti: *Quandoquidem, si nihil deflueret, neq; euacuaretur* (inquit Galenus) *sed ipsorum habitus idem perpetuo maneret, quid esset, quòd alimentum appeterent, aut senectam, aut mortem formidarent?* Sit igitur naturalis interitus (de quo nunc loquimur) affectio cōsequens ad opera naturæ. Huic opponitur interitus pręter naturam, seu violentus, qui non ad naturæ opera, sed ad causas præter naturam consequitur. Potest autem vnamet causa in specie, relata ad diuersas ætates, in hac præter naturam esse, in illa secundùm naturam. Dissipatio substantiæ omnibus quidem ætatibus communis est, & secundùm naturam: verùm si ante consistendi ætatem adeò increscat, vt marasmum, seu senium ex morbo efficiat, ac proptereà ducat ad interitum, ex passione, quæ secundùm naturam est, efficitur præter naturam: neq; verò est nouum, vt id, quod moderatum naturale dicitur, immodicū præter naturam efficiatur: exemplum habemus in menstruis purgationibus. Igitur

Ga. de vsu p. lib. 16. c. 14.

febris

febris marasmodes, aut etiam senium ex morbo, si ante vltimum senium adueniat, & interimat, mors isthæc præter naturam est, marasmus verò, qui in decrepita ætate accedit, non excedit id quod naturæ cursus assuetus postulat, interimit tamen non tam ex vi aucta, quàm ex debilitate diuturno annorũ lapsu contracta, & hæc dicitur naturalis. Hæc est doctrina Galeni, se se in hunc modum explicantis: *Tabis quidem est febris, quæ omnino marasmodes, idest, tabida existit, quæ non idem morbus est, ac passio, quæ marasmus, idest, tabis appellatur: nam & hæc absq; febre in decrepita ætate solet accidere, extincto natiuo calore, quod nihil aliud exi-stit, quàm mors, quæ sine sensu doloris, ac secundùm naturam ex siccitate contingit: sicuti ijs, qui præter naturam tabescunt, altera aduenit species, quæ à Plilippo ex ægritudine senectus vocatur, in quam multos non solùm senes, sed etiam pueros vidimus incidisse. Tabida verò febris non solùm sicca, sed etiam calida est passio.* Res itaq; in hunc modum distinguitur. Marcor vel est cum febre, & dicitur febris marasmodes, seu tabida, conueniens omni ætati, vel est sinè febre, & hæc à causa præter naturam conuenit non solùm senibus, sed etiam pueris, & dicitur senium ex morbo: à causa autem secundùm naturam solis accidit ijs, qui in decrepita sunt ætate, estq; morbus, qui ad mortem comitatur: dici namq; solet *Senectus ipsa est morbus*, hoc est morbus naturalis, vt Galenus met declarat, licèt ex aliorum sententia, quam tamen non improbat, loquitur namq; de senectute sic: *Quæ ipsa quoq; quibusdam naturalis morbus esse videtur.*

G. l. 1. de diff. feb. c. 8. & de marasmo c. 5

G. 6. de sanit. tuend. c. 2.

Explicatio sententiæ, senectus ipsa est morbus.

14 ASSentitur Galenus quibusdam dicentibus, senectutem esse morbum naturalem, qui verò sint ij, qui ita senserint, non declarat: potuisset tamen magnum Aristotelem, quem alijs nominare solet, in præsente nominare: quippe Philosophus sic aliquando dixit; *Rectè dixeris, morbum esse aduentitiam senectutē, senectutē esse morbũ naturalē.* Cœterùm vt hæc appellatio possit à cõtradictione liberari, quoniam morbus à medicis *affectus præter naturam* definitur, eò confugiunt omnes, vt dicant esse morbum non medicum, sed physicum: quippe cũ (ex cõmuni medicorũ consensu) omnis ætas sit secundùm naturã erit etiã secũdùm naturã id, quod ad illã ætatẽ necessariò consequitur. Est ergo secundùm naturã senescere, vt ait Galenus, erit etiã secundùm naturã ea, quæ senectutem consequitur ariditas, vnde Aristoteles, *Omnis naturalis interitus, genus ad ipsam via est, cuiusmodi senectus, & ariditas sunt.* Erunt etiam secundùm naturã morbi illi chronici, dum comitantur ad mortem: dum, inquam, ad mortem comitantur, nam aliquando non comitantur ad mortẽ, sed mortem inducunt; idcirco Hippocrates dixit, *Qui verò morbi ipsis accidunt longi, maxima ex parte comitantur ad mortem:* nempe *maxima ex parte*, seu, *vt plurimum*, quoniam non est perpetuum, vt morbi isti sint longi, & comites senectutis, sed aliquando ex longis fiunt acuti, ex comitibus fiunt causæ interitus, quando videlicet senex errores in victu committit, quos quoniam non ita frequenter committit, vt solent facere iuuenes, magna ex parte senes iuuenibus ægrotare minùs, dixit idem. Est autem res diuersa comitem esse, an causam. Possunt itaq; morbi chronici senile corpus comitari vsq; ad mortem, neq; in illo aliquem effectum, qui mortẽ acceleret, producere, quod in sequente aphorismo declarat exemplo inquiens, *Raucedines, & grauedines in valde senibus coctionem non admittunt*; Vnde Galenus hunc aphorismum præcedenti quasi conclusionem illius coniungit, multosq; alios adiungit morbos, vt nephritidem, podagram, & reliquos, qui similiter comitantur ad mortem. Comitari autem ad mortem non esse aliud, quam simul cum corpore suum cursum peragere, cognoscitur ex verbo ab Hippocrate allato, pro quo interpretes transferunt comitantur ad mortem, nempe συναποθνήσκει, id est, commoriuntur, quo verbo Plutarchus, & alij sunt vsi, ex eodem etiam verbo, vt est apud Æschinem, vocabantur apud Ægiptios συναποθνήσκοντες socij tanto affectu inter se mutuo deuincti, ac lege copulati, vt si fatale quippiam, aut diri casus alteri contigisset, alter tamquam pœnæ socius eundem fortunæ exitum esset laturus, vt de Antonio, & Cleopatra narratur. Porrò ex dictis colligitur, in ætatibus ante senectutem mortem nullam posse esse, quæ non appelletur præter naturam, senectutem verò, & habere commune cum reliquis

A. l. 5. gen. an. c. 4.

Ga. 5. aph. 6. Ar. 4. meteo. c 2. Hipp.

2. aph. 40

Plut. & alij. AEschines.

liquis alijs, vt possit in ea accidere mors præter naturam, vt ex erroribus, ex casu, ex contusione, habere & peculiare, quod in ea sola mors accidat naturalis: Vnde Philosophus mortem istam naturalem appellat aliquando *ex senectute mortẽ*: Et Galenus magis explicitè eam in ætate decrepita contingere, scriptum nobis reliquit.

Errores Satyri Rechensis castigantur.

15 EX admodùm seria disquisitione ad Satyri nænias me confero, quas tamen pro legentium dignitate, vtilitateq; seriò tractabo. Inquit igitur Satyrus: *Nec mors obrepit semper a calore nos exsiccante, ob easdem causas, si de morte naturali in vltimo senio sermo sit.* Tua isthæc enunciatio, ò Satyre, conditionalis est; vt indicant vltima verba, *Si de morte naturali in vltimo senio sermo sit*: quippe prępositionem *si* conditionem importare, [a] iura nos docent. Est ergo conditio, *Si sermo sit de morte naturali in vltimo senio*. Quid tu sub ista conditione ais? nempe in eo casu, *mortem non obrepere semper à calore nos exsiccante*. Deficiat igitur conditio: sanè conditione deficiente deficere simul assumptum super ea factum, disponũt similiter [b] iura: quare si non sit sermo de morte naturali in vltimo senio, corruit pariter assumptum, & tunc fateberis in alia morte, quæ sit præter naturã veram causam esse calorem nos exsiccantem, fietq; argumentatio in hunc modum: *Si sit sermo de morte naturali, non semper mors obrepit à calore nos exsiccante* (hoc tu fateris) *ergo si non sit sermo de morte naturali, sed de morte præter naturam, hæc semper obrepet a calore nos exsiccante.* Agnoscis ne iam stultitiã tuam? [c] Saxeus magis es, quàm Niobe, ni eam agnoscis.

16 Confusè deinde tres causas affers, à quarum singulis interitum naturalem prouenire, existimas, quas distinctè sic in ordinem redigo. Prima fit ab humore nimio calorem suffocante, & vt consultò te loqui significes, te olim hoc demonstrasse ais. Peream tamen si in duobus locis à te citatis talis quæpiam demonstratio reperitur: sed hoc parùm refert, solumq; sit dictum, vt sciant omnes, te omnia aspergere mẽdacijs; [d] inquis igitur, *Calorem exilem decrepiti senis (cui soli mors naturalis accidere valet) ab humiditate interna redundante, ac sibi affluenti suffocari; redundat autem in eis humiditas excrementitia calorem suffocare nata.* Sistamus in hac prima causa. Naturalis ne interitus tibi videtur is, qui à suffocatione fit? At si à suffocatione, non est mors præter naturam; quæ nam mors præter naturam est? In primis mors præter naturam ad causas præter naturam consequitur: putas ne, causam aliquam esse magis præter naturam, quàm sit, suffocatio? putas ne etiam suffocationem fieri posse à causa aliqua operante secundùm naturam? Dices fortasse, suffocationem fieri ab humiditate excrementitia redundante, apta quidem suffocare calorem, excrementa verò esse opera naturæ, nempe coctionis, quæ est naturalis actio. Hoc quidem ita est: verùm tamen aliud est dicere excrementa, aliud multa excrementa: iam tibi monstrauimus, id, quod moderatum est, naturale esse, & à causa secundùm naturam procedere, si verò excedat, causam habere præter naturam, & inter symptomata, quod vnum est ex ijs, quæ pręter naturam sunt, numerari. Suffocatio etiam, vel te ipso confitente, fit à redundante excrementitia humiditate. Deinde suffocatio confertim fit, & molestiam affert, & vim infert. Hæ autem omnes conditiones sunt, quæ concurrunt vt causa doloris sit, neq; poterit sinè dolore fieri suffocatio ob prædictas conditiones. At tu post tot insolentes iactationes tuas adhuc ignoras, mortem naturalem dictam esse à Platone, fieri sinè dolore, imò cum voluptate: quod si cum voluptate fieri non solet recipi, id tamen à Platone dictum est, non vt in moriendi actione voluptatem collocaret, sed vt exclusa omni, vel etiam minima doloris scintilla, significaret locum tunc posse habere voluptatem ex spe melioris vitæ, nam in alio mortis genere, in quo dolor adest, doloris sensus minuit voluptatis dulcedinem: Vnde Seneca, vt in morte voluptatem sentiret, genus mortis elegit simile morti naturali, apertis in balneo venis, & sanguine sensim fluente, quo posset de immortalitate animæ apud socios disserere. Sed relicto Platone (ad cuius doctrinã tua stulta mens non magis facit, quàm Asinus ad lyram) Aristotelẽ adis, cuius cerebro, velut Achilles medullis leonum videri vis educatus: ille sic ait, *Quapropter & sinè dolore est, quæ in senectute mori, nulla enim violenta ipsius passione contingente, moriun-*

Marginal notes (left): Ar. de vita, & morte & reliquis c. 14. G. 1. diff. feb. c. 6. — ☞ a. L. 1. ff de cõd. et demõ. et l qq. dieb. §. quidã Titio Vulpe. de præposit. et aduer signif. in dict. si pag. 113. vbi plures citat — b L. pecu. ff. si certum petatur l. necess. §. quod si pẽdẽte ff. de peric. & cõmod. res vẽditæ. — c adagiũ. — d mẽdaciũ. — Plat in Timęo. — adagiũ. — adagiũ. — A l. de spirat. c. 14.

Marginal notes (right): p. 100. — De his qui sũt cib. l. 2. c. 154 & l. 4. c. 88.

te, moriuntur: sed insensibilis animæ absolutio fit omnino; Verùm sequentia verba, quæ te excusare possent, te ipsum damnant: sunt enim huiusmodi, *Et morborũ quicumq; faciunt pulmonem durum, aut tuberculis, aut excrementis, aut caliditatis ægritudinalis excessu, quemadmodum in febribus crebrum spiritum faciunt; propterea quòd non possunt pulmonem longè tollere sursum, & deprimere: tandem autem quando non amplius possunt mouere, moriũtur expirantes.* His verbis videtur, suffocationẽ insinuare, quippe ex duritie, & tuberculis pulmonis accidit impotentia respirandi, & subinde suffocatio. Sed in primis isthæc suffocatio à retentis fuliginibus, non est, quam tu requiris ad mortem naturalem, sed à redundantia excrementitię humiditatis. Deinde neq; hæc, quæ à fuliginibus retentis fieri posset, ad mortem naturalem concurrit, nec eam expostulat Philosophus, cuius rei signũ est, quòd ait, *moriuntur expirantes*: Expiratio autem est, per quam expelluntur fuligines, quare mors in expiratione contingens non dum attigit necessitatem sequentis expirationis, & ex consequente non dum fuligines possunt dici retetæ. Præterea dicit, *Quando non amplius possunt mouere, moriuntur expirantes*, quòd si dixisset, *quia non amplius possunt mouere*, attribueretur mors defectui respirationis, sed inquiens *quando*, significat, omnimodæ impotentiæ tempus, esse tempus moriendi: aliud enim est dicere *quia*, aliud *quando*, quippe *quia* est reddentis causam, *quando* demonstrantis tempus, & occasionem.

17 Præter Aristotelem Galenus etiam, in cuius castris errabundus versaris, te potuit admonere, siquidem ait, mortem naturalem *Sinè sensu doloris* contingere. Aetius quoq; *Eorum, qui consenuerunt, mortem sinè molestia* esse, affirmat. Deniq; suffocatio non solùm est à causis pręter naturam, non solùm est cum molestia, sed tertia adhuc est ratio, cur excludenda sit à causis naturalis interitus, nempe quoniam suffocatio intercludit iter ad vlteriorẽ durationem: quare qui suffocatione moritur, violenta morte, ac proinde præter naturam obit. *Ga. 1. diff. feb. c. 8 Aet. te trab. 2 ser. 1. c. 92.*

18 Scio, vnde erueris tum hanc primam causam *ex suffocatione*, tum sequentẽ *ex frigiditate*: eam scilicet accepisti ab Auicenna, quem perperam intellexisti. Auicenna in capite de complexionibus ætatum, inquirit causam, cur morti necessariò sumus obnoxij, seu cur vnusquisq; nostrum vitæ terminum habeat sibi destinatum, aitq; *Et illud est humor extraneus, qui accidit assiduè, propterea quod cibus priuatur digestione, & adiuuat ad extingendum ipsum duobus modis: vno suffocando, & tegendo, alio qualitati obuiando: hic enim humor est flegmaticus frigidus. Et hæc est mors naturalis cuiq; indiuiduo destinata, secundum suam primã complexionem vsq; ad terminum, quem in sua potentia habet ad suam humiditatem conseruandam.* Audis ne Auicennam tibi modos tradentem, per quos excrementitius humor, quem vocat extraneam humiditatem, corpus conducit vsq; ad terminum, quem complexio vniuscuiusq; habet *ad suam humiditatem conseruandam*? cum igitur ad hunc terminum acceditur, iam non amplius humiditas conseruari potest: quid ergo inde resultat? nempe siccitas: hæc ergo est causa proxima naturalis interitus, quam Auicenna pertractat in capite huic rei dicato, nempe de necessitate mortis, & quam tu, nesciens quid agas, non solam esse contendis, cum tamen ad hanc omnes reducantur, & hæc sola sit causa proxima, quæ concurrit ad inferendam mortem, quando naturaliter aduentare debet. Sed hoc inferiùs magis manifestum apparebit, postquàm tuæ bullatæ nugæ euanuerint. Nunc sufficiat ratum manere, aliud esse quærere, vnde nam eueniat necessitas moriendi, aliud vnde nam eueniat mors: quippe necessitas aduenit ex causis, quæ calorem, humiditatemq; hoc, vel illo modo imminuunt, mors autẽ ex diminuta humiditate, exiliq; reddito calore. Sed tu omnia permisces. *Auic. fen. 1. lib. 1. doct. 3 c. 3. Fen. 3. lib. 1. doct. 1 c. vnico adagiũ*

19 Secũda causa naturalis interitus, quã elicio ex tuis dictis, est *à frigiditate cõtrarij tum ambientis, tũ etiam intimi elementi*. Ab hac frigiditate, ais, *Calorẽ sensim extingui posse per morbum non acutum, ad mortem naturalem, sinè vlla sensibili violentia, vel vehementia terminabilem*. At iam tibi superiùs satis demonstraui, morbos non acutos, qui ad mortem terminantur, non esse causam mortis, sed ad mortem comitari. Aer autem ambiens, quem supponis, sua frigiditate calorem extinguere, si frigiditatem habet, iam est prçter naturam: si ea est multa, confestim aget, nec mortem naturalem, sed violentam inducet: si pauca potiùs conseruationi caloris, quàm eiusdem extinctioni inseruiet. Nihil profectò magis calorem nostrum tuetur, quàm modicè frigidi aeris attractio. Iccirco vita, quam per expirationem finiri, dixit Aristoteles, per inspirationẽ incipere idem affirmauit, quod *Ar. de resp. c. 7*

Hi. de na. pueri, & l. de carni. et l. de flat.

nos suo loco pertractabimus: sicut, & aeris attracti, ad refrigerandum necessitatem. Sufficiat nunc, ratum esse id, quod ab Hippocrate sæpiùs repertum est, *Alimentum calidi frigidum*.

20 Iam verò quòd, præter frigiditatem ambientis, frigiditatem etiam intimi elementi ad mortem naturalem concurrere, ais, cum improbatum, & legislatorum more sancitum relinquas, cogor ego tibi probare, falsum esse, & eius oppositum verum. In primis si frigiditatem interitus naturalis causam esse existimas propter contrarietatem componentium corpus nostrum, hoc est, ex si mistionis, ductus forsan autoritate Aristotelis, qui ait: *Alterantur autem contrarijs, ex quibus constant, ea, quæ sunt nata ab his ipsis, & corrumpuntur*, scito, ex hac contrarietate non colligi, frigiditati magis, quàm alijs qualitatibus interitum esse attribuendum: omnes quippe sunt in pugna: quòd si aliqua vincit, est calor. Hoc autem quomodò accidat, non est hîc locus pertractandi. Si verò frigiditatem interitum afferre putas, vt pote inimicam caloris nostri, scito, calorem nostrum non corrumpi à frigido moderato, imò propter istud frigus (cum alioquin calor dissipabilis sit) non dissipari: est enim (sic dicente Galeno) calidum innatum *Substantia per se mobilis, semper mobilis*: quippe mouetur duobus motibus contrarijs, extrorsum videlicet, ob propriam suam naturam, & introrsum, quia cogitur à frigore, cuius particeps est: cum enim temperatus esse debeat, temperiem à frigore debet habere: *Temperamentum enim, & moderatio*, vt ait Hippocrates, *contingit frigido à calido, & vicissim calido à frigido*: Frigus autem ad interna calorem reuocat, quem si non reuocaret, sequeretur eius dissipatio. Quare non est assentiendum Segarræ dicenti, caloris ad interna reuocationem esse magis propriè quietem, quàm motum contrarium motui ad externa: nam si reuocatio isthæc esset quies, vtiq; à nullo fieret: quomodò autem calor posset per se ipsum nullo cohibente, à suo motu naturali, qui est extrorsum, abstinere? Verùm ipse met Segarra alibi meliori genio ductus hanc reuocationem à frigido elemento esse ait, & hanc causam statuit, cur calidum in plures annos durare potest, & adiungit, *Alioquin si motu sibi insito ferretur, perpetuò in sublime tenderet, & perpetuum efficeret triplicis substantiæ, effluuium*.

A. 2. de cælo c. 12.

Ga. de trẽ. rig. palpit. c. 8.

Hip. de vetere medic.

Segarr. pag. 2.

Idẽ Segarra p. 112.

21 Videbitur tamen alicui hęc continua inter calorem, & frigus pugna ordini naturæ, suauiter omnia disponentis, aduersa, quippe sic substantia, quæ calidum innatum appellatur, incessabili violentia vexatur. Attamen memoria tenendũ est, naturam multoties vno ad vnum vti, ad alia abuti. Vtitur ergo frigore ad temperandum calorem naturalem, ne omnia adurat, sed potiùs nullam patiens dissipationem amicus naturæ conseruetur. Quòd si eodem frigore abutitur, occasionem præbens pugnæ continuæ, quam cum calore gerit, paruum est damnũ multa vtilitate compensandum.

22 Cur autẽ frigus calori contrariũ calorẽ non destruit? non ne contraria se se mutuò expellunt? expellũt quidem se se inuicem contraria intensa, calor autẽ, & frigus in nobis sunt in gradibus remissis, ac subinde compossibiles. At non ne in aqua tepida calor, & frigus sunt in gradibus remissis, & tamen frigiditas expellit calorem? ita est: sed frigiditas inest aquæ à natura, quæ se ad suum pristinũ statum omni conatu reducit, calido autem innato vtraq; qualitas ab initio generationis nostræ est indita, quare neutra est, quæ superat, neutra, quę superatur, sed tam hæc, quàm illa naturę adminiculo gaudet. Deinde duæ istæ qualitates remissę in vna, & eadem parte substantiæ sunt, & vnum afficiunt suppositum, cũ verò actiones sint suppositorum, cum rursus nihil possit agere in se ipsum, fit vt vnum ab altero nunquam destruatur.

23 Sed si duæ qualitates in vna substantia non possunt inuicem agere, cur frigus agit in calorem mouendo illum motu contrario? Non quidem frigiditas mouet calorem, nec calor frigiditatem (sunt namq; qualitates, quæ per se ipsas agere nequeunt) sed substantia calidi innati, quæ licèt duabus sit prædita qualitatibus calore, & frigiditate, denominationem suscipit ab ea, quæ efficacissima in eo est, debet obedire motui introrsum, quatenus frigiditatis particeps, & motui extrorsum, quatenus particeps caliditatis, & quoniam impossibile est, duos simul exequi contrarios motus, exequitur illos vicissitudinaria successione: Iam tibi hinc patet, quàm falsò tu dixeris ab intima frigiditate aduenire interitum, cũ potiùs calidi, in quo vita consistit, conseruatio, perduratioq; adueniat.

24 Ex his duabus interitus naturalis causis, à te hactenus adductis, humiditate, inquam,

inquam, & frigiditate, fieri ais, *Vt senes naturali morte maximè pereant. Autumno ab humiditate, aut hyeme à frigiditate, illa suffocante, hac extinguente natiuum calorem in vltimo senio.* Cæterùm tuis magnis encomijs hoc etiam poteris adscribere, te scilicet apprimè nosse temporum anni temperamenta: succensere possumus tum Galeno, tum Auicennæ, tum etiam quibusq; alijs, qui vsq; ad tuum hoc seculum, in quo tu collo suspendendus, philosophiam pedibus suspendis, in deceptione fuerunt versati, existimantes, Autumnum esse frigidum, & siccum, donec tu hanc detegēs falsitatem, hanc anni partem humidam nobis tradis. Appetant deinceps omnes ex contracta æstiuo tempore siccitate, autumnali humiditate recreari. Saltem si dixisses, Autumnum nullum certum habere temperamentum, faueret tibi Hippocrates, qui tunc modò calorem, modò frigus adesse insinuat, quando ait: *In temporibus quando eadem die modo calor, modò frigus fit, autumnales morbos expectare oportet:* hanc enim variationem in Autumno contingere, dixit Galenus. Poteras etiam hoc adiscere à Virgilio, qui propterea Autumnos appellauit inæquales. At Autūnos humidos quis vnquam dixit? Cupio te excusare, & admitto in Autumno, quantumuis sicco pituitosos humores, quibus semper abundant senes, ab æstatis præcedentis calore liquari, vires etiam ab eodem calore languidas esse, neq; posse retineri humores istos in cerebro: hinc accidet quidem suffocatio, hoc est suffocans catarrhus: nunquid eos, qui ita pereunt, naturali interitu perire dices? profectò eodem iure, qui in patibulo suspensi moriuntur, naturali morte occumbere dicentur. At eorum, qui suspenduntur naturalis mors est, (ex loquutione iure consultorum) prout distinguitur à morte ciuili, quæ exilium perpetuum est. Hyeme etiam pituita valde à frigore condensata, & ab eodem cerebri meatus cōstricti apoplexias senibus efficiunt: nunquid quia vides frequenter hyeme senes apoplecticos mori, existimas frequentem hanc esse mortem naturalem? At sic qui per loca niuosa iter facientes intereunt, morte naturali interire dicentur. Scito tamen, & hos, & illos, quantumuis decrepiti sint, non mori naturali interitu; Iam tibi dixi, senes habere peculiare hoc, vt soli præter alias ætates mortem subeant naturalem, habere & commune, quòd possint etiam morte violenta è medio tolli.

3. aph. 9.

25 Non sunt hæ duæ causæ (vt superiùs dixi) à quibus mors naturalis accidit: sunt tamen, quæ nos morti obnoxios reddunt, vitamq; non alia ratione ad interitum naturalem deducunt, quàm deducendo nos ad causam, quæ verè est mortis naturalis causa, & sic si eas remotas, aut mediatas causas appellare velis, per me quidem licebit, dummodò sit vna causa immediata, nempe siccitas inducta à calore, & ita fatearis, te perperam veritatem, quam odio habes, accusasse. In hac doctrina te confirmauit Auicenna, qui relictis duabus causis, quas attulerat, dum de complexionibus ageret, tertiam istam affert, quando agit de causa mortis in hunc modum: *Cum siccitas ad complementum accedit, calor innatus extinguitur, & mors subsequitur naturalis.* Multa alia in hanc rem affert, quæ ibi sunt legenda. Hanc igitur causam, quę sola est mortis naturalis vera, præcipua, & propria causa, ad quam cœteræ rediguntur, tu tertio loco affers, & eam in aliarum serie, per summam stoliditatem, reponis inquiens: *Licèt aliquando, sed rarissimè contingat ad humoris substantifici totalem consumptionem deficere, ac marcescere natiuū calidum in vltimo senio, nec ab humiditate nimia suffocatum, nec à frigiditate contratria in humido, quod posset diutius illum sustinere, simpliciter extinctum.*

l. 1 fen. 3. c. vnico.

26 Tertiam istam causam, quam solam debueras appellare, tu rarissimam appellas, quasi non omnis mors naturalis rarissima sit, & in vltimo senio dicis cōtingere, in quo mihi videris existimare, alijs ex causis mortem naturalem citra vltimum senium posse aduenire. Addis in hac tertia, calorem non esse in humiditate, quæ posset illum diutiùs sustinere, extinctum, quasi in alijs causis mortis naturalis extinguatur calor in humore, qui possit illum diutiùs sustinere; At hoc non ne violentum est? non ne hæc mors terminum naturalem per vim anticipat? Quam ergo differentiam facis inter mortem naturalem, & violentam? Non ne lampas, (vt Auicennæ exēplo vtar) aliter extinguitur, si flatu extinguatur, aliter si defectu olei, nempe illo modo violenter, hoc naturaliter? Iste tamē modus naturalis interitus, nempe per dissipationem caloris, sicut in decrepitis naturaliter accidit, sic in iunioribus euenit præter naturam, vt in ijs, qui ex febre hectica, ex marcore, aut etiam ob profusas euacuationes ex syncope moriuntur: omnes enim isti mortem habent morti similem naturali, non tamen naturalis

dicitur: quia non sequitur ad opera naturæ, sed ad causas præter naturam. Hūc interitum per dissipationem in viridi ætate elegantissimè vulgari sermone, sed stylo non vulgari laurea Apollinari donatus Poeta sic descripsit.

Petr. i fine c. 1. de triūph. mortis

Non come fiamma, che per forza è spenta,
Ma che per se medesma si consume,
Se n'ando in pace l'anima contenta.
A guisa d'vn soaue, e chiaro lume,
Cui nutrimento a poco, a poco manca,
Tenendo al fin'il suo vsato costume.

Non est igitur rarissimum, dissolui calorem defectu humidi, licèt peruenire ad vltimum ætatis complementum rarissimum sit, à multis jam hinc seculis non sicut in seculo illo priore germinatis adhuc vniuersi, in quo multa concurrebāt, propter quæ homines erant longæui: quippe vtensilia cuncta purissima erant, semenq; à parentibus sanissimis valde perfectum, ob eorum vitam sobriam, decidebat. Postquàm autem terra, salsedine maris inundantis infecta, multùm de prisca fœcunditate amisit, cœpit natura debilitari adeò, vt iccirco carnium vsus fuerit hominibus concessus, prolesq; à parentibus in deteriorem conditionem lapsis suscepta cœpit deteriorari, & quod Horatius de moribus, de duratione mortalis vitæ potest similiter prædicari.

Hor. l. 2. od. 6

AEtas parentum peior auis, tulit
Nos nequiores, mox daturos
Progeniem vitiosiorem.

Lentè tamen procedente hac deterioratione, iam è Dauidis seculo mortalium æta: eisdem fermè terminatur annis: *Dies annorum nostrorum in ipsis, septuaginta anni. Si autem in potentatibus, octoginta anni, & ampliùs eorum labor, & dolor.* Itaq; communis vita hominum septuaginta annorum est, *in potentatibus* autem hoc est, in fortioribus, annorum octoginta, quorum maior pars (id enim significat *amplius eorum*) labor, & dolor. Est ergo terminus vitę iis, qui nullo casu aut morbo pręoccupantur, vnicuiq; hominum circa hos annos, non tamen præcisè, & omnibus adamussim vna, & eadem dies, vnus mēsis, aut annus, sed vt ait, Auicenna, *Est mors naturalis cuiq; indiuiduo destinata, secundùm suam primam complexionem, vsq; ad terminum, quem in sua potentia habet ad suam humiditatem conseruandam: vnumquodq; enim eorum terminum præfixum habet, qui in indiuiduis verificatur propter complexionum diuersitatem.* Sic ille. Vnde sanguinei viuaciores omnibus communiter existimantur, quia multùm participant de principiis vitæ, hoc est, de calore, & humiditate: melancholicos verò, qui ab his è contrario distant, breuissimę inter omnes vitæ esse perhibētur: imò inter sanguineos alii aliis possunt viuaciores esse, nec est terminus astrictè accipiendus.

Ps. 89. n. 10. 11.

Au. 1. 1. doct. 3. c. 3

Ar. 2. de cœlo c. 12.

27. Porrò quoniam, vt supra ex Aristotele diximus, *Alterantur contrariis, ex quibus constant ea, quæ sunt nata ab his ipsis; & corrumpuntur*, hoc quomodò fiat, operæ pretium est scire: contraria namq; in misto non se se inuicem expellunt, sed compossibilia quidem existunt, vt pote quæ sunt in gradibus remissis, ac proptereà neutrum alterius exilium molitur, esset quippe contra ordinem naturæ suauiter omnia disponentis, nempe vnamquamq; rem originem, & fundamentū naturæ suæ habere in iis, à quibus destruitur. Nihilominùs quamuis non se possunt expellere, agunt tamen, non ad victoriam, sed potiùs ad totius conseruationem, quippe vicissitudinaria actione perficitur mistio, quæ est miscibilium alteratorum vnio. Itaq; dum agunt, repatiuntur, ac subinde hebetantur: quare & calor fit debilior, & humiditas paucior, dumq; continua ista repassione continuatur diminutio, redditur corpus minùs calidum, & magis siccum: siccitas (vt initio huius corollarij diximus) grauia affert damna, quæ nutritionem impediunt: hæc quandiù tolerari possunt, vita, quantumuis in magno languore constituta, qualis est in vltimo senio, durat tamen, donec eò deuentum sit, vt neq; humidum, quod semper siccius, quàm anteà reponebatur, iam siccius esse nequeat, neq; calor, qui vix in tam pauco humido sustentabatur, sustentari queat, neq; ampliùs in tanta duritie sit adytus nutrimenti: quare labantibus his omnibus vita perit, naturaliter quidem, quoniam quæ ad eius conseruationem concurrebant, nulla sibi vi illata deficiunt. At non omnibus in eodem termino, quoniam quemadmodùm inter plures lucernas aliæ aliis meliore lychinio, meliore etiam oleo, & plure sunt accommodatæ, aliæ hæc omnia deteriora habent, sic inter indiuidua plures sūt bo-

nitatis

nitatis gradus in ijs, quæ ad vitam concernunt, faciuntq; vitam aut magis, aut minùs secundùm illos perdurare. Cæterùm hoc tibi sit certum, duas priores causas, & alias complures extrinsecùs, necessariò tamen, occurrentes, efficere hominem morti obnoxium, vitam autem immediatè à siccitate truncari, vt sit mors naturalis, vel à causis violentis, si præter naturam sit interitus. Addisce hinc distinctè loqui, neq; causas diuersi generis permiscere. Mihi satis sit ex eo, quòd dixeram, id, quod reponitur, semper vergere in siccius, collegisse mortem naturalem, & morti præuiam senectutem fieri à siccitate.

Secundum Corollarium.

28 CVM alimentum, vti diximus, triplice coctione defæcatum particulæ nutriendæ apponatur, putant aliqui, alitionem fieri per iuxtà positionem, & solùm differre à nutritione non viuentium, quòd non viuentia per externam appositionem nutriantur, viuentia per internam. Verùmtamen cum non viuentium non sit propriè nutritio, sed partium ad partes additio, sufficit quidem, vt isthæc actio solo adhæsu perficiatur, viuentium autem propria totius restauratio est: quare quælibet particula eius, quod alitur, debet à tota alimenti particula penetrari. Oportet ergo, vt sit particula minima, sin minùs erit diuisibilis in alias minores, ac proinde adhæsio fiet secundùm vniuscuiusq; particulæ partes eas, quæ se tangunt. Itaq; ex hoc accessu, siue adhæsu alimenti ad particulam alẽdam duo necessaria esse colligo. Vnum, vt se tangant secundùm partes indiuisibiles, si namq; partes diuisibiles forent, vtiq; non secundùm se totas tangerent, & tangerentur, sed secundùm eam partem, quæ proximior tangenti foret, ac proinde reliquæ distantiores, vt destituuntur adhæsu, sic destituentur nutritione, quæ fit per adhęsum, ac proinde vna pars corporis, cum non sit minima, sed in plures partes diuisibilis, nutriretur secundùm eam partẽ, quæ est proxima alimento. Hæc rursus pars, si indiuisibilis est, habeo intentum, fiet quippe nutritio in parte indiuisibili, sin diuisibilis rursus, non tota alimentum æqualiter tanget, sed ea eius pars, quæ proximior est, & sic procedetur in infinitum. Deinde ex alimento, & eo, quod alitur, fit vnum continuum, sed partes continuæ nõ continuantur per se ipsas, sed per indiuisibile actu existens: iam ergo per indiuisibile tanguntur: dixi indiuisibile actu existens, quoniam, cum Aristoteles dicat, indiuisibilia non esse actu in continuo, sed in potentia tantùm, non negat (vt est communis opinio, & interpretatio) actum existentiæ in eo, sed solùm actum separationis: ita vt sensus sit, non esse actu separata ab eis, sed actu coniuncta ea cum partibus componentia: posse verò separari ab eis naturaliter, cum eisdem partibus, quas copulant. Hanc fuisse eius mentem, patet ex adducto ab ipso exẽplo: *Quare nec in lapide Mercurius*, inquit ille, *nec in cubo dimidium cubi, sit vt disterminatum: ergo nec superficies: nam si quæcumq; & ea profectò sit, quæ dimidium disterminat, eadem autem ratio, & de linea, puncto, & vnitate est.* Sic ille. Accipito ergo lapidem: in illo existit quidem statua Mercurij actu, erat tamen in potentia, vt separari posset à reliquis illius lapidis partibus, quas tamẽ rectè separare cuiusuis hominis non est. *Quare appositè Michael Angelus Bonarota Florentinus Sculptor, & nobili loco natus, cum è marmore sculptam statuam in palatino foro, vbi nunc visitur, Florentiæ exponeret, quæ ad miraculum vsq; celebratur, cum eam ab omnibus laudari audijsset, respondisse fertur, Ego quidem nihil de nouo egi: nam statua iam in saxo præerat, sed saxi superflua quædam extraxi.* Prędictam expositionem tradit R. P. Suares, à quo eam forsitan accepit Ruuius. Deinde alia est ratio, quæ optimè persuadet, nutritionem fieri per indiuisibilia. Nam tametsi viuens ad primam sui generationem postulet determinatam materiæ quantitatem, in qua introducatur anima, & in minori nõ possit, est enim actus corporis organici, in quo debet diuersas operationes exercere, ac proinde opus habet determinatis organis, nihilominùs in nutritione non postulat talem quantitatem, neq; materiam sic determinatam, vt non possit anima in minori etiam portione introduci: anima enim cum spiritualis sit, nunquam introducitur in tam minima portione materiæ, quin possit in minore introduci. Tandem cum ex Aristotele accretio fiat per motum, accretioni autem sit ministra nutritio, oportet, vt nutritio etiam cum accretione motu feratur, ac proinde fiat vniformiter difformiter, vt infra dicemus

Ar. 3. metap. c. 3. te. 17.

Suares in metaph. disp. 40. sect. 5. nu. 34. incipit cũ ergo, &c.

Ruiꝰ l. 1. de gen. & corrup. c. 5 tra. de aug. q. 3. n. 27.

Ar. 5. ph. t. 18 & alijs in locis

Infra n.49. dicemus magis ex professo: quippe motus ab eodem definitur actus entis in potentia, quatenus in potentia est, hoc est, quatenus in continua successione versatur, ac proinde, vt idem met alibi dicit, continuitas est communis omnium motuum affectio. Hæc autem continuitas, & ex consequente vniformis difformitas, non posset consistere, si nutritio, & accretio per partes diuisibiles fieret. Nam si post partem diuisibilem alimenti perfectè dispositam ad alendum, alia denuò disponeretur, iam tunc in sequente minores essent dispositiones, quàm in præcedente, atq; ita nec difformis vniformitas, nec continuitas mutationis daretur. Hæc sunt quibus primum consectarium, nempe nutritionem consistere in indiuisibili seu procedere per indiuisibilia, demonstratur. *Ar. 3. phys. t. 6. Ar. 5. metap. t. 19.*

29 Alterum, quod colligo, est, alimentum cum parte, quæ alitur, in eodem loco consistere, nec propterea dari eam corporum penetrationem, quæ naturaliter dari nequit. Hoc manifestè demonstratur: nam quòd alimentum, & pars, quæ alitur simul sint, patet ex dictis: siquidem secundùm omnem suam partem coniunguntur: quòd autẽ hæc corporum penetratio non sit illa, quæ communi consensu impossibilis censetur, ex eo constat, quòd sola quantitas est impeditiua penetrationis, hoc est, sola quantitas facit, vt impossibilis sit penetratio: quippe vnaquæq; substantia loco commensuratur per suam quantitatem: non possunt autem duæ quantitates eisdem vnius loci partibus commensurari. Aristoteles, vt probet, nihil posse esse in se ipso, neq; per accidens, deducit ad hoc inconueniens, *Simul enim duo corpora in eodem inerunt*. Dixit *corpus*, insinuans quantitatem, sinè qua corporeum nihil est. Hæc duo consectaria, primum, quòd nutritio per indiuisibilia procedens fiat, alterum, quòd duæ substantiæ sint absq; penetratione, Satyrus proteruè insimulat, & ad ipsorum expugnationem machinas adhibet, quæ ruent in ipsum, vt mox apparebit. *Ar. 4. physic. t. 27.*

Prima Satyri sycophantia, qua impugnare conatur processum nutritionis per indiuisibilia, destruitur.

30 QVicumq; ex redargutionum facilitate, inanitatem accusationum agnouerit, plus nimio mirabitur, qnod Satyrus rei philosophicæ omnino inscius, ad philosophiam docendam sit admissus, cum tamen ex altera parte ad eius accesserit scholam, eam vacuam reperiet, & mirari desinet, discipulosq; magistro sapientiores iudicabit. Hæc præfari volui, quoniam disputationem aggredior, in qua nulla foret disputandi necessitas. Quid ergo ais? nempe sic, *Primũ,* p. 157. *etsi tibi concessero, calidum cum humido sic ex actè permisceri, vt quantulacumq; portio corporis viuentis constituta sit ex calido naturali, & humido radicali, quemadmodum Aristoteles ait, quantulamcumq; misti corporis particulam esse mistam, adeoque constitutam ex quatuor elementis, hinc tamen non habebis, minimam partẽ calidi agere posse in minimã partem humidi sibi subiectam.* Cœtera, quæ sequũtur, mox adiungam. Interim videris mihi precariò concedere istam exactam permistionem, in qua quantula pars calidi habeat in se quantulam humidi partem, concedis, inquam, hoc precariò, inquiens, *etsi tibi concessero*, & tamen Aristotelem ita sentire fateris. Iam ergo non tibi debebo hanc gratiam, sed Aristoteli. Cũ ergo Aristoteles minimam partem calidi cum minima humidi concederet, putas ne, dicturum, calidum propterea non agere in humidum? At in eius doctrina actio calidi in humidum adeò patens est, vt nihil magis. Nec tu negas, calidum agere in humidum, & absumere humidum, sed negas, minimas particulas agere in minimas. At dũ in calido agẽte adsunt minimæ particulæ, sunt ne istæ minimę particulæ, suo toto agente, ociosæ? ego putabam, quando mille homines impellũt nauim, nullum eorum quiescere. *Ar. 1. gen & corru. t. 86.*

31 Tu autem, vt tuam inscitiam omnibus notam facias, rationem adiungis, qua persuasus non vis, partes minimas posse agere. *Nam actio materialis* (inquis tu) *requirit in agente debitam quantitatem: nec minimum corpus actiuum esse potest, quod Aristoteles docebat experimento guttæ lapidem excauantis, & caprifici nascentis è saxo petram findentis, & plurium hominum nauem mouentium.* Verùm quidẽ est, actionem esse ab agente, quod debitam habeat quantitatem, nec minimum corpus seorsim agere posse. Aduerte ad illud *seorsim*, & tuam agnosces ignorantiã, qui hanc particulam omisisti. Tritum est, & peruulgatum, vnamquamq; rem, vt se *Ar. 8. physic. tt. 23.*

habet

habet ad esse, ita se habere ad operari: hoc qui ignorat, quid non ignorat? Cum igitur indiuisibile *seorsim* esse nequeat, rectè sequitur, nec posse *seorsim* agere, posse tamen agere, dum est in suo toto: alioquin sequeretur inconueniens, quod supra retuli, videlicet totum agere partibus interim quiescentibus. Forsitan quæris, vnde nam ego istud *seorsim* extraxi, quo tuam mentem hactenus ignorantiæ somno sopitam disturbaui? Scias, me hanc particulam reperisse apud Aristotelem, sed caue ne illum garrire dicas, vt alibi dixisti: neq; etiam dicas, quod etiam à te est dictum, te nunquam in eius verba iurasse: Vtrumq; hoc impudentiam tuam sapit: ita ne de illo loqueris, quẽ tamẽ aliquando, vt aliquid sapere videaris, tuum magistrum esse gloriabundus prædicas? quid mirum, si alios turpiter vellicas? Ad rem accedo. Ab Aristotele didici in eo loco, quem tibi fauere putas, nempe in experimentis iam dictis minimas particulas non agere seorsum. Verba sunt hæc: *Non enim si tantum expulit, aut remouit gutta, & dimidium in dimidio tempore prius: Sed vt nauis tractio, ita & guttæ tot tantum mouent; pars autem illarum in nullo tempore tantum: diuiditur enim, quod remotum est, in plura, sed nihil eorum motum est seorsim, sed simul.* Agnoscis ne iam magistri sapientiam, tuamq; stoliditatem? lapidis cauitas conspicua est, quam fecit gutta: diuiditur in plures particulas, sed istarum nulla facta fuit *seorsim*, sed *simul* omnes: scissio lapidis ab erumpente planta, satis apparet, partes ergo habet: sed non fuit facta per plura seorsim, sed tota simul: centum homines nauim impellunt, impulsus iste mille impulsibus partialibus constat, non tamen his seorsim, sed omnibus simul.

p.230. Auers. Ponc. pa. 4. p.91.

32 Vt in tua hæresi te confirmes, & persuadeas, calorem minimum non posse agere, addis, *Calori minimo non nisi minimam vim actiuam obtinenti, minimus humor minimam saltem obsistendi vim obtinens egregie resistet, illumq; nihil in se permittet agere satagentibus rebus quibusq; semet ipsas tueri, & contrarijs, corruptiuisq; repugnare, cum agens omne vim obtinere debeat supra resistentiam passi.* Dissona tua isthæc est musica, & plusquàm cyclopica. Calorem minimum, ais, minimam actiuam vim habere, minimum humidum minimam vim resistendi, tunc addis, humidum resistere egregiè: sanè secundùm tuam logicam optimè sequitur, humidum minimam vim resistendi habet, ergo egregiè resistit. Sed non ne tibi, qui humidum calori contrarium esse profiteris, humidum per actionem contrariam calori resistit? non ne calor semper potentiùs agit, quàm humiditas? quomodò ergo cæteris paribus (nam hic non supponimus humidum calori improportionatum, sed vtrumq; minimum) humor vincet calorem? sed tu humorẽ victorem statuis: cur? nempe *Satagentibus rebus quibusq; se met ipsas tueri, & contrarijs, corruptiuisq; repugnare: cum agens omne vim obtinere debeat supra resistentiam patientis.* Sed non ne tu vis, calorem, & humidum esse contraria? non ne contraria se se inuicẽ expellunt? ergo vt humidum satagit se tueri à calore, sic calor satagit se defendere ab humido. Quid ergo appellas resistentiam patientis? siue resistentia apud te sit actio contraria, siue sit sine actione, vt iam superiùs satis tibi dixi, resistat vt cumq; velis, adeò bardus es, vt putes, resistentiam minimi humidi superare actiuitatem minimi caloris. Sed vt hæc argumẽtatio omnino detruncetur, scito, eam absq; fundamento esse: nam nec minima agunt, nisi vt sũt in toto, nec humor est contrarius calori. Priorem huius propositionis partem sat tibi probaui, & nisi bæotico ingenio es præditus, iam scis minima nec existere, nec agere seorsim: posteriorem tibi volo explanare.

p.158. 159.

33 Receptissimum est apud omnes, calorem humido non esse contrarium, hoc nemo meliùs, quàm tu recipere debuisset: quippe aliquando mihi per summum nefas succẽsens dixisti, *An nõ potest calor humorem fouere, continereq; vt forma materiam, ne diffluat, calefacere, ne conglacietur, attenuare, rarefacere, mollire citra consumptionem?* Possit ergo, demus hoc nunc tibi: si calor non consumit humidũ, non erit inter vtrumque contrarietas: nam contraria, vt constat ex contrariorum definitione, se inuicem expellunt. Te tamen hoc non adhuc mouet, nam ex Aristotele recipis, actionem, & passionem esse inter contraria. Verùm latissima est isthęc contrariorum acceptio, secundùm quã nemo tibi negabit, omne dissimile posse contrariũ nuncupari: Nam Philosophus ibi, tamquàm arbiter litẽ dirimit, quæ erat inter plurimos ex vna parte dicentes, *Simile a simili nullum pati:* ex altera parte Democritum, qui *Agens, & patiens idem ac simile esse,* asserebat. Sententia iudicis honorarij hæc est: *Necesse est patiens, & faciens genere quidem simile esse, & idem, specie autem dissimile, & contrarium.* Itaq; cum omne, quod est dissi-

p.89. Ar. 1. gen. & corr. t. 50. p.92.

mile

mile contrarium esse, dicas, & actionẽ licèt non corruptiuã, velis esse actionem contrariorũ, nulla est inter nos discrepantia: nã isto genere contrarietatis virum, & vxorem sibi inuicem opponi dicemus. Quapropter cum inter calidum, & humidum coniugium sit (vt iam supra diximus) erit simul cum isto coniugio isthæc contrarietas, quæ potest contrarietas sine contrarietate appellari: siquidem ei deest præcipua contrarietatis conditio, nempe vicissitudinaria expulsio. Aristoteles, qui transitum vnius rei in aliam per actionem assimilantem dissimilia considerauit, distantiam illam inter agens, & passum, dissimilitudinemuè contrarietatem lato modo voluit appellare: quia contrarietatis specimen quoddam adest, dum vnum in alterum agens, si illud non expellit, saltem sibi assimilat. Tu autem, qui calorem humido copulari vis, nec propterea vnum alteri corruptionem afferre contendis, nec assimilationem, aut victoriam aliquam vnius ex altero admittis, vbi nam contrarietatis reperis rationem? Cæterum isthæc tibi in præsens sufficiat digressio, cætera, quæ de contrariorum natura dicenda sunt, in alium locum repono. Reuertamur ad susceptum iter. Maneat tamen apud nos ratum, te dum humidum calido contrarium esse ais, non litem aduersus me, sed aduersus communem doctorum consensum suscipere.

Supra q.4.ar.12.n.21. & seqq.

Infra sect.3. q.3.

34 Pergis igitur probare, coniunctionem, actionemuè calidi in humidum nõ consistere in indiuisibili, & argumentum sumis ab operatione, quę qualitas materialis est, & materialis cum sit, non potest consistere in indiuisibili; quòd si Aristotelis à te citati verba, quæ sequuntur, legisses, & considerasses, tibi notum fieret, eandem rationem esse de qualitate, & de substantia: vtraq; enim per indiuisibilia distenditur vniformiter difformiter. Postquàm Philosophus tribus iam dictis exemplis ostendit, necesse esse, *Semper aliquid abire, quia diuiditur ipsa diminutio in infinita, sed totum aliquãdo abire*, hoc est nullum ex infinitis seorsim accipi, sed totum *simul*, adiungit, *Similiter autem, & in alteratione qualibet: non enim si partibile est in infinitum id, quod alteratur, ob id & alteratio; sed simul vniuersa fit sæpe, sicut congelatio*. Ex his puto, bubulum tuum cerebrum iam capere, non fieri alterationem, aliumuè motum per particulas magnitudinem habentes, sed per infinita, quæ nec seorsim consistere, nec seorsim agere possunt, sed cuncta simul. Hoc tamen debueras (ad aurem tibi dico) philosophus conductus iam anteà scire, neq; adeò ineptas conficere argumentationes. p.159.

35 Ingens aliud argumentum architectaris hoc modo: *Calidi substantia tenuior est, & subtiliorum partium, quàm humidi: nam & ignis substantia tenuior est, ac subtiliorum partium, quàm aeris, & aquæ: quo factum est, vt pars illa minima calidi non possit habere partem humoris pariter indiuisibilem: proptereaq; non poteris humorem indiuisibilem ponere, multoq; minus asserere, calidum indiuisibile penetrari ab humore*. Sic tu, qui reperis separans tenuem substantiam à substantia subtiliorum partium: quasi verò detur substantia tenuis, quæ ex partibus subtilioribus non constet. Hoc tamen toleretur, illud verò quis tolerabit, quod inquis, partem minimam calidi, (quam quidem indiuisibilem esse non poteris negare, alioquin minima non esset) non posse habere partem indiuisibilem humidi? Næ tu is esse videris, qui affirmes, libram plumbi grauiorem esse, quàm lanæ. An putas, inter partes minimas, seu inter partes indiuisibiles dari maius, aut minus? At nunc agnosco, cur addebas substantiæ tenui substantiam subtiliorum partium; ignarus profectò eius, quod Aristoteles dixit, aliud esse compositionem, aliud mistionem; *Quoniam autem* (ait ille) *non est in minima diuisum esse, nec compositio idem, quod mistio, sed diuersum, manifestum est, quod neq; secundum parua saluata, oportet ea, quæ miscentur dicere mista esse: compositio enim erit, & non temperamentum, nec mistio, neq; habebit eandem rationem cum toto pars*. Et tu ignorabas, aut alios ignorare putabas, alias esse partes miscibiles, alias verò partes componentes, illas minimas insectiles, has verò, quas Philosophus *parua saluata* vocat. Itaq; si attentè legas Aristotelem, eundemq; intelligas, reperies, veram mistionem ne à lynce quidem cõspici posse, vt pote quę ex indiuisibilibus fit partibus, compositionem verò ab eo appellari etiam ad sensum mistionem: ex his soluitur tuum sophisma, nam substantiam tenuiorum, crassiorumuè partium dicimus respicientes ad partes componentes, quæ sensu percipi possunt, de his autẽ non agimus, sed de illis, quibus fit mistio: sunt autem insectiles, & nullo sensu percipiuntur.

A.1.de gen. & corr.t.86.

36 Nec minùs inane est, quòd addis sic: *Nec humoris radicalis, nec etiam calidi*

naturalis

naturalis corpus indiuisibile potest esse: cum singulum eorum de se sit corpus mistum ex quatuor elementis mistum enim nullum esse potest minimum, ac indiuisibile: non quidem indiuisibile, quia putredine resoluitur in quatuor elementa, ex quibus in ortu suo per mistionem constitutum fuerat, quæ resolutio est quædam diuisio totius in partes: non autem minimum, quia minus est eo vnumquodq; illorum elementorum, in quæ dissoluitur. Ex hac tua argumentatione, vt etiam ex præcedente, comprehendo te ignorare differentiam, quæ est inter minimum physicum, & minimum mathematicum. Longum esset explicare hic terminos tam externos, quàm internos magnitudinis, & paruitatis rerum naturalium. Accipiam duntaxat id, quod ad præsens negocium facere videtur.

37 Viuentia, & viuentium partes habent terminum intrinsecum suæ paruitatis, quod neoterici vocant *minimum quod sic*, hoc est, quantitatem sub qua res illa, cuius est quantitas, potest existere, & sub minore non potest. Istud minimũ in generatione necessariò requiritur, necessariò, inquam, non ratione formæ, nam hæc, cum non sit corpus, potest consistere, vt dixi, in materia indeterminata, quę est minimum mathematicum, sed ratione operationum, quas, simulac introducta est, exequi debet: hæ enim postulant determinatam quantitatẽ, quæ est minima in illa specie viuentis. Hoc minimum, quod in generatione dicimus requiri, requiritur etiam in conseruatione propter eandem rationem, hoc est, propter operationes, quas non nisi in quantitate determinata exequi potest. At verò in aggeneratione, seu in nutritione, non requiritur hæc minima quantitas, sufficit enim præexistens: cumq; aggeneratio sit successiua, & perennis, extensio formæ, per indeterminatas quantitatis partes extenditur, hoc est per indiuisibilia mathematica, ex quibus continuum constat.

38 Differentia igitur inter minimum physicum, & minimum mathematicum est, quod minimum physicum, dictum minimum quod sic, est minimum illius speciei viuentis: minimum autem mathematicum, est minimum absolutè, hoc est, minimum in omni specie. Accipiamus igitur carnis v. g. minimum physicum, seu minimum quod sic, sub isto minimo consistere potest forma carnis, & sub minore non potest: dissoluatur istud minimum in ea, ex quibus fuit compositum (hæc est diuisio physica) dissolui quidem potest in partes, quæ sint sub alijs formis: nunquid istæ partes dicentur minores suo minimo? nequaquàm: nam illud minimum non erat absolutè minimum, sed minimum eorum, quæ sunt sub illa forma. Igitur cum ais mistum non posse esse diuisibile, *Quia putredine resoluitur in quatuor elementa*, respondeo resolutione ista non acquiri partes, quæ possint dici minores minimo: nam illud minimum erat minimum illius misti, sub quo, inquam, poterat forma illius misti existere, & sub minore non; At hoc non prohibet, dari posse sub alia forma res, quæ sint minores illo minimo. Sit v. g. minima pars, sub qua forma carnis potest conseruari, quantitas digitalis: si hæc resoluatur, non potest resolui in partes, quarum aliqua sit caro, nam illa minima caro non potest minores se partes habere: diuidi tamen potest in partes, quæ sint sub alia forma. Rursus cùm dicis, non erit minimum, *Quia minus est eo vnumquodq; illorum elementorum, in quæ dissoluitur*, respondeo, illud minimum mistum non fuisse minimum absolutè, sed minimum in sua specie, ac proinde potuisse dissolui, non in partes suæ speciei, sed alterius. Hæc sic minutim volui explicare, vt, si possim, ea tuo bouino accomodem ingenio, quamuis tuo genio nunquam accomodari posse, sat scio. Dices fortassis, me loqui de minimo physico, te autem de minimo absolutè. At ego iam millies tibi dixi, minimũ absolutè non posse per se existere: nam si existeret vnum, nulla esset ratio, cur alterum etiam non existeret, & sic de omnibus alijs, quæ cum sint infinita, daretur infinitum actu; Frustra igitur dissolutionem, diuisionemq; quæris, vbi dissolutio, aut diuisio consistere nequit.

39 Adhuc non acquiescis, & ad Aristotelem recurris, quem tamen (& hoc tibi frequens est infortunium) aduersùs te facere agnoscent omnes: sic enim habet: *Amplius autem, si necesse est cuius partem contingit quantulamcumq; secundùm magnitudinem, & paruitatem, & ipsum contingere (dico autem talium partium, inquam, cum insit diuiditur totum) si autem impossibile est animal, aut plantam, quantacumq; esse secundum magnitudinem, & paruitatem.* Cernis, vt se ipsum explicat, prçuidens tuum bubulum genium? Loquitur ergo de partibus, in quas diuiditur totum, nempe actu: id enim significat verbum *diuiditur*: Quæ sunt ergo partes, in *Ar. 1. phys. tex. 36*

quas actu non diuiditur totum' nempe indiu sibiles absolutè, quas minimas mathematicè dicimus: quare de minimis physicis agit: has dicit habere quātācumq; magnitudinem, & paruitatem. Quòd autem de his minimis physicis loquatur, indicant hæc, quæ sequuntur. *Manifestum est, quod neq; partium quamlibet, erit enim & totum similiter, caro autem & os, & huiusmodi partes sunt animalis, & fructus plantarum.* Ecce exemplum partium ponit in carne, & osse, quo exemplo ego superius ex instituto sum vsus, vt tibi ostenderem, meam doctrinam ex Aristotelico fonte esse haustam. Sed audi quid concludit: *Manifestum est igitur, quod impossibile est, carnem, aut os, aut aliquid aliud quantumcumq; esse magnitudine, aut in maius, aut in minus.* Ex his colliges, determinatam esse quantitatem cuiusq; partis viuentium, ita vt si terminos transgrediatur, v. g. caro, non amplius erit caro, sed aliquid aliud.

40 Addis, minimum penetrare quidem posse, penetrari verò minimè & ad huius rei probationem penetrationis definitionem ita adhibes: *Cum penetratio sit diuisio penetrati à penetrante facta.* Vbi nam inuenisti tam bellam penetrationis definitionem? videtur sanè tuo marte inducta: secundùm quàm iam nobis das corporum penetrationem sinè miraculo: quippe naturaliter ex tua mente diuiditur penetratum à penetrante. Vah non te pudet peripatoum ita de rerum natura sentire? An nescis, in corporum penetratione non dari vnum penetrans, alterum penetratum, sed vtrumq; penetrare, & penetrari? An nescis, ideò penetrationem corporum esse impossibilem naturaliter, quia in ea duo, aut plura corpora vnius duntaxàt occupant locum indiuisa permanentia? Sed de penetratione mox plura dicemus.

41 Vltimò tandem ne quid intentatum, potiùs ne quid non contaminatum relinquas, accedis ad atomos. Tunc argumentum autori simile conficis, nempe duo habens cornua, & sic ais. *Postremum tu, cui mista omnia, corporaq; naturalia singula composita sunt ex atomis, non ne fateberis, singulas atomos, ex quibus minima pars tum calidi, tum humidi abste posita tibi constituitur, esse minores illa parte calidi, & humidi seorsum? Si annuas, iam confiteberis, dari minus minimo: si renuas maiore absurdo negabis, totum esse maius qualibet sua parte.* Ante quàm hoc argumentum proponeres, ęquum erat, te aliquem interrogare, qui tibi declararet, quid sit atomus: etenim, vt vox sonat, & communis consensus recipit, atomum dicimus corpus insectile, inamputabileq; siquidē τομη' sectio, & amputatio est, cum præpositione autem priuatiua ἄτομος, est indiuiduus, & insecabilis: tunc sic: si minimam partem calidi innati accipis per se, erit minima, vt sic, seu minima physicè: hęc diuidetur in partes, quarum nulla sit calidum innatum, & sic partes non dicentur minores minimo, quia minimum illud est minimum in illa natura calidi innati, non verò minimum absolutè in omni natura. Si verò considerare velis minimum absolutè, & insectile, scito illud esse atomum, nec diuidi in plures atomos; Sed hoc minimum (vti iam tibi centies dixi) consideratione quidem separabis, re autem non, quia separatum esse nequit ob rationes iam inculcatas. Do igitur tibi minus minimo, sed minimo, quod non est minimum respectu earum partium, quę sunt diuersæ naturæ; Do etiam totum imaginatione comprehensum, quod non est (vt tu ineptè putas) maius suo toto: quippe minimo illo nec datur maius, nec minus. Hęc tu forsan non intelligis, qui tamen explicasse, ais, ænigma illud *Elia Lelia Crispis*, & aliud *Iullia Alterocha.* Dicis igitur, te has obscuritates penetrasse, mea autem verba intelligere non potuisse. At non ita debueras dicere, sed te nugis, & nænijs, quibus pueris complaceas deditum, non posse animum serijs cogitationibus applicare. Hoc ego non curo, quippe mihi institutum est scribere doctioribus; Quòd autem mea doctrina viris doctis intelligibilis sit, notissimum est, neq; oportet, vt in huius rei fidem, litteras ad me missas, honorificea eruditorum encomia, & probatissima testimonia huc transferam, paginasq; his attestationibus, vt tu ad ostentationem inanem facis, repleam. Norunt omnes quales sint meorum studiorum fructus. Tu autē λέγνη κακῶν in hoc publico Italiæ theatro agnosceris. Nunc autem quàm infœliciter tibi successerit conatus, quo indiuisibilia oppugnare voluisti, iudicent doctiores.

Lerna malorum.

Secunda

Secunda Satyri sycophantia, qua calidum, & humidum duas substantias sub vna quantitate simul existere posse negat, detruncatur.

42 PLacet mihi, quòd aliquando volens nolens ruditatem tuam fateris, & *Mar-*
Cinnam imitaris, de quo Martialis, *Pauper videri Cinna vult, & est pau* *tialis.*
per: ille cum pauper esset, simulata paupertate veram occultabat: tu cum sis rudis,
ruditatem te fingere ostendis, vt sic, quam simulas, dissimules: hoc in præsente *de Astu-*
contingit. Doctrinam manifestam scripsi: tu quasi per iocum eam, fingis, te non *tia t.*
intelligere, quam tamen re vera non intelligis. Mea verba legat vnusquisq; & 15.
fidem faciat, num in hoc scirpo nodus sit aliquis: ea sic habent: *Imo consistit in* *adagiis*
indiuisibili: quælibet enim humidi pars quantumuis minima coniunctã habet calidi par
tem minimam, ita vt sese inuicem penetrent, nec propterea me penetrationem corporum
admittere existimes, nam penetratio est impossibilis ratione quantitatis; at calidum, &
humidum sub vna, & eadem quantitate insunt. Hæc verba cum intellectu facilia
p.160. sint, putabam, te ea quidem percepisse, falsò tamen per summum nefas eadem ☞
obscuritatis insimulasse: nihilominus deceptus sum: video namq; ex obiectioni-
bus, quas opponis, te nihil istorum rectè percepisse, neq; hoc me torquet, dum-
modò ab alijs & mea scripta intelligantur, & tua dicteria, vt potè extrà chorum
saltantia, explodantur. Nam quid ad rem istam facit Ezechielis vaticinium, &
Suidæ declaratio? Sed tu, dummodò varię lectionis homo habearis, non erubes-
cis miscere sacra profanis, & librorum indices excurrere, qui tuæ maledicentiæ
materiam suppeditent: quòd si materia deest, meo pasceris obeso corpore,
obesitatemq; mihi sæpe, tamquam crimen, obijcis.

p. 29. 43 Vbi subtile aliquid à me dictum reperis, cum nõ aliter nocere possis, saltem ☞
p.160. per risum ais, illud arista subtilius esse, quod nunc dicis, & prius te dixisse memini.
At putas hoc elegans dicterium esse? imò insulsum: sic alijs dici est solitum
δὶς καὶ τρὶς τὸ καλόν, tibi dicetur δὶς καὶ τρὶς τὸ κακόν. Rectè tamen possunt ari- *adagiis*
stæ meæ specilla tua, & debilem intuitum effugere. Sed accede iam, relictis contu-
melijs, ad pugnam, in qua primum agmen tibi ducit Iulius Cęsar Scaliger. Sed
quis me in eius verba iurare coget? nunquid eius maledicentiæ timor. At ego *Scalig.*
nec tuam, quæ longè fædior est, vnquam timebo. Quid verò affert, quo mihi no- *exerc.*
cere possit? nempe hæc verba. *Ne in generatione quidem vnum minimum naturale* 101.
penetrat, aut induit sese in aliud minimum, sed ei cohæret, vt fiat vnum continuum. *art. 3.*
Sed tu, qui Scaligeri imitator videri cupis, responde pro eo; si, vt ille fatetur,
vnum minimum naturale alteri cohęret, numquid cohæret secundùm aliquas
partes? at minimum non habet partes: cohæret ergo secundùm se totum; At sic
penetrat, & penetratur: nam penetratio vera non est (vt tu falsò dicis) diuisio
facta à penetrante, sed est duorum, aut pluriũ in vnius duntaxat loco cohęrentia.
Quod si dicas, Scaligerum loqui de minimo naturali, quod diuidi quidem potest *Scalig.*
in partes alterius speciei, respondebo similiter, illum agere de generatione, in qua *loqui-*
minimum naturale concessimus, nõ de aggeneratione, in qua illud negauimus. *tur de*
Sed dic sodes, non ne Scaliger fatetur, ex duobus illis cohęrentibus fieri vnum *genera-*
p.160. continuum? maximè; Cæterùm si fit vnum continuum, fit vna quantitas; Nega *tione*
bis ne adhuc, duas substantias, in via Scaligeri, habere posse vnam duntaxat quan *non de*
titatem? Relinque igitur tuum istum Scaligerum, qui te fefellit: adeundus est *nutri-*
Aristoteles: sed vide, ne solitum tibi accidat infortunium; nam locum istum, *tione.*
quem tibi fauere putas, ego contra te ipsum superiùs citaui. Ais ergo, tuã cras- *A.1.de*
p.159. sam Mineruam, (& verè crassam) ab Aristoteles didicisse, mista fieri, non qui- *gen. &*
dem ex minimis miscibilium particulis anteà diuisis, verùm ex paruis propè po- *cor. te.*
sitis. Vetus tibi mos est, quoties autori cuipiam falsum imponere vis, abstinere 86.
ab eius verbis, sed sententiam tuo modo referre: ita nunc agis. Profectò crassa ☞
tua Minerua, in hoc non crassa, fraudulenter se gerit, fraudem tamen detegam
non nisi appositis Philosophi verbis: ait enim. *Dicimus autem oportere, si mistum*
est aliquid, quod mistum est, similarium partium esse; & quemadmodum aquæ pars
aqua, ita & temperati. Si autem secundum parua compositio, fuerit mistio, nihil con-
tinget horum, sed solum quidem mista ad sensum, & idem huic quidem mistum si non
inspexit quis acutè, lynci autem nihil mistum. Neq; diuisione, vt quęcumq; pars secus

quamcumq; sit: impossibile enim ita diuidi. Aut igitur non erit mistum, aut dicendum hoc quomodò contingit fieri rursus. Quid ergo clarius dici poterat, vt intelligeres alia esse verè mista, alia mista ad sensum? Verè mista sunt, quorum partes ne à lynce quidem discerni possunt, ex Aristotelis sententia mista ad sensum sunt secundùm parua, quæ discernuntur iuxtà intuentis perspicuitatem, ita vt si non ab humani oculi acie, saltem à lyncis intuitu dignosci queant. Effuge igitur Aristotelem, ne te verberet, accedito ad Auicennam. Quid ait Auicenna? nempè sic, te referente, *In misto partes elementorum ad tantam paruitatem redactas esse, vt cuiuscumq; earum plurimum contingat plurimum alterius, non vt se se mutuo penetrent.* Sic tu ex Auicenna, cui falsum imponis, neq; enim minimas partes excludit, sed plurimum earum contingere, ait, plurimum alterius: intellige tu, pro plurimo, totum, nec enim in Auicenna barbarè loquente exacta loquutio requiritur. Cæterùm tu, vt pote qui singula ignoras, cuncta confundis, & Scaligerum loquentem de generatione, permisces cum Auicenna agente de mistione, & rursus vtrumq; nobis, qui nec de generatione, nec de mistione agimus, sed de tertio quodam, hoc est, de aggeneratione, nutritioneuè obijcis, & illos, qui minimas partes physicas considerant, pertinere putas ad nostram considerationem, quæ est de extensione formæ per minima mathematica, secundùm quæ continuitatem totius tuetur.

A. 1. de gen. & cor. te. 86.

Auic. fen. 1. lib. 1. doct. 3 c. 1.

cōfundit omnia Satyrus.

44 Deinceps tu iubes, vt considerem *calidum, & humidum ante quàm vniantur*, Sed qua nam consideratione? num metaphysica? at tu hanc excludis, siquidem nudam corporis entitatem intuetur abstrahendo à magnitudinibus: ergo consideratione physica: sed ego hac physica consideratione nō reperio istud calidum, & istud humidum ante quàm vniantur. Considera tu, & da mihi hęc duo non adhuc vnita; Poteris ne? profectò non magis, quam ab Asino lanam. An tibi nouum videtur, posse duo realiter distingui, quę tamen nunquam separata existant? fugit tibi è mente materia, quæ nunquam sine forma est, & accidentia sinè substantia. Adeò hebes es, vt non agnoscas, alimentum, quandiù alimentum est, & non dum conuersum in substantiam aliti, non esse calidi naturalis, & humidi radicalis nomine appellandum. Induatur ergo forma viuentis, & in eodem instante videbis calidum, humidumq; duas substantias incompletas simul in vnam coeuntes. Hoc dum intueris, subitò tibi euanuerunt ex animo quatuor illi modi, quos tu tuo marte excogitasti, vt duas substantias sub vna quantitate coeuntes oppugnares. Verùm vt tuarum cogitationum inanitatem agnoscant omnes, singulos istos modos, perinde ac si non euanuissent, percurram.

adagiū

45 Primus modus, quo tu existimas, quantitatem vnam posse comprehendere duas substantias, est, *Vt calidum exuens propriam quantitatem, subingrediatur quantitatem humidi.* Hoc quadruplice ratione falsum esse putas: prima, quia calidum in humido retinet sui corporis pristinam naturam, adeoq; calidum in humido retinet suam pristinam quantitatem, cum sua pristina corpulentia. Sed dic age, istud pristinum, ad quod refertur? profectò non potest referri, nisi ad quantitatē, corpulentiamuè, quam habuit ante quàm conuerteretur in substantiam aliti: at tunc nec erat calidum innatum, nec corpulentiam, quantitatemuè suam potuit retinere: Non ne alimentum proprię formę corruptione acquirit nouam viuentis formam? non ne corruptio fit vsq; ad materiam primam? non ne inter accidentia, quæ nouæ formæ aduentu pullulant, vnum est quantitas, quam, ideò tibi dixi, non esse coæuam materię? Si ergo quantitas noua aduenit cum noua forma, quorsum pristinam quantitatem appellas? Non ne aggeneratio est formæ quędam extensio? non ne extensio est propria quantitatis? Ergo vndè alimento aduenit forma viuentis, aduenit simul quantitas. Ecce tibi quantitas non pristina, vt tu dicis, sed de nouo accedens. Quantitas ne solius calidi? imò etiam, & humidi: utrumq; enim comproducitur ad productionē formæ viuentis. Altera ratio tua est: *Quia non constat, quomodò, & à quo calidum corpus in vnione cum humido spolietur quantitate propria.* Non constat, inquam, tibi, cui non constabit Catullianum illud à Quintiliano vsitatum, an scilicet Cæsar fuerit albus, an ater homo. Non ne tibi constat calidum, & humidum cum ex alimento fit, fieri per inductionem formæ viuentis? non ne tibi constat, quicquid nouam formam induit exuere priorem? non ne tibi constat, id, quod exuit formam, corrumpi? non ne tibi constat, ad corruptionem deperdi simul cum præ existente forma præexistentia accidentia, & subindè quantitatem? Si hæc tibi constant, cur non tibi constat

Quintilian⁹ ex Catullo.

stat quomodò, & à quo calidum corpus in vnione cum humido possit spoliari quantitate propria? Non vnitur, ò Satyre, calidum cum humido, quasi duo priùs separata, sed producuntur simul ad productionem formæ viuentis. Si hoc tua magnifica ignorantia non percipit, percipiunt docti. Tertia ratio est, quia dico, calidum, & humidum se se penetrare: *Nulla ratio est*, inquis tu, *cur potius calidum induere debeat quantitatem humidi, quàm humidum calidi*. At quis tibi dixit, calidũ induere quantitatem humidi? Tu tibi hoc fingis: attende quid dicam, nec flectas mentem ad tuas nugas. Nec calidum humidi, nec humidum calidi quantitatem induit: sed vtrumq; producitur sub vna quantitate, quæ non fuit priùs, sicut neq; calidum, neq; humidum fuit priùs. Quinta ratio: quia quod amisit quantitatem, nec penetrare, nec penetrari potest, quoniam penetratio solummodò corporum est actio, & passio. Vah quàm stultus es! In primis, quod amisit quantitatem priorem, quantitatem nouam simul cum noua forma suscepit. Deinde quæ nam maior asinitas esse potest, quàm dicere, penetrationem esse actionem, & passionem corporum? Non ne verum est, impossibile esse, corpora se se penetrare? Coniunge nunc has duas enunciationes hoc modo: *Penetratio solummodò corporum est actio, & passio*, (hæc tua est) *penetratio corporum est impossibilis*. Hæc est communis, & vera physicè loquendo, hoc est, secluso omni miraculo; Videntur ne tibi hæc duo simul stare posse; seu potiùs videntur ne tibi tuæ næniæ aliquid concludere?

46 Secundus modus, à te inuentus, est, quo dicere possem, *Vtrumq; corpus, hoc humidum scilicet, atq; calidum amittere suam pristinam quantitatem, & induere vnam quandam aliam tertiam*. Tunc petis à me, vt tibi dicam, *Vndè, & quomodo illis eximuntur veteres quantitates in tali copulatione?* Ne dicas in hac copulatione, nam humidum, & calidum, iam tibi dixi, nunquam extitisse disiuncta: dicito in hac aggeneratione, siquidem per aggenerationem ex alimento fit viuens; Tunc quęram ego priùs abs te, Vnde, & quomodò in omnibus, quę corrumpuntur, eximuntur veteres quantitates? Respondebis, ni omnino Bos es, eximi per desitionem formæ præcedentis, cum qua abeunt accidentia, abit subindè quantitas. At ego iam te tibi respondisse dicam. Videtur ne tibi hoc magnũ ænigma? At sic omnia naturę opera ænigmatica esse, arbitraberis. Mirum tibi videtur, vt ais, in actu penetrationis non penetrationis aduenire calido, & humido tertiam illam nouam quantitatem. Vis tui huius fictitij ænigmatis solutionem, ne deinceps tragœdias in nugis agas? Alimentum eò accedit, vt cum particula, quæ alitur, fiat vna, & eadem res: id, quod alitur, constat ex duabus substantijs incompletis sub vna duntaxat quantitate, nempe ex substantia calidi, & substantia humidi: cur duę substantiæ? quia aliàs idem ageret in se ipsum: cur sub vna quantitate? quia aliàs non esset vnum continuum. Igitur penetrant se istæ duæ substantiæ, quia sunt simul, & non datur penetratio illa corporum, quia non sunt plura corpora, hoc est, non sunt plures quantitates. Adhuc nescis, plures substantias incompletas esse simul v.g. forma, & materia? adhuc nescis, penetrationem, quæ est impossibilis, esse penetrationem corporum, hoc est, quantitatum? Da mihi substantias mille incorporeas, dabo eas tibi in vno puncto indiuisibili inclusas: non dabis duas quantitates quantumuis minimas simul in eodem loco naturaliter existentes. Non ne tu dicis, calidum cõtinere humidum, ne diffluat, velut forma continet materiam? at materia continet formam, & vtraq; est simul, penetrantq; se, nec proptereà datur penetratio corporum. Videris mihi ignorare, quid intersit inter penetrationem substantiarum, & penetrationem corporum: illa possibilis est, hæc impossibilis. adagiũ

47 Tertius modus, à te adductus, est, si dicam, *Quòd ex vtriusq; calidi scilicet, ac humidi corporis quantitatibus veluti partibus, fit vna tertia quantitas totalis*. Hic modus tibi placet, displicet tamen tibi, quòd talem vnionem appellaui minimarum partium calidi, & humidi penetrationem, cum tamen in humano corpore membra singula suas quantitates particulares, seu symbola conferunt in vnam totalem quantitatem hominis, sub qua vna, & eadem sunt caput, collum, thorax, & reliqua, quæ tu prolixè recenses. Ceterùm quoniam tibi tertius hic modus placet non displicebit saltem mihi, quod ais membra corporis, vt caput, collum, thorax esse diuersas partes, & subindè diuersas substantias sub vna quantitate. Iam igitur ex te habeo diuersas partes sub vna, & eadem quantitate (memineris te hoc admittere) tamen ais, istas partes non se penetrare; Ita est: sunt

enim

enim diuersa organa diuersas figuras expostulantia. Accede nunc ad partem similarem: ista etiam habebit eandem sortem, nempe erunt omnes eius partes sub vna quantitate: hoc non potes negare: sin minùs, dic mihi, cur caput, collum, & thorax sint sub vna quantitate, partes autem carnis non sint? non credo, te hoc dicturum. Claudantur igitur partes omnes carnis sub vna quantitate, efficient sanè vnum continuum: erunt ergo partes indiuisibiles, quippe continuum constat ex indiuisibilibus. Iam ergo mihi dabis partes carnis omnes sub vna quantitate. Hactenus non potes effugere, sed addis, te dixisse, caput, collum, & thoracem esse quidem sub vna quantitate, & tamen non se penetrare, & indignabundus quæris, cur ergo illam partium indiuisibilium vnionem penetrationem appello? Desine indignari: sobrius esto, nec appellato penetrationem, sed duntaxat minimarum partium inter se, adhæsionem. Satis ne tibi est factum? ita reor. Ah tu ignarus dum indiuisibilium partium adhesionem inter se concessisti, in foueam incautè incidisti: nam penetratio est duarum rerum secundùm minimas, & indiuisibiles partes inter se adhæsio. Renuis? da ergo alias minores partes, secundùm quas duæ res se inuicem penetrent: has tu reperies *Quando iterum in Troiam magnus mittetur Achilles*.

48 Quartus modus, quo ais, me posse confugere, est, *Vt quantitas calidi fiat quantitas humidi, sub qua & calidum contineatur*. Dehinc à me postulas, vt te discendi cupidissimum (potiùs maledicendi auidissimum) doceam, quomodò quantitas vnius corporis permanẽtis conuerti physicè valeat in quantitatem alterius. Tuis precibus conuictus te docere volo. Non ne tu sic ais? *Cognoui quidem vnam substantiam fieri alteram, dum prior in potestiorem mutatur, ac transit de esse ad non esse, seu de esse suo ad esse alterius*. At si hoc nosti, iam dimidium facti habes: considera ergo, ex substantia alimenti fieri substantiam corporis viuentis, quod corpus viuens calido, & humido constat: hæc enim sunt primordia generationis eius. Considerasti ne iam? ita sanè: considera deinceps alimẽtum suam formam amittere, vt recipiat formam substantiæ viuentis, amisit ergo & suam quantitatem; etenim iam sæpè te admonui, quantitatem non esse coæuam materiæ: Conuertitur itaq; alimentum in substantiam calidi, & in substantiam humidi, quæ duo sunt, quibus constare corpus dixi. Sed sub quā nā quantitate recipit alimentum has formas? nempe sub quantitate subiecti. Communis Philosophorum schola tenet, aggenerationem fieri extensione formæ aliti: si extenditur, datur ibi quantitas: at quantitas non est alimenti, hæc enim corrupta fuit corruptione alimenti: est ergo quantitas subiecti, seu quantitas eius, quod alitur. Hæc si non percipis, quære doctum aliquem virum, qui te ea viua voce velit docere.

49 Cæterùm quòd ais, à me esse dictum, duarum substantiarum æquè permanentium vnam fieri aliam, impudenter, vt soles, mentiris: mea verba sunt hæc: *Quælibet enim humidi pars quantumuis minima coniunctā habet calidi partem minimam, ita vt se se inuicem penetrent, nec propterea me penetrationem corporum admittere existimes: nam penetratio est impossibilis naturaliter ratione quantitatis, at calidum, & humidum sub vna, & eadem quantitate insunt*. Hoc ne est dicere, duarum substantiarum æquè permanentium vnam fieri alteram? Hinc tu saltuatim non minùs animi, quàm corporis gesticulatione, ob quam Saltamartinus appellaris, ex abrupto te confers ad alia longè diuersa, nempe ad organa potentiæ ratiocinatricis; Ego tamen nolo tuam imitari confusionem, & propterea hoc ad locum congruum reseruabo.

de Asitia c. 18.

Mẽdaeium. Infra sect. 3. q. sexta art. 4. & 5. Supra n. 28.

50 Ad pleniorem doctrinę breuibus ijs verbis comprehensæ notitiam, aliqua referre cogor, iam priùs insinuata. Actio naturalis, siue in acquisitione qualitatis, siue in acquisitione quantitatis, semper procedit vniformiter difformiter: alioquin agens tam ageret in remotum, quàm in propinquum: ob eandem etiam rationem progreditur per indiuisibilia, quippe si per diuisibilia progrederetur, primo diuisibili in duas partes diuiso, vtraq; pars esset æqualis perfectionis, quod est contra legem vniformis difformitatis. Cum igitur substantia viuentis, cuius essentia in calido, & humido est, acquiratur per aggenerationem, acquiritur subindè vniformiter difformiter, & sic per indiuisibilia: nam aggeneratio, seu nutritio, actio naturalis est. At quoniam indiuisibilia non se inuicem expellunt, calidum, & huidum, quæ duo per indiuisibilia acquiruntur, possunt acquiri simul, nec interim se inuicem expellere: si simul acquiruntur, simul etiam sunt, nam

vna

vna queq; res, vt se habet ad gigni, sic etiam ad conseruari. Hic me posset aliquis interrogare, cur etiam duæ qualitates contrariæ, quas vniformiter difformiter acquiri, dixi, non existant simul: cui respondebo, acquiri etiam posse simul, & simul conseruari, vsque dum in gradibus remissis existunt: adhuc enim non tantam habent vim, vt se se expellant inuicem; Sic & calidum innatum, & humidum radicale, quamuis non sint contraria, vt suo loco demonstrabo, vim habent absumendi se inuicem, & nisi iugem restaurationem adhibeamus, consumptio sequitur iuxtà illud sæpiùs citatum: *Plurimo indigent alimento, alioquin corpus absumitur.* Dico ergo, posse simul conseruari calidum, & humidum, quia possunt refici. Sed cur qualitates etiam non possunt refici? quia scilicet dum dixi, calidū, & humidum posse refici, dixi, posse refici substantiam, cui duæ qualitates, calor, & humiditas, insunt in gradibus remissis: substantia autem per se non habet contrarium; At si dicamus, refici posse qualitates contrarias, reficientur quidem in gradibus remissis, & non ampliùs. Adde, substantiam, quæ est calidum innatum, produci per primum sui esse, atq; adeò in instante totam esse productam, qualitatem verò per vltimum sui non esse, ac propterea non refici posse totam simul, sed secundùm aliquos gradus, secundùm quos est compossibilis cum suo contrario, vnde reficitur quidem non secundùm se totam, sed secundùm id, quod potest cum contrario simul subsistere. Cum autem calidi innati substantia qualitates non nisi in gradibus remissis exigat, nihil prohibet substantiam totam gigni, & simul cum ea qualitates in eo gradu, in quo sunt compossibiles.

Infra. 1. aph. 14.

51 Porrò iam satis manet demonstratum, duas substantias minimas, seu duas minimas vnius substantiæ partes (hoc enim parum refert, quod tu non intellexisti, vt infra dicam) posse simul generari, aut aggenerari, dummodò secum non habeant qualitates in eo gradu, in quo simul esse nequeunt; Si igitur duę istę minimæ substantię simul sunt, ineptè me accusas, quòd falsò dixerim, eas se se inuicem penetrare. non est, vt omnes vident, mea falsa enunciatio, sed tua falsa accusatio.

Infra n. 14.

52 Addidi, *Nec propterea me penetrationem corporum admittere existimes.* Hic tu turbas excitas, & rabie plusquàm canina percitus, id quod te non intelligere fateris, refellere profiteris: scilicet tua mens ignara *Quod non intelligit, odit.* Veram doctrinam appellas dithyrambos. Sed nil mirum: vertiginosus es, & cum tibi spiritus cerebri in orbem ferantur, omnia in orbem ferri, putas. Eras in Bacchanalium tempore (vt tu met fateris) & Dithyrambo sacrificabas, dithyrambos omnia esse censebas. Meam ergo calidi, & humidi inter se penetrationem, quam non propterea corporum, hoc est, quantitatum penetrationem censendam esse dico, tu ipsa ineptia ineptior, quasi per iocum iocularis Satyrus, penetrationem non penetrationem vocas. Tace nequam, & audi: ducam te per consequentias necessarias, quò nunquam per te ipsum adire potuisses. Indiuisibilia non sunt extensa. ergo non sunt quanta, ergo mole carent, ergo non occupāt spatium, ergo nec locum, ergo non se se impediunt in loco, ergo sunt simul, ergo penetrantur. Tunc sic calidum, & humidum (ex demonstratis) coexistunt per indiuisibilia. Rursus diuisibilia molem habent, ergo & quantitatem, ergo extensionem in ordine ad partes, ergo extensionem in ordine ad locum, ergo quodlibet diuisibile suum exigit locum, ergo loco se expellunt, ergo non penetrātur. Habet ne adhuc Asinitas tua, cur hic possit rudere? Adhuc certè: nam tu tuæ ipsius æstimationis detractor, non tibi, sed te consulens, mihi opponis inepta, & imponis falsa: Opponis inepta, cum impossibilitatem penetrationis ad loci continentis æqualitatem, non ad contenti quantitatem refers: imponis falsa, dum in me hæc iactas verba, *Quare penetrationem corporum tollit, non vnitas, & identitas quantitatis eorum, quod tu falso reris, at loci continentis æqualitas.* Ego ne reor, vnitatem, identitatemq; quantitatis tollere penetrationem? imò potiùs dixi, vnitatem, identitatemq; quantitatis admittere penetrationem. Non ne ego dixi, calidum, & humidum se se inuicem penetrare, quia sub vna, & eadem quantitate sunt? madidus eras inter bacchanalia, quando meum tractatulum deuorasti. Itaq; cum contrarium ei, quod dixi, tu me dixisse ais, falsum mihi imponis, &, vt vno dicam verbo, MENTIRIS. Restat nunc ostendere, quàm ineptum est, quod opponis.

p. 162.

Mēdacium.

Quid

Quid Satyrus de corporum penetratione.

53 IMpenetrabilitatis radix quantitas est. Hanc veritatem paucis expressam, communi verò consensu comprobatam, tu solus multiloquio cōuellere conaris, & non ad quantitatem contenti, sed ad æqualitatem continentis referendam, ducis. Tuam totam cantilenam referam, quam Lityersam appellare libet, siquidem non sponte, sed vi furoris tractus cantare vis, & postmodò verberandus: ais itaq; in hunc modum. *Arbitror ego tunc se se duo, vel plura corpora penetrare, quando in vnum, & eundem locum, qui sit æqualis toti corpori contento, ingrediatur aliud corpus, aut vnum, aut multiplex, non expellens ab eo pristinum corpus, nec pristinum corpus cogens, aut densans in angustiorem molem.* Hæc est tua prima ratio: vah quàm futulibus scatens repetitionibus? Quando ergo dicis *in vnum, & eundem locum,* quorsum addis, *qui sit æqualis corpori contento?* Dabis ne locum, qui sit inæqualis, potiùs, qui non sit æqualis corpori contento? profectò si locus est minor corpore, iam non est totius corporis locus, quippe pars corporis, quæ locum excedit, remanet extra locum: si locus maior est, non totus locus est locus locati, sed loci pars superfluens non dicitur illius locati locus. An nescis de ratione, & essentia loci esse, vt sit æqualis locato? Credideram, te iam hoc ab Aristotele didicisse. *Impossibile est enim,* inquit ille, *non æquari locum, & corpus: neq; enim locus omnis maior est, quàm quantum contingit corpus simul esse.* Vis prætereà, vt corpus vnum, aut multiplex sit *non cogens, aut densans pristinum corpus.* Hæc etiam verba frustra sunt addita: nam si cogeret, aut densaret, non diceretur ingredi in locum alterius, sed suum sibi locum facere separatum à loco alterius; Quādo ergo dicis, si vnum in locum alterius ingrediatur, iam excludis coarctationē, & densationem: nam sicut raritate acquiritur maior locus, sic densitate deperditur. Si igitur vnum densat alterum, non intrat in locum alterius: quare tu densationem istam poteras omittere, ni verbosus, & in verbositate vitiosus esses. Quando igitur duo, quorum vnum cedit alteri, in vno loco sunt; dicuntur esse in vno loco communi, ad quem te detrudo, non in vno loco particulari, de quo loquuntur ij, qui de penetratione loqui sciunt, non tu, qui nunquam ea, quę distinguenda sunt, discernis, & sic locum communem pro particulari accipis. Frustra etiam dicis, requiri in penetratione, vt expellatur pristinum corpus: expunge illud *pristinum,* ne fortè putet aliquis, penetrationem, si naturaliter fieret, aut etiam cum supernaturaliter fiat, non posse contingere inter duo corpora simul producta.

Adagiū. Iulius Pollux de rerū vocabulis.

Ar. 3. phy. t. 49. & alibi sępe.

54 Alteram penetrationis rationem sic tradis: *Atq; adeò quando plures quantitates plurium corporum permanentes eædem, & illibatæ se se concludere gestiant in vno loco vni tantum earum quantitatum æquali.* Cætera, quæ ad istorum non necessariā declarationem adiungis, legat apud te quicumq; patientiores habeat aures, quàm ego, cui tua isthæc bæotica cantilena, Nilus est ad Catadupas. Desideras ergo, vt quantitates istę tria habeant requisita, vnum, vt sint *permanentes,* alterum, vt sint *illibatæ,* tertium, vt *se se concludere gestiant in vno loco vni tantùm earum quantitatum ęquali.* Tria tua requisita tribus colaphis sunt digna, si pacto conuenisses, & velut Poetastro cū Imperatore, sic tibi Philosophastro cum quolibet viro docto contingeret. In primis *permanentes* has quantitates esse cupis: at in loco non sunt, nisi permanentes: nos loquimur de ijs, quæ sunt in loco; Si ergo, dum dicimus, quantitates esse in loco, excludimus successiuas, cur etiam, vt dicas esse in loco penetratiuè, easdē rursus excludis? Deinde quid absurdi sequeretur, si successiuas etiam admitteres? Non ne, quemadmodùm permanentes in loco, sic successiuæ in tempore penetrare se nequeunt? Hoc te inferiùs docebo. Vis præterea, vt hæ quantitates sint *illibatę:* cuperem scire, quas tu appellares libatas: forsan corruptas? & illibatæ erunt virgines? Ita sanè: quippe istas illibatas cupis, vt se se concludere gestiant in vno loco sponte, & gaudentes. Itaq; non solùm erunt virgines, sed in cænobio reclusæ. Putas ne, te elegante methaphora fuisse vsum, dum viuentis passionem attribuens non viuenti, quantitates dicis gaudentes? At scito, ab alijs metaphoram istam insulsam, & longè petitam censeri, à me autem impropriam: quippe gestire non est proprium constrictionis, sed dilatationis, iuxtà illud, *In tribulatione dilatasti mihi,* nempe cor præ gaudio.

Infra n. 24.

Metaphora vitiosa

Ps. 4.

55 Exultas ergo, quòd te magnum aliquid dixisse putas, exultantes itidem om-

nes

nes tuam : inanẽ iactationem accipiunt, quam subitò humi iacentẽ conspiciũt. Me itaq; reprehendis, vt supra cœpi dicere, quòd semel scripserim, *Igitur vel sunt calidum, & humidum duæ partes vnius substantiæ, adeò exiguæ, vt se inuicem penetrent: vel sunt duę substantiæ sub vna quantitate:* iterum verò aliter: *Calidum, & humidum sub vna, & eadem quantitate insunt*. Sed quę nam isthic est contradictio? magnam tu simulas, nempe quia illic distinguo ab vnitate quantitatis calidum, & humidum se penetrantia, hic autem, aio, calidum, & humidum minima se se mutuò penetrare, quia sub vna, & eadem quantitate insunt. Ego verò illic non distinxi calidum, & humidum, se se penetrantia, ab vnitate quantitatis, sed vnam, & eandem sententiam duplice dicendi modo declaraui: vel enim dicere possumus, duas partes minimas vnius substantiæ (subinde sub vna quantitate, vna enim substantia vnam habet quantitatem) vel dicere possumus, (quod idem est) duas substantias sub vna quantitate. Vnde nam colligis, me, cùm dixi duas partes minimas vnius substantiæ, negasse vnam in ijs quantitatem? nempe quia vnam quantitatem dicere omisi; At ex eo, quòd vnam quantitatem non dixi, non sequitur, eam negasse: nõ dixi verò, sed subintellexi, quia doctis scripsi, te autem non magis curaui, quàm scarabei vmbram. *Supra n. 10.*

De penetratione corporum quid sentiendum.

56 Penetrare se inuicem duas substãtias, dixi, quoniam sub vna quantitate sunt: etenim cum alimentum in viuentis substantiam, hoc est, in calidum, & humidum conuertitur, formam viuentis accipit, & sic (vt iam supra me dixisse memini) datur extensio formæ præexistentis in quantitate eiusdem. Neq; verò, cum extensionem dico, putes, me, nutritionem rarefactione fieri, existimare: nam rarefactio est extensio præexistentis quantitatis sinè aliquo addito: at in nutritione augetur noua materia, ad quam quantitas cum forma extenditur. Si hoc non capis, saltem ne damnato, donec viros doctos consulas, & scito Rechum non procreare subtilia ingenia. Hoc vnum tua, non Minerua, sed Nemesis capiat, duas substantias sub vna quantitate posse simul esse, nec tamen inde sequi penetrationem corporum; Et ne ampliùs me penetrationem nõ penetrationem admittere, dicas, consule logicos, qui tibi dicẽt, corpus esse quantitatem: deinde consule grammaticos, qui te docebunt, corporum esse pluralis numeri, & significare plura corpora. Cum igitur dicitur penetratio corporum, idem est, ac si dicatur penetratio quantitatũ: iam ergo penetratio isthæc non conuenit, vt ibi plures substantiæ sunt sub vna quantitate; Ergo cum dicitur penetratio corporum, dicitur penetratio duarum saltem quantitatum, quæ naturaliter est impossibilis: cum dicitur, duas substantias se se inuicem penetrare, dicitur alia penetratio, quę non magis est impossibilis, quàm sit impossibile, duas substantias sub vna quantitate coniungi. Ergo cum materia, & forma sunt simul, non est impossibile, vtramq; se se inuicem penetrare: quia scilicet sub vna sunt quantitate, quicquid in contrarium dicant Nominales, de quibus infra; Cum accidentia, & substantia sunt simul, nihil prohibet, ea se se penetrare, quia quãtitas vtrorumq; vna, & eadem est. *Infra n. 23.*

57 Quæritur ergo, vnde nam oritur impossibilitas penetrationis inter duas substantias corporeas, seu quantas: Ego, imò omnes, quot quot hactenus scripserunt, prouenire inquiunt à ratione quantitatis, quia hæc est, quæ impedit quominùs corpora se penetrent. Consurgit tamen bellua de Recho, & rem nouam quasi omnibus notam profert: nempe impedimentum prouenire ratione ęqualitatis loci continentis. Cæterùm modus facillimus est assequendi veritatem, si addiscendi studio accedis: Certissimum est, nec sinè impietatis nota, aut noxa negari potest, penetrationem corporum, quæ naturaliter est impossibilis, possibilem esse supernaturaliter, imò hoc iam pluries contigisse nos fides, & sacræ paginæ autoritas docet, nempe in natiuitate Christi Domini illæso virginis matris vtero: in resurrectione clauso sepulchro: in ingressu ad discipulos obseratis ianuis. Pactum ergo ratum inter nos esto, vt in medium proferatur, quid præstitit diuina potentia, quando contigit corporum penetratio, num aliquid molita est auferendo impedimentum à quantitate corporis contenti, an à loco continente; Si impedimentum ablatum fuit ex parte loci continentis, iam poteris,

quoad libuerit tibi, tuo fastui indulgere, *victorq; virùm volitare per ora*: Sinè cõtrario sublatum fuit impedimentum ex parte quantitatis contentæ, *demitte auriculas, vt iniquæ mentis asellus*. Ergo rem seriam seriò tractemus.

58 Ex hypothesi, quoniam penetrationes diuinitùs factas, dictum est ab omnibus Theologis, fuisse inter duo corpora, tenendum vtrumq; eorum in penetratione quantitatem suam retinuisse, alioquin si possemus dicere, alteram ex substantijs, quæ se penetrarunt, deposuisse suam quantitatem, res esset facilis expeditu: nam remanente vna duntaxat quantitate, non daretur expulsio à loco, & sic penetratio ex se fieret. Verùm quoniam ex hoc sequeretur, corpus Christi Domini, quod est simul cum quantitate panis in Sacramento Eucharistiæ, propriam quantitatem non habere, quod est falsum, dicere oportet, quantitatem vtriusq; corporis se penetrantis non deponi, sed semper remanere. Quoniam verò ratio formalis quantitatis est extensio substantiæ in ordine ad partes, quæ est vbi intrinsecum, ex quo fluit extensio partium in ordine ad locum, quæ est vbi extrinsecum, non possumus dicere, in penetratione illa amissam fuisse extẽsionem, quoniam in hac amissa amitteretur quantitas, cuius ratio formalis est. Sunt tamen aliæ proprietates, quæ ad extensionem sequi dicuntur, vt est repletio loci, indiuisibilitas, & alterius quãtitatis expulsio, quæ licèt deperdantur, nõ proptereà deperditur quantitas, & tamen deperdita aliqua ex istis, aufertur impossibilitas penetrationis; E. g. poterit secundùm Scotum, & alios deperdi à quantitate vis occupandi, seu replendi locum, & tamen sic non amittit quantitas suam essentiam, amittit tamen penetrabilitas suam impossibilitatem: etenim si possibile est, vt vna quantitas non impleat locum, possibile etiam est, vt vna non expellat alteram. Iam ergo iuxtà hanc opinionem, quæ in scholis Theologorũ fuit celebris (vt refert Albertus Magnus) verum est, impediri penetrationem ratione quantitatis, siquidem ex proprietate quantitatis ablata, aufertur impedimentum penetrationis: quare tibi aduersatur. Nihilominùs tamen per me licebit tibi eam reijcere. Quandoquidem supponit, vnam duntaxat quantitatem replere locum: non potest autem intelligi, vt inquit Albertus, quomodò corpus in loco existat, & tamen locum non repleat. Præterea insania videtur (vt ait D. Thomas) dicere, corpus gloriosum non replere locum, quando cum alio non glorioso alicubi simul constituitur, alioquin, abscedente corpore non glorioso, locus vacuus maneret. Errat etiam Scotus, quia ait, quantitatem esse effectricem causam repletionis loci, ac proinde posse Deum hanc efficientiam subtractione sui concursus inhibere. At quantitas non est magis actiua, quàm materia, vt optimè annotauit Auerrous cum communi consensu: omnes enim quoscumq; vidi omnem agendi vim negant quantitati.

Alb. in 4. dist. 44. art. 25.

D. Th. 3. p. q. 83. art. 2.

Auerr. 4. phys. com. 84

59 Sed quoniam prima hæc opinio (seu vera, seu, quod magis reor, falsa sit) tuam destruit sententiam, quippe non continenti loco, sed contento corpori attribuit impossibilitatem penetrationis: vnde si ex contento auferatur proprietas replendi locum, redditur possibilis penetratio. Videamus, an sint alij qui tibi precariò velint fauere. Dicunt quidam, aliud munus habere quantitatem, nempe rem quantam ab alio corpore distinguere, illudq; aliorsum remouere. Secundùm hoc munus quantitas penetrationi obsistit, non quidem efficienter, quippe vt diximus, quantitas omni efficiendi vi caret, sed negatiuè, non admittendo alterius corporis ingressum. Et hic modus causæ ad causam materialem spectat. Hoc munere, (retenta interim loci repletione) priuatur quantitas, quando duo corpora in eodem situ, & loco ponuntur, quemadmodum in diuina Eucharistia seruata distinctione, atq; ordine dimensionum corporis Christi in ordine ad subiectum, & ad totum adimitur ei commensuratio in ordine ad locum. Hæc etiam opinio ad concedendam penetrationem diuinitùs, considerat ablatum diuinitùs impedimentum ex parte contenti, non, vt tu putas, ex parte loci. Verùm hæcquoq; opinio mihi displicet: quamuis enim teneat, distinctionẽ vnius corporis ab alio, & remotionem à loco non fieri per actionem aliquam, sed negatiuẽ duntaxat, non video, in quo differat à priore. Differt, inquiunt isti, quia adhuc, licèt pereat distinctio, & remotio vnius corporis ab alio, remanet loci repletio. Sed ego quæro, manente repletione loci, per quid fit illa distinctio, & remotio. Respondebunt sanè, per nihil, quia quod negatiuè fit, à nulla re fit; si ergo nihil est, quod distinguat, & remoueat illa duo corpora, nisi repletio, non differt repletio à distinctione, remotioneq;. Iam verò in eo, quod aiunt de corpore Christi in

sti in

sti in Sacramento, est dispar ratio: nam in corpore Christi ibi datur extensio in ordine ad partes, quæ est ratio formalis quantitatis, deperditur verò extensio in ordine ad locum, quæ est extrinseca, & licèt non adsit, non propterea quantitas desinit esse. At in casu nostro datur replens quantitas, & præter hanc non datur positiuum aliquod distinguens, & remouens vnum corpus ab alio. Atq; ita opinio quidem reiici potest, mens tamen autorum eius fuit, penetrationē possibilem fieri ablato impedimento ex parte quantitatis contentæ, non verò, vt tu stultè existimas, ex parte loci continentis.

60 Tertia est, quæ mihi arridet, in cuius gratiam supponere oportet, corpus constitui in loco per suum vbi, qui est modus intrinsecus quantitatis: (loquor de vbi substantiarum materialium, non de vbi Angelorum) Si ergo auferatur illud vbi, aufertur quantitas, & sic res manebunt nec distantes, nec indistantes: quippe distantia, & indistantia pertinent ad quantitatem: nam, si propriè loquendum sit, ea dicuntur propriè distare, quę loco distant, vnde in vacuo non esset distantia ex sententia Philosophi dicentis, *Quatenus enim vacuum est, non habet differētiam*, Ar. 4. phy. t. 66. & plura, quæ ibi in hanc rem affert. Si igitur res, ablata quantitate, non sunt inter se distantes, nec indistantes, vbi nam erunt? Hoc quæsitum secū affert responsionem: cum enim ablata sit quantitas, ablatum est vbi, erunt ergo nullibi: & probatur, quoniam vel essent vbiq;, vel alicubi, vel nullibi: vbiq; esse non possunt, quòd hoc solius Dei est: alicubi est indiuiduum vagum, vt aliquis homo: determinetur ergo istud vagum: non potest determinari nisi per quantitatem, quantitas, ex suppositione, non adest, ergo non est alicubi, si non est alicubi, nec est vbiq;, reliquum est, vt sit nullibi. Dicunt aliqui, substantias priuatas quantitate reduci ad punctum indiuisibile; Hoc non tolerat Soto, quia ad punctum reducerentur per motum: non datur autem motus, vbi non datur quantitas; Soluit Suarez dicens, non reduci per motum physicum, sed per alium, qualis esset motus Angelorum: cæterùm substantiæ materiali, tametsi spoliatæ quantitate, non videtur adhuc conuenire motus Angelorum, quorum substantia est merè immaterialis. Soluit Fonseca inquiens, moueri ad punctum non per verum motum localem, sed per mutationem instantaneam. Displicet etiam hęc responsio: nam mutatio ista instantanea, cum non sit ad locum naturalem, debet fieri per impulsum: at res incorporea non recipit impulsum, nec datur impellens, à quo fieret. Sed pręter rationem, quam Soto affert, duas alias afferam efficaciores: prima est: Tametsi punctum non sit de prædicamento quantitatis, refertur tamen ad illud: est ergo, vt Mirandulanus ait, de genere quantitatis, est & initium quantitatis, tametsi non sit vera quantitas; Quando autem supponimus ablatam quantitatē, intelligimus ablatum quantitatis initium, & quicquid est de genere quantitatis; quare per ablationem quantitatis censendum est, substantiam incapacem fieri existendi etiam in puncto indiuisibili. Altera ratio: Si substantia priuata reduceretur ad punctum vnum indiuisibile, daretur punctū indiuisibile signatum, quod impossibile esse, iam superiùs satis demonstrauimus.

61 Alij tenent, deperdita quantitate substantiam remanere totam in toto, & totam in qualibet parte: si enim Deus in Sacramento Eucharistiæ, ita posuit corpus Christi, quod est quantum, quanto magis poterit idem facere in substantia, quæ non est quanta? Itaq; erit præsens eidem spatio, cui priùs inerat, sed sub alio modo. Verùm hęc opinio nō videtur posse recipi; quippe si substantia sinè quantitate est præsens, ista præsentia importat relationem ad locum, aut saltem connotat aliquod vbi internum, quod est ratio formalis quantitatis, nempe est extensio in ordine ad partes, ex qua profluit vbi externum, seu extensio in ordine ad locum; Quare prædicta præsentia non datur, vbi deest quantitas. Ad id verò, quod affertur de corpore Christi in Sacramento Eucharistiæ, dicimus, corpus Christi esse in eo Sacramento cum sua quantitate, & esse totum in toto, & totum in qualibet parte totius, sed id obtinere per nouum modum, quem Theologi appellant sacramentalem: ablata enim ipsi extensione in ordine ad locum, per hanc ablationem nihil aliud habet, nisi quòd non respondeat ampliùs loco, vt respondebat priùs: at vt respondeat nouo illo, & miraculoso modo, nouus, & miraculosus modus dandus est, quem modum P. Suarez admittit.

62 Porrò cum ostensum sit, per ablationem quantitatis, substantias nec reduci ad punctum, nec esse pręsentes alicubi, tanto magis remanet stabilitum, eas esse nullibi, quæ est opinio Thomistarum. Quare siquidem destructa quantitate, de-

struitur vbi intrinsecum, & per consequens vbi extrinsecum, quod ab intrinseco profluit, &, vti diximus, destructo vtroq; vbi non datur indistantia, igitur necessariò debet dari aliquid, per quod duo corpora sint simul, & in eodem loco coexistant: hoc autem nihil aliud esse potest, quàm modus quidam supernaturalis, quem in Sacramẽto Eucharistiæ Sacramentalem à Theologis appellari diximus. Hoc nos docet mirabile Eucharistiæ Sacramẽtum, in quo Christus est cum sua quantitate, ita tamen vt non sit cum sua naturali extensione in ordine ad locum, quod Belarminius, & alij afferunt, ad confundendos hæreticos in modo essendi Christi in Sacramento, quippe corpus Christi ibi est quantitatiuè, quoad essentiã quantitatis, nõ tamen in ordine ad locum. Hinc colliges, extensionem in ordine ad locum non esse de essentia quantitatis, sed in ordine ad se, seu, quod idem est, in ordine ad partes.

63 Itaq; substantiæ, quę propter extensionem in ordine ad partes erant quantę, non poterant se penetrare, quoniam quantitas hęc est impeditiua penetrationis; Si ergo auferatur hæc extensio in ordine ad partes, aufertur quantitas, & similiter non se penetrabunt substantię, quia sinè quantitate non sunt indistantes. Remanet ergo adhuc tertium, nempe extensionem istam in ordine ad partes, seu vbi istud intrinsecum, seu modũ istum essendi in loco (omnibus his tribus modis solet significari) mutatum fuisse per diuinam virtutem in alium modum supernaturalem, qui modus peruius est penetrationi, atq; ita diuinitùs facta est penetratio corporum. Siquis verò dicat, Deum non posse mutare essentias rerum, respondebo, non posse eas mutare manentibus eisdem; At ego dico, manere non quantitatem illam pristinam naturalem, sed aliam, quam propter supernaturalem modum, supernaturalem appellabo: sufficit verò vt substantia per hanc quantitatem sit quanta. Vt ergo summatim repetã, quæ diffusè sunt dicta, oportet apprehensionem assuefacere, vt intelligamus, cum sequitur diuina virtute penetratio, priorem naturalem modum destrui, posteriorem produci. Destructo priore, quantitatem non occupare ampliùs naturalem locum, imò nullum: impossibile est enim sequi effectum formalem destructa causa formali; sed causa formalis essendi actu in loco erat ille modus præsentię, destruitur ille, ergo illa quãtitas non est ampliùs in loco, imò nisi posterior modus subrogaretur, nullibi esset. Per istum itaq; nouum, & supernaturalem modum in loco est, qui cum sit supernaturalis naturalem excedit in hoc, quòd non est penetrationis impeditiuus, sicut ignis propter supernaturalem modum non impeditur ab actione in substantiam spiritualem. Demùm hæc etiam opinio non tibi fauet: si quidem secundùm eam impedimentum penetrationis supponitur ex parte extensionis, in qua consistit quantitas contenti, non ex parte loci continentis, vt tu dicis.

64 Quærebam deniq; ne tu omnino consolationis expers hinc abires, an Nominales tibi auxilio esse possent: quippe hi & formæ suam quantitatem, & suam materiæ, suam etiam accidentibus attribuunt, & prætereà substantiam à quantitate non distinguentes, inter hæc tria, formam, materiam, accidentia, penetrationem dari non negabunt. Credebam, me tibi subsidium inuenisse: nam tu ex verboso facilè fies Nominalis, nec dedignaberis eorum sectæ, communiter reprobatæ, inhærere: si enim quantitatem à substantia non distinguere proteruiam sapit, cum quantitas sinè substantia existat, & subinde substantia sinè quantitate possit existere, tibi nihilominùs proteruiæ nota ruborem non facit, vt pote qui huic vitio es assuetus. At Nominales te etiam secum non admittunt: quamuis enim formam, & materiam substantias partiales, & accidentia, quæ nõ existunt nisi inhærendo, dicant se se penetrare in ordine ad vnum suppositum, quantitatem tamen vnius suppositi totius esse volunt impedimentum penetrationis in quantitatem alterius: nam substantias, vt diximus, à quantitatibus non diuidentes, putant aliter se habere inter se entia completa, aliter incompleta: quippe incompleta faciunt vnum, ac propterea se penetrant, completa verò non faciunt verè, & realiter vnum, & sic à penetratione impediuntur, quod de partibus essentialibus intelligitur: nam hæ separatæ etiam sunt entia incompleta, partes verò integrales separatæ sunt entia completa. Itaq; partes essentiales, cum vniuntur, se se penetrare posse admittunt, totum verò cum toto non item. Quære igitur aliquem, qui te defendat: neq; enim adhuc quempiam inueni, qui dicere audeat, penetrationem non impediri ratione quantitatis contentæ in loco, sed ratione loci continentis; neq; est, qui asserat cum diuinitùs duo corpora se se in-

uicem penetrarunt, id contigisse mutatione facta in loco, sed omnes ad contenti mutationem recurrunt, nisi tu, qui tunc decides ab opinione tua, quando desines esse proteruus, quod nunquam fiet: quippe proteruitas in te proprietas essentialis est.

65 Sed ne quid ad perfectionem tractationis de penetrabilitate desit, quid circa successiua sentiam, breuiter volo exponere. Vidimus iam ex sacræ paginæ testimonijs factam fuisse non semel, operante diuina potentia, permanentium inter se penetrationem: an verò successiuorum penetratio facta fuerit non valde constat: scimus tamen aliquando motum cœli, qui, vt mox dicemus, est tempus, ac proinde numerus, ac mensura aliorum motuum secundùm prius, & posterius, non correspondisse mensuratis, vt tempore Iosue, quando solis motus cessauit, non tamen cessarunt motiones horum inferiorum: quippe non desijt Iosue hostes cædere, & alterationum motiones habuerunt partes designabiles secundùm priùs, & posteriùs: interim tamen, tunc, vt notat Abulensis non fuit tempus. Eadem discordantia inter motum cœli, & motus horum inferiorū fuit sub Ezechia Rege, quando Sol in horologio Achaz retrocessit per decem lineas, & sub alio, vt dicitur in Paralipomen. *Qui stare fecit Solem*. Et extra sacram paginam in historijs patrum Mutio, qui ægrum moribundum inuisurus, Solisq; occasu præuentus, cum adhuc longiùs abesset, orauit, vt Deus Solem fisteret, donec eò peruenisset, quod & factum Besarione Abbate idem petente, vt ad senem, adquē tendebat, peruenire posset: alio item sene in Scythia, qui tanti fuisse meriti dicitur, vt Solem sistere posset; Et in historijs profanis Turpinus de vita Caroli Magni illo hoste persequente dies fuit tribus diebus par Sole consistente, & in fabulosis Hercules tribus noctibus conceptus fuisse narratur, vnde trinoctius dictus.

Iosue c. 10. *Abulē. q. 70.* *4. reg. 20. & Esai. 38* *Paral. lib. 1. c. 4. n. 22* *In uit. sanct. patr. li. 2. li. 6. c. 28.*

66 Verùm quicquid sit de eo, quod factum est, fieri posse, vt successiui motus penetratiuè per diuinam potentiam existant, negari nequit. Nam magis intrinseca mensura est locus rei locatę, quàm sit tempus rei successiuę: sed constat locatum posse penetratiuè existere, & sic perire in quantitate rationem mensuræ loci ad locatum, cur ergo non peribit ratio mensurę temporis ad motum? Ergo quemadmodùm in loco vnius tantùm corporis capace duo corpora extiterunt, ita in tempore vnam actionem mensurante poterunt comprehendi plures actiones successiuę, imò verò quando in purgatorio dicitur anima pati pœnam sensus per mille annos, pœna illa mille annorum potest respondere spatio exigui temporis, & sic dicentur cruciatus illi coarctari intra mensuram, quę cum illis sit impar, ac propterea necessariò erunt penetratiuè, hoc est plures, qui extendi posset per mille annos conclusi in extensione vnius, v. g. diei. Vnde Abulensis considerat aliquem, qui per mensem, aut per octo dies ante diem Iudicij vniuersalis peccatum commiserit, propter quod quadraginta annis purgatorio supplicio foret exercēdus, in pauco illo temporis decursu, totum hoc seueritatis perficeret, quodcumq; in triginta, aut quadraginta annis tolerare debuisset, & tamen pœna illa diem Iudicij non excederet.

Abulē. parados. 5. c. 118.

67 Obstabit tamen aliquis inquiens, permanentia ideò se se posse diuina virtute penetrare, quoniam cum tota simul existant, tota simul, per diuinam potentiam, possunt coexistere. At successiua, cùm non habeant existentiam, non possunt habere coexistentiam. Quòd autem non habeant existētiam Seneca nobis significauit dicens, *Fluit tempus, & auidissimos sui deserit, neq; quod futurum est, meum est, neq; quod fuit; in puncto fugientis temporis pendeo*. Eleganter etiam in hanc sententiam sic ait D. Augustinus, *Si quid intelligitur temporis, quod in nullas iam, vel minutissimas momentorum partes diuidi possit, id solum est, quod præsens dicitur, quod tamen ita raptim, è futuro, in pręteritum transuolat, vt nulla morula extendatur: nam si extenditur, diuiditur in pręteritum, & futurum, præsens autem nullum habet spatium*. Respondeo, res quidem successiuas, quatenus tales sunt, non dici existere actu, nisi ratione vnius instantis, idq; satis esse, vt partes earum dicantur existere, & esse præsentes: quia ad vnum instans copulantur, tum prętéritæ, quia ratione alicuius instantis aliquando præsentes fuerunt, tum futuræ propter proportionalem rationem: Non tamen hinc colligi debet, tēpus nihil aliud esse, nisi vnum instans fluens: tum quia cum vera ratione instantis repugnat realis fluxus, & successio, tum etiam quia hoc ipso, quod instans dicitur fluere, intelligitur transire, & perire, & alia instantia aduenire. Sed sicut Mathematici declarant lineam per fluxum puncti, quamuis nullus sit punctus verè fluens, sed

Sen. 6. quæst. nat. in fine. *Augu. 11. cōf. c. 5.*

imaginatione cogitatur ad declarandam dimensionem lineæ, ita successio temporis declaratur ad instar instantis fluentis, vt intelligatur in tempore nunquam esse aliquid totum simul. Itaq; cum natura temporis difficilis sit explicatu; [D. Au. 11. cōfess. c. 14.] quod confitetur D. Augustinus inquiens, *Quid ergo est tempus? si nemo ex me quærat, scio: si quærenti explicare velim, nescio.* Cum, inquam, difficilis sit explicatio, qua temporis essentiam alijs significare volumus; nullus est id peragendi modus melior, quàm per fluxum instantis. Realiter tamen tempus nō est instans: quod probo, nam non magis potest tempus ex indiuisibilibus constitui, quàm motus: siquidem & tempus est mensura motus, & motus est mensura temporis, [Ar. 4 phys. t. 133. & alibi.] (vt Aristoteles nō semel inculcat) nec etiam motus magis ex indiuisibilibus cōstitui potest, quàm spatium, à quo suam habet extensionem; Cum ergo spatium non possit suam latitudinem habere ex indiuisibilibus (quippe indiuisibile additum indiuisibili non facit extensionem) rectè sequitur, nec motum, nec tempus ex solis indiuisibilibus fieri. Deinde quemadmodùm in permanētibus inter quęlibet puncta mediat quantitas, sic in successiuis inter quælibet instantia mediat tempus: eadem enim ratio est de instantibus in ente successiuo, quæ de punctis in [Dur. 2 dist. 2. c. 4.] permanente: Tandem præter plures rationes, quas alij afferunt, præcipuè Durãdus communiter receptus, vna est, ad quam omnes terminantur, nempe de ratione temporis esse habere priùs, & posteriùs, quod patet, quia id de ratione formali vnius cuiusq; rei est, quod eius essentialem definitionem ingreditur. At definitio temporis Aristotelica, ab omnibus essentialis iudicatur, per hanc dicitur tempus *Numerus motus secundùm priùs, & posterius:* sed in instante non datur [Ar. 8. phys. t. 69.] *priùs, & posterius*, ergo instans non est tempus. Quando igitur Aristoteles ait, res tunc primò esse, cum datum est vltimum instans temporis, in quo fiebant, id ad præfinitam temporis designationem spectat: nam præsentis temporis nihil præfinitum est, nisi instans, quo preteritum, & futurum copulantur: sic dici etiam solet, nos temporis nihil habere præter instans, hoc est, nihil habere præfinitum; Hoc tamen non tollit successiuam temporis existentiam, siue existentem successionem, existentem, inquam, per suas partes, quę reales ne sint, an rationis, cum [Ar. 4. phys. t. 131.] distinctione determinare oportet, ita vt Aristoteles dicens, tempus animæ esse, intelligatur de tempore in ratione numeri: quippe numerus in anima est, hoc est, in intellectu; siue vt numerans, siue vt numeratus, siue vt numerabilis; At in ratione successiui existit quidem, licèt anima non adsit, hoc est, seclusa operatione intellectus, ideò Aristoteles ait, fieri non posse, vt anima sublata tempus sit, *nisi hoc quod aliquando existens tempus est, vt si contingit motum esse sine anima, priùs autem, & posteriùs in motu est:* quasi dicat, motum abstrahendo à numerandi ratione per se existere, per se, inquam, hoc est per suas partes, quę continentur in priùs, & posteriùs.

68 Quare tempus suam habet extensionem diuersam ab extensione permanentium: etenim permanentiū partes omnes simul existunt, successiuorum autem partes continuę quidem sunt & ordinatæ, sed tamen secundùm priùs, & posteriùs, præsertim versus posteriùs: nam si desit posteriùs, ad quod motus tendat, deest successionis ratio. Quamuis igitur permanentia in modo existendi differat à successiuis, conueniunt tamen in extensione, quia sicut permanentia habent partes extra partes, sic etiam successiua: deinde sicut permanentia sunt extensa in ordine ad locum, successiua extensa sunt in ordine ad tempus. Videbitur tamen alicui, frustra quæstionem institui de successiuorum penetratione, an scilicet diuinitùs fieri possit; nam ipsa naturaliter fit: multę enim actiones physicæ, dummodò non sint contrariæ, fiunt in eodem tempore, ac proinde existentiam suam successiuam simul habent, vel à duobus agentibus, vt excalfactio à Sole, & ab igne, vel ab vno solùm, vt calefactio, & liquefactio ad eodem calore. Respōdeo, tempus vel esse vniuersalissimum, videlicet durationem imaginariam, ad cuius mensuram possumus omnia per intellectum accommodare: hoc tempus cum nihil habeat, quod sit à parte rei, sed totum in intellectu, non est, cur in præsente veniat considerandum: vel est tempus vniuersale, quod licèt ex parte mēsurę pendeat (vti diximus) ab anima, habet tamen aliquid à parte rei, nempè motum corporum cœlestium, secundùm quod omnium inferiorū durationes mensurantur. Hoc tempus ita sumptum definit [Plato in Tymæo.] Plato dicens, esse conuersionem cælestis Mundi: quippe ita scriptum reliquit: *Nox igitur, & dies ad hunc modum, & ob has generata sunt causas, nempè vnius sapientissimæ conuersionis circuitus: mensis*

autem

tatem quando luna lustrato suo cursu solem consequuta est: annus vbi sol suum totum confecit, & peragrauit orbem: cæterorum autem syderum ambitus ignorantes homines, præter admodùm paucos, neq; nomen appellant, neq; inter se numero commettiuntur. Itaq; vt sic dicam, nesciunt hos syderum errores, id ipsum esse, quod dicitur tempus, multitudine quidem infinita, sed admirabili varietate præditos. Videtur autem Plato, hanc doctrinam sumpsisse ex libris sacræ paginæ, quam legisse suspicantur multi, in ea enim habentur hæc verba: *Dixit autem Deus, fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem, ac noctem, & sint in signa, & tempora, & dies, & annos, vt luceant in firmamento cœli, & illuminent terram*; & quæ sequuntur. Tempus istud vniuersale mensura est externa durationis caducarũ rerum: quòd sit vniuersale, poterit hæc, & illa simul indeterminatè mensurare, & secundùm hoc tempus esset quidem inane, agere de penetratione successiuorum, sicut etiam impertinens esset, agere de permanentium penetratione respectu loci communis, siue vniuersalis. Tertium tempus est particulare, quod à quolibet particulari motu non differt, nisi duntaxat ratione: hoc tempus est extrinseca successiuorum extensio, siue duratio. Cum igitur vnumquodq; ens successiuum sua propria duratione circunscribatur, cumq; duratio rei sit ipsius existentia, cum rursus, neq; per diuinam potentiam possit aliquid existere per existentiam alterius, videtur impossibile, posse, nec etiam diuinitùs, duo successiua, quæ inter se incompossibilia sunt, fieri compossibilia. Gen. 1. n. 14.

69 Cæterùm, vt iam superiùs diximus, non magis repugnat coexistentia permanentium, quàm successiuorum: possunt diuinitùs permanentia existere plura in loco vno, poterunt, & plura successiua in vno tempore. Ratio verò in contrarium allata conuellitur ex eo, quòd licèt duratio, & existentia re non differunt, vt supra est dictum, nihilominùs duratio successiuorum aliquid addit supra eorundem existẽtiam, scilicet persistentiam cum nouarum partium continua acquisitione. Quare res in eo instante, in quo gignitur, dicitur existere, non tamen adhuc dicitur durare. Potest ergo Deus existentijs separatis durationis rationem, secundùm quam ab illis differt, colligare ita, vt possit vna quidem existere sinè alia, non tamen sinè alia durare: e.g. motus Solis, & motus Lunę duo motus sunt, singuli singulas existentias separatim habentes; poterit tamen Deus eosdem secundùm durationem ita inter se coniungere, vt motus Solis includatur in duratione motus Lunæ, & sic dicentur esse simul penetratiuè. Probatur igitur, posse duo successiua incompossibilia, diuina virtute compossibilia fieri. Sup. q. 4. art. 13. n. 39.

70 In primis duo permanentia (vt superiùs dictis constat) possunt se inuicem penetrare: penetrentur ergo per motum sibi inuicem occurrendo: non ne dum se se inuicem transeunt, dantur duo contrarij motus simul? iam ergo duo motus contrarij se se inuicem penetrant. Atq; hęc est radix, vnde elicitur, posse per diuinam potentiam duo contraria simul esse: quippe duo contraria acquiruntur per duas contrarias actiones; Cum ergo duæ contrariæ actiones possint penetratiuè simul esse, possunt etiam simul esse duo contrarij actus.

71 Deinde per diuinam potentiam potest tempus præteritum reproduci idem numero, qui anteà fuit, neq; tamen propterea erit falsum illud principium, *Ad præteritum non est potentia*: non, inquam, erit falsum, nam licèt Deus reproducat tempus præteritum, non propterea facit, vt, quod fuit, non fuerit: hoc autẽ nihil facit contra nostram intentionem, satisq; est, vt tempus præteritum idẽ numero reproducatur. Si ergo hodie reuertatur hesterna dies, erit cum hodierna simul dies hesterña, ac proinde se se vtraq; penetrabit. Et sic puto, posse explicari verba illa psalmi: *Quoniã mille anni ante oculos tuos, tamquam dies hesterna, quę præterijt.* Hoc est, possunt mille anni *in pręteritę diei spatio includi.*

72 Tandem facit ad hanc veritatem confirmandam, ratio superiùs adducta, de pœna sensus, quam patiuntur ij, qui in Purgatorio torquentur; siquidem potest pœna mille annorum includi in spatio vnius diei. Nec valet, si dicas, in hoc casu augeri intensionem pœnę, ex qua non potest fieri argumentum ad eiusdem extensionem, non inquam, valet: etenim licet ex sententia D. Thomæ, *Calor ille recuperabit in intensione, quantum amittit in temporis breuitate*, hoc ita concedamus in ea pœna, quę est infra summum gradum, nihilominùs tamen si pœna vnius horę ascendat ad summum, non poterit intẽdi ampliùs per aliud tempus, propterea pœna multorum annorum aliquid habet vltra intensionem, alioquin dolor maximus vnius horę, non posset in se recipere, per intensionem, dolorem multorum D. Th. in additam ad 3. q. 74. art. 8. ad 5.

torum annorum. Quid ergo est, quod additur dolori summo, vt æquiparetur dolori multorum annorum? Duo in dolore considerantur, vehementia, & diuturnitas: si vehementia sola esset, non posset augeri, quando foret in summo gradu: quapropter dolori summo vnius horæ poterit augeri molestia diuturnitatis multorum annorum, & sic in vna hora doloris includentur multi anni eiusdem doloris, hoc est, vnius horæ molestia penetratiuè secum habebit, per diuinam potentiam, molestiam quadraginta annorum. Atq; hæc sufficiant circa penetrabilitatem doloris. Cæterùm non est ita fœta imperijs Italia, quàm sit hæc materia optimorum theorematum fertilis.

Dubij cuiusdam solutio.

73 EXpedita digressione circa corporum penetrationem, ad quam me calidi innati cum humido existentis ratiocinatio deduxit, ad idem calidum innatum regredior, & in mentē reuoco, calidum, & humidum duas partes vnius substantiæ, seu, quod idem est, duas substantias partiales sub vna viuentis forma sub vna quantitate existentes, ac propterea sub vna extensione, non esse duo corpora realiter extensa, quæ possint per se esse in loco, quòd si non sunt in loco, nō se in loco penetrant: sunt tamen simul, hoc est, indiuisę, sunt autem indiuisę, quoniam indiuisibiles, sunt indiuisibiles, quoniam minima, in quibus consistunt, indiuisibilia sunt. Hic igitur se offert difficultas: nam si ex calido, & humido efficitur vnum compositum, potiùs vnum suppositum, non poterunt inuicem agere, siquidem idem non potest agere in seipsum: omne enim, quod mouetur, ex Aristotele, mouetur ab alio. Verùm considerare oportet, ex eodem Aristotele ibidem, & etiam alibi, non necessarium esse, totum agens distingui supposito à passo, vnde infert ipse, posse idem moueri à se ipso, si distinguatur in partem per se mouentem, & partem per se motam: quemadmodùm enim forma agit in materiam reducendo illam de potentia ad actum, sic calidum innatum, quod se habet veluti forma humidi, agit in humidum, quamuis ambo sint partes vnius suppositi. Cum ergo, (vt superiùs manet dictum) calidum non agat, nisi prout est in toto, sequitur non agere, prout est pars indiuisibilis: actio enim motus est, omne autem quod mouetur, ex Aristotele, diuisibile est: igitur vna pars diuisibilis caloris agit in aliam partem diuisibilem humidi. Si verò quæras, quantula sit hæc pars, quæ agit, dicam, esse partem minimā physicè, hoc est, partem, quæ diuidi quidem potest in partes alterius speciei, in partes autem eiusdem speciei non potest, quod satis superiùs manet declaratum; Si queras cur partes agentes minimas saltē physicè esse dicā? Respondeo, quia si non essent minimæ, non esset maior ratio, cur ageret hęc pars partis, quàm illa: & sic manet satisfactum omnibus difficultatibus; Quòd si doctrina hęc subtiliter pertractata tuam excedit capacitatem, non te alloquor insane, sed viros doctos, qui omnia, quæ hic dicta sunt, facilè capient, & mihi asperitates explananti applaudent.

Ar. 7. phys. in princ.

Responsio ad argumenta, quæ initio fuerunt proposita.
Articulus Quartus.

1 PRimum argumentum, quo probari posse videbatur, posse aliquod alimentum (latè sumpto alimenti nomine) dari, quod nullum ex se relinquat excrementum, supponebat post tres coctiones, in quibus alimenta separantur, nō adesse ampliùs partem excrementosam, ac propterea posse alimentum reperiri, quod tantam habeat puritatem, quanta acquiritur per tres coctiones; In quo argumento falsum est antecedens, falsum, & quod consequitur: nam in primis tertia coctio (vt iam superiùs me dixisse memini) magnam habet extensionem, & semper omnes alias actiones comitatur: nam semper & cum apponitur, & cum agglutinatur, & cum assimilatur, simul perficitur, at coctio perfectio est. Natura igitur, quoad potest semper satagit circa coctionem, sic intestinorum tunicam eandem esse voluit cum tunica ventriculi, vt dum excrementa transeunt per intestina superiora, aliquid etiam eorum coctione ad bonam frugem reducatur, & per mesaraicas illuc hiantes ad iecur transmittatur

& hoc

& hoc quoad primam coctionem: quoad ſecundam autem venis aliquam ſanguificandi vim tribuit, vt ſanguis per eas tranſiens aliquam etiam partem pituitoſam in ſanguinem tranſmutet, & totam maſſam ſanguinis reddat magis, atq; magis perfectam: quoad tertiam, ex primo ingreſſu ab oſculis venarum ſemper calor naturalis tendit ad eum finem, qui eſt ſimile reddere alimentum alito: & ſic in particulis noſtri corporis, in quibus celebratur nutritio, celebratur etiã coctio, ita vt coctio aſſimilationem ordine naturæ antecedat, ordine verò temporis cum omnibus alijs actionibus ſit ſimul. Itaq; quamuis coctio magis ſpectetur, quoad perfectionem qualitatum, nutritio verò, quoad ſubſtantiam, tamen nutritio aliquando à Galeno alterationis ſpecies eſſe dicitur, quaſi inſinuet, alimentum, dũ in ſubſtantia perficitur, & aſſimilatur ſubſtantiæ eius, quod alitur, perfici ſimul, & aſſimilari in qualitatibus. Tandem ratione loci, cum præcipuè in poris fiat tertia coctio, ibi etiam fiat aſſimilatio, iam verò ſuperius dixi, aliquam partem reſiduam habere, quoniam ſcilicet dum aſſimilatio fit, pars, quæ alitur, inceſſabili effluxu exſiccatur, & ſic alimenti pars aliqua tamquam humidior, quàm oporteat, relinquitur, & eſt excrementum tertiæ coctionis: non enim poteſt eſſe excrementum aſſimilationis, quoniam illam antecedit: at excrementum nõ antecedit actionem, ſed ad eam ſubſequitur.

G. 3. de sympt. caus. c. 2.

2 Quod attinet ad conſequens: non minus etiam falsò diceretur, alimentum ante coctionem poſſe ab excrementis adeo eſſe expurgatum, vt adæquet puritatẽ, quam habet, poſtquam omnes coctiones pertranſiuit: alimentum enim initio eſt diſſimile, in fine autem fit ſimile, quod ex Ariſtotelis dictis ſępiùs repetitis conſtat. Ratio autem, cur non poſſit non eſſe initio diſſimile, à priore hæc eſſe videtur: calor, qui debet agere in cibum (quippe nutritio actio viuentis eſt, & propterea fit per calorem) agit in illum, prout calor ipſe dirigitur à forma viuẽtis, aliter enim non poſſet ex eodem cibo in ventriculo leonis fieri chylus, qui tranſmutetur in carnẽ leonis, in ventriculo autẽ alterius animalis ſimiliter pro natura concoquentis: calori autem directo à forma, non poteſt calor extra corpus in effectu æquiparari: ergo non poteſt extra corpus ars aliqua cibum ita præparare, vt non indigeat ope caloris interni, ſi nutrire debet: cum autem calor internus adeſt, neceſſariò datur ſeparatio vtilis ab inutili. Prætereà cum alimentũ debeat fieri ſimile, debet hæc actio eſſe ab agente, cui ſimile eſſe oportet: ergo à corpore, quod alitur: cumq; ſimile fiat ex diſſimili, neceſſarium eſt, vt ſeparentur partes, per quas erat diſſimile: hæ autem, vt inutiles, ſegregantur, vt moleſtantes, excernuntur, & ſic excrementa nuncupantur.

Ar. 8. phy. t. 55. 1. gen. & cor. te. 38. & 2. de anima te. 45.

3 Ad alterum facilis eſt reſponſio: ſupponit enim, dari corpus, quod duas partes A. B. habeat puras, partem verò C. alicuius impuritatis participem: deinde alimentum, quod habeat tres partes puras D. E. F. & vnam impuram G. & ſic partes puras corporis A. B. nutriri ab alimenti partibus D. E. & remanere partẽ alimẽti puram F. & impuram G. quibus pars corporis impura C. nutriatur, ac proinde non ſupereſſe partem impuram alimenti, ex qua confici poſſint excrementa. Tripliciter tamen poteſt reſponderi: primò non admittendo ſuppoſitionem: neq; enim tam in alimento, quàm in corpore alito poſſunt partes puræ ab impuris diſcerni, niſi per operationem caloris: ſuppoſitio autem eas conſtituit ſegregatas ante ſegregationem; Secundò quia id, quod in corpore impurum eſt, ab omni alimento quantumuis puro redditur impurius, iuxtà illud *Impura corpora quanto magis nutries magis lædes*; Tertiò quoniam puritas alimenti nunquam poteſt adæquari puritati corporis, niſi per actionem ipſius corporis, actio verò procedit perficiendo, perfectio autem partes minùs perfectas ſeparando.

4 Tertium argumentum ſupponit, excrementa poſſe nutrire, de quo iam ſuperiùs egimus, & nunc iterum aliquid licebit adiungere, Semicaproq; in re parua magnas calumnias intonanti occurrere. Quando ego in tractatu de Aſitia dixi, agens de excrementis pituitoſis, *Hæc autem indigentiæ tempore nutrire poſſe, nemini dubium eſſe debet*, non putabam, ſurrecturum ex Recho Semicaprum, qui veritatem adeò ratione munitam cornu peteret. Ades tu, & quiſquilias incipis quærere, cum *nutrire* debueram dicere, vitio typographi ſcriptum eſt nutriri, hoc quilibet quantumuis obtuſus ex antecedentibus per ſe ipſum ſciret emendare. Dixeram ciborum defectum ſupplere poſſe cruditates, ſi poſſunt ſupplere defectum ciborum, nutrire poſſe, non autem nutriri dicendum fore, nemo eſt, qui ignoret, niſi tu omnium ignorantiſſimus. Poſt multa, quæ in me contumelioſè

Sup q. 6. art. 2. nu. 4 & nu. 6. de Aſitia c. 22.

☞ congeris, sic concludis, *Mi homo, excrementa nec nutriunt, nec nutriuntur*. Tuus quidē non sum, homo sum: non sum tuus, aut amicus, aut inimicus. non amicus, quoniam indignus es, qui ameris, nisi à tui similibus: non inimicus, quoniā contemno causas odii, quas mihi pręstas. Sum homo, non vulgaris, sed qualem me agnoscunt esse viri boni: hos tu de me consule, &, si pudor in te est, pudebit te, si conscientia, pęnitebit, mecum contumeliosè egisse. Ais igitur, *Excrementa nec nutriunt, nec nutriuntur*: duas hoc tuum pronunciatum habet partes, primò primam expendamus. *Excrementa non nutriunt*: cur non nutriunt? ad hoc quęsitum ita respondes: *Non alunt, quia sunt excrementa, hoc est non alimenta*. Vide quid dicas temulente: cerebrum tuum præ vino nutare videtur: non ne in tuo ☞ illo libro de his, qui sine cibo viuunt, sępiùs repetis, lutum non esse alimentum, sed ratione excrementorum, quæ cum ipso sunt, alere? Si autem voluisti dicere, excrementa non esse alimenta ijs corporibus, quorum sunt excrementa, iam propositionem non absolutam, sed conditionatam facis, & sic quidem non adhuc omnino veram: nam excrementa pura sunt, quę non alunt, hoc tamen non tollit, vt plurimùm cum excrementis partem aliquam misceri, quæ alitioni sit vtilis: hoc superiùs me inculcasse memini, & tu potes addiscere ex quotidiano euētu. Non ne ex ventriculo transmittuntur excrementa ad intestina? at in intestinis adhuc aliquid extrahitur ab excrementis, quod abit in alimentum. Omitto, quæ Auicenna, & Galenus dicunt de tempore inopiæ, in quo excrementa ad ventriculum tu met ipse reuocari fateris: verùm de hoc satis, superq; iam superiùs est actum. Arguis tamen me, quòd cruditates cum excrementis confundam, imò miraris: quòd ego publicus theoricus, idemq; ordinariùs medicinæ lector ignorem, dissidere origine, & natura cruditates ab excrementis. Ego verò non miror, quòd tu vtraq; hæc inter se dissidere dicas, cum nouitas rerum sit causa admirationis: non autem in te est nouum, id, quod ignoras, tamquàm cognitum profiteri. Cruditates origine ab excrementis dissidere ais, quoniam cruditates ante coctionem sunt, excrementa post coctionem emergunt. Sed quid cruditates appelles, nescio: ego verò cruditates crudos humores appello. Isti ne sunt ante coctionem? at ante coctionem non sunt humores: quomodò ergo ante coctionem sunt humores crudi? sunt ergo humores crudi illa pars, quę coctionem effugit: at hoc non est originem habere ante coctionem. Excrementa igitur ad sequestrationem sequuntur: sequestrantur autem tam ea, quæ citra coctionem remanserunt, quàm quæ vlteriùs transierunt, quàm etiam quæ crassitie subsident, vt melancholia, quàm quæ tenuitate inutilia sunt, vt serositas: horum quælibet sua habere receptacula dixit Galenus, præter id, quod crudum est: quippe cum citra coctionem remansit, poterit adhuc repetita coctione emendari: nunquid propterea quòd potest adhuc fieri alimentum, non appellabitur excrementum? minimè: sed appellabitur excrementum pituitosum: ita ego appellaui, ita Galenus solet appellare, ita etiam ex Aristotele colligi potest, qui ait: *Primi igitur alimenti excrementum pituita est, & siquid aliud eiusmodi est*: pituita enim alimēti vtilis excrementum est: cuius rei indicium, quòd permistum cum cibo puro alere potest, & labore absumitur. Sed ne tempus ampliùs in huiusmodi nænijs teramus, concludo sic. Tu me increpas immeritò, increpas tamen, quòd cruditates cum excrementis confundam, nam cruditates alunt, quia non sunt excremēta: si rursus quæram, cur cruditates non sunt excrementa, respondes, quia alunt, atq; ita logicæ omnino expers, nec te pudet, efficis circulum, petis principium, & hæc est tua encyclopedia.

5 Altera pars tuæ positionis est, *Excrementa non nutriuntur*: nempe vt me accuses, qui dico, cruditates nutriri: nec voluisti ex antecedentibus errorem typographi corrigere. Igitur vitium typographi, quod in me conijcis, à me reijcere volo. Non vis, vt dicam excrementa nutriri: cur ita? quia, vt tu ais excrementa non sunt viuentia. At Hippocrates, qui paulo minùs quàm tu, sapit, non viuentibus accommodat nutritionem, sic spiritus nutriri dixit, & alimentum per nares ingredi, quod non ad viuentis alimoniam, sed non viuentium spirituum refectionem ingreditur. Respondebis, Hippocratē impropriè vocabulo nutriēdi fuisse vsum, & ego impropriè: neq; Hippocrates aliquid adiungit, per quod profiteretur, se impropriè loqui, nec ego; Sufficit, quòd ita magnus Senex frequenter verbum accipiat. Præterea tu, qui grammaticum profiteris, nescis, hoc verbum etiam incorporeis rebus accommodari: nutriuntur odia, inimicitię, simultates

p. 203. *p. 204.* *De his qui sine cib. li. 4. c. 3.* *G. 2. de fac. na. c. vlt.* *Ar. de gen. an. lib. 1. c. 18.* *Error Satyri in log.*

tates

tates, deinde nutriri dicimus omnia, quæ quomodocumq; fouentur, & conseruantur: vinum nutritum dixit Columela, sarcocolam nutritam dicunt seplasiarij: infinita propemodùm huius rei extant exempla. Ergo impura corpora quoties nutriuntur, simul nutriri excrementa, possumus dicere. Quare si vniuersaliter ais, viuentia non dici nutriri, in errore versaris: si peculiariter ad meam positionem respicis, vade ad aliquem, qui te doceat, quàm facilè esset, errorem istum corrrigere.

6 Vltimum argumentum nullam continet difficultatem: nam mel in senibus totum abit in sanguinem, hoc est, totum id, quod post coctionem remanet: non sicut in iuuenibus, in quibus ferè totum abit in bilem. Atq; hic imponitur quæstioni finis; quæ, quoniam multas habet propagines, multum euagari coëgit: reuertor ad textum.

Quæ in singulis sunt, iuxtà vniuscuiusq; naturam, & facultatē, quæ ab initio adest.

Statutum est Vallesio (vt in præfatione animaduerti) sententias huius libri, maiore ex parte non ad nutritionem animalis, iam in lucem editi referre, sed ad formationem in vtero: iccirco explicat hæc verba, quasi autoris mens sit, singula deducere ad propriam naturam, & vim, quæ in singulis erat potentia, actu verò non: nam à principio nulla pars retinet suā formam, nec vim nisi potentia.

Cæterum magis propriè alimentū dicitur prout inseruit nutritioni, quā prout inseruit formationi. Tametsi iuxtà meam, imò multorum sententiam, generatio nutritio quædam est, & propterea aggeneratio solet appellari. Porrò quoniam hoc opusculū de alimento inscribitur, conueniens potius est, eius sententias ad alimentū animalis iam in lucem editi, quàm in vtero adhuc existentis deducere. Imò verò autor quando inferius voluit circa formationis tempora, aliquid dicere, se se ipsum explicauit, vnde infertur in alijs locis, in quibus non se declarauit, diuersam materiam tractasse. Auget ergo, corroborat alimentum, & reliqua, quæ dicta superius sunt, præstat, iuxtà corporis, quod nutritur *naturam, & facultatem, quæ ab initio adest*. Verùm quoniam facultatem in præsente debemus intelligere altricem (hæc enim est quæ circa alimentum versatur) altrix à medicis naturalis appellatur, & sæpissimè natura, & differt à duabus alijs vitali, & animali, imò aliquando Galenus altricem nō animam, sed naturam, si propriè loquendum sit, appellandam esse contendit, posset aliquis Hippocratem, alioquin breuiloquum, redundantiæ verborum insimulare: nam si facultas, de qua agit, idem est, atq; natura, cur *naturam, & facultatem dicit*, cum sufficeret alterutrum dūtaxat dicere? Accedit etiam, quod φύσις, hoc est, natura, & δύναμις, hoc est, facultas pro vno, & eodem, videlicet pro temperamento, accipi solent. Nam naturæ nomine ab Hippocrate temperamentū intelligi, adeò frequenter repetit Galenus, vt nihil frequentius apud eum: quod autem facultas etiam temperamentum dicatur, constat ex eodem Galeno: siquidem calidum, frigidum, humidum, siccum essentias esse facultatum ait, & alibi facultates singularum partium essentiā in singularum partium illarum commodo temperamento positam esse: quod etiam ex multis alijs locis potest colligi. Cum ergo facultas, & natura sint vna, & eadem res, inquirendum est, cur naturam, & facultatem dixit? nam synonimia, & pleonasmus ab Hippocratica oratione procul abest.

Infra t. 45.

Ga. 1. facult. nat. c. 1

Ga. 12. simpl. med. facult. c. 2

Ga. de præsag. expulsi. c. 8.

Nihilominus cum isthæc duo vocabula facultas, & natura, plurima habeant significata, naturæ nomine hoc loco temperamentum voluit significari, facultatis vocabulo vim effectricem: quasi dicat Hippocrates, alimētum augere, corroborare, & reliqua præstare iuxtà corporis, quod nutritur, temperamentum, & effectricem vim. Sed hìc adhuc alia difficultas emergit: sunt enim, qui existiment temperamentum non differre à facultate; Quare duo nobis incumbunt pertractanda, videlicet differentiam inter hęc duo, & quę vniuscuiusq; sit essentia.

DIFFERAT NE TEMPERAMENTVM à facultate.

QVÆSTIO VNDECIMA.

OCcasionem præsenti controuersiæ præstat Galenus, cuius sententijs muniti vtriusq; sectæ autores in certamen descendunt. Referenda igitur sunt, quæ ille varijs in locis protulit, vt posteà inter duas opiniones, quę nam sit potius eligenda, discerni queat. Galenum verò sibi met conciliandi laborem alijs, qui huiusmodi speculationibus delectantur, relinquam, cum hic ad veritatem inquirendam nihil facere videantur.

Quid Galenus senserit. Articulus Primus.

G.1.de præsag. expuls. c.4. G.1.na. fac.c.3. Ga. 1. simpl. c.1. Ga. 2. meth. c.3. Ga. de plenit. c.3. G.2.de pręsag. expuls. c.8. Ga.lib. quod animi mores c.2. & c.6.& lib. 1. de caus. pulsc. 2.& 1. facult. nat. c. 4. G.nat. facult. c.4.

INter testimonia, quibus quidā probare contēdunt, Galenū facultatē à tēperamento nō separasse, primū est ex libro de præsagitione ex pulsibus, vbi sunt hæc verba. *Facultatis singularū partiū essentia in singularū partiū illarū cōmodo temperamento posita est: nam tum demū vnumquodq; munus obit strenuè, vbi sit temperatissima, contra verò malè fungitur, si intemperata, atq; hactenus malè quatenus sit temperata.* In libro de naturalibus facultatibus similiter ait: *Et mihi quidem tam vena, quam reliquarum partium singula, ob certam quandam temperiem, quam ex quatuor qualitatibus sunt nactæ, hoc, vel illo modo agere videntur.* Libro etiam de simplicium medic. facult. itidem calidum, frigidum, humidum, siccum essentias facultatum esse, ait: sicut etiam in libr. methodi medendi propriam cuiusq; particulæ actionem ab aliarum actionibus tantum differre ait, quantum ipsa particula ab alijs differt: differre verò adiungit *proprij temperamenti ratione.*

Ex aduerso alij dicunt, Galenum, tametsi sæpe dicat, facultatem esse causam actionum, nullibi tamen dixisse, esse omnino eandem cum temperamento, imo verò aliquando eam *proprietatem temperamenti* appellat, quasi insinuans intimā, & propriam qualitatem, quę suo modo temperamentum comitatur. Cum ergo alibi facultatem appellet *temperamenti qualitatem*, existimare oportet, facultatem esse naturalem potentiam, pertinentem ad secundam speciem qualitatis, quasi sit qualitas, seu potentia, quę ex temperamento emergit, non autem ipsū temperamentum, quod cum sit proportio qualitatum primarum, est vnum per accidēs, ac subinde non est causa efficiens: facultas enim efficiēs causa est, ideoq; à Galeno dicitur esse ad aliquid, non quòd existimet (vt falsò ei Peramatus imponit) facultatem esse relationem, (nam sic nihil ageret) sed quòd ordinem, & respectum ad actionem in se includit. Et hanc fuisse eius mentem manifestè indicat, quando ait: *Cæterum potentia ea, facultas ve in venis, quam sanguificam appellant, atq; etiam alia quæuis facultas in relatione ad aliquid intelligitur. Primum quidem actionis ipsius potentia est causa: deinde etiam operis ex accidente quodam. At verò si causa ad aliquid est (est enim vnius eius, quod ab ea fit, reliquorum nullius) planum est, potentiam quoq; in relatione ad aliquid dici.* Hactenus Galenus, qui facultatem in relatione dici ait, quatenus est causa, & ad suum effectum ordinatur, non autem quòd in ea nulla alia essentia præter quàm relationis insit.

Pars affirmatiua recipitur. Articulus Secundus.

1 POrrò iam cœpi insinuare, partē affirmatiuam mihi magis placere, quod aliquibus rationibus præter predictas confirmare erit operæ prætium. In primis facultatem à temperamento differre, id vel maximè nobis ostendit, quòd multa, quę facultates habent diuersas, eiusdem sunt temperamenti: multa rursus facultate sunt eadem, temperamento tamen diuersa. Deinde vnusquisq; ea, quæ in nobis sunt considerans, facultatem à temperamento cogitur distinguere: etenim non quia frigida est manus, siue aliter intemperata moueri desinit, aut sentire, & tamen si nerui ad eam peruenientes ligentur, aut scindantur

motus,

motus, sensusq; peribit. Prætereà si facultas esset temperamentum, nulla esset facultas influens: nec verò dicat aliquis, etiam temperamentum communicari per influxum, dicente Galeno, calidi cordis temperamentum, vniuersum corpus calidum reddere, nisi hepar vehementiùs obstiterit: vnde colligi videtur à corde, & iecore temperamentum totius dispergi in vniuersa membra: non inquam hoc contra nos aliquid probat: nam etsi concederemus, temperamentum à corde, & iecore influere, quod tamen non est concedendum, at saltem à cerebro temperamentum nullum influit, facultas autem influit. *G. art. med. c. 29.*

2 Offert se se tamen hoc loco difficultas: quippe animi mores corporis temperamentum sequuntur, sunt autem actiones, quæ propterea ab aliqua facultate dependere debent tamquàm à causa: si dependent à temperamento, non differt temperamentum à facultate. Cæterùm respondendum est, mores propriè esse habitus non animo solùm, sed toti composito adhærentes: hominem enim, non animum duntaxat, benè, vel malè morigeratum esse dicimus, quod Aristotelis doctrinæ consonat. Habitus igitur isti, si quidem ab anima, vt corpus informat, & connotat tamquàm à duabus causis partialibus non æqualiter concurrentibus pendent, & in denominatione quidem sequuntur potiorem suæ causæ partem, ac propterea dicuntur animi mores, in essentia verò (sicut omnes alij effectus) deteriorem, ac propterea dicuntur, sequi corporis temperamentum. At quando huiusmodi habitus exeunt in actum, quia sunt totius compositi (actiones enim sunt suppositorum) causa actionum adæquata ad totum compositum spectare debet, si spectaret ad temperamentum, cum temperamentum solius sit corporis, spectaret ad partem causę: referendi ergo sunt ad aliquid, quod sit commune corpori, & animo, tales autē sunt facultates, de quibus loquor: omitto enim facultates spirituales, quę pertinent ad metaphysicum. Igitur iam hinc constare potest differentia inter facultatem, & temperamentum: siquidem temperamentum solius corporis est, facultas totius compositi.

QVID SIT FACVLTAS.

QVÆSTIO DVODECIMA.

Rationes eorum, qui facultates è medio tollunt.
Articulus Primus.

1 NOnnulli sunt, qui sufficere aiunt, vt vnaquæq; res per suam formam operetur, quare facultatem omnem è medio tollunt, tam à rebus animatis, quàm ab anima carentibus. Igitur actiones à forma immediatè procedere asseuerantes, facultates nihil aliud esse aiunt, quàm aptitudines quasdam, quæ potiùs sunt modus rei, quàm res, & hoc ex Galeno elicere nituntur, qui facultates dixit in relatione consistere. Cæterùm quomodò ille ad relationē facultates reduxerit, iam supra declarauimus: nunc autem licet concederemus, facultatem esse relationem, non tamen propterea admitteremus esse modum rei: quippe relatio aliud est, quàm modus. Dicunt prætereà, vnamquamq; rem, vt per suā formam est, ita per suam formam operari. At non considerant sub hac vera propositione falsam aliam occultari. Verum quidem est, vnamquamq; rem, vt est, ita operari: cæterùm falsum est, esse per suam formam nudam, & omnibus accidentibus spoliatam. Igitur est quidem per suam formam vestitam accidentibus, & operatur similiter per suam formam accidentibus vestitam, facultates autem accidentia quædam sunt, videlicet qualitates ad secundam speciem pertinentes. Tandem argumentātur, si vbiq; essent oculi, vbiq; animam videndi actionem edituram, vnde inferūt, animam per se ipsam edere suas operationes: at ex illo antecedente solùm inferre possunt, animam, quæ est vbiq; similiter vbiq; suis facultatibus esse stipatam, ac proinde, si vbiq; haberet organa accomodata, vbiq; facultatem illi organo congruentem, debuisse suas edere functiones.

Facultates esse probatur. Articulus Secundus.

1 Anima nostra ad diuersos actus indifferens, per aliquid superadditum ad vnumquemq; determinatur: nam idem quatenus idem, eodem modo se habens, ad diuersos motus nequit determinari. Respondent ex aduerso aliqui, determinari quidem ab organis, non aliter ac in sensibus externis fieri contingit: quippe visio fit in oculis, auditus in auribus propter instrumentorum diuersitatem: nam si hoc ob diuersas facultates fieret, magnus nimis foret numerus facultatum: sic etiam rationis sedes est in cerebro, quia ibi domicilia ratiocinationi, hoc est, potentijs internis affabrefecit natura: in corde autem irascimur ob illius visceris admodum igneam naturam: in iecore fit hematosis, quia tali muneri viscus (vt eius parenchyma sanguini concreto simile demonstrat) est accommodatissimum. Hæc tamen responsio ex eo refellitur, quod potentiæ, quas immateriales appellamus, quales sunt intellectus, voluntas, & memoria intellectiua, instrumento carent (ideo enim immateriales dici solent, quia nihil habent cum materia commune) & licet careant instrumento differunt tamen ab anima, quippe intellectu intelligimus, non voluntate, quod si hanc distinctionem ab anima habent facultates immateriales, multo melius eandem habebunt materiales.

Ar. lib. de sēsu & sēsil. c. 2. 2 Deinde, actio fit à vincente, nec vnquam inter prorsus similia datur. Quare quicquid agit, ideò agit, vt contrarietatem aliquam superet. Hinc est, quòd Aristoteles, cœlum, ait, & terram, cæteraq; similiter non esse nata agere, nisi prout habent contrarietatem. At substantiæ nihil est contrarium, vnde anima, ac etiam quarumlibet rerum substantialis forma, non se ipsa, sed per aliud superadditum agit.

3 Quapropter quemadmodum in vniuerso duo alterationis principia consideramus, alterum naturam, alterum Mundi animam, quæ ambo sola contemplatione differunt, & naturam dicimus principium eorum, quæ per alteratione materiæ fiunt, atq; hæ sunt ignobiliores actiones per facultates materiales factæ, vt est formatrix ad deperditarum specierum restaurationem, retentrix, qua res ad vacuum impediendum retinentur, expultrix, quà elementa à sordibus expurgatur, & huiusmodi alia. Animam verò appellamus principium eorum, quę à materia longè distant, & has operationes præstantiores esse, nemo diffitetur: fiunt autem per immateriales potentias, quibus, ceu ideali quodam nutu vniuersa machina gubernatur. Ita etiam in paruo mundo quoddam est principium nobilius, quod simpliciter anima appellatur, & nobilium actionum est origo: huiusmodi actiones per facultates quasdam exequitur, quas, quoniam à materia nihil assumunt, immateriales dicimus, eæ sunt, intellectus, voluntas, memoria intellectiua. Alterum est principium ignobilius, natura appellatum: nempe anima prout materiam sequitur, tum ignobiliores actiones per facultates materiales edit. Hę facultates licèt ab anima præcipuè profluant, ab ea tamen, quatenus compositum naturale efficit, & connotat, profluere dicuntur: nam quorsum soli animæ facultates tribuimus, quas illa secum, postquam separabitur, non deferet? quod infra ex instituto tractabitur.

Infra. sect. 3. q. 7. ar. 1.

Quomodo definienda sit facultas, Articulus Tertius.

Ga. 1. nat. fa cult. c. 4. Ga. 1. simpl. c. 1. 1 Multipliciter facultas solet definiri, describi potius dicam: definitiones namq; essentiales raræ admodum sunt, & vnius rei vna tantum esse potest, descriptiones verò multæ, vt pote quæ non se inuicem explodunt. Galenus itaq;, facultatem esse, ait, id, quod primò actionis est causa: causam verò intelligere oportet, ex eodem, nō aliam, quàm effectricem, addere possumus instrumentariam: nam anima facultatibus, quemadmodum facultates spiritu, & sanguine, seu innato calido pro instrumento vtitur. Neq; est inconueniens instrumentum instrumento vti: sic manui, quæ & pars, & instrumentum est, instrumenta inseruiunt.

2 Obijciet tamen aliquis, animam, seu formam causam esse formalem, quare non potest habere instrumentum, nulli enim causę instrumentum habere conuenit

uenit nisi causæ effectrici. Respondeo, formam ad constitutionē suppositi concurrere in genere causæ formalis, ad alios verò effectus in genere causæ efficientis, & sic potest habere instrumentum. *Obiectio.*

3. Obijciet iterum, non rectè facultatem dictam fuisse causam efficientem, nulla enim causa producit effectus nobiliores se ipsa: at facultas v. g. generans, cum sit accidens, producit substantiam. Respondeo, ideò me addidisse instrumentariam, quippe instrumentum à sua causa principali eleuatur. Notandum tamen est, facultatem non dici simpliciter instrumentum, sed causam instrumentalem: quippe facultas, etsi agit subordinata à substantia, atq; ita dici posset instrumentum, nihilominus, quoniam efficienter agit, causa etiam dicitur. At calor innatus, & temperamentum, quoniam dispositiuè tantum agunt, non possunt causæ appellari, sed mera instrumenta.

4. Instabit tamen dicens, causam instrumentalem non posse dici agere efficienter, instrumenta verò inferiora dispositiuè: nam ex sententia D. Thomæ, causa secunda instrumentalis non participat actionem causę superioris, nisi in quãtum per aliquid sibi proprium dispositiuè operatur, ad effectum principalis agentis. Respondeo tamen, D. Thomam non dixisse causam instrumentalem tantum dispositiuè concurrere ad effectum principalis agentis, sed non participare actionem principalis agentis, nisi actione propria. Dispositiuè ergo se habet ad effectum principalis agentis, quia disponit illud ad operandum, verum ad effectum suum efficienter se habet. *D.Th. pri. p. q. 45. art. 5.*

5. Obijciet tertiò, instrumentum esse conditionem sinè qua non, malè autem coniungi simul causam, & instrumentum, vt dicatur causa instrumentalis. Respondeo, instrumenta inferiora habere se, vt remouens prohibens, ac proinde nõ habere aliam dignitatem, nisi conditionis sinè qua non, facultatem autem respicere effectum, adeò, vt à Galeno iccirco consistere in relatione sit dictum. Hinc colligo, instrumenta ignobiliora, vt pote quæ sunt conditiones sinè quibus non, impedire, quominùs causa instrumentalis nobilior immediatè attingat suum effectum.

6. Fernelius facultates, intimas animæ proprietates appellat, nec incongruè, tametsi Argenterius suo more contradicat, qui non patitur propietates dici, cum sint accidentia, quasi proprietates nõ sint accidentia quarti prædicabilis; Debuerat animaduertere, quicquid est in Mundo, aut esse substantiam, aut accidens, proprietates neq; esse substantiam, neq; ad substantiam reduci posse. Addit vnius rei vnam tantùm esse proprietatem, vt hominis risibile, facultates verò multas. At homini, & risibile, & flebile proprium est, & vni indiuiduo (teste Porphirio) tot insunt proprietates, vt omnes alteri conuenire nequeant. Quare non est, curFerneliana isthæc descriptio recipi, laudariq; non debeat. *Fernel. Argẽt.*

7. Exactissimè mihi videtur P. Suares descripsisse potentiam, quam medici facultatem dicunt. *Potentia*, inquit, *est principium proximum alicuius operationis, ad quam natura sua institutum, & ordinatum est*. Dixit *principium proximum*, in quo conuenit cum Galeno, qui appellat facultatem, *id, quod primò actionis est causa*; etenim illud *primò* intelligi debet *proximum*, nempe si procedamus ab effectu ad causam, qui processus antonomasticus est. *Suares.*

8. Potentię igitur sunt qualitates de secunda specie qualitatis, subinde sunt accidentia: quòd autem anima per accidentia superaddita operetur, patet, nam inprimis ad actiones accidentales necesse est, vt concurrant accidentia, sinè quibus substantia improportionata esset ad attingẽdum accidentalem actum: deinde actiones substantiales efficiunt substantiam per generationem, generatio autem præuias requirit dispositiones, quæ accidentia cum sint, accidentium concursu produci debent. Hęc igitur accidentia, virtutes, potentiæ, facultatesuè ab ipsa anima differunt realiter: quod probatur, nam earum quædam materiales sunt, ac proinde differūt ab ànima immateriali, quædam immateriales, hæ etiam re differunt: siquidem per intellectum intelligit anima, per voluntatem vult: si ergo intellectus, & voluntas non differunt ab anima, nec etiam different inter se. Confirmatur etiam autoritate Aristotelis dicentis, *Quemadmodùm in corpore est visus, sic in anima est mens, & aliud in alio*: quasi dicat, vt potentię materiales, qualis est visus, differunt à suo subiecto, nempe à corpore animato, sic potentię immateriales differunt à suo subiecto, nempe ab anima, *& aliud in alio*, nempe vt pars in toto, aut accidens in subiecto. *Ar. 1. ethi. ad Nicomac. c. 2.*

9 Ab

9 Ab hac opinione plurimorum doctrina, præstantium virorum autoritate stabilita, Satyrus Rechensis, vt sibi morem gerat, recedit, & D. Thomæ rationes parui momenti, contemptor iste Deum Mezentius, esse proclamat. Probat Doctor Angelicus suam doctrinā Aristotelica autoritate, quippe ex Philosophi sententia tenet, in generatione priores formas se habere ad posteriores, sicut se habet priuatio ad formam: quare in generatione hominis, anima vegetabilis priuatio est gignendæ sensitricis, & hæc accessuræ rationalis. Tu autem, ô Satyre, respondes, in priuatione considerari carentiam formæ, & hanc in generatione aboleri, considerari & fundamentum prioris formæ, & hoc vel esse compatibile cum forma adueniente, vel non: si non est compatibile, aboletur quidem, si est compatibile, remanet. Multa hic dicis reprehensione digna; nam in priuatione (quod attinet ad generationem) non consideratur aliud, quàm ipsa priuatio, seu carentia (vt tu vocas) quam Aristoteles appellat oppositum. Deinde subiectum, quod sit compatibile cum posteriore forma, in artificialibus dari ostendunt Aristotelica exempla, in naturalibus autem, si loquamur de generatione, in qua fit resolutio vsq; ad materiam primam, quomodo potest dari? Dabitur quidem in alteratione, quippe aqua calida remanebit aqua, in generatione nunquam efficies, vt vnum fiat ex alio, priore forma remanente: igitur æs, aurū, lapis in formatione statuæ remanent, non remanet priuatio figuræ. Ita est; sed quid hoc ad generationem, de qua sanctus Doctor? Verum, si tu vis, aboleatur ex vegetatiua anima priuatio sensitiuæ, & remaneat anima, tunc introducatur anima sensitiua, iam habebimus duas animas: iterum aboleatur à sensitiua priuatio intellectricis, remaneat subiectum, nempe anima sensitiua; introducatur ergo anima intellectiua, atq; ita ex tua liberalitate habebimus in vno homine tres animas, in vno Satyro neq; vnam. *de ortu animæ lib. 1. c. 33. 34.*

A. 2. de an. t. 9. 10 Aristotelem ad te trahere conaris, nunquam tamen, vt contagio tuo infectus maneat, obtinebis. Affers ergo quicquid ab Aristotele accepisti: nempe ait Philosophus, *Si oculus esset animal, potentia visiua esset illius anima, quia oculus materia est, potentia visiua forma specifica:* & quod sequitur, quod parum facit ad rem, parum etiam & hoc, quod relatum est: nam quid ex his verbis colligis, nisi, si oculus esset animal, potētiam visiuam futuram id, quod anima est toti? & tunc potentia visiua differret ab oculo, vt anima à toto corpore viuente: ideo addit: *Oportet igitur accipere quod est in parte in toto tempore viuente.* Sed dic quæso, nonne corpus viuens est totum compositum? non ne differt realiter à sua parte, hoc est, ab anima? Præterea affers alium Aristotelis locum, in quo sic habetur: *Animal est ob sensum primo.* Sed quid inde? nunquid, quia animal est ob sensum, anima est idem cum sensu? Non putabant hactenus Philosophi, causam finalem esse idem re cum effectu. Noui quendam, qui ob lucrum profectus est in Indiā, nec tamen est idem cum lucro. Agit ibi Philosophus de differentia inter plantam, & animal, adiungitq; hęc verba, *Viuere igitur propter hoc principium* (scilicet vegetandi) *inest omnibus viuentibus, animal autem propter sensum primo.* Hinc tu vis elicere, animam esse idem cum potentijs, elicito quæso, potiùs esse diuersum: nam si animal, & planta conueniunt in hoc, quòd habent animam, differunt verò in vegetandi, & sentiendi potentijs: profectò id, quo differunt, & id, quo conueniunt, non est vnum, & idem. Tertiò ais, Aristotelem negasse, animam esse causam materialem; ille autem sic ait, *Attamen anima secundum modos tres causa dicitur: etenim causa est vnde motus, & cuius causa, & vt essentia animatorū.* Nōne hinc tibi satis patet, animam hos tres causæ modos habere versùs suum animatum? Horum modorum primus est, quem appellat *Vnde motus*, hoc est, modus efficientis, quatenus administrat viuentibus suas proprias actiones, vt lationem, qua ab se mouentur, sensationem, quæ alteratio quodammodò est, accretionem, & reliquas, quæ viuētibus tantùm conueniunt: Secundus dicitur ab eo *Cuius causa*, hoc est, modus causæ finalis, quoniam ob animam membrorum varietatem, & organorum distinctionem effinxit natura: Tertius appellatur ab eodem *Vt essentia animatorum*; hoc est modus causæ formalis, quia anima est forma, ac subinde essentia animati. Materialem causam non meminit, quia nō potest anima esse simul forma, & materia, quæ sunt principia opposita sui compositi. Cæterùm hęc ipsa anima, quæ respectu compositi subit vicem causæ efficientis, finalis, & formalis, respectu potentiarum est, veluti materia, quæ illas continet. Hoc vbi nam negauit Aristoteles? Tandem quod ais, ad obeundas

A. 2. de ani. t. 16.

A. 2. de ani. t. 36.

actiones

actiones vegetabiles concurrere duo agentia, vnum est anima, alterum calor innatus, nec fieri mentionem potentiæ, quare non differt ab anima. Hoc in primis non probat, idem euenire in actionibus animę sensitiuę, & intellectiuæ, quare malè ex antecedente particulari elicis conclusionem vniuersalem. Deinde in omni actione vitali concurrit anima non per se, sed per suas potentias, quæ adeò intimæ sunt animæ, vt propterea censeantur agentia principalia partialia, calor verò naturalis est instrumentum magis extrinsecum, quod non meretur nomen causæ; De potentia autem sic Fernelius: *Ipsa quidem est accidens, sed animæ intimum, atq; adeò intestinum, vt plerisq; illius essentia putetur.* Hæc obiter sint adducta, nam omnes errores illius opusculi velle colligere, esset *Oceanum, vt aiunt, colligere in vrna.* Quomodò autem potentiæ ab anima profluant, pertractare alterius loci est.

Fernel. lib. 5. phyolog. c. [illegible] *Infra sect. 3. q.7. ar. 4. n.11. & sequent.*

QVID SIT TEMPERAMENTVM.

QVÆSTIO DECIMA TERTIA.

1 EX mistione elementorum resultat in misto qualitas, quæ complexio à barbaris dicitur, temperamentum à politioribus græcis κρᾶσις: qualitatem dico, quoniam tam illi, qui substantias elementorum in mistis remanere aiunt, quàm qui solas qualitates, quàm etiam alij, qui partes terreas, aqueas, igneas, aereas, hoc est, substantiæ particulas elementaribus qualitatibus vestitas exhibent, omnes, inquam, in definitione temperamenti, qualitatem loco generis ponunt: imò non nulli, quibus duo esse temperamenta placet, vnum substantiarum, alterum qualitatum, etiam temperamentum qualitatem, vel (quod minorem adhuc entitatem habet) modum substantiæ esse, dicunt. Non est præsentis instituti diuersas opiniones in examen trahere: sufficit, ex communi consensu accipere, temperamentum qualitatem esse.

De temperamenti essentia variæ opiniones.

Articulus Primus.

2 DIcunt aliqui temperamentum esse quintam quandam qualitatem, & hi in binium separantur: quidam enim dicunt, esse qualitatem, quæ ex quatuor primis corruptis emergit: alij verò non ita, sed esse quintam quandã qualitatem super additam, remanentibus scilicet quatuor primis, & hi quoq; inter se differunt: nam horum aliqui tenent, qualitatem istam esse compositam, alij esse simplicem; Gentilis verò singularem opinionem inuehens, non vnam, sed duas esse secundùm duas oppositiones, calidi, & frigidi vnam, alteram humidi, & sicci, autumat. Omnes tamen hę opiniones demonstratiuè, vt arbitror, refelli queunt. At ex multis, quæ contra ipsos afferri possent, singula argumẽta, aduersùs singulas, quæ mihi fortiora videntur, assumam.

opinio Gẽtilis.

3 Prima opinio tenet, ex qualitatibus primis corruptis, manente subiecto, qualitatem quintam prodire, quæ dicitur temperamentum, non aliter ac ex diuersis coloribus corruptis fit vnus color. Hanc ita refello. Vel istæ qualitates, quæ corrumpi debent, sunt æqualis intensionis, & actiuitatis, & tunc non se corrumperent, nisi ad certos quosdam gradus compossibiles, vel sunt inæquales, & tunc ea, quæ superat, corrumpet alias, & illa non potest corrumpi, quia nihil corrumpitur, nisi à contrario: huic autem postquàm corrumpit alias, nulla manet, quæ sit ei contraria. Neq; verò dicendum est, corrumpi ad corruptionem subiecti; nam, ex suppositione, subiectum manet. Ad similitudinem verò, quã afferunt ex coloribus, qui corrupti gignunt colorem quendam diuersum ab his, quod etiam in saporibus ostendi potest, respondendum est, non rectè fieri comparationem inter qualitates primas, & secundas: nam ex concursu secundarum, non gignitur noua species subalterna, sed manet in eadem serie cum suis componentibus, e.g. ex diuersis coloribus producitur color, qui est qualitas secunda, sicut

erant colores, ex quibus productus fuit. At ex qualitatibus primis non producitur prima qualitas; quod probo, tum quia nemo vnquàm dixit, qualitates primas esse plures, quàm quatuor, tum quia si aliquis id dixisset, fides ei non foret habenda: etenim qualitas, quæ ex alijs fit, iam prima dici nequit. Itaq; colores, & sapores, cum sint qualitates, quæ fiunt ex primis, siue hoc, siue illo modo componantur, semper remanent qualitates secundæ; at primæ inter se commistæ, si aliquam efficerent iam non esset prima, sed nec esset secunda, quippe in numero secundarum non reponitur, nec reponi potest: nam non afficit substantiam diuerso modo, ac afficiunt primę. Sed quid dicendum ad obiectionem, quam proponunt aliqui, nempe ex partium compositione resultare varias figuras, v.g. triangularem, aut circularem, resultare etiam pulchritudinem, aut deformitatem, quæ sunt qualitates diuersæ ab ijs, ex quibus resultant? Duplicē hæc obiectio responsionem habet: prima est, in productione alicuius figuræ, aut etiam pulchritudinis, aut deformitatis, non destrui compositionem partium, ex qua resultant, & sic non potest fieri argumentum ad probandam quintam qualitatem corruptis primis; Altera est, figuram, & pulchritudinem, ac deformitatem pertinere ad partes organicas, & sic posse dici has qualitates temperamentum quoddam partium organicarum, quemadmodùm temperamentum, de quo agimus, est partium similarium.

14 Secunda opinio tuetur, quintam istam qualitatem dari, remanentibus primis corruptis, esse tamen qualitatem compositam. Contra huius opinionis assertores in hunc modum potest argumentum confici. Qualitates primæ producunt istam compositam in genere causę efficientis (neq; enim aliud genus causę potest in præsente assignari) sunt ergo qualitates primæ, in hoc casu, causæ æquiuocæ, quare quinta qualitas est alterius naturæ à primis, ergo continent quintam qualitatem eminenter, ergo sunt perfectiores illa, ergo perfectiores habent effectus; at hoc est contra mentem ipsorum, qui hanc tuentur opinionem: siquidem vt mox dicemus, quintam qualitatem cōstituunt ad frenandas primas qualitates, quod nihil aliud est, quàm in eas imperium habere. Cæterùm quemadmodùm hic vsus (nempe qualitates primas fræno cohibere) impertinens est, sic etiam ipsa qualitas quinta composita. Nec solùm vsus iste non est necessarius ad constituendam quintam qualitatem, sed nec etiam actio aliqua; nam quòd illi dicunt, quintam istam qualitatem compositam, calore se accommodare ad tractionem, frigore ad expulsionem, non cogit excogitare quintā qualitatem: siquidem sufficit quælibet ex primis, simul cum fibris ad attrehendum, retinendum, expellendum: simul cum facultatibus ad concoquendum, & nutriendum. Demum posset aliquis rationem superiùs positam, qua probauimus non esse ponendam quintam istam qualitatem compositam, in hunc modum impugnare. Qualitas ista non producitur à primis in genere causę, siue vniuocæ, siue æquiuocæ, sed per modum resultātiæ, atq; ita cessant omnia, quæ illa suppositione inferebātur; Cui tamen respondemus: ex pluribus non resultare vnum physicum, quod sit realiter distinctum ab illis, imò secundùm meliùs sentientes, nec vnum etiam integrale: quapropter danda est aliqua causa productiua, quę cum effectum diuersæ naturæ à se ipsa producat, necessariò erit æquiuoca.

15 Tertia opinio est eorum, qui dicunt temperamentum esse quintam qualitatem remanentibus primis, cæterùm quintam qualitatem simplicem. Hæc facilè impugnatur: nam qualitas ista simplex vel est eiusdem naturæ cum vna illarum, & sic erit eadem cum illa, vel erit naturæ omnium, & sic iam non erit simplex, sed composita. Possunt tamen respondere, sicut præter species intelligibiles in anima datur habitus scientiæ, qui simplex est, ita dari cū quatuor qualitatibus primis vnam simplicem præter illas. Respondetur tamen, ab speciebus intelligibilibus produci quidem in intellectu habitum, qui inseruit promptitudini, & facilitati operandi; quæ tamen promptitudo, & facilitas non reperitur in solis speciebus: at in quinta qualitate simplice nihil potest reperiri, quòd non reperiatur in quatuor primis.

16 Sequitur opinio Gentilis, qui, non vnam qualitatem, dixit, esse temperamentum, sed duas, alteram à calido, & frigido, alteram ab humido, & sicco, qui eodem iure quot qualitatum combinationes esse queunt, tot etiam constituere cogeretur qualitates à primis diuersas. Verùm non ita est, sed, vt ait Aristoteles, medium est multa, & non indiuisibile: quasi dicat, temperamentum (quod me-

A.2.de gen.& cor. te. 48.

dium

dium vocat, vt pote quod constat ex qualitatibus reductis ad medium) non consistit in indiuisibili, sed latitudinem habet, secundùm quam, & carnes, & ossa fiūt, Galenus hanc latitudinem in nouem temperamenta diuidit, quorum vnum est in medio calidi, frigidi, humidi, sicci: deinde quatuor, quę vocantur simplicia, quippe constant ex vna qualitate dominante, & altera subdominante: quatuor alia composita ex duabus subdominantibus constituta: cum enim quatuor duntaxat sint simplices qualitates, quatuor similiter earum copulæ esse debent, & sic temperamenta fiunt octo, quibus, adiuncta illa media, nouem euadunt.

7 Reiectis ergo opinionibus eorum, qui quomodocumq; qualitatem aliam à primis quatuor realiter distinctam ponebant, superest, vt dicamus, temperamentum nihil aliud esse, quàm quatuor qualitates inter se permistas, seu permistionem earum, non quidem prout permistio dicit actionem permiscendi, sed eiusdem actionis actum: sic perfectionem, sic coctionem, sic alia plura solemus appellare. Hanc igitur mistionem, quam clarioris doctrinę gratia possumus miscellam dicere, appellant communiter scribentes proportionem, non quatenus proportio relatio est, nam (vt iam diximus) relatio nihil agit, temperamētum agit quidem, si non efficienter, saltem dispositiuè, sed quatenus disponit antecedenter ad formæ introductionem, & conseruat disponendo, videlicet dum subiectum adiuuat ad actiones conseruatiuas sui. Porrò quòd permistio, seu proportio sit temperamentum, videtur colligi ex doctrina Galeni, qui aliquando constare, ait, animalium corpora ex calidi, frigidi, humidi, sicci mistura: & alibi habet hæc verba. *Insunt autem primùm, & maximè temperamenta, quippe quæ propriam particularum substantiam complent: corpus enim tale natura est, propterea quòd caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate sic commistum est: vnam carni esse carnem, & neruo neruum, & aliorum, vnicuiq; id esse, quod est, ob qualitatum quatuor prædictarum certam quandam temperaturam contingit:* Alibi etiam sępè repetit hanc ipsam doctrinam, secundùm quam intelligimus, eum nunquam pręter primas aliquam aliam qualitatem, quæ temperamentum sit, somniasse. Ratio verò, quæ dictare possit, non oportere qualitatem quintam effingere, nulla melior esse potest, quàm non esse necessitatem aliquam, qua ad ita sentiendum compellamur.

Ga. 1. de tē. c. 1.

G. 1. de vsu p. c. 9.

An præter qualitates primas aliqua secunda temperamentum ingrediatur. Articulus Secundus.

1 CÆterùm ad temperamenti optimum complementum, hoc est, vt temperamentum optimè instrumenti officio fungatur, compellimur quidem cum qualitatibus primis aliquam secundam admiscere, qua, vltra quatuor primas, membrum præditum suis operationibus perfectiùs incumbit, quod à Galeni doctrina non abhorret: siquidem cùm vult indagare cerebri temperamentum ex actionibus rectricibus, ait, optimum ingenium tenuitatem cerebri significare, tarditatem verò crassitiem: tenuitas verò, & crassities secundæ sunt qualitates. Alibi etiam, cùm explicat sententiam Hippocratis, *Humor melancholicus vergens ad animam melancholiam facit, ad corpus epilepsiam,* nomine animę intelligi, ait, temperamentum, & hoc vitiari obtenebratione facta, & amissione luminis, lumen autem inter primas qualitates non recensetur, sed potiùs aliquo modo dicitur secunda: licèt enim non sēper secunda sit, cū in cœlo nulla primarum, ex quibus secundæ fiunt, reperiatur, nihilominùs, quoniam in his inferioribus luciditas aliquorum corporum, ex eorum qualitatibus primis taliter immistis emergit, dicitur qualitas secunda; Sicut etiam durities reperitur quidem in cœlo, vnde in sacra pagina dicitur, *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi, quasi ære fusi sunt:* quamuis autem soliditas, seu durities in cœlo secunda qualitas dici nequeat, hoc non tollit, quominùs in corporibus horum inferiorum durities secunda sit qualitas. Potest tamen aliquis dicere, has secundas qualitates potiùs esse modos substantię, vnde morbos in his qualitatibus magis ad morbos in compositione, quàm ad morbos in temperamento reducendos esse. Hoc quidem non caret ratione: cæterùm Galenus modos istos substantiæ, qui qualitates quidem sunt, in membris simplicibus considerari conspiciens, morbos autem in temperamento solos ad membra simplicia pertinere statuens,

Ga. in art. med. c. 10.

G. lib. 3. de loc. aff. c. 5.

Iob. 37. n. 18.

jure optimo censuit, eos ad temperamentum magis, quàm ad compositionem referendos esse.

2 Sed quoniam dixi, qualitates secundas esse modos substantiæ, & adiuuare temperamentum qualitatiuum ad munus instrumenti obeundum, hoc oportet declarare: fuerunt namq; aliqui existimantes, elementa manere formaliter in misto refracta ad minimas partes; Tunc constituerunt duplex temperamentum, vnum qualitatiuum consistens in mistura qualitatum elementorum; alterum substantificum, ita appellatum, quoniam ex mistione substantiarum elementorum constat. Vallesius solitaria via procedens negat quidem, manere in misto substantias elementorum, sed non negat duplicitatem temperamentorum quippe ex substantijs elementorum corruptis remanere in nobis, ait, partes quasdam formis elementorum correspondentes, vt est pars terrea, aquea, aerea, ignea. Porrò tam illi priores, quàm etiam Vallesius hoc temperamētum, quod ex substantijs confici dicunt, substātiæ modum appellant. Modi quidam sunt substantiales, alij accidentales: substantiales sunt, qui ad constitutionem, & complementum ipsius substantiæ pertinent: hi autem sunt substantia incompleta, non autem sunt accidens. Ratio est manifesta: nam substantia completa, cum sit ens per se vnum, & in suo genere absolutum, non nisi ex substantia, vel substantijs constat; quicquid ergo intrinsecè concurrit ad constitutionem substantiæ, substantiam saltem incompletam, esse necesse est. Item substantia incompleta nihil aliud est, nisi vel substantia, in aliquo esse imperfecto, vel id, quod est pars, seu complementum substantiæ; Ergo omnis modus, qui ita concurrit ad constitutionem substantię, est substantia incompleta, seu modus substantialis, non autem accidens. Alij modi sunt accidentales, qui vel reuocantur ad prædicamētum accidentis, vel nouum genus accidentis constituunt. Ratio est, quoniam postquàm substantia iam est plenè in suo genere constituta, quicquid ei additur, siue sit res, siue modus, accidens eius est. Sed modus, qui nullo modo spectat ad complementum substantiæ, ex se supponit illam plenè constitutam in suo genere, ergo est accidens eius. Cum igitur modus substantialis pertineat ad constitutionem substantię, cum rursus medicus non consideret substantiam, ante suum esse, sed postquàm iam constituta est, constat non spectare ad medicā contemplationem, nisi modum substantię, qui accidentalis est, & aduenit substantiæ iam completæ, ac proinde est accidens. Neq; vllus inuenietur autor medicus, qui modum substantiæ, nisi prout accidens est, contempletur: talis igitur modus est temperamentum substantiarum, est tamen accidens.

Valles. contr. lib. 1. c. 6.

An temperamentum forma dici possit. Articulus Tertius.

1 SVrge nunc, Satyre, & expone circa hoc nobis aliquod ex tuis deliramētis. Accepi à quodam valde tuo discipulo, te in quodam tuo libro hæc verba typis mandasse; *Forma misti anima carentis temperamentum est*: quod confirmasti Aristotelis autoritate, apud quem nil tale reperio; Verùm hoc tibi cōdonandum est, qui mentitis autorum testimonijs soles victitare. Dic tamen sodes, formæ ne nomine formam intelligis accidentalem? Si accidentalem intelligis, hæc tam anima carētis, quàm anima præditi tēperamentum est; quippe tēperamentū, vt diximus, est accidens, ac subinde forma accidētalis misti, siue tale mistum sit animatum, siuè non animatum. Intelligis ne formā substantialē? at forma substantialis est substantia, tēperamentum verò accidens: quare ridiculū est dicere, tēperamētum, ac subinde accidens esse formam substantialē misti. Demū non ne tu dixisti aliquando, qualitates temperamentum constituunt, quod est forma? cur ergo alibi dicis, temperamentum esse formam misti non viuentis? priùs generaliter loqueris; posteà te restringis, vt nunquàm tibi constes.

lib. 1. de vita c. 16.

A. 1. de par. an c. 1.

De his qui fine ali. lib. 3. c. 45.

Prima Calumnia.

2 NON minora deliria profers in tuis Bacchanalijs: quippe dum ego tuū illud æqui librium, in quo tu vis, vt calor naturalis, & humidum radicale

p. 102

dicale inuicem persistant, irriderem, monstrabam, aeris permutationem posse temperamentum nostrum permutare, & sic æqualitatis istius durationem impediri, ne tandiù duret æqualitas inter calidum, & humidum, quandiù durat abstinentia: videlicet, in aliquibus per plures annos, in alijs saltem per plures menses. Concludo his verbis: *Imo verò ab aere continuo alteramur, & adeò mutamur, vt intra paucos dies, non dicam horas ab vno ad aliud temperamentum deducamur.* Hæc verba solita tua asinitate, malignitateq; calumniaris. Incipio à calumnia grammaticali; Dixi *ab aere continuo alteramur*: nulla ibi est aduerbij nota, sed adiectiuè sumpsi *continuum*, vt dicerem nos continua aeris alteratione immutari. Tu, quę tua est satyrica procacitas, vis, vt sit acceptum aduerbialiter: esto sic: etiam continuò, id est, promptè ab aere immutamur: quippe aer nulla expectata coctione, illico ac in corpus ingreditur, nos immutat, & tu cuperes, vt ego dicerem continuè: hoc nolui dicere: me ne potes cogere? Absit à te ista proteruia, absit etiam à me, vt tuo modo loquar. De Abstia c. 14.

Secunda Calumnia.

3 ALtera calumnia est, quòd dixi, adeò nos ab aeris attractione immutari, *Vt intra paucos dies, non dicam horas, ab vno ad aliud temperamentum deducamur.* Tu hanc rationem infringere conaris, *Quoniam aer exterior non maiorem, sed minorem actiuitatem habet in substantiam humidi radicalis, & in vires insiti caloris, quomodocumq; seu per occultos poros, seu per patentes meatus cutis intra receptus, quã obtineat aqua stilla cadens è sublimi loco in subiectum marmor, tum quia stilla corpulentior, & densior est aere, tum quia qualitates aeris sunt qualitatibus aquæ remissiores, & ad agendum inefficaciores: sunt enim minùs sensibiles, vt ait Aristoteles, tum quia quietus aer nobis circumfusus fermè stagnat, non autem impetu verberat corpora nostra: quum ex aduerso cadens aquę stilla de celso loco super petram impetu, motuq; validiorem ictum sibi comparet, quo lapidem feriat. Si ergo lapis resistit, antequàm amittat suam duritiem, ac integritatem per multos menses, & annos iugi stillicidio, cur non multo magis per plures annos continuus aeris ictibus leuioribus resistere poterit hominis temperamentum, priùs quàm spolietur æqualitate virium caloris, & humoris?* Hæc verba sic diffusè volui transcribere, ne lectores occasione ridendi, quam porrigis, defraudarem; Singula percurramus.

4 Aerem, dicis, non maiorem vim habere in substantiam humidi radicalis, & in vires caloris, quàm habet aquæ stilla cadens è sublimi loco in subiectũ marmor, aerem, inquam, *Seu per occultos poros, seu per patentes meatus cutis*: voluisti dicere, seu per occultos poros cutis, seu per patentes meatus, nam pori, meatusuè cutis non sunt patentes: quare patentes malè ad cutem refers; Sed hæc est tua bella verborum dispositio, potiùs Bacchanalis transpositio. An nescis, meatus patentes, per quos attrahitur aer respiratione, esse nares, & os, occultos verò, per quos transpiratione (quam Hippocrates aliam respirationem appellat) esse poros cutis? Deinde comparas aerem, qui intussusceptione in nos agit, cum stilla aquæ, quæ tundendo saxum afficit; Considera ergo quàm bellè tibi succedat comparatio; Rationes adiungis, ob quas maiorem vim habet aqua in saxum, quàm aer in corpus: prima est: *Quia stilla densior, & corpulentior est aere.* At aer ad ingrediendum intra corpus quò subtilior est, eò efficacior: aqua ad tundendum marmor quò corpulentior, eò fortior. Verùm hæc differentia est, quòd aer subtilis potest secum vehere qualitates fortiter operantes, & prorsus interimentes, aqua corpulenta non potest secum afferre duritiem, qua valdè noceat, sed semper mollis, nunquam est efficax. Secunda ratio: *Quia qualitates aeris sunt qualitatibus aquæ remissiores, & ad agendum inefficaciores: sunt enim minùs sensibiles, ac ferè, seu mediocriter insensibiles, vt ait Aristoteles*; Loquitur quidem Aristoteles de qualitatibus primis: sed dic sodes, quorsum hoc? num stilla ad excauandum marmor postulat qualitates? num etiam aer ad inficienda corpora nostra indiget his qualitatibus? Videris mihi vnus è plebe, qui, quoniam ex colore non cognoscit aeris prauitatem, non putat, se ab eo infici posse. Tertia ratio: *Quia quietus aer nobis circumfusus fermè stagnat, non autem impetu quodam verberat corpora nostra, cum ex aduerso cadens aquæ stilla de celso loco super petram impetu, motuq; validiorem ictum sibi comparat, quo lapidem feriat.* Hæc vltima ratio conso-

tio consonat cum prioribus, ad quam, omitto, quòd possem dicere, aerem continuo motu agitari, quæ est vna ex causis, cur non concrescat, omitto etiam ventorum impetum, quo creberrimè cietur: relinquo motum alterationis, cui obnoxius est maximè; Sed considero, vt tu vis, aerem stagnantem, & guttam cadentem; Gutta quidem cadens exiguum habet impetum, vnde Poeta, *Gutta cauat lapidem non vi, sed sæpè cadendo*. Aer verò quantumuis stagnans vi maxima attrahitur per nares, & per os, qui sunt patentes meatus, non verò illi, quos tu cutis meatus patentes appellasti.

Æquilibrium caloris, & humidi à Satyro inuentum libratur. Articulus Quartus.

☞ 1 REdeo ad æquilibrium calidi, & humidi, quod non videtur tibi omnino fecisse satis, iccirco duplice retinaculo nauiculam fulcire conaris, adiungens: *Deinde verò si non sola caloris, & humoris æqualitas abstinentiam inuebit, sed etiam caloris exigua vis supra resistentiam humoris, qui proinde non celeriter, ac multum, verùm tardè, ac parum à calore consumitur, vt latè demonstrauimus, iam ab hisce duabus causis inuicem sibi succedentibus ieiunij tempus ad multos annos prorogari poterit*. Itaq; ad duo capita diuturnæ abstinentiæ causam refers: vnum est æqualitas inter calidum, & humidum, alterum exilitas caloris, humidũ tardè ac parum consumentis: & hęc duo sibi inuicem succedere ais. In primis memineris, te hactenus demonstrasse æqualitatem posse diù conseruari, nec aerem vim habere immutandi eam, nunc autem tribuis succedaneum, quasi ęqualitas non possit durare, nisi vicissitudinaria aduenia dissonantia inter exilem calorem, & humidum in maiore portione, quàm calor. Esto, fiat hæc vicissitudo: sint calor, & humidum in æquilibrio, succedat huic æqualitatis vicissitudinaria caloris exilitas, remanebit ne humidum, vt erat priùs, an minuetur simul cum calore? Si remanebit, vt erat priùs, profectò calor exilis ab humido, vt erat, in maiore quantitate, quàm ipse, suffocabitur: e. g. sint tres gradus caloris, tres humiditatis: ecce æqualitas: extinguantur duo gradus caloris, & remaneat vnus, iste vnus caloris à tribus gradibus humidi extinguetur; Si verò minuatur humidum simul cum calido, remanebit calidum exile, & exiguum humidum, ac proinde nequicquam laborasti, quippe adhuc remanent hæc duo æqualia. Nec verò mihi dicas, posse caloris paucos gradus amitti: nam sic non remanebit exilis: nec dicas, humidum posse minui, sed non multum: nam hoc est naturam sub imperio tuo habere, & res naturales ad libitum gubernare. Iam ergo remanet destructa hęc vicissitudo ab æqualitate ad exilitatem. Nunc destruamus aliam ab exilitate ad æqualitatem. Sit exilis calor: quomodò fiet ęqualis humido? nempe vel augmento caloris, vel decremento humidi: si calor augetur, quò magis crescit, eò magis humidum diminuitur, & ad humidi diminutionem sequitur introducta siccitas, & sic calor naturalis ex societate cum sicco tendit in calorem præter naturam, quare tendit in suam met ruinam: neq; vnquam decremento humidi radicalis poterit augeri calor naturalis. Quòd si supponamus, humidum minui, non interim aucto exili calore, & sic posse dari æqualitatem, dicam, exiguum calorem, cum exiguo humido, proximum esse extinctioni; Et tunc, tametsi qui plurimum habent calidi innati, plurimo egeant alimento, nihilominùs, qui paucum habent innati calidi, pauco, sed per plures vices exhibito nutrimento opus habet; quare de ratione cibandi ægros debiles agens Galenus, rationem affert, quę omnibus, vtcumq; debilibus, conuenit: quippe ait: *Si enim vires laborantis debiles fuerint, & ea, quæ in corpore est dispositio, sit excorruptione humorum, vel defectu, parum alimenti sæpiùs talibus afferemus: parum quidem, quia virium imbecillitas non potest totam simul multitudinem alimenti sustinere: sæpius autem, quoniam multis indiget dispositio*. Sic etiam æstate ob dissolutionem calidi innati cibus multus difficulter toleratur, paucus, & frequens exhibendus propterea est. Nõ est igitur, tuum istud æquilibrium, causa abstinentiæ: imo potius postulat, si non semel multum nutrimentum, saltem multum quia frequens. Multa etiam in hanc rem afferri possent: pręstat tamen hoc, tamquàm à nemine vnquam negatum, præterire, & ad tuas nęnias destruendas accedere, ad quas me inuitum, nugator pessime, trahis.

[Margin notes: *p. 101. De his qui sũ ali. lib. 3. & in Bacch. pa. 24.* — *argumẽtatio pulchra.* — *G. 1 aph. 17.*]

Tempera-

Temperamentum ab aere immutari.
Articulus Quintus.

2 TEmperamentum ab aere ambiente immutari dixi, his verbis. *Imo verò ab aere continuo alteramur, & adeo mutamur, vt intra paucos dies, non* p.102. *dicam horas, ab vno ad aliud temperamentum deducamur*. Instas satyrica tua amarulentia infectus, & mihi obijcis, quòd Medicinę theoricam (theoriam dicere debuisses) publicè docens, ignorem, quæ de duplice temperamento norunt omnes medicinæ tyrones inter artis prima rudimenta. Duo hic habes verberibus digna: primum est, quòd nodum in scyrpo quæris, ego enim mutari nos ab aere dixi, num secundum hoc, an secundum illud temperamentum non exposui, nec erat exponendi occasio: tu me accusas, quòd ignore differentias temperamenti, quas norunt tyrones. Vnde nam hoc tibi constat? ex meis certè dictis tibi constare nequit: constat ergo ex tua procacitate: Satyrus es, nihil in hoc immoror. Alterum, quoniam dicis, tyronibus esse notum id, quod doctioribus quidem non dicam ignotum, sed ne somniatum quidem esse potest: quis enim somniaret phantasma natum ex chymæra matre, & tuo ingenio patre? talis quidem est distinctio, quam tu affers duorum temperamentorum, nempe ex aere conflata, imò ex nihilo, vt quoniam ex nihilo nihil fit, possit meritò dici, tuam hanc distinctionem ad nihilum redigi. Vnum igitur istorum, vt tu ais, sic habet: p.102. *Solidarum partium temperies, consistens in proportione caloris implantati, & humidi primigenij, quorum aequalitatem, nos diximus, esse causam longioris abstinentię: quia tale temperamentum adeo firmum est, vt aeris illudat alterationes, ab ijsq; non nisi assiduis & post multum temporis, sensibiliter labefactatur, ceu dura cautes à molli gutta*. Persistamus paulisper in hoc priore somnio; Temperiem, dicis, esse *solidarum partium*: ita ne? At vbi reliquisti partes carnosas? non ne istę etiam proprium, & innatum temperamentum habent? Verùm tum Aristoteles, tum Galenus te poterant admonere, ne incideres in hanc foueam: quippe temperamentũ, aiunt, efficere, vt os sit os, & caro, sit caro, & alia similiter. Sed tu forsitan solidas partes, appellas etiam carnosas, sed vbi reliquisti spirituosas? nam hæ etiam sunt partes, ad quas pertinet temperamentum, quod Galenus pluries inculcat, præcipuè Ga. 1. quando ab ambiente sumendam esse indicationem docet: quippe ambiens alterat naturam nostram, tunc naturam nostram explicat his verbis: *Ea extribus* metb. *partibus completur, ex spiritus, & partium, quæ verè sunt solidę substantiæ, quas alibi* c. 1. *ex semine genitali conditas esse monstrauimus, & tertia ab his carnosa, quæ cuiq; particulę est sua. Singulę autem iam dictarum trium propriam, pro natura sua habet tum qualitatem, tum quantitatem. At qualitas quidem earum ex congrua temperie humidi, sicci calidi, frigidiq; consistit;* Sic Galenus, ex cuius verbis duo contra te ipsum, si sapis, colligere potes: vnum, quòd temperamẽtum partium immutetur ab aere, alterum, quòd partes, quibus temperamentum inest, non sint solidæ duntaxat, sed & carnosæ, & spirituosæ. Quare perperam ais, temperamentum non labefactari mutationibus aeris: imò verò, si cerebrum haberes, cognoscere posses, morbos, cum sint passiones viuentium, ad particulas corporis, quę solæ viuunt, spectare. At, ex Hippocratis decreto, mutationes temporum potissimùm pariunt morbos, ergo si mutationes temporum, hoc est aeris, morbos pariunt, si morbi sunt passiones viuentium, manifestum est, mutationes aeris alterare partes viuentes, non spiritus, & humores influentes, vt tu putas.

An temperamentum, & innatum calidum sint vnum, & idem.
Articulus Sextus.

3 SED vbi nam quæso mentem habebas, quando scripsisti, temperamentum partium in caloris implantati, & humidi primigenij proportione consistere? Voces ne psittaci, & coturnicis vis permiscere? Video, te calidum adagiũ innatum (quo nomine humidum primigenium etiam comprehendo) cum tēperamento confundere, quod ita facere summa asinitas est. Nam si ad indicationes curatiuas respicias, eæ, quæ à temperamento, ab alijs, quę à calido innato assumuntur, sunt toto cœlo diuersæ: quippe calidum innatum, si labatur, restaurationem

rationem sui postulat per alimenta, temperamentum si fatiscat, correctionem per medicamenta: vnde à calido innato sumitur indicatio ad vitam, à temperamento ad sanitatem; Si respicias ad ea, ex quibus vtrumq; constat, calidum innatum ex duabus constat qualitatibus, in se inuicem agentibus, calore inquam, & humiditate, temperamentum verò ex quatuor ad concordiam redactis; Si respicias ad essentiam, calidum innatum est substantia, temperamentum verò accidens; Si respicias ad subiectum, calidum innatum in solis viuentibus reperitur, temperamentum tam in viuentibus, quàm in non viuentibus; Si ad desinentiam, calidum innatum desinit per extinctionem, temperamentum per dissolutionem; Si respicias ad originem, calidum innatum à semine, & sanguine menstruo originem habet, temperamentum ab elementis: originem, inquam, proximam, nam remotè ex elementis omnia fiunt; Si respicias ad persistentiam in subiecto, calor innatus semper est idem, & solùm minui, augeri vè potest, mutari verò in alteram speciem non potest, temperamentum in aliam speciem mutatur, siquidem beneficio artis potest homo ex vno temperamento in aliud transmutari, & qui erat calidus, & humidus fieri siccus, & frigidus: quamuis enim temperamentum naturale sit à primo exortu contractum, mutari quidem potest ex vna specie in alteram, calidum innatum, cum sit species infima, nequit in aliud transire. Igitur quocumq; te conuertas, scriptam reperies stultitiam tuam.

Cõtradictio. 4 Sed quomodò ais, temperamentum partium in caloris implantati, & humidi primigenij proportione consistere, si alibi temperamenti æqualitatẽ ab æqualitate calidi innati, & humidi primigenij, esse genera maximè inter se diuersa tum origine, tum essentia, tum etiam quantitate dixisti? Verùm quoniam multa de temperamentis temerè effutire audes, eorum aliqua (neq; enim omnia possum) persequar, & quasi fasciculum tuorum errorum conficiam. In primis duo significari posse caloris naturalis nomine, imaginaris: vnum est vniuersum misti temperamentum, in quo sunt quidem cum calore omnes aliæ qualitates primæ, sed quia cæteras calor, veluti materiam forma, continet, Aristotele autore, ideò à nobiliore parte denominatione facta, quia vnum quodq; quod est in eo summum, eidem Aristoteli totum temperamentum appellatur. Rectè ego dixi, te effutire, Nonius namq; grammaticus effutire exponit pro dicere cum mendacio: at tu hic cum mendacio dicis, Aristotelicum esse id, quod ne somniauit quidem Aristoteles, vt vnusquisq; videre potest. Sed omisso mendacio, vt pote re tibi familiari, quoties enim autorem citas, nec eius verba apponis, iam sciunt omnes, quam mereris fidem. Accedo ad tuam istam primam calidi innati significationem; Num calidum innatum, vis, aliquando significare temperamentum? cur ita? nempe quia accipit denominationem ab eo, quod est summum. Forsitan propterea etiam alibi dixisti, calidum innatum esse apicem temperamenti. Dic tamen quæso, cum Galenus nouem temperamentorum differentias constituat, quatuor simplices, quatuor compositas, & vnam mediam, ab omnibus ne istis calor est id, quod summum est? Ego verò putabam in temperamento frigido frigiditatem esse apicem, sicut in humido humiditatem, in sicco siccitatem.

lib. 6. De his qui sine ali. lib. 3. c. 43.

Prim⁹ error.

De his qui sũ ali. lib. 4. c. 91

A. 2. de gen. & corr. t. 50.

Mẽdacium.

Ga. 3. aph. 2.

5 Sed videamus alterum calidi innati significatum. Tu ais sic, caloris nomine intelligimus quartam qualitatem à frigiditate, siccitate, humiditateq; distinctam; Vah quàm stultè verbosus es: poteras breuiùs dicere, caloris nomine intelligi calorem, quippe calor est quarta ista qualitas à tribus distincta. Sed memineris, te prius voluisse tradere duo significata caloris naturalis, nunc autem cũ dicas calorem esse vnam qualitatem præter tres primas, nihil addis, cur calor iste sit naturalis, an extraneus: quamuis autem calor in ratione caloris sit quarta qualitas, nihilominùs, vt naturalis est, non potest vna simplex qualitas appellari: quippè (vt tu met fateris) calor naturalis sinè humiditate esse nequit, imò calorem naturalem calorem humidum Galenus appellat. Iam ergo erras, dum dicis, calorem naturalem esse vnam quartam qualitatem; Si verò calorem extraneum describere velles, non aliter credo, te eum descripturum, nisi dicendo esse vnam quartam qualitatem distinctam à tribus alijs primis. Quæ nam ergo erit ratio dignoscendi naturalem ab extraneo? certè in ratione caloris non distinguntur, sed in ratione naturalis: tu autem naturalis caloris significatum tradere voluisti, & indistinctè te gerens, naturale, & extraneum confundere potuisti.

De his qui sũ ali. lib. 2. c. 14

Secundus error. 6 Alter est error, seu altera repugnantia; Dicis temperamentum non ali, sed corpus viuens, sic temperamentum diuersam rem facis à corpore viuente: iam ergo

ergo calor naturalis, quem, dixisti, esse temperamentum, non erit pars viuens, & tamen a tu met fateris, calidum innatum esse partem igneam, & aeream misti viuentis, quæ habet ortum ex sanguinis menstrui portione, & spiritu, qui continetur in semine.

De his qui sic ali. l. 2. p. 193. Côtradictio.

a p. 96.

Reprobantur quædam temperamenti diuisiones à Satyro inuectæ. Articulus Septimus.

Tertiº error.

1 TErtiò diuidis aliquando temperamentum (mille diuisionibus miserum temperamentum laceras) aisq; , in mistis duo esse genera temperamenti, quorum alterum est sensibile, nimirum qualitas consurgens ex mistione qualitatum actualium: alterum est insensibile, nempe forma consurgens ex vnione qualitatum habitualium; Hoc declaras exemplo olei sulphuris, aut olei calchanti, aut aquæ vitæ, aut vini: habent namq; hæc omnia temperamentum habituale à prædominio igneum calidum, & siccum, actuale vero frigidum, qualitatemq; sensibilem frigidam, & humidam. Video, te appellare temperamentum habituale, illud, quod Galenus passim temperamentum potestate tale appellat, temperamentum actuale qualitatem quandam sensui manifestam, quæ temperamenti nomine non est digna. Sed esto, nec de nomine sit questio, nam re vera possumus dicere, bilem v. g. actu esse humidam, quatenus humor quidam est, & substantia liquida, potestate tamen siccam. Verùm tamen, si saperes, intelligeres, quando aliquis quærit de bilis temperamento, debere respondere, bilem esse siccam, & calidam: quippe qualitas illa sensibilis non tamquàm verum rei temperamentum consideratur. Deinde temperamentum, quod tu habituale appellas, esse temperamentum naturale, alterum verò dari præter istud, quod ascititium appellatur, & istud ascititium etiam posse esse in habitu, nempe si radicatum fuerit in subiecto: sic febrilem calorem non nisi in febre hectica habitualē dicimus. Ecce habitualis est qualitas, & tamen sensibilis, hoc est, quæ tactu sentitur. Nouum est istud tuum dogma, quòd si nouum appellauero, tu, qui aduersùs contumeliosos sententias ex sanctis Patribus cōquisitas accumulas, omnino contumeliosus respondes, te, quòd nouus interpres sis, non malè audire, vt malè audiunt noui Christiani. At ego non te nouum interpretem appellaui iniuriarū ergo: tu forsan nouum christianum dicens, putas me iniurijs afficere, sed debueras priùs indagare aliquid de meis gentilitijs: reperisses iniuriam istam à te mihi illatam nihil ad me spectare, vt pote qui honesto loco sum natus; Sed neq; etiam (fateor) hæc in te cōtumelia reflecti potest: non enim christianus nouus dici debes, siquidem, vt priuatio præsuponit habitū, sic nouus christianus christianum præsupponit, à quo tuus atheismus, quem te profiteri aliquando ostendam, te omnino separat. Gaude igitur, quòd Christianus nouus dici nequis, sed mœrere etiam debes, quia nec christianus. Quid ergo ais euersor dogmatum? nempe oleum calchanti, & reliqua huiusmodi duo habere temperamenta, habituale vnum, hoc est, calidum, & siccum, alterum actuale, nempe humidum, illud ex vnione qualitatum habitualium resultare, istud ex vnione actualium. Sed habituales illas qualitates reducito mihi in actum, hoc quidem, quoties libuerit, fieri potest, alioquin inutiles erunt, & imaginariæ: erunt iam actuales, & contrariæ alijs actualibus, & sic duo temperamenta actu contraria; Quid hac inanitate inanius? quid hac multiplicatione temperamentorum turpius?

De his qui sic ali. lib. 3. c. 23

p. 171.

2 Post primum temperamentum, quod consistere, dixisti, in temperie solidarum partium, alterum, dicis, esse (vt nunquā cesses diuisiones addere de nouo) temperiem, quę variatur in dies ab aeris mutationibus, nempe, *Quæ obseruatur in spiritibus, & humoribus influentibus à partibus præcipuis in totum corpus, & ab ijs vtcumq; communicatur vniuerso corpori*. Hoc accipere voluisti à tuo præceptore Costęo, quem tamen nō intellixisti: ait namq; *Imò & Galeni quoq; testimonio suum est humoribus, & spiritibus temperamentum*. Id ego non negabo: quippe omne corpus mistum suo est prẹditum temperamento, etiam vngues, & pili suum habent temperamentum, & excrementa, & calculi, & lumbrici; Verùm hoc temperamentum nostrum non est: quare Galenus quando ait, in tribus substantijs nostri corporis temperamentum subiectari, non solùm in his naturale temperamentum collocat, sed etiam ascititium, vt apud eum legere poteris. Non

p. 102.

G 11. meth. c. 1.

ne temperamentum ætatis est ascititium? at temperamentum ætatis in particulis consistit. Vnde Galenus medicos reprehendit, qui putabant senile temperamentum esse humidum, quia scilicet senes videbant multis humiditatibus excrementosis refertos. Iam igitur tibi constare debet, nullum temperamentum posse nostrum appellari, quod particulis nostri corporis impressum non insit: tu autem quamlibet alterationem temperamenti nomine dignaris.

G.2.de têper. c. 2.

3 Dic ergo mihi, quamuis ab aere in dies, vt tu dicis, mutetur qualitas in spiritibus, putas ne mutari eorum naturale temperamentum? quomodò efficies, vt spiritus influentes sint spiritus, & non sint ignei, atq; aerei? Poteris quidem eos extinguere admota frigiditate, & facere, vt non sint; vt autem manentes in sua essentia igneum, aereumq; temperamentum non habeant, nunquam efficies. Deinde cum dicas, ab aere spiritus, & humores variari, videris existimare, morbos consistere in spiritibus, & sic vnus eris ex Pneumaticorum secta. Iam tibi dixi, morbos esse passiones viuentis, ac proinde necessariò debere apprehendere partem viuentem. Non ne quando quis aeri niuoso exposuit caput, & incidit in apoplexiam, morbus fit in substantia cerebri, nō in spiritibus? Austros auditum hebetantes dixit Hippocrates, tu Pneumaticus hoc referes ad spiritus: Galenus non ita, sed ad sensuum organa, quę partes viuentes sunt. Cessat iam tua procacitas, qua tenebas, temperamentum aliquod obseruari in spiritibus, & humoribus influentibus: quis te docuit ita loqui? Humores influentes nemo vnquam dixit, nisi tu, qui omnia præuertis, peruertis, & euertis. Non ne præuertere est, quando dicturus in spiritibus influentibus, & humoribus, dicis in spiritibus, & humoribus influentibus, quasi verò influxu communicentur humores? Non ne vlteriùs peruertere est, quando ais, temperamentum obseruari in spiritibus, & in dies mutari, cum tamen alibi ęquilibrium in corpore velis per menses, & annos conseruari, quasi verò mutationi spirituum, & humorum (vt tu dicis) influentium non mutetur proportio, & temperamenti, & calidi innati? Non ne ex humoribus, & spiritibus influentibus reficiuntur partes corporis solidæ, carnosę, & spirituosæ? Quomodò igitur mutatis in dies spiritibus, & humoribus, id, quod ab his nutrimentum capit, non mutatur? Tandem non ne euertere est, quando id, quod ab artis proceribus est dictum, pessundas? At considera, quantam vim aeri tribuat Hippocrates, respice deinde quàm sis contemptor aeris, quem debueras venerari, quandoquidem in aere tua dogmata soles fundare. Ecce iam tria verba præuertere, peruertere, euertere in te reperi, ex quibus tu tamquàm homo trium litterarum possis in vnam litteram longam conuerti.

Hip. li. de flat.

4 Non prætereibo hic, quòd ais, Galenum statuisse ab aere ambiente mutari temperamentum illud, *Quod appellat ipse dispositionem corporis, non autem habituale solidarum partium temperamentum, quod, ipse scribit, esse essentiam animæ, vel quod complet propriam substantiam partium solidarum*. Cæterùm tu veteres tuos mores non exuis, & per summum mendacium Galeni autoritate abuteris: quippe Galenus sic ait. *Quòd autem aeris temperamentum dispositionem corporis secum mutet, siccum quidem ad sicciorem, humidum verò ad humidiorem, in commentarijs Epidemiorum est demonstratum.* Sic ille mutari quidem ab aere dispositionem corporis dixit: sed num propterea (quod tu ei imponis) negauit, mutari partiũ temperamentum, aut distinctionem inter vnum, & alterum temperamentum, quam tu fingis, ille est imaginatus? absit; *Dispositionem corporis* dixit: quære nunc apud eum, quomodò dispositionis nomine soleat vti, & inuenies, in ipsius doctrina dispositionem, & habitum, seu habitudinem, seu constitutionem idem esse, & longè aliter hoc vocabulo vti, quàm vtitur Aristoteles: quippe Aristoteles distinguit dispositionem ab habitu penès facilem, aut difficilem eradicationem, Galenus dispositionem appellat id, quod post passionem est factum, & optima sanitas, quæ apud Philosophum esset habitus, apud eum dicitur dispositio. Dixit quidem alibi Galenus, temperamenta esse, *quæ propriam particularum substantiam complent*, & rationem addit: corpus enim tale natura est, propterea quòd caliditate, frigiditate, humiditate, siccitate sic commistum est: nam carni esse carnem, & neruo neruum, & aliorum vnicuiq; id *esse, quod est, ob qualitatum quatuor prædictarum certam quandam temperaturam, contingit*. At hæc Galeni verba non inuehunt aliud temperamentum, quod sit (vt tu ineptè dicis) in spiritibus, & humoribus influentibus; Imò verò (quod iam superiùs me dixisse memini) idem Galenus pręter istud temperamentum, quod dat carni esse carnis, & ossi

p. 102.

Mēdacium. Ga. 4. acut. com. 1. Ga. de opt. corp. cōst. c. 1. G. 1. de vsup. c. 9.

esse ossis, quod naturale temperamentum dicitur, alterum ascititium statuit non in spiritibus, & humoribus, sed in ipsis corporis particulis, & ex hoc ascititio, non minùs, quàm ex alio naturali indicationes remediorum accipi, ait; Temperamentum autem naturale originalem naturam appellat, alterum verò nuncupat acquisititium affectum: tunc addit: *Sæpè autem ascititia temperies ad efficientes causas reducta, illis indicationem concedit. Ad hunc itaq; modum ex ætate, vitæ instituto, & consuetudine indicationes remediorum suggeri dicimus, etc.* Ex his satis liquet, ascititium etiam temperamentum indicationes curatiuas de se tradere: quare tuū illud tēperamentum in spiritibus, & humoribus influentibus non poteris ex Galeni doctrina elicere, imò è contrario ab eorū instabilitate addisces temperamētū, quod à natura datum est, & natura appellatur, nunquam in vno, & eodē statu consistere, quare si cui optima tēperatura contingit, momentanea quidem est. G. 11. meth. c. 1. Ga. de sā. tuend. li. 1. c. 7.

Quid de anima Hippocrates, & Galenus senserint.

Articulus Octauus.

1 QVod attinet ad Hippocratem: dum medicos docet, quę agnoscenda sunt, vt virium imbecillitates innotescant, vltimo loco ait: *Quam itē natura nostra, habitusq; singulis affectuum species omnigenas fabrefaciat.* Ibi naturæ nomine Galenus, intelligit temperaturam. Cæterùm scire debueras, ab eodem Galeno sæpissimè esse dictum, naturæ significata multiplicia esse; Dicatur igitur temperamentum naturale natura, nunquid iccircò ascititium temperamētum non inest particulis nostri corporis? Hanc tu diuisionem tuam, quam affabrefecisti, non magis poteris autorum placitis accommodare, quàm montem cum monte miscere. Hipp. 2. acut. t. 47. adagiū

2 Cęterùm quoniam apud medicorum vulgus circumferri solet, Hippocratem, & Galenum vtrumq; existimasse, animam nil aliud esse, quàm tēperamentū, oportet satisfacere ijs, qui ita sentirent: nam cum anima sit substantia, videtur consequens esse, illos duos medicinæ proceres existimasse, temperamentum substantiam esse, quod nostram doctrinam euertit: siquidem diffusè ostendimus, tēperamentum esse accidens, & te reprehensione dignum, imò verberibus censuimus, quòd dixeris, temperamentum esse formam inanimatorum. Dicendum igitur in primis est, eos, sicut errarunt, existimantes animam esse temperamentum, sic errare potuisse, credentes animam non esse substantiam: vno namq; absurdo concesso pleraq; alia consequuntur. Deinde non est credibile, Galenum nullam in anima essentiam agnouisse præter essentiam temperamenti, tum quia libellus, in quo id dicere videtur, inscribitur ab eo *Quod animi mores corporis tēperamentū sequantur:* si ergo anima esset temperamentum, idem esset ac si inscriberet, quòd temperamenti mores sequantur temperamentum corporis, quod fatuum nimis esset: tum etiam quia ipse-met fatetur, superuacuam esse medico de animæ substantia notitiam, cum tamen de temperamento notitia non superuacua, sed omnino necessaria medico sit. Quare quando ait, essentiam animæ consistere in temperamento, medicum agit, & id, quo anima corpori connexa conseruatur, pro anima sumit, nempe temperamentum, quo labefactato soluitur nexus, quo anima corpori erat ligata. Iccirco quamuis tam viuentia, quàm non viuentia temperamento in genere prædita dicantur, nihilominùs viuentis temperamentum à temperamento non viuentis, specie differt. Si verò quis interroget, quid habeat temperamentum viuentis vltra temperamentum non viuentium? Respondebo, viuens, & non viuens conuenire in esse misti, ac proinde vtrisq; conuenire temperamentum in genere, secundùm quod mistum cōstituitur in esse misti. Cæterùm cum mistio elementorum in misto teneat se ex parte materiæ, materiamq; disponat ad formam, varietas mistionum vario modo materiam ad varias formas suspiciendas disponit: formæ autem aliquæ ignobiliores sunt, nobiliores aliæ, saltem in diuersis speciebus: quis enim dubitat, formam plantæ ignobiliorem esse forma animalis, & inter animalia, alia alijs esse præstantiora? Ga. 6. epid. sect. 5. com. 5.

3 Sed adhuc instabit aliquis, gradus hos præstantiæ habere formas substantiales ex sua essentia, non autem ex mistione, nam mistio tam in viuentibus, quàm in non viuentibus, ex eisdem fit elementis, & in omnibus est eadem miscibilium

alteratorum vnio: Respondeo, præstantiorem esse mistionem non ratione eorum, ex quibus fit, nam in omnibus fit ex eisdem, sed ratione modi, per quem contrahitur: quippe mistio nō viuentium ex simplice miscibilium vnione emergit, viuentium autem non nisi mediante virtute seminali: etenim miscibilia in semine propter spiritum respondentem elemento stellarum nobiliorem acquirunt substantiæ modum, & vnumquodq; elementorum, huius plus, quam elementi (sic libet appellare) coniunctione præstantiorē subit naturā, præstantiorq; ex his euadit mistio. Nec solùm hęc differentia cernitur inter viuens, & non viuens, sed etiā inter uiuentia, quorū virtus seminalis in vno superat præstantia, & nobilitate virtutem quæ reperitur in alio, adeò vt propter hanc seminis præstantiam multorum naturæ inter se incommunicabiles sint, neq; ex elephante gignetur equus, nec ex equo leo, omitto hominem, qui animam habet nihil habentem cum materia commune, ac proinde à materialium animarum consortio est omnino libera. Cæterùm, quoniam circa hoc Satyrus suo modo satyrizat, alibi cum ex professo veritatem hanc docebo, nunc obiter hęc dicta sunto.

Infra. sect. 2. q. 4.

4 Pro coronide vnum adiungo. Temperamentum ab aere immutari dixi, & addidi hęc verba: *Iccirco medici in remedijs magnis rationem habent & temporis, & ætatis, & regionis.* Increpas, quòd, præter rem, ætatis mentionem facio, vbi de mutatione temperamenti ab aere tracto. Regio siquidem, & anni tempus ratione ambientis aeris, alterare possunt temperaturæ dispositionem: ast ętas est homini propria, & interna, nec in aere consistit. Sic tu ais, sed perperam, ętatem esse nobis internam: num magis, quàm temperamentum? num magis, quàm calidum innatum? at hæc, quatumuis interna, ab aere mutantur. Imò vero ætas temperamentum est ascititium, consistere autem eius mutationem in mutatione aeris poteras addiscere ex eo, quòd in aliquibus regionibus homines citius senescunt, quàm in alijs: deinde non ne tu aerem inter causas mortis naturalis numerasti? at mors naturalis easdem habet causas, quas senectus. p.100

5 Itaq; dum indicationes, quas sumunt medici ad remedia magna, recensui, visum mihi fuit necessarium ætatis mentionem facere; quòd si non facerem, succenseres mihi, quòd nō recensuerim omnes penitus indicationes. Cæterum cum vir aliquis doctus, prudensq; te ita de lana caprina disceptantem audit, meritò quin tibi protinus ambas iratus buccas inflet? Te autem non pudet in huiusmodi nugis versari. Scisne vnde hoc tibi euenit? nempe quia dum totus in omnibus videri ambis, remanes in singulis nullus. Mathematicis disciplinis nunquam dedisti operam, & Camillum Gloriosum virum probum, & in mathematicis apprimè doctum insectaris. Theologicæ contemplationes à tuo genio, ingenioq; prorsus sunt alienæ, in eas tamen falcem mittis, & propterea errores committis igne aliquando purgandos. Linguarum notitiam nullam habes, & te linguarum peritiam habere simulas. Medica ars non tua est, & me (vt vniuersa nouit Europa) de hac facultate optimè meritum, cum magno tuo dedecore petis. Alter Atalus mihi videris, qui omnia te bellè agere posse iactas, dignus epigrammate Martialis.

Finis Prioris Sectionis.



COM-

COMMENTARII IN LIBRVM HIPPOCRATIS COI DE ALIMENTO.

AVTORE D. STEPHANO RODERICO CASTRENSI Lusitano Serenißimi Magni Etruriæ Ducis Medico, & Medicinam in Pisano Gymnasio Primo Loco Docente.

SECTIO SECVNDA.

TEXTVS III.

ASsimilat autem pro viribus, cum id, quod superingeritur, superatur, id verò, quod prius inest, superat.

COMMENT.

Foesij interpretatio. REfert hæc verba ad facultatem Foesius: ad facultatem, inquam, nostri corporis. Eius hæc est translatio: *Cum, quę peruenerit, superat, quæ vero prius adest, principatum obtinet.* Quasi dicat, assimilationem fieri optimam, cum facultas superueniens (hoc est influens) superat (hoc est abundat) quæ verò prius inerat, (hoc est membris quibuslibet innata) principatum obtinet, seu præcipua est in agendo: quippe circa alimentum, facultas naturalis est quæ versatur. *Reÿcitur.* Hæc sententia, sic exposita, indigna est autore Hippocrate: nam, quid aliud docet, quàm facultatem naturalem singulis membris insitam præcipuam esse, cui nutritio attribuatur, calorem verò influentem (neq; enim datur facultas naturalis influens) esse causam minùs præcipuam? Hoc autem quis est, qui nesciat?

Vallesij interpretatio. Aliter vertit Vallesius: nempe *Abundat quidem id, quod accidit, præualet verò id, quod præerat.* Hoc est membrorum substantia præualet, quod verò accidit (scilicet alimentum) abundat. Duo ad nutritionem, vt bona sit, supponenda sunt: alimenti abundantia, & membrorum coquentium recta ratio, quocumq; istorum deficiente infœliciter succedit nutritio. Proinde duobus modis fit exile corpus, & cum deficit alimentum, & cum adeò abundat, vt vincat partes.

Reÿcitur. Hæc etiam expositio recipi nequit: neq; enim perfectam continet diuisionem: siquidem diuidit nutritionis vitia, in vitium, quod accidit, propter defectum alimenti, & aliud, quod accidit, propter excessum eiusdem, à quo mẽbra superantur. Deest tamen aliud diuisionis membrum, videlicet cum alimentum neq; deest, neq; superat, & tamen qualitatem habet, quæ difficulter superatur, imò qua maiori sui parte alimentum in prauam naturam commutatur.

Interpretatio vera. Melior translatio est, quam sequimur: *Cum id, quod superingeritur, superatur, id verò, quod prius inest superat:* *Cardanus.* Iuxtà hanc translationem adeò clara manet sententia, vt eam Cardanus sinè expositione reliquerit. Itaq; cibus, qui superingeritur, debet superari: in hoc enim differre, Galenus ait, alimentum à medicamento, quòd medicamentum in nos agit, alimentum verò patitur. Quantum verò alimentum calori resistit, tantum difficultatis habet coctio: vt ergo quod accidit, seu quod superingeritur debet superari, ita id, quod præerat, debet superius remanere. Quid nam est, quod præerat? nimirum priùs assumptum, & iã in membra conuersum alimentum: membra enim sunt agentia præcipua, habentq; pro instrumento calorem. Debet ergo superare calor membrorum, superari verò, quod accidit, nẽpe aduenien s alimentum. Fit itaq; coctio

ctio agente membri substantia, per suum calorem, tamquam per instrumentũ, patiente verò alimento, quod superingeritur.

TEXTVS IV.

EXile autem fit aliquando quidem prius in tempore dissolutũ, aut insuper appositum aliquando verò posterius in tempore dissolutum, aut appositum.

COMMENT.

quid primũ ali. apud Valles. PRimum alimentum appellat Vallesius substantiam membrorum solidorum, posterius autem substantiam reliquorum, vt carnis, & pinguedinis: aitq; vtramq; substantiam fieri gracilem, aut cibo in tempore ipso, quo ingeritur, demisso, aut expulso, aut consumpto postquàm iam affixũ est: nimirum quia quæuis pars duplice ratione gracilescit: aut quia cibum non accipit, (estq; is defectus atrophia) aut quia multum dissoluitur, dissipaturq;. Hæc doctrina vera quidem est, sed expositio parùm congruens contextui: quippe non est, cur priora vocentur membra solida, quàm carnosa: etenim (vt iam superiùs dixi) *Sect. 1. q. 7. ar. 3. n. 7.* ordine generationis vel solida, & carnosa fiunt simul, vel si aliquod eorum est prius, illud est cor, aut iecur, quorum vtrumq; parenchyma est, & ad carnes, nõ ad membra solida refertur.

Fracãtia. expositio. Fracantianus, in prioribus coctionibus dissolui, ait, alimentum, vt cibus, qui per aluum secedit è ventriculo, vel per vrinarias vias è iecore, & venis. Vltimum etiam dissoluitur, & discutitur, vt alimentum, quod sumitur ex fructibus horarijs. *In quo peccet Fracãtia. expositio* Ista expositio tolerari quidem posset, nisi contineret contrapositionem inter duo, quæ nõ contraposita, sed disparata quidem sunt: quippe alimentum primum appellat quemcumq; cibum, alimentũ secundum, quendam cibum. Quare meritò Cardanus, duram, inquit, esse hanc expositionem.

Exposit. Cardani. Cardani verò expositio sic habet. Corpus redditur exile, vel quando fit aridum, vel quando acquirit habitum, quem vocamus hyposarcam. Itaq; vel corpus non augetur, quia alimentum dissoluitur, vel quia corrumpitur ob prauitatem: & hoc vel contingit in primo alimento, quod non concoquitur in ventriculo, & in iecore, aut quod corrumpitur ibidem: vel contingit in vltimo, vt legumina, quæ etsi in primis coctionibus transmutetur in primum alimentum, scilicet in chylum, & sanguinem, in tertia, cum apponuntur, transmutatur in flatum, & ideò excitant venerem.

Cardani opinio reiicitur circa flatus. Hæc expositio tametsi ob alia recipi possit, vnum continet non ferendum: videlicet flatus, qui ex cibis flatulentis excitatur, fieri in tertia coctione, quando iam alimentum ferè apponitur, quod tamen falsum esse, manifestum est. Nam ventriculus, & ventriculo subdita intestina, quæ primæ coctionis officina dicuntur, sunt cauernę, in quibus Æolus dominatur, quod probari potest, quoniam in his locis, vt plurimum flatus dominatur, & procellas excitant, colicos nempe dolores, burburismos, & ructus: quin etiam melancholicorum cruciatus ex flatibus ortos intemperiem meseraicarum pro causa habere, & ingestis cibis concitari, nouit Diocles apud Galenum. *G. 3. loc. aff. c. 7.* Deniq; ventriculus quantũuis robustus ex cibis flatulentis flatus conficiet, licèt suo robore eos expellet meliùs, quàm debilis, quod significant hæc Galeni verba, *G. 4 de vsu par. c. 9.* *Robusta verò si fuerint vniuersa, & amplectatur vndiquè ventriculus, intestina, & peritonaũ, etsi valde flatuosa, quæ comesta sunt, fuerint, coquuntur tamen, ac distribuuntur facilè: partem namquè flatus ipsi ructus vacuant, alia autem deorsum penetrat: quod autem vaporosum simul, & vtile fuerit, in venas assumitur.* Ex his constat, partem flatulentam in prima coctione fuisse depositam, neque ad tertiam accessisse, ad quam alimentum accedit omni flatulenta portione deposita. Non negauerim etiam, cum Galeno aliàs sub cute, aliàs sub membranis, quæ ossibus circundatur, aut musculos, viscerumuè aliquod includunt, flatuosum spiritum colligi. Cæterũ, quòd Cardanus vult, ex cibis flatulentis, qualia sunt legumina, flatus non excitari in prima coctione, sed in tertia, hoc planè erroneũ est, sicut è contrario certissimũ, separata flatuosa parte in prima coctione, ad

huc

huc secum vehere chylum dispositionem quandam, quæ vbiq; flatibus gignendis opportunitatem præstat, ob quam & in musculis, & alibi tumores flatulēti gignuntur, & stimulus ad venerem suscitatur, qui aliquando adeò magnus est, vt abeat in priapismū.

Porrò expositores prædicti omnes illud *exile* ad corpus referunt, quæruntq; rationes, cur exilitas in corpore ob alimentum prius, cur posterius fiat. Mihi sanè videtur, illud *exile* referendum esse ad alimentum, vt scilicet exile alimentum dicatur, quod parum, diuerso vocabulo, tenue solet appellari. Tenuem victum appellat Hippocrates, quod parum nutrit, imò, Galenus per gradus progrediens, quendam victum tenuem esse dicit ptisanæ succum, vel ptisanam in pauca quantitate exhibitam: nam plena ptisana, apud eum, victum facit nō exquisitè tenuem: tenuissimum autē victum melicratum, tenuissimum in extremo, inediam, quæ competit iis morbis, qui exactè peracuti dicuntur. Cæterùm de his alibi: sufficit nunc scire, exilem cibum, & tenuem eundem esse, imò & debilem, vt interdum appellat Hippocrates: omnes autem ita appellabo, qui parum nutriunt. Iuxtà hunc sensum idem Hippocrates, *imbecilliora*, inquit, *cibaria breuem vitam habent*. Vbi Galenus imbecillum cibum intelligit, & meritò, eum, qui parum alimenti corpori exhibet: talia verò sunt, & olera, & plurimi arborum fructus. Putat autem, hos breuem vitam habere, ex mente Hippocratis, quoniā ipsis vescētes breuis vitæ reddere sunt apti: siquidem cibaria hæc celeriter è corpore euacuantur. Sanè ipse Galenus affectatum censet esse hunc loquendi modum: qui enim cibos breuis vitę appellauerit, quoniam parum in corpore morantur, videtur existimare, eorum vitam esse moram in corpore.

H. li. de affect. Hi. 6. epid. sect. 5. tex. 21

Aduertendum tamen hoc loco duxi, antequàm vlteriùs progrederer cibos tenues, & parum nutrientes dupliciter dici: vel quia parum habent crassioris substantię, quæ membris nostri corporis soliditatem præstare queat, vt melicratū, ptisanę succus: vel quia solidi cum sint, magna pars eorum euinci nequit, & in excremētum abit: exigua verò est, quæ nutrit, vt acetaria, & fructus. In priore significatu eos accipit Hippocrates, dum & in aphorismis, & de victu acutorū ægrotantibus victum præscribit. At in hoc libro de alimento, vbi generaliter loquitur, posterior significatus magis est conueniens. Est igitur in præsente contextu alimentum exile, seu tenue, siue debile, qui paucas habet partes, quæ nutrimentum corpori præstare possint.

Vt autem ad cibos breuis vitæ reuertamur: ego sic appellandos censeo illos, qui facilè in corpore corrumpuntur: cum enim mors coruptio sit, rectè videntur cibi facilis corruptionis breuem durationem, & subinde breuē vitam habentes appellari. Quinam autem sunt cibi, qui facilè in corpore corrumpuntur? videlicet illi, qui facilè etiam corrumpuntur extra corpus, & asseruari diu incorrupti nequeunt. Galenus eos fructus laudat, qui reponi possunt: ratio huius rei est, quia fructus, qui incorrupti seruantur, nō habent in se causas in putredinem facilè deducentes, quare nec intra corpus facilè concipiēt putredinem, & subinde tam intra, quàm extra longam vitā habere dicentur. Interrogauit me aliquando Serenissimus Magnus Æturiæ Dux Cosmus Secundus, Princeps optimus, & nunquam sinè encomio nominandus, Num pepones laudabile nutrimentum corpori præstēt, ego prædicta Galeni autoritate munitus respondi, pepones, quoniam, si reponantur, facilè putrescunt, similiter intra corpus facilè in putrilaginem abire. Ille autem, vt erat acutissimo præditus ingenio, obiecit argutè: ergo pepones, quos hyemales dicimus, si quidem per hyemem seruātur incorrupti, erunt cibus boni succi. Ego verò assensum præbui: quippe in Lusitania, præcipuè Olyssippone patria mea, vbi per plures annos medicinam feci, pepones hyemales à Medicis in febre conceduntur. Itaq; sicut qui difficulter corrumpuntur, seu meliùs, qui diu incorrupti seruantur, longam vitam habere dici possunt, sic è contrario, qui citra corruptionem seruari nequeunt, breuis vitæ dicendi sunt. Iure ergo Hippocrates huiusmodi cibaria breuem vitam habentia, hoc est, succo prædita, qui facilè corrumpitur, imbecilliora appellauit, & in præsente exilia, quoniam exile est, quod ab his suscipitur, alimentum.

Ga. de cib. bō. & mal succ. 1. c. 5. & de attenuāt diæt. c. 10.

Porrò, vt ad textus explicationem accedamus, redditur alimentum *exile*, id est

id est parum nutriens, *prius tempore*: nempe in prima coctione, quæ fit in ventriculo, *& posterius tempore*, videlicet tum in tertia coctione, quæ fit in membris, tum ad eam, quæ hanc consequitur, nutritionem. Sed quomodò fit exile? nimirum *dissolutum, aut appositum*, hoc est, quando dissoluitur, aut quando apponitur.

Dubiũ Dubitabit tamen aliquis, quomodò, cum prioribus coctionibus conueniet appositio, quæ post omnes coctiones fit, & pertinet ad nutritionem?

Solutio Sciat tamen ad nutritionem pertinere appositionem alimenti iam in halitus, seu in roris speciem conuersi, vt videre est apud Galenum: cæterùm hoc nõ tollere quominus omnis actio appositum agenti patiens requirat. Vnde ventriculus, vt rectè chylificet, cibum sibi apponit, eumq; amplexatur, alioquin flatus, flluctuationesq; consequuntur, & hanc esse causam censet Galenus, cur, ex Hippocratis decreto, parùm deterior potus, aut cibus, suauior autem, melioribus, sed minùs suauibus, sit preferendus. Videlicet quia *Quæ cum voluptate assumuntur, ista ventriculus amplexatur, & faciliùs cõcoquit, sicut illa, quæ displicent, refugit, ad quæ nausea, flatus, fluctuationesq; consequũtur.* Iam ergo habemus, posse in prioribus etiam coctionibus vitio appositionis alimentum parùm nutrire.

Ga. 3. sympt. cau. c. 3

Hipp. 2 aph. 38.

Itaq; *exile fit* nutrimentum, aut dissolutum, aut appositum. In prioribus coctionibus vitium in dissolutione contingit, si alimentum tenue sit: nã, vt Galenus ait, quæcumq; tenuem habent humorem distribuendum, celeritate quidem distributionis, atq; appositionis exuperant, stabilem verò naturam non habẽt, sed facilè diffiant. In eisdem prioribus coctionibus contingit vitium appositionis, quando alimentum acrimoniæ est particeps, ob quam illum refugiunt membra cõcoquentia: propterea Galenus ait, si à melle acrimoniam auferamus, fieri ad distributionem, coctionemq; accommodatius: vel etiam quando ob defectum transpirationis membra non famescentia potiùs respuunt, quàm trahant alimentum.

Ga. 2. aph. 18

In vltima coctione, & eius cõsectanea nutritione fit dissolutio alimenti valde magna ob membrorum caliditatem, cum siccitate coniũctam. Propterea in curanda sicca intemperie Galenus eligit cibum, qui adhærere debeat, & firmiter affigi, non autem prætenuitate difsluere. Et hectica febre laborantibus, ex testudinibus, cocleis, & similibus cibos paramus, qui persistant, nec euanescant. Quod verò attinet ad agglutinationẽ, in ea quoq; vitium accidit; quando alimentum aquosius adhuc est, *Nec ad succũ sufficienter redactum, nec lẽtitiam, glutinisq; consistentiam, quæ naturalis caloris ope prouenit, adeptum, adhærentiam consequi non valet, defluente nimirum, ac delabente ob tenuis, & crudi humoris exuberantiam à solidis corporis particulis nutrimento*, quod Galeno accceptum refero. Habemus igitur, quomodò ex se fit nutrimentum dissolutum, aut appositum in tempore, & post tempus.

Ga. 7. meth. c. 6.

G. nat. fac. l. 1 c. 11.

Præstat tamẽ hìc adiũgere quomodò ex morbosis affectibus, ĩ vnaquaq; coctione contingat, exile fieri nutrimentum, & in priore quidem ventriculi frigiditas in causa est, vt parùm ex assumpto cibo ad alendum corpus assũmatur: frigiditas autem ventriculi non in se ipso ortum habet, nam ventriculus suapte natura non habet calorem coctionis muneri sufficientem, sed illum à vicinis membris mutuatũ, quorum defectu frigida intemperie laborare dicitur. Vnde ex omenti defectu (vt Galenus asserit) necessitas adest fouendi, & cooperiendi ventriculum, vt eius calor, quem ab epigastrio accipere debuerat, suppleatur. Iccirco damnat Galenus hypochondria tenuia: *Signa enim sunt imbecillitatis in partibus eliquatis, causæ verò, quod coctio bona ciborum non fiat in ventre*, neq; sanguificatio in hepate: etenim vtrumq; ex his membris crassitudine dictorum corporum concalefactum iuuatur. Et sic constat ex frigiditate, hoc est, ex ablata calefacientium membrorum ope, ventriculum munere elixationis imperfectè fungi. Ac si coctionis priuatio fiat, symptoma apepsia nominatur, quę (vt iam diximus) nõ tollit prorsus coctionem, sed ferè nullã relinquit: sin materia alteretur, non tamen vt oportet: adhuc etiam cruditas nominatur, sed quam, cum Galeno, dyspepsiã solemus nominare, quippe deprauata est coctio. Si verò cibus nõ corrumpatur quidem, sed tardè coquatur, bradypepsia est.

Ga. 2 aph. 35

Ga. 3. sympt. caus. c. 1.

In secunda coctione fit exile alimẽtum vel à morbis partium organicarum, vt sunt morbi in compositione, vel à morbis partium simplicium, vt sunt

sunt morbi ab intemperie. In compositione sunt vel obstructiones, vel tumores: obstructiones in iecore sunt frequentes: quippe, vt Galenus ait, huius visceris venæ tenues cum sint, & exiles facilè obstruuntur. Tumoribus verò preternaturam, qualis est schyrr' iecur multoties immedicabiliter egrotat, dicente eodem Galeno, iecoris substantiam schyrris maximè esse opportunam, vt pote quæ lutosum multum in se continet, quod medicus sui temporis quasi per iocum dixit. Dico autem, schyrrum in iecore fieri insanabilem, quoniam idem met, vt schyrrum iecoris ab initio se sanasse ait, sic vbi per plures dies fuit extensus, nec ipse sanauit, nec alium vidit, qui sanasset. Possunt etiam ex tumoribus obstructiones fieri, nimirum per compressionem, & coarctationem. Itaq; per hos iecoris morbos sanguificatio fit vitiosa, ac propterea alimentum, quod ex vitioso sanguine trahitur, exile est.

Ga. de const. art. c. 17.

G. 13. meth. c. 16.

Ga. 2. ad Glaucon c. 5.

A morbis ab intemperie etiam fit exile alimentum: quippe intemperies vel nimis frigida, vel nimis calida iecoris, efficit sanguinem ita vitiatum, vt eius exigua pars nutriat: imò ex intemperie frigida fit cachexia, procedente malo, hydrops; ex calida fit corpus picrocolū multa amara bile tumens, & procedente etiam malo auriginosum, aut magis aucta adustione atrabiliarium, in quibus omnibus affectibus nutritio est valde exilis.

In tertia coctione putabit aliquis, alimenta exilia fieri non ob vitium illius, sed præcedentis coctionis, quæ in sequente non emendatur, e.g. cachexia, seu praui corporis habitus ex vitio appositionis, quæ post tertiam coctionem pullulat, & tamen fit ob culpam sanguificationis: si enim iecur bene sanguificasset, vtiq; hoc malum non accideret, vnde medici cachecticum curantes iecori prouidentia suā adhibent. Non est tamen negandum, cachexiam ad secundam coctionem referri, & in hoc affectu tertiam coctionem, imò & appositionem non laborare proprio affectu, sed malignitate obiecti, ac propterea nullo modo ad tertiam coctionem referri hoc malum: quippe in eo exilis nutritio fit, quoniam materia nutritionis in secūda coctione vitiosa est facta, nec valet dicere, pullulare hunc affectum vitio appositionis, siquidem culpa iam in præcedente fuit contracta.

Quod nam ergo propriè vitium tertiæ coctionis, & consectaneæ eius nutritionis appellabimus? Subit mihi in mentem sententia Galeni, qui vlcus fieri ait, vel rupto vase, vel malignorum humorum affluentia. Ex hac doctrina colligere rectè possumus, quid propriè ad secundam, quid verò ad tertiam pertineat coctionem, nam si ex humorum affluentia ylcus accidit, ad secundam coctionem, in qua humores gignuntur, error spectat; si verò ex vasis ruptione, tunc membrū, in quo tertia coctio, & reliquæ, omnes actiones nutritioni inseruientes celebrantur, patitur, ac proinde vitio proprij instrumenti tertia coctio læditur, & exiguum fit nutrimentum, ratione huius tertię coctionis, non autem culpa præcedentis.

Ga. 5. de loc. aff. c. 5.

Tandem fit etiam exile nutrimentum in vltima nutritione: tum quia adhuc alimentum post tres præteritas coctiones, non deposuit omnino partes acres, quas natura refugit, neq; sinit membro apponi: tum quia pręexistentia membra ob nimiam siccitatem non patiuntur sibi alimentum agglutinari, nisi paucissimum, quod tabidis accidit: quippe conniuentibus prę siccitate meatibus, non datur locus, in quo aduenіens substantia recipiatur.

Videmur probasse, alimentum fieri exile, aliquando prius tempore, aliquā do posterius. Non est tamen prætereundum, ab Hippocrate fuisse dictum, exile fieri alimentum, non verò prorsus nullum, quasi exiguam admittat nutritionem, nutritionis verò priuationem explodat, cui tamen videbitur alicui contrarius fuisse Galenus, qui apepsian admittens, in ea nullam omnino alterationem esse ait, sicut in functionibus animalibus immobilitas, & insensibilitas, significantibus scilicet his vocibus in primate animæ particula amissionem, & priuationē, & in hunc eundem sensum attractricem, quando languescit adeò, vt cibos in totum attrahere nequeat, hoc symptoma stomachi paralysim appellat. Cæterùm Galenum, ex Galeno libet explicare: ipse aliquando virtutem animalem posse in aliquo membro deperdi, ait, ipso nequaquam affecto, naturalem non ita, sed oportet vbi actio naturalis deficit, affectum præternaturam adesse. Cæterùm vbi defectus nō est adeò magnus vt omnino actionem

Ga. 2. symp. caus. c. 1. c. 2.

G. 1. de loc. aff. c. 2.

nem naturalem extinguat, viuit membrum, sed ægrè, cum autem eam prorsus delet, interitus sequitur. In actionibus animalibus cum possit actio lædi sinè membri læsione, poterit etiam aboleri sinè membri interitu. Quare priuatio virtutis naturalis, potest, dum omnimoda non est viuente membro contingere, si omnimoda sit, continget quidem, sed continget simul, mēbrum interire: quippe omnimoda nutritionis priuatio omnimodam caloris vitalis extinctionem supponit; hoc iam satis remanet superiùs inculcatū. Quòd si Galenus alibi ait quãuis animal non nutriatur posse tamen viuere, hoc iam diximus ita accipi, vt nutrire abusiuè dicat pro cibum capere, quod Hippocratis autoritate confirmauimus, & confirmari etiam potest ex eo, quod exemplo brutorum hyeme latentium vtitur: quod in præsens libet explicare.

Ga. 5. loc. aff. c. 1.

DE ANIMALIVM HYEME latentium nutritione.

QVÆSTIO PRIMA.

1 QVoniam de animalibus tota hyeme latentibus incidit sermo, quorum exemplo Galenus non semel vtitur, ego verò argumētum ab his sumptum inefficax esse dixi, ne videar Galeno contradicere, aliquà in medium sunt afferenda, & tuis, ò Satyre, calumnijs occurrendum. Itaq; aliud est exemplo vti clarioris doctrinę gratia, aliud in eo argumentationis vim fundare. Galenus pluribus in locis hoc exemplo vtitur, non vt inde argumentum efficax accipiat, verùm vt clarior, res de qua agit, reddatur, quod vnicuiq; fiet notum, si per singula loca, in quibus horum animalium mentionem facit, discurrat. In quinto de locis affectis sic habet: *Si neq; sentiendi, neq; mouendi ab electione facultatem animal habuerit, neq; nutriatur (veluti in latentibus euenit animalibus) nihilominùs viuere, ipsum posse quoad cor manserit illæsum, haud quaquam negandum est.* Ex his Galeni verbis solùm colligimus, posse animal viuere, etsi cibum non assumat (sic explicatur illud *non nutriatur* ex mente Hippocratis, vt supra exposuimus) non tamen adhuc constat, quid isthæc animalia, loco cibi conspicui substituant, num pituitam, an pinguedinem intus latentem, an (vt aliqui volunt) formicas linguę adhærentes, an (quod tu solus somniasti) eorum nutritiua virtus ferietur. Non potest ergo ex hoc exemplo confici argumentum, quod efficax sit.

De Asstia c. 13

G. 5. de loc. aff. c. 1.

2 Alter locus est in aphorismis, vbi sic ait, *Contingit autem hominibus, qui aqua frigida perluuntur, si debile corpus habuerint, refrigerari, atq; offendi: si verò robustum, primùm quidem innatum calorem ad interiora refugere, ibiq; se ipsum colligere, posteà verò ad exteriora remeantem, multo; quàm prius erat, fieri fortiorem: sic & animalium quæcumq; sunt natura frigidiora, ijs calor innatus à frigore hyberno superatur adeò vt ferè extinguatur, quare plurima ipsorum similia mortuis conspiciuntur, cum sinè sensu, ac motu in lateribus iaceant: quædam verò prorsus in hoc ipso affectu moriuntur.* Hinc etiam quid aliud colligi potest, quàm animalia hæc prę caloris paucitate ferè ad extinctionem, imò aliqua prorsus ad extinctionem, hyberno tempore deduci?

Ga. 1. aph. 15

3 Præterea aduersus Erasistratum, hæc habet verba. *Si neq; nos ambiens aer calidus existit, & animans exercitijs vacauerit, plurimum tunc ex eo effluere contingit. An in contrario rerum statu, vbi videlicet ambiens nos frigidus, insuperq; animal sinè motu, degat, densari ilico exteriorem superficiem, desluereq; nihil prorsus, aut vndequaq; parum, & ob id ferè, quæcumq; latibula incolunt, alimentis opus non habent; cum enim hæ sub hibernum frigus, quo tempore in cauernis commorantur, toto corpore frigidæ, segnesq; ac densæ, ob quietem, redditæ sint, & exterior superficies iam astricta fuerit, nihil tunc desluere potest: neq; etiam quod euacuatum est repletione indiget: alioquin nutrimento opus haberent, ad quod inuestigandum ea propter excitantur, quo defectui, quem ex inanitione perceperunt, opem ferant.* Patet ergo hinc, quod euacuatio, quæ in tota superficie contingit, defectus sit causa, & indigentia ciborum, idq; incumbat, quia quod inanitū est, repleri denuo desideret. Hęc verba, qui attentè legerit, inueniet, non posse aliud concludere, nisi animalia hyeme latentia non

G. aduersus Erasist. c. 9.

posse

posse eò indigentiæ deuenire, vt pręfamis cruciatu cogantur cibos quęrere. Sed de horum verborum explicatione plura inferiùs dicemus, nunc sufficiat scire, non posse ex historia horum animalium concludi ferias altricis animæ.

4 Tandē in secundo de naturalibus facultatibus sic ait: *Et animalia, quę calida sunt natura ea esse omnino sanguine prædita: contra quæ natura admodum sunt frigida, ea prorsus esse exanguia, eoq; per hyemem delitescentia, ociosa, & immota mortuorum ritu iacere*. Hinc quod nam argumentum elicies, nisi animalia latentia esse exanguia, & subinde temperamento frigida, ad hominum autē altricem animam nil prorsus. Cęterum quoniam ex omnibus his conficis irrationales rationes, quas potius cauillationes possumus appellare, & multo apparatu eas exornas retundendę seorsim sunt, vt vnusquisq; aduertens eas irrideat, detestetur. Ga. 2. na. fac. c. 8.

Cauillatio prima.

1 CVM ad nugas, quas de animalibus hyeme latentibus blaterasti, respondere vellem, hanc responsionem apocrisin appellaui, & propterea caput decimū tertium tractatus de asitia, sic inscripsi. *Apocrisis ad exemplum brutorum, quæ tota hyeme in latebris degunt*. *Tu apocrisin* cauillaris, inquiens sic: *Adeo græcè calles, tamq; familiaria tibi sunt gręca vocabula, vt non minus possis abstinere à vocibus gręcanicis, quam posset Ouidius à versiculis*. Hoc non vitium est, imò permissa, & laudabilis loquutio, in qua græcè vocabula cum latino sermone permiscentur, hoc factitatum reperio, à præstantissimis, doctrina viris, quos alloquebar, non te, quem sciebam indoctum simul, indocilemq; esse; Præterea de re tua agebatur, nec poteras iudex esse in causa propria; Scio longè aliter ac tu viros probos, & linguarum notitia peritos iudicium laturos. Itaq; quòd vocabulum græcum attulerim, quod mihi, vt tu pro crimine obijcis, græca vocabula sponte fluant, in laudem cedit meam: tibi propterea gratias agerem, ni venenum in cauda gereres: ais namq; mea vocabula esse *in gratijs ijs, qui gręcè nesciunt*. Ita est, in horum numero te repono, & quicquid ad græcas litteras spectans profers, tibi à cachodęmone tuo in aurem est insusurratum. Addis etiam *ridentibus ijs, qui græcè callent*. Sed cur rident? rationem sic reddis: etenim cum duo sint responsionum genera: *nam alia responsa sunt rerum dubiarum, de quibus præcesserunt interrogationes, explicatiuæ, & aliæ sunt responsiones, quibus dissoluuntur argumenta, communientia doctrina euertendam*. Ante quam vlterius pergamus, dic mihi, statuis ne in latino sermone differentiam inter responsa, & responsiones? videris sanè ita facere: nam ad pręcedentes interrogationes responsa vocas, ad argumenta verò, quæ tu insolito vocabulo, communientia appellas, responsiones esse dicis. Hoc ne tibi aliquis Valla, aliquis Priscianus, & huius farinæ quispiam dictauit? minimè: sed forsan in Recho hanc vocabulorum distinctionem, inter barbitonsoris, hoc est, Genitoris tui pectines, & forfices reperisti. Audes ne in grammatica eas fabricare fictiones, quas in Philosophia tu tibi fabricas? at scito grammaticis non omnia licere. Posses forsan philosophicè magis, quàm grammaticè; responsionem, pro ipsa respondendi actione accipere, responsum verò pro actu, hoc est, pro eo quod respon sione elicitur, vt dicimus responsa Sybillæ. Sed re vera latini sermonis proceres, tam responsum, quàm responsionem accipiunt pro eodem, quare dicam cum Cicerone accusatoris isthæc interpretatio indigna responsione est.

2 Ad gręcos me cōfero; Apocrisin dixi græcè ἀπόκρισις à verbo ἀποκρίνομαι hoc est, respondeo deductum. Tu ais hoc vocabulum significare solùm responsionem ad interrogata, quare perperam eo vsus sum, cum nulla præcesserit interrogatio, sed fuit mera ad tuas nugas responsio. Pete ergo à tuo cachodemone, vt tibi det vocabulum, quo ego possem responsionem sinè pręcedente interrogatione appellare: Non dabit: quippe non datur; Exclama igitur te à cachodæmone deceptum: illum accusa: ille se excusabit: cachodęmon est, non ei licuit sacra adire loca: si adijsset, facilè, & frequenter apocrisin pro responsione, qua docens à nemine interrogatus vtitur, reperisset v. g. vbi habetur καὶ ἀποκριθεὶς ὁ ἰησοῦς ἔλεγε διδάσκων ἐν τῷ ἱερῷ: id est, *Et respondens Iesus dicebat, docens in templo*. Lege antecedentia, & consequentia, nullam reperies præcedentem interrogationem. Quid ergo me inscius laceras: parce linguam maledictis temerare, Marc. c. 12. n. 35.

& ignoran-

& ignorantiam tuam improbis cauillationibus prodere.

Cauillatio Secunda.

INterrogans, arrogansq; insurgis, & scire vis, quomodò ego, ad exemplum brutorum totam hyemem in antris ieiunantium, me respondere aio, si non dissoluo vllam earum rationum, quibus in libro à me vellicato exemplo hoc vallasti: Tu ne pluribus rationibus exemplum hoc brutorum vallasti? At ego in capite à te citato vnam tantùm rationem inuenio, non qua velles exemplum illud vallare, sed qua exemplo illo velles tuam peruicaciam vallare. Reliquum illius capitis totum consumitur in narrandis historijs multorum, qui sinè cibo diu vixerunt, has contra te facere postmodò tibi ostendam, nunc ad rationem accedo, quam in tuis Bacchanalijs dilatas. pa.78. De his qui in ale.13.

2 *Nutricatio*, inquis, *vegetantis est animæ functio, instituta vulgo quidem, ad restaurandum id, quod è corpore viuentis absumptum fuerit.* Exulcerat animos tua isthæc insolentia, qua vulgo dici, tu dicis, quod à Galeno est dictum: itaq; apud te Galenus vulgaris est homo, vulgares quicumq; de arte medica scripserunt, neminem excipio: quippe omnibus, qui de nutricationis necessitate agunt, eam referunt, ad deperditionem substantiæ; quę hoc vnico subsidio restauratur: *Cum enim* (ait Galenus) *quotidie propter insitum ipsis calorem, cunctis animalibus multa substantiæ portio defluat, nec sit aliter huius iustum seruaße modum, quàm cibi, potionis, respirationis, & arteriarum motus ope, necesse est ex ijs contrahi excrementorum prouentum;* Vnde idem met, *Si corpus nostrum*, ait, *impatibile, omnisq; affectionis expers esset, sicut adamas, aut quid vis id genus, minimè artem vllam requireret, quæ ei tuendo præsideret.* Iam ergo tibi fit manifestũ, quia corpus adamantinum non indigeret nutritione, nutritionem institutam esse ad supplendum damnum, quod corpus, ex eo quòd adamãtinũ non est, patitur. Non recedit ab hac doctrina Auicenna, quę tu neq; sapiẽtia, neq; gentilitate vulgarem dixeris: nam & sapiens fuit, & Princeps; Is ergo ait, quasi definiens nutritionem, *Huius autem* (vitę) *custodiæ administrationi duę attributę sunt virtutes, quibus deseruit medicus: vna earum est naturalis, & vocatur nutritiua, quę restaurat illud, quod ex corpore resoluitur, cuius substantia terreitati, & aqueitati attenet: & altera est animalis, & ipsa est virtus pulsatiua, quæ restaurat, quod ex spiritu resoluitur &c.* Recedant igitur isti medicinæ proceres, & alij omnes, cum sua vulgari doctrina: præualeat tua nõ vulgaris ignorantia; Profer to aliquid ex tua cella vinaria de promptum, nempe sic. *Nobis autem, tum ad acquirendam, per augmentum, congruam viuentis corporis magnitudinem, vitæ functionibus rite obeundis necessariam, tum ad auocandum calorem internum à celeri consumptione radicalis humoris.* Pręualeat, vt dixi, tua isthęc stultitia, Galeni verò vulgare dogma obsolescat, nec iam ampliùs nutritio sit ad restaurandum deperditum, vt ille vult, sed vt tu non vulgaris assertor vis, ad duos vsus à te inuectos. Primus eorum est *ad acquirendam, per augmentum, congruam viuentis corporis magnitudinem.* Sit ita: acquiratur ista magnitudo, & perueniat corpus ad consistendi ætatem. Vtiq; iam non ampliùs necessaria erit nutritio: quippe quę suum expleuit munus: quare senes viuent sinè alimento, siquidem sinè altione. Gaudeat Euclio auarissimus ille senex apud Plautum, siquidem, te autore, viuet sinè expensis. Tu autem dices, nutritione non solùm magnitudinem congruam acquiri, sed acquisitam conseruari; conseruato ergo hanc congruam magnitudinem, nutritione, hoc est exhibito alimento, vbi nam repones istud alimentum? nempe in loco deperditi; Iam ergo reficere deperditum (quod erat vulgo dictum) erit præcipuus vsus nutritionis, magnitudinis autem conseruatio, consectarius. Imò nisi restaures deperditum, non magis poteris congruam corporis molem augere, & conseruare, quàm funiculum ex arena nectere. Tota moles animalium (inquit Galenus) in perpetuo fluore est: poteris ne molem istam augere, aut conseruare aliter, quàm reponendo id, quod deperditum est, nempe augere reponendo magis, quàm sit deperditum, conseruare autem reponendo tantumdem? Putabant hactenus omnes, eius, qui torrentem augere, aut conseruare voluisset, omne studium consistere in reponendo aquam pro ea, quę effluxit. Verùm hæc repositio apud te vulgaris est, augmentatio autem molis documentum non vulgare.

Ga. 1. sanit. tuend. c.3. C. seq.

Au. fen. 1. li. 3. c. 1.

Adagiũ

G. lib. 1. de sanit. tuend. c. 2.

3 Alter vsus nutricationis non vulgaris, apud te, est *auocare calorem internum à celeri consumptione radicalis humoris*. Hanc auocationem debueras explicare: etenim physici non norunt alium modum auocandi agētia naturalia à suis actionibus, nisi subtractione materiæ, in quam agunt e. g. vt auocetur ignis ab actione comburendi, subtrahunt illi ea ligna, quę tunc actu comburit. At tu, tantum abest, vt materiam subtrahas, quin potius addis: nam nutritio, cui tribuis munus auocandi calorem, non agit sinè nutrimento, quod quidem materia est, in quam calor agit. Adeò ne fatuus es, vt putes aliter posse calorem à suo munere auocari? nempe applicando ei nutrimentum, in quod agat, vt humidum, in quod agebat priùs, relinquat? Hæc quidem distractio, vt superiùs tibi dixi, potentijs agentibus liberè, licèt non omnibus, conuenit; naturaliter autem agentibus nequaquam. Num tu coges, ignem agere in ligna super iniecta, ita vt deserat ea, quę comburebat priùs? Audio tamen tua illa verba *à celeri consumptione*, & considero, velle te nutritionis beneficio facere, vt calor non citò, & celeriter consumat humidum, quod fit additione materiæ, vt quando lucernæ penè extinctę addimus oleum. Hęc tamen loquutio tibi propria est, ac si dicamus, prorsus impropria: nam quando oleum lucernę adijcimus, liberamus quidem oleum à celeri consumptione, non autem auocamus calorem.

4 Age ergo accedat nutritio, auocet, vt tu vis, calorem à celeri consumptione, videlicet addendo humidum de nouo, nè vetus absumatur. Hoc quomodò fiet? nempe reponendo humidum, quod suppleat id, quod absumptum fuit. At sic iam istud tuum non vulgare nutritionis munus coincidit cum vulgari illo non vulgarium hominum. Nempe tua auocatio caloris cum illorum repositione in locum substantiæ deperditę. Quare inanis fuit tuus labor, inanis erit gloria tui istius inuenti.

5 His præfatis argumentationem cōficis satis verbosè: eam ad pauca redigam, quòd si me aliquid, quod ad institutum faciat, omittere dicas, aliorum erit munus, non tuum, id examinare. Argumentaris ergo in hunc modum. Viuentia cuncta nostratia, seu plantæ sint, seu belluę, seu homines (quę vegetabilium vno, & eodem genere concluduntur) conueniunt in duobus nutritionis vsibus, scilicet augmento molis ad congruam magnitudinem, & auocatione caloris à celeri consumptione humidi: sed inter isthæc viuentia plantę, brutaq; possunt absq; nutrimentorum exteriorum assumptione diu viuere, ergo eadem ratione poterunt sinè cibo, & potu viuere diutiùs homines. Optima argumentatio, in qua propositio inepta est, assumptio falsa, conclusio nihil concludens; Singula percurrere libet. *Satyri error 1 Argumentādo.*

6 Explico ineptiam propositionis sic. Siue vsus nutritionis sit ille, quem vulgarem appellas, nempè repositio substantiæ in locum deperditæ, siue sint duo tui vsus non vulgares sæpiùs repetiti, quocumq; modo dicas, vnam eandemq; vim propositio isthæc in argumentatione habebit: quippe tu nil aliud intendis, nisi vegetabilia omnia vno vegetabilium genere concludere, & omnibus vegetabilibus nutritionem conuenire, vt inde colligas, si quędam sinè cibo viuunt, alia similiter sinè cibo posse viuere. Hoc autem intentum non meliùs, nec efficaciùs persuadebis, si nutritionis munus sit reponere substantiam, quàm sit augere molem, aut auocare calorem. Quę nam ergo maior esse potest ineptia, quàm in re, quæ ad rem nihil facit, nimium defatigari? Confice quæso duas argumentationes, vnam accepta nutritione vulgari modo, altera tuo nō vulgari, vtramq; viro perito præbeto, vt tibi dicat, quæ nam istarum maiorem vim habet? inuenies profectò vtramq; esse parem.

7 Assumptio est falsa: nam plantę, quas ais sinè alimento externo permanere, exclamant: quippe hyeme non, vt tu putas, non aluntur, sed manifestè secundùm radices augentur: alię, quę suspensę sunt, etiam possunt in aere quidlibet alimenti ascendentis è terra sibi adiungere. Bruta queruntur, quòd ratum facias id, de quo adhuc sub iudice lis est: non ne adhuc litigāt autores circa brutorum alimenta, & his rorem tribuunt, illis formicas, alijs vapores? Cur igitur in antecedente collocas, quod in consequente collocare debueras, hoc est quod probare teneris?

8 Conclusio concludere posset, posse hominem sinè cibo externo diu viuere, & hæc esset recta argumentatio, siquidem in assumptione posuisti plantas, & bruta viuere sinè cibo exteriore, in consequente autem ponis simpliciter sinè cibo,

neq; addis externo, sed licèt dicam, positum esse cibum simpliciter, non hoc simpliciter à te est factum, sed subdolè, vt scilicet velis à plantis, & brutis, quę sinè cibo externo viuunt, elicere; homines posse viuere omnino sinè cibo. Profectò Albertinus Bottonnius, à quo tu argumentationem istam es subfuratus, rectè est argumentatus: eius enim mens fuit, posse hominem sinè cibo externo ex cruditatibus intus permanentibus nutriri, & argumentum confecit sumptum à brutis, quæ tota hyeme sinè cibo externo viuunt, & à plantis, quę suspensæ in aere germinant. Quòd si tu idem vis, & homines non à cibo interno, sed ab externo duntaxat, cum Bottonnio, & alijs, abstinere posse contendis, id tibi facilè admittam: imò non aliter potuisse eos, qui diu sinè cibo vixerunt, in vita conseruari, quàm nutritiua facultate in materiam internam operante, necessariò censendum cēseo. Sed heus tu memineris, dū ita sentis, tuas illas tuę animæ ferias excludere; ne scilicet, quandiu altrix circa internum alimētum laborat, putent tui pueri eam ociari. Quęre igitur aliam cauillationem: hæc enim penitus euanuit.

Albert. Bottōnius.

Cauillatio Tertia.

1 ANimalia per plures menses mortuorum instar degentia, iam superiùs dixi, à Galeno non semel pro exemplo fuisse allata: causam, cur ita accidat, retulit aliquando ad paucitatem effluxus; verba Galeni transcripsi in tractatu de Asitia, eadem hic etiam superiùs transtuli, nec possum non eadem nunc rursus transferre, quæ sic habent. *Vbi nos ambiens frigidus, insuperq; animam sinè motu degat, densari ilico exteriorem superficiem, defluereq; nihil prorsus, aut vndequaq; parum, & ob id feræ, quæcumq; latibula incolunt, alimentis opus non habent.* Adesto Satyre: quid ais? nempe Galenum ibi causam abstinentiæ brutorū hyeme latentium in cauernis, potiùs retulisse in priuationem omnis effluxus, quàm in paucitatem, vt ego dico. Profectò cum dicit *defluere nihil prorsus*, priuationem omnis effluxus insinuat, sed cum adiungit *aut vndequaq; parum*, se ipsum quodammodò corrigit. Sed tu muscarum venator reprehendisti errorem typographi, qui pro *aut* scripsit *vt*, & non considerasti *vndequaq; parum* esse appositum ad moderandum *nihil prorsus*. Nihilominùs offendit te illud *vndequaquè parum*, & in Galeni dictione duo membra reperisti: primum est *nihil effluere*, alterum *vndequaq; parum*: tunc ais, primum membrum recipi à Galeno, qui ait statim post, *nihil tunc effluere par est*. Sed si primum membrum recepturus erat, alterum exclusurus, cur vtrumq; posuit? Sanè Galenus optimus erat logicus; nec vnquam diceret homo, aut equus currit, ergo solus homo currit. Sic tu in Galeni verbis enthymema facis, nempe effluit è corpore prorsus nihil, aut vndequaq; parum, ergo non parum, sed prorsus nihil effluit è corpore. Adeste logici, & videte, an isthæc argumentatio sit iuxtà id, quod ex Galeni verbis Satyrus elici vult.

G. aduers. Erasist. c. 9.

Error Sat. in logica.

2 Itaq; ego prædicta Galeni verba transcripsi, quæ causam explicant, cur animalia iaceant mortuis similia. Tu autem velles, vt plura transcriberem; sed quorsum? non ne satis est locum indicare, vt ea quicumq; velit, legat in fonte? Transcribamus ergo, quæ transcribi optas: forsan in his thesaurum aliquod latitare putas; Sic habent. *Cum enim hæ sub hybernum frigus, quo tempore in cauernis commorantur, toto tempore frigidæ, segnesq; ac densæ ob quietem redditæ sint, & externa superficies iam adstricta fuerit, nihil tunc defluere par est.* Tu me de dolo accusas, & me textum mutilasse, ais, quia vidi, eum integrum mihi plurimum obesse. Plurimum ne mihi obest? ostende quomodò. *Si nihil effluit*, ais tu, *iam calor nihil humidi cōsumit: quia quicquid humidi consumitur à calore, totū id effluit in halitus per insensilem transpirationem.* Vide quæso, ne verba ista, quę tu mihi obesse putas, tibi magis obsint, quippe continent absurdum in logica, falsitatem in physica, intolerabilem errorem in medica arte.

Error Sat. in logica.

3 Vt tuus error in logica appareat, referam priùs tua ipsissima verba: etenim postquàm mihi exprobas, quòd Galeni contextum mutilaui, quia videbam eum integrum mihi plurimum obesse (quod quàm inaniter sit dictum, satis ostendi) sic ais: *Nam si nihil effluit, iam calor nihil humidi consumit: quia quicquid humidi consumitur à calore, totum id effluit in halitus per insensilem transpirationem.* Ex his verbis conficitur argumentatio; num rectè? iudicent logici, non tu, qui lo-

gicam

gicam ne pictam quidem vidisti, Sic igitur ad argumentandi formam tua verba redigi possunt. *Humidum consumitur à calore: ergo effluit in halitus per insensilem transpirationem: si nihil effluit, ergo nihil consumitur.* Hic primum consequens est, *ergo effluit in halitus per insensilem transpirationem*: istud consequens destruis sic: *si nihil effluit*, & ex istius consequentis destructione, destruis illud antecedēs: nempe inquiens, *ergo nihil consumitur*. At à destructione consequentis, ad destructionem antecedentis nihil concluditur vi formæ: concluderetur autem à destructione antecedentis ad destructionem consequentis: v. g. si quemadmodùm dicis, *si nihil effluit, ergo nihil consumitur*, diceres ex aduerso, *si nihil consumitur, ergo nihil effluit*. Cœterùm licèt tunc argumentatio esset vera, suppositum esset falsum, nempe nihil consumi; neq; enim viuente animali calor potest per aliquod tempus nihil consumere, sed de hoc inferiùs. Adagiũ

4 Potest etiam sic confici syllogismus: *Quicquid humidi consumitur à calore, totum id effluit in halitus per insensilem transpirationem; sed nihil effluit in halitus per insensilem transpirationem, ergo nihil consumitur à calore*. Hic syllogismus, in quo medius terminus bis prædicatur, est in secunda figura, syllogismi autem secundę figuræ imperfecti ab Aristotele censentur. Cæterùm quamuis concluderet vi formæ, nunquam concludet vi materię; nam cum dicis, *Quicquid humidi consumitur à calore, totum id effluit in halitus per insensilem transpirationem*, illud *totum* falsam reddit enunciationem; quippe non totum, quod consumitur à calore, effluit per insensilem transpirationem, sed sunt aliæ viæ, quas te docebo, cum errores circa medicam disciplinam tibi monstrabo. A. prior resol. c. 5.

5 Accedo ad errorem in philosophia; Tu ais, si nihil effluit, iam calor *nihil humidi consumit*. At deberes animaduertere consumptionem humidi esse actionem caloris; quamuis autem nihil effluat, non propterea calorem impediri à sua actione. Conuertitur quidem à calore substantia humidi, in vaporosam substantiam, quæ apta est effluere, verùm effluere, aut non effluere, extrinsecum quidpiam est, quod non potest actionem ab intrinseco prouenientem impedire, nam quod meatus sint aperti, aut clausi, non efficit, vt calor agat, aut non agat: quippe calor necessariò agit, dummodò passum habeat debitè approximatum, effluxus verò est quid consequens post actionem caloris. Satyri err. in Philo.

pa. 26. 89.90. 6 Ad hoc tu respondes alibi, agere quidem calorem necessariò, non tamen necessariò edere omnem actionem, sed aliquas: potest namq; *calefacere, attenuare, & rarefacere quomodocumq; citra consumptionem*; Esto, attenuet, & substantiam humidi in vapores conuertat, hoc ne putas esse citra consumptionem? imò est ipsamet consumptio: nam terra, & aqua, dum in exhalationes, & vapores resoluuntur, consumi in halitus dicuntur. Et quis dubitat substantiam aliquam consumptam esse, cum desinit esse? desinit autem esse mutatione in alteram: quippe anihilatio non datur. Sed persistamus in nostro instituto: calor substantiam humidi attenuat (vt tu admittis) da mihi, vt substantia ista postquàm est attenuata, hoc est in halitus conuersa (quod tu etiam admittis) clausos reperiat meatus: quæro nunc, remanebunt ne isti halitus sub cute, an ad pristinam humidi radicalis formam reducentur? si remanet attenuata substantia, & in halitus conuersa, iam prior substantia consumpta est, quippe conuersa est in aliam, hoc est in halitus; si reducitur ad pristinam formam humidi radicalis, iam est alitio facta ab interno alimento: videlicet ab halituosa ista substantia, & sic animalia, quæ carent effluxu, nutrientur ab interno nutrimento, & feriæ tuę animæ altricis non erunt feriæ, sed continuus labor.

7 Error in medicina excusabilis est in te: si enim errasti in ea ipsa arte, quam profiteris, si hallucinatus es in adytu ad tuam artem, nempe in dialectica, quid mirum, si dum medicum vis agere, agis insanum? Porrò ais (vt superiùs annotaui) totum, quod absumitur à calore, effluere per transpirationem. An nescis esse alias etiam vias, per quas, quicquid excernendum est, excernitur? hoc à te ipso poteras addiscere, si cerebrum haberes: quippe ni contra naturam aliorum hominum es factus hyeme magis, quàm æstate copiosiores debes habere per aluum, & per vrinam euacuationes, non ob aliud, nisi quia hyemali frigore densata cutis non omninò liberam relinquit transpirationem, cuius defectum natura supplet conuersis vaporibus in densiorem substantiam, iisq; per aliorum excrementorum vias transiectis. Præterea sudor, & vrina, vt Galenus ait, congenerem habent naturam, & materiam eandem: sudor rursus, & transpiratio (eodē Satyri err. in Medic. G. 10. simpl. med. fac.

Galeno

Ga. 1. sanit. tuend. c. 12. Galeno autore) non differunt materia, sed vi caloris agentis. Si ergo materia, quæ per transpirationem effluit, est eadem cum sudore, si sudoris, & vrinæ vna est materia, rectè potest transpiratione impedita id, quod per poros transmittendum erat, transmitti per vrinā, imò, & per deiectionem: nam deiectio, & vrina sibi vices præstant: vnde ex Hippocratis sententia, *Quibus mictus noctu plurimus, ijs deiectionem fore paucam significatur, & è contra.* (4. Aph. 83.) Ne quæso celebrem sententiam, in hoc libello de alimento scriptam, à Galeno laudatam, ab omnibus receptam explodito: ea duabus dictionibus continetur, nempe, *consentientia cuncta.* Tandem, vt omnino hunc scrupulum à te auellas, nec ampliùs existimes, totum, quod calore consumitur, effluere per transpirationem, scito, id, quod à calore consumitur, si meatus cutis clausos reperiat, abire in putredinem: quippe causa, vel saltem conditio sinè qua non putredinis est prohibita transpiratio. Si igitur ex eo, quod nihil effluit, colligeretur nihil à calore consumi, vt tu vis, nihil esset, quod subtus cutem impeditum remanens putresceret.

8 Concludis ergo omnino iactabundus mearum assertionum fundamentum esse, à calore semper humidum absumi, & hoc falsum fundamentum à Galeno esse euersum. Iam puto, te iactantiam depositurum cum ea, quę hìc scripta sunt, legeris. Meum ne fundamentum euertit Galenus? vbi nam dixit ille, nil à calore absumi? quod si dixit, meum, fateor, destruit fundamentum, si non dixit, tuam astruit ignorantiam. Dixit quidem, nihil effluere: at iam tibi demonstraui non proptereà quod nihil effluit, calorem non consumere humidum. (Adagiū) *Quid ad Bacchum?* quid effluxus, qui fit per poros, cum conuersione substantię in halitus, quæ fit ante quàm materia accedat ad poros? Num quia humidi substantia, sic in halitus conuersa, aptior est, vt effluat, ideo effluxus impeditus impedit conuersionem humidi in halitus? Non ne vides, effluxum esse post conuersionem substantiæ in halitus? profectò impedito effluxu impediri consumptionem substantię, idem esset ac impedito fluuio impediri fontem; Sed de hac cauillatione satis.

Cauillatio quarta.

1 QVoniam quisquilijs, vt tibi iam dixi, delectaris, in autorum verbis, à me translatis inquiris, an syllaba, vel dictio aliqua desit, quam si deesse reperis, me perinde ac in magno crimine deprehensum accusas. Scito tamen, eum, qui autoris locum, ex quo verba sunt eruta, indigitat, non habere fallendi animum: quipe sic suæ fraudis autor, detectorq; esset. Videamus igitur quanti sint momenti typographi errores à te inuenti, à me verò, qui non aderam, quando libellus typis fuit mandatus, non correcti. Sententia Galeni rectè, & ad fidem transcripta, sic habet. (Ga. 1. aph. 15) *Sic & animalium quæcumq; sunt natura frigidiora, ijs calor innatus à frigore hyberno superatur, adeò vt ferè extinguatur: quare plurima ipsorum similia mortuis conspiciuntur, cum sinè sensu, ac motu in latebris iacent; quædam verò prorsus in hoc ipso affectu moriuntur.* Sic Galenus, qui cum dicat, *adeò vt ferè extinguatur*, ego verò illud *ferè* omiserim, magnum nefas à me commissum esse putas, vel saltem vis, vt alij putent: putabunt sanè quicumq; tui similes erunt. Aduerte Satyre, in sententia ista Galeni duas esse propositiones: vna est *plurima ipsorum* (nempe animalium) *similia mortuis conspiciuntur*: altera verò, *quędam prorsus moriuntur.* Tunc sic: ea, quę mortuis similia iacent, *ferè* extinctum habent calorem: ea verò, quæ *prorsus moriuntur*, non quidem *ferè*, sed prorsus extinctū habent calorem. Itaq; quemadmodùm Galenus respiciens ad ea, quę mortuis similia iacent, meritò dixit *ferè* extinctum esse calorem, sic si omitteret illud *ferè*, ad alia, quæ prorsus moriuntur sinè reprehensione posset respicere. Cum autem tu interrogans ais, *Qui enim fieri potest, vt extincto calore viuant, & superuiuant?* ego interrogans etiam aio: *Qui enim fieri potest, vt non extincto prorsus calore, prorsus moriantur?* Adiungis tu: *nec omnia in hoc affectu prorsus moriuntur, sed quædam.* Adiungam ego saltem quæ in hoc affectu prorsus moriuntur, non indigere illo aduerbio *ferè*. & si ponatur, aut si expungatur, idem est: nam positum refertur ad mortuis similia, ablatum refertur ad prorsus mortua.

2 Nec magis honorificè te geris in alia accusatione circa eundem textum. Transcribenda forent verba hæc: *quędam verò in hoc ipso affectu prorsus moriuntur:*

tur: typographus pro *verò* scripsit *vere:* tu ignarus putas, me dixisse *vere*, hoc est verno tempore: nescio an ita dixeris ad risum, vt soles, excitandum. Profectò quilibet mediocriter medicis literis imbutus, sciret ex consequentibus errorem istum corrigere, tu nesciuisti, quia te ipsum corrigere prius debueras. Dic igitur Satyre, non ne hic habes, *in hoc ipso affectu prorsus moriuntur?* quando viget iste affectus iacendi mortuorum instar? nempe hyberno tempore. Si igitur dico, animalia mori *in hoc ipso affectu*, si hic ipse affectus hyberno tempore viget, certè hyberno tempore moriuntur: si ergo moriuntur hyberno tempore, quomodò credibile esset ibi dici, quædam vere; hoc est verno tempore, in hoc ipso affectu, (qui non verno, sed hyberno tempore viget) moriuntur? quis non agnoscit, te, dum cauillam istam concinnasti, responsionem, qua diluenda esset, ignorasse? Itaq; totus in cauillis cauillari nescis. *Satyri ignorantia.*

Cauillatio Quinta.

1 VErba Galeni iterum repetamus (neq; enim cessas hic, illic accusatoriè rostrare) sunt autem hæc: *Sic & animalium, quæcumq; sunt natura frigidiora, ijs calor innatus à frigore hiberno superatur, adeò vt ferè extinguatur.* His ego verbis persuasus in tractatu de asitia dixi, Galenum retulisse causam, cur animalia mortuis similia iacent, ad paucitatem caloris. Adesto Satyre, & quicquid tibi tua insania offert, afferto. In primis, ais, me, dum refero hoc ad caloris paucitatem, non distinguere caloris extinctionem ab eius marcore. Quis hoc colliget ex meis illis verbis, nisi tu, quem Nemesis, & Bacchus sibi ministrum ascíscunt? Sed de marcore, & extinctione, mox infra dicendum est; Pergis accusans, quòd nec distinguam caloris debilitatem à paucitate: cur ita? *Sunt in calore naturali*, ais tu, *duo distincta, quantitas, & qualitas*. Hoc ne calori naturali peculiare est, vt in eo duo ista, quantitas, & qualitas distincta sint? At ego putabam omni substantię corporeę hęc duo, quātitatem scilicet, & qualitatem communia esse; Cum igitur calor naturalis modò pro substantia, modò pro qualitate sumatur, si qualitas est, non est in eo quantitas, si substantia, tunc vniuersæ substantiæ corporeæ conditionem subiens, & quantitate, & qualitate vestitur. Quare serua tibi hanc obseruationem, neq; amplius vni rei peculiariter attribuas, quod commune est omnibus. *De Asitia c.13*

2 Addis vlterius sic: *Quantitas quidem caloris mensuratur ad quantitatem radicalis humoris, in quo fundatur, vnde pueri dicuntur Hippocrati plurimum habere natiui caloris: quam doctrinam latè defendit Galenus aduersùs Lycum.* Siste paulisper: nam hic plures sunt errores, quàm verba. Duas statuis quantitates, duas etiam debes statuere substantias, nisi velis citra miraculum quantitatem sinè substantia nobis dare: duas istas substantias quantas ita se habere, vis, vt substantia humida sit mensura substantiæ calidæ; Hoc te velle norunt, quicumq; legunt illa verba *quantitas quidem caloris mensuratur ad quantitatem radicalis humoris*; Si ergo datur mensuratio, debet dari moles corporis, (nam indiuisibilia non mensurantur) deinde mensura, & mensuratum paritatem inter se debent habere. Iam ergo habemus, calorem, & humidum radicale esse duas substantias, molem habentes, & inter se æquales mole. Videamus vlteriùs, an calor agat in humidum? Tu dicis alibi, si pares sint, non inuicem agere. At tu paritatem istam perpetuam esse, vis, quandoquidem perpetuò quantitas caloris est ad quantitatem radicalis humoris. Iam ergo non erunt aliqui ij, quibus sinè alimento viuere contigit, sed omnibus hoc continget: quippe omnibus caloris quantitas est ad mensuram humidi, & mensura cum mensurato (vt diximus) paritatem habet. Si autem in ista paritate dari velis actionem, scito, calorem esse magis actiuum, ac propterea non permittere, vt ab humido mensuretur: nam calor naturalis, vt Galenus ait, materiam, cui inditus est, auget; Qui ergo fieri potest, vt materiam augeat, & ad eam mensuretur? Deinde, hæc duo, vt mensurentur, vel se tangunt secundùm externam superficiem tantùm, vel secundùm se tota: si secundùm se tota, iam admittis penetrationem illam, quam superiùs negasti: si secundùm externam superficiem duntaxat, tunc neq; pars interna caloris, neq; pars interna humidi radicalis, poterunt dici calidum innatum, cum substantia calidi ab efficacissima, quę in ea est, qualitate (ex Galeni sententia) ita appelle- *pa. 26. 89. 90. & de his qui sinè cib. viuūt millies.* *Ga. de marco. c. 3.* *G. aduer. lyc. c. 7.*

tur. Vnde non calor per se solum, non per se solum humidum, calidi innati substantia sunt, sed ex vtroq; compositum. Præterea non mensuratur, mi Satyre, calor ad humidũ radicale, nam (vt Galenus ibidẽ) *non absolutè ita metiri magnitudinẽ oportet; sed facta priùs cũ non innatis cõparatione, eorũ inter se inspicere proportionem debemus.* Sic ille. Neq; in toto illo opusculo, aut alibi, caloris quantitatem ad quantitatẽ humidi radicalis mensurari dixit, & tamen tu, Galenũ, ais, latè hoc defendere aduersùs Lyeum; oportebat tamen hic transferre aliquot verba, in quibus vel explicitè, vel saltem adumbratè doctrina isthæc contineatur. Tuus mos est: quoties falsò autorem aliquem in testimonium vocas, eius verba subtices, alioquin prolixus translator. Hanc etiam doctrinam (videlicet quod quantitas caloris mensuretur ad quantitatem humidi radicalis, in quo fundatur) confirmas autoritate Hippocratis, qui pueros, dixit, plurimum habere calidi innati. *Adagiũ* *Quis calopodium istud huic pedi adaptabit?* Adapta tu, qui syllogismorum veteramentarius es: confice sic enthymema. *Pueri plurimum habent calidi innati, ergo quantitas caloris naturalis, est ad mensuram humidi radicalis;* Suppone verba illa Hippocratica, *pueri plurimum habent calidi innati,* indicare plurimum caloris, & humidi radicalis pueris inesse: num propterea calor est ad mensuram humidi? At Galenus putat, humidum esse ad mensuram caloris: siquidem (iuxtà eius doctrinam superiùs relatam) calor auget suam materiam: materia caloris est humidum, in quo, tu dicis, calorem fundari: si ergo calor auget istam materiam, calor, eam sibi met, suęq; mensurę accommodat: quare malè ais, calorem esse ad mensuram humidi, cùm potiùs deberes dicere, humidum esse ad mensuram caloris: quippe à minore calore minor humidi quantitas conficitur, à maiore maior.

3 Supponis igitur duas quantitates, vnam caloris, alteram humidi radicalis, consequenter, vt iam dixi, supponere debes duas substantias: neq; enim naturaliter quantitas datur sinè substantia. Ais itaq; quantitatem caloris fundari in quantitate humidi: sed quomodò? num tamquam accidens in subiecto? at iam dixi, duas istas quantitates, duas secum habere substantias, vna verò substantia non est subiectum alterius, imò nec vna quantitas subiectum est alterius quantitatis. Quomodò ergo caloris quantitas fundatur in quantitate humidi? num quia humidum est fulcimentum caloris, ita vt hæc quautitas in illa sustentetur? Hoc tamen stabilimentum esse nequit, nisi humidum calorem nutriat, hæc enim est vera sustentatio. Tu verò omnixè tenes, humidum non esse alimentum caloris, quem errorem tibi aliquando ex animo eruam. Potest ne aliter fundari calor in humido? potest: nimirum si humidum ita se habeat ad calorem, vt calor sinè illo esse nequeat: quia calor, vt tu aliquando ais, euolaret, nisi ab humido retineretur: hæc retinendi calorem vis, non nisi alimenti suggestione, humido accidere potest: sin minùs da alium modum retentionis. Dicis, vtrumq; esse colligatum, & cum humidum tendat deorsum, secum trahit calorem. Sed cur calor, qui potentiùs agit, non trahit secum sursum humidum? Cœterùm ne in hoc ampliùs immoremur, ex tua met sententia tibi ostendam, non magis dici posse calorem fundari in humido, quàm humidum in calore; Ais itaq; sic. *Simul ac desinit humor radicalis, ilico medicis esse desinit calor naturalis, qui sinè humore radicali non consistit: pariter simul ac desinit esse calor naturalis, ilico desinit esse radicalis humor, cuius ille calor est veluti forma.* Iam igitur ex te nec calor sinè humido, nec humidũ sinè calore potest existere: quippe calor fundatur in humido tamquàm forma in materia, humidum in calore tamquàm materia in forma. Itaq; falsò dicis, quantitatem caloris ad humidi quantitatem mensurari: falsò item quantitatem caloris in quantitate humidi fundari.

Satyri suppositio falsa.

☞ *pa. 98.*

4 Cœterùm non prætcribo contradictionem, quæ ex tuis verbis manifestè elici potest; Dicis, calorem sinè humido non consistere; Interrogo, num aliqua particula caloris sinè humido non consistit, alia consistit, an verò nulla est particula caloris, quæ sinè humido non consistat? Si aliqua consistit, alia non, teneris reddere rationem, cur magis hęc, quàm illa: dum autem rationem huius rei nullam reddis, nec reddere quidem potes, remanet, omnes particulas consistere simul cum humido, atq; ita rursus concides in illam tibi inuisam duarum substantiarum sub vna quantitate coeuntium, & proinde penetratiuè simul existentium doctrinam.

Satyri cõtradictio elicitur

5 Peracto sermone de quantitate caloris, ad qualitatem te conuertis sic. *Qualitas*

litas

litas verò caloris, eius actiuitate, viribusq; metitur: vnde iuuenes dicuntur calore maximè pollere. Hic tuam grammaticam laudo: *qualitas metitur actiuitate*. hoc est *mensuratur*: sed vbi nam gentium verbum *metior* significationem passiuam habet? Certè hactenus inter deponentia, quę terminationem passiuam, constructionem verò actiuam habent, reponebatur: forsitan Rechensis Grammatice aliter docet. Ad rem medicam accedo: Putas ne, iuuenes caloris actiuitatem, & vim maiorem habere, quàm pueros? ita sanè: siquidem ais, qualitatem caloris mensurari penès actiuitatem, & vim, & pro exemplo affers iuuenes, qui calore pollere dicuntur, hoc est, dicuntur habere maiorem qualitatem caloris, & consequenter maiorem actiuitatem, maioremq; vim eiusdem. Sed hanc maiorem caloris actiuitatē, & vim in iuuenibus, vnde nam tibi innotescit? non poteris respondere aliter, nisi innotescere ex actionibus. At stulte, nō ne vides, actiones puerorum robustiores esse, quàm iuuenum? Quid respondes? num adhuc te tueris inquies, motiones, sensationesq; in iuuene robustiores esse, in puero autem valdè debiles? Ita est: sed nihil hac responsione te extollis: *Cum enim duplices, ait Galenus, actiones in animalibus sint, certè corporales pueri præcipuas obtinent; quæ animi sunt, ea, quæ à pueris ad remissionem vsque succedit ætas*. Corporales actiones vocat eas, quæ naturales appellari solent, vt coctio, nutritio: hæ à calore fiunt; Si ergo in pueris pręcipuæ, hoc est, robustiores sunt, calor puerorum actiuitate, & vi præpollet. Actiones animi, seu animales, vt motus, & sensus, sūt quidem validiores in alijs à pueritia ętatibus, sed hoc non indicat actiuitatem, & vim calorum, verùm instrumentorum siccitatem: genus enim neruosum, & musculosum, quod instrumentum est, quo animales actiones fiunt, siccitate corroboratur, relaxatur humiditate. Iam igitur habes, caloris qualitatem non mensurari actiuitate, siquidem in pueris maior est caloris actiuitas, quippe actiones ab eorum calore validiores sunt, & tamen pueri quantitate quidem caloris alias superant ætates, qualitate superantur.

Satyri error in Grām.

Satyri error in Medic.

6 Sed ne ampliùs videar tuis nugis implicari, cauillationis tuę ineptitudinem breuiter detegam. Tu forsitan aliquando ab aliquo accepisti, in calore naturali considerari quantitatem, & qualitatem, & tunc ignarus putasti, considerandam esse quantitatem, qualitatemq; ipsius caloris: ex hoc autem tuo errore ea absurda sequuntur, quæ supra retulimus. At mi Satyre, verba illa, non ita erant animo percipienda tuo. Calor naturalis, qui substantia est, non (vt tu stultè ais) apud medicos duntaxat, sed etiam apud Philosophos, qui cum suo Aristotele tenent, calidum esse in humido, vt in materia, quod de accidente dici nequit, est substantia, in qua tria considerantur: primò quantitas, non caloris, vt tu existimas, sed effluxuum, qui ab hac substantia fiunt: secundò qualitas eorumdē effluxuum: tertiò gradus caloris quatenus accidens est, hoc est qualitas huic substantiæ inhærens. Quando verò quæritur, an pueritia sit calidior reliquis ætatibus, respondendum est (quod tu ex tua responsione ignorare videris) distinguendo iuxta prædicta tria in hunc modum: quoad quantitatem, pueris maior inest effluxuum quantitas, quàm reliquis, quoad qualitatem prouectiores ętates effluxus habent acriores, & magis mordaces: quoad gradus caloris omnibus ętatibus sunt pares: quippe in omni ætate calor habet eandem intensionem, quam vltra, citraq; nequit naturalis appellari. Hoc tibi videtur tamquam somnium: fateor neq; enim tale quidpiam antea audiuisti? Audi tamen hoc à Galeno, qui eleganter, & explicitè doctrinam hanc omnibus numeris absolutā tradit. *Cæterum homo, qui rationes, quas proposui, expenderit, & sensum in multa particularium experientia exercuerit, is nimirum ęqualitatem caloris in pueris, florentibusq; eueniet: nec eo falletur, quod alter in humida, alter in sicca substantia repræsentetur: quippe lapis aliquando pari cum aqua calore esse potest, nullum eo faciente discrimen, quod lapis siccus sit, aqua humida. Ita igitur mihi, cum pueros, iuuenes, adolescentes millies considerassem: pręterea eundem infantem, puerum, adolescentemq; factum, nihilo calidior visus est, nec puer, quàm ętate florens, nec ætate florens, quam puer: Sed tantùm (quemadmodum dixi) in pueris magis halituosus, & multus, & suauis: in florentibus exiguus, siccus, nec similiter suauis esse caloris occursus: siquidem puerorum substantiæ, vt pote humidæ, multum foras effluit: florentium substantiæ parum, vt pote siccæ. Itaq; neuter eorum simpliciter videtur altero calidior, sed alter multitudine eius, quod difflatur, alter acrimonia: quippe insiti caloris puer plus habet, eiusq blandioris, siquidem ex sanguine, & semine ortum habet: in florentibus ætate exiguus, &*

pa. 96.

G. 2 de tēper. c. 2.

siccus,

siccus, nec similiter suauis calor tangentibus occurrit. Hac longa, sed nimis vtili & necessaria transcriptione tuæ procacitati volui satisfacere. Vide nunc, an in ea, coma, an punctum, an aspiratio fuerit omissa; solidæ autem doctrinæ veritatem ad eos relega, qui absq; Nemeseos fallacibus specillis vera dogmata intuentur.

7 Porrò cum mihi obijcis, tamquam crimen inexpiabile, quòd dicam, Galenum causam, cur animalia hyeme lateant, retulisse ad paucitatem caloris, in te inscitiæ nota conuertitur. Nam in præsente me accusas, quòd non discernam debilitatem caloris ab eiusdem paucitate, & differentiam inter hæc duo longa digressione conaris ostendere, tametsi frustra, vt vidisti. Alibi verò fateris, *medicis vulgaribus plerumque confundi* (quasi tu non vulgaris sis homo) *caloris exiguitatem cum eiusdem imbecillitate: verùm me medicum, & philosophum præstantissimum* (talem vel inuitus me agnoscis) *non decere*, ais, *nisi subtilia, & procul à vulgo theoremata*. Itaq; subtilia, & procul à vulgo appellas theoremata, nihil ad rem, sed prorsus ad verba respiciens. Quare tuo iudicio subtilius, & magis à vulgo procul philosopharetur Priscianus, quàm Petrus de Apono, aut quiuis alius ex ijs, qui subtiliter quidem, sed barbarè loquuti sunt, inter quos Gentilis de Fulgineo præstantissimum habet locum; Is autem inter barbaræ sectę autores numeratur, & nihilominùs subtilis doctor solet appellari. Hoc tamen tuum cymbalum aures vtcumq; ferre possent: illud verò est intollerabile, quod sophismate adeò crasso lectores vis irretire, vt eo ne bos quidem capi posset: exemplo vteris ad probandum aliud esse debile, aliud exiguum: Ais itaq; sic. *Iam calor non est exiguus, quia cruditatibus opprimitur, à quibus tamen languidus effici potest: ita sub onere grauissimo baiulus oppressus, vires habet adeò languidas, vt à puello facilè deturbetur in terram: at non idem dici debet exiguus*. Præclarè vires languidas esse ais: deberes ergo dicere, nec propterea easdem vires dici debere exiguas (non autem, vt tu dicis non propterea baiulũ esse exiguũ) & sic quidẽ te ipsum conuinceres: nam vires debiles, etiam exiguas possumus sinè crimine dicere: nam à Claudiano, vt supra tibi dicebam, dicitur *abundans corpore, exiguusq; animi*. Galenus non negat, nec negare posset, si vellet, epitheta quantitatis attribui qualitati, vt dicimus magnam febrem: & Poeta ait, *Maior in exiguo regnabat corpore virtus*. Iam ergo tibi demonstraui, nullum committi errorem, si calor debilis dicatur paucus, aut vice versa si paucus dicatur debilis, de quo tamẽ plura inferiùs. Nunc vlteriùs tibi palam faciam, me rectè dixisse, Galenum retulisse causam abstinentię brutorum latentium ad paucitatem caloris, quòd si ad debilitatem dixissem, vt tu diceres, non loquerer ad mentem Galeni.

8 Vnde nam hoc meliùs possum ostendere, quàm ex ipsis, quæ tu transtulisti, Galeni verbis? ea sic habent: *Quale enim hominibus contingit aqua frigida lotis, tale etiam animalibus accidit hyeme: contingit autem hominibus, qui aqua frigida perluuntur, si debile corpus habuerint, refrigerari, atq; offendi*. Siste hìc, nam miserè in horum verborum explicatione es lapsus: cum enim Galenus dicat, *si debile corpus habuerint*, tu explicas, ac si diceret, *si debilem calorem habuerint*. Non ne tu vides, corpus debile reddi ob paucitatem caloris, hoc est, sanguinis, & spirituum, in quibus calor consistit, seu quæ duo sunt substantia caloris? Galenus verò in hac sententia de caloris innati substantia sermonem habet. Perge igitur referre verba Galeni. *Si verò robustum: primum quidem innatum calorem ad interiora refugere, ibiq: se colligere, posteà verò ad exteriora remeantem multo, quàm prius erat, fieri fortiorem*. Vides ne, vt Galenus calorem refugere, & remeare, dicat? at si hoc de qualitate diceret, qualitatem transire de subiecto in subiectum admitteret. Loquitur ergo de substantia, at substantię paucitatem dum dixi, propriè, & ad huius sententiæ normam loquutus sum. Tu verò, qui debilitatem potiùs dicendum esse vis, licèt non sis damnandus, quòd debilitatem dicas, in eo sanè deciperis, quòd potiùs debilitatem, quàm paucitatem dicas: quippe caloris naturalis, qui substantia est quanta, paucitatem dicimus respectu quantitatis, debilitatem verò, quatenus quantitati attributum qualitatis damus. Quòd si Galenus ait, calorem *multo, quàm priùs erat fieri fortiorem*, vnde ex opposito, debiliorem etiã diceret, hoc non tollit quominùs non admodùm propria sit loquutio; Concedam tamen tibi, vt ita dici possit, & sic eò miseriarum deuenies, vt à me precariò obtineas, quod tu mihi tetricus priùs omnino negasti. Ito igitur, & consule tum grammaticos, tum philosophos, & addisce, cum de calore innato loqueris, num illum debilem, an paucum debeas appellare, vt non ampliùs blateres.

Margin notes: pa. 80. — pa. 33. — Adagiũ — Male distinguit Satir. inter calorẽ debilem, & exiguũ — Supra sect. 1. q. 5. ar. 11. n. 9 — G. 3. local. c. 2 — 1. aph. 14. — Infra sect. 3. q. 9. ar. 3. ĩ fin. — Ga. 1. aph. 15

Cauillati-

Cauillatio Sexta.

1 ACcusatorio animo adductus, lege Memmia lata contra accusatores temerarios, damnaris: quippe me accusas, quod non distinguam *caloris extinctionem ab eius marcore*; Qui poteris hoc probare? certe neutiquam. Num ego aliquid scriptis mandaui, quo possis hoc mihi crimen imputare? absit: & hoc inter tua solemnia mendacia reponatur. Crediderim, te Herculem chartaceum fingere voluisse, quem debellares, & occasionem emendicasse, vt Aristotelicam doctrinam, nihil ad rem facientem, in medium afferres. Proferto igitur verba Aristotelis: ea non transfers: aliqua hîc fraus latet, vetus tibi mos est: nēpe non poteras verba hæc transferre, quin te ipsum læderes. Duo tamen consideranda propono: vnum est liber, in quo Aristoteles hanc sententiam scriptam reliquit: alterum autem verba, quibus eam expressit. Quod attinet ad librum inscribitur, *De iuuentute, & senectute, de vita, & morte*, & inter parua naturalia recēsetur; Tu ne sententiam in tui dogmatis confirmationem, ex paruis naturalibus elicis? tu, qui si aliquid ibi scriptum tibi non arridet, sic totum opus reijcis? *Locum, in quo Aristoteles hanc sententiam exarauit* (ità loqueris) *esse in paruis naturalibus inscriptis: quæ opuscula multis referta sunt exotericis, vulgaribusq; placitis.* Sed dic mihi, cur ita ignominiosè hæc opuscula reiecisti? video, id à te esse factū, quoniam iuxtà doctrinam in ijs scriptam, cogeris fateri, humidum esse pabulum caloris. At scias oportet, hanc sententiam de duplice consumptione caloris, ità inuolutam esse cum alia de eiusdem caloris pabulo, vt vna ab alia nequeat segregari. Proferam, imò transferam verba contextus, vt videre possis, quomodò tuis met technis te decipi plerumq; finis. *At verò ignis*, inquit Philosophus, *duas videmus corruptiones, marcorem, & extinctionem. Vocamus autem eam quidem, quę à se ipso marcorem, eam autem, quæ à contrarijs, extinctionem: illam quidem senectutem, hanc autem violentiam. Accidit autem ambas propter idem fieri corruptiones: deficiente enim alimento, non potente calido accipere alimentum corruptio fit ignis.* Hactenus ille: tu nunc elige quam partem velis. Si enim ex his Philosophi verbis elicis duplicem caloris cōsumptionem, licebit quidem tibi, dummodò duo prestes: vnum, vt te paruis naturalibus reconcilies, alterum vt hæresim, qua tu solus calori pabulum negas, in propatulo damnes. Sin minus, expunge hanc differentiam inter marcorem, & extinctionem: tibi vtriq; deest facultas recipiendi doctrinam, in agro tibi inuiso seminatam, ni forte recurris ad Plutarchum de vtilitate capienda ab hostibus: Vtcumq; tamen sit, cauillatio in uentos abit: nam neq; ego vnquam negaui, aut ignoraui, ignem extingui, vel marcescentem, vel à cōtrario perpetientem, neq; tu sinè magna tua infamia poteris hanc doctrinam tibi met contrariam in medium afferre.

Mēdacium.

Ar. de vita, & morte c. 3.

De his qui sūe cibo li. 2. c. 177

Infra

Cauillatio Septima.

1 RIsum mihi moues, quòd superiùs tui cacodæmonis persuasu (nam tu litteras grecas non nosti) apocrisi me abusum esse dixisti: quippe hoc vocabulo non responsionem ad controuersiam, sed ad interrogata significamus: ego ibi non respondeo ad interrogata, & tamen apocrisin me exhibere velle, profiteor. Hanc accusationem satis deleui. Nunc autem idem cacodęmon tibi aliquid noui ad aures insusurrat, & reperit, non rectè esse dictum apocrisin ad exemplum, sed dicendum esse apocrisin exempli, quasi exempli eiectionem. Ego verò nunquam in animo habui, exemplum istud sumptum à belluis hyeme iacentibus eijcere, imò Galeni diligentiam exosculatus sum, qui hoc exemplo se ipsum sæpè declarauit. Non ne tibi dixi, Galenum meritò claritatis gratia hoc exemplo fuisse vsum? Id verò, quod ego damnaui, & iterum damno, est stoliditas tua, siquidem ex hoc euentu efficacissimum argumentum te posse eruere arbitraris. Itaq; apocrisin ad exemplum dixi, & sic debui dicere: nempè responsionem ad errorem, quo exemplum assumis tamquam argumentationem argumenti: apocrisin verò exempli nunquam dixerim: quippe non eijcio, neq; reijcio hoc exemplum, sed accommodatissimum esse aio ad explicandum, quomodò se habeant ad oblata ij, qui sopiti absq; cibo iacent.

Satyr litterarū græcarum ignar.

Cauillatio Octaua.

* 1 QVOD potuit Galenus facere, & non fecit, diuinare vis, sic inquiens. *Galenus potuit duas causas brutalis abstinentiæ diuturnioris afferre.* Brutalem abstinentiam vocas brutali loqutione; Sed quæ nam sunt istę duæ causæ? vnam dicis esse prohibitum effluxum, seu exilitatem effluxus: alteram verò summam caloris debilitatem. Hoc à me accepisti, sed tuæ ignorantiæ sordibus inquinasti; Non ne ego priùs tibi dixi, Galenum in libro aduersùs Erasistratum causam referre ad paucitatem effluxus, in aphorismis autem ad paucitatem caloris? Hoc si, vt à me didicisti, referres, rem optimam pręstares, sed in adiectis miserè tibi cotingit labi. Ais, prohibitū effluxum, seu exilitatē effluxus esse in ijs, quæ vigilantia mouentur, & sentiunt, summam verò caloris debilitatem in ijs animalibus, quę temperaturæ frigidioris hyeme plures menses condita torpent, & iacent veluti semimortua. Hoc tu putas, Galenum potuisse dicere? potuit, sed noluit, & noluit, quia hoc veritas non admittit. Itaq; tu velles, vt Galenus vir eximius tuo captui se accommodaret, & sic in te quadrat Plautinum illud dicterium, *Tuo ex ingenio mores alienos probas.*

De Abstia c. 13. — *Plaut. ī Pers. act. 2. scen. 2. ver. 34*

2 Sed age perquiramus, quid potuit dicere Galenus, & nō dixit, tu autem, eum dicere potuisse, putas. Potuit in primis dicere prohibitum, exilem vè effluxum causam esse diuturnę abstinentię in ijs animalibus, quæ vigilantia mouentur, & sentiunt. Ita tu sentis; Sed qui potuit Galenus hoc dicere, cum non agnouerit diuturnam abstinentiam nisi in animalibus, quæ in latibulis iacent? Rursus potuit dicere, summam caloris debilitatem esse causam diuturnæ abstinentię in animalibus, quæ temperaturæ frigidioris hyeme plures menses condita torpent, ac iacent veluti semimortua. Sed qui potuit, absq; contradictionis crimine istad pronunciare? non ne ipse met causam abstinentię in animalibus, quę hyemali tempore in cauernis commorantur, retulit ad prohibitum, exilemq; effluxum? qua facie id posteà negaret? nempe tua, quæ rubescit nunquam.

3 Accedo ad exempla, quę in humana specie pariter obseruanda ducis. Quosdam vis ieiunantes vigilare, & suas actiones vtcumq; peragere, quos assimilas auiculis, & animalculis, quæ, dum abstinent, mouentur, & sentiunt. At dixisti priùs, hæc animalia, quæ vigilantia mouentur & sentiunt, causam suæ abstinentię habere prohibitum, exilemq; effluxum; Similiter ergo prohibitus, exilis vè effluxus causa diuturnę abstinentię erit in his hominibus, qui vigilantes mouentur, & sentiunt: ita ne? maximè: nam hoc tuum institutum est, vt scilicet respondeat belluæ hominibus. At dic sodes, puella Germanica, quæ doctissimis viris occasionem disputandi de diutina abstinētia prębuit, puella, inquam, illa non ne triennale ieiunium est passa semper in hominum conspectu ambulans, & loquens? hęc tamen puella per vniuersam cutem pustulis, & scabie scatebat; Putas ne, potuisse crassa excrementa per cutem transmitti, tenuia non potuisse? Iterum ais, alios esse homines, qui brutis in antris commorantibus assimilantur: vt sunt tui Lucomori, & tua auia. Hos, ex tua doctrina dicemus, abstinentiam pati ob frigidiorem naturam, & frigiditatem ambientis; Scito tamen, frigiditatem ambientis non aliter efficere, vt iaceant corpora absq; sensu, quàm cute densata; Quare perit tua ista distinctio: neq; enim diuersę sunt causæ frigiditas aeris, & prohibitus effluxus, sed vna sequitur ad aliam. Galenus autem autor eximius duas causas retulit, vnam frigiditatem temperaturę, alteram frigiditatem ambientis, cutis meatus densantis, & effluuium prohibentis. Atq; hæ duæ causæ simul concurrere debent, non vna sinè alia. Hoc tibi ostendunt verba hęc ipsius Galeni, *Cum enim hæ sub hybernum frigus, quo tempore in cauernis commorantur, toto corpore frigidæ, segnesq; ac densæ ob quietem redditę sint, & exterior superficies astricta fuerit, nihil tunc effluere potest: neq; etiam, quod euacuatum est, repletione indiget.* Iam ergo poteris addiscere, Galenum dixisse id, quod pro rei veritate potuit dicere: nempe & frigiditatem, & effluxus priuationem duas esse causas, quę concurrunt, vt animalia sinè cibo mortuis similia iaceant; Illud verò tuum somnium de diuersitate animalium ob diuersas causas ieiunantium, nec dormienti Galeno occurrit vnquam, nec vigilanti potuit placere.

4 Præstat tandem cauillationem diluere: concludis enim falsò, me assumere omnes diu ieiunantes ritè peregisse cunctas actiones vitæ: nec in brutis animantibus

tibus exempla diuturnioris abstinentiæ habuisse. Quærebam, cur tamdiu sinè mendacio loquereris; Ego ne dixi, omnes diu ieiunantes ritè peregisse cunctas actiones vitæ? vbi nam à me hoc scriptum reperisti? Ego sic scripsi. *Quod nam ergo argumentum potest confici ab animalibus, quę veluti cadauera omni sensu, motuq; priuata iacent, & quorum aliqua moriuntur, ad homines, qui omnes suas actiones ritè peragunt?* Hæc sunt mea verba, quod si ammanuensis lapsu positum est *ab omni sēsu, motuq; priuata*, nō debueras ob illud *ab* turbas, quas excitas, excitare; Cęterùm in te possum illud iactare, quod Sophocles in Cedalione, & Aristophanes in Dedalo, vterq; apud Suidam, & Lucianus in sectis: nimirum *Disputas de asini vmbra:* possesq; litem mouere, quam narrat Demosthenes: Agaso namq; qui asinum adolescenti locauerat, conductorem in ius vocauit, quod asini vmbra vteretur, ad fugandos solis radios, asinum inquiens, locaui, non asini vmbram. Libuit paulisper iocari, vt stomachum, quem mihi tuę nugę mouent, componerem. Relicto ergo solæcismo, pro quo plures in tuo libello, quem tamen correxisti, rependam tibi. Ad rem accedo, & te mendacij reum constituo. Vide quid turpius sit erratum in grammatica, an in veritate: prępuè, cum omnes, qui me norunt, sciant non esse mihi imputandos hos lapsus.

Suidas. Lucianus. Demosthenes in Philipica. Mēdacium.

5 Ain, me omnes homines dixisse abstinentes vitę munia obire? Vbi nam est illud *omnes?* Audi, vt se res habet; Postquàm sententias aliorum refutaui, qui asitiam odoribus, aut aere, aut aqua, aut cruditatibus suppleri posse contendunt, adiunxi, *Nulla mihi ex prædictis sententijs argumentum ducat à bestijs ad homines: nam inter ipsos homines vnius ad alium diuersitas est maxima:* & cætera, quæ prosequor in hanc sententiam. Posteà verò paucis interiectis reuertor ad exempla brutorum, ad quæ apocrisin affero. Dissimilitudines multas reperio inter bruta, & homines, quas infra à tuis calumnijs liberabo: vbi verò tot intersunt dissimiles circunstantię, quæ similitudo, comparatio vè afferri potest? Mihi non erat necessarium probare, omnes homines ieiunantes vitæ munera obire, cum vnus duntaxat, ad destruendam tuam stultitiam sufficeret. Accipiamus ergo vnum, qui ieiunauit, nec tamen mortuorum instar latuit, & iacuit. Sit v. g. puella germanica: ista ne potuit aut frigiditate animalia exanguia, aut densitate meatuum ea, quę densissima sunt adæquare? minimè. Iam ergo in vno homine corruit similitudo sumpta à brutis, quam tu sinè exceptione attulisti. Accipe rursus tuos Lucomoros, tuam etiam aniam: putas ne hos vrsibus, glyribus, serpentibus, cicadis, temperamento, habitu corporis, compositione membrorum, consuetudine, aut quolibet alio comparari? Quod nam ergo argumentum potest à similitudine duci, inter illa, quę nullam inter se habent similitudinem, sed potiùs dissimilitudines multas? Iam ergo nec omnes homines vigilantes ieiunare dixi, vt ex dictis constat, nec mihi iuxtà rei veritatem potes dicere, me non recipisse exempla à brutis animātibus: exempla quidem recepi, argumenta reieci; Hoc si adhuc non didicisti, quęre aliquem, qui te doceat.

De Asitia c. 9.

Cauillatio nona.

1 OMissis ijs, quæ extra chorum saltans, in mei corporis habitum contumeliosè conijcis: (nam satis iam tibi supra respondisse videor) persisto in feris, quę hyeme latent. Quæris à me quomodò probem, hæc animalia in latebris semimortua iacentia dormire? At *semimortua* ais tu: Galenus *mortuorum ritu*, & alibi *mortuis similia* dixit, mortuis autem similia dormientia esse, quis nescit? *Stulte quid est somnus gelidæ nisi mortis imago?* Colubros, serpentes, viperas longo somno gracilescere dixi; Improbas sermonem: nam & colubri, & viperę sub serpentum sunt genere, & statim in foueam, quam parasti, incidis, inquiens, pauci sanguinis esse serpentes, & lacertos. At calumniator inanis, lacerti etiam serpentum genus sunt: Vt de te possit dici.

Supra sect. 1. q. 7. ar. 3. n. 8. Adagiū

Cum tua peruideas oculis mala lippus inunctis,
Cur in amicorum vitijs tam cernis acutum?

Iubes insuper, vt à Galeno, & Aristotele addiscam; Ego verò istud ago, & ab his limpidissimis fontibus doctrinam haurio verissimam, quam tu mendacijs tuis niteris inquinare. Sed quid ex Galeno vis accipiam? nempe animalium hyeme latentium duo esse genera: alia frigidioris temperamenti, tum pauci sanguinis,

nis,

nis, vt sunt serpentes, tum exanguia, vt apes, & muscæ: alia sanguinea, & calidioris naturę, vt vrsi, & glires. Hanc distinctionem si mihi in Galeni, aut Aristotelis scriptis traditam ostenderis, eris mihi magnus Apollo: sin minus, eris ridiculus mus. Pergis inquiens sic, *Animalia frigidiora pauco, vel nullo sanguine prædita, latent hyeme non concentrato calore dormientia, sed iacentia semimortua ob summam caloris labefactationem, quæ in plerisq; terminatur ad interitum; vt admonet Galenus: At animalia sanguinea, & vegetiore calore hyeme latentia dormiunt, ob caloris ab externo frigore fugati concentrationem, vt vrsi, & glires.* Hęc est tua sententia, quam à Galeno, & Aristotele acceptam esse fingis; Et in primis ad Galenum accedito. Ille duo hominum genera constituit, quosdam debiles, qui si frigida perluantur, refrigerari, atq; offendi se sentiunt; alios robustos, qui frigida perluti sentiunt, innatum calorem ad interiora refugere, ibiq; se ipsum colligere, posteà verò ad exteriora remeantem multò, quàm prius erat, fieri fortiorem. Quid ergò vis? nunquid animalia sanguinea, & vegetiore calore prædita per plures menses dormientia, comparas hominibus robustis? At homines robusti non tolerant, calorem per plures menses esse concentratum, sed intra paucas horas eum multò, quàm prius erat, vegetiorem effundunt. Deinde Galenus quamuis duo hominum genera proposuit, vnius tantùm exemplo est vsus, nempe dibilium: cui animalia, quæcumq; sint, quæ hyeme latent, comparauit: inquit enim: *Sic & animalium quæcumq; sunt natura frigidiora, ijs calor innatus à frigore hyberno superatur, adeò vt ferè extinguatur: quare plurima ipsorum similia mortuis conspiciuntur, cum sinè sensu, ac motu in lateribus iaceant: quędam vero* (non pleraq; vt tu malè ais) *prorsus in hoc ipso affectu moriuntur.* Vides ne, Galenum omnia animalia hyeme latentia ad vnum genus redigere? nempe ad ea, quę frigidioris naturę sunt; Et profectò malè cum hominibus ageretur, imò cum vniuerso animalium genere, si ea, quæ sanguinea, & calidioris temperamenti sunt, tota hyeme dormire cogerentur. Apage sis: magna isthæc tua stultitia est.

Mèdacium

1. aph. 15.

v. infra cauill. 12.

8. de hist. an. c. 17.

2 Aristoteles, cuius tu testimonio gaudes, nihil tibi fauere potest, sed aliqua ex parte nocere: nam vrsum latere quidem, ait: num propter frigus; an ob aliam causam, ambigit, & rem sic ambiguam relinquit; Hoc vnum sinè dubio statuit, videlicet tempus, quo in latibulis commoratur: inquit enim, *Sed quod minimum dies circiter quadraginta latet, ex quibus bis septem ita sopitur, vt se nihilo moueat, reliquis posteà pluribus, latet quidem, sed mouetur, & surgit.* Nunquid ex Aristotele accipies, animalia quædam esse, quæ latent semimortua, alia, quæ latent dormientia? dormitabas quidem, quando hęc exarabas.

Cauillatio decima.

Adagiũ

Satyri falsitas

1 PAscitur in humido calor: sed meo, vel amanuensis, vel typographi errore, cum scribendum foret *pascitur*, scriptum est *depascitur*. Posses, hunc errorem excusare: siquidem non multo infra potuisti inuenire *Sua met pascatur pinguedine*; Vnde constat casu, non autem ex inscitia hunc lapsum contigisse: ex paleis inanibus trituram frumenti facis, mi Satyre; Nec verò magis bellè me arguis, quòd dixerim, calorem exiguum in multò humido balsamico, velut scintillam ignis in stercorario sensim depasci, irridesq; pueriliter, quòd balsamum cum stercore comparaui. Sanè mihi vnus ex ijs videris, qui radios solares loca immunda illustrare, dicere verentur. Altiora quærito. Porrò cum dicam, calorem exiguum in multo humido balsamico, velut scintillam ignis in stercorario sensim depasci, hanc positionem Galenus, te autore, falsitatis arguit: falsitatis ne? cur ita? nempe *Asserens* (vt tu putas, aut alios putare vis) *in his animalibus frigidioribus hyeme latentibus innatum calorem propemodum extingui, & in nonnullis penitus extingui, eaq; mori latentia, sed quæ superuiuunt, ac semimortua iacent, quomodò calorem habent consumentem humidum? qui enim proximus est extinctioni vires non habet absumendi.* Quis tibi hoc dixit? non certè Aristoteles, qui non semel calorem naturalem flammæ lucernę comparans, non posset negare, sicut flamma illa extinctioni proxima aliquid absumit olei, ita calidum nostrum quantumuis interitui propinquum aliquid semper humidi depasci. Viuit adhuc animal morti proximus, viuit autem, quia calor eius naturalis non est extinctus, cum posteà mors aduenit, tunc aduenire dicetur extinctio eius; Dum ergo calor

naturalis

naturalis extinctus non est, suo humido sustentatur, non autem aliter sustentatur, quàm absumendo illud, quod si non absumeret, non extingueretur. Non ne priùs dixisti ex Aristotele, duplicem esse caloris absumptionem, vnam, quę dicitur marcor, alteram, quæ extinctio? non ne tibi Aristoteles ait, vtramq; fieri defectu pabuli? quid adhuc blateras?

2 Reperis dissimilitudinem in similitudine, quam ego attuli, humidi balsamici cum stercorario, in hoc enim ignis sensim depascitur, velut calor in illo: & hic grammatizas, atq; non dicendum putas *in humido depascitur*, sed potiùs *humidum depascitur*. At ego volui dicere *in humido pascitur*, vel etiam *humido pascitur*: sic inferiùs dixi, vt iam hinc tibi constare posset, illud *depascitur* casu magis, quàm ex instituto fuisse scriptum. At nec sic quidem malè: nā quid vetat verba composita suorum simplicium constructionem habere? Venio ad dissimilitudinem: hanc ideo agnoscis, *quia scintilla, etsi mole parua sit, vires tamen non habet eneruatas, & languidas, ac extinctioni proximas à contrario, sed vegetas, & in summo gradu actiuitatis: nempe minima scintilla, nihilominus habet quatuor caloris gradus, ac ignis maximus, à quo non intensione virtutis, & gradu actiuitatis superatur, sed extinctione, & mole*. Sistamus hic. Scio, scintillam ignis esse ignem: scio quatuor habere caloris gradus, velut ignis maximus. Hactenus nihil nouum affers. At cum dicis, scintillam ignis gradu actiuitatis non superari ab igne maximo, rem affers incredibilem, & quam tibi Galenus non tolerat; *Opus est enim, vt quicquid agat, etiam si sit valentissimum, aliquam tamen & magnitudinem habeat: quando nimirum, & ignis ipse, si prorsum minimus sit, præterquamquod non vret, nec calefaciet quidem: quippe cum, & centesima scintillæ portiuncula sensu nobis sit imperceptibilis*. Sic Galenus. Nunquam ne tibi contigit scintillas in manu habere, neq; prorsus vri? & tamen *parua sæpe scintilla contempta magnum excitauit incendium*. Ga. 3. simpli. c.23. Adagiũ

3 Sed videamus, quid vlteriùs adiungis: nempe sic. *Verùm calor naturalis colubri delitescentis in hyeme semimortui, ab ambiētis frigore viribus expoliatus, redactus est ad vnicum gradum postremum, & labefactatus in extremo, nullam habet vim agendi, sed adeo remissam, vt vix disponat corpus ad animam sibi copulatam retinendam, nihil aliud efficere valens*. His tu verbis mihi ais, calorem naturalē reduci ad vnum gradum: in quo videris oblitus, quoties tibi est inculcatum calorem, naturalem esse substantiam, sic appellatam ab efficacissima, quę in eo est, qualitate. Substantia ista certum qualitatis gradum obtinet, quem si transcendat, aut maneat citra, iam non ampliùs naturalis calor erit, sed præter naturam. Itaq; si caloris naturalis qualitatem ad plures, vel pauciores gradus, quàm sunt ij, quos suapte natura postulat, reducas, iam ex naturali calore efficies pręter naturam. Quare cum dicimus, calorem naturalem esse extinctioni proximum, non consideramus remissos qualitatis gradus, sed paucitatem quantitatis: Vt scilicet ex spirituum, vel sanguinis, vel vtriusq; exigua quantitate ad extinctionem proximus sit status. Hæc est extinctio, qua Philosophus mortem significauit. Sicut enim vita non est intensio qualitatis, sed mansio substantiæ, sic mors non est eiusdem qualitatis remissio, sed substantiæ cum sua quantitate abolitio. Appellabo igitur calorem extinctioni proximum, paucum, quod si debilem etiam dixero, nullum committam errorem: quicquid tu grammaticales, sophisticosq; laqueos mihi tendas, quos non pluris facio, quàm nucem vitiosam: quippe tu nihil aliud agis, quàm cauillando, te, tuumq; genium, & ingenium detegere. Satyri obliuio Adagiũ

Cauillatio vndecima.

1 QVód animalia latebras hyberno tempore incolentia sua pinguedine pascantur, aliquando dixi. Tu extemplo à me quæris, quam pinguedinem agnoscam in apibus, & muscis, alijsq; insectis, prorsusq; exanguibus animalibus, hyeme sine cibi, potusq; assumptione latentibus. Ego verò vicissim à te quæro, quid aliud in his ipsis agnoscis, nisi pinguedinem? Sed hoc tu exue prauum morem, confusio semper, ante omnia, auferatur, alioquin nullam addisces veritatem. Manifestum est, pinguedinem ex sanguine factam non reperiri nisi in animalibus sanguine præditis. Hoc, quemadmodum stultum esset negare, sic affirmare est insulsum. Attamen tu generali vocabulo, sumpta pinguedine, eam insectis exanguibusq; negas. Posses in tuam sententiam adducere

Ari. 4. Aristotelem, quem (tametsi te magnificè peripatoum appelles) ignoras. Ari-
de hist. stoteles tibi fauere videtur, qui aliquando ait: *Viscus nullum in ijs* (loquitur de in-
anima. sectis) *nullum pingue, sicut nec in cæteris, quæ sanguine carent*. Et alibi cum agat
c. 7. de crustatis sic ait: *Quod enim sanguine carent, nec pinguedo in ijs consistit.* At tu
Ari. 1. aduerte, à me superiùs esse dictum, pinguedinem, quæ fit à sanguine, in solis san-
de gen. guine preditis reperiri; propterea Aristoteles à te ipso citatus inquit: *Pingue enim*
anim. *omne exangue est,* non autem *ex sanguine est:* quippe in ijs, quæ sanguine carent,
c. 19. pinguedo fit ex humore, qui in eorum corpore sanguini proportione respondet.
A. 3. de An renuis hanc responsionem? nempe quia eam apud Aristotelem forsan non
hist. an. inuenisti? Te volo manu ducere; adito eum locum, in quo de crustatis agens,
c. 19. in ijs, quę sanguine carent, nullum pingue consistere, dixit, & legito sequentia
Ari. 1. verba; sunt autem hæc: *Hinc proportionale pinguedinis secernitur in seminale ex-*
de gen. *crementum*. Iam ergo habes apud Aristotelem pro pinguedine *proportionale pin-*
citato. *guedinis:* & hoc sufficit, vt exanguia habeant pingue, quo nutriantur: neq; enim
hoc loco curandum est, pinguedinem ne, an seuum, an, quę media inter hęc duo
est, pinguedinem dicamus: quippe Galenus nonnunquam vnum pro alio acci-
Ga. 1. pit, & inter se non differunt nisi secundùm magis, & minus. Hoc vnum tibi fir-
de nat. mum sit, & ab eodem Galeno acceptum, *Vt acidum, dulce, amarum, salsumq;,*
hum. *ita acerbum, austerum, acre, & pingue esse inter humorum species, tam in animalibus,*
co. 31. *quàm in plantis*. Nec Plinio displicet, nullum esse animal, cui pingue aliquid nõ
Plinio insit: siquidem, vt ipse notat, *Omnibus animalibus, est quoddam in oculis pingue*.
lib. 11. Poteras ergo, nisi pingui Minerua esses præditus, ex tuis grammaticis accipere,
omne crassamentum pinguedinem posse appellari. Hinc cælum pingue, terram
pinguem, pinguia indumenta, pinguia, quęcunq; crassa sunt, dicuntur. Quid
me ergo interrogas, quam pinguedinem agnoscam in exanguibus? Interroga
Ga. 3. Galenum: eam tibi dabit in viperis, & in piscibus, & quamuis eam ille omisisset,
simpl. nunquam ne pisces euisceratos, nunquam viperas dissectas vidisti? apes etiam, &
med fac. muscas crassamentum habent, quo alopecijs curandis prosunt.
c. prop. 2 Cum totus sis in probando, pinguedinem non nisi sanguine preditis inesse,
pergis sic. *Deinde non ne nosti à Galeno, pinguedinem, & adipem potiùs esse carnium*
nos alentium condimenta, quam alimenta? Tu verò non ne nosti tuam discrepan-
tiam? Quid enim commune habent hæc duo: videlicet pinguedo non inest, nisi
sanguineis, & pinguedo inter condimenta à Galeno reponitur? Probas ne illud
Error prius hoc posteriore? Hęc tua solita est logicatio. Sed admittamus ad rem hoc
logicæ. esse dictum, & Galeni verba transferamus. *Pinguedo,* (inquit ille) *& adeps pauci*
Ga. 3. *est nutrimenti, potiusq; carnium nos alentium condimenta, quàm alimenta.* Pœnitet
alim. ne transtulisse hæc verba? Quis dubitat? destruunt nãq; fabricam, quam strue-
facul. re voluisti; Tu velles, vt Galenus diceret, pinguedinem *nullius esse nutrimenti,*
c. 11. at ille in tuam perniciem *pauci nutrimenti esse,* ait: si pauci, ergo alicuius, quod
sufficit ad tuam peruicaciam infringendam. Pręuidisti hanc noxam, & effugere
posse lectorum cachinnationes putasti, inquiens, *Galenum ibi loqui de pinguedine*
aliena, quam cum carnibus comedimus, non de pinguedine propria eius, quod nutri-
Satyri *tur*. Sed neq; hęc tibi fuga prodest: nam quod pinguedo aliena nutrit, non im-
fuga. pedit quominus etiam propria nutrire possit. Non ne lac nutrit infantes, qui
sunt corpora aliena, nutrit & nutricis papillas, quæ sunt corpora propria? Non
ne semen maris in vtero fœminæ fœtũ nutrit, (nutritio generationi æquipara-
tur) & idem semen nutrit maris testes, qui sunt corpora propria? Tandem non
ne sanguis alimentum est corporis alieni, corporis etiam proprij? Nunquam
ne audisti, vetulas esse striges, à volucre nocturna sic appellatas, quæ puerulorum
sanguinem in cunis iacentium sugunt? Hæ & proprio aluntur sanguine, & alie-
no. Si mihi diceres, pinguedinem non posse nutrire; quia in halitus resoluitur,
aut quia tota abit in excrementum, vtiq; responsione dignus fieres? Verum cũ
Satyri fatearis, eam posse nutrire corpora aliena, interclusisti miser tibi adytum, ad pro-
refugiũ bandum non nutrire etiam propria.
nullũ. 3 Expunge ergo, & dele Galeni sententiam: siquidem contra te facit: ea tamẽ
lege id facito, vt non alibi peius cum eodem Galeno eueniat tibi. Admittis ne?
quid ni? perijsti infelix: nam à latere exurgit idem Galenus, & fortiore te verbe-
G. 4. de rat flagello. Describens ille aliquando peritonæi portiones, adiungit: *Ibique*
vsu p. *plurimum pinguedinis congerunt, quod fouet simul ventrem, iniungitq; membranæ*
c. 11. *ac per mediam calori natiuo suggerit alimentum*. Aduerte animum ad illud *per*

mediam

Inediam, quod facit, vt Galenus ab instituto nostro nihil penitus discedat, & tibi omnem ineptiendi occasionem arripiat.

4 Videris mihi Galeno non acquiescere: dabo Aristotelem, qui tibi aures vellit. An tu, qui peripatoum te esse iactas, non vidisti apud eum hæc verba? *Quod venter semper opimatur, pingue aliquid semper obtinet, nisi morbo laboret*. Verum tu subtilius excogitasti, & ne cum Galeno, ac Aristotele litem haberes, mecum voluisti litigare; Quoniam autem ego, feras hyeme latentes sua pinguedine nutriri posse, aio, cogis me, vt etiam fatear Timonis auiam, & Lucomoros sua pinguedine nutritos fuisse, dum bimestrem, & quinq; mestrem abstinentiam, mortuorum instar iacentes, fuerunt passi. Tripliciter hanc calumniam diluo. In primis da mihi Lucomoros eundem corporis apparatum, idem temperamentũ, eandem corporis constructionem habentes, & tunc historias eorum veras esse, non negabo. Deinde ego, cum fidem non habendam esse censui ijs, qui hypocrisi quadam, ad sanctimoniæ ostentationem, & ad alios vsus asitiam simulant, non comprehendi eos, qui per menses mortuis similes iacent, qualis fuit Timonis auia, & Lucomorię populi, sed eos, qui sentientes, & ambulantes cibum tamen se assumere negant. Tertiò ostende mihi quęso, vbi nam historias omnes de longo ieiunio (vt tu dicis) falsas esse dixi? imò verò postquam admonui, quosdam esse, qui asitiam simulant, & duos me in hac fraude deprehendisse, narraui, hæc addidi. *Quæcumq; autem vera historia est, ea non ad vnam, sed ad plures causas referenda est*. Hinc ne tu colliges, me veras esse de longo ieiunio historias negasse? An ego potius colligam, te in meis dictis referendis fuisse mendacem? Sed nil mirum: nam cauillatio, autore Tullio, est *genus facetiæ, quod fit mentiendo*, seu potius (quoniam hic nulla apparet facetia) magis tuæ huic cauillationi quadrat descriptio, quam Valla à Caio iuris consulto accepit, nempè *Subdola ratio, quam conscij nobis mendacij, vincendi tamen causa, proferimus*.

A. sect. 5. prob. 14.

De Asitia c. 21.

Mẽdacium. Valla lib. 6.

5 Tandem me arguis, quòd cum animalia pinguedine sua non ali probaueris, ego rationes, quas attulisti, non enodaui, cum tamen pro fine habeam tuo libro respondere. Nunquam profectò adeò abiectos fines mihi in meis actionibus proposui: casu tuam iocosam opinionem legi, eamq; ludibrio habui, & per iocum refutaui. Aceruum sophismatum, quem in Bonamicum congeris, soluere superuacaneum visum est, præcipuè cum vnumquodq; per se ipsum corruat, neq; inter tot vnum saltem est, quod demoliendi arte indigeat; Nam maiori ex parte tu pinguedinem excludis ab alendi ratione: quia putas tempore inopiæ, de quo agimus, supponendam esse colliquationem, qualis ab immoderato fit calore, nempe confertim factam: cum tamen abstinentium calorẽ, vt dissoluat pinguedinem in defectu alterius nutrimenti, non oporteat esse maiorem, quàm sit calor eorum, qui alimenta sumunt. Sed differentia in eo est, quòd in his, qui cibum accipiunt, calor circa cibum occupatur, in abstinentibus verò circa pinguedinem, quæ, si multa sit, impedit quominus etiam membra absumantur, sin pauca, pergit calor ad carnes, & membra solida. Hoc probat Galenus comparatione facta inter sues feros, & cicures; feris enim si in craticulis assentur, vel nihil, vel minimum est, quod defluit, circuribus autem plurimum. Sed ne longius diuertar, calor, qui semper agit, vel agit in alimentum oblatum, vel eo deficiente agit in pinguedinem: & hoc est, quod ab Hippocrate sæpius me recipisse, memini, nempe absumi corpora puerorum, nisi eis offeratur nutrimentum pro ratione abundantis innati caloris. Iam ergo cessant omnia incommoda, quę tu ad hanc pinguedinem tempore inediæ liquatam sequi dicebas; neq; enim postulat calorem, qui extra cancellos sanitatis egrediatur: neq; ex partibus eterogeneis igneæ dissipab[illegible]tur in halitus, vt sæpe obijcis, præcipuè cum animalia latentia adeo densatam habeant cutem, vt vel parum, vel etiam, te proteruiente, nihil effluat.

G. 10. meth. c. vltimo

6 Deinde non solùm calor est moderatus, sed eo etiam tempore liquatio est opus naturæ, quæ non desinit conseruationis indiuidui curam gerere, nec sinit animal defectu alimenti perire, dum ei aliunde potest suppetias afferre; Idcirco non est impossibile detrudi liquamentum ad ventriculum, vt tu dicis, sed maximè possibile, & necessarium. Quòd verò ais, famis tempore ob liquamentum ad inferiora fluens, pedes intumescere, hæres in æquiuoco: intumescunt quidem pedes famis tempore, si famem pro annonę caritate accipias, tunc enim ex prauis edulijs cruditates gignuntur, quę suo pondere ad pedes delabantur: tu autem,

Satyrĩ æquiuocatio.

quę tua

Satyri cōtradictio. quę tua est inscitia, modò pinguedinem facis igneam, & in halitus dissipatam euolantem, modò ponderosam, & ad pedes descendentem. Aristoteles quidem dixit, colliquamento nullum secundùm naturam esse locum: non negauit tamen, posse illud tempore indigentiæ nutui naturæ obedire. Nec oportet, vt præcedat dolor, qui pinguedinem ad ventriculum confluere cogat: imò quia in alimenti defectu, vices alimenti gerit, non minùs famem sedat, quàm alimentum quoduis aliud. Quamuis autem liquamentum sit res pręter naturam, alitio verò opus naturale, nullum absurdum est, (vt tu inepte, pro theoremate proponis) naturale quidpiam ortum habere ab eo, quod pręter naturam est. Nam sanitas etiam secundùm naturam est, morbus præter naturam, & tamen ab aliquibus morbis oritur sanitas, vt ego ex Hippocrate demonstraui in meo tractatu *Quę ex quibus*, quem tu irrides, & tui pares: docti autem admirantur. Cętera de genere hoc adeo sunt multa, vt, & me scribendo, & lectorem legendo defatigarent. Scio tamen, omnia ad prędicta referenda esse, si quid demū habes, quod Achillem tuum esse velis, proferto in aciem, nec magis durabit, quàm herba solstitialis. *Adagiū*

Cauillatio duodecima.

De Astia c. 13. 1 COlubros, & reliqua exanguia animalia, quæ hyeme latent, ex diuturno somno exilia, graciliaq; remanere dixi: quoniam hoc animalium genus non mirum est, si à frigore offensum, diù sinè cibo semimortuum iacens, sua met pascatur pinguedine; aliter vrsis contingit, de quibus Aristoteles, & glires, de quibus Martialis. Hæc omnia (ais tu tua solita iactantia) olim magis explicasse. Rectè dicis, explicasti *magis*, hoc est, verbosiùs, sed non *magis*, hoc est, meliùs: nam in tua explicatione te ipsum irretis. Fateris *vrsos, glires, & alia perfectiora bruta, quæ fructibus autumnalibus nutriuntur, autumnò in maxima frugum vbertate plurimum alimoniæ ingurgitasse, multasq; cruditates crassas, & lentas in ventre congregasse, quibus digerendis calor eorum natiuus tota hyeme occupetur.* Hęc de animalibus perfectioribus; cæterùm insecta, ais, non enutrita fuisse hyeme cruditatibus ab ingluuie, cuius rei signum esse, dicis, quòd squalida, lurida, & gracilia exeunt è terra. At quæro ego, si gracilia fiunt, id contigit ob calorem gracilitatem inducentem. Sit ergo fœlix, faustumq; tibi, quòd tam multa animalia tum sāguinea, tum exanguia hyeme latentia reperisti, in quibus nullę sunt feriæ altricis animæ. Quare si ab huiusmodi animalibus ad homines exemplum duci voluisti, cur si in his non feriatur anima, feriabitur in hominibus? *Ar. 8. hist. anim. c. 17.*

Satyri cōtradictio. Adagiū Hæc, tua est, à te laudata explicatio, quam, vt probes, redis ad vomitum veluti canis, & distinctionem illam animalium hyeme latentium, quorum quædam semimortua sunt, ob frigiditatem, nempè exanguia, alia verò dormiunt, scilicet sanguine prædita, quam dicis, te à Galeno accepisse, à Galeno quidem nunquam somniatam affers. Næ, tu ineptus, & proteruus videris, qui in re manifestè falsa, semel, & bis adhærescis.

Supra cauill. 9. 2 In primis ex Galeno (vt superiùs dixi) non colligitur isthęc tua distinctio, quam illi falsò imponis; videlicet animalium quædam ob frigidam intemperaturam semimortua iacere, & hęc esse exanguia: alia ob frigiditatem ambientis dormire, & hæc esse sanguinea: imò potiùs colligitur vtramq; causam, nempe frigidam temperaturam animalium, frigidamq; temperaturam ambientis concurrere, vt animalia similia mortuis lateant, neq; inter semimortua, & dormientia differentiam, quam tu imaginaris, agnouit. Cur ergo voluisti Galeni autoritate tuum somnium exornare?

Ar. 8. de hist. anim. c. 17. 3 Deinde, cum vrsos dormire, ais, ob caloris ab externo frigore fugati concentrationem, & simul refers Aristotelem, qui ambigit, qua de causa istud animal lateat, videris Aristotele sapientior, siquidem causam, quam ipse ignorat, vel de qua ambiguus est, tu pro comperto habes. Gaudeat tuum gymnasium, nam quantumuis vacuum Rechensi doctrina Stagiritam superante resonabit.

Nota Satyri distinctionē. 4 Vlteriùs animalium quædam iacere, ais, semimortua, alia dormientia, Hanc quæso distinctionem inter semimortua, & dormientia mihi explica: nam ego putabam, Galenum, qui ea interdum semimortua, interdum mortuis similia appellat, à dormientibus non separasse, dummodò somnum istum nō appellemus naturalem, sed naturali similem. At ista tua semimortua, quæ contra dormientia distinguis, *p. 32*

tia distinguis, quam patiuntur affectionem? Profectò cum Galenus vniuersim dicat, animalia latentia mortuis similia iacere, ego non video mortis similitudinem nisi in dormientibus, & syncopizantibus. Tu non vis, vt isthæc insectilia dormiant, syncopizant ergo. Verùm Galenus animalium quę mortuis similia iacent, *quædam in ipso affectu mori*, dixit: si autem syncopen paterentur, non *quædam*, sed omnia mori, foret consentaneum; Quis enim credat ex plurium mensium syncope animal posse euadere? Accede deinde ad vrsos, quos tu dormire affirmas ad differentiam serpentum, qui iacent semimortui. Vide tamen, quid dicas, ne dum bruta dormire ais, tu sis, qui dormias. Memineris ab Aristotele esse dictum, nullum somnum esse inexpergiscibilem: memineris rursus tam grauiter sopitos esse vrsos, vt, Plinij testimonio, ne vlceribus quidem excitari queant. Itaq; vrsi, quos tu dormire dicis, non magis dormiunt, quàm serpentes; nec minùs, quàm serpentes sunt semimortui: omnia animalia, quæ latent, semimortua, & mortuis similia vocauit Galenus, quem tu falsò dicis distinctionem fecisse inter exanguia semimortua, & sanguinea dormientia. Porrò tàm his, quàm illis dispositio adest somno proportionalis, quo vocabulo vtitur Aristoteles, quando significare vult primam illam dispositionem infantis in vtero geniti, quam non somnum, sed similem somno esse, ait. Nos in simili, animalium hanc à motu, & sensu cessationem, quam, quoniam inexpergiscibilis est, somnum non possumus appellare, dispositionem somno similem iure optimo appellabimus. *Ar. de gener. anim. lib. 5. c. 1. Pl. lib. 8. c. 36 Médacium.*

5 Si verò obijcias, non esse vnum, & eundem quiescendi modum exanguibus, & sanguineis, siquidem exanguia exeunt squalida, lurida, gracilia, sanguinea verò dormiendo pinguescunt, scito serpentes exire quidem graciles, non tamen, vt tu dicis, squalidos, & luridos: qui enim potest squalidum, & luridum esse id, quod renouatur? præsertim cum squalor magis ex calore, quàm ex frigiditate proueniat; tu autem hæc animalia, præ frigiditate semimortua iacere ais: luror etiam indicat putredinem, quæ renouationi contrariatur; Renouari autem serpentes, dum latent, indicio est, quod vere, cum egrediuntur, teste Aristotele, senectam exuunt; In renouatione autem glires cum serpentibus conueniunt; gliribus enim, vt ait Plinius, *senium finitur hyberna quiete: conditi enim & hi cubant: rursus æstate iuuenescunt*. Cum ergo quadrupedes, & serpentes pariter per hybernam quietem renouentur, vna, & eadem vtrisq; est quies: nam quod serpentes graciles fiant, quadrupedes verò pingues, id nutrimento, quod assumunt, absumuntq; tribuendum est: quippe serpentum musculosa corpora tantum habent pinguedinis, quantum sufficiat pro eo tempore, quo latent: iccirco hac pinguedine absumpta graciles exurgunt: quadrupedes autem cruditatibus nimijs, pinguedine multa, & crassiore, formicis etiam, vt mox probabo, aluntur, & ex hac alitione quicquid per halitus excernendum foret, (est autem plurimum) subtus cutim retinetur, & in pinguedinem abit: atq; hoc erat, quod tibi superiùs dicebam, calorem agere quidem semper, & effluxui materiam præstare, effluxum verò non sequi nisi pro ratione densitatis, raritatisuè pororum. Caue igitur, ne deinceps mihi obstrepas cum hac tua distinctione quietis in diuersis animalibus: saltem, ne eam Galeno, per summum mendacium, attribuito. *Ari. 8. de hist. ani. c. citato. Pl. lib. 8. c. 57*

Cauillatio Decimatertia.

1 SVmus in ea digladiatione, in qua formicarum suscipis protectionem. Verùm quid Satyro cum formicis? aliqua sanè inter te, & illas inest similitudo, quæ, teste Plinio Cecilio, ad connectendas amicitias potentissimum est vinculum: ita est: tu homunculus, formicæ animalcula: formicas Aristoteles dentes habere ait, sunt tibi, & dentes, quibus inanes infligis morsus: formicæ carent oculis, tu fere lumine cassus: & quod superat omnem similitudinem, formicę Indianæ, vt refert Plinius, habent cornua. Sed videamus, quæ in formicarum defensionem affers. Contigit mihi placere eorum autorum inuentum, qui dicunt, *Animalia isthæc non omnino sinè cibo esse, verum per somnum spumosam humiditatem ad os emittere, in quo formicæ pastum quærentes, in pastum istorum, tamquam visco apprehenduntur*. Quod dixi placere mihi aliorum inuentum, tu quereris, & personam vis agere, vbi nemo te quæritat, aisq; dummodò tecum apertè *De Astia c. 13. Pl. lib. 11. c. 31.*

non consentiam de rebus etiam euidentibus, paratum me esse, quidquid absurdum, & ridiculum profiteri. Deus me perdat, si de te aliquid tunc cogitaram: tu quomodòcumque sit, vis dignus haberi, de quo alij loquantur. Iam verò si absurdum, & ridiculum est, quod de formicis aiunt alij, eos accusato, cumq; damnati erunt, poteris in me, tamquam in consentientem, pari pœna animaduertere. At me ex directo quæris: adsum: quicquid ridiculi, & absurdi in hanc sententiam habes, proferto: forsitan tu hinc absurdus, & ridiculus domum reuerteris. Cauillatio ista, qua formicas defendere simulas, multa habet germina, singula amputabo.

2 In primis: *Formicæ*, inquis, *latent hyeme, nutriunturq; frugibus æstate suas in caueas, ad escam hybernam sibi comportatis, nec exeunt è suis cuniculis, vt pascantur vrsorum muco, vel vrsis dormientibus vltro se ingerant.* Hoc primum est germen; Sed dic sodès, quis te docuit, formicas inter latentia animalia recensendas esse? profectò non Aristoteles, qui non solùm eas inter animalia, quę hyeme latent, nunquam reponit, sed id expresè negat, inquiens, *Serenis, austrinisq; diebus, nascuntur ea, quæ se abdere non solent, vt muscę, formicæ*. Nunquam ne tibi contigit, per hyemem formicas videre, maximè vbi adest saccharum, congregatas? Deinde non (vt tu cum plebe sentis) ad escam hybernam duntaxat horrea implent, sed maiore prouidentia æstate dum granum est in area, illud, partito inter se inuicem labore, ad cuniculos ducunt, ad escam totius anni, vnde Plinius *Condit*, ait, *in thesauros maxillarum cibum sphingiorum, & satyrorum genus: mox inde sensim ad mandendum manibus expromit, & quod formicis in annum solemne est, bis in dies, vel in horas*. Ex his verbis tibi constabit, formicas sibi in annum integrum, non in hyemem duntaxat escam congregare. Magis autem credendum est Plinio, quàm Oro Niliaco, qui formicas, ait, præter morem cęterorum animalium in hyemem sibi cibum parare, & à suis latebris non deuiare. Non deuiat quidem formica, tametsi oculis cassa, nihilominùs cibum in totum annum sibi parat. Nec latet aliquo tempore, sed tepidis diebus etiam hyeme visitur. Euanuit ergo iam tuum istud propugnaculum: ac si sapis, non ampliùs dices, formicas hyeme latere, ac proinde non posse cedere in cibum vrsorum.

Ar. de hist. an. lib. 5. c. 9.

Plin. l. 10. c. 72.

Orus Niliacus de notitia

3 Alterum cauillationis germen, seu alterum formicarum propugnaculum sic habet. *Deinde cedo mihi, calculator eximie, quot myriades formicarum oportebit in os vrsi grandioris, tota hyeme, ingredi, ad assiduam tantę bestiæ nutricationem?* Appellas me calculatorem eximium: num ironicè? non certè: nam ironia figura est, qua aliud verbis significamus, aliud re ipsa sentimus: sed tu non habes vnde aliter sentias, quàm loqueris: neq; enim tibi aliunde constat, me arithmeticę expertem esse. Seriò ergo loqueris: gratum mihi est: nam, (vt Ludouicus Viues optimè notat) *nihil æquè mentis aciem patefacit, vt expedita computandi ratio: & ingenij tarditas tarditate computationis arguitur*. Hinc est, quod Pythagoras Arithmeticam objiciebat pueris, qua ingenium illorum exploraret. Neq; verò hęc sententia à Socratis mente abhorret, qui, referente Platone, eos, qui arithmetici sunt, ad omnes artes percipiendas perspicaces esse, & acutos, ait. Idem alibi statuit hominem Arithmeticæ imperitum ἀνοίτατον καὶ ἀφρονέστατον. Si verò Licurgus me ejiciat è Lacedæmone, quippe hanc scientiam non admisit; Romã me conferam, vbi in pretio fuit habita; Et tandem medico nihil honorificentius esse potest, quàm eam tenere scientiam, quam Hippocrates filio suo Thessalo præcepit, vt addisceret. Verùm quid à me calculatore eximio expetis? nempe, vt tibi dicam, quot myriades formicarum oportebit in os vrsi grandioris, tota hyeme ingredi. Cedo tu mihi, quot in vniuerso myriades formicarum reperiũtur, quot etiam vrsi? Tunc tibi calculando distribuam per singulos vrsos suas myriades. Ego quidem per agros innumerabilia formicarum agmina conspicio, vrsi in nemoribus non admodùm gregatim ambulant. Sed extra iocum, an nescis non omnium regionum vrsos hyeme latere? Scio in Germania, per niualia iuga homines venationi vrsorum media hyeme se dedere: vidi in hac nostra regione brumali tempore vrsos vagantes capi. Nec tu legisti apud Olaum, vrsos in Islandia albos piscium auidissimos esse, quibus tametsi gelu obstet, nihilominùs glaciem vnguibus adeò perforãt, vt ad ipsius aquę superficiem penetrent, in quam demersi pisces captant, tum in proprium, tum in suorum catulorum alimentũ. Si ergo gelu perforant, non dormiunt tempore hyemali. Deinde vt calculatio rectè fiat, debes considerare, vrsos sopitos iacentes non tanto egere cibo,

Lud. Viu. de tradẽd. discipl. lib. 2.

Plat. 7 rep.

Plat. 7 epinomide.

olaus l. 18. c. 20.

quanto

quanto indigent vigilantes, & exercitio se fatigantes. Vlteriùs, non solis formicis vrsos vesci, sed & sua ipsorum pinguedine, & cruditatibus in corpore aggeratis; Memineris, me in Tractatu de Asitia dixisse, abstinentiam asitorum non ad vnam duntaxat causam esse referendam. I nunc, & vrsini corporis molem augeto, formicarum numerum minuito, & in tua proteruia sustinenda satagito; quid efficies? prorsus nihil.

4 Tertiò fortiter in me arietas inquiens sic. *Sed non te docuit Scaliger, vrsos formicas ad medicinam deuorare, non ad alimentum?* Impudens interrogatio: neq; enim ego tanti facio Scaligerum, vt eum mihi eligam præceptorem; Tu, qui mastygis officio fungeris, protomastycem istũ tibi proponito imitandum, ab eoq; addiscito: à meo genio valde hoc æstrum abhorret. Sed quid ait iste Scaliger? nempe vrsos formicis vti ad medicinam; hoc tu poteras à Plutarcho, hoc à Plinio accipere, à quibus ille accepit. Cæterùm cum neq; Plutarchus, neq; Plinius negent, vrsum formicis etiam ad cibum vti, debuerat etiam Scaliger idem non negare. At non conijcienda est culpa in Scaligerum, sed in tuam proteruiam, quæ Scaligeri dictis abutitur: quippe non absolutè negat, formicas vrsorũ cibum esse, sed id quidem ad medicinam eos facere, suspicatur. Quod tibi nullo modo fauet: nam in primis (vt in hoc libro de alimento videre est) alimenta possunt esse medicamentosa, & sic vrsos formicis vesci, quibus non solùm alantur, sed ægritudini medeantur. Deinde miser Scaliger non sibi imponi sinit hanc sarcinam, quam tu illi imponere conaris: dum enim suspicari se, dicit, omnino scire negat: hæc namq; duo, suspicari, & scire distinguntur, vnde Cicero: *Scribe*, ait, *non modò siquid scies, aut audieris, sed etiam siquid suspicabere*. Tu verò tantum Scaligero attribuere videris, vt non solùm, quæ ille affirmat, affirmes, sed quæ suspicatur. Itaq; relicto Scaligero, Plinius, & ad medelam, & ad alimoniam formicas vrsis inseruire, narrat. Ad medelam quidem, vt cum ait *Vrsi cum mandragora mala gustauere, formicas lambunt*. Aliquando etiam non formicas, sed formicarum oua vrsis pro medicamento esse refert, inquiens, *Vtuntur, & per se ouis formicarum: namq; & huic animali est medicina, constatq; vrsos ægros hoc cibo sanari*. Alibi tamen manifestè ad alimoniam formicas vrsis tribuit: quippe agens de diuersorum animalium esca, hęc verba scribit. *Vnum animal digitos habentium herba alitur, lepus: sed, & fruge solidipedes, & è bisulcis sues omni cibatu, & radicibus. Solidipedum volutatio propria: serratorum dentium carniuora sunt omnia. Vrsi, & fruge, fronde, vindemia, pomis viuunt, & apibus, cancris etiam, & formicis*. Sunt ergo formicæ vrsorum cibus: quòd autem simul medela sint, non obsto: neq; enim hoc ad rem facit.

Scal. exercit. 216. art. 2. *Plut. de anim. cõpar.* *Cic. ad Attic. lib. 7.* *Plin. lib. 8. c. 27.* *Plin. lib. 29. c. 6.* *Plin. lib. 10. c. 73.*

5 Quarto loco irruis more solito in me ratione armatus ineptissima: ais enim sic. *Deinceps malè tibi reponunt naturalis historiæ textores formicas inter animalia solertia, & prudentia, vrsos inter non ita prudentia, si vrsi etiam dormientes venantur formicas, siq; formicæ sunt adeò stolidæ, vt vltro se se dedant in stomachum dormientis vrsi, aut sese capi sinant ab vrso dormiente*. Sic ais: sed heus tu formicas quantumuis extollito: Vrsos ne deprimito, aut stolidos esse putato: nam *leo rugiens, & vrsus esuriens princeps impius super populum pauperem*, inquit Salomon. At princeps impius astutię potiùs, quàm stoliditatis reus censetur. De formicis magnificè tibi sentire licet, quas Aristoteles inter ciuilia animalia reponit, & Cicero vlteriùs progressus, *in formica*, ait, *non modo sensus, sed etiam mens, ratio, memoria est*; quod tametsi hyperbolicè sit dictum (neq; enim mẽs, & ratio brutis inest) nihilominùs admirabilem huius animalculi prouidentiam manifestat. Cęterùm bruta quicquid agunt, naturæ instinctu agunt, non autem electione, quare licèt aliquod animal natura docente, circa vnum prudens sit, non iccirco in reliquis prudenter se gerit. Sic de fortitudine, & de alijs, quæ in homine virtutes sunt, in bestijs instinctus, dicendum est, e. g. leo fortissimus quidem est, atq; *hoc tale, tam seuum animal*, vt Plinius ait, *rotarum orbes circumacti, currusq; inanes, & gallinaceorum cristæ, cantusq; etiam magis deterrent*. Porrò solertia formicarum ad quærendum victum, non est argumentum solertiæ earumdem circa reliqua.

prouer. c. 28. n. 15 *Arist. de hist. anim. c. 1.* *Cic. de nat. deorum.* *Pl. lib. 8. c. 16.*

6 Sed non ne tuus Scaliger te docuit id, quod superiùs manet satis probatum, & à te, vt video, receptum, formicas, ab vrsis saltem ad medicinam capi? Cur igitur si solertes sunt, & non sinunt se capi ad alimentum, capi volunt ad medelam? hoc si sponte faciunt, pietati erit attribuendum, atq; ita nunquam hodie cessabis tuas formicas adeo extollere, vt Nestorem prudentia, Vlyssem solertia,

pietate

pietate superent Æneam. Idem etiam Scaliger Picos Martios, ait, exerta linguã quam quasi in vagina longissimam habent, atq; secundùm arboris truncum exporrecta formicas excipere. Quin etiã tu met ad variç lectionis ostẽtationẽ, vrsos formicarios, tu vrsus fornicarius, ais, ali formicis. Nũ formicæ versùs Picos Martios, versùs vrsos formicarios solidæ sunt, at versùs vrsos alios suã retinent solertiã? an potiùs tu in hac argumentatione tuã retines stoliditatẽ? Parùm versatus es, mi Satyre, in naturali historia. Putas ne, vrsos solertia carere? Philosophus, apud Maiolũ in vrso docilitatẽ, & industriã, piscandi admiratur: quippe sibi per summã industriã, & luctam victum parat ex piscibus. Tu luctã vrsi cum Bacalao pisce narras, quã scribit Petrus Martyr in itinerario rerum Indicarum Occidentaliũ: Sed nunquid, quia cũ hoc pisce luctatur, desinit etiam suo tẽpore formicas venari? O fatuũ caput. Eques apud eundem Simonem posset te docere, quomodò vrsi formicis victitent: *Immittunt enim longissimam, ac peracutam, quam habent, linguam in formicarum habitacula, quæ illæ conficiunt valde capacia, ad cuius humorem, frigiditatemq; illæ occurrentes adhærent: ipse autem ad se attracta lingua formicis onusta epulatur*. Deniq; ne tuç formicæ triumphent, scito ex iudicio Equitis apud Simonem, vrsis maiorem industriam esse, quàm formicis, idq; probat, quoniam licèt formicæ domos construant ad euitandam animalium hostilitatem præcipuè vrsorum, qui formicarij appellantur, vrsi per rimulas linguam immittunt, & formicas venantur ad pastum. Sed cur differentiam constituis inter vrsos, & vrsos formicarios, cùm omnes vrsi per ignauiam formicis alantur?

Sim. ma iol; in dieb. ca nicul. collo quio. 7.

collo. 5.

7 Quinto loco non magis scitè interrogas: *Quomodo dormientes vrsi, gliresq; sibi venentur formicas? quomodo formicas ex ore sibi trahant in stomachum? deglutitio, ductio ve cibi ex ore in ventriculum est actio voluntaria, nec nisi ab animaduertente, ac vigilante fit animali*. Vt huic interrogationi respondeam, multa tibi cognoscenda proponam, quç ex ipsa interrogatione te ignorare, comprehendo. In primis, venari non solùm est cursu nemorum saltus peragrare, sed etiam, quocumq; modo, etiam quiescendo, animalia captare. Hinc colliges, quietem, in qua vrsi, dum latent, viuunt; non impedire quominùs venationis munus exequantur. Deinde, bruta, quæ (vt dixi) naturæ instinctu aguntur, possunt, etiam dormiendo, propriç conseruationi inseruire. Hinc est quòd Scaliger relatus ab Andrea Laurentio, *Voluntatem duplicem statuit, alteram κατὰ προαίρεσιν, idest ab electione, quç vigilantibus nobis lucet, & in solis rationem habentibus reperitur, βούλησις dicitur: alteram καθ' ὁρμὴν, idest ab instinctu, quæ dormientibus nobis, & in brutis apparet*. Hinc addisces, posse vrsos dormiendo nutritioni operam dare. Tertio ex Aristotele, vrsi latent ad minimum dies quadraginta, ex quibus bis septem ita sopiuntur, vt se nihil moueant, reliquis posteà pluribus latent quidem, sed mouentur, & surgunt. Hinc etiam accipies, solos dies bis septem esse, de quibus dubitare possis, quia tunc non mouentur. Cæterùm, vt ab hoc dubio te absoluam, quarto loco tibi in mentem reuoco, in somno animalia non prorsus motu carere: nam & artus habent modicè contractos, & collum deflexum, quod sinè musculorum functione non fit, appellaturq; (vt iam me dixisse memini) motus tonicus: quare non est impossibile, animal hians dormire; & dormiendo linguam exertam habere. Præterea quemadmodùm si dormiens in brachio, aut crure pungatur, brachium, aut crus contrahit, neq; ideo expergiscitur, sic si linguam exertam vrsus habeat, & à formicis adhærentibus vellicetur, non experrectus linguam vellicatam contrahit, & innata doctrina formicas deglutit.

Satyri ignorãtia.

Arist. 8. de hist. an. c. 17.

8 Deglutionem tu iudicas impossibilem, quippe actio voluntaria est, *nec nisi ab animaduertente, & vigilante fit animali*. Hoc tu ita ais, nec vlteriùs penetras; Addisce tamen. Motus omnes, qui musculorum ope peraguntur, ab ea facultate prodeunt, quç à medicis animalis appellatur, huic duntaxat libertas attribuitur, ita tamen liberi sunt motus isti, vt possint etiam citra aduertentiam, hoc est citra actuale voluntatis imperium fieri; Cur ergo voluntarij, seu liberi appellantur? nempe quoniam à facultate libera fiunt, habentq; in se voluntatis imperium, siuè explicitum, siuè implicitum: explicitum quando præcedẽte electione mouemur; implicitũ quando, licèt non præcedat electio, possumus semper cũ libet operari; Exemplis hoc fit manifestum. Coctio est actio procedens à facultate naturali, & subinde necessariò agens: dicitur actio non voluntaria, quoniam in ea voluntas nullas habet partes, sed quoties obiectum habet præsens non expectans voluntatis imperium, agit. Nictatio, vt pote quç musculis peragitur, à facultate animali

Infra sect. 3. q. 24.

profluit,

profluit, & tametsi fiat sinè aduertentia, adest ei voluntas saltem implicita, quæ quoties palpebrarum musculis imperauerit, vt cessent à motu, aut motũ augeant, minuantuè, vel quomodocumq; mutent, obediunt. Vides hic actionem liberam, quæ tamen fit sinè aduertentia. Sed ad dormientes accede: an putas per somnum, cum non adest libertas, neq; aduertentia, non posse fieri actiones voluntarias? Id tibi probarem in dormientibus, qui respirant: verùm hoc alibi disputabitur, & seruus barbarus te docebit, posse respirationem intercludi, ac proinde voluntariam esse, ceterum dormientibus fieri. Sed quid magis voluntarium, quàm loquutio, & tamen loqui dormientes frequentissimum est? quid magis voluntarium, quàm ambulatio, & tamen noctambuli dormientes ambulant? Memini, me legisse apud Alemanum historiam cuiusdam, qui pharmacopæi seruus erat, & singulis noctibus dormiens surgebat, vt artem gladiatoriam exerceret. Alteram alterius, qui circa mediam noctem tabernam aperiebat, & adornabat, mox lectum repetebat. Parisiensis quidam gladio cinctus Sequanam tranauit, & dormiens eum, quem vigilans constituerat, interfecit. Theon, referẽte Rauisio, stoicus dormiens passim ambulabat. Pericles per somnum summa tecta ascendebat. Galenus, vt ipsemet narrat, stadium integrum dormiendo peregit, & perrexisset, ni in lapidem impegisset. Non ne inter tot historias poterit locum habere vrsus per somnum linguam exerens? Cum ergo verum sit, quod Aristoteles ait, somnum esse viuendi, & non viuendi interliminium, ita vt neq; omnino sit, qui dormit, neq; non sit, mirum non est, sensum, & motum somno aliqua ex parte ligari, non tamen prorsus impediri. Quare, tu qui actionem deglutiendi, quia voluntaria est, non nisi aduertente, & vigilante animali fieri dicis, considera in te ipso, num nictes, num tussias sinè aduertentia, num respires, num mouearis in somno.

Infra sect. 3. q. 24.

Alem. & Hipp. de flat.

Rauisius.

Ga 2. de motu musc. c. 4.

Ar. de gē. an. lib. 5. c. 1.

9 Sexto. Opponis, non posse *quotidie formicas ad quatuor vnciarum pondus sponte sese in ventriculum dormientis vrsi precipitare*. Cur quatuor vncias ais? nempe, quia ego, vt demonstrarem, non posse animal tot simul congestas habere cruditates, quot sufficiant ad vnius anni alimoniam, supposui victum vniuscuiusq; diei esse ponderis quatuor vnciarum: At ego id supposui, non affirmaui; Tu verò ignoras, quid inter hypothesim, & affirmationem intersit, & tamen in mathematicas te ingeris disciplinas, in quibus hypotheses crebrò demonstrationibus prestant fundamentum: hypotheses autem id, quod non est, supponunt, quasi sit. Dixi ergo, quatuor vncias esse portionem quotidiani alimenti, dic tu pro quatuor quadraginta, nec ita meam demonstrationem perturbabis: nam eadem proportio, quæ est inter quatuor vncias alimenti, ad quatuor gradus caloris, erit inter quadraginta vncias, & eosdem quatuor gradus. Non ergo si cerebrum haberes, id, quod suppositiuè dixi, affirmatiuè accipere debueras. Sed esto, accipito affirmatiuè: sint quatuor vnciæ alimenti necessarię pro qualibet die: non ne iam tibi dixi, occultam asitorum nutritionem non ad vnam duntaxat causam referendam esse, sed ad plures simul? Igitur ex cruditatibus, & pinguedine, & formicis conficies quatuor alimenti vncias, & sic non tot formicas consumes, quot consumendas fore putabas. Si ne adhuc acquiescis, & vis solas formicas pondo quatuor vnciarum vrso quotidie in escam esse omnino necessarias, eas præbeto; quid inde? deficient ne? vnde nam tibi hoc constat? quis formicarum multitudinem numerauit? aut quis in statera, quot in vniuerso sunt, formicas ponderauit; Exaggeras molem corporis vrsorum, & ego formicarum numerum. Vides ne, & agnoscis tuæ, inuectiuæ potiùs, quàm demonstratiuę rationis inanitatem?

Satyri ignorātia.

10 Non posse ais, formicas *Se se sponte in ventriculum dormientis vrsi præcipitare, potissimùm, si spumosa humiditate vescuntur, quæ residet in ore ventriculi*. Prius dixeras, non posse formicas ex ore trahi ad stomachum: quippe deglutitio est actio voluntaria: nunc addis, easdem non se posse præcipitare. Quis tibi dixit eas se se pręcipites dare? certè tu tibi hoc fingis, & meritò ridiculum esse, ais: ita est: ridiculum est, tuum inuentum est. Non se præcipitant formicę, sed hærent tamquam visco captę. Nec tu capere potes, quomodò vnciæ quatuor formicarum possint descendere ad ventriculum; Num adeò bardus es, qui putes omnes simul trahi? absit à te hęc stultitia: neq; enim totum id, quod ore accipimus, vno ictu simul deglutimus, sed partem post partem: ampla est oris, & faucium capacitas, angusta via, quę ducit ad ventriculum, nempe æsophagus.

Satyri stultitia.

11 Septimo, quasi me in contradictione reperiens, interrogas hoc modo. *Sed quomodo tu nunc id fateris* (nẽpe præcipitare se formicas) *qui superius, Chamæleonti ad aucupandas sibi formicas in escã, cõstituisti, opus esse linguę viscida humiditate illita, fortissimo solertissimoq; vibratu?* Duo in hac tua interrogatione, tibi solita vitia reperio: nempe mendacium, & praua logica. Quod attinet ad mendacium, tam mendax est, qui aliquid in referenda veritate omittit, quàm qui, quidpiam addit. Ego loquebar de Camæleonte, quem, aduersùs alios, negabam sine cibo viuere, & hæc verba apponebam, *Quorsum illi lingua est data, si asitus est, quam sesquipalmarem habet, in cuspide perforatam multo viscoso humore illitam, vt ex eius vibratu, & muscas, & scarabæos, & formicas, & alia insecta ad victum aucupetur, vibrat verò fortissimè, & solertissimè.* Sic scripsi: Sed tu cur formicarum duntaxat mentionem facis, muscas verò, & scarabæos, & alia insecta malignè omittis, sciens fortiore vibratu indigere Chamæleontem ad muscas, & scarabęos attrahendas, quàm ad solas formicas? Quis etiam tibi dixit, vrsos non vibrare linguam eo vibratu, qui sufficiat ad detrudendas formicas? Iam verò tua logica elucescit, dum argumentari vis ad hominem, & me conuincere meis ipsius dictis; Cogeris ergo sic argumentum conficere, Chamæleon linguam habens valde longam, dum vigilat, vibratu fortissimo attrahit scarabæos, muscas, formicas, & alia insecta, ergo vrsus dormiens ad attrahendas formicas fortissimo pariter, atq; Chamęleon vibratu indiget. Argumentatio qualiscumq; est, tua est.

Mẽdacium.

Error logicę.

12 Octauo, persistens in tuis interrogatiunculis adiungis sic. *Posterius an nescis formicas ali, non humore viscido, sed solidis, ac siccis frugibus, naturæ illarum sicciotis temperamenti familiaribus?* Hoc ne tuum posterius argumentum est? minimè: & licèt posterius esse dixisti, incessabili pruritu vlteriùs pergis. Sed vide, quid dicas; nunquam ne vidisti formicas in lacte, in saccharo, & rebus saccharo conditis, in melle, imò & in aqua submersas? quippe in hæc omnia, & alia quamplurima auidè irruunt. Cuperem prętereà scire quis te formicarum temperamentum quærentem decepit? Siccas esse ais, quo signo id agnoscas, non exhibes. Ego è contrario indicium tibi proferam, quo humidas esse suspicor: nempe quoniam à Plinio reponuntur inter animalia, quæ lunari imperio sunt obnoxia; inquit enim. *Iam quidem lunari potestate ostrearum, conchyliorumq; & concharum omnium corpora augeri, ac rursus minui. Quin, & soricum fibras respondere numero lunę exquisiuere diligentiores; minimumq; animal formicam sentire vires syderis, interlunio semper cessantem*; & alibi de eisdem, *Operantur, & noctu plena luna eędem interlunio cessant.* Quòd si Galenus canem, ait, comparatum cum formicis esse humidum, non propterea temperamentum absolutum, sed respectiuum considerauit; sic etiam hominem comparatione leonis frigidum esse dixit; nec propterea homo frigidum est animal. Sed tu vidisti in Indice Brasauoli, formicas esse siccas, & nihil vlteriùs quæsijsti.

Pl. lib. 2. c. 31.

Idẽ lib. 11. c. 30.

G. 1. de tep. c. 5.

13 Nono sic inquis. *Amplius ex formicarum esu, & coctu quotidiano: cur multa non generant excrementa glires, & vrsi primæ, secundæq; coctionis, quotidie per aluum, & vesicam egerenda?* In primis nemo tibi dixit, glires formicis ali: quam non esset, cur quęreres in illis excrementa ex formicarum esu; nihilominùs excrementa deponunt, dum latent: loca enim, in quibus latuerunt, excrementis repenta visuntur. Vrsorum latebras non mihi vidisse contigit, viderunt alij, qui excrementa se reperisse, fatentur. Tu autem, si hæc animalia, dum latent, excrementis carere contendis, aliquod profertò autoris fide digni testimonium. Cæterùm quia quæris, cur glires, & vrsi non congerunt, dum dormiunt, multa excrementa, responsio est in promptu, quia multùm non cibantur. Tu vis tempore somni, quo paucus est cibus, multa esse excrementa, hoc quidem peruicaciam sapit.

Satyri ignor.

14 Decimò tandem ais, Aristotelem meum hoc placitum destruere; *meum* vel imò multorum, quibus non videtur Aristoteles esse contrarius: quamuis enim dicat de vrsis agens, *Tempore sui latibuli hoc animal nihil edere certum est*, statim se explicat adiungẽs, *quippe neq; exeat*: insinuans non edere cibo à se quęsito: qui enim potest cibum edere, qui non potest cibum quærere? hoc tamen non tollit posse naturæ prouidentiam aliter ei subuenire. Quod verò addis: *Narrant, eius intestinum per inediam ita conuiuere, vt adductum prope cohæreat. Itaq; vrsum latebram egressum, primum herbam, Arum dictam, degustare, vt intestinum laxetur, & hiet.* Aduerte dixisse *narrant*, quasi ex aliorum relatu loquatur, nec sibi fidem

Ar. 8. de hist. anim. c. 17.

ex hoc

ex hoc aucupetur, deinde pauciſſimum alimentum, quod ſufficit ad vitam animali dormienti ſuſtentandam, in animali aliàs voraciſſimo, & inedia iure appellatur, & quaſi inedia quædam inteſtina contrahit, non tamen ita contrahit, vt mors inde ſequatur, & ſequi dixit Hippocrates iis, qui vltra ſeptem dies ſinè cibo permanentes contractione ieiuni inteſtini laborant. Tandem memineris, te aliquando, vt effugeres ſententiam ex libro de generatione animalium adductam, omnes libros de animalibus damnaſſe: cum tamen liber ille de generatione animalium, qui tibi nocebat, ab omnibus acroeumaticus, & legitimus cenſeatur; liber tamen de hiſtoria animalium, quo nunc armatus accedis, à pleriſq; exotericus, ſpuriuſq; iudicatur. Verùm tua doctrina ad libitum eſt fabricata. Et ſic omnia iacula, quibus in hac longiore cauillatione pugnaſti, ſinè cuſpide remanent; ad alias tranſeamus. *Satyri cōtradictio.*

Cauillatio Decimaquarta.

1 HActenus formicas aduerſus vrſos es patrocinatus; Incipis nunc vrſos, & glires patrocinari aduerſus homines. Quoniam verò dixi, hominē ſanguineū, valdèq; ſpiritale animal vrſis, & gliribus comparare, eſſe nefas, tu, vrſos nō cedere hominibus, ais, in copia ſanguinis, nec data corporis proportione glires, quos non concedere hominibus in vbertate ſpirituum, id apertiſſimè docere exiſtimas: quòd glires ſunt hominibus agiliores, mobiliores, ac velociores: hoc non aliunde prouenire reris, quàm è copia ſpirituum, quos Hippocrates cognominat impetum facientes. Bellè philoſopharis, mi Satyre, & cum in ſanguine, ac ſpiritibus nobilitas corporum conſiſtat, nobiliora conſtituis glirium, vrſorumque corpora, quàm hominum. Abeat Plutarchus cum ſuo Gryllo; Nemo te melius glires, & vrſos præferret homini. Recedat Galenus, qui hominis temperamentum medium eſſe dixit, inter reliquorum animalium temperamenta. Sanguinis temperamentum medium eſt, vbi ſanguis abundat, mediocritas temperamenti adeſt: hanc deinceps ex tua doctrina non homini, ſed gliribus, vrſiſq; admittam. Spiritale, ſiue ſpiritoſum appellant medici illud corpus, quod ſpiritibus redundat: erunt deinceps (te ſic decernente) vrſi, glireſq; ſpiritoſi, ſpiritaleſq; magis, quàm homines. Profectò Vlyſſes (te conſultore) Circen precaretur, vt eum in glirem, vrſumq; contempta humana figura, tranſmutaret. *Satyri error ē Philoſ. Pluta. an bruti quoque inſit ratio.*

2 Vnde nam probas, glires data corporis proportione, non concedere hominibus in vbertate ſpirituum? Id apertiſſimè docere ais, quòd glires ſunt hominibus agiliores, mobiliores, ac velociores, & hoc non aliunde prouenire affirmas, quàm è copia ſpirituum, quos Hippocrates cognominat impetum facientes. Benè quidē: ſed ſpiritus impetum faciunt, hoc eſt, impetu per corpus feruntur, non autem impetu corpora ferunt. Non ne tu infra ſomno ſpiritus augeri proclamas? *pa. 86.* at ſaltem in fine ſomni, ante quàm expergiſcatur, animal agile eſſe debet; Ego tamē video etiam expergefactum per aliquot tempus torpens permanere. Video redundante ſanguine redundare ſpiritus, & nihilominùs non agilitatem, ſed corporis grauitatem acquiri. Quid tu? putas ne ex duobus ſimul currentibus ſpirituoſiorem velociùs currere? ſi hoc ita eſt, metus ſpirituum copiam augebit, nihil enim eſt, quod magis velocitatem augeat, quàm timor: vnde dici ſolet, *Pedibus timor addidit alas*. Ego verò iam tua hac doctrina imbutus, cum araneas currentes conſpexero, ſpirituoſum animal eſſe cenſebo, & feles muribus ſpirituoſiores dicam: auiculas etiam caudam inceſſabiliter mouentes appellabo ſpirituoſas; Quid plura, pulices ſaltu agilitatem igentem præſeferentes, ſpirituoſiores eſſe dicam, quàm teſtudines.

3 De vrſis idem iudicium eſſe vis, & eis calidum tribuis temperamentum renuentibus omnibus, præcipuè Alberto Magno, iuxtà quem vrſus multum comedit, & parum coit: & iterum *concipiens enim vrſa propter frigiditatem ſuæ complexionis* &c. itaq; animal valdè frigidum, & pituitoſum ab omnibus ſtatuitur, quòd valdè craſſum eſt, & ferè immobile. Sed quid te impulit, vt diceres, vrſos calido temperamento eſſe præditos? quia nimirum *Animalia iracunda multo sāguine, ſpirituumq; vbertate redundant, cum ira ſit efferueſcentia ſanguinis circa cor, qui feruor non facilè concipitur, niſi in ſanguine ſpiritibus abundante: nam homines pituitoſi, & paucis ſpiritibus donati, non ſunt ad iram propenſi.* Hęc eſt tua ratiocinatio;

natio: & vt probes, vrsum esse animal iræ maximè obnoxium, imperas (& quidem extra rem) vt addiscam à Salomone, cuius præceptione *expedit magis vrse occurrere raptis fœtibus, quam fatuo confidenti in stultitia sua.* Vtinam, tu eadem addiscas aliquando, & confidere desinas in stultitia tua. An putas rectè probari, animal esse iræ obnoxium ex eo, quòd raptis fœtibus irascitur? Sed quod nã quæso animal adeo mite est, vt rapta prole, in iram non rapiatur? Homo animal mite est, at ei prolem ne rapito: sæuiet plus, quàm bellua. Meliùs, vrsi iracundiam à Martiali, sic canente, addisceres.

——rabido nec perditus ore
Fumantem nasum viui tentaueris vrsi.
Sit placidus licèt, & lambat digitosq; manusq;,
Si dolor, & bilis, si iusta coegerit ira,
Vrsus erit; vacua dentes in pelle fatiges.

Ceterùm cum ex iracundia redundantiam sanguinis, & spirituum colligis, ex eadem temperamentum calidum colligas, necesse est. Verùm quamuis dictum *G. quod animi mores in fine.* aliquando sit à Galeno *calida intemperies iracundos facit, inde rursum iracundia ingenitum calorem accendit,* hæc verba exotica sunt: neq; enim in græco originali codice reperiuntur, & Galeno met aduersantur, nisi per iracundiam intelligas iram cum animositate coniunctam, qualem ille attribuit leonibus, quibus vrsi *Plin. l. 8. c. 36.* frustra comparantur: quippe, teste Plinio, *inualidissimum vrso caput, quod leoni fortissimum.* Aduersaretur, inquam, sibi Galenus, si dum iracundos fieri à calida intemperie dicens, iracundos sumeret, vt tu vis, pro in iram propensis, qui tamen *G. 1. epid. sect. 2. cõ. 78.* alibi ὀξυθύμους iracundos θυμώδεσι iratis opponit, quòd θυμώδεες ἄνδρες sint virili animo, & rerum humilium contemptores; At ὀξύθυμοι μικρόψυχοι, neq; generoso, aut virili animo præditi: eius hæc sunt verba, *Reliquum est de iracundis, hoc est, ὀξύθυμων, vt agamus, quos maximè contrarios, ait* (nempe Hippocrates) *esse iratis, id est, θυμώδεσι: magnanimi enim irati sunt, & humilium rerum contemptores: contra iracundi pusillanimes, quod generoso, viriliq; animo, non sint. Quare iracundi temperamento frigidiore erunt, vaporesq; digerent difficulter.* Hoc vrsis quadrat, & sic eorum iracundia non facit, vt non sint frigidiore præditi temperamento. Sed relinquamus hęc: nam stultum quidem est, belluarum syluestrium feritatem ad sanguinem, & spiritus referre. Num feles domestici, qui, si ad campum exeant, syluestrem subito naturam induunt, dicentur in campo, & nemore, simul cum feritate, sanguinem, spiritusq; acquirere?

4 Sed tu ais, iram esse sanguinis efferuescentiam circa cor, qui feruor non facilè concipitur, nisi in sanguine spiritibus abundante; quare parum abest, quin formicas, quibus sua bilis inesse dicitur, sanguineas etiam facias. Non quia paucus sanguis, aut quid sanguini proportione respondens circa cor efferuescit (potest namq; ex innata feritate circa cor efferuescere, & nihilominùs in toto corpore non superabundare, vt plerisq; accidit animalibus nemora incolentibus, quorum feritas, non sanguinis abundantia irarum causa est) non inquam, statim dicemus animal, cui hoc contingit, esse sanguineum; neq; ab spiritibus ebullitio fit: quippe ebullitio à calore præternaturam fit, quo dominante putredo adest, & spirituum lancinatio; Aliàs quò spirituosior sanguis esset, eò magis febri synochę ex sanguinis putredine, cũ qua ebullitio est, excitandę esset paratus. Tua isthęc dogmata, nec medicum sapiunt, nec philosophum; Non medicum, quia ignoras, quid sit sanguinis ebullitio, eamq; ab spiritibus fieri autumas: non philosophum, quia agrestem naturam, & efferatam cupiditatem sanguini, pla*G. quod animi mores* cidissimo humori, attribuis. At ego hactenus Galeno acquiescebam, qui sanguinem, ait, stoliditatis causam esse, iracundiam frigiditatis effectum. Deinceps recedam ab hac sententia, & tibi adherebo, qui iracundiam caloris sobolem esse ais, & feritatem sanguinis. Vide quò me tua deduxit cauillatio.

Cauillatio Decimaquinta.

De Astia c. 13. 1 VRsis, & gliribus vigilantibus, dixi, paucos inesse spiritus, dormientibus ferè nullos: pauci, inquam, vigilantibus insunt spiritus, quippe animalia sunt cruditatibus scatentia, vt indicat ad somnum, etiam cum non latent, propensio, & corporis habitus ferè leucophlegmaticus adeò, vt vrsi informes

nascantur:

nascantur: vtraq; verò animalia à Solari conditione valdè distant, & vt Sol spiritus fouet, sic solis absentia eosdem germinare vetat. Si igitur pauci his animalibus, dum vigilant, spiritus insunt, dum dormiunt, pauciores inesse debent. At paucis pauciores cum sint, meritò ferè nullos reputabimus.

2 Assem para amice lector, Satyrus comœdus in scena adest scurram agēs, atq; ironicè. *Næ scitè somnus à poetis morti comparatur, qui tibi vitales spiritus extinguit.* Mirabar quòd iamdudum à falsidicis fallacijs abstinebas, sed non potuisti non redire ad priscos mores, & mendacijs rem meam dilacerare. Vnde nam colligis, me dixisse somnum vitales spiritus extinguere? num quia dixi, dormientibus spiritus ferè nullos inesse? At ego in primis de vitalibus nihil dixi, animales verò non dixi dormientibus extingui, sed dormientibus ferè nullos esse, nempe quia vigilantibus extinguuntur, dissipantur. Nonne tu inquis, *Somnum datum esse singulis animalium, ad refectionem spirituum in vigilia dissipatorum?* An ignoras differentiam inter efficientem causam, & finalem? Quid effecit, vt spiritus ferè extinguantur, seu dissipentur? vigilia: quod tu volens, nolens fateris: ergo vigilia est extinctionis suo modo causa efficiens, dico suo modo, quia extinctio est quid priuatiuum, quod propriè causam non habet: restauratio verò spirituum est, causa finalis somni. Cum igitur inter somnum, & vigiliam vicissitudo insit, si vigilia spiritus absumit, necessarium est, vt somnus accedens, corpus accipiat spiritibus vacuum. p. 16.

3 Rectè cum medicis, & philosophis arbitrabaris somno spiritus non extingui; Sed quis te ab hac sententia deuiauit? num quia est vera? Ego quidem non tibi occasionem præstiti aliter sentiendi, neq; de extinctione spirituum à somno facta aliquid dixi: quare per me non est, cur à medicis, & philosophis discedas. Rectè etiam ais, spiritus somno à corporis ambitu, & circumferentia, vbi sensibus, & extremarum partium motui deseruiebant, concentrari, non (vt tu putas) ad coctiones promouendas: quamuis enim *somnus concoquit*, (vt Galenus ait) nihilominus id accidit, quoniam quies, & concentratio caloris, quę duo in somno fiunt, conferunt ad coctionem; Cæterùm finis, ad quem directè spirituum retractio dirigitur, est restauratio ipsorum. Nam coctio per somnum semper fit, retractio verò spirituum non semper, sed quando ob fatigationem somnus aduenit: tunc enim spiritus, qui pauci ex dissipatione remanent, retrahuntur: ad cerebrum animales, ad cor vitales, vt in his officinis restaurentur. Quando verò somnus fit ob ascensum vaporum ad caput (quippe, vt ait Aristoteles, *Non est somnus impotentia qualibet ipsius sensitiui, sed ex vaporatione circa alimentum passio fit hæc*) tunc non retrahuntur spiritus, sed impeditur eorum influxus. G. 2. meth. c. 3. Arist. de som. & vig. c. 3.

4 Itaq; quando spiritus per somnum concentrantur, retrahuntq; se ad suos fontes, paucitatis suæ remedium quærunt. Neq; tu ex meis dictis colligere poteras, me velle, vt ex somno spirituum dissipatio (quam tu extinctionem vocas) sequatur: potius colligeres, ex spirituum dissipatione sequi somnum. Etenim cum dico spiritus dormientibus ferè nullos esse, malignum est id accipere, quasi dicam, dormientes efficere, vt spiritus sint ferè nulli. Sed meliùs ideo sunt dormientes, quia eorum spiritus sunt ferè nulli. Et ita extincta manet cauillatio, qua extingui à somno spiritus vitales me dixisse, dicebas.

5 Sed dic quęso, vnde nam aduenit expergiscendi occasio? Si Aristotelem consulas, qui somnum redundantiæ vaporum tribuit, ille te docebit, tunc fieri, vt animal expergiscatur, *Cum discretus fuerit corpulentior sanguis, atq; purior.* Si adire libet alios, qui ex dissipatione spirituum somnos conciliari dicunt, respondebunt expergisci animal, cum spiritus sunt omnino restaurati. Vt iam hinc addiscas, cum somno simul esse paucitatem spirituum, quæ paucitas, si in abundantiam conuertatur, non ampliùs somnus durat, sed abit in vigiliam: atq; hæc est vicissitudinis causa. Quòd autem restauratis spiritibus somnus desinat, & vigilia incipiat, ostendunt expergiscentium pulsus, quos Galenus ait esse *Magnos, vehementes, celeres, crebros, & cum quadam vibratione.* Sic ille, qui meam sententiam confirmat inquiens, *Nam cum indigeat, simulq; desideret naturalis animantium calor copiosam humiditatem, ideoq; in viscera conueniat, & ventrem, fit somnus, qui simul atq; ea fruitus est, vt naturalem suam qualitatem recuperauerit, expergiscuntur.* In his verbis comprehenditur & finis, ad quem dirigitur retractio caloris, nempe, ad sui refocillationem in humido, & vigiliæ causa effectrix, nempe restauratio, qua data somnus abit. Arist. de som. & vig. c. 6. G. 3. de cau. puls. c. 10.

6 Deinceps dic mihi, non ne tu admittis, in somno spiritus abesse à sensus, motusq; organis? non ne pars maior membrorum nostrorum hæc organa comprehendit? Iam ergo per somnum maior pars corporis spiritibus ferè caret. Et quomodò meliùs possumus defectum animalium spirituum agnoscere, quàm ex animalium actionum impotentia? somnus enim, licèt non sit quælibet impotentia sensitiui, vt Aristoteles ait, quippe amentiã, & animi defectũ facit huiusmodi impotentia, licèt, inquam, non sit quælibet impotentia, est tamen quędã impotentia; At omnis impotentia paucitatem arguit spirituum. Sed quid plura? non ne tibi Aristoteles somnum epilepsiæ comparauit? nempe quia ad caput delati vapores reliquum corpus deserunt. Quare tu stultè putas, ex solo corporis ambitu, & circumferentia calorem, & spiritus concentrari. neq; enim solùm concentrantur ex hac tertia regione, sed ex secunda etiam, quæ carnes comprehendit; Vnde Hippocrates *Labor articulis, & carnibus, somnus visceribus*, quippe calor solùm primam regionem, nempe viscera per somnum occupat. Labor autẽ, seu vigilia occupat articulos, & carnes; quòd si articuli, & carnes in somno spiritibus destituuntur, benè colligimus, & spiritus tunc esse paucos, qui non sufficiunt exteriora, & interiora simul occupare. Hoc meliùs intelliges ex Galeno, qui quando dixit *somnus concoquit*, adiunxit, *vigilia digerit*, insinuans dormientibus, calorem in visceribus, seu in officinis coctionum inclusum coctionibus incumbere: vigilantibus autem sparsum per vniuersa membra concoctum alimentum distribuere: sic enim verbum *digerit* intelligere oportet, quamuis apud barbaros digestio, & concoctio pro eodem sumantur. Admonitus hinc remanes, ne falsò mihi attribuas, quæ ego ne somniaui quidem: nempe à somno spiritus vitales extingui; Ferè nullos esse dixi: sed quòd ita pauci sint, vigiliæ dissipanti debetur; quòd in fine somni sint restaurati, somni beneficio est factum. Quòd tandem me indignum putas, qui medicinam, vel doceam, vel faciam, siquidem ex mea doctrina colligitur, ægrotis, dum inopia spirituum languidas vires habent, vigilifera præcipi remedia, hoc totum tuum est, neq; alius erit, qui tale quidpiam colligere quidem possit: sin minus hanc collectionem ad syllogismum reducito, fietq; huiusmodi. *Vigilantibus pauci insunt spiritus, dormientibus ferè nulli:* Hoc antecedens est meum: ergo *ęgrotis, dum inopia spirituum languidas vires habent, vigilifera conueniunt remedia*; Hoc tuum est consequens, ab alio consequente iam priùs facto deductum: nempe dormientibus ferè nulli insunt spiritus, ergo spiritus à somno extinguntur. Quòd idem est, ac si diceres, pauper ferè nullos habet nummos, ergo nummi à paupere absumuntur; Apage cum tua ista logica.

Ar. de som. & vigil. c. 4. *Arist. ibidem* *Satyri stultitia.* *logicæ error.*

7 Timebas dormire, ne somnus tibi extingueret spiritus: Iam deinceps meis monitis securus poteris totis dormire diebus: Bacchus amat somnos. Mycerinum verò Ægyptium si non imitabere in eo, quod ex noctibus dies faciebat, at certè in alio poteris eundem imitari, quòd scilicèt ille ad oraculum contumeliosas misit querimonias.

Herodot. in Euterp.

Cauillatio Decimasexta.

1 Effluxus propter cutis densitatem, substantiæ crassitiem, caloris paucitatem non fieri dixi, & multo magis propter exercitij defectum. Hic nullum videbatur tua procacitas habere locum. Nihilominùs, cum nihil nouum reperias, tibi accommodas parœmiam, quæ habet *Sicut canis reuertitur ad vomitum suum, sic imprudens, qui iterat stultitiam*. Itaq; (quod iam sæpe fecisti) me increpas, quia pro caloris debilitate caloris paucitatem dicam. At ego nolo tuas nugas imitari, iam bis superiùs tibi in hac re feci satis. Nunc sufficit ad effluxus, de quibus hic loquimur, caloris naturalis substantiam, quantitatemq; requiri, non intensionem qualitatis: quippe calor naturalis nullam tolerat vltra consuetam intensionem, imò si aliquantulum intendatur, iam naturalis dici nequit, sed præter naturam. Hoc latissimè docet Galenus, quem adire oportet, vt tibi hanc nubem eripiat. Ego ad cauillationem istam nihil aliud dicam, nisi licere quidem nobis paucitatem caloris dicere, si multitudinem è contrario licet. Hippocrates igitur, qui abundante calore innato dixit plurimum calidi innati, nobis permittit, vt eodem deficiente paucum eiusdem dicamus. Iam verò cum dicis vrsis, &

Adagiũ *Supra sectione 1. q. 4. art. 11. n. 9. & sect. 2. cauill. 5. n. 7.* *G. 1. aph. 14.*

gliribus, dum latent, non hebetari caloris natiui robur, impropriè valde loqueris: robur enim non hebetatur, sed debilitatur, & sic, vel inuitus, tu, qui debilitatem caloris dici posse negas, incidis in foueam, quam parasti. Probas ergo, non hebetari calorem, quia hęc animalia pinguescunt; sed iam superiùs tibi dixi, pinguedinem fieri occurrente materia membris frigidis, & ibi concrescente: cum igitur substantia, quę foràs effluere deberet, subtus cutem propter densitatem retineatur, ibiq; concrescat, pinguedo fit: neq; tu, qui Aristotelis testimonio vteris, mihi vnquam monstrabis, vbi nam ille ab acutie caloris, dixit, pinguedinem fieri, à caloris hebetudine eandem prohiberi. Tandem, quod ais, ex Galeno nullos fieri influxus; nullumq; alimentum forinsecùs assumptum necessarium esse, iam tibi ad hoc respondi superiùs; Nunc autem satis est, alimentum, si non forinsecùs assumptum, saltem interiùs præparatum nutricationi inseruire, vt sic tuæ feriæ animæ altricis non ampliùs sint feriæ, sed labor. *Satyri lapsus.*

Cauillatio Decimaseptima.

1 *VIrtus animalis, cum non fatigatur, nullum postulat subsidium.* Hęc mea verba tu, quasi vnus è plebe interpretaris: neq; existimas, posse animalem facultatem fatigari, nisi per lassitudinem non spontaneam, hoc est labore comparatam: siquidem ais, virtutem animalem fatigatam non subsidium sibi comparare ex alimentari materia semper, ac propriè, sed ex quiete; rationem adiungis in hunc modum. *Nam hac sola* (nimirum quiete) *citra nutrimentum, fatigatus homo, ex violento motu refocillatur, & vires sibi resumit.* Ne, quęso satyre, extra chorum saltato; Ego loquor de latentium animalium animali facultate nihil tunc fatigata, tu verò de homine fatigato; ego dico latentia animalia, quia eorum facultas animalis non fatigatur, non indigere subsidio: tu ais, hominem fatigatum ex violento motu quiete refocillari, & vires sibi resumere.

2 Conueniamus ergo in aliquo, ac saltem in hoc. Actionum animalium, hoc est sensationum, motionumq; assiduitate, quę vigiliæ tempore viget, spiritus animales dissipari, earundem actionum cessatione, quę in somno contingit, non contingere horum spirituum dissipationem. Conueniamus rursus in alio, videlicet spiritus istos animales refici ab spiritibus vitalibus. Hactenus nihil contra tuam mentem est assertum. Ais deinde, *spiritus vitales in corde, & arterijs gigni;* Gignuntur quidem in corde, & in arterijs, idq; Galenus pluries repetit: Sed spiritus isti vitales, dum reficiunt animales, non ne absumuntur? quis dubitat? imò tu ais, vitales mutari in animales: si mutantur, iam deperduntur. Igitur dum tu vis, animalis facultatis refocillationem sola quiete moliri, necessariò fateri debes, hanc quietem fieri restauratione spirituũ animalium, & aliqua deperditione vitaliũ. Cæterùm si in ista quiete deperduntur spiritus vitales, refice eos mihi. Tu reficis ex duplice materia, *Ex inspirato aere, ac humorum halitu, vaporeq;* & sic putas, virtutem animalem fatigatam posse refocillari absq; alimento forinsecùs assumpto. Sed non ne aer est forinsecùs assumptus? hoc non negabis: negas tamen, esse alimentum: vide quid dicas: nam magnus senex te verberabit, cui placuit dicere, in hoc libello de alimento, *Principium alimenti os, nares, & alia respiratio:* & alibi sæpe, spiritus nutriri ex aere, nobis tum ipse, tum Galenus inculcat. Tu verò inquis, non esse propriè nutritionem: Hoc autem quid ad rem, de qua agimus? non ne est satis dari forinsecùs assumptam substantiam, quę reficiat spiritus animales, & subinde virtutem animalem? Alteram materiam vitalium spirituum dicis esse humorum halitum, vaporemq; Humorum nomine puto, te velle intelligere sanguinem: Nam sicut, autore Galeno, *Spiritus animalis exhalatio est sanguinis benigni,* non est cur vitali etiam hęc dignitas denegetur. Cęterùm si ex humorum, hoc est, sanguinis vapore spiritus vitales fiunt, non ne in hac fabrica spirituum vitalium ad refectionem animalium, sanguis deperditur? maximè: nam cum sanguis debeat suppeditare vapores, eos ex sua met substantia exhaurit. Habes igitur, fatigata virtute animali deperdi animales spiritus, qui, cum à vitalibus restaurentur, oportet, vt vitalium materia adsit: hæc, cum sit vapor sanguinis, non potest suppeditari absq; sanguinis dispendio. At iam scis, sanguinis dispendium restaurari alimento. Et sic manet vana tua, vane Ligur, prosopopæia, qua intendebas probare, quietem sinè alimento sufficere ad restau- *G. de vsu pa. lib. 6. c. 16.*

rationem

rationem deperditi. Non ne tibi venit in mentem dictum illud Hippocraticum *Vigilia edax?* cur hoc ita fiat, accipe à Galeno iam superiùs citato: *Dissipat*, inquit ille, *insito calido, dum exterius emicat, secum haud exiguas corporis particulas edacente.* Hinc igitur intelliges, somno has particulas non dissipante, dormientibus non esse necessarium aliquod subsidium. Non prętereibo quod in fine ais: *Deficientes animo ex talium spirituum* (nempe vitalium, de his enim agis) *exolutione, ac penuria odoribus refici, citra veram nutricationem*; In quo duo continentur vitia: vnum fallacia, alterum falsitas. Fallacia, dum nutrimentum spirituum animalium vis subdolè spiritibus vitalibus tribuere. Quis vnquam te docuit, spiritus vitales odore nutriri? profectò duplex tantùm horum spirituum materia est, aer, & vapor sanguinis, nec Galenus vllibi tertium quidpiam adiunxit; deinde cogeris nobis demonstrare vias, per quas odores ex naso ad cor deducuntur, has, si demonstraueris, Christophoro Columbo te parem esse dicam. Falsitas autem in eo continetur, quòd quasi exultans, & contra me aliquid concludens ais, spiritus vitales refici citra veram nutricationem. At ego nutricationem ad spiritus gignendos requiro, vera ne, an falsa nutricatio sit, cum Hippocrate meo non curo, imò, & cum meo Galeno: quippe vterq; nutriri spiritus dicit; Verè ne, an non verè nutriantur tamquam hęc sit inepta cogitatio, non curant. Tandem quomodò gloriaberis de hac tua dictione? non ne te coegi dicere ad spirituum vitalium restaurationem, necessariam esse restaurationem sanguinis, ad restaurationem sanguinis requiri veram nutricationem? Abi igitur cum tua peruicacia, & cede rationi, cede veritati. Nam absq; sanguine nulla substantia secundùm naturam, siue sit spiritus vitalis, siue animalis, gignitur: ac proinde iactura, quam virtus animalis vigilando facit, dũmodò exigui temporis, & à leui causa nõ sit, necessariò alimenti subsidio indiget, quod de primo ad vltimum, vt logici loquuntur, probatur ita. *Spiritus animales dissipati restaurantur à vitalibus* (quod tu fateris) *vitales ab aere, & sanguinis vapore* (in quo similiter non discrepas) *aer, & vapor sanguinis forinsecus adueniens alimentum supponunt* (hoc tibi iam superiùs monstraui) *ergo spiritus animales dissipati forinsecus adueniens requirunt alimentum.* Quid tu? poterit ne tua obstinatio eò peruenire, vt huic argumentationi assensum neget? Si ita faceres, in te prouerbium iactaretur quod M. T. in Cn. Plancum iactatum fuisse narrat. *Non poteris perire, nisi tibi frangantur crura.* Sed age, persiste adhuc: nam te in tua pertinacia volo. Assume aliquem, cui virtus animalis sit debilis. Verùm heus tu memineris, virtutis animalis nomine & sensitricem, & motricem comprehendi. Describat igitur tibi hanc virtutem animalem Hippocrates. Sit homo, qui prę huius virtutis debilitate, quo ad sensum vix videat, vix audiat, cui oculi peruertantur, & deniq; obtutus squalidus, & sine splendore sit, quoad motum etiam supinus decumbat, & deorsum dilabatur ad pedes: Ecce tibi virtus animalis debilis: iube, vt ab alimenti subsidio caueat, & tuo consilio sola quiete restauretur. Benè actum est, quod nec medicinam doces, nec facis: etenim iste, cui ita consuleres, miserior esset in abstinentia à te imperata, quàm in morbo ipso. Apage consilia ista tu tibi assumito, ne alijs prębeto.

Supra sect. 1. q. 9. art. 4. n. 9.

duo Satyri errores.

M. T. philip. 13.

Hip. 1. prog.

Satyrus neq; medicinã docet, neq; facit.

Cauillatio Decimaoctaua.

IAM tibi dixi, animalia sopita, hyemis tempore, neq; sensu, neq; motu fatigari, ac propterea pauco alimento egere, vt pote quæ, iuxta facultatem animalem ferè nihil deperdunt, & subinde ferè nullam animalium spirituum restaurationem expostulant. Deinde, vt per reliquas facultates discurrens paucam deperditionem, paucamq; refectionis necessitatem ostenderem, accessi ad vitalem, & dixi: *Vitalis cum non ignescat, non requirit materiam*: nempe, quia dum hæc animalia mortuis similia iacent, neutram ex duabus causis, quæ spiritus vitales ignescere faciunt, habent: eæ sunt ira, & labor; Loquor de corpore sano, vnde Auicenna, quando definiens febrem ait, *Febris est calor extraneus accẽsus in corde &c.* in fine definitionis adiungit: *non sicut caliditas iræ, ac laboris, cum non vltimatur*: quia scilicet cum caliditate iræ, ac laboris potest corpus remanere intra limites sanitatis, licèt pro tunc, præ calore ignescens. Porrò animalia latentia, nec irascendi, nec laborandi occasionem habent, & subinde eius virtus non ignescit, hoc est eius spiritus non dissipantur, non quidem dissipantur animales,

males, quoniam non adest labor, non vitales, quoniam ira non adest. Cum è contrario vigilantibus, & nemora & saltus cursu peregrantibus labor adsit, & virtutis animalis dissipatio: iisdem in viglia sæuientibus ira adest, virtutem vitalem, pre caumate, pessundans. Et sinè alia probatione dicat vnusquisq; mihi quando magis dissipatur, cum mouetur, & irascitur, an cum quiescit, & non irascitur? At animalia dormientia, & quiescunt, & non irascuntur. Hęc omnia manifestissima cum sint, non forent longa oratione pertractanda, nisi cauillator Satyrus in manifestissimis etiam cauillaretur.

2 Inprimis damnas loquutionem ita: *Vitalis virtus ignescens non aptè dicitur: quia qualitas est immaterialis, & animæ potestas, calori, & frigori recipiendo inepta: sed ignescere possunt spiritus illi virtuti subditi, ac ei ad operandum inseruientes, cum sint materialia facultatis instrumenta.* In primis te admoneo, vt tropologicam loquutionem damnare nolis: nam sic incides in indignationem non solùm rhetorum, sed omnium cuiusuis scientię professorum: imò, quod maius est nefas, sacra etiam videberis velle eloquia emendare. Adhuc nescis, per synedochen, contentum pro continente, & continens pro contento eleganter assumi? Ex tua hac censura sordescet nobis Virgilius, qui ait, *Iam proximus ardet Vcalegon,* pro Vcalegontis domo, scilicet contentum pro continente. Sed ne procul vagemur, spiritus vitales in se continent vitalem vim, posui ergo contentum pro continente. Si autem tergiuerseris adhuc, & animę facultatem nolis in spiritu contineri, hanc tibi posteà nubem eripiam: interim respondere volo iuxtà tuam dictionem; Non ne dicis, spiritus esse facultatis instrumenta? At & instrumentum pro re, cuius est instrumentum, accipitur, vt cum dicimus arma, & intelligimus milites; & vice versa res, quę instrumento vtitur, accipi solet pro instrumento. e. g. loquela est instrumentum, quo animi sui sensa homo patefacit, & nos dicimus audire hominem, cum tamen non hominem, sed eius instrumentum, nempe loquelam, seu voces articulatas audiamus. Verùm hæc quasi per iocum tibi sint dicta. Seriò loquor, si metaphoras odio habes, nihil te insulsius esse potest; Ignescere autem facultatem metaphoricè dicimus, sicut ignescere etiam dicimus iram, vnde Virgilius, *Ignescunt irę,* dixit: & Statius, *odia ignescentia.* Inuenies etiam apud Gellium *naturam igneam,* natura aliquem ignitum, & apud Ciceronem *igneam celeritatem.* Videris itaq; mihi durus, & imprudens arator, qui terram sulcans vomere, flores proscindit; Tu adeò grammaticam excolere te putas, & flores eloquutionis, hoc est, metaphoras euellis. Iam ergo me, quem tu fateris præstantissimum esse theoricum, non dedecet elegans isthęc loquutio, dedecet autem te intrusum grammaticum grammaticos flores pessumdare.

Virg. 9. Æneid. Stat. Theb. 11. Gell. l. 17.

3 Adiungis prætereà sic. *Deinde vitalis spiritus, ac si mauis virtus ignescens, non sibi postulat materiam alimentarem, qua feruor eius temperetur: nam vicissim ex vsu alimenti sanguis gignitur, cuius tenuior pars, & halituosa concedens in materiam generationis nouorum spirituum vitalium, vt ait Galenus, potius auget spiritus vitales, & robur virtutis vitalis, quàm eius vim minuat.* Sic tu, quem insanire autumo, dum hęc scriberes: etenim cum ego inquio, vitalem vim dormientibus belluis non ignescere, intelligo eas per somnum non suscipere igneam vltra modum naturam, qualis irascentibus adest, vt hinc demonstrem, naturam non ignescentem parum substantię absumere, ac subinde pauco indigere alimento. Tu verò aliorsum mentem obuoluens, putas, me velle feruorem ignescentis facultatis alimẽto temperare. Hoc tu tibi fingis: nam ego, ignescentem quidem vim alimento indigere, sentio: non (sicut tu vis) ad feruorem temperandum, sed ad resarciendum id, quod igneitas plus nimio absumit. Itaq; non nego, virtutem vitalem alimento roborari, neq; vnquam minui dixi, quod tu mihi falsò imponis. Cæterùm sicut ignis requirit materiam, nempe ligna, sic virtus ignescens materiam postulat, hoc est, alimentum: Ignescit vigilantibus, irascendo, currendo, & quomodocumq; aliter incalescendo, quare tunc calor auctus plus absumit materię, plus materiæ requirit; Ergo ex lege contrariorum, si sic accidit vigilantibus, contrarium accidere debet dormientibus, quo tempore nec animalia irascuntur, nec currunt, nec quomodocumq; aliter incalescunt, quare nec calor augetur, nec materia absumitur, nec restauratio postulatur, quod mihi probandum incumbebat.

Satyri mendacium

4 Pergis aliam afferens argumentationem in hunc modum: *Cæterùm feruor partium vitalium, & virtus, ac spiritus vitalis ignescens mitigatur, ac temperatur ab*

aere in pulmones inspirato, non à cibo, & potu in stomachum ingurgitato: respiratio-
Menda-ne, non nutricatione. Gratis à te hoc dictum est, qui gratis effutire soles. Num
cium. ex meis verbis colligis, mihi in animo esse, temperiem ignescentis virtutis vitalis, aut spirituum, alimento moliri? Dixi, vitalem virtutem, cum non ignescat, non requirere materiam, quia pauca est, quam absumit, non autem non requirere materiam, qua temperetur. An ego ex tua inscitia pœnas debeam reportare?

5 Subsequitur alia argumentatio, quæ eadem est cum precedente, atq; ita mi ingenij fœcunditas innotescit. Dixisti, feruorem partium vitalium, & virtutem ignescentem mitigari aere inspirato, non alimento ingurgitato; Pergis aiens, vrsis, gliribusq; feruori partium vitalium compescendo tribui à natura inspiratum, transpiratumq; aerem. At iam tibi dixi, hoc nihil facere ad rem: quippe aliud est feruori cordis compescendo datum fuisse aerem, aliud feruorem cordis accidentaliter auctum plus solito absumere, & propterea alimento plus solito indigere.

6 Sed volo, vt tui te glires, vrsiq; vorent. Suppono ante omnia, respiratione non solum refrigerium, sed nutritionem spirituum haberi, quod Hippocratica lege sancitum, à Galeno recipitur. Agnosco igitur, quod tu vis, gliribus, & vrsis à natura respiratum, transpiratumq; aerem ad temperiem cordis datum fuisse. Agnosce inuicem tu, datum etiam fuisse ad restaurationem spirituum: quid ni? Hippocraticum esse dixi. Augeatur ergo aliquando respiratio: nempe quando animal pre caumate ab aliqua causa calorem inducente, ignescere dicitur. Cur augetur respiratio? nempe quia calor duo postulat: vnum est refrigeratio, quia spiritus incaluerunt: alterum respiratio, quia à calore aucto absumpti sunt magna ex parte. Igitur ad refrigerationem solus aer sufficit: ad restaurationem noluit natura prouida parens solum aerem sufficere, sed tribuit etiam sanguinis halitu, quod tu ipse superiùs es fassus. Quare animalia, quibus aucta est respiratio, auctum habent calorem, auctam spirituum dissipationem, ea sunt vigilantia; quæ verò mortuis similia iacent, nec habent occasionem ignescendi, ac proinde nec refrigerationem, nisi solitam, expostulant, nec alimentum, nisi solito minus. Hæc ego animalia hyeme iacentia, dixi, non esse comparanda cum hominibus asitis, qui vigilant, qui sentiunt, qui ambulant, qui solita negocia peragunt, qui passionibus crebris alterantur. Pateat deinceps tibi, facultatem vitalem per somnum non ignescentem præ ira, aut labore, non requirere multam materiam ad suorum spirituum restaurationem.

Cauillatio Decimanona.

1 ACcedo ad facultatem naturalem, in hac quoq; paucam alimenti necessitatem reperio: propterea inquio, *Naturalis, cum parum depascatur, pauci indiget cibo*: depascitur autem parum, quia, vt iam dictum est, pauca eo tempore fit substantiæ dissipatio. Tu cum hoc, quod verissimum est, nequeas impugnare, ad mendacia solito more te confers, aisq;, virtutem naturalem, quę est animę facultas, ac speciatim vegetatricis animæ potestatem, quæ corporis, & humidi substantifici conseruationi studet, non moliri ejus consumptionem, vt ego dico. Adeste veritatis cultores, vestram ego fidem imploro. Perquirite diligenter, an ex meis verbis elici possit, virtutem naturalem humidi substantifici
supra corruptionem moliri. Qua fronte, quæso, id, quod in fronte statim mendacium
sect. 1. geris, audes proferre? Virtus quidem naturalis, (quo nomine calidum innatum
q. 9. art. appellari posse iam superiùs demonstraui) depascitur, (& hoc, me dixisse, fateor)
2. cal. sed ita depascitur, vt suum pabulum non consumat, imò augeat: icciro Galenus
2. n. 9. non patitur, calorem naturalem *flammę* ignis comparari: *Nam quæ vnquam*
G. de *flamma,* ait ille, *materiam, cui indita est, auget? quæ materiæ potiùs alimentum assi-*
mar. cor. *milat, quàm sibi materiam,* & reliqua, quę prosequitur in hanc sententiam. Nun-
c. 3. quid apud te idem est, calorem naturalem depasci, & corruptionem moliri? sed cur tuum hunc lapsum mihi attribuis, inquiens, me hoc dixisse, quod ne somniaui quidem?

2 Deinde cauillationem superiùs allatam repetis: quippe me accusas, quod delinquam affirmans, *Virtutem naturalem indigere cibo: nam alimentum* (ais tu) *a natura datum est animantibus ad restaurandum corpus, non ad animæ facultatis*

virtutis

virtutis vè custodiam propriè: cum incorporea facultas animæ corporeo non egeat alimento. Iam tibi ad hanc fragilem cauillam, fragilemuè capillum, quo currentem nauem importuna remora putas posse retinere, factum est satis: Non virtus incorporea cibo sustentatur, sed corporeum virtutis instrumentum, hoc est calidi innati substantia. Addo nunc sustentari etiam animam, quatenus ex defectu cibi, humana, è corpore recedet, belluina euanescet. At tu ais, hanc non esse propriè custodiam: verùm quid ad rem? siue enim propriè, siue impropriè anima nutricatione custodiatur, satis est, quòd à nutricatione dependet; quorsum ergo proprietatem requiris, vbi improprietas non nocet? Vlteriùs tu quasi precariò concedis, vt virtutis naturalis nomine virium robur intelligatur, ego nihil tale petebam; Sed esto, quid inde? robur virium, ais tu, non depasci à calore, cum potiùs eo nitatur. At ego non dixi, virtutem naturalem (quam virium robur appellari posse vis) depasci à calore, sed tantùm depasci; est enim hæc naturalis virtus, siue hoc virium robur, naturalis calor, qui depascitur, & quemadmodùm, vt Virgilius ait, *Febris depascitur artus*, sic calor naturalis depascitur humidum substantificum, non tamen (quod iam te admonui) consumit illud. Itaq; semper aliquid furtim addis, vt si possis alios illaquees; cur addidisti, *Robur non depasci à calore?* nempe illud *à calore* hamus erat: nihil tamen es expiscatus. *Virg. 3. geor.*

3 Vlteriùs, calorem naturalem, inquis, esse, qui consumit, & depascitur corporis substantiam, non prout est instrumentum animæ, sed quatenus est elementaria qualitas. Hanc ego cauillationem satis superiùs destruxi: quære ibi responsionem: nam mihi statutum est eadem bis, quoad potero non repetere, quicquid mihi tuæ vanæ repititiones pruritum excitent. Sic etiam quod vltimo loco affers, & vt volumen excrescat, translata longa Galeni verborum serie dilatas, iam sæpe explosum est: quippe ego pauco alimento feras dormientes hyeme indigere, dixi, Galenus autem nullo. Defessus sum repetendo id, quod tu etiam aliquandò recipis, parum pro nihilo reputari, & multa esse, præcipuè apud medicos, quę, exigua cum sint, vocabulo priuationem inducente significantur; tibi nunc sit satis Manucodiata, quę apodos appellatur, cum tamen, saltem exiguos, habeat pedes. *sup. sect. 1. q. 9. citata.*

Cauillatio Vigesima.

1 Conclusi, & hanc ferè nullam cibi indigentiam, quam per singulas facultates discurrens euenire animalibus hyeme latentibus tibi demonstraui, efficere, vt meritò dixerim à brutis ad hominem exempla nihil conuenire. Bruta namq; à cibo abstinent, hyeme mortuis similia iacentia, tu verò asitos homines mihi constituis, qui tàm in calido, quàm in frigido aere ambulant, loquuntur, omnesq; actiones, præter vnam nutritionem peragunt. Respondes, te distinctionem fecisse, & vrsos, ac glires, aliaq; hyeme sinè motu iacentia animalia Timonis auię, & Lucomoriæ populis comparasse. Cicadas, Rhintacem, Chamæleontem, Haijt, & reliquas, quæ non minùs æstate, quàm hyeme ieiunium producunt, contulisse, cum reliquis æstate, sinè intermissione ieiunantibus. Tandem me increpas, quòd non animaduerterim, quæ duci possint à brutis ad homines abstinentes exempla, quę non.

2 Profectò hæc tua distinctio, seu hęc tua excusatio serò nobis accessit, neq; tale quidpiam ante accusationem excogitasti. Imò verò iam accusatus, quæ tua est vecordia, indistinctè in his Bacchanalibus superiùs loquutus es: neq; à brutis duntaxat, sed à plantis etiam exemplum ad homines duxisti, vt in cauillatione secunda adnotaui, & tu vide ibi, quàm pulchrè argumenteris. *pa. 78.*

3 Vbi nam ergo tuę tot cauillationes? dicam cum Quintiliano, inter ipsas ineptias euanuerunt, dum autē eas in tenues auras abire feci, satis multa attuli, quibus ea, quæ de animalium hyeme latentium nutricatione dicenda proposueram, adimpleui. Hoc tamen, citra controuersiam pro coronide, confirmare oportet: nempe frustra ab vna animalium specie ad aliam argumentum, vt aliquid persuaderi possit, accipi. Nam non solùm in ijs, quę cuilibet speciei peculiares sunt, sed in communibus etiam varios vnicuiq; modos tribuit natura. Quid communius, quàm generatio? in qua tamen animalia infinitè dissentiunt: quædam enim (vt ex Plinio elici potest) gignunt ex non genitis, alia nata nihil gignunt; Communissima *Quintil. l. 1. Plin. lib. 10. c. 68.*

munissima omnibus est vita, cuius tamen terminus his longissimus, illis breuissimus præscriptus est à natura: ceruis vita longissima est, (Plinij, & Aristotelis testimonio) animali, quod Ephemeron appellatur, (eisdem testibus) breuissima, adeò vt diem vnam non transcendat: nunquid ex isto, aut ex illis vitæ mensuram alijs facies animalibus? Sunt viperæ & colubri, quibus senecta bis in anno exuitur, nempe verno, autumnaliq; æquinoctio: quippe consentaneum est per id tempus vitæ nectare abundare, quod optimè annotarunt tum Iosephus Quercetanus, tum Abbatius; cuius rei signum depromunt ex eo, quod viperarum carne victitantes vitam producunt. Ego etiam hanc renouationem ex vitalis balsami abundantia oriri coniecturam facio, quod cerui, quibus, Plinio teste, vita centum transcendit annos, renouationem etiam annuam habent, saltem secundùm cornua, quæ non renouarent, nisi & materiæ abundantia, & formatricis facultatis vigor eis adesset. Quid ergo prohibet, reptilia multa, quibus vita adeò hæret, vt secta viuant, quadrupedum etiam aliqua, quibus crassamentum non facilè soluitur, posse absq; cibo externo perdurare? indurante scilicet magis brumali frigore crassamentum illud, quod soliditate sua sufficit ad plurium dierum escam, cum verò calore aduentante soliditas deperdi incipit, simul incipit magis dissipari, quàm antea, ac subinde alimentum deficere; Et in serpentibus quidem hoc apparet, quia per id tempus gracilescunt, in vrsis, & gliribus difficilior res est: siquidem ex disticho Martialis.

Plin. lib. 8. c. 32. Arist. de hist. an. lib. 4. c. 2. & lib. 6. c. 29. Plin. de ephemer. quod vocat hemerobion. l. 11. c. 36. Ar. de hist. an. l. 1. c. 5. & lib. 5. c. 19.

Tota mihi dormitur hyems, & pinguior illo
Tempore sum, quo me nil, nisi somnus alit.

Verùm hæc difficultas non caret solutione: tum quia pinguedo soluta, quàm concreta, maiorem occupat locum, & sic tumidius euadit corpus: tum quia sic soluta adeps ad extremitates transmittitur, exemplo est incipiens aqua intercus; tum deniq; quoniam id, quod toto illo tempore debuerat transpirare, impedita transpiratione, remanet subtus cutem. Quòd si hæc (quæ tamen ingenuo veritatis amatori arridebunt) Satyro meo non arrident, scio, illum Scaligero suo assensurum. Quemadmodùm ergo Scaliger, *Temperamentum*, ait, *tametsi comes est, atq; instrumentum quoddam ad viuendum, non esse tamen longæ vitæ causam, sed astra ipsa: etenim valde morbosa valetudine sexagesimum superasse annum vidimus*, ita mihi in proposita materia ad astra confugere licebit. Itaq; Scaliger ad longam vitam, ego ad vitam sinè cibo, astrorum influxus ambo requirere possumus.

Scalig. exerc. 275.

TEXTVS V.

DEstruit autem vtrumq; in tempore, & post tempus id, quod extrinsecus assiduò superingestum est, & per multum tempus omnibus mẽbris solidè implicatum est, & propriam quidem formã producit, priorem verò, aliquãdo autem, & priores destruit.

COMMENT.

NON mirum est, si expositores, in huius textus declaratione, (vt in pluribus alijs huius operis) varias arripiunt vias: obscuritas id facit. Cæterùm omnes probabilia afferunt, quod in re difficili est satis. Fracantianus colligat hanc sententiam cum verbis, quæ superiùs valde distanter scripta sunt: nempe *dissimilia facit*; Atq; putat hic vltimo concludi, cur & quando alimentum dissimilia faciat. Cur? videlicet, quia destruit tẽperiem, (quam formam ab autore censet appellari) & quandoq; etiam figuram, & alia, quæ ad temperiem sequuntur. Quando? *in tempore*, hoc est in prima coctione; *& post tempus*, hoc est in secunda, & tertia.

Cardanus ad proximè superiùs scriptam sententiam, respicit, & declarari, ait, in hoc textu duo genera alimẽti exilis: & corrumpi censet priorem formam, & illud, quod per longum tempus membris inhæsit: nempe per primam, naturale temperamentum, per secundam habitum acquisitum, *in tempore*, hoc est, dum apponitur, & assimilatur: *post tempus*, id est, post imperfectam assimilationem.

Vallesius vtrumq; intelligit, hoc est

partes

partes solidas, & partes molles; quas destruit sæpe cibus, qui superingestus est, facitq; vt partes formam ipsius cibi accipiant, & propriam, proprias vè deponant: *in tempore*, hoc est, dum corpus generatur, ac crescit, *& post tempus*, hoc est, in alijs ętatibus.

Cæterùm, quoniam qui scribit, suas merces exponit, vt inde lector, quod sibi magis placuerit, accipiat, licebit etiam mihi, quicquid circa hoc sum meditatus explicare. Duas ergo vias reperio, quę ad huius loci intelligentiam ducunt.

Prima autoris expositio.

Doctrinam continent hæc verba valde vtilem, & salutarem: nam vtrumque corpus, siue illud, quod ex alimenti dissolutione, siue ex vitio appositionis exile dicitur suscepisse alimentum, vtrumq;, inquam, destruitur ab assiduitate superingesti cibi: quippe corpus dissolutum, & tenuem victus rationem sequi solitum, à superingesto maximè læditur. Hinc est, quod, ex Hippocratis documento, in tenui victu ęgri delinquunt: quia scilicet hi exiliter victitantes, non tolerant errorem, si quando eum in victu largiore committunt: corpus autem appositionis vitio laborans, quid aliud ex superingesto cibo potest recipere, quàm auctas inflationes, & flatus? Hoc autē contingit *in tempore, & post tempus*, hoc est, quibusdam intra paucos dies, quibusdam, quibus robur est maius, post longius temporis spatium: quippe hi errores diuiùs tolerant, neq; ita citò destruuntur, vt debiles.

H. 1. aph. 5.

Vlteriùs transgrediendo, non solùm vbi dissolutum valde est nutrimentum, aut non debitè appositum, sed *Et per multum tempus omnibus membris solidè implicatum*, ea est vis superingesti cibi ad nocendum, vt etiā in his alitio superingestione ciborum, atq; etiam corpus iam alitum destruatur. Quod Hippocrates admonet, inquiēs, *vbi alimentum præter naturam, plus ingestum est, hoc morbum facit: ostendit autem sanatio.* Superingestionem intelligo, vel in qualibet comestione ingurgitationem, qualis in ijs, qui ex crebris compotationibus ęgrotāt, helluonibus natis abdomini suo, vel in pluribus comestionibus, sed intempestiuis, vt de Sileno narrat Hippocrates; quippe hi, ante quàm prior cibus concoquatur, alterum superinijciunt; sic quidam relatus ab Hippocrate benè pransus supercœnauit, vnde cœpit ægrotare.

Hip. 2. aph. 17.

Itaq; cibus propriam formam producit: nimirum licèt cibus, qua cibus est, patitur quidem à corpore, quod nutritur, & in corporis substantiam mutatur, nihilominùs superingestus præposteram efficit mutationem, hoc est, magis in causa est, vt corpus in naturam cibi assumpti mutetur, quàm vt cibum assumptum mutet. Nàm cibus multus affatim ingurgitatus, ob improportionem amittit nutriendi vim: cum autem eam amittat, iam non ampliùs est nutrimentum, sed alterans medicamentum, & sic formam suam, nempe accidentalem (de hac enim loquuntur medici) producit: e. g. Monachus ille, cuius historiam narrat Amatus Lusitanus, qui sibi à medico ad obstructionem curandam laudatas cappares assumebat, & existimans se quò plures assumeret, eò meliùs sanatum iri, ijs se ingurgitauit, à quibus humorē salsuginosum, & porriuirorem referentem contraxit, & stomachi erosiones, & insomnia patiebatur. Imò etiam aliquando non solùm formam suam producit, sed preæxistentem destruit: quia nempe cibus plus nimio ingestus adeò praua putredine corrumpitur, vt veneni vim subeat, quod helluonum repentini interitus confirmant.

Altera autoris expositio.

Postquam autor, tam in prioribus, quàm in posterioribus alimenti alterationibus, exile fieri alimentum, dixit; prosequitur nunc ostendēs, quomodò in vtrisq; fiat ex alimento noxa. *Destruit autem vtrumq;* id est, destruit vtramq; coctionem in tempore, & post tempus: nempe priorem *in tempore*; quia intra exiguum temporis spatium cruditates, & fluctuationes se produnt; posteriorem, *post tempus*; quia alimentum assiduè superingestū longitudine temporis suam noxam ostendit, quippe damna circa nutritionem non accidunt, nisi longo temporis tractu, & errorum assiduitate cōtracta. Hinc est, quòd ex vini potu, intra paucas horas æstuat ventriculus, & excandescit hepar. At post longum

tempus, ex assidua ebrietate ægritudines frigidæ, vt catarrhi, & paralyses generantur. Itaq; illa verba *assiduè superingestum est, & per multum tempus omnibus membris solidè applicatum est,* referuntur ad *post tempus*, hoc est, ad posteriores alimenti alterationes.

Destruit autem dupliciter, vel multitudine, vel prauitate: nam ex multa, aut intempestiua alimenti ingestione duo hęc damna proueniunt, plenitudo, & cacochymia. Quamuis enim hęc duo damna in prioribus coctionibus originem habeant, nos hic non consideramus locum, in quo fiunt, sed eum, in quo se produnt. Prodere autem se in vltima assimilatione manifestum est; Etenim in primis plenitudo tunc apparet, cum (vt Celsus ait) *Celsus* homo coloratior, & conspectior se ipso apparet: color autem, & splendor ad assimilationem pertinet. Hunc autem ruborem ex plenitudine procedere, plenitudinem ex superingesto cibo dixit Galenus his verbis, *Ga. 2. apl. 17.* *Si quis enim plus consueto assumpserit cibi, æquali autem prioribus, aut etiam minore vtatur exercitio, mox grauato corpore, cum rubore, atq; tumore venarum incipiat febricitare, non absq; ratione quispiam illũ ex multitudine febricitare existimauerit.* Quod verò attinet ad cacochymiam, ea in icterico apparet, cuius vitium etiam in colore, ac subinde in assimilatione est.

Porrò, dum autor ait, *& propriam quidem formam producit,* hoc referendum est ad plenitudinem, quæ & in rubore, & in grauitatis sensu se ostendit: sunt autem hæc duo propria idea redundantis sanguinis, neq; habitus iste plethoricus, in præsens est prauus, sed periculosus in futurum. Iccirco Hippocrates Athletarum habitum vocat eum, *qui ad summum bonitatis peruenit*, quem tamen periculosum esse censet, ac propterea præseruationis gratia (ne scilicet ex eo accidat ruptio, aut interceptio venarum) solueré statim iubet. Augetur autem in plenitudine sanguis, vel comparatione virium, vel comparatione vasorum; Vnde duas plenitudinis differentias, quo ad vires, & quoad vasa multoties agnoscit Galenus: cumq; vtraq; sit plenitudo, vtraq; sanguinis missione curatur. Cauere igitur oportet à Valleriola, qui plenitudinem quo ad vires medicamento purgante curandã esse censens, confundit hanc plenitudinem

cum cacochymia.

Cum autem adiungit: *priorem verò, aliquando, & priores destruit*, videtur respicere ad cacochymiam, quę, corruptio humorum cum sit, meritò dicitur priorem formam corrumpere, licèt autem cacochymia aliquando ex sola abundantia alterius humoris à sanguine accidat, scire expedit, humores à sanguine diuersos, siue corrumpantur, siue non corrumpantur, dummodò sanguinem superent, eum necessariò conspurcare, & ex consequente naturam, quę in sanguine consistit, corrumpere.

Destruit autem alimentum priorem, aut priores formas (semper autem accidentales oportet intelligere.) Poterit tamẽ aliquis dicere, si destruit, *obiectio* ergo agit, si agit, fungitur munere medicamenti, non verò alimenti, ac proinde non erit alimentum id, quod destruit priorem formam. Attamen respondendum est, medicamentum esse, quod magis agit, quàm patiatur, alimentum, quod magis patitur, quàm agat: neq; enim datur agens naturale, quod non repatiatur. Cæterùm Hippocrates ideo dixit *assiduò*, vt insinuaret, se de alimento agere: quippe medicamentum, non indiget actionis assiduitate, vt destruat, indiget tamen alimentum, quia parum est, quod agit. Nullum autem alimentum (ex Galeni sententia) adeò exquisitum excogitari potest, quod non aliquid etiam in nos agat. Igitur licèt insensibiliter agat, agit tamen, & ex pluribus minutis actionibus aliquid notatu dignum emergit. Hoc guttę lapidem excauantis exemplo demõstrari solet; demonstrat etiam quoniam, *G. 1. alim fac. 1.*

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi.

Demonstrat & Atheniensis vetula, quæ nutrita fuit cicuta, vt refert Galenus: & puella (vt Rufus narrat) veneno nutrita, vt Regem coitu necaret. Aliam fuisse (refert Rhodiginus ex Aristotele) veneno nutritam, quę educationis ratione venenosa euasit, & sputo, aut quouis humore alio perimebat appropinquantes. Porrò ex dictis duo se se offerunt trahenda in controuersiam; vnum, an alimenta immutent corpora nostra: Alterum, an venenum assiduè sumptum possit fieri innocuum. In vtroq; mihi cum Satyro pugna ineunda est. *G. 3. simpl. c. 17. Gal. Rhodig. lib. 18. c. 12.*

AN ALIMENTVM CORPORA nostra possit immutare.

QVÆSTIO SECVNDA.

1 SVperiùs cœpi dicere, alimentum non esse ab omni prorsus actione eximendum, nunc ex professo id prosequar, & quò se eius actio extendat, declarabo, & quicquid mihi obtrudit Satyrus, detrudam.

Argumenta pro parte negante. Articulus Primus.

2 CVM differentia inter medicamentum, & alimentum sit, quod medicamentum in nos agit alterando corpora nostra, alimentum verò patitur subeundo mutationem, & conuersionem in substantiam nostri corporis, quod Galenus expressit his verbis: *Nec minus diximus quatenus differat nutrimentum à medicamento: & quod nutrimentum vincitur, ac superatur ab eo, quod nutritur: medicamentum autem contra, ipsum enim vincit, ac superat corpus, cuius fuerit medicamentum; quippe cum vtrumq; referat ad aliquid notio.* Sanè iuxtà hanc doctrinam quęcumq; substantia, quamuis comestibilis sit, vim habet agendi in corpora nostra, secundùm hanc vim medicamentum, non alimentum censeri debet, & subinde alimento auferenda est vis agendi in nos, hoc est transmutandi aliquid ex nostro corpore: mutatio enim actio est. G. 5. simpl. c. 1.

3 Deindè, Si alimentum agit in nos immutando, agere debet introducendo suam formam, hic enim est agentium naturalium finis, vt scilicet passum conuertant in se ipsa, ac proindè assiduitate poterit homo se in alimenti, quo vtitur, naturam transformare; Hoc autem non accidit: neq; homo fit panis, aut alia quęlibet substantia ex ijs, quibus vesci assuescimus: non igitur tribuenda est medicamento agendi vis, ita nec immutandi corpora, quæ aluntur.

4 Tertio, si substantia nostri corporis, quæ in calido innato consistit, repatitur ab alimento, incipiet à prima statim origine hebescere, semperq; à principio declinabit, prioresq; ætates semper dilabentur in deterius.

5 Quarto: alimenta tam calida, quàm frigida, in hoc conueniunt, quod substantiam caloris augent, quòd verò frigida statim ac sumpta sunt refrigerent, calida verò calefaciant, id ratione medicamenti efficiunt, quod Galenus latè probat exemplo lactucę, & erucę: ergo non est, cur alimento, vt alimentum est, vim transmutandi corpora tribuamus.

Quæstionis resolutio. Articulus Secundus.

1 NON efficiunt ea, quæ superius allata sunt, vt negemus alimento vim immutandi corpora nostra; Nam cum alimentum, & id, quod alitur, conueniant in genere, hoc est, in substantia corporea, corruptibili, mista, cum insuper sit initio inter vtrumq; contrarietas, nempe dissimilitudo, (dissimilia enim contraria quodammodo dicuntur) non est, cur inter vtrumq; non detur vicissitudinaria actio; Præcipuè quia corpus, tametsi agentis munere fungatur, dum alimentum in se commutat, nihilominus dum alitur, subit vicem patientis. Deniq; alimentum aptum est agere; est namq; frigidum, calidum, humidum, siccum, nihil autem est, quod ei hanc actionem impediat: cur ergo non aget? Num quia, dum agit, alimenti vim amittit? At hoc meliùs in argumentorum solutione explicabitur; Sufficiat nunc scire, alimentum v. g. calidum sanguinem gignere calidum: si ergo aliquis nimis logica speculatione velit dicere sanguinem gignere quatenus alimentum est, calidum quatenus medicamentum, ego iam saltem obtinebo, substantiam illam, quæ nos alit, tunc dum alit, in nos agere, & nostra corpora immutare. Mirabiles quidem sunt effectus, quos ab alimentis in nostris corporibus produci videmus, in colore, in figura, in substantia, in animi moribus, & quod primo loco dicendum erat, in primarum qualitatum temperatura.

2 Quod

1. Aph. 16. 2 Quod ergo ad temperaturam spectat: Hippocrates *Victus humidus*, inquit, *febricitantibus omnibus confert, maximè verò pueris, & alijs, qui tali victu vti consueuerunt*. Hac sententia, quid aliud significat, nisi qualitates in nobis imprimi à victu, nempe in ijs, qui intemperati sunt, contrarias, vt reducantur, in alijs similes, vt conseruentur, ita tamen, vt quoniam facilis est ab optimi temperamenti latitudine lapsus, presto sint contrariç alimenti, quibus reductio, quoties opus fuerit, inducatur.

3 In colore mutatio difficilis est: quippe alimenti tinctura facile euanescit, & ab omni cuiuscumq; coloris cibo chylus in ventriculo fit albus, sanguisq; in iecore ruber. Cæterùm difficile dixi, non impossibile: nam quod attinet ad tincturam, licèt deperdatur, restitui quidem potest, quod agnoscunt spagyrici in extraenda tinctura corallorum. Quin & in corpore videmus ex oleribus gigni bilem viridem, quæ porracea solet appellari, & qui cibos multo croco conditos G. 3. de aliment. facult. c. 40. assumunt, vrinas reddunt croceas: & Galenus, *Vinorum*, inquit, *omnium rubra simul, & crassa sanguini generando sunt accomodatissima, vt quę minima egeant mutatione, vt sanguis fiant*; Iam ergo alitum colorem suscipit ab alimento. Quod si aquarum diuersarum vsu nonnulla animalia suos immutant colores, vt narrat Ar. de hist. an lib. 3. c. 12. Aristoteles, quanto magis vsu alimentorum? quòd si odorem, & saporem ex alimentis acquirunt animalia, quorum carnes comestæ saporem reddunt eius pabuli, quo victitarunt, quanto magis & color? Videndus est in hanc sententiam Ioannes Franciscus Picus Mirandulanus, qui plurimis exemplis colorum mutationes in auibus, & animalibus factas, tum ob pabula diuersa, tum ob alias externas causas, accumulat.

Ioan. Franc. Mira. in examine doct. vanit. gens. l. 5. c. 5. 4 Mutatio in effigie cum distinctione accipienda est: si enim loquamur de deformitate à causis morbificis acquisita, cum sanguis infectus ad faciem accedens pro alitione corruptionem affert, hęc quidem mutatio faciei possibilis est, imò & frequens; vt quando vel ex nimio febris æstu, vel ex longitudine morbi, vel ex causa aliqua procatarctica sanguinem, spiritusq; absumente inducitur facies cadauerosa, quam Hippocraticam appellant medici, quoniam ab Hippocrate eleganter fuit descripta; *Fuerit autem huiusmodi: nasus acutus, caui oculi, tempora astricta, aures frigidæ, contractęq; & fibræ earum versæ: & item cutis circa frontem dura, intenta, arida, & color totius vultus viridis, aut niger*. Facies ita descripta initio H. 1. prog. morborum acutorum absq; causa externa vigiliam inducente exitialis habetur; alioquin non adeo; est tamen faciei deformatio facta ob alimenti valde magnam dissipationem. Mutatur etiam facies per eum morbum, qui leucophlegmatia appellatur, in quo tument genę, & labra, & oculorum cauitates, perit splendor visus, & deniq; effigies adeo mutatur, vt miser ęgrotans vix à familiaribus dignoscatur. Sic etiam contingit lue venerea infectis faciem deturpari, sicut iuuenis à Fracast. Sypbil. lib. 1. iuxta finem. Fracastorio descriptam.

Nam nimium fidentem animis, nec tanta timentem
Inuasit miserum labes, qua sæuior vnquam
Nulla fuit, nulla vnquam alijs spectabitur annis.
Paulatim ver id nitidum, flos ille iuuentæ
Disperijt, vis illa animi tum squallida tabe,
Artus (horrendum) miseros obduxit, & altè
Grandia turgebant sæuis abscessibus ossa:
Vlcera (proh Diuum pietatem) informia pulchros
Pascebant oculos, & diæ lucis amorem,
Pascebantq; acri corrosas vulnere nares.

Et quę sequuntur, quibus pulchrè deformitas à sæuo hoc morbo inducta delineatur. Nec minus de formis fit vultus ab elephantiasi Græcorum, quę ab Arabum elephantiasi omnino differt, quippe Arabum in solis cruribus spectatur, Gręcorum in toto corpore, pręcipuè in ore, quod pustulosa illuuie prorsus deformatur, & absumitur. Has, & pleraq; alias figuræ mutationes à prauitate alimenti euenire, vsitatissimum est.

5 Cæterùm si figuræ mutationem accipiamus pro conuersione humani vultus in vultum alterius animalis, & (quod tu ineptè sentis) ex alitione quemadmodùm ex generatione monstra eueniunt, tuam sapit schurrilitatem. Monstra, mi p. 42. de mōst. Satyre, materiam habent in semine, opificem in formatrice, locum generationis in vtero. Itaq; in formatione, non in alitione originem habent; Quamuis autem

tem Aristoteles, quem tu citas, *per copiam passus* fieri, ait, *nequeunte natura superare, vt proportione augeat, formamq; seruet eandem*, & *diuersæ efficiantur partes adeo interdum, vt nihilo ferè similes euadant:* non ibi de monstris agit, quibus figura humana in belluinam mutatur, sed de qualibet deformitate, quæ, vt rara non est, sic neq; monstrosa debet appellari. Hoc pluribus indicijs colligere posses, si auctorum libros consideratè peruolutares. In primis Philosophus ne dubitandi locum alicui præstaret, suam mentem exemplis adhibitis exposuit. Athletę namq; queis dicit ob alimenti copiam figuram mutari, non subeunt mutationem, propter quam eos monstra appelles: imò verò habitus athletarum, teste Hippocrate, ad summum bonitatis accedit; Quòd si ex habitu tenui, ex colore pallido, ex squallore faciei reddatur habitus crassus, color splendidus, facies præclara, & ob hanc causam, ab illis, qui talem hominem videre, per aliquod tempus desierant, non cognoscatur, non propterea eum debes monstrum appellare. *Ar. 4. gen. an. c. 3.*

6 Alterum exemplum sumptum est à morbo, qui satyria, seu satyriasis nuncupatur, non ab illo quidem (satyriasis namq; duplex est) qui pudendorum tentiginem secum affert: qui morbus magis refert impudicos satyrorum mores, quàm figuram, sed ab alio, qui respicit satyrorum effigiem, cuius mentionem fecisse Hippocratem in aphorismis, est satis probabile. Morbum istum Galenus in serie aliorum reponens ait: *Nam & anthraces, & cancri, & herpetes, & erysipelata, & phygethla, & gangrænæ, & phagedenę, & satyriasis, in hoc genere sunt.* Si igitur satyriasis, monstrum facit, facient etiam monstrum, & reliquæ ægritudines. At scito satyriasim dici, quando circa aures oblongæ eminentiæ fiunt, quales in satyris esse dicuntur: si sic monstra eueniunt, etiā ex strumis monstra erunt. Sunt, qui satyriasin dicant esse elephantiasin incipientem: quoniam satyris specie sunt similes, qui elephantiasi laborare incipiunt: consumptis enim musculis temporalibus ossium eminentiæ ad tempora apparent, & caput, satyrorum in morem, cornutum euadit: fitq; huiusmodi deformitas ex atrabiliario humore. Sed seriò loquor, stultitia magna est existimare, Socratem fuisse monstrum, qui tamen, ait, Xenophon, ob nares compressas Silenis fuit similis: sunt autem Sileni satyrorum species, hanc etiam figuram ei tribuit Plato, & ex Platone Ammonius. *H. 3. aph. 26. G. de caus. morb. c. 6.*

7 Secundum indicium, quo colligere posses, Aristotelem in loco abs te citato non agere de monstris, est: quoniam ibi rationem reddens, cur nati parentibus sunt similes, aut dissimiles: cum autem similitudo hæc, aut dissimilitudo nō constituat monstrum, nec etiam monstrum constituere debet id, cui hęc similitudo, dissimilitudo, vè comparatur. At hìc athletarum & satyria laborantium effigies ex alimento facta, est quędam comparatio ad id, de quo agit. *Xenophon. de factis, & dictis Socrat. Plato in Tęet. & Ammonius*

8 Tertium indicium est: quoniam Philosophus in sequente capite proponit, se velle agere de monstrorum causis, signum manifestum, non fuisse superioris capitis sermonem de monstris: quod magis confirmatur, quia agens de vitijs ex alitione, de monstris ne verbum quidem protulit. Ex quibus patet, te more solito autoritate vti, nihil ad rem faciente.

9 Sed dic mihi, num aliquis, præter te, monstra nobis ex nutritione facta dedit? Fuit ne vnquam aliquis, qui ex victu belluinam assumeret figuram? tu reperis tres Polos, Nicolaum, Maphęum, & Marcum *Nobiles venetos, diu apud scythas commoratos, eorumq; victui assuetos, domum deniq; reuersos Tartarica facie, non multum à ferina dissimili, parum, aut nihil humanæ consimili, à nemine suorum cognitos fuisse.* Hęc autem à Ioane Ramnusio descripta te collegisse, ais, in historię scythicę præfatione. Proh impudens mendacium! Nam Ramnusius, neq; ex victu faciem mutatam fuisse, ait, sed ex alijs causis; nec faciem dicit fuisse humanæ parum, aut nihil consimilem, & non multum à ferina dissimilem: eius verba sunt hæc: *Si trouauan questi gentilhuomini, per la lunghezza, e sconci del viaggio, e per le molte fatiche, e trauagli dell'animo, tutti tramutati nella effigie, che rappresentaua vn non so che del Tartaro nel volto, e nel parlare.* Non mirum est, Tartaros, vt & reliquas nationes, habere nescio quid in effigie inter se simile, & ab alijs nationibus parum diuersum, quod adeò exiguum est, vt meritò Paulus Zacchias vir literatissimus, istud referat ad ideam, quam non vniuersalem, sed particularem appellamus. *Videbis enim* (inquit ille) *vnius regionis homines, effigie, primo aspectu, adeo similes, vt illos vix distinguere inter se scias. At postquam mentem applicueris, & iam non vniuersalem effigiem, sed particularem tibi præsentari contigerit, & illos facie notos habueris, toto cœlo inter se distare comperies, qui ante adeo in effigie conuenire videbantur.* Sufficit

pa. 42. ☞ *mendacium* *Paul. Zacch. de medico legal. lib. 1 titul. 2. q. 1. n. 24.*

ficit capillamentum, barbam, vestesq; mutare, vt homo illius nationis, quam imitatur, natiuus videatur. Nuper Liburnum appulit Franciscus Paulosanctius florentinus, qui per sex annos integros à patria absens, vsq; ad extremos Indię fines peragrauit; Referebat habitu, & capillitio, ac barba Persam, quare ab amicis non fuit cognitus, quibus postridie iam ad huius regionis morem concinnatus se obtulit, & ab omnibus magno cum gaudio fuit exceptus.

10 Adeò ne ignarus es, vt existimes, Tartaros faciem habere belluinam? nihil in hoc pueris doctior videris: pueri Turcas arbitrantur gigantes centimanos esse, & draconis faciem præseferre; vah quàm stultus est senex, qui adhuc puerascit. Tartari (sic eos describente Ortelio) sunt *lata facie, & obesa, oculis contortis, & concauis, sola barba horridi, cætera rasi*. Hęc ne facies est belluina? Inter Tartaros (vt narrat Guagninus) Reginæ, & Magnatũ, nobiliumq; præcipuorũ vxores, dum in publicũ procedunt, faciẽ velo obtegere solent, quod non fit, nisi vbi pulchritudinis habetur ratio. Abi igitur ò monstrum, cum tuis istis ex alimento monstris.

Abraham. Ortel. *Guagninus in descriptione Tartarorum*

11 Mutatio etiam in substantia ex alimento fit. Hìc te exclamantem, præ ignorantia audio, & contumelias in me effundentem, quas spero in te ipsum redituras. Putas ne, cum substantiam dico, formam substantialem cum logicis, aut physicis intelligere? At ego medicè loquor, & substantiam pro corpore accipio, cuius mutatio in mollitie, & duritie, in densitate, & raritate, & alijs similibus mutatio in substantia solet appellari. Non ne ego hoc tibi significaui, dum dixi, *Si vera esset opinio, (quæ non omnino est improbabilis) dari formam corporeitatis, præter aliam totius, certè secundùm illam formam, diceretur speciem mutasse?* Hoc quid aliud est, quàm dicere, non mutari speciem secundùm formam substantialem totius, mutari tamen posse secundùm formam corporeitatis, si talis forma admittatur? Tu autem hoc non consideras, vt scias, quid ego nomine substantię intelligam, sed prorsus nugator, quòd typographi vitio scriptum legisti *formam formam*, bis scilicet idem repetitum, grammaticę ludimagistrum agis, & verba corrigis, hoc quàm pulchrè facias, videant alij: interim ignarum te ostendis, qui id, quod puer per se ipsum corrigere posset, corrigere nescis. De forma corporeitatis, de qua tu hìc extra rem agis, seorsim commodiore loco dicturus sum.

pag. 4.

Infra in huius sectionis fine

12 Sed cur tuę grammaticę nimium fidens non consuluisti medicum aliquem, qui tibi declararet, quid apud medicos nomine substantiæ significetur? Profectò non solùm substantiam, sed *essentiæ proprietatem* vocat Galenus (iuxtà omnes interpretes) constitutionem ex peculiari elementorum mistione: imò ipse alibi temperamenta esse, ait, *Quę propriam particularum substantiam complent*. Quando etiam ait, *Oportet igitur toti nutrientis substantiæ, cum tota nutriti naturę communio aliqua, similitudoq; sit*, quid putas, esse hanc substantiam, quæ similis esse debet inter nutrimentum & nutritum? *Vocat* (inquit Segarra) *totam substantiam, certam primarum qualitatum temperiem, cum certa substantiarum elementarium proportione, quę vnicuiq; misto est propria; in his enim tota mistorum corporum substantia posita est*. Hanc proportionem, hanc mistionem mutari alimento dixi, & substantiam appellaui fretus autoritate Galeni ab omnibus recepta, quam tu non intellexisti, nec intelligere, quod peius est, voluisti.

G. 1. loc. aff. c. 1. *G. 1. de vsu part. c. 9.* *G. 3. tem per. c. 2.*

13 Si verò à me quæras, cur duritiem, & mollitiem, raritatem, & densitatem ad substantiam referam? respondebo tibi, quia substantia illa, quam à medicis recipi dixi, hoc est proportio mistionis qualitatum, aut elementarium substantiarum, cum mutatur, subitò corpus euadit vel durius, vel mollius, vel densius, vel rarius, vel crassius, vel tenuius, vel asperius, vel leuius. Qualitates sunt hæc omnia, sed quarum mutatio fit cum mutatione substantiæ, hoc est, cum mutatione proportionis iam dictæ. Sed ego lectorum auribus, nimium exquisita explicatione, molestus sum: & vnusquisq; dum me in re manifesta plus nimio commorantẽ agnoscit, subiratus dicit, *Quis Herculem vituperat?*

adagiũ

14 Accedamus tandem ad mores; Hos ne alimento mutari ignoras? sanè si assuetudine alimentorum temperamentum mutatur (vt iam satis probasse videmur) mores quoq; mutari par est; *Siquidem mores animi corporis temperamentum sequuntur*; At tu, qui fabulis delectaris, scire debueras, Achillem illum implacabilem, quem Homerus vbiq; facit iracundum, stomachabundum, minabundum, medullis vrsorum, & leonum à Chirone centauro fuisse educatum, vt refert Apollodorus. In quo quid aliud significare voluerunt veteres, quàm cibi, quo quis in infantia vtitur, vim, & efficaciam ad inducendos mores? Propterea simul

Apollodorus lib. 3.

cum

cum lacte nutricis, plurimi vitia, virtutesuè suxisse feruntur. Hinc Dido apud Maronem.

Nec tibi Diua parens, generis nec Dardanus autor,
Perfide, sed duris genuit te cautibus horrens
Caucasus, Hircanæq; admorunt vbera tygres.

Quo in loco Donatus interpres, *Ostendi*, ait, *per alimoniam lactis mores pueris infundi, quod & Ciceroni placet; qui in educatione oratoris iubet, precipuas adhibere mulieres, cum per obsequia vberum, natura ex alia in aliam mutatur.* Sic ille: vbi audis ex Ciceronis ore per obsequia vberum naturam mutari. Ouidius etiam multoties feritatem obiectat ex lactis alimonia, vt cum ait; *Nec lac bibit ille leæna:* & alibi, *Natus es ex scopulis nutritus lacte ferino:* 9. metamor. 3. de trist. ele. 11.
& alibi.

Gutturaq; imbuerunt infantia lacte ferino, In ibin
Hic primus pueri venit in ore cibus;
Perbibit inde suæ rabiem nutricis alumnus,
Latrat & in toto verba canina foro. Quod in te quadrat

Nec verò poetarum dicta contemnas, quorum commenta plures intentiones, & allegoricos sensus inuoluere, & comprehendere solent. Quod si eis non acquiescis, acquiesce saltem Plutarcho sapientissimo philosopho, qui nutrices, non quasuis; sed quàm probissimas eligendas esse, docet. Propterea etiam Cælius, ex Aristotele in politicis, vinum nutricibus interdicicit. Romani infantem matris lacte educari potiùs, quàm apud coemptas nutrices ali permittebant; quòd si nutrices, ob aliquod matris impedimentum, accersere cogerentur, eas laconicas querebant: quippe laconicæ adeò in nutricandi officio percellebant, vt (teste Plutarcho) quidam filijs suis laconicas nutrices empserint. Cornelius Tacitus loquens de antiquis Romanis, *Iam pridem*, ait, *suus cuiq; filius, ex casta parente natus, non in cella emptæ nutricis, sed gremio, ac sinu matris educabatur.* Idem alibi, in ea re Germanorum mores laudat, quod sua quemq; mater vberibus alit, nec ancillis, nec nutricibus delegat. De hac re legenda sunt, quæ Phauorinus apud Gellium ratiocinatur. Ego autem à pluribus, quæ hic adduci poterant supersedens, pro coronide adiungam duntaxat verba Columellæ de alitione canum; Inquit ergo, *Nec vnquam eos, quorum generosam volumus indolem conseruare, patiemur alienæ nutricis vberibus educari: quoniam semper & lac, & spiritus maternus longè magis ingenij, atq; corporis incrementa auget.* Plutarch. de instituend. liber. Plutarch. in lycurg. Tacitus de oratorib. Tacitus de morib. german. Gel. l. 12. c. 1.

15 Profectò non te optimo lacte educatum canem exhibes, siquidem ad vilissima quęlibet te confers, relictis ijs, quæ generosum indagatorem decent; Et cum dixerim in tractatu de asitia, *lacte nutiruntur infantes* omissa theoria, quæ hic latet rabie plusquam satyrica agitatus, me accusas, quòd suctum lactis nutricationis nomine appellem cum vulgo. In quo solemniter, vt soles, à veritate dissentis; ego lacte nutriri infantes volo, non suctu lactis; Non ne tu felem, & canem nutris de mensa tua carne, & piscibus? at ego infantes nutriri dico, lacte lactentium quòd si infantes lacte nutriri non est dicendum, similiter nec mulierculæ, quæ lac præbent, sunt nutrices appellandæ. Cæterùm quoniam in tuum felem, tuumq; canem incidimus, afferto nunc eos mihi, afferto, & cornigerum Scaligeri vernecem, qui mēsa domini carnibus in disco vescebatur, & effusum ex alto vinum ex ore accipiebat: afferto Medaurensem asinum, & quascumq; belluas velis humanis cibis nutritas; quid illis ex humani cibi assuetudine euenire posse putas? nempe vt humanitùs viuant: damnas ne hoc vocabulum? damnabit te inuicem Plinius inquiens, *Vrsi autem (vt dictum est) humanitùs strati, herinacei stantes, ambo inter se complexi:* dixit humanitùs, hoc est hominum more, seu vt solent homines; Itaq; tu, qui mirabaris, cur tua illa animalia non susciperent assuetudine humani cibi formam humanam, desine mirari: suscipiunt, quod possunt, nempe humanos mores. E contrario afferto mihi duos fratres Romulum, & Remum lupino lacte nutritos, dabo tibi illos lupinis moribus præditos, sed lupinum ne fuerit lac, an humanum ex fœmina, quę lupa appellabatur, sub dubio relinquit Liuius: alij lac lupę, hoc est, meretricis fuisse dicunt. Deniq; (vt superiùs dixi) contumelias, conuicia, irrisiones, omnia hęc, quę in me effundere voluisti, in caput tuum iam nunc cadere omnes norunt. mendacium Plin. lib. 10. T. Liu.

Addita-

Additamentum ad ea, quæ de nutrimento ex lacte dicta sunt.

INfantes, diximus, simul cum lacte mores nutricum sugere: quid de natu grandioribus? Aliqui sunt populi, qui ferarum lacte victitant: hi ferinos habent mores. Arabas narrat Cœlius, camelorum lacte vesci. Bysoni mediterranei lacte bubulo in victum vtuntur, nec alio prætereà vescuntur cibo: testis Adagiographus. Memismini Æthiopię viuunt lacte cynocephalorum, quorum armenta pascunt maribus interemptis, nisi sobolis causa. Philinus quidam (vt referunt Aristoteles, & Theophrastus) nullo alio cibo per totam vitam vsus fuit, quàm solo lacte; sic referente etiam Athenæo.

Cęl.lib. 2. c. 2. Adagiographus. Arist. Theoph.

2 De sero quid dicendum? num inter alimenta recensetur? alijs controuersum est hoc: mihi citra controuersiam: quippe serum accipio, vel penitus à reliquis partibus separatum, vel non penitus, sed aliquod adhuc habens residuum substantiarum, quibus erat permistum, hoc est casei, & butyri. Tum sic: si penitus sit separatum, penitus est ad nutriendum inutile: si quidpiam alienum permistum habet, aetenus nutrit, quatenus substantiæ alienæ est particeps. Qui absolutè, & per se solum dixerit, à vera doctrina recedet: tum quia serum excrementũ est, non alimentum (excrementa, quę nihil habent admistum, iam superiùs diximus, non habere, vnde nutrire queant) tum quia duo requisita ei desunt alimento necessaria, consistentia, & lentor. Duo hinc pullulant demonstranda: vnum, serum merum esse merum excrementum, alterum crassitie, & lentore, si purum est, prorsus carere.

3 Quod attinet ad primum, notissimum est, serum humorum (habere vnumquemq; humorem suum serum Hippocratis, Platonis, Galeniq; sententia est) excrementum esse, quod statuit Galenus hisce verbis: *Seri genera, quæ in succis habentur, sunt excrementa.* Verùm si alimenta non sunt, quorsum per venas deferuntur? nempe vt vehiculi officio fungantur, dicente magno Sene, *Humiditas alimenti vehiculum est.* Sed potest ne à sero humorum, ad serum lactis argumentum duci? potest: Galenus, vt ita sentiam, mihi persuadet, sic inquiens, *Quemadmodum in lacte serosa quædam humiditas est, veluti colamentum, & circunstans crassiorem eius partem, eodem modo in omnibus succis, & humoribus serosum quendam, ac tenuem liquorem reperiri.* Sic Galenus. Cum ergo lac ex sanguine omnibus quatuor humoribus constante fiat (quod tamquàm manifestum probare omitto) consentaneum est, vt serum ex serosa fiat parte sanguinis, si singula singulis recto ordine correspondere debent.

G. 6. epid. sect. 2. com.38. G. 2. nat. facul. c. vltim. Hip. in fine l. de alimento.

4 Cœterùm obijci potest, serũ fieri ex sanguine mediatè quidem, ex lacte autem immediatè: cumq; lac sit corpus similare, fiet totũ ex toto sanguine, ac proinde serum ex nulla sanguinis parte dicetur fieri, sed ex lacte, quod similare cum sit, non habet partes diuersæ naturæ actũ, sed potentia duntaxat. Ego tamen ante omnia velim, vt mihi detur substantia aliqua pręter caseum, butyrum, & serum, quę lac dicatur. Dabitur forsan mihi totum istud compositum, quod partes componentes non actu, sed potentia in se habet. Respondeo: iam constare lac, tametsi sit corpus similare, nam si diuidatur, quælibet pars lactis erit lac, nihilominùs esse compositum ex tribus substantijs; Vtrùm verò actu, an potentia insint eadem est difficultas, quę in quolibet misto ratione elementorum, ex quibus componitur: quippe elementa insint ne actu, an potentia sub iudice lis est. Nolo tamen hanc litem mouere: esto, insint elementa in misto potestate tantùm: insint & in lacte tres substantię potentia, non actu: insunt tamen. Sed vnde nam ei adueniunt? nempe ex ea substantia, ex qua lac habet, vt sit lac. Quę nam est isthæc? est sanguis; Num in sanguine inerant? maximè: videlicet pars pinguis, quæ butyro respondet, terrea, quæ caseo, aquea, quę sero. Iam ergo habemus, ex qua parte sanguinis fiat serum, vt non fas sit dicere ex nulla.

5 Alterum, quod probandum assumpsi, est, nullam sero inesse crassitiem, lentorem nullum. Hæc duo esse alimenti requisita inferiùs dicemus, cum disputabitur, an vinum nutriat. Nec verò quoniam alimentum, vt alat, in substantiã ferè vaporosam conuertitur, neganda est alimento crassities: nam aliud est, substãtiam suapte natura corpulentam, in tenuissimas partes, vt penetrare possit, redigi, aliud substantiam natura sua tenuem, quę nulla arte, nulla naturæ vi crassitudinem obtinere

Infra se. 4. q. 4.

tinere valet. Verùm crassitiem, & lentorem in alimento requiri, ex Aristotelis, & Galeni mente optimè collegit Mercurialis, quamuis non optimè vinum his qualitatibus carere dixerit. Sed quamuis vinum, (vt dicemus) non careat crassitie,& lentore,(crassitiem intelligite saltem in potentia) serum tamen vtraq; caret qualitate. Adeundus est Aristoteles: cum enim dicat, vinum, vrinam, serum, & quæcumq; nullam, aut paruam habent hypostasin, aquę species esse, nos manuducit ad cognoscendum, quid de his tribus dicere conueniat; Cæterùm de vino dicemus posteà: interim scire expedit, verba illa *paruam, aut nullam hypostasin* tolerare, vt dicamus, vinum habere *paruam*, serum verò *nullam*: quippe vinum exsiccatum aliquod sui vestigium relinquit, serum verò nō magis, quàm aqua ipsa. Addo, vinum coctione crassescere, aquam non ita. Si quis mihi offerat sedimentum, quod remanet ex sero destillato, offeram illi ex aqua. Obijciet mihi fortasse aliquis Galenum, qui in ratione victus aliquando succum ptisanæ,& serum lactis abundanter exhibet; Respondebo, Galenum serum sumpsisse non ebutyratum, quale est, quod Virgilius pingue appellat, & canibus pro nutrimento exhibet. Pingue, dicet Seruius, ab effectu sic appellari, quoniam impinguat: At ego. viri Grammatici dictis habebo fidem, vt credā serum aquosum (quamuis ex hypothesi nutrire admiserim) posse esse nutrimentum aptum ad impinguandum, si pingui substantia, hoc est butyrosa, sit grauidum. *Ari. meteor.* *G. 2. ad Glaucon, c. 10.*

6 Sed quoniam serum destillatum omnis alienæ substantię expertem esse, insinuaui, aderit mihi Obicius, afferetq; grande poculum seri destillati, quod febricitantibus exhibeam. Ego apud antiquos nullam seri destillati mentionem factam inuenio: hinc crediderim, aliquos serum destillatum, serum modernum appellare: dum ergo illud reijcimus, nil aduersamur antiquis. Cæterùm ni destillatione adustionem acquireret, aquam meram esse, affirmarem. Adustionem ne patitur serum, quod aqueū cum sit, facilè destillatur, parumq; ad ignem commoratur? maximè: nam sicut partes habet, quæ facilè eleuantur, sic etiam quę facilè comburuntur. Hinc ex herbis, quæ facili destillatione stillatitias aquas nobis præbent, aquę istæ fumum, hoc est adustionem redolent; Quòd siquis dicat, non omnibus id accidere, quippe aliquę suauiter olent, sciat in illo suaui odore aliquid, quod combustionem redolet, discerni, vt in stillatitia rosarum, aut in ea, quę naphæ appellatur. Si adhuc velit esse aliquas immunes combustionis, profectò in hoc censu non reponet serum, vt indicat eius odor, & sapor. *Obicius*

7 Sed quis negabit, partes tenues esse in destillatione, quæ ascendunt, & rursus tenues comparatione crassiorū calidiores censeri? Galenus substantiam tenuium partium exactè frigidam non reperit: dixit exactè (vt ipse met se declarans ait) propter acetum, quod tenuium est partium, sed non exactè frigidum. Quare cum alibi reperiat substantiam tenuium partium citra manifestum calorem, alibi substantiam frigidam, sed calidam, non sibi contradicit: nam harum nulla exactè frigida, aut exactè calida est. Siquis adhuc nolit Galenum à contradictione liberare, per me quidem ei hoc licebit: etenim quid mirum, autorem, qui tam multa scripsit, sui aliquando fuisse immemorem? Hoc norunt multi, inter quos vnus Vallesius librum edidit de locis in Galeno manifestè pugnantibus. *G. 10. meth. c. 9.* *G. 1. simpl.* *G. 3. cōpos. per ge. c. 2.*

8 Acquisitam ex destillatione mordacitatem fateri oportet, siquidem hęc ad combustionem sequitur. Anteà verò mordacitas nulla erat: quippe Galenus, qui destillatum serum non agnouit, serum sinè mordacitate purgare dixit. Sed vbi nam est isthęc mordacitas seri destillati? mordacitas, teste Galeno, tactu percipitur: at in sero nullam discernit tactus mordacitatem. Opponat se aliquis Galeno,& dicat tactum in omnibus sēsuum organis inesse: quapropter salsum mordicationis erit particeps etiam in ipso gustus organo. Respondebo sensuum organa habere sensum tactus, quemadmodùm reliqua membra sententia, non autem prout suorum sensuum sunt organa. e. g. organum gustus habet quidem sensum tactus, non prout est organum gustus, nec de hoc disputant philosophi. Cęterùm an pręter tangibilia alia etiam tangibilia, vt sunt sapor, odor, color, sonus, excitent dolorem, hoc controuersum est. Salsum itaq; nitrosumuè, non prout tale est, mordicat, sed prout tactum offendit, vnde rectè Galenus ait, mordacitatem à tactu propriè, non a gustu sentiri. Hoc ita est: verùm mordacitas in sero destillato tactu non percipitur, quoniam humiditate obtunditur,& paulatim inducitur, poterit tamen continuatione, nimietateq; mordacitatis fructus præbere.

9 Sed purgabit ne serum destillatum? si multum fuerit irritabit expultricem,

licèt ratione salsedinis, nitrositatisuè potiùs astringat. Sic in simili aquas salsas damnat Hippocrates, vt pote quæ ventrem astringunt, eas tamen copiosè bibitas aluum soluere, tettuccianum balneum nos docet. Non destillatum quare purgat? nempe ob adiunctam partem butyrosam. At butyrum, dicet aliquis, emplasticum esse dixit non semel Galenus, quare potiùs purgationi obsistet, quàm eam promoueat. Dixit quidem esse emplasticum, sed vim soluentem habere non negauit, imò *Caseos recèns coactos, si sumantur cum melle ante alios cibos, ventrem soluere*, dixit, nempe *recèns coactos*, in quibus adhuc butyrositas permanet. Sed magis expresè Dioscorides purgandi vim butyro inesse nobis fatetur. Quid ni? non ne potest aliquid emplasticum simul esse, & purgans? Certè non solùm oleosa, & pinguia, quæ secundo loco emplastica habentur, sed terrestria, quæ primo, quamplurima purgandi vim obtinent.

H. de aere aquis, & loc. Ga. de cib boni & mali succi c. 4. Diosc. lib. 1. c. 18.

10 Ex alio capite posset etiam deduci, butyrum non prestare sero purgandi vim; videlicet quia suo vnguine stimulantem seri acrimoniam obtundit. Sed quid opus est sero ad purgandum acrimonia? non ne dixit Galenus, serum sinè mordacitate purgare? ergo sinè acrimonia: nam hęc duo se se inuicem comitantur. Tertium in prędictam doctrinam iaculum conijci potest: nam serum, vt purget, non opus habet caliditate à butyro mutuata: neq; enim caliditati debetur tractio: siquidem lactuca, & portulaca frigiditate pollent, & tamen vtile sibi alimentum è terra trahunt. At ego, tametsi non caliditate sola butyrum purgandi vi preditum esse, dixi, eam tractioni commodare cum Galeno, imò cum vniuersa schola sentio. Tria sunt, quę trahunt, calor, dolor, & replendi vacuum necessitas: non immorabor aggregando ad huius rei probationem varia Galeni & aliorum loca: vnum tamen adiungam, has tres causas ad vnam, nempe ad calorem reduci posse, quod alibi demonstrabo. Plantę verò natura frigidæ trahunt quidem, sed non frigiditate trahunt. Hinc Fernelius videns, mandragoram frigidissimam trahere sibi alimentum, sulphur calidissimum non ita, in eam venit opinionem, vt, quoniam tractio sinè calore fieri nequit, calorem aliquem diuersum specie in viuentibus à calore elemẽtali esse dixerit. Sed de speciebus caloris alibi: quod verò ad pręsens attinet, est scire nihil adeò homogeneũ esse, quod nõ habeat quasdam partes tenuiores, ac proinde calidiores alijs. Viuunt herbę suo modo, dum radicibus terræ inhęrent, viuere sinè calore nequeunt; An hic calor differat ab elementali, nos hic non disputamus: satis namq; est, si trahentem viuentium facultatem calori acceptam referamus, calori inquam naturali: quippe vt calor trahit, vt naturalis, non nisi sibi simile.

Fernel.

11 Serum igitur ex butyro habet, vt purget, non autem ex propria nitrositate: nitrum, aut nitro similem substantiam in sero non agnosco, ne si alij agnoscerent, auderent hectica laborantibus lac maximè serosum, quale est caprinum, & asininum exhibere: nitrositas enim siccitatem, quę in hac febre fugienda est, induceret. Impugnabitur ne hæc ratio, quoniam à diuersarum specierum sero comparatio ducitur? certè sinè ratione impugnatio isthęc erit. Nam vel omne serum est nitrosum, vel aliquod. Si omne, iam ratio ab vna specie ad aliam duci potest, si aliquod iam serum, qua serum, nõ est nitrosum, & subinde nec purgatiuum, sed huius, aut illius animalis, ac propterea nec propositio erit vniuersalis, nec conueniet sero ratione sui, sed aduentitia quadam conditione. Deinde etiam Hippocrates quando lacte cocto causone laborantes purgare vult, asininum accipit: iam ergo si nitrositas esset, quæ purgaret, lac asininũ nitrositate non careret: esse verò posse vnius speciei animalium serum nitrosius, quàm alterius admitterem, esset tamen id, quod minùs nitrosum diceretur, nitrosum adhuc, ac proinde adhuc hectica laborantibus inimicum. Quid quod nitrositatẽ tum Arabes, tum cæteri ex barbarorum familia in sero agnoscunt, cui purgandi vim tribuunt? At non est magna fides huiusmodi autoribus habẽda, tum quia vocabulis sæpissimè abutuntur, tum etiam quia nec sibi ipsis, neq; græcis verę medicinę parentibus in hac doctrina valde consonant.

12 In primis sibi non consonant: nam Mesue, vnus ex eorũ secta, agens de aqua lactis sic ait: *Datur quandoq; extracto ab ea butyro, quando oportet causa lenitatis à membris expulsionem abscindere. Et datur non extracto butyro, quando lenitatem in eis acquirere oportet.* Responderi tamen potest, Mesuem solis partibus consulere, nulla operis, actionisuè perpetrandę animaduersione habitą. At mirum est, serum per os acceptum partes lubricare, per quas transit, nec tamen purgare lubricando,

cando, cùm tamen purgantia alia sint electiuè trahentia, alia lubricantia, alia verò lenientia. Deinde non consonant græcis, quia Galenus, vt iam sępe diximus, serum sinè mordacitate purgare dixit, Discorides butyro purgandi vim tribuit: neq; eorum aliquis serum prorsus ebutyratum ad purgandum exhibuit. Scire autem expedit, butyrum tum lubricitate sua, tum etiam viscositate, eius esse conditionis, vt difficulter possit omninò à serositate separari: si autem destillatione separetur combustionem tunc relinquit. Quare valeat Obicius destilati seri ad febricitantium solatium inuentor, quem puto paucissimos habere commilitones: nam vt à quamplurimis Italiæ medicis accepi, inter quos vnus est Septalius, qui ad me de hoc inuentu per litteras suam opinionem misit, omnes destillatum istud lac damnant, si quis aliter sentit, nihil ad me, destillet ille suum serum, non ego meum cerebrum. Si me pernicaciæ reum faciet, caueat, ne in eum quadrare possit Platonicum dicterium, quippe dicenti Diogeni *conculco fastum Platonis*, Plato respondisse fertur, *maiori fastu*.

Responsio ad argumenta in contrarium. Articulus Tertius.

1 QVoniam assiduitate vnius, aut alterius cibi, mutationes multis in rebus nos subire posse, demonstraui, superest, vt quicquid initio in contrarium est allatum, soluam: Quod attinet ad primum argumentum, eius fundamentum consistit in oppositione, quæ est inter alimentum, & medicamentum: quippe alimentum patitur à nobis, dum in substantiam nostri corporis conuertitur, medicamentum agit, immutando scilicet id, quod immutari est opus. Respondendum tamen est, hoc non simpliciter debere intelligi; sed (vt exponit Manardus) alimenta, & medicamenta in hoc conuenire, quod vtraq; in nos agunt, & à nobis patiuntur: in hoc differre, quòd medicamenta agunt quidem potius, quàm patiuntur, alimenta è contra magis patiuntur, quàm agant. Hoc idem Galenus asserit, dum castoreum, & piper agere magis in corpus nostrum, quàm pati, inquit, vinum, & mel, & ptisanam pati magis, quàm agere, & consequenter adiungit, *Ergo hæc omnia tum agunt circa corpus aliquid, tum verò patiuntur.*

Ad primum

Manard. lib. 13. epi. 4.

Ga. 3. de temper. c. 4.

2 Obijcere tamen quis poterit Galenum, nullam prorsus qualitatem in alimento requirere, nullam, inquam, qualitatem excedentem: inquit enim. *Quæ medij sunt temperamenti, nullaq; vincente qualitate sunt prædita, ea solum sunt alimenta, non etiam medicamenta.* Verùm siquis vlteriùs legat, responsionem habebit, limitationem namq; prædictę sententię se afferre, iactat, quam Diocles non est assequutus. *Si enim hominis corpus medij planè sit temperamenti, per alimenta medij temperamenti in eo statu seruabitur; Verum si id frigidius, vel calidius, siccius, aut humidius fuerit, medij temperamenti cibum, & potum perperam exhibueris, quippe huiuscemodi corpus, quatenus ab exactè media constitutione recessit, eatenus in diuersum statum traducatur, est necesse: fiet autem id per pręsentis distemperantiæ contraria.* Vides, vt agat de alimentis, & tamen his corpora à medio temperamento recedentia ad contrarium reduci vult: quę verò medij sunt temperamenti corpora, medij temperamenti cibis conseruari: sunt tamen, vt idem met vult, paucissima cibaria, quæ nullam excedentem habent qualitatem.

Ga. 1. alim. facult. c. 1.

3 Quòd si adhuc fateatur, alimentum quidem reducere posse corpora intemperata ad contrarium statum, cæterùm id facere, non vt alimentum, sed vt medicamentum, Galenus ei appositissimè respondet. *Conueniebat igitur, qui aiunt, nutrimenti nomen, eius quod vincitur, alteraturq; ac mutatur, duntaxat esse, non id modo scisse, ac dixisse, sed etiam de leuces generatione disserere tentasse: quippe, aut ipsa nutrita caro eius morbi causa est, aut ipsum nutrimenti vitium: sed si nutrimentum causa non est, (ita enim volunt) necesse est, carnem dicant. Quid ergo patitur hæc, quod nutrimentum sibi in totum non assimilat? fiet enim eo certè pacto natura vitij causa. At multò, arbitror, satius erat, nutrimento causam imputare.* Ecce habemus ex Galeno, nutrimento esse imputandum, quòd maculæ in cute, quas appellant leuces, fiant. Non est tamen negandum, quod Galenus alibi fatetur, alimenta, tametsi in corpore aliquid faciunt (sed vna, vel altera ingestione, nec sensibile quidpiam prorsus, nec euidens) diuturnam tamen eorum exhibitionē magnoperè alterare, mutareq; corpora nostra.

Ga. 3. de sympt. caus. c. 2.

4 Secundum

Ad secundũ 4 Secundum argumentum ex omnium agentium naturalium conditione deducitur: quippe omnia agunt inducendo suam formam in passo: si igitur agit alimentum, inducit suam formam in alito, atq; ita fient illę metamorphoses, quas, Satyrus putat, me admittere: sic homo ex continuo vsu piscium conuertetur in piscem. Respondeo tamen, ridiculum esse, putare alimentum, quod agit quidem, cæterùm valde exiliter, & insensibiliter, posse vnquam eò deuenire, vt formam suam in eo, quod alitur, introducat: priùs enim alitum interibit, quàm per plures adeò exiguos actus possit ad hanc metamorphosin peruenire, & prouerbio locus erit *Expecta anus meum filium te suauiaturum*: nam priùs, quàm ille adolescat, illa peribit. Verùm magis seriò dicemus, nunquam posse contingere, vt alitum formam induat alimenti, propter ipsius aliti incapacitatem. Nam corpus, quòd alitur, non potest transmutari in formam alterius, nisi per suę propriæ formæ corruptionem: non potest autem propria forma corrumpi, & simul perfici, & ab eodem pati corruptionem, à quo accipit perfectionem. Perficitur, saltem accidentaliter, dum alimentum in eius formam conuertitur, corrumpi autem simul debet, si in alimenti formam conuertatur: quod contradictionem in se inuoluere, manifestissimum est. Constat ergo id, quod alitur, quantumuis ab alimento suscipiat qualitates, non posse suscipere formam substantialem: quoniam hæc non potest ei aduenire, nisi per præuiam corruptionẽ: quippe nihil genitum, quin corruptum, & corruptio vnius est generatio alterius. Atq; hæc est causa, cur tuus felis, tuusq; canis, tuus etiam veruex corniger ex cibo hominibus consueto mites fiebant, & domino blandiebantur, non autem domini formam poterant vnquã acquirere, non per decennium, sed nec per mille annos. Quid ais Satyre? hæc ne ratiocinandi ratio apud Rechenses in vsu est?

Ad tertium 5 Tertium argumentum deducit ad absurdum: si enim corpus statim ab initio suæ generationis incipit ab alimento pati, ab initio statim incipit labi in deterius. At, hoc non esse absurdum, respondebit Philosophus moralis: imò verò iuxtà humanam fragilitatem id semper accidere.

Ver. 1. Geor. —— *Sic omnia fatis*
In peius ruere, ac retro sublapsa referri.

& alibi

Optima quæq; dies miseris mortalibus æui
Ver. 3. Geor. *Prima fugit, subeunt morbi, tristisq; senectus,*
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Petrar. de rem vtriusq; fortun. Quapropter scitè Franciscus Petrarcha ita dialogizat. Dolor. *Periit præcipitio infans meus R. Pręcipitari, & ruere illius ætatis est proprium: fecit infans, quod faciunt omnes, etsi non omnes casu pereant.* Consonat Seneca: *Vita enim cum exceptione mortis data est, ad hanc itur, quam timere dementis est: quia certa expectantur, dubia metuuntur.* Senec. lib. 4. epist. 30. Cęterùm quoniam moralis philosophia Satyro, cui mores à philosophia absunt, non arridet, has ethicas contemplationes libet relinquere, & ad physicas conuerti.

6 Non omnia, nec semper patiendo fiunt deteriora: imò sępe perficiuntur. Semen patiendo perficitur, alimentum, dum patitur, acquirit perfectionem. Quare ad argumentum dicemus, pati quidem corpus ab alimento, nec tamen propterea deterius euadere. Hoc longa, sed elegante ratione demonstrat Galenus: natura enim ad propositum scopum semper tendit, scopus nullus alius est, quàm perfectum reddere id, quod generatur: perfectum est, cui nulla propriarum deest actionum. Ga. de marc. c. 4. Cum autem multæ actiones duris egeant instrumentis, cum rursus initio necesse fuerit, corpus molle esse, vt benè concinnari, fabricariq; ad omnia fabricanti sequax posset, duritiem sensim natura indidit. Quare oportet, vt animal à molli substantia, ad commoditatem formationis, initium habeat: postea verò, ad actionum opportunitatem, indurescat. Durities à siccitate prouenit, siccitatem acquirit corpus patiendo. Hoc ita demonstro. Inter alimentum, & corpus, quod alitur, vicissitudinaria actio, & passio datur: siquidem (ex sæpiùs repetito Aristotelico axiomate) omne agens agendo repatitur: vel ergo corpus acquirit istam siccitatem, qua perficitur, agendo, vel patiendo; non quidem agendo: quippe agendo in alimentum, illudq; in se ipsum conuertendo, humectatur, (quod Galenus tradit,) ergo patiendo; Cęterùm cum alimenti actio (vt superiùs diximus) exilis sit, sensim hęc exsiccatio, & subinde durities inducitur. Ga. 4. acut. c. 13.

citur quę, vtilis est ad actiones; vtilis, inquam (vt aduertit ibidem Galenus) vsq; ad consistendi ętatem, nam deinceps incipit esse maior, quàm oporter, & ex consequente, nocua, tunc autem vtilis quidem foret, quę tamen impossibilis est, noua elementatio.

7 Interrogabit quispiam, si ob vtilitatem siccitas à prima statim infantia incipit introduci, cur infantibus, & pueris præcipitur alimentum humidum? Nam & Galenus lac, quod humidissimum est, infantibus laudat, & Hippocrates victum humidum pueris conuenire docet. Respondeo, præter temperamentum specificum toti speciei conueniens, dari etiam plura temperamenta naturalia, inter quæ temperamentum ætatis numeratur. Cum igitur infantiæ, & pueritię naturale temperamentum sit calidum, & humidum, postulat sui conseruationem, conseruatio per simila fit, quare humido alimento humidum puerorum temperamentum ad conseruationem sui indiget; est autem necessarium humidum temperamentum pueris, quoniam alioquin (vt aduertit Galenus) incremento prohiberentur. Ex altera parte temperamentum specificum, quod actionibus obeundis inseruire debet, aliquid siccitatis ad membrorum duritiem requirit. Ergo humidum alimentum, dum patitur à nostro corpore, imprimit ei substantiã quam habet, nempe multa humiditate præditam. At dum agit in corpus, eius præexistens humidum paulatim minuit. Quòd si non daretur isthęc paulatina siccitas, quæ paulatim illatam humiditatem temperaret, profectò membra omnia præ nimia mollitie diffluerent. *Ga. 1. sanit. tuend. H. 1. aph.16. G. lib. de salub. dięt. com.7.*

8 Vltimum argumentum. Supponit, (quod est verum) alimenti substantiam calidum innatum augere; & hanc esse facultatem alimenti, quatenus alimentum est, ad cuius responsionem duo pro hypothesi ponenda sunt, iam superiùs inculcata. Vnum, substantiam nequaquam existere qualitatibus spoliatam: alterum, substantiam per qualitates agere. Apponatur ergo alimentum corpori alendo, & considerentur seorsim substantia, & qualitates: substantia, quæ conuertitur in substantiam aliti, patitur quidem: sed quoniam omne agens agendo repatitur, reactionem molitur per suas qualitates (vt diximus) sed iam etiam diximus, substantiam, & qualitates semper esse simul, ergo simul erit alimenti passio in substantia, & eiusdem actio per qualitates; e. g. lactuca patitur quidem, dum in sanguinem conuertitur, sed agit simul, dum pręexistentem sanguinem sua permistione frigidum reddit. Nec verò propterea dicendum est, agere, vt medicamentum: nam Galenus ait, eam esse medicamentum cum primùm in corpus assumitur, posteà verò, cum in sanguinem mutatur, alimentum. Ego verò in mutatione in sanguinem, quando iam est alimentum, considero substantiam per se solam, considero simul in substantia frigiditatem, quam, vt alimentum, inducit. Nec dubitandum est, qualitates in alimento considerare, quas considerat Galenus toto opere de alimentorum facultatibus.

Responsio ad Satyri sycophantias. Articulus Quartus.

1 IMmutandi corpora nostra cibis inesse vim, iam satis monstraui. Sed quoniam in mea asitia vlteriùs progressus, cibos homini insolitos, imò & improprios nutrire non posse, nisi longa assuetudine fiant homini familiares, dixi, hìc etiam Satyrus satyrizat, seu potiùs sycophantizat. Et in primis sua pulchra latinitate meam deformem vult reformare. Mea verba sunt hæc. *Hoc volui dicere, vt intelligas monstra illa, quæ veneno aluntur, ita ab humana specie desciscere, vt si vera esset opinio (quę non est omnino improbabilis) dari formam corporeitatis, pręter aliam totius, certè secundùm illam formam diceretur speciem mutasse.* Nec clariùs, nec elegantiùs putabam aliquem loqui posse; Satyrus tamen clarior, & elegantior non arbitratur, vllum grammaticum inueniri, qui hęc verba construere sciat in orationem: tunc affert sua hæc: *Certè secundùm illam formam corporeitatis diceretur homines veneno enutritos speciem mutasse.* Itaq; vellet iste, vt inutili verborum repetitione aures lectorum defatigarem; Dixi, *monstra veneno nutrita posse dici speciem mutasse*: Ille vult, vt repetens dicam *homines veneno nutritos*: dixi insuper *si daretur forma corporeitatis, secundum hanc formam posse dici speciem mutasse*: Vult vt repetam, & dicam, *si daretur forma corporeitatis, secundùm formam corporeitatis posse dici speciem mutasse*. At tu molestus, & verbosus cupis, alios eandem la- *pa.45.*

sect. 2. in fine bem subire. Sed de forma corporeitatis inferiùs aliquid dicam.

Sycophantia prima circa variarum gentium cibos.

1 VT tibi, ò Satyre, in mea Asitia facerem satis, dixi post alia: *Si præterea non recipias* (tecum loquebar) *Galenum, qui pro cibo leoni tribuens carnes crudas, homini vero coctas, non uidetur meminisse Scytharum gentis: quæ lac concretum cũ sanguine potat equino*, &c. Tu verò studio cõtradicendi mihi adeò linguam prurire ais, vt eo percitus æstro non animaduertam, quid viris doctissimis opponam, Galeno scilicet. Tu ne mihi pruritum contradicendi attribuis, qui mera es contradictio? At hoc saltem tibi affirmabo, tibi adeò esse magnum nugandi pruritum, vt etiam in re manifestissima nugare velis. Ego quidem Galenum recipio, veneror, sed quia tuam temeritatem, ne dicam impudentiam, noui, metuens ne illum nolles recipere, substitui alia exempla, quibus id, quod intendebam, confirmarem. Hoc tu studio contradicendi esse dictum, ais, nempe vt sic à contradicendi studio nunquam discedas. Cęterùm quòd Galenus Scythas omiserit, & alios populos, qui brutorum more cibantur, non id improbaui, quasi mihi noceret, sed quasi tuæ subdolæ naturæ non adhuc satisfaceret. Sed esto: improbetur Galenus, labem illi à me inustam fateri volo. Attribuatur mihi hęc maledicentia, tibi verò magna pietas, qui miserum Pergamenum, perinde ac si pater tibi Rechensis foret, patrocinaris. Sed vide, ne istud patrociniũ parricidium euadat. Multa ergo in me reperis, quæ reprehendas: flagellum parato, sed & spatulas. pa.46.

2 In primis damnas, quod lac, & sanguinem appellari posse existimem nomine carnium crudarum. Profectò qui ferinum sanguinem crudum potauerit, nõ longè aberit à crudarum carnium esu: imò verò neminem reperies in hac nostra regione (nisi sit aliquod gulæ monstrum) qui sanguinem crudum ingerat, & tamen salsamentis ex cruda carne paratis quotidie vtimur. Secundo loco scire cupis, an lac concretum potari possit ab homine Scytha; Sed heus tu, ne mecum de alieno crimine agas; Virgilium tibi huius phraseos autorem do, ille enim, dum pastores docet, quomodò pecorum febribus mederi debeant, proponit missionem sanguinis, sicut faciunt barbaræ nationes ad propriam alimoniam.

Verg. Georg. 3.

Profuit incensos æstus auertere, & inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam.
Bisaltę quo more solent, acerq; Gelonus,
Cum fugit in Rhodopen, atq; in deserta Getarum,
Et lac concretum cum sanguine potat equino.

Itaq; vult Maro suos pastores similes esse Bisaltis, & Gelonis, qui in locis desertis secta equi vena bibunt ferinum sanguinem vnà cum lactę concreto: & sic pastor secet venas. Sed quid difficultatis habet, lac, quod concretum asseruatur, dissolui cum sanguine & sic potu assumi, aut fieri pultem, quam potari dixit parùm memor venturum è Recho Satyrum, qui eius verba censuraret? Pultem dico effici posse cum Plinio, qui sic ait: *Sarmatarum quoq; gentes hac maximè pultę aluntur; & cruda etiam farina, equino lacte, vel sanguine è cruris venis admisso*. Tandem hi, quos Gelonos poeta vocat, pertinent ad Sarmatas, ad Scythas, ad Getas, ad Massagetas. Cæterùm si tibi adhuc non est factum satis, de latinitate cum Virgilio contendito: ego in hac cum illo potiùs errare volo, quàm tecum rectè sentire. Tertio loco, sanguinem equinum in potu haustum numerari posse inter cibos, negas. At ego parasitum ad te mittam, qui tametsi ἀπὸ τοῦ σιτοῦ .i. à cibo nomen habet, nihilominùs tàm potandi, quàm comedendi fungitur munere. Vah stolide, qui in his puerilibus nænijs totus es! Leones carnes crudas deuorant, Scithæ autem (quod leoninis moribus est proximum) sanguine equino, siue epoto, siue manso aluntur. Quid hic reperiet erroris, nisi tu, qui in erroribus semper versaris? Aristoteles quidem rectè ait (vt tu dicis) *ad pauca respicientes facilè enunciant.* Sed Aristophanes etiã rectè καὶ λεπτολογεῖν ὀδυρτὰ καὶ περὶ καπνοῦ στενολεσχεῖν. *De rebus nihil disceptare, & de meris nugamentis sollicitum, & anxium torquere.* Quare in te quadrabit illud, *Dubitare de singulis, est ignorare omnia. Norunt omnes*, inquis tu, *lippi, lac concretum potari non posse, sed comedi, potari tantummodò posse ante*

Plin. lib. 18. c. 10.

Adagiũ

concretionem: norunt etiam cęci, sanguinem, qui potatur, non esse cibum, sed potum: Sed expecta repercussionem. *Norunt omnes*, ego inquio, *lippi, & tonsores, lac concretum potari, à Virgilio fuisse dictum: norunt etiam stolidi* (tecum loquor) *sorbendo, potando, glutiendo alimentum sumi posse.*

3 Nunquam, hercle, dum viues ab scurrilitatibus abstinebis. Hactenus patrocinabaris Galeno, deinceps mihi, & cum Galeno exprobauerim, quòd Scytharum fuisset oblitus, nunc mihi plerasq; alias affers nationes, quas similiter barbaricum victum obseruantes, omisit Galenus: nempe ex A. Gellio Scythas penitissimos, qui sub ipsis septentrionibus ętatem agunt, & corporibus hominum vescuntur, eiusq; victus alimento vitam ducunt, & antropophagi nuncupantur, & ex Herodoto Massagetas, & Indos Padęos, qui humanis carnibus vescuntur. Sed si tibi erat animus suggerere mihi historias, quas Galeno obijcerem, vbi reliquisti Canibales, qui Insularum à Christophoro Columbo inuentarum partem incolunt, homines tetros, trucesq; qui puerorum, & virorum carnibus, quos alijs in Insulis, bello, aut latrocinijs cepissent vescebantur, vt Bembus narrat? Cur etiam non commemorasti Hibernię indigenas syluicolas, humanis carnibus vesci solitos, qui patres defunctos esitant, vt narrat Strabo relatus à Sabellico? Cur etiam non recensuisti innumerabiles tum homines tum mulieres, quibus extra nationis suę & regionis, quam incolebant, consuetudinem, placuit humanis carnibus pro cibo assumptis inquinari? vt fuisse Phalarim tyrannũ narrat [a] Clearchus, qui eò vsq; crudelitatis fuit prouectus, vt infantes lactentes comederit, cuius rei fidem faciunt [b] Athenæus, & Aristoteles. Vt fuerunt Sagæ ex Apuleio, quę sic humanam carnem appetebant, vt ęgrè cadauera seruari, aut concludi etiam possent, quin illæ ingressæ ad ossa vsq; abroderent. Quamobrem in legibus Salicis scriptum est, Sortilegam, si hominem ederit, atq; euincatur, solidos ducentos solutaram. [c] Philostratus Lemnius autor est, lamiam, quæ sic humanis vescebatur carnibus, Corinthi ab Appollonio Tyanęo retectam, & eiectam esse. Quò spectans [d] Horatius, & velut crudelissimum facinus abominatus, inquit.

Neu pransæ lamiæ puerum viuum extrahat aluo

Sed inter uarias ad hanc rem pertinentes historias, admirabilis est illa, quam narrat [e] Hector Boethius de quodam latrone, qui cũ tota sua familia ob humanarum carnium esum vltimum supplicium subijt, & duntaxat filiola vix vnum nata annum superfuit, quæ Diodoni educata priùs, quàm duodecimum superasset annum in paterno scelere deprehensa, vt viua terræ mandaretur sententiam accepit: cumq; ad patibulũ duceretur execrantibus eam, quòd tam immane facinus committere ausa fuisset, respondisse fertur, Quid me obiurgatis tamquam de scelere hominibus indigno? mihi credite, vbi experti essetis, quàm palatum delectet humana caro, qui à liberorum esu abstineret, nemo inueniretur. Sed hæc obiter, vt tuę satisfaciam aceruandi exempla auiditati.

4 Tandem reuerteris ad Galeni patrocinium, eumq; excusas, quod leonibus carnes crudas, hominibus coctas in vsu esse tradẽs, barbarorum mentionem non fecerit, qui cum brutis in ciborum vsu, & esu sunt comparandi. Inquis igitur. *At Galenus tractat de hominibus ciuilem vitam agentibus, deq; hominum maiori parte, quæ moribus mansuetis viuit.* Quis tibi reuelauit, hanc fuisse Galeni mentem? profectò ex eius verbis nil tale poteris aucupari; Ille cibos vnicuiq; animalium speciei proprios dum refert, sicut omnibus leonibus carnes crudas pro cibo attribuit, sic omnibus hominibus coctas. [f] Verba ipsius transferre placet, vt etiam intelligas, quomodò, ille substantiæ proprietatem intelligat. *Tum in commentarijs de temperamentis, tum autem in libris de medicamentorum facultatibus copiosissimè exposuimus demonstrantes à totius substantiæ proprietate, suum cuiq; animantiũ generi cibum esse familiarem. Asinis quidem, & equis paleam, fœnum, hordeum, & id genus alia: leoni autem crudas animalium carnes: Homini tum has omnes coctas, tum panes ex frumentaceis seminibus, vt diximus, confectos: atq; & elleboro coturnices, & cicuta sturni, citra noxam vescuntur, ceu vtiq; eruo boues. Quæ igitur cuiq; coctu facilia, aut difficilia sint alimenta, aut ex substantię proprietate, aut aliquo symptomate, primo libro id exposui.* Sic Galenus. Putas ne hinc elici posse, illum magis de ciuilibus, quàm de inciuilibus loquutum, & magna ex parte, non vniuersim ita se habere voluisse? Ne mihi deinceps, Satyre, legislatorum more, sed aliqua pręhabita coniectura autorum sententias explicato.

5 Prosequebar ego in prædicto tractatu de asitia probare id, quod inceperam, hoc

Right margin notes: A. Gel. lib. 9. noct. attic. c. 4. — Bemb. lib. 6. histor. — Sabellic. lib. 6. AEnead. 6. — a Clearchus in lib. vitarum — b Athen. lib. 9. c. 18. Arist. lib. 7. ethic. c. 6. Apul. lib. 2. Asin. aure. Leges salicę c. 67. — c Philostratus lemn. — d Horatius

Left margin notes: pa. 46. — e Hect. Boeth. Scotor. histor. l. 18. refertur à Mar. cello donato l. 4. c. 1. fit mẽtio huius historiæ infra q. 3. art. 1. n 7. pa. 46. — f G. lib. 2. de alim. facult. c. 6.

hoc est, populos aliquos cibis vti, à quibus aliæ gentes abhorrent, & dicebam, *Sarmatis, Vandalis, ac innumeris alijs equorum, & vulpium carnes solat o sunt.* Tu verò, ne quid sinè morsu transeas, inquis, *Nec id officit Galeno carnes coctas hominibus familiarem cibum attribuenti:* quoniam scilicet ego probare debueram, sed nō probo, Sarmatas, Vandalos, & alios carnes equorum, & vulpium crudas in cibum assumere. Marcus Polus, Tartaros equorum carnibus coctis vesci, testatur: Scythas etiā coctis carnibus vesci docet Hippocrates. Sed malè hic Scythas mihi offers, quos carnibus quidem coctis vesci dixit Hippocrates, quibus autē carnibus vescantur non dixit. Cæterùm magni momenti res est, magnæq; malignitatis signum, quod inter me, & Galenū inimicitias vis serere. Ego pridem dixi, Galenum Scytharum gentis non meminisse, & ibi vniuersam finiui litem: tu litem protrahis ad ea, de quibus nulla mihi, nec cum Galeno, nec cum alio lis est, nisi tecum, quem magis contemptim, quàm ex professo in ius vocaui. Redire mihi fuit in animo (postquam Galeno obliuionem illā parùm certè damnabilem obieci) ad priorem intentionem, quæ erat ostendere, varias esse nationes, quę cibos assumunt ab aliarum gentium cibis diuersos: Sarmatas, & Vandalos esse, dixi, quibus vulpinæ, equinæq; carnes in vsu sunt. Quid hoc cum Galeno? & tu tamen satyrica procacitate me Galeni sequacibus infestum vis fieri. Sed frustra: nemo enim est, qui meis verbis perlectis, te sibi tędiosum non faciat.

H. de aere aquis, & locis

6 Addidi, *Semicrudas non aspernatur Hunnorum feritas.* Hic quoq; in eodem hęres scopulo, & pugnam adhuc cum Galeno durare vis: hoc quidem est fucum lectoribus velle facere: *Nec istæ carnes* (inquis tu) *semicrudæ coctis opponuntur, vel inter crudas iure ponuntur.* At ego eas neq; oppono coctis, neq; repono inter crudas; sufficit, quòd non omnibus nationibus sint in vsu: quamuis (vt ingenuè loquar) qui semicrudas comedunt, facilè ad crudas comedendas induci possunt. Vnum hoc testor, atq; profiteor, me in his omnibus nolle Galeno aduersari, nec si vellē, possem: nam ille ne verbum quidem scripsit, quod meæ sententię repugnet, imò superiùs citatis verbis meam opinionem confirmat. At nihil hęc mea testatio, professiouè iuuat: quippe vlteriùs cum anthropophagos etiam commemorem, tu adhuc ais, neq; hoc Galeno opponi: quis feret hunc Satyrum? Non opponi, ais, Galeno, carnes coctas hominibus in cibum assignanti: *Nam barbari carnes humanas deuorant non crudas, sed comedunt coctas.* Hic obiter tuam admiror latinitatem, *deuorant non crudas, sed comedunt coctas.* Sed ego Galenum iam diu reliqui, postquam de Scythis egi, tu illum, & me persequeris: vtriq; tuę nugę non nocent.

pa. 46. *Ga. 2 de ali. fac. c. 6.* *pa. 47.*

Sycophantia secunda, cum additamento de vocum significatione.

VLtimum terribilium mors dicitur, tum quia absolutè terribilissima est, tum quia vltimum malum est, quod patimur. Nihilominùs hoc non tollit, quominùs inter aliqua terribilia spectacula, aliquod vltimum, hoc est, maximum appelletur. At tu, qui grammaticam plus nimio profiteris, & magis ex hac, quàm ex philosophię principijs deducis argumentationes, adeò humi serpis, vt ignores, vltimum eleganter accipi pro summo. Virgilius Saturno primo Latini progenitori ait: *Tu sanguinis vltimus autor.* Videlicet vltimus dicitur, quòd vltra omnia sit, siuè retro respicias, siue ante: & Cic. ab vltimo initio dixit, & vltimum bonum pro summo: & Liuius vltima experiri. i. summa. Propone igitur tibi terribilia spectacula: non ne inter omnia vltimum. i. summum tibi videbitur, si conspicies, hominem humano sanguine inquinatum, carnes humanas deuorantem, aut saltem ad ignem multum easdem verubus fixas assantem? Sed age producito in scenam antropophagos hominum membra deuorantes, imò ad deuorandum pręparantes. Te in primis autore *vltimum terribilium passi fuere morientes, ante quàm deuorarentur;* cur ergo damnas quod dixerim, *Et quod vltimum terribilium est, humanas carnes deuorant barbari?* Tu verò duas personas in scenam inducis, nempè barbaros comedentes, & miseros, qui deuorantur: *Barbari,* inquis, *comedentes non adhuc mortui sunt.* De his nulla mihi cura est: Addis, *Illi verò quorum carnes comeduntur iam mortui sunt, adeoq; non possunt esse terroris capaces;* ita est: sed putas ne tragœdiam esse completam? At vbi reliquisti spectatores? his,

pa. 46. *Satyri ignorātia* *Ver. 7. AEneid.*

ego dixi, esse terribilissimum spectaculum, siuè vltimum, siuè summum terribilium. Tu, tu, Satyre es, qui inter respicientes ad pauca recenseri debes.

7 Hinc tuo cachodęmone ductus in græciam transis, neq enim sinè duce posses illuc peragrare. Barbaros, dixi, humanas carnes deuorare, qui ideo ἀνδροφάγοι dicuntur: hos tu latinè diceres androphagos; cæterùm latinè non latinè: nam latino sermone antrhopophagi nũcupãtur, seu (quod minùs frequens est) androphagi. Hìc tu magnas excitas turbas; noua, & non audita vocabula componis, vt more tuo ridiculam nobis fabulam quasi in scena agas. Accipe priùs, quid sentiendum sit: ἀνδροφάγος, & ἀνθρωποφάγος idem significant: alterum horum vocabulum compositum à vocabulo ἄνθρωπος, .i. homo alterum à vocabulo ἀνὴρ .i. vir; Priore vtitur Athenæus cum dicit ἀνθρωποφάγοι ἴχθυς, .i. humanem carnem deuorantes pisces: posteriore autem vtitur Philostratus in heroicis. Peculiariter hoc nomine appellantur homines quidam humana carne victitantes, vt olim Lestrigones, & nostro hoc ęuo, apud Indos, qui dicuntur *Cafres*, & alij quàmplures.

pa. 47. | Athen. lib. 7.

8 Tu non toleras, ista duo vocabula confundi, sed ea distinguis, & nominibus ridiculis à te confictis declaras, & vis, vt ἀνδροφάγοι dicantur *viriuori*: quoniam ἀπὸ τοῦ ἀνδρὸς denominantur, id est, viri, sed ἀνθρωποφάγοι hominiuori ἀπὸ τοῦ ἀνθρώπου, id est, hominis. Pereã, si aliquis pręter te has differẽtias seu potiùs has demẽtias reperit; Sed iuxtà hanc (distinctionẽ ne, an scurrilitatẽ dicam?) poterit cõtingere, (ecce fabula agitur) vt vir aliquis gubernator nauis, quę naufragiũ fecit, deducatur ad ἀνθρωποφάγον comedẽdus, hoc est, ad hominiuorũ; At ille respondebit, sibi, qui hominiuorus est, nõ licere virũ deuorare. Rursus nauta aliquis plebeius homo, pro cibo dilicatissimo, deducatur ad ἀνδροφάγον, hoc est, ad viriuorum, ille autem indignabitur, & suæ dignitati, dicet, non conuenire hanc escam, atq; ita plebeium hominem contemnet, ad hominiuorosq; transmittet. O pulchram fabulam! multum certè tibi debent mœsti homines, quos his fabulosis, ridiculisq; distinctionibus delectas. Sed non dum finita est fabula; Hoc naufragis in terram eiectis euenisse, censendum est, qui verò in mari suffocati fundum petierunt, deuorandi sunt à piscibus: sed quoniam ab Athenæo, vt dixi, appellantur ἀνθρωποφάγοι ἴχθυς pisces hominiuori (vt tuo more loquar) non erit ex piscibus plebeis piscis, qui cadauera nobilium virorum velit tangere: & sic comœdiæ nobis materiam præstasti: quare applaudendum est tibi, potiùs exibilandum.

9 Delaberis ad meum librum de meteoris microcosmi. Ibi Microcosmo, hoc est, mundo paruo Macrocosmum, hoc est, mundum magnum oppono. Tu verò, quę tua est humanitas, quomodò rectè dicendum foret, me doces videlicet valde cacophoniacè Megalocosmum, quoniam scilicet Megaleios græce dicitur magnus; certè si Megalocosmum appellarem, non adhuc calumniam tuam effugerem, nam etiam gręcè μεγαλόσωμος dicitur, qui longo, & procero est corpore; quamuis autem ita, vt tu vis, magnum Mundum significarem, non appositè, ex vocabuli similitudine Megalocosmum Microcosmo opponerem. Huius oppositionis gratia neoterici, maximè Teutones, apud quos hoc seculo latini sermonis elegantia viget, Macrocosmum composuerunt: hoc sic compositum vocabulum ab ijs accepi: nam absit, vt ego in re grammatica tantam mihi arrogem autoritatem, qua meo Martę nomina queam innouare. At tu Macrocosmum longum, non magnum significare Mundum ais, idq; probas, quoniam ab Hippocrate macrocephali dicuntur longa capita habentes, & in huius rei confirmationem paginam integram ex libro de aere, aquis, & locis transcribis, nec aliter poterat volumen in magnam molem excrescere. Affers etiam reprehensionem, in quam incidit Pantomimus, qui *Regiam magnitudinem effecturus, protensis in altum brachijs, & surreptis indigitos pedibus constitit, sed ab erudito audijt, Longum, non magnum finxisti*. Profectò eruditus iste meritò Pantomimum reprehendit: neq; enim figura corporis protensa animi magnitudinem significat. Sed tu immeritò, imò stultè hanc reprehensionem in me conuertis: etenim rogarem ego eruditum, si Pantomimus pro magnanimo longanimem, & pro magnanimitate longanimitatem diceret, numquid irrideretur? Profectò si Pantomimus ad significandum magnum amorem indigitos pedum insurgeret, & brachia in altum porrigeret, nemo non irrideret hanc repræsentationem, qua amorem longum, non magnum fingeret; cæterùm si verbo tenus longum amorem,

pa. 47.

Pp hoc

hoc est, ingentem, diceret, omnes applauderent: quippe Virgilium autorem haberet, qui ait,

Virg. AEneid. 1. *Infœlix Dido, longumq; bibebat amorem.*

Tandem Ambrosius Calepinus non indignus, quem sequamur, grammaticus est, ille autem longum pro magno accipi vult, vt quando dicimus longiores dies, siquidem, & maiores possumus rite dicere. Nec verò macrocephali, qui longo capite esse dicuntur, impropriè dixeris eos, qui magno sunt capite; nam Pollux *μακροκέφαλος* apud Pollucem est, cui caput in magnitudinem exuberat, & excrescit, hoc est, cui grande est caput, & *μακρολόγος* multiloquus appellatur, & tandem tu ipse *μακροπαρολιος*, idest contumeliosissimus, citra omnem vocabuli improprietatem appellabere.

10 Porrò satis mihi est, quòd à viris latino sermone peritis Macrocosmus accipiatur ad significandum magnum Mundum: si verum est, vt certè est, voces significare ex instituto, quid vltra quærendum est, nisi an ita instituerint viri docti? Digressio Vnde ego existimo, magnam quidem in etymo vim esse ad exprimendam vocis significationem, maiorem tamen in hominum impositione. Iam te audio increpantem, quòd voces ex instituto significare dixerim, & me non discernere, ais, voces à verbis, quæ in vocibus, seu vocibus exprimuntur. Hoc autoritate Ar. 1. periherm. c. 1. Aristotelis in Perihermenijs confirmas; nempe, more solito, per summum mendacium; Aristoteles enim à te citatus, sic ait; *Quemadmodum literæ omnibus eædem, sic nec eædem voces:* quod idem est, (vt explicant Conimbricenses) ac si dicamus, eas non habere ex se vim significandi: si non ex se, ergo ex hominum p. 135. instituto. Quòd voces significent ex instituto, prædicti Conimbricenses in examen vocant, & omnibus ijs, quæ in contrarium adduci poterant, confutatis, huius dogmatis veritatem satis, superq; confirmant. Quòd autem hæc loquutio apud omnes sit vsitatissima, norunt omnes, qui logicam scholam è limine salutarunt, quam tu è longè vidisse mihi videris. Nihilominus quamuis ea, quæ obijcis, responsione indigna sint, responsionem eis dare libet. logicæ imperitia in satyro

11 Itaque ais, *Vox est animalis perfectioris naturæ sonus:* Benè est: Aristoteles namq; *Vox*, inquit, *sonus animalis est, & non qualibet parte.* Adiungis etiam, Ar. 2. de ani. te. 88. *respirantibus enim solis animantibus voces insunt;* Et hoc quidem verum est, sicut verum quoq; est, quod ais; bruta habere voces, quę nec ex instituto significant, nec addiscuntur, sed naturaliter absq; magistro ad internos affectus significandos sunt datæ. Quid ergo hinc inferre paras? *Nempe solus sermo propriè discitur, & ex instituto passiones animi significat, hominiq; proprius habetur.* O subtilem logicam! Satyrus logicæ ignarus A specie ducis argumentum ad genus: quippe sic argumentari cogeris: *Vox non est sermo, sed sermo est, qui addiscitur, ergo vox non est, quę addiscitur.* Non aliter diceres, *Animal non est auis, sed auis est, quæ volat: ergo animal non est, quod volat.* Putas ne, te argumentum confecisse rectè? At tam verum est dicere *vox non est sermo*, ac dicere *animal non est auis;* neq; enim genus potest indefinitè negari de specie: posset quidem negari addita particula vniuersali; quippe tunc genus non prædicabitur de specie, neq; enim omne animal est auis, neq; omnis vox est sermo. Tu autem me accusas, quòd genus cum specie confundam: dum Error satyri in logica pro sermone, qui species est vocis, vocem obtrudo. Tua tamen logica te hic decipit; nam qui genus pro specie accipit, non confundit genus cum specie, sed sub generis nomine speciem comprehendit. v. g. si quis dixerit *animal boat*, non confundit animal cum boue, sed sub animalis nomine bouem comprehendit, quod quidem sinè falsitate fit. Si enim sermo est species vocis, si rursus sermo significat ex instituto, verum quidem est, vocem ex instituto significare. Sed quorsum me arguis? arguito omnes quotquot logicam scribunt, & docent, quos ita loqui compertum est, imò arguito ipsum Aristotelem. Non ne Aristoteles ait, *In voce circa compositionem, & diuisionem est verum, & falsum?* Non ne idem tibi dat vocem *significatiuam secundum placitum?* Cæcus es, mi Satyre: in me gladium Ar. 1. periher. c. 1. & 2. paras, Aristotelem percutis.

12 Cum ergo voces significent ex instituto, seu, vt tu vis, sermo, futilem esse, dixi, interrogationem eorum, qui quærunt, *Si infans nutritus in deserto loqueretur, quo sermone deberet vti?* Insultas solita amaritudine, atq; ais, aliud esse quærere, si infans in deserto nutriretur, an loqui posset. At ego non tuo modo quęstionem volo proponere. Sed arguo eos qui futiliter arbitrantur, infantem in deserto nutritum loqui posse, & longè futiliùs indagando fatigantur, quo sermone deberet

ne deberet vti, tu autem ipsa futilitate futilior, non existimas, futilem esse hanc interrogationem, quę futili fundamento nititur. Nam quod tu futile putas esse, non futile, sed falsum est; putas enim, puerum in deserto nutritum voces emissurum inarticulatas, quod à veritate est alienum; quid enim prohibet puero articulare voces, si ad id præstandum libera, & sana habet instrumenta? non eas quidem ita articulabit, vt nobis aliquid significent, articulabit tamen. Nec necesse est ad hoc probandum, nutrire puerũ in deserto, sed respicere ad mutos, quos passim habemus. Duæ sunt mutorum differentię; vna eorum, qui instrumenta habent læsa, vt fuerunt duo illi, quibus per chyrurgi inscitiam nerui recurrentes abscissi fuerunt, & isti nullam omnino emittunt vocem: alij vero, quia tametsi loquendi instrumenta habeant sana, habent tamen lęsa auditus organa, ac propterea emittunt quidem voces articulatè, sed non significatiuè: quia deest illis sensus disciplinarum, nempe auditus, quo possent significantes voces addiscere, & Aristoteles, *Qui surdi iam ab ortu naturæ sunt, ijdem etiam muti: vocem ergo emittere possunt, loquutionem autem nullam*; vocat loquutionem eam, qua aliquid significatur. Mihi relatum est ab Illustrissimo equite Puteano redeunte ex Hispania illic nuperrimè artem inuentam esse, qua istiusmodi muti docentur loqui, imò experimento fuisse comprobatam: ipse verò librum de hac arte afferebat, quem mihi ostendere non potuit, quoniam eum cum reliqua suppellectile in nauigio Romam transmiserat. *Ga. 1. loc. c. 1.*

13 Porrò voces à natura sunt, quod colligitur ex Aristotele dicente *Auditus, & vox ab eodem initio proficisci videntur*. Sunt, inquam, voces à natura: nempe articulatæ, (loquor de humana voce) articulatas dico, non significatiuas, nam quòd significatiuæ sint, id habent *ex instituto*, seu, cum Aristotele, *ad placitum*. Posset ergo puer in deserto nutritus voces emittere, non inarticulatas (vt tu ineptè ais) siquidem nullum habet impedimentum, propter quod articulare nequeat, sed articulatas; Cæterùm, ex defectu disciplinæ, non essent, significantes.

14 Opponet tamen aliquis dicens, posse quidem absq; pręuia disciplina puerum loqui: Aristoteles enim quęrit, *Cur pueri nonnulli antequàm ętas veniat, quo vocabula suo tempore explanare possint, fari incipiant, & vbi aliquid expreßè dixerint, rursus obmutescant, atq; vt prius degant, quousq; solitum tempus loquendi accedat? quę quidem à plerisq; portenta esse putantur. Iam aliquos etiam statim, cum in lucem euenerunt loquutos esse proditum est*. Sic Aristoteles, in cuius rei fidem historiam narrat Petrus Aponensis pueri, qui statim vbi compleuit 24. horas à natiuitate, loquutus fuit hæc verba. *Ego sum natus, informatus, & natus sum ad indicandum amissionem Regni Agedeir, & destructionem gentis Almanæ*: his dictis, statim cecidit, & mortuus est. Crœsi filius, vt autor est Plinius, semestris in crepundijs loquutus est: quo prodigio totum concidit Lydorum regnum. Memoriæ proditum est, Sigibertum infantem filium Dagoberti die quadragesimo à natiuitate, cum à sancto Amando baptizaretur respondisse clara voce *Amen*. Anno 1117. apud Cremonam quidam infantulus in cunis iacens matrem cibum familię parantem compellauit, vt à ventris cura cessaret, Deum enim grauibus pœnis peruersam hominum vitam vlcisci constituisse, sed Dei genitricem ante tribunal Christi astantem instantissimis precibus obstare. Hæc cum dixisset iterum constituit. His ergo, & similibus historijs constat, pueros non adhuc edoctos loqui posse. *Ar. 1. sect. pro. 27. Plin. lib. 11. c. 51. Sigibert. in chronic. an. dñi. 633. Regino & Robertus Gagninus.*

15 Nihilominùs hęc portenta non absoluunt pueros à necessitate disciplinę, vt addiscant loqui, quod adeò est compertum, vt probatione non indigeat. Aristoteles autem in problemate citato non dixit, loquutionem fieri posse sinè auditione sermonis, sed contingere aliquando ante tempus præfixum à natura, loqui, id est, ante illud, quo communiter loqui homines incipiunt: quia ante pręfinitum illud tempus acquisiuit temperamentum requisitum ad loquutionem eius, quod audiuit. Si verò transacto illo tempore cessat loquutio, ideo est, quia superuenit temperamentum ineptum ad hanc actionem, aut aliud impedimentum, & hoc dicitur loqui antequàm ætas veniat: nec obstat particula *statim*, nam hęc suam habet latitudinem. Quare idem Aristoteles, vt significet loquutionẽ, non statim à natiuitate euenire, sic ait: *Pueri vt cætera sua membra continere, ac regere nequeunt, sic etiam linguę sunt impotentes, & quidem imperfecti, & serius lingua absoluuntur*. Hinc addisces, vane Ligur, vanam esse tuam irrisionem, qua *Dodechinus in appendice M. scot. lib. 4. de hist. anim. c. 9.*

nobis

nobis narras, tuum infantem trimum balbutientem te ad risum prouocare: quod si scires illum in sua balbutie vim pati, condoluisses dilectissimo filiolo. Cęterùm iam edoctus ab Aristotele poteris cognoscere, pueros non minùs vim pati ob impotentiam linguę, quàm ob cæterorum membrorum impotentiam: quòd si non discernunt, neq; cognoscunt vtriusq; impotentiæ damnum, id prouenit ex ignorantia, fatuitateq; illius ætatis propria. Sic tu ob innatam fatuitatem, dũ nesciebas ab Aristotele esse dictum, pueros, sicut membra alia continere, & regere nequeunt, ita etiàm linguę esse impotentes, & imperfectos, nihil mali imaginabaris, ego autem non possum non imaginari, & quęrere, per quas vias ad professores philosophiæ Aristotelicæ accesseris, cum Aristotelicę doctrinæ omnino sis expers; Dic mihi vlteriùs, inter infantem, qui R. literam proferre nequit, & Demosthenem, qui eius artis, cui studebat, nempe rethoricæ primam literam proferre nequibat, quam differentiam statuis, nisi quòd puer suę impotentiæ est ignarus, Demosthenes autem damnum agnoscens, summoperè laborauit, vt hac noxa careret. p.135.

16 Sed ad institutum redeo, à quo tua malignitas me sępissimè diuertit. Cùm loquutio significatiua sit ex instituto, perperam tu respondendum censes, puerũ illum in deserto natum, & educatum, qui priùs omni caruit auditione, *Si loquetetur, eo sermone loquutionem esse, quo loquutus fuit primus omnium hominum, Adam, & quo loquebantur omnes homines ante linguarum confusionem.* Multa sunt, ò Satyre, quę te conuincunt, quare non debueras legislatorum more tuam sententiam nullo adhibito fundamento promulgare. Ex hac tua positione sequeretur, quemlibet hominem, qui aliquem sermonem addiscat, duplice sermone loqui: nempe & eo, quo primus parens loquutus est, & alio, quẽ didicit. Res est manifesta: nam primus sinè auditione ei inest, posterior ex disciplina. Nec verò mihi dicas, impediri vnum ab alio: quippe multi sunt, qui plures linguas didicere, & vnaquaq; cum libet, altera non impediente, loquuntur. Deinde si primus sermo fuit hebraicus, aut chaldaicus (hoc nunc non decerno, sed in locum commodiorem remitto) vnusquisq; homo magis aptus foret ad addiscendum hunc primum sermonem, quàm alios: quod quidem non ita est, imò isti sermones ita difficulter proferuntur, vt non nisi ab eo, qui à teneris vnguiculis eos acceperit, possint perfectè pronunciari: habent enim asperrimas quasdam aspirationes. Tandem si primæuo sermone puer non edoctus loqueretur, hoc etiam accidere posset puero nato in ciuitate, si prohiberetur, ne quis in eius præsentia sermones conferret, possentq; fieri gentes labij vnius, vt erãt ante ædificationem turris, atq; ita posset, sinè controuersia cognosci, quænam fuit prima linguarũ, quod (vt suo loco dicemus) multos adhuc torquet, neq; in vna, circa hanc rem, opinione omnes conueniunt. Aristoteles, ais tu, *Mundum ab æterno ponens, non habet vllam linguam primæuam, nec potest huic quæstioni respondere.* Imò maximè: cur enim magister naturę (sic enim hunc Philosophum libet appellare) ad physicam quęstionem sibi propositam obmutesceret? sed tu ei, sicut plerisq; iniuriam facis. Non ne ille dixit, *non perinde loquutio, vt vox per naturam prouenit, sed acquiri potest per disciplinam, & studium?* ergo (apud Aristotelem) qui loqui non didicit, non loquitur, & sic responderet, puerum in deserto educatũ non loquuturum: quę vera est sententia à me recepta, à te reiecta. Prætereà cum idem Philosophus dicat, pueros ob linguæ impotentiam brutorum animantium more vociferari, si postquàm lingua absoluitur, loqui velit, & neminem habeat, à quo loquutionem possit addiscere, nisi bruta animantia, eorum vlulatus, quos priùs ob linguæ imbecillitatem imitabatur, iam nunc ob doctrinæ consortium imitabitur, & ferarum more, & viuet, & vlulabit. Iuxtà hanc sententiam soluit Franciscus Georgius problema à se propositum: nempe si nunquam homo loqui didicisset, quo idiomate loqueretur, vbi post multa concludit sic. *Credo quòd nullo modo loqueretur: sicut patet ex ijs, qui surdi nati sunt, qui nullo idiomate loquuntur, nec adhuc compertum fuit, quod quispiam non addiscens loqui, loquatur hebraico, vel alio idiomate.*

p.135. p.136. Ar. 4. de hist. animal. ca. 9. Ar. 11. sect. prob. 3. Franc. Geor. probl. 87.

17 Cæterùm quoniam Philosophus sic ait, *Nullum enim loqui ex cæteris potest, sed homini tantum hæc facultas data est, & hic tamen sero, vt dictum est, loqui incipit.* Et alibi quærens, *Cur homo solus ex omnium animantium numero lingua hæsitans oritur?* respondet. *An quòd solus compos sermonis est, cętera vocem tantùm obtinent?* Videtur repugnare quotidianę experientię: nam auiculę etiam loquuntur. Vnde Satyricus ille maximus,

Ar. 11. sect. prob. 1. & eadẽ sect. prob. 55.

Coruos

Coruos poetas, & poetrias picas Pers. in
Cantare credas Pegaseium melos. præfat.

Imò verò idem met Aristoteles ait: *Genus auium vocem mittere potest, iisq; præcipuè facultas conficiendæ loquutionis, quibus lingua mediocriter lata, vel tenuis.* Deinde multa brutorum animalium omnia instrumenta accommodata, & necessaria ad loquendum habent; frustra ergo essent à natura data hæc instrumenta, nisi inseruirent loquutioni. Habent etiam præter accommodata, & necessaria instrumenta vlterius hoc, quòd brutorum multa sunt disciplinabilia, dicēte Aristotele, *Prudentia quidem absq; eo, quòd discant, quæcumq; scilicet audire sonos non possunt, vt apes, & si quod aliud animalium genus simile est. Discunt autem quæcumq; vna cum memoria hunc quoq; sensum habent.* Ar. 4. de hist. c. 9. Ar. 1. metaphys. c. 1.

18 Nihilominus respondendum est, rectè à Philosopho fuisse dictum, homini tantùm loquendi facultatem esse datam, & solum hominem esse sermonis compotem: loquendi enim facultatem, & sermonem intelligit, non qualemcumq; sed pluribus vocibus continuatis confectum, ita vt orationem efficiat: loqui enim, non consistit in vna loquutione, sed loqui est verba copulare, sermonemq; condere, vt ex ipso met colligitur. Auiculæ autem vnum, vel alterum verbum, quod didicerunt, proferunt, varietatem autem verborum, & seriem orationum nequeunt condere, & quamuis habeant instrumenta loquutioni accommodata, non iccirco ea frustra à natura data fuisse censendum est: licèt enim non loquantur, tamen instrumenta illa alijs vsibus inseruiunt, præcipuè comestioni, cui & dentes, aut pro dentibus rostrum, & lingua, & palatum, necessariò insunt. Præterea: vera loquutio, quę soli homini attribuitur, est ad explicandos conceptus mentis ratione dirigente, & cognoscente, quæ loquitur. Vnde D. Thomas ait. *Nihil est enim loqui ad alterum, quàm conceptum mentis alteri manifestare.* Et in responsione ad primum. *Sed cùm manifestare nos met ipsos cupimus, quasi per linguę ianuam egredimur, vt quales simus intrinsecùs ostendamus; aliter verò minimè, nam psittacus loquitur, & alia animalia, si doceantur.* Neq; adhuc in hoc sensu conuēnit omnibus: nam non omnia sunt capacia disciplinę, vt inquit Aristoteles; Neq; quamuis doceantur, & habeant instrumenta idonea, loquentur: siquidem inter ipsa, quędam habent instinctum naturę ad quędam opera, ad alia verò minimè ac propterea non mirum est, animalia quædam aliquas operationes posse addiscere, alias non posse. Ac propterea respondemus ad id, quod obijciebatur priùs de nonnullorum animalium docilitate, posse quidem aliqua animalia esse capacia disciplinæ ad alias functiones, non tamen ad loquutionem, hoc est ad edendas voces interna quadam directione in ordinem redactas. Vnde meritò apud Homerum μέροψ est epitheton hominis, seu quod habeat vocem diuisam. i. quod hic alia, ille alia loquatur, vel diuisam. i. articulatam, quod soli homini datum est inter animantia: etymon à μερίζω, & ὄψ. prob. 27. & 55. D.Thom. 1. pa. q. 107. art. 1. Ar. 1. metaphy. c. 1.

19 Hic tamen me terret exemplum multarum auium, quę in officio loquutionis visæ sunt non cedere hominibus. Plinius, *Super omnia*, inquit, *humanas voces reddunt psittaci, quidam etiam sermocinantes.* Magis tamen mirabile est, quod addit. *Minor nobilitas, quia non ex longinquo venit, sed expressior loquacitas, certo generi picarum est. Adamant verba, quę loquuntur. Nec discunt tantùm, sed diligunt, meditantesq; intra semet, cura, atq; cogitatione intentionem non occultant. Constat emori victas difficultate verbi, ac nisi subinde eadem audiant, memoria falli, quęrentes mirum immodum hilarari, si interim audierint id verbum.* Et post pauca: *Agrippina, coniux Claudij Cęsaris turdum habuit, (quod nunquam ante) imitantem sermones hominum, cum hæc proderem. Habebant & Cæsares iuuenes sturnum, item luseinias græco, atq; latino sermone dociles: præterea meditantes in diem, & assiduè noua loquentes longiore etiam contextu.* Et capite sequente, coruum fuisse, narrat, qui *maturè sermoni assuefactus omnibus matutinis euolans in rostra, in forum versus, Tiberium, dein Germanicum, & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum Romanum salutabat.* Relinquo Diomedis, & Memnonis aues, & alias multas, tum etiam quadrupedes prudentia, docilitateq; mirabiles, sed de loquutione duntaxat ago, in qua est præcipuè mirabile, quod scribit Plutarchus, Picam mirificè garrulam, multos deinde dies mutam, in se se meditatam tibicinum, quas audierat modulationes, & pulsationum numeros, atq; omnes mutationes expressisse nemine cogente, docenteuè. *Vt intelligi possit* (verba hæc Plutarchi sunt) *in animalibus facultatem à se ipso discendi rationis maiorem habere vim, quàm docilitatem* Plin. lib. 10. c. 42.

 magistra

magistro aptam. &c. Hactenus exempla attulimus imitantium humanas voces. Sed longè magis persuadet, non esse propriam, & peculiarem hominibus duntaxat loquutionem, quòd auiculæ etiam inter se colloquuntur, & sua sensa exprimunt, ad quod credendum nos impulit Porphyrius, qui commemorat sua ætate de Apollonio Tyaneo dici solitum, illum cum audijsset hirundinem vnā, cum multis vociferantem, sodalibus suis, quorum non paucos secum habebat, exposuisse, indicare eam cæteris, asellum onustum frumento ante vrbem cecidisse, frumentumq; humi fusum esse: videri enim ille volebat linguam auium intelligere, vt veteres augures Melampus, & Tiresias fecisse memoriæ proditum est. *Est autem* (inquit Victorius) *hoc admirabile, vt alia nunc taceam: quia hirundines non vescuntur frumento. Porphyrius sanè ipse, de quo accuratè disserit, erat huius sententiæ, vt aues scientiam haberent vocis, cantusq; sui generis auium, ac quod ipsis accōmodatum foret, possent alijs demonstrare.* Ceterùm Philostratus, & Eunapius passeri hoc tribuunt, non hirundini. Verum de animalium instinctu alibi.

[Margin: Porph. περὶ ἀποχῆς ἐμψύχων. Vict. var. lect. l. 27 c. 2. — *genesi ad lite. c. 27.*]

20 Hęc exemplorum congeries multum detraheret opinioni Aristotelis affirmantis, soli homini esse propriam loquutionem, nisi esset, quòd aliqua istorum videntur esse ficta, alia per incantationes facta, quod probari potest, quoniam fuerunt Magi non pauci ferarum cicuratores, qui belluas ad officia alia hominibus propria cogebant. Clemens nobis narrat, Simonem Magum diabolorum opera fecisse, vt loqueretur canis: canem etiam loqui coegit saga Romę, autore Grillando relato à Bodino; Idem Bodinus ex Belonio in suis obseruationibus refert, histrionem fuisse in Ægipto, qui cum asino suo colloqueretur familiarissimè. Quid referam Pythagoram, qui immani cuidam vrsæ, præceptum fertur imposuisse, ne alijs belluis noceret, quod illa, in siluas fide data recedens, obseruauit: idem etiam Pythagoras ad aures bouem alloquutus effecit, vt bos ille deinceps fabaceam segetem non laceraret. At de his plus nimio est dictum.

[Margin: Clemēs in itinerario. Bodinus in cōfut. Vuiet. — *infra sect. 4. q. 10. vbi latissime de brutorum instinctu agitur*]

21 Nec solùm præstigijs data fuit brutorum aliquibus facultas loquendi, saltem ad tempus, sed etiam voluntate diuina, vt Asinę, quæ Balaam alloquuta fuit, Angelo linguam mouente, ac dirigente. Satyrus etiā, qui, vt refert [a] D. Hieronimus, apparuit D. Antonio Abbati deserta peragranti, & eum alloquutus, errorem gentium in se, & alijs animalibus colēdis damnauit, videtur Diuino nutui obtemperasse, & quasi legatione functus Christi aduentum, non ex sua natura, sed ex auditu, (vt ait [b] Franciscus Pico Mirandulanus) cognouisse. Serpens autē, qui Euam decepit, dęmone linguam eius mouente loquutus est: neq; enim sunt audiendi, qui putant, eum naturaliter fuisse loquutum, cui deinde propter malitiam loquendi facultas fuit ablata: non, inquam, sunt audiendi: nam quemadmodū (vt tradit [c] D. Thomas, & apud theologos certum est) Deus nihil naturale abstulit hominibus, aut Angelis propter peccatum, sic probabile est nihil naturale serpenti abstulisse. Cæterùm de hoc consulendus est, præter quàmplures alios, [e] D. Augustinus, & nos [d] infra aliqua adiungemus.

[Margin: Exod. c. 9. a D. Hie in vita Pauli primi heremitæ b Joan. Franc. Pico, Mirād. in exā. doc. de vanit. gent. l. 5. pag. 1133. c D. Th. om. 22. q. 16. art. 2. d infra n. 36. e D. Au. l. 14 de ciuit. Dei c. 11. & l. 11. de]

22 Deniq; (vt iam huic digressioni de significatione nominum vltimam manum imponam) obijcis falsò, vt soles, à Platone in Cratylo fuisse dictum, nomina quędam à natura significare, certè nihil minus. Imò Socrates, in cuius ore semper veritatem Plato collocat, nomina imponere rebus non esse cuiusuis hominis probat, sed legislatoris: quippe lex nomina statuit. Sed ne dialogismo confundaris, referam tibi Ficini, in cuius corpore loquutus Plato videtur, ipsissima verba, quæ Platonis mentem explicant, *Conclude*, inquit ille, *nomina, si vera futura sint, recteq; ponenda, constitui debere à sapiente nominum conditore atq; id quidem dialectico admonente, vt ea forma confiantur, qua rerum proprietates pro viribus imitentur, & explicent.* Et plura alia, quæ apud eum videre poteras, nec confugere ad Numidium relatum ab A. Gellio, cuius argumentum lepidum, & festiuum ipse Gellius vocat, ac propterea tibi placuit: nam *Vos*, inquit, *cum dicimus, motu quodam oris conueniente, cum ipsius verbi demonstratione vtimur, & labias sensim primores emouemus ac spiritum atq; animam porro versū, & ad eos, quibus cum sermocinamur, intendimus. At contra cum dicimus, Nos, neq; profuso, intentoq; flatu vocis, neq; proiectis labijs pronunciamus, sed & spiritum, & labia, quasi intra nos metipsos coercemus.* Hæc, & similia, quæ ibi scripta leguntur, quis sinè risu poterit audire, quę tamen tu magni facis? At similitudo verborum cum rebus non est, ò Satyre, ista Numidij, alia longè à tuis sensibus abdita est, quam Plato à sacra pagina edoctus, nobis insinuauit; eam assequuti fuerunt præstantes doctrina viri, inter quos vnum tibi offero Eusebium, dum explicat verba illa Geneseos: *Omne, quod vocauit*

[Margin: *p. 136.* — *A. gell. lib. 10. c. 4.*]

cauit Adam, animae viuentis, ipsum est nomen eius. Quę verba nihil aliud significant, nisi conuenienter ad naturam rei nomen fuisse inditum, quasi diceret, vt ab eo quodcumq; vocatum est, sic in eius natura erat. Sed audi nunc Eusebium super hæc altissimè philosophantem. *Moses,* inquit, *prius quàm grçci, vel ipsum philosophię nomen cognoscerent, innumerabilia de impositione nominum dixit, aut natura duce, aut Dei iudicio nomina rebus esse imposita ostendens. Plato quoq; non impositione nuda, sed duce natura rectè nomina rebus imponi docet: idq; Barbarorum autoritate confirmat, Hebraeos, meo quidem iudicio, significans: non enim apud alios talem obseruationem facilè inuenies. Ex multis igitur, quę hac de re disseruerat Plato, colligit, non cuiusq; hominis, sed sapientissimi esse nomina rebus imponere. Non ergo, inquit, triuiale quiddam est ò Hermogenes recta nominis impositio, sed doctissimorum, atq; præstantissimorum virorum. Tum Cratylus Recte, inquit, ais, duce natura nomina rebus accommodata putans, nec quemuis hoc facere posse, sed illum tantummodò, qui ad rei naturam respiciens, ad eam nomen ipsum rectè accommodare potest.* Sic Eusebius. Tu autem stultè, nomina rebus naturæ earum accommodata imponere idem esse, ac nomina naturaliter significare, existimas. *Euseb. l. 11. de prępa. euang. c. 3.*

p.136. 23 Sed dic quęso, qui sunt philosophi illi, qui (vt tu ais) Platoni subscribunt, nomina quædam à natura significare, non autem ex hominum instituto, & volunt nihilominùs ea pueris addiscenda esse, tamquàm eis ignotæ significationis? forsitan ne sunt, qui cum Platone tenent, nostrum scire esse reminisci? nam ne sic nomina naturaliter significare arbitror: nam scientia, cuius reminisceretur homo, si iam priùs in alio corpore prçextitit, de rebus quidem est, non autem de nominibus; & sic ille, qui priùs fuit Italus, posset deinde esse Germanus, atq; ita prioris scientiæ reminisceretur, verborum autem minimè. Verùm relinquamus isthęc obsoleta. Putas ne, pueros serò loqui, quoniam ignotę significationis nomina addiscendo, tempus prioris ętatis conterunt? At sic non videris Aristotelem legisse, qui longè aliter sentit, & loquendi impotentiam non ad ignorantiam significationis nominum refert, sed ad linguę imbecillitatem: quippe ignorantia citò aufertur, vt experimur in ijs, qui ad exteras regiones accedũt, & linguam illius populi volunt addiscere. Audi Aristotelem referentem causam, cur pueri balbutiant: Nempe, *Vt etiam manibus, pedibusq; pueri minus valemus, & infantes ambulandi omnino facultate caremus, sic etiam linguae parùm compotes pueri sumus, & infantes verbum nullum proferre possumus, sed more brutorum animantium vociferamur: vidilicet causa imbecillitatis, quæ non solùm hesitatem linguae, sed etiam balbutiem, blæsitatemq; faciat.* Et in fine adiungit: *quæ quidem omnia imbecillitate eueniunt, lingua enim subministrare intelligentiæ non potest:* His vltimis verbis iam supponit acquisitam intelligentiam, non autem ablatum loquendi impedimentum. Quapropter (vt idem met priùs dixerat) *Simul & audiunt, & vocem emittunt, simul & intelligunt facultate audiendi, & loquuntur, & explicant; Euenit tamen interdum, ne hęc sicul contingant, sed vt alij prius intelligant, quam membrum id absoluatur, quo loqui possumus, alij contra, quæ scilicet loquuntur, intelligere nequeant.* Sic ille, qui semper loquendi impotentiam ad intemperamentum refert: alioquin si ex sola ignorantia significationis impedimentum proueniret breui tempore infans loqueretur. Hoc progressus, quo loquutio acquiritur, declarat, vt ex Aristotele superiùs vidimus. Priùs nec ambulare, nec loqui potest, posteà ægrè cruribus sustinetur, ægrè etiam, & balbutiens loquitur, tandem vtriusq; actionis perfectionem comparata membrorum duritie acquirit; Si verò tui illi Philosophi dixerint, & ignorantiam significationis, & membri imbecillitatem esse in causa, cur infans tardè loqui incipiat, id quidem admittam, dummodò ignorantia paucis diebus absoluatur, imbecillitas tardiùs: hoc patet, quoniam infantes ante quàm loquantur, significationes vocum se intelligere gestibus quidem ostendunt. *Ar. 11. sect. prob. 30.* *prob. 27.*

24 Cçterùm Ammonius, imò & omnes alij rectè dicunt, voces brutorum, imò & plorantium hominum, & ridentium voces naturaliter significare, nec erat, cur magis Ammonij, quàm cuiuslibet alterius testimonio ad hoc vtereris. Rectè, etiã tu ais, post linguarũ confusionẽ non omnes ijsdem nominibus, ijsdẽq; verbis vsos fuisse. Sed dic sodes, ante linguarum confusionem significabant ne nomina naturaliter? Si annuis, frustra fuit illa nominum impositio ab Adam facta: sin abnuis, nunquam ergo nomina significarunt naturaliter. Cæterùm distinctio, quam tu facis inter voces, & nomina, vana est, nam communiter quando quęrimus

mus, an voces significent ex instituto, iam supponimus, nos agere de vocibus articulatis, imò & significatiuis: quærimus enim, an significatiuę cum sint, hoc habeant à natura, an ab hominum impositione. Tandem ego, dum dixi, voces significare ex instituto, communem omnium autorum consensum sequuutus sum, tu dum hoc reprobas, tuam duntaxat vel rabiem, vel ignorantiam sequeris, & quod mirum est, hanc accusationem sępe repetis, quasi logicæ non dum initiatus. Nunquam ne Aristotelis librum pre manibus habuisti? At ille primo statim capite primi libri de Interpretatione ait, *Quemadmodùm nec literæ omnibus eędem, sic nec omnibus voces*: Voces ne intelligit plantum, & risum? at hę sunt omnibus eædem; Non ne eodem capite legisti *in voce circa compositionem, & diuisionem esse verum, vel falsum?* Istud ne de voce non significatiua est dictum? Tandem sæpe ais, me dum vocem pro nomine accipio, accipere genus pro specie: quippe vox est genus, nomen species; Quando ergo Aristoteles definiens nomen inquit: *Nomen est vox*, iam hic, ex tua sententia, adest genus nominis, genus, inquam, in quo duæ species nomen, & verbum conueniunt, nec oportuerat addere nisi differentias, vt scilicet nomen significet sinè tempore, verbum cum tempore: & ita foret absoluta definitio; cur ergo dixit, est vox sinificatiua ad libitum? Necessariò cogeris dicere, genus esse non vocem simpliciter, sed vocem significatiuam ad libitum, ac proinde ignoranter ais, vocem esse genus nominis, cum tamen genus nominis non sit quęlibet vox, sed vox significatiua ex instituto, seu ad libitum, & ego rectè, & ex ore Aristotelis dixi, vocem significare ex instituto. Si scires differētiam inter vocem simpliciter, & vocem significatiuam, cognosceres vocem per se solam non esse genus nominis; sed esse subiectum eiusdem: vnde D. Thomas, Ammonius, & alij, quibus placet, nomen definiri per vocem, dicunt, definiri per subiectum, sicut definiuntur artificialia.

Arist. perih. c. 1.

logicæ ignorātia in Satyro

25 Mea interesse dicis considerare, num primus ille sermo, quo loquebantur homines ante linguarum confusionem, fuerit naturalis, an per disciplinam comparatus, & cuiusmodi fuerit, an eius habeamus aliquod vestigium. Sed quorsum ego hoc ibi tractarem, vbi obiter, & aliud agens quæsiui, quo sermone loqueretur infans nutritus in deserto? nempè, vt tuas nugas imitarer; si omnium, quæ nobis occurrunt in sermone perfecta tractatio habenda foret, volumina in immensum crescerent, & lectorum aures obtunderentur. Num quoties Homerus vinum celebrat, eius naturam, & inuentorem perquirere debet? Tu autem, quando ranarum mentionem fecisti, cur etiam non omnia pertractasti, quę de ranis Libauius pluribus libris scripsit? Duas causas affers, cur ad me spectaret, quęstiones istas à te propositas explicare: prima est, quia reliquis omnibus volo antecellere. Non benè me nosti: reperisti nempe hominem valde ambitiosum, me, inquam, de rebus meis semper humiliter sentientem, non tamen adeò, vt vel tibi, vel tuo compari Guastauinio par fieri patiar. Altera: quia sæpissime confugio ad linguam originalem: sæpissime ais, quod ter in omnibus meis operibus reperisti: nempè bis in opere de meteoris microcosmi, semel in tractatu de asitia, sed tu *sæpissime* dixisti, vt sæpissime mentiaris, nam Ouidio. p. 136.

Sponte sua carmen numeros veniebat adaptos,
Et tibi sponte cadunt falso mendacia ab ore.

26 Itaq; quod ego prudens omisi, quoniam (vt cum Horatio loquar) *non erat hic locus*, tu imprudens pertractas cupiens (cum eodem Horatio) *simulare cupressum*. Teneo causam, peculium tibi erat ab aliquo ex tuis heris surreptum, voluisti illud hic quasi per vim inserere: ita esto: cogis tamen me tuas nænias detegere. Duo tu quæsita facis, & incipis à posteriore, nempe cuiusmodi fuerit primus sermo, & an eius habeamus aliquod vestigium; prius verò quæsitum, videlicet num primus sermo, quo loquebantur homines ante linguarum confusionem foret naturalis, an per disciplinam comparatus, hoc inquam à te priùs prpositum, posteriùs pertractas. Ego verò non sic, sed priùs priori faciam satis.

27 Quæris igitur, vtrum primęuus sermo naturalis esset, an ex instituto. Sed cur dicis naturalis esset, non verò naturalis fuit? sanè si fuit naturalis, esset etiam post confusionem babylonicam naturalis. Deinde huius quæstionis duos facis sensus: vnus est vtrum homines à natura sinè doctore talem sermonem haberent, vt aues proprias cantilenas, an potiùs, vt nunc fit, filij loqui discerent à parentibus, & nutricibus: alter est, vtrum primi sermonis vocabula significarent res ipsas ex sua natura, an potiùs ex instituto primi impositoris. Sed quorsum hæc inanis p. 145.

consi-

consideratio? non ne, quando confusio babylonica accidit, transierant Mundi anni mille septingenti quinquaginta octo? ergo sicut in hoc annorum spacio fuit, ita foret post illud: Stultè quærimus, quid foret, si habemus exemplum eius, quod fuit: e. g. quæritur, si Adam non peccaret, quandiu duratura foret vita hominum, Non autem quæritur, si Adam non peccaret, an comederet, & dormiret homo: etenim iam scimus, hominem comedisse, & dormijsse. Porrò existimas
p.149. iuxta secundum sensum, quæstionem esse explicatu facilem. *Nam habemus*, ais tu, *à sacra pagina primum hominem, Adamum scilicet, animantibus cunctis nomina imposuisse, & quod foret sapientissimus congruentia natura cuiusq; rei per ea nomina significatæ*. Hic risum continere quis poterit? dum ais, *primum hominem, Adamum scilicet*? certè rem magnam nos doces. Deinde consideras verba, *ipsum est nomen eius, & appellauit Adam nominibus suis cuncta*. Hęc autem quid aliud nobis indicant, quàm nomina animantibus imposita ad verę etymologię normam fuisse fabricata? Sed tu ais, *Hinc facilè cum Eusebio colligas nomina rerum ab Adam pronunciata fuisse rebus naturalia, illisq; propria*. Vide quid dicas, ne semper mendaciter loquaris. Eusebius enim non dicit, nomina ab Adamo fuisse pronunciata, sed imposita, ut impositionem nominum vis aufugere; Verba Eusebij sunt hæc: *Aut natura duce, aut Dei iudicio nomina rebus esse imposita*. Deinde adiungit. *Plato quoq; non impositione nuda, sed duce natura rectè nomina rebus imponi, docet*. Hoc quid aliud est, quàm imponere nomina rerum naturę cogruentia? quod eleganter Eugubinus declarat, cuius verba libet apponere. *Nec verò difficile primo homini fuit notare nomina animalium, qui omnium eorum audiuit à Deo proprietates, & sapientia ab eo largita cognouit: vt enim idem ipse vocauit primogenitum suum, quem à Deo acquisiuisset Kain, quasi possessionem, & acquisitionem: alterum Hebel, reor ipse Chebel, id est luctum, super quo primum gemuit interfecto, aut Hebel idest vanitatem quia subitò euanuit, non diu vixit, & vt omnium mortalium genitricem Cheuā, sic & cęteros animantes alios, à sonitu, ac voce, alios à colore, omniq; ingeniorum, & corporum qualitate nuncupauit, id, quod & in sequutis temporibus a reliquis hominibus est factum*. Sic Eugubinus. Porrò verba, quæ consideras in sacra pagina, considera, quæso illa cum Eusebio, quem citas, Eusebius enim ita considerat. *Cum Moses dicat omne, quod vocauit Adam animę viuentis ipsum est nomen eius, nihil aliud dicere voluit, nisi conuenienter ad naturam rei nomen fuisse inditum*. Qua facie ergo Eusebium in tuam partem vis trahere? Audi tandem Rupertum, & forsitan acquiesces. *Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia, & omnes bestias terra. Adæ verò non inueniebatur adiutor similis eius. Videlicet singulorum considerauit naturas, & ex qualitatibus diuersis, diuersa formauit vocabula: Vt v. g. latinus caballum à cauando nuncupat, eo quod terram cauet vngula. Asinum ab assidendo: porcum quasi spurcum, eò quod spurcus sit, & canem eò quod canorum continet venando latratum; & multa huiusmodi. Ita nimirum ille in lingua primitiua, quę facta diuisione linguarum in gente remansit hebræa, nomina formauit singulorum consideratis proprietatibus naturarum, & nullius naturam talem esse perspexit, vt rectè nomen illi dare haberet cognatum suo nomini, sicut de muliere post modum dixit: Hæc vocabitur virago, quia, inquit, de viro sumpta est*. Ex his Ruperti verbis elice, Adamum fuisse nominum impositorem iuxtà ætymon sumptum à cuiusq; animalis natura. Rupert. Abb. in genes. li. 2. c. 33.

28 Siquis autem dixerit, Adamum animalibus duntaxat (vt constat ex sacra pagina) imposuisse nomina, quare adhuc dici potest, cætera vocabula, & verba, & loquendi furmulas, absq; impositione, naturaliter significare, respondet Tostatus, Adamum accepisse linguam à Deo, quantum ad alia omnia perfectam, prę ter eam partem, quæ animalium nomina continet, quam scilicet integram reliquit Deus solertię, & sapientię Adami. Nec tamen hinc colligas, vocabula significare naturaliter, quia scilicet Deus eorum significationes Adamum docuit; solum colligere potes, Deum fuisse primum, qui vocabulis significationes dedit, deinde eas Adamo tradidisse, nepe simul cum notitia sciētiarum, notitiam etiam idiomatis, quo scientias posset suos posteros docere. Sicut enim Deus docuit Noe quomodò fabricanda esset arca, & Mosen, quomodò testamenti arca, & Salomonem, quomodò templum, & ista tamen omnia artificialia erant, non autem naturalia, sic Adamum docuit, vocabula fabricare, cum tamen artificialia sint, non autem naturalia, quoad eorum significationes. Tandem quemadmodum artifex in fabricando aliquo artefacto (quæ est comparatio à Platone allata) re- Tost. q. 344. sup. c. 13. ge. Plato

ſpicit ad Ideam, quam habet, ſic nominum impoſitor rei, cui nomen imponere vult, reſpicere debet, hoc eſt, ad eius naturam, quæ verè apud Deum eſt, vnde Deus vera rerum omnium Idea appellatur. Iccirco idem Plato, quærens optimum nominum impoſitorem ſophiſtas irridet, & ad poetas ſe confert, eoſq; non omnes, ſed duntaxat theologos, qualis Homerus fuiſſe perhibetur; hos enim vera nomina à Dijs accipere ait, apud quos vera ſunt nomina.

29 Porrò Adamus veram imponendorũ nominũ rationem ab Angelo ſuo Raziele accepiſſe dicitur, quem narrant tradidiſſe ei librum omnium rerum, tam diuinarum, quàm creatarum arcana continentem. Forſitan autem (vt ſuſpicatur Franciſcus Georgius) ingenium limpidiſſimum, quo Adam pollebat fuit verus liber deſcriptus à verò Raziele, qui ſecretum Dei ſignificat. Hoc ſuo ingenio limpidiſſimo cognouit rerum immediatas cauſas, deinde iuxtà rerum proprietates ſciuit ipſarum nomina componere. Ex his conſtat, non pronunciaſſe (vt tu malè ais) nomina naturalia, ſed ea rebus impoſuiſſe iuxtà earum naturas, quas per ſcientiã à Deo ſibi infuſam cognoſcebat. Interim cum dicas, Adamũ non impoſuiſſe nomina ad nutũ, addiſcito loqui: nomina enim non ad nutũ, ſed ad libitũ imponuntur. Hęc igitur ſint dicta circa ſecundum ſenſum, quem tu dixiſti eſſe facilem explicatu, cum tamen quantum in eo erraueris facile cognitu ſit.

Franc. Georg. prob. 28.

Satyri error.

30 Circa priorem ſenſum, rem non admodùm perſpicuam eſſe, cenſes, illud tamen certum eſſe ais, *è ſacra pagina non haberi, vllum hominem ante linguarum confuſionem didiciſſe loqui*. At ego tibi ampliùs concedam, nec è ſacra pagina haberi vllum hominem poſt linguarum, quam tu vocas confuſionem, didiciſſe loqui; Habes ergo per me, nec ante, nec poteſt linguarum multiplicationem in ſacra pagina fieri mentionem alicuius, qui didiciſſet loqui: quid inde? debueras, mi Satyre, inquirere, an è ſacra pagina negatio colligi poſſit, per quam ſermo non addiſcitur: nam Angeli fuerunt creati, & hoc ſacra pagina non narrat, non tamẽ negat: Euangeliſtæ ſacri non narrant, Chriſtum Dominum, poſtquam reſurrexit, apparuiſſe ſacroſanctæ Virgini matri, & tamen hoc apud ſacros autores pro indubitato habetur. Ea, quæ manifeſta ſunt, non oportet, vt narrentur, neq; argumenta à contrario ſenſu valent apud iureperitos. p.149.

31 Reſponſioni, quam tibi aliquis afferre poſſet, occurris: poſſet namq; aliquis reſpondere, filios à parentibus fuiſſe edoctos, tu ais, *Tale quid de Adamo afferri non poſſe, neq; de coniunge Eua, quæ ſtatim condita ſermones triuerit cum ſerpente, & excuſationem de peccato pronunciauit*. Non putabam, grammaticos poſſe dicere excuſationem pronunciare de aliquo, tibi tamen omnia licent. Deinde non admodum certum eſt, ſtatim poſt conditam Euam ſequutum fuiſſe cum ſerpente colloquium, imò ferè omnes ſpacium aliquod interijciunt; Adam igitur potuit breuiſſimo tempore nominum ſignificata addiſcere, vt pote qui, vt diximus, limpidiſſimo ingenio erat præditus; Hoc tu quaſi precariò videris admittere: verùm Euę tale quidpiam negas. Profectò ſiquis dicat, Euam etiam nomina rebus impoſuiſſe, huic non aſſentiar, ne contra mentem Platonis mulieribus facultatem imponendi nomina admittam. Cęterùm ſi quis conſideret, conditam fuiſſe Euã, vt Adamo adiutorio eſſet, cum autor naturę non deficiat in neceſſarijs, non debuit deficere in circunſtantijs, quæ requirebantur, vt Adamo Eua adiutorio eſſet: deficeret autem quamplurimum, ſi Euæ denegaſſet inſtrumenta, per quę & Adami ſenſa percipere, & ſua ſenſa etiam poſſet Adamo communicare. Quid ergo prohibet, Euam, tametſi nõ ſicut Adam habuit rerum omnium infuſam ſcientiam, habuiſſe tamen infuſam vocabulorum notitiam, per quam cum marito poſſet ſolitas audire, & reddere voces? p.149.

Satyri error. in grãmatica

32 Deducis deinde argumentum à luſcinijs, quæ *Cum citra vllam ſcientiam infuſam à natura varias*, ais tu, *vocum inflexiones edant ad internos ſenſuum affectus exprimendos, nec Adamo neceſſaria fuiſſe videtur ſcientiarum infuſio ad hoc, vt à nullo magiſtro edoctus poſſet articulato ſermone vti*. In primis nihil concludis, quod tibi faueat: nam Adam poſſet quidem ſinè magiſtro articulato ſermone vti, & pronunciare blictri, ſed nos loquimur non de vocum articulatione, ſed de earum ſignificatione. Deinde dic mihi, vnde cognoſcis, luſcinias cantũ varios exprimere animi affectus? nunquid, vt Tianeus, intelligis auium loquutiones? Tandem cum negas, auibus ſcientiam à natura infuſam, aueo ſcire, an ſcientiæ infuſę nomine intelligas eam, quæ à philoſophis dicitur doctrina innata: nam ſi ita intelligis, cum doctrina innata ſit inſtinctus naturalis, iſte inſtinctus ne animalibus p.149.

quidem imperfectus deest. Iam ergo auiculæ non canunt absq; infusa à natura scientia, neq; animi affectus varijs inflexionibus exprimunt: semper enim vno, eodemq; modo canunt, nec tu potes earum iubilum à planctu, neq; indignationem à blanditijs discernere.

p.149. 33 Longam deinde appendicē huic argumento adiungis, quam (vt tua mirabilis scientia innotescat) transferre non grauabor. *Quinimo quũ philomela*, inquis tu, *plurimeq; volucres aliæ, multęq; brutę animantes vocales, nullo doctore, suurum docũ habeant à natura mirabiles inflexus varios ad diuersas cupiditates famis, sitis iræ, timoris, doloris, libidinis indicandas audientibus*: Siste parumper: duos hic committis errores intolerabiles. Primus est, quoniam ais, volucres, & animantes vocales *nullo doctore* habere à natura mirabiles inflexus. An nullo doctore habent hoc à natura? At natura magistra esse dicitur. Si habent, hoc habent à natura, habent mediusfidius à magistra, subinde à doctore. Scire autem debes, naturam, tum *magistram* appellari (sic eam appellat Cicero) tum *indoctam & ineruditam* (sic eam appellat Hippocrates) Naturam insuper duplicem esse: communem vnam, quæ speciebus animalium consulit, hec autem à nemine docta est, docet tamen alteram, nempe particularem vniuscuiusq; indiuidui. Quando ergo videmus vitulum cornu petere, priùs etiam, quàm cornua produxerit, pullum equinum calcitrare non dum solidis vngulis, catulum quoq; licèt dentes non dum validos habeat ad mordendum incitari, simili modo volucres, ante quàm idoneæ sint, volare conantes, debemus considerare, hęc omnia fieri à natura vniuscuiusq; indiuidui edocti à natura specifica, hoc est, à natura communi suæ speciei, quam theoriam poteras addiscere ex meo libro de Meteroris Microcosmi; Verùm tu aranea es, non apis: quippe libros legis, vt veneum, non mel conficias. Porrò manet conuictus tuus primus error, quo putabas, lusciniam suos cantus edere *nullo doctore*, sed à natura: implicas enim in adiectis: si enim nullo doctore, cur à natura, quæ doctor est? est quidem doctor natura communis, quæ docet particularem.

Satyri errores

Cic. de finib. H. 6. epid. sect. 5. tex. 2.

de meteor. microcosmi lib.

34 Alter error: quod volucres, & animantes vis habere à natura mirabiles flexus, varios ad diuersas cupiditates indicandas audientibus: nimis liberaliter te geris in volucres, & belluas, de quibus homines hactenus cum Æliano parciùs sentiebant, neq; vnicuiq; speciei, nisi vnam tantùm vocem tribuebant, quod nescio, quomodò te nauseosum grammaticum latuit. Latrat canis, vlulat lupus, rugit leo, mugit bos, balat ouis, hinnit equus, coaxat rana, crocitat coruus, & auium vnaqueq; species suos habet peculiares sonos: neq; animaduertis (vt te Socrates moribundus docet) *Nullam esse auem, quæ cantet quando esuriat, aut rigeat, aut quouis alio dolore afficiatur. Non ipsa philomela, nec hirundo, nec vpupa, quam ferunt præ męrore cantare lugentem. At mihi (inquit Socrates) neque hæ aues præ dolore videntur canere, neq; cygni, sed quia Phebo sacri sunt, vt arbitror diuinatione pręditi præsagiunt alterius vitæ bona, ideòq; cantant alacriùs, gestiuntq; ea die, quàm superiore tempore*. Perge nunc: *Cur homines* (ais tu) *itidem illi primi seculi non habuerint naturales vllas sermonis articulationes ad animi sui sensa exprimenda? par est enim, naturam habere debuisse maiorem curam perfectioris animalis*. Huic tuo quæsito respondeo, habuisse quidem pueros à natura linguæ inflexiones, quas Galenus sæpissimè admiratur: cęterùm non ex eo, quòd natura duce sciant linguam varijs modis inflectere tum ad sugendum lac è papillis, tum ad proferendas voces, colligi debet, eas naturaliter significare: quippe [a] Aristoteles, *Simul audiunt*, inquit, *& vocem emittunt, simul & intelligunt facultate audiendi, & loquuntur, & explicant*, hoc est, loquutio non fit sine auditione. Neq; verò natura in hoc minorem curam perfectioris animalis gessit, sed maiorem: nam initio quidem vocem puero dedit, in qua, vt Aristoteles ait, non differt à brutis animalibus, dedit insuper potestatem addiscendi, qua carent belluæ, & intellectu, quo verba iuxta cogitationes diriguntur.

Æelianus l. 5. c. 51.

Socr. apud Plat. in Phędone

Ga. in 6. epid. sect. 5. cõ. 2. & lib. de form. fœtus c. 6. & de vsu part.

a A 11. sect. prob. 27.

35 Adiungis insuper hæc verba, quæ nihilo superioribus sunt doctiora. *Licet hoc naturale donum amittere potuerint homines ob peccata, ob quæ Deus illis linguarum confusione detraxit primæuum idioma*. Vide quid dicas: nam si primęuum idioma fuisset naturale, vtiq; ob pecccata non fuisset extractum; Nam *manifestum est* (vt inquit [b] D. Thomas) *Quod illa subiectio corporis ad animam, & inferiorum virium ad rationem non erat naturalis, alioquin post peccatum mansisset, cum etiam in dæmonibus data naturalia post peccatum manserint*; Et in huius veritatis confirmationem

b D. Th. 1. part. q. 95. art. 1. in corpo.

D. Dionys. de diuin. nomin. c. 4. Medi. 1. 2. q. 85. ar. 3.
a Cae. 1. 2. q. 85. ar. 3. Mars in 2. q. 18. ar. 1. Sot. 1. lib. de nat. & grat. c. 13.
b Concil. Arausican. can. 1. concil. tri. sess. 5. concil. valentino cap. 6.
c Ga. 2. de sympt. cau c. 7.

nem citat Dionysium de diuinis nominibus. Asserit ergo, hominem per peccatum non fuisse vulneratum in naturalibus donis: quam sententiam Medina insignis Theologus ex mente D. Thomæ defendit, inquiens, Hanc esse veram, diuinamq; Theologiã, quã docent vniuersi theologi: nominatim [a] Caietanus, Marsilius, Soto. Quod si in contrariũ afferas plura sacrosancta [b] Cõcilia, quę videntur decernere, hominem per peccatum non solum in anima, sed etiam in corpore fuisse vulneratum, scias naturalia, de quibus loquimur, & quæ D. Thom. ait permansisse post peccatum, esse illa, quæ primum bonum appellantur, vt esse, viuere, intelligere, sic enim D. Thom. explicat Dionysium in eo art. responsione ad tertium: cum ergo idiomatum notitia ad intelligendi potentiam pertineat, profectò si ea intellectui fuisset naturalis, vtiq; per peccatum non fuisset amissa; Male ergo tu ais, hoc naturale donum amittere potuisse homines ob peccata.

36 Deinde, si hoc donum naturale esset, non posset auferri, & iterum restitui: cœterum videbis mutos ex morbo sanescere. Vlterius cum memoria sit, quæ disciplinis inseruit, si vocabulorum significationes naturales essent, nemo posset eas obliuisci, & iterum addiscere, cum tamen contingat, memoriam aboleri, ita vt patiens, quid vnumquodq; vocabulum significet, ignoret, quod contigisse narratur à Thucydide in illa pestilentia valde magna, quę suo tempore viguit, in qua qui euadebant sani, & se ipsos, & familiares ignorabant. *Vidimus enim quosdã*, inquit [c] Galenus, *qui & literas, & artem omnino fuerant obliti, imo nec propria nomina meminerant*. Si quis verò obiecerit, non rectè ad probandum nomina significare ex instituto deduci argumentum ab obliuione: nam inprimis, quemadmodum, ex sententia Platonis, anima omnia sciens, cum in humidissimum fœtus corpusculum immergitur, omnium obliuiscitur, deinde omnia recuperat per ἀνάμνησιν, idest, reminiscentiam, sic potest superueniente ob morbum humiditate in cerebro oriri nominum obliuio, licet nomina naturaliter significent; quod confirmatur, quoniam multæ sunt actiones à natura inditæ, vt mingere, aut famis, sitisuè molestiæ succurrere, quod phreniticis euenit, aut etiam per aliquod spacium respirare, vnde respiratio rara occupatæ mentis indicium est: hæ omnes actiones obliuione tolluntur, nec tamen hinc infertur, eas esse ex instituto: quippe naturaliter fiunt nemine docente. Huic obiectioni respondendum est, Platonis sententiam de antecedente animæ notitia falsam esse, ac proinde falsum quicquid in ea fundatur. Ad id verò, quod in confirmationem affertur, dicendum, duplicem esse obliuionem, vnam simplicem, ex qua facili quapiã admonitione, aut etiam aucto duntaxat stimulo interno liberamur, & hanc contingere circa actiones à natura inditas, quippe vel admonitus æger, vt mingat, vel aucta vrina, quę stimulat, mictio sequitur; Alteram verò obliuionem esse, quę secum affert ignorantiam, & hęc contingit circa ea, quæ per disciplinam fuerunt acquisita: quippe illi, qui notitiam literarum, aut nominum, aut scientię alicuius amiserunt, longo rursus studio id, quod amiserant, addiscendo recuperarunt; quod intelligere oportet, dummodò non sit obliuio ex leui causa: nam quę cerebro aliquantulum refrigerato, ob spirituum resolutionem, (vt contingit conualescentibus, & contigisse vidi Francisco filio meo resurgenti è morbo) euenire solet, magis memorię diminutio, quàm ablatio est. Vera autem obliuio adeò scientias è mente delet, vt aliqui addiscendi eas iterum incapaces remanserint, qualis fuit Hermogenes, quem totius Græcię præstantissimum sophistam fuisse narrant, post decimum octauum annum omnia repente oblitum vsq; ad octogesimum vixisse annum, omnium ignarum; multa sunt exempla eorum, qui literarum notitiam amiserunt, neq; posteà recuperarunt, quod in actionibus naturalibus non accidit. De Antonio Caracalla Imperatore narratur, eum in literis, & philosophia adeò profecisse, vt inter doctos numeraretur, verùm eum postea tãta cœpit doctrinę obliuio; ac si literarum nomen nunquam audiuisset. Quendam è morbo, refert Plinius, seruorum nomina oblitum: Messala Coruinus orator, licèt alias sensus haberet vegetos, proprij nominis oblitus est. Sed, vt cætera taceam, non ne vir ille Atheniensis, qui cũ ictum lapidis in capite excepisset, cætera omnia tenacissimè memoria retinens, literarum tantummodò, quibus precipuè inseruierat, oblitus est, ostendit literas nobis esse aduentitias, siquidem facilè labuntur è memoria: & si literę aduentitiæ sunt, similiter & voces iuxtà illud Aristotelicum, *Quemadmodum nec literæ omnibus eædem, sic nec eędem voces*.

Dion. Suid.
Plin. l. 7. c. 24. Sabel. lib 10. c. 9.

37 Quartum tuum argumentum est his verbis comprehensum: *Præterea cum*

eò demonstrare videatur Aristoteles rerum naturas in se, & conceptus de illis formatos inanimis hominum esse mere naturales, nec pendere ex hominum instituto; quoniã eadem sint res, ijdemq; rerum conceptus apud omnes homines. Hìc tuam obseruo prauitatẽ, à me iam sæpe alibi in tuis scriptis obseruatã, quippe quoties alicuius autoris sententiam citas, verba autem non transcribis, sed tuis verbis eum loquentem inducis, sẽper rem tuo falsimonio accõmodas. Non ait Aristoteles, mi Satyre, res, & conceptus significare naturaliter, quoniam sunt ijdem apud omnes: neq; ibi quid naturaliter, quid ex instituto significet, perquirit: sed probat, vt in intellectu, ita etiam in voce verum, & falsum reperiri. Imò (vt tibi iam dixi) eo ipso, quòd dicit, voces non esse easdem apud omnes, iam fatetur eas non significare naturaliter, sed ex instituto; vnde arguitur tua ignorantia, quod ignoras rectè, & ex autoritate magni magistri dici, voces significare ex instituto.

Ar. 1. peribe-rm. c. 1.

Satyri prauitas incitat. Authorum.

38 Prosequere igitur tuam istam argumentationem: ais itaq; *Quando ante turris babylonicæ molitionem omnes homines ijsdem nominibus, ijsdemq; verbis, & eodem omnino sermone vterentur;* Imò verò, (inquio ego) vtebantur, non vterentur, ante turris molitionem, & ante turris demolitionem, in ipso ędificandi actu, à quo destiterunt propter immissam sermonis confusionem. Adiungis vlteriùs: *Certumq; sit, nisi Deum peccatis irritassent, ad confudendam eorum linguam, eos perpetuò vnitatem eiusdem sermonis habituros fuisse.* Quis tibi hoc reuelauit? aut vnde coniecturam huius rei facies, vt possis saltem coniecturali notitia hoc assequi? nam certum esse (vt tu dicis) id, quod nec fuit, nec futurum est vnquam, mera stultitia est. Sed dic mihi, quodnam inconueniens foret, multiplicatis habitatoribus terræ, & in diuersas regiones ampliùs dispersis, in vnaquaq; saltem per paulatinam corruptionem varias linguas irrupturas? sicut ex septuaginta duabus, quæ in illa babylonica confusione pullularunt, plures alię sunt postea obortę? Non ne videmus experimento, aduenientibus exteris nationibus linguas nouas emersisse? testis Italia, testis Gręcia, & alię quamplures regiones, in quibus antiqui sermonis vix hodie vestigium seruatur.

p.150. 39 Concludis, interrogatiuè inquiens: *Cur non dicamus primum illum sermonem hominibus fuisse naturalem, nec ad illum addiscendum vllo tunc vsos fuisse magistro?* Itaq; ex eo, quod omnes homines (nisi sequuta fuisset linguarum confusio) vno sermone duntaxat loquerentur, vis colligere, nomina naturaliter significare. At saltem concedere teneris nunc, quoniam sequuta fuit linguarum confusio, non significare naturaliter, & sic te ipsum conuincis; Nam si ex eo, quòd non sequuta confusione homines vno ore loquerentur, colligis, nomina naturaliter significatura, porrigis mihi facultatem colligendi, cum ex sequuta confusione non omnes vno ore loquantur, nomina non significare naturaliter; Faciam tibi similem argumentationem in re diuersa. Si supponas tu, qui fabulis plus nimio credis, verum fuisse casum Phaetontis, ex quo Æthiopes album suum colorem in nigrum cõmutarunt, si tu colligeres, ita, nisi sequuta fuisset Phaetontis ruina, omnes homines essent albi coloris, ac proinde albus color esset illis naturalis, ego verò colligam, quoniam sequuta fuit Phaetontis ruina, non omnes homines sunt albi coloris, ac proinde albus color non est illis naturalis, quis nostrum meliùs argumentabitur? Ego mutationem, variationemuè coloris, colligo, non esse naturalem quia ab externo euentu habuit originem: tu inepte probas potuisse esse naturalem, quia non fuit ab externo aliquo euentu mutata.

Satyri error. in logica

40 Deinde (quoniam sumus in hypothesibus) finge animo regionem vnam, vnum esse Mundum: quid ni? non ne Mundus sępe accipitur pro hominum multitudine? vt quando dicitur, *Mundum reconcilians sibi,* & alibi, *vt saluetur mundus,* & mille alijs in locis. In vna ergo hac regione omnes erunt labij vnius: ita ne? erit igitur hic sermo naturaliter significans. Finge, precor, alteram regionem, hæc etiam suum peculiarem habebit sermonem similiter naturaliter significantem; At res, & conceptus vtrobiq; ijdem sunt, idiomata verò diuersa, & tamen ex hypothesi, significantia naturaliter. Iam ergo malè ex vnitate sermonis colligis naturalem eius significationem. Vlteriùs, respice ad seculum, quod fuit ante demolitionem turris, quando vniuersa terra erat labij vnius, tunc (ex tuo decreto, qui ex vnitate sermonis colligis naturaliter significare) sermo naturaliter significabat; Conuertere postea ad seculum post demolitionem turris, quando iam septuaginta duabus linguis terra omnis loquebatur: tunc sermo iam non significauit ampliùs naturaliter, quippe desinente vnitate sermonis, desijt signi-

ficatio esse naturalis, tua autem ignorantia nunquam naturalis esse desinit.

ridiculum. 41 Risum præterea concitas, quando ais, nomina futura naturalia, & addiscenda fore sinè magistro, *Vt nunc nullo magistro statim orti pueli plorantes flebilem vocem edunt, singultiunt, & sugere mammas maternas incipiunt*. Hanc tuam positionem ludibrio acciperet Seneca, velut excipit opinionem eorum, qui tenent, ventos fieri, quia terra magnam vim aeris eijcit. *Benè nobiscum agitur*, (inquit ille) *quòd semper excoquit: alioquin, immundius aliquid timeremus*. Benè igitur est, quòd inter voces naturaliter significantes singultum posuisti, & aliquid immundius tacuisti. Non te pudet, ô Satyre, ex eo quòd voces communes hominibus, & brutis naturaliter significent, argumentum ducere ad probandum voces, quæ hominibus sunt propriæ, naturaliter significare? Num quia illas natura docuit, non erunt aliæ, quas ars doceat? Crispus te doceret, si eius librum aperuisses: inquit enim, *Omnes homines, qui se se student præstare cęteris animalibus, summa ope niti decet, ne vitam silentio transigant*. Voces igitur hæ, quas tu affers, communes animantibus brutis, & hominibus, non absoluunt à silentio, sunt vbiq; eædem, non significatiuæ ad libitum, neq; iccirco, quia datæ sunt à natura, infertur datas fuisse à natura alias, quę non vbiq; sunt eędem, & sunt significatiuę ad libitum. p.150.

(Senec. nat. q. lib. 5. c. 4. — Satyri error in logica. — Crisp. Sallust. in coniur. Catil.)

42 Verba præterea Cœlij Rhodigini affers, quæ te totum consolantur: ea sunt hæc. *Porrò, si esset naturalis sermo, omnes loquerentur idiomate vno: nam quod conuenit vni naturaliter secundum speciem, omnibus congruere consentaneum est*. Quid ergo sibi vult Cœlius his verbis? nempe sermonem non esse naturalem? At vbi nam mentem habebas, quando hæc transcripsisti, quæ è directo contra te faciũt? Deinde aduerte, aliud esse dicere, si sermo esset naturalis, omnes vno idiomate loquerentur, aliud, si omnes vno idiomate loquerentur, sermo esset naturalis: quippe prior propositio necessitatem importat, posterior verò minimè: quod tu non fuisti assequutus, nunc autem assequere. Nam id, quod conuenit naturaliter alicui speciei, conuenit etiam omnibus illius speciei indiuiduis. Hoc quidẽ per quàm verum est, & Cœlius ita sentit, ratio etiam idem persuadet. Cæterùm è contrario potest aliquid conuenire indiuiduis non ratione suæ speciei, & hoc non est naturale: e. g. conuenit vnicuiq; homini suum habere nomen, quo ab alio quocumq; discernatur; Hoc autem respicit indiuidui commoditatem, speciei verò minimè, ac propterea non erit naturale. Vade nunc, & tuam propositionem, nimirum *Si omnes vno ore loquerentur, sermo esset naturalis*, compara cum propositione Cœlij, videlicet, *Si sermo esset naturalis, omnes vno ore loquerentur*, & reperies tuam esse falsam, quia possunt omnes loqui sermone accepto ab vno parente, vel magistro, & non propterea quòd omnes vno idiomate loquãtur, idioma naturale censebitur, & ex altera parte Cœlij propositionem esse veram, & necessariam; necessarium enim est, vt quod naturale est vniuersæ speciei, omnibus suis indiuiduis conueniat.

(Rhodi. lib. 29. c. 14. — Satyri error in logica.)

43 Procedis deinde ex congruentia quadam incongruente; Nam ex eo, quòd dæmones ob peccatum cognitionis gratuitæ dona partim amiserunt, partim labefacturunt, ex eo etiam quòd homines naturale dominium in feras, & seruitutem elementorum amiserunt, eandem, inquam, ob causam vis, vt homines culpa multiplice primam linguam amiserint, & coactos fuisse posteros confusa idiomata, nouosq; sermones addiscere: sicut coacti sunt arte agriculturæ terram aratro scindere, feras cicurare. Nolo pręterire hic tuam grammaticam, qua ais, *Terram fructum, nisi solicitatam, ac laboribus vexatam dare*, cum deberes dicere *non nisi*: quod grammaticę magistro, vt tu videri vis, non est admodùm honorificum. Sed accedo ad congruentiam, & dæmones relinquo, nam isti nihil ad rem nostram faciunt, de homine loquor, eius quidem dominium in feras non ita amplum est, vt erat in statu innocentię, mansit tamen quoniam naturale est: nimirùm superioritatem naturæ, quam homo in feras habuit, adhuc habet: quippe secundùm naturam est: vsus verò huius superioritatis, qui non ex natura, sed ex prouidentia Dei erat tunc amplissimus, fuit post peccatum valde angustatus; terra etiam, quæ adeò fœcunda erat, vt nullo cultore suos fructus redderet, hanc tantam fertilitatem non ampliùs habuit, habet tamen nunc eam, quæ sufficiat, vt magno cum fœnore semina agricolis reddat. At sermo, quem tu dicis naturalem fuisse, si non naturalis fuit factus, maius detrimentum passus est, quàm cętera omnia. Existimo tamen, te non existimare ex primo lapsu sermonem p.150.

(Satyri error in grãmatica. ★)

nem, qui erat naturalis, factum fuisse non naturalem, sed postea (vt tu ais) *multiplice culpa*. At multiplex culpa non mutauit sermonem, nisi tempore confusionis linguarum in demolitione turris Sennaar: quippe toto anteriore seculo (vt iam tibi dixi) fuit vniuersa terra labij vnius, nec constat, mutatum aliquando fuisse vnum istum sermonem. Itaq; in confusione linguarum desijsse vis, sermonem esse naturalem, & incepisse esse ex hominum instituto: quod tibi dupliciter falsum esse demonstro: primo quoniam sermones illi septuaginta duo subitò pullularunt, neq; fuerunt per disciplinam introducti; Si ergo tu superius noluisti, sermonem Euæ fuisse infusum ea ductus ratione, quia Eua statim condita sermones triuit cum serpente, profectò eodem iure nunc dicere teneris, sermones in demolitione turris exortes, quia subitò pullularunt, non infusos fuisse, sed innatos; Secundo malè sentis, dum opinaris, primum sermonem, quem tu naturalem fuisse putas, tunc cum orta fuit confusio, desijsse: nam in hoc Diuo Augustino, & communi Sanctorum patrum consensui aduersaris, quod sine temeritatis labe proferre non potes. Hoc tamen tibi inferiùs ex professo demonstrabo: nunc hęc pro præsente instituto sufficiant. *Satyri lapsus* *infra*

44 *Quintilianus*, inquis, *ait, sermonem ab ipsa natura genitos protinus homines accepisse*; neq; hoc negandum est, imò pro comperto habendum: nempe hominem à natura habere, vt sermocinetur, non tamen habet à natura idioma, quo sermocinari debet; homines quidem omnes acceperunt sermonem à natura; sed non omnes hunc, aut illum sermonem habent à natura. Hoc tibi probat Aristoteles, cuius verba, quoniam tu prolixè transcribis, ego non afferam: Quidnam in illa longa serie continetur? nempe descriptio instrumentorum, quæ sunt apta ad sermones efformandos, & finis, cuius gratia sermo datus fuit hominibus à natura; sed quid hoc facit ad naturalem nominum significationem, quam contra omnium sententiam vis introducere? sicut etiam nil facit, quod ais de puellis recès natis, qui loquuti fuisse narrantur: nam hoc iam dixi portentum esse, quod nequaquam in consequentiam trahi debet. *Sycoph. 4. à n. 8.* *Supra n. 14. n. 15.*

45 Afferto mihi Ægidium apud Cœlium: hunc ne audes in tuum auxilium cōuocare, qui tibi omninò contradicit? Audi, qui loquatur. *Aliquid in suo vniuersali naturale est: id, si ad speciem reuoces, fiet ad placitum, veluti fures supplicio afficere naturale est, sed laqueo gulam frangere ex arbitrio.* Tu priorem huius sententię partem transcripsisti, posteriorem, nempe exemplum de fure laqueo suspenso reliquisti. Vult porrò Ægidius *aliquid in vniuersali*, vt est loquutio in communi, naturale esse, *si ad speciem reuoces*: posuit speciem pro indiuiduo: neq; enim ibi logicorum more loquutus fuit, satis est, quod vniuersali opposuit speciem, vt sciamus speciem ab eo sic appellatam, esse quidpiam vniuersali oppositum, hoc est, particulare. Sed exemplum, quo vtitur, rem declarat; Fur reus est mortis in vniuersali: quòd laqueo suspendatur, aut feris obijciatur, aut è turri deijciatur, hoc ad libitum est iudicis: Sic loquutio in vniuersali conuenit quidem omnibus hominibus, vt omnibus latronibus mors, hoc, aut illo idiomate loqui conuenit ad libitum, sicut ad libitum conuenit latronibus genus mortis. Nec poteram aptiùs hanc disputationem concludere, quàm in te ipsum rem contorquendo. Nec tua Nemesis te liberabit, imò verò, si ad eam recurras, simili inuitatione excipieris: nā quæ iustissima esse dicitur, iustam tibi irrogabit mulctam, & caninam tuam linguam, nisi inter tuos dentes conteras, inuitus exeres: sic illa pollicetur.

En frænum, en laqueum Nemesis iustissima profert,
Qui frænum renuat, furcifer, inquit, erit.

Libet aliquando tecum ita agere, vt tu, quem totum ludicrum esse, omnes cōmuniter dicunt, mihi ludibrio sis. Num hoc senem dedecet, vt mihi obijcis? nequaquam: M. Antonius Philosophus, imperij mole, & studiorum assiduitate defatigatus, lassum iam animum aut pila, aut pictura recreabat; & quid prohibet, senem successiuas horas ludo impendere? Quis magis tetricus quàm Cato Cēsorinus? & tamen cum verna, & famulatu, animum relaxabat. Nemo sanus mihi vitio vertet, si tecum ioculario blaterone soleo iocular.

Sycophantia tertia cum additamento de historia Nabuchodonosoris.

1 DIscedo à confusione linguarum, nec tuorum scriptorum confusionem, sed meę texturę filum sequar. Variarum gentium cibos enarrans eò deueni, vt dixerim, *Si cui præterea in mentem veniat Nabuchodonosor, qui (vt diuina testatur historia) toto septennio fœno fuit nutritus, vnde non videtur Galenus recipiendus, qui ab vsu humani cibi fœnum excludit, multis responsionibus faciemus satis*. Hęc verba ex tuis scriptis accepta esse imprudenter iactabundus ais, imò mendaciter: nam quid à te potui accipere? num Galeni sententiam, quam tu ex ipso affers, nempe vnicuiq; animantium generi à natura præscriptum fuisse proprium alimentum? Hoc apud ipsum prostat, neq; est doctrina valde recondita. Num à te didici id, quod ais, *Homini veratrum esse purum medicamentum, cicutam venenum, fœnum excrementum?* Hoc neq; à te accepi, nec accepisse volo, nec oblatum accipiam, imò vt nugatorium contemno, vt falsum reijcio. In primis *veratrum esse purum medicamentum*, falsum est: nam illud *purum* absoluit veratrum à veneno, & excremento, alioquin non diceretur *purum*, sed particeps aliorum. Assume igitur (sed tuo met consilio) purum istud medicamentum; clamabit Galenus, ne stultè facias: nam *veratrum, quod tametsi coturnices pascat, hominem tamen strangulat*. Iam ergo veratrum non est (vt tu putas) *purum* medicamentum, sed medicamentum strangulatorium. Accede postea ad cicutam, quam dicis esse venenum: cur non dicis esse purum venenum? profectò purum venenum teneris dicere: siquidem ex lege diuisionis, vnum membrum diuidens non debet includi in alio: ergo vt veratrum est medicamentum non venenum, sic cicuta, quam tu dicis esse venenum, non est medicamentum. Vbi ergo erat Galenus, quando plurima medicamenta composuit ex cicuta, ex semine cicutæ, ex decocto, in quo macerata fuit cicuta, nimirum catapotia, pastillos, emplastra? Tandem fœnum appellas excrementum: at ego hactenus putaram, excrementum esse id, quod excretum est; cur ergo fœnum, non dum comestum excrementum appellabo? numquid quia si sumatur totum abibit in excrementum? hoc quidem fieri nequit, nam excretionem antecedit sequestratio, quę nam erit sequestratio, vbi non est vtile, quod ab inutili separetur? Deinde Galenus nō negat, posse fœnum homini nutrimentum præstare, sed duntaxat vult non esse cibum homini familiarem; quippe ait, *Suum cuiq; animantium generi cibum esse familliarem, asinis quidem, & equis paleam, fœnum, hordeum & id genus alia*.

pa. 52.

Satyri error.

Ga. de theriac. ad Pis. c. 4.

Satyri error.

2 Nequis autem putaret, posse Galeno exprobari hominem fuisse, qui per multum tempus fœno victitauit, nempe Nabuchodonosorem, qui *Ex hominibus abiectus est, & fœnum, vt bos, comedit, & rore Cœli corpus eius infectum est, donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium*. Hanc ego historiam non posse Galeni doctrinæ nocere, dixi, duasq; attuli excusationes, vnam, quia in hoc supplicio, quo ob suam superbiam Nabuchodonosor affectus fuit, recurrēdum est, cum sacris autoribus, ad diuinam voluntatem: alteram, quoniam in vocabulo originali, vbi translatio habet fœnum, habetur herba. Tu, ne quid intactum relinquas, vtramq; sugillas. Primam, quia tu iam priùs idem dixeras: quid mirum? num reconditæ doctrinæ est scire, supplicium peccato irrogatum ad diuinam voluntatem referendum esse? Tu dum ambitiosus esse vis, abiectus euadis. Ambitio rerum magnarum immoderata cupiditas est: abiectio animi ad vilia delabitur.

3 Sic etiam Iudas Machabæus allatus à me est pro exemplo: is enim *Antiochi tyrannidem aufugiens, ne diuinam legem relinqueret, cum socijs in desertum locum se contulit, & ibi cum feris vitam agens, fœno vescebatur. Vel fœnum accepit in donum, quod Nabuchodonosor in supplicium, vel fœni nomen accipitur pro omni herba*. Hęc quoq; tuorum dictorum breuiarium esse, ais. Profectò si ex tuis forent accepta, non possent non esse breuiarium: odi namq; tuam loquacitatem. Cæterùm qui fieri potest, vt abs te acceperim, id quod potiùs abominor? nam quod ais, fœnum Iudę Machabęo, & socijs fuisse *vltro sibi alimentum electum, & escam salutarem*, adeò sapiēter est cogitatum, vt nihil eo stultius dici possit: quippe fugienti indignationem Regis, & nullum cibum in nemore reperienti præter fœnum, non fuit fœnum cibus ex electione: satis tibi foret dicere Machabęum cum coa-

ctus necessitate fœno vesceretur, accepisse in donum, vt fœnũ plus solito nutriendi vim haberet. Quòd verò adiungis, fœnum esse purum excrementum, & alendo penitus ineptum, iam tibi dixi, quàm sit inepta hæc appellatio, vt scilicet excrementum dicas, quod non fuit comestum, nec excretum. Deinde ne existimes, fœnum esse penitus alendo ineptum, satis esset, si dixisses, fœnum suapte natura paucissimas habere partes, quę nutrimentum præstent: nullas enim habere non est rationi consentaneum: herba est, & iam priùs vixit: tu autem, si tuorum dictorum memor fuisses, meminisse debueras, ei omnes conditiones inesse, quas alimentum habere debet: sed tu, vt fœnum à ratione alimenti reijceres, excrementum esse dixisti. Apage magnus homo es, qui fœnum facis excrementum, & excrementum tuo palato accommodas. Tu autem mihi tamquàm crimen obijcis, quòd passim ad sacras litteras appellem: appello quidem, & doctrinam ex ijs optimam haurire soleo, ex eisdem tu, si saperes, argumenta conficeres solidiora, quàm conficis. Interim dum ad probandum Machabæis fœnum fuisse cibum electum affers ea, quæ de manna alimento altioris considerationis in Deuteronomio est scriptum, parum ad rem loqueris; Machabæo quidem conuenit illud, quod Christus dominus dixit spiritui tentatori, *Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo, quod egreditur ex ore Dei*. Sed quorsum hoc, dum physicè agimus, & obiter historiam narramus?

4 Concludis, omnes Sanctos Doctores in eo conuenire, vt hanc transformationem ex homine in brutum, siue realem, & veram quantum ad membra corporea, & sensus, siuè potius imaginariam sibi, & apparentem hominibus, qui eum eiecerunt ex hominum consortio, censuerint, non quidem sequutam, & ortam fuisse (aliter ac ego sentio) ex victu ferino, ac pastu fœni, sed precessisse, ac fuisse causam illius victus. Omnes autores ita sensisse ais, interim nullum eorum nominas: quia nempe eorum nullus est, qui tibi faueat. Duo habuit Nabuchodonosor, in hoc graui supplicio, efferatam phantasiam, & efferatam faciẽ, totiusq; corporis habitum. Phantasia statim eo loquente efferata est: quippe *Eadem hora sermo completus est super Nabuchodonosor, & ex hominibus abiectus est, & fœnum, vt bos, comedit, & rore Cœli corpus eius infectum est*. Efferata facies, efferatus corporis habitus non accidit nisi postea: quippe in hac calamitate eiectus ab hominibus, fœnum comedens, & Cœli iniurias tolerans mansit, *Donec capilli eius in similitudinem aquilarum crescerent, & vngues eius quasi auium*. Considera illud *donec* importare distantiam temporis, quę necessaria fuit, vt tum vita sub dio transacta, tum victus ferinus, ferinum redderent corpus: iccirco ego dixi, sed tu non intellexisti, *Septem annis vitam brutorum instar egit, & ex victu etiam ad brutorum figuram mutatus, &c.* Debueras considerare, cum dixi *etiam*, non totam causam, sed causæ partem victui tribuisse. Sacri autores non dicunt, faciem mutatam causam fuisse, cur fœno vesceretur, sed signum efferatę naturæ fuisse victum, quo cum feris vtebatur. Vide apud Pererium, vide apud Cornelium à Lapide: hi enim recentiores cũ sint, siquid apud antiquos, quod tuæ huic positioni faueret, inuenissent, vtiq; protulissent. Nec verò tu rectè, & sincerè poteras ex meis dictis colligere, me velle, Regem priùs in aula regia fœnum comedisse, ac eo nutrimento in belluam fuisse mutatum, imò tu veluti in belluam mutatus præpostere omnia intelligis. Fuit quidem in aula regia in belluam mutatus, hoc est, belluinam accepit phãtasiam, proter quam eiectus ab hominibus, fœnum in agris, vt bos, comedit, rori, & pruinę se exposuit, & hinc faciem acquisiuit mutatam à priore. Melancholicus ille apud Galenum, qui se Gallum gallinaceum esse existimabat, non venit in hanc imaginationem ferinam; Sed quid hoc ad nos, qui non de mutatione imaginationis, sed mutatione faciei, & corporis loquimur? Tu verò quoniam facies tua tuos mores exprimit, (vt suo loco tibi notum faciam) non putas, mutari posse mores, quin statim facies mutetur. Sed cur tu nunc non admittis, ferinos vultus posse ex victu fieri, qui nu-
pa.42. per tres Polos nobiles Venetos dixisti *Apud Scythas commoratos, eorumq; victui assuetos, domum deniq; reuersos, tartarica facie, non multum à ferina dissimili, parum, aut nihil humanæ consimili, à nemine suorum cognitos fuisse?* Quid ergo nunc asserere recusas, Nabuchodonosorem septennio vitam ferinam agentẽ feris similem figuram fuisse adeptum? Hęc tua contradictio num Nemesin, an Bacchum sapiat, aliorum iudicium esto. Cõtradictio.

5 Verùm enim verò quoniam dixisti mox superiùs transformationem ex ho-

mine in brutum, siuè realem, & veram quantum ad membra corporea, & sensus, siue potiùs imaginariam sibi, & apparentem hominibus, qui eum eiecerunt, duas proponis autorum opiniones, & videris posteriorem amplecti, nempe transformationem fuisse apparentem, cuius rei mihi suspicionem facit illud *potius*, quod addidisti: quòd si hanc sententiam non approbasses, non erat, cur ita loquereris: nisi est quòd inconsideratè loqueris; Vt, vt sit, ne tecum semper videar litigare, vt curiosis aliqua ex parte satisfaciam, aliqua in hanc historiam libet afferre, quæ non iniucunda fore spero. Fuit opinio Michaelis Medinæ à pluribus allata, ab omnibus reiecta, transformationem huius Regis phantasticā fuisse. Non negat ille (vt cum Origene aliqui sectatores eius fecerunt) veram fuisse historiam (quippe parabolicam existimare error est damnatus) negat tamē mutationē, quam subiuit Rex, fuisse realē, sed apparentē duntaxat admittit, vt fuit illa, quam narrat Philostratus, de quadam vetula, quæ se pulchram puellam Menippi formosi adolescentis amore captam simulabat, & cum eo coniugium facere destinauit, magnificumq; nuptiarum apparatum struxit, cuius rei conscius Apollonius fallaciam detexit, ex quo omnis euanuit apparatus, & vetula in suam propriam figuram conuersa lamiam se esse, & Menippum voluisse voluptatibus explere, vt eum postea deuoraret, confessa est: vt etiam fuit mulier, quæ (vt refert D. Hieronymus) ad D. Hilarionem adducta per magicas artes apparebat esse iumentum, quæ tamen D. Hilarioni mulier, vt re vera erat, videbatur. Vt sunt mille aliç, quæ communiter narrantur, de quibus videndus omnino est D. Augustinus, qui rem exactissimè, vt solet, pertractat.

Med. l. 2. de fid. c. 7. — *Philost. lib. 4. c. 5.* — *D. Hie. in vita Hilarion.* — *D. Au. de ciu. Dei l. 18. c. 17. & c. 18.*

6 Putant aliqui, in hac Medinç sentētia fuisse [a] Iosephum, qui postquàm historiam narrauit, adiungit, *Nemo mihi vitio vertat, quod hæc ita, vt in antiquis libris inuenio, scriptis meis insero*. Vnde [b] Genebrardus referens D. Hieronymi sententiam, qui tenet (vt infra dicemus) Regem (vt Licathropi, qui sibi videntur lupi) lupinos mores, & gestus imitatum, adiungit, *Contra tamen Iosephus*. Verùm an hinc possit colligi, Iosephum veram transformationem negasse, non est meum discernere: aliqui sunt, qui negant. Porrò Medinæ opinio, narrationi historicæ non satisfacit: quippe narratur capillos, vt aquilç habuisse, & vngues, vt auium, hoc autem si apparenter tantùm fuisset, necessariò deberet explicari. Deinde non est credibile, vitam illam ferinam non produxisse ferinum aspectum: nudus vagabatur, ad pruinam, & rorem commorabatur, quadrupedum more incedebat, ferarum victu vtebatur: qui possint hæc longo tempore exantlari absq; faciei mutatione, cum videamus quotidie eos, qui è naufragio per extremos labores, & pericula euaserunt, facie, & corporis habitu valde mutatos? Tandem, vt rectè notat Pererius, miracula, & opera Dei simulata esse non solent.

a Ioseph. lib. 10. Antiq. c. 11. — *b Gen. in chron.*

7 Alia opinio, opinioni Medinç prorsus contraria, est Dorothei in synopsi, & Epiphanij in vita Danielis, & est, Regem interiùs habuisse formam hominis; nimirum animam rationalem, sed exteriùs mutatum fuisse in belluam, hoc est anteriùs in figuram bouis, posteriùs leonis, vt indicaret, priorem eius vitam fuisse bouinam ventri deditam, posteriorem leoninam, superbam, & efferatam. At in historia, leonis non fit mentio, & tametsi septuaginta dicant, capillos fuisse in similitudinem leonum, standum est vulgatæ editioni, & originali, ex qua vulgata translata est, videlicet linguç chaldaicç, vbi capillis aquilç capilli Nabuchodonosoris comparantur.

Doro theus & Epiphan.

8 Diuus Thomas, siuè quisquis est autor libri de regimine Principum (nam Bellarminus, & alij hunc librum ex D. Thomæ officina explodunt) tenet, transformatum fuisse in bestiam non re vera, sed sua imaginatione corrupta, qua ipse sibi transformatus videbatur; quam sententiam amplectuntur ferè omnes: nam quòd effigies ex parte fuit mutata, hoc etiam ex morbo euenire solet, vti iam me dixisse memini de facie Hippocratica, quæ licèt in acutis ab Hippocrate, lethalis iudicetur, solet multo frequentiùs in chronicis euenire. Porrò probabile est, ei à Deo optimo, maximo, ministerio alicuius Angeli morbum melancholicum fuisse inductum. Num verò Angelus fuerit eudęmon, an cachodęmon, vtrumq; potest aliqua ratione suaderi; Nam Angeli tam boni, quàm mali ministri Dei sunt ad puniendum, vel affligendum tam iustos, quàm peccatores: quod optimè obseruauit Abulensis; Et quamuis cum in sacra pagina Angeli domini dicuntur, communiter intelligatur sermo de Angelis bonis, nihilominùs aliquando D. Hieronymus explicans verba psalmi *Angelus domini persequens eos*, spiritum

D. Tho. 2. de regimin. Princ. — *Abul. 1. Parali. 21. q. 70.*

malum

malum intelligit, ideoq; dici, ait, domini, quia Dominus illum creauit, & Dominus illum habet in potestate. Itaq; ex vna parte non desunt historiæ, ex quibus cōstat, Angelos prauos fuisse ministros supplicij temporalis: ex altera multi etiam sunt casus, in quibus Angeli boni punitionis diuinæ ministri fuerunt. Et quod attinet ad cachodæmones, ex illorum numero fuit exterminator in Ægypto, vt habetur in Exodo, & spiritus nequam, qui decepit Achab. Iccirco Apostolus Satanæ cruciandos tradit peccatores: sic etiam fuit spiritus malus inuadens Saul, & plures alij, à quibus supersedeo, vt dicam de Angelis bonis, quibus multoties in scriptura sacra commissa est hominum ob peccata afflictio. Vnde (vt notat [a] Viegas in Apocalipsin) Angeli vestiti lino mūdo, & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis, hac habitus elegantia lætitiam designabant: quamuis enim doleant, quòd nostris sceleribus Dei iram prouocemus, lætantur tamen, quòd vident diuinum impleri consilium, suiq; Domini honorem vindicari. Hoc docet [b] D. Dionysius inquiens, nihil malitię sanctos Angelos cōtrahere ex eo, quòd peccatores puniāt: & [c] D. Augustinus, Sancti Angeli sinè ira puniūt, quos accipiūt æterna Dei lege puniendos. Quare [d] Theodoretus adeò in ea fuit sentētia, vt scilicet Angelis bonis commissa sit puniendi peccatores cura, vt super illud psalmi *Immissiones per Angelos malos*, dicat hos supplicij ministros, neq; naturæ, neq; electionis nequitiam habuisse, sed eodem modo appellatos, sicut malam diem, supplicij diem vocamus. Deniq; sancti Angeli fuerunt, qui subuerterunt Sodomam, percusserunt Assyrios, flagellarunt Heliodorum, Herodem, & impios illos senes babylonicos apud Danielem.

9 Quid ergo dicendum de Angelo, qui immisit morbum in Nabuchodonosore? Profectò non extra rationē videretur alicui, eum fuisse cachodæmonem: nam morbus fuit melancholicus, quo affecti, à cachodęmone facilè comprehenduntur, ita vt Arabum Autorum non nulli existimauerint, semper cum hoc morbo vim cachodæmonis adesse, & Auicenna speciem melancholiæ, quæ insania appellatur, appellat nunc dæmonium lupinum, nunc simpliciter dæmonium. Et prætereà cum morbus per septennium durauit, magis deberet tribui perseuenti maligno spiritui, quàm semel Dei iussa capescenti bono. Nihilominùs potior coniectura videtur illa, quę persuadet Angelo bono commissam fuisse hanc vltionem, tum quia oportebat Regi continuè assistere, eumq; defendere, ne dilaceraretur à belluis; oportebat etiam rationem habere temporis, in quo terminandum erat supplicium, vt Rex post finem dierum oculos ad Cœlum leuaret, quod humani generis hostis, quoad posset, impediret potiùs, quàm procuraret. Cum igitur Angelus bonus sit, qui hominum preces ante diuinum conspectum offert, credibile est, eundem toto supplicij tempore Regi astitisse.

10 Vt autem magis particulariter qualis nam fuerit hic morbus, attingamus (neq; enim sufficit dixisse fuisse melancholiam: siquidē melancholiæ plures sunt species) expendere oportet, melancholiam, & insaniam. Hęc duo vocabula apud Hippocratē interdum confundi videbitis; Apud eum τοῖσι μελαγχολικοῖσι .i. *melancholicis, & renum vitio laborantibus hæmorrhoides superuenientes, bonum*: & alibi τοῖσι μαινομένοισι .i. *insanientibus, si varices, vel hæmorrhoides superueniant, insaniæ solutio*. Vbi Galenus *hic insaniam*, inquit, *quæ propriè melancholia dicitur, vocat, non illum, qui fit ex bile, furorem*; Itaq; si exquisitè loquendum sit, distinguendum est inter melancholiam, & insaniam, ita vt illa ex humore frigido, & crasso, terræ elemento respondente, facta, mitiora inducat symptomata: hæc à feruido succo genita terribiles producat effectus. Fit verò insania ab atra, aut flaua bile superassata, & sic differunt maioris, & minoris ratione, vt melancholia minor sit affectus, insania maior: sed non quomodocumq;, verùm longo interuallo maior. Insaniæ itaq; plures differentiæ sunt, duæ tamen precipuæ, Lycanthropia vna, hoc est, insania lupina eorum, qui se lupos esse putant: altera Cynanthropia eorum, qui se existimant esse canes; Quòd si ad diuersitates imaginationum diuersæ species statuendæ forent, crescerent in immensum: quare autores medici his duabus contenti, plures silentio prætereunt. Exempla horum duorum affectuum prostant apud multos, maximè apud Petrum Forestum, cui, meo quidem iudicio, plures lycanthropos, & cynanthropos vidisse contigit, quàm cuilibet alteri. Cęterùm tametsi Vallesius, Mercurialis, & alij forsan sequuti D. Hieronymum dicant, hunc Nabuchodonosoris morbum fuisse Lycanthropiam, non accipiunt hoc nomen strictè, vt significat imaginationem

eius,

D.Hie. in ps. 34. exod. 12. 3. Re. 22. D.Paul. 1. ad Timot. c. 1. & 1. ad Corint. c. 5.

[a] Vieg. in Apoc. c. 15. cō. 1. sect. 3.

[b] D.Dionys. de diu.nom. c.4.part. 4.

[c] D.Au. 9. ciuit Dei c. 5.

[d] Theod. ps. 77.

H.6 aph. 11. H. 6. aph. 21.

P. Forest. obser. l. 10.

eius, qui se lupum esse simulat, sed generaliter pro insania, quę ægrotum cogit imaginari, se hanc, aut illam belluam efferatam esse: quippe Nabuchodonosor, magis bouinam, quàm lupinam referebat naturam: neq; verò bos semper, (vt rectè aduertit Cornelius) mite animal est, sed aliquando valde ferox; quod nam enim tauro ferocius est animal? Itaq; probabile est, vixisse ad morem vri, aut bisontis. Nihilominùs tamen generali vocabulo, ne, vt dixi, species insaniæ multiplicentur, Lycanthropia laborasse appositè dici potest.

Corn. a lapide

11 Hac insania horribili correpti homines, nocte circum sepulchra vagantur, quidam vlulant vt lupi, alij canum instar latrant, omnibus placet solitudo, proptereà furijs agitati nemora petunt: vt possimus, si non omnino, saltem aliqua ex parte, Nabuchodonosoro similes, ex causa duntaxat naturali reperire: sed ex multis vnum à Foresto acceptũ narrare libet. Erat autem vir robustus, niger, hirsutus, musculosus, multis annis maniacus: *Hic nudus, animalis instar, sub fœno volutabat, & quod admiratu dignum quibusdam videbatur, non frigebat, licèt hyems asperrima esset cum continuo gelu*. Cæterùm dicet aliquis, si hoc malum absq; causa supra naturam adueniat, si rursus Angeli non aliter operantur, quàm applicantes actiua passiuis, quorsum Angeli ministerium inquirimus, in quo nulla ad id excogitandum nos cogit necessitas? Nam cum, vt dictum est, melancholia sit minor affectus, ex quo proceditur ad maiorem, videlicet ad insaniam, potuit Nabuchodonosor ob interpretationem somnij à Daniele factam cogitabundus esse per duodecim menses, vnde habetur in sacra pagina *Omnia venerunt supra Nabuchodonosor Regem: post finem mẽsium duodecim in aula Babylonis de ambulabat, &c.* Itaq; cum metu, & mœstitia, propter hoc somnium, & somnij interpretationem torqueretur: metus autem, & mœstitia sinè causa manifesta, si longo tempore durent, melancholiæ sunt signum, cum causa autem manifesta melancholiæ sunt causa; contigit, vt ex diuturno pauore, & mœrore ex manifesta occasione generatus fuerit morbus melancholicus. Quomodo autem metus, & mœstitia melancholicis contingat, dissentio est inter Galenũ, & Auerroum. Galenus hoc refert ad obscuritatem, seu nigredinem humoris, propter quam cerebrum manet, veluti puer in tenebris, vbi & pauet, & mœret. Auerrous in contrarium argumentatur: hoc alibi discutiemus. In præsens sufficit scire, corpus assuetum pati propter animi passiones, tum cor, tum cerebrum ex continuo, & violento spirituum motu debile habere, & ex duorum membrorum principum debilitate, actionum principum deprauationem sequi. Neq; est pręter rationem ex facultate debili sequi actiones non solùm debiles, sed etiam deprauatas: quod contingit moribundis, qui ob facultates rectrices debiles deprauatè imaginantur, & cogitant, ac proinde deliras eliciunt sensationes; quippe ex debili facultate debilis actio ob debilitatem suam nõ potest se sustinere, sed degenerat in aliam: sic etiam debilis ventriculus debiliter concoquit, ex debili coctione acetositas oritur, quæ deprauatio quædam, si exactè consideremus, dicenda est. Quare Nabuchodonosor tædio affectus potuit incidere in melancholiam, & progressu temporis materia ampliùs adusta degenerare in maniam, & tandem in horribilem insaniam.

obseru. 20.

G. 3. loc. aff. c. 7.

12 Attamen quamuis certum sit id, quod docet D. Thomas, nempe Angelos non habere virtutem, vt transmutent materiam secundùm aliquam formam accidentalem, aut substantialem, (omitto impulsum aliquem, quem posse efficere quidam arbitrantur) sed applicando solùm actiua passiuis, nam possunt corpora localiter mouere, id enim nullus dubitat, & etiam docet idem autor alibi: licèt, inquam, tali modo operentur, sufficit tamen, quòd producunt effectus valde admirãdos, quos causæ naturales non facerent secundùm cõmunem ordinẽ quoad celeritatem, aut alium peculiarem modum, etiamsi negari non possit, talem effectum in virtute agentium naturalium contineri. Tanta ergo, & tam subita mutatio, adeò violenti effectus à causa naturali fuerunt facti, superiore tamen, hoc est, Angelo mouente. Sic ex melancholia transiuit statim in ferinam insaniam, propter quam, qui aderant, voluerunt eum catenis ferreis ligare, iuxtà illud *Vinciatur ferro, & ære in herbis foris*; quamuis autem Lyranus vinculum ferreum, & æreum accipiat pro decreto Dei infrangibili, & Albertus pro tentatione durissima, quę domuit superbiam eius: hæc mystica sunt, vt inquit Cornelius, sensus autem historicus est, fuisse in insaniam subitò raptum, ac proptereà vinculis alligatum à suis, ne noceret illis. Deinde monitu Danielis fuisse vinculis solutum, & dimissum, vt iret quocumq; vellet. Hæc etiam Danielis admonitio

D. Th. 1. p. q. 110. art. 2. D. Th. 3. contra gẽt. c. 143. & de potent. q. 6. ar. 3. & de malo q. 16. ar. 9. Lyranus. Albertus.

tio effecit, vt nemo per illud septennium Regnum eius occupauerit, quia scilicet à Daniele edocti sciebant, eum in Regnum suum à Deo restitutum iri.

13 Mutatũ itaq; fuit ab Angelo temperamentum Nabuchodonosoris in vltimũ gradũ temperamenti citra belluinũ, sub quo forma hominis conseruari posset, & sub deteriore non posset: ideo ei omnia belluarum accidentia, quæ formam hominis euertere non poterant, sed poterant eius apparentiam deformare habuit: nempe sensus internos deprauatos, inclinationes tamquam belluarum, tum ad habitandum nemus, tum ad comedendos belluarum cibos, tum ad gradiendum more quadrupedum, & (vt aliqui non improbabiliter volunt) genua ei fuerunt in posterius, sicut quadrupedibus inuersa, vt posset meliùs per saltus salebrosos percurrere. Quare fallitur Maldonatus existimans, solos capillos, & vngues habuisse deformes: quamuis enim de his solùm historia faciat mentionem, cætera, necessaria quadam consequentia, supponi debent.

14 Si quis quærat, quas potentias habuit læsas, respondebo de duabus non esse dubitandum, nimirum, loquendo cum philosophis, de æstimatiua, & phantasia, cum medicis de imaginatiua, & cogitatiua: nam nec benè apprehendebat, nec rectè discurrebat; Non apprehendebat, quia campos, & aerem apertum pro domo, & palatio habebat: non discurrebat autem quoniam cum belluis potiùs, quàm cum hominibus viuendum esse sibi persuadebat. De memoria autem potest esse dubitatio; Nam posset aliquis existimare, ad pœnæ grauitatem augendam fuisse illi relictam præteritę vitę memoriam, ad quam sequeretur pręsentis status aliqua cognitio; Videmus enim phreniticos, qui dolendi causam habentes dolorem non sentiunt, & hos multo minùs torqueri censendum est, quàm si dolorem sentirent: imò medici doloribus intolerabilibus medentur non ablata doloris causa (hoc enim longiore indiget tempore, quàm vt dolor queat tolerari) sed ablato sensu partis per narcotica medicamenta: vnde patet, obliuionem doloris esse dolori medelam, tam in affectibus corporis, quàm animi. Tametsi autem contrarium videatur sentire D. Chrysostomus inquiens. *Qui insaniunt, ac phrenesim patiuntur, ij certè multas, & eas miserandas in semet iniurias, dum inferunt, ob quæ facta alijs lacrymas cient, ob eas rident quidem ipsi, & insolescunt, nec tamen illos propterea dixerimus supplicio liberatos, sed hoc nomine pœna grauiore affligi, quod ne ipsi quidem norint, quibus, quantisq; in malis versentur miseri*. Tametsi, inquam, ita sentiat Chrysostomus, tamen moraliter loquitur, respiciens ad medelam: quippe non dubium est, commodiùs curari illum, qui sui compos medico obtemperans est, quàm qui impos curationi reluctatur. Ac propterea grauitatem mali considerat ex astantium opinione, non ex ægrotantium sensu, quod ipse statim declarat his verbis. *Neq; enim ab ægrorum, sed à sanorum calculo sententiam ferre nos oportet*.

D. Chrysost.

15 Est tamen magis rationi consonum dicere, Nabuchodonosorem nullam præteritarum rerum habuisse recordationem, nullam præsentium cognitionem: quippe nec pręterita cognosceret, quin inter ea, & pręsentia differentiam faceret, nec præsentia cum futuris comparare posset, si, vt supponimus, reliquas potentias habuisset deprauatas: quippe si belluino tantùm more sensibus internis vteretur, quomodò posset componere, & diuidere? at comparatio inter pręteritum, & præsens in compositione, & diuisione consistit. Quod verò attinet ad grauitatem pœnę, potuit dilucida habere interualla, in quibus per aliquod spacium resipisceret, & hoc est valde frequens in melancholicis affectibus, atq; illa resipiscentia breuis, erat illi in augumentum pœnæ, erat, inquam, magis afflictiua. Habuisse autem amissos sensus internos, & mente inopem errasse, potest colligi ex historia ipsa: concludit enim, *Igitur post finem dierum ego Nabuchodonosor oculos meos ad cœlum leuaui, & sensus meus redditus est mihi*. Constat ergo eum toto tempore præcedente sinè sensu (nempe interno) permansisse; & iterum paulo post *In ipso tempore sensus meus reuersus est ad me*.

16 Scio posse aliquem pro parte contraria respondere, hoc non fuisse narratum à Nabuchodonosore, tamquàm si priùs fuisset omni cognitione naturali, veluti bestia destitutus, sed quoniam, dum in sua superbia perseuerauit, Deum minimè curans, sinè cognitione reuerentiæ, quę creatori, & bonorum omnium factori debetur, poterat bellua appellari, iuxtà illud Psalmographi. *Homo cum in honore esset, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis*. Ps. 48.
Propterea idem Psalmographus eos, qui à Dei mandatis, & voluntate recedunt,

ps. 32. veluti bestias tractandos esse ait, *In chamo, & freno maxillas eorum constringe, qui non approximant ad te*; quod ita faciedum minatur Dominus per os Isaię prophe-
Ca. 37. tæ loquentis ad Assyriorum Regem sic. *Cum fureres aduersus me, superbia tua ascendit in aures meas, ponam ergo circulum in naribus tuis, & frenum in labijs tuis, & reducam te in viam, per quam venisti.* Cęterùm quamuis historia Nabuchodonosoris hunc mysticum sensum toleret, sensus tamen mysticus, allegoricus, aut analogicus non obliterant literalem, quem ferè omnes sacri doctores recipiunt. Concludo igitur, probabile esse, imò rationi maximè consentaneum, Angelum Domini, qui in Nabuchodonosorem morbum immisit, eundem præscripto tempore, hoc est, completo septennali supplicio, ei remedijs sensum latentibus sanitatem restituisse, & in illo reditu ad pristinum statum, figura fuit restituta, corpusq; exuit illam deformitatem, & simul cum alijs sensibus redijt pręteritorum memoria, vt sic cum maiori gaudio sequeretur gratiarum actio. Tunc enim ex ijs, quę in eo fuerant perpetrata, virtutem altissimi cognouit: *Quia potestas eius sempiterna, & regnum eius in generatione, & generatione.*

Sycophantia quarta cum additamento de primatu linguarum.

1 HActenus de diuina voluntate, quę fœno potuit vim nutriendi augere. Addidi etiam, posse fœni nomine omnem herbam comprehendi: vocabulum enim, pro quo vulgata lectio habet fœnum, chaldaicè herbam significat. Hic etiam more solito inaniter sycophantaris, & in primis miraris, quod ego velut si essem inter hebræos ortus, & educatus, diuinarum scripturarum vocabula originalia sæpissime consulam. At tu ex pulice gigantem erigis: num ad quærendum vocabuli significatum dictionaria consulere magna tibi res videtur? Deinde ne à consuetis mendacijs recedas, sæpissime hoc me facere ais, quod, te ipso referente, duntaxat in pluribus meis libris ter ita factum reperitur; Semel hìc in tractatu de Asitia, bis in opere de meteoris microcosmi. Forsan in meam contumeliam dixisti, me velut si inter hebræos ortus, & educatus essem sacrarũ litterarum vocabula consulere. At heus tu, dum me velut inter hebræos ortum esse ais, iam negas me inter eosdem esse ortum: nam simile non est idem: scias tamen me honesto loco esse natum, ex parentibus non ignobilibus, in Vlyssippone patria nobilissima; Nec verò omnes tibi pares esse possunt, qui natus es in Recho Lygurię ciuitate celeberrima.

(marg.: ℞ Adagium. — pa. 53.)

2. Iurares, vt ais, me magis hebraicè, quàm græcè, & latinè scire; In hoc tuam ostendis in peierando facilitatem: nam ego vix caracteres hebraicos agnosco, neque quo fundamento ius iurandum in hac re pręstares, potes exhibere: cęterùm num græcè, & latinè sciam, non est tuum iudicare. Sicut nec de significatu vocabuli in ea lingua, quam ignoras, in quo tu, vane ligur, omnia ligurire velle ostendis: quippe cum profitearis nec vidisse dictionarium Aramæum, nec agnouisse chaldaicum idioma, incredibili quadam confidentia scientificè te loqui posse de vi vocabuli Aramæi existimas: & magis scientificum esse prædicas, dicere sacram paginam latiùs accepisse fœni vocabulum, vt tu dicis, quàm quærere quid fœni vocabulo in suo fonte significetur, & sic recurrere ad eam linguam, vnde vulgata lectio fuit translata, quod doctissimi quiq; sacrę paginæ expositores facere solent. Videris mihi vulpeculam imitari, quæ racemos, ad quos accedere non poterat, immaturos esse, aiebat.

(marg.: Fabula.)

3 Mea verba in tractatu de Asitia sunt. *Deinde vocabulum originale, pro quo fœnum vulgata lectio transtulit, in dictionario Aramæo (est enim liber ille Danielis, ex Chaldæo translatus) legitur hisba, hoc est, herba: vescebatur herbis duntaxat, herbas autem, quis ab humano cibo excludit?* Tu vero accusas hęc verba: neq; enim (vt tu inquis) mihi dicenti librum Danielis absolutè translatum ex Chaldæo fuisse, Gasparem Myricæum consentire, qui in sua institutione grammaticæ Syrochaldæę scribit, libros Esdræ, & Danielis magna ex parte conscriptos esse idiomate Chaldæo, non totos. Ego quid dicat Myricæus non vidi apud eum, nec possũ scire, an tu verbis illius, vt aliàs facere soles, aliquid detrahas, aut adiungas. Interim scio, duplex posse esse mendacium, vnum quod consistit in detractione, alterum in addictione alicuius vocabuli in alterius dictis, aut scriptis: vtroq; modo

ille te in mendacio aduersus me deprehendo. Nam dum dicis, me dixisse librũ Danielis absolutè esse chaldaicum, illud *absolutè* mendaciter addidisti: dum autem ego dixi librum *illum* Danielis esse Chaldaicum, mendaciter etiam illud *illum* expunxisti. At non ego totam prophetiam Danielis Chaldaicam esse dixi, nam sic absolutè me loquutum fuisse poteras existimare: dixi librum illum, hoc est, totiùs prophetiæ partem illam, in qua continetur historia Nabuchodonosoris, esse Chaldaicam. Addisce hoc ex Bibliotecha Sancta Sixti Senensis, vbi sic scriptum reperies. *Obseruandum est autem, quatuor partibus totum hunc librum absolui: quarum prima, hoc est, ab initio vsq; ad ea verba secundi capitis, videlicet RESPONDERVNT CHALDAEI REGI SYRIACE, hebraico narratur sermone: secunda, quæ inde progreditur, vsq: ad visionem anni tertij Balthasar, hoc est, ad finem septimi capituli, hebraicis quidem litteris, sed lingua scripta est syriaca, hoc est, chaldaica: tertia vsq; ad finem duodecimi capitis iterum hebraico eloquio scribitur: quarta, ac postrema de Susanna, & Belo, græcè descripta est ex editione græca Theodotionis Ephesij, qui & orationem Azariæ, & hymnum trium puerorum à se græcè editos inseruit tertio eiusdem libri capitulo.* Ergo cum caput quartum prophetię Danielis comprehendatur in ea parte, nempe secunda, quæ sermone chaldaico scripta est, cum rursus in capite illo quarto contineatur historia Nabuchodonosoris, de qua agebam, meritò dixi, librum *illum* hoc est, illam partem chaldaicè esse scriptam: vnde iam patet, non tibi licuisse expungere pronomen *illum*, nec addere aduerbium *absolutè*. Patet etiam, me non dissentire à Diuo Hieronymo, dicente librum Danielis maximè esse hebraicum, nec à Bellarminio consentiẽte, quod si Myricæus, (quod non credo) ab his dissentit, explodendus est; Sicut explodenda est hæc tua inanis accusatio: siquidem rectè explicationem vocabuli, quod in historia Nabuchodonosoris continetur, quęsiui in Chaldaico Dictionario: quippe ex originali Chaldaico fuit translatum. Explodenda itidem est tua contradictio, quandoquidem hic nunc non pateris, librum
p. 141. Danielis esse Chaldaico idiomate scriptum, & alibi sic ais. *Libri Danielis, Esdræ, Tobiæ, ac Iudith, testimonio Diui Hieronymi, & Eminentissimi Bellarmini, scripti sunt non hebraico, sed idiomate Chaldaico*; & nota tuam illam negationem, idest, *non hebraico*, mendacem esse: sunt enim partim hebraico partim chaldaico idiomate scripti. Verùm apud te autores, tam sacri, quàm profani cereum habent nasum, eos namq; illuc ducis, quocumq; vis.

4 Progrederis, & sub conditione loqueris: videlicet, quòd ego hic scribo, originalem linguam fuisse Chaldæam, vel Aramæam: si de lingua primęua loquor, id hauisse videor ex Rabi Iuda. Benè est: iam ergo fateris, me potuisse loqui de lingua primæua, potuisse, & non loqui, sed de alia, quę ideo originalis dicitur, quia dedit originẽ translationi. Ego verò hoc secũdo modo loquor, quod facilè cõprehenditur ex meis verbis, dũ inquio, *Vocabulũ originale, pro quo vulgata lectio transtulit.* Verùm si apud te nõ dum decretũ est, quomodò velim accipere vocabulũ originale, cur me accusas, quod eum priore modo acceperim, hoc est, pro primæuo idiomate? non ne hæc est turpis accusatio, & accusandi auiditas? Deinde si ego in libro de meteoris microcosmi considerans vocabula ex libro Geneseos, qui hebraicè scriptus est, cõsului vocabula hebraica, vt eorum vim reperirẽ, nempe, quia cœlum hebraicè dicitur *Samaim .i. ibi aquæ, & terra inanis, & vacua* hebraicè dicuntur *inanitas, & vacuitas*, hoc ne est constituere, linguam originalem esse hebraicam? consulere vocabulum vt eius vis transferatur ex originali, est constituere linguę primatum? Dic mihi, quando te finxit pictor, non ne eras tu originale illud, ex quo pictor transferebat, & tamen non habes primatum inter homines, habes tamen inter nõ homines? Tuę vxoris filij, non ne scribere addiscunt posito ante oculos aliquo originali rectè conscripto? Quòd si originale dicere nõ est Ciceronianum, quis nisi tu in scientijs pertractandis Ciceronem semper consulet? Tandem si vidisti, me ad explicationem vocabuli ex hebraico translati confugere ad originale hebraicum, ad explicationem verò alterius translati ex chaldaico consulere dictionarium chaldaicum, cur nõ hinc didicisti, quid nomine originalis esset intelligendum? cur etiam mihi magis attribuis, quòd dixerim, primęuam esse hebraicam, quàm quòd chaldaicam? cur contradictionem reperis, vbi nulla est contradictio? nam si varij sacræ bibliæ libri varijs linguis scripti sunt, quæ nam contradictio est recurrere ad varias linguas, prout in vna quaq; id, quod inquiro, est scriptum? Itaq; non est in meis dictis contradictio, sed

Satyri Stultitia.

in Satyri maledictio

Cic.pro Cęlio sed in tuo ore maledictio, quæ teste Cicerone: *Nihil habet propositi præter contumeliam.*

☞ 5 Accedo ad diffusam, sed confusam digressionem, quam animi causa affers. *p.136.* Rectè dicis animi causa esse allatam, vt scilicet animi tui violentiam, vinolentiamvè, potiùs virulentiam prodas: quis enim te feret homuncionem in solis fabulis versatum, sanctis patribus, & magnis viris aduersantem? Omitto varias de primatu linguarum opiniones, quas refellere nullus esset labor, sed tibi, qui hoc officio delectaris, id faciendum relinquo. Vnum hoc testor, atq; profiteor, me nunquam Chaldaicæ linguæ principatum tribuisse, quod tu mihi falsò attribuis: Sed semper eius fuisse opinionis, in qua, dum vita mihi permanebit, permanebo, vt sentiam linguam hebraicam fuisse primam, qua primi totius generis humani parentes loquuti sunt. Absit, vt ego à communi sanctorum patrum, & theologorum consensu, exceptis vno, aut altero nullius nominis autore, velim discedere, præcipuè cum opinio ista firmissimis nitatur coniecturis. Num tu in re ista difficili mathematicas quæris demonstrationes? At vellem, vt in solitaria via, qua tibi incedere placuit, dum arbitraris, linguę primæuæ nullum post demolititionem babylonicæ turris vestigium remansisse, nobis demonstrationem aliquã afferres. Affers futiles coniecturas, valde imbecillas, & quæ cum ijs, quę à D. Augustino, & alijs magnæ autoritatis viris afferuntur, comparari omnino nequeant. Sed vt quod animi causa scribere voluisti, rectè percurram, priùs rationes, quibus hebraica lingua suum primatum fundatum habet, in medium educam, easq; à tuis calumnijs liberabo, postea vanitatẽ eorum, quę te ad erroneã illam positionem deduxerunt, demonstrabo.

6 In primis mihi demonstrationis loco est valida quędam coniectura, sumpta ex verbis, quæ dixit Dominus, quando è costa Adami Euam condidit, videlicet. *Appellabitur virago, quia de viro sumpta est.* Hęc tantam vim habet, vt ei necessariò intellectus præbeat assensum. Rem sic accipe. Virago non significat simpliciter, & absolutè mulierem, sed eam mulierem, quæ virili animo sit prædita, vnde Plautus, *Rectè ego emero matri tuæ ancillam viraginem aliquam;* Et Amazones rectè viragines esse dicimus, & apud medicos dicuntur viragines interdum menstruis carere. Cum ergo latinus interpres videret in lingua originali nomen mulieris deriuatum esse à nomine viri, voluit id exprimere latino sermone, nec inuenit vocabulum propriũ, quare illo improprio est vsus, vt saltem ostẽderet in ea lingua, qua loquutus fuit Dominus istam vocabulorũ deriuationẽ necessariã esse. Constat ergo, illam linguam fore primam, in qua nomen mulieris ab hominis nomine deriuatur. Nullam linguam reperies (consule dictionarios, consule viros peritia linguarum præstantes) nullam, inquam, linguam, præter hebraicam reperies, in qua nomen mulieris deriuetur à viri nomine, quod diuina prouidentia fuisse factum existimo, vt nemo sanę mentis sit, qui de principatu huius linguę dubitet.

Plaut.i Mer.

ridiculum

7. Tu autem, qui semper risum lectoribus moues, in gręco sermone similitudinem inter viri, & mulieris nomina reperisti: vir enim græcè dicitur ἀνὴρ anèr: mulier autem γυνὴ genè. Adeò malè dispositas habes aures, vt tibi *anèr*, & *genè* quasi duo inter se similia vocabula representet, videtur tibi eas Midas donasse.

* Ais etiam, inter virum, & viraginem similitudinem esse, sed grammaticus cum sis, ignoras, viraginem non esse omnem mulierem, Deum tamen nomen generale omni mulieri, conueniens dedisse. Itaq; rectè interpres coactus paupertate sermonis vocabulum accepit, quod insinuat id, quod volebat, nempe nomen mulieris à nomine viri deriuari.

Satyri error in grammatica

Satyri lapsus

8 Altera coniectura, cui D. Augustinus præcipuè innititur, est quoniam ante diuisionem linguarum, quam tu perperam linguarum confusionem vocas (diuisæ fuerunt linguæ, confusi autem homines, qui turrim ędificabant) vnus tantùm erat sermo, (neq; enim cum Philastro, quem refert Syxtus Senensis, plures linguas ante diuisionem babylonicam fuisse dicente, decipi conuenit) erat terra labij vnius, & tunc lingua humana, seu loquutio humana dicebatur: quia cum vna esset, non oportebat eam ab alijs destingui; postea verò, in illa linguarum multiplicatione opus fuit, eam proprio nomine appellari, sicut nominibus proprijs reliquę appellabantur. Appellata igitur fuit hebræa ab Heber, qui tempore babylonicæ confusionis viuebat adhuc: *Nam nisi adhuc Heber viueret* (inquit D. Augustinus) *quando linguarum facta est multitudo, non ex eius nomine nomen acciperet*

Syxt. Senẽs. bibliot. sanct. lib. 5. an. 37.

peret lingua, quæ apud illum potuit permanere: & ideo credenda est ipsa fuisse prima illa communis: quoniam de pœna venit multiplicatio, mutatioq; linguarum, & vtiq; præter hanc pœnam debuit esse populus Dei.

9 His, quę à D. Augustino dicta sunt, tu impudenter reluctaris; Quis ex tam deformi improportione in risum non dilabatur? Itaq; recurris ad Suidam, vt tibi arma prębeat, quibus in Sanctos irruere possis, similis Gigantibus, qui imposuere Pelion Ossę, vt Dijs bellum inferrent: & quidem illi, & tu, & mures fraterculi estis, & terræ filij. Suidas tibi verba sua præstat; inquit enim de Abrahamo. *Hic sacras literas reperit, & eam linguam excogitauit, cuius hebræi periti fuerunt, vt eius discipuli, & posteri.* Cæterùm doctissimus Genebrardus Suidam corrigit, & eius verba se referre professus, ita scribit. *Inuenit, vel potius conseruauit sacras literas, & linguam sanctam, qua libri sacri conscipti sunt, & Rabbini hodie vtuntur, &c.* Recipe igitur doctissimi viri correctionem, nempe *inuenit, vel potius conseruauit*. Cæterùm Abraham, vt notat Hector Pintus duas callebat linguas, nimirum Chaldaicam, quoniam in Chaldea fuit natus, & hebraicam, quæ fuit lingua patrum suorum, vt hodie multi in regionibus externis nati, & linguam patriæ, in qua nascuntur, & linguam regionis, vnde sunt oriundi, solent conseruare. *Hect. pint. i Dan.*

10 Adducis Eusebium, quem dicis Suidæ consentire, sed nihil minus; quamuis enim dicat, Abrahamum esse parentem gentis hebræorum, id iccirco est dictum, quia (vt notat Genebrardus) circumcidit se, & suæ familię mares; Cum igitur fuerit primus, qui hoc signum induxit, quo hebræi à gentibus distinguerentur, meritò pater eorum appellatur, quod denotat tàm primum, quàm secundum eius nomen: primo namq; vocatus fuit Abram pater excelsus, postea à Deo nomen habuit Abraham, hoc est, *pater multarum gentium*. Fuit etiam hebręorum pater, quoniam ob Nemrod, & reliquos tyrannos fides, & religio in seculo Abrahami ferè erat extincta, patre etiam ipsius Dijs alienis seruiente, ille verò Dei cultum, & veram religionem suscitauit. Ob hæc dicitur hebræorum pater, non quòd fuerit primus fundator populi, & linguæ hebræę. *Ge. 17.*

11 Tertio adducis Philonem, *Qui monet, Abrahamum à Chaldæa ortum, filio suo Isac nomen Chaldaicum imposuiße*: cum igitur Abrahamus (ais tu) *fuerit è domo Heber, iam non chaldaicum, sed hebraicum nomen filio suo debuisset imponere, & pręferre linguam innocentiæ conseruatam, vt dicitur, in sua prosapia, linguę confusionis à Deo in pœnam perpetrati sceleris in turris babylonicæ constructione mortalibus* p.143. *immissę, si lingua primæua fuisset hebraica seruata in familia Heber*. Sic ais: sed tu tibi respondeto; Non ne tu ais, Philonem linguam hæbræam dicere Chaldaicam? certè non semel, sed bis hoc à te, in vna, & eadem pagina repetitum reperio: dic igitur tibi tu, ex Philone Abrahamum filio suo imposuisse nomen Chaldaicum, idest, hebraicum: siquidem vterq; sermo apud illum vnus, & idem est: & re vera nomen, quod Abraham filio suo imposuit, hebraicum est: appellauit enim filium suum Isaach, quod nomen hebraicum est, & risum significat; quippe à verbo Sacach, quod est ridere deducitur nomen Isaach, quod est risus. Cum ergo nomen filij Abrahami sit hebraicum, & Philo Chaldæum pro hebraico soleat dicere, quorsum argumentum sumis ex Philone, & ex nomine filij Abrahami, si vtrumq; contra te facit?

12 Placet tibi Theodoretus, qui D. Augustino penitus contrarius, probat, primęuam linguam non fuisse conseruatam in familia Heber, neq; ipsum cum domo sua iustum fuisse, consensumq; minimè præbuisse ędificio turris, *Quia, si hoc esset verum, oporrtuisset omnes viri huius iusti posteros appellatos, deinde fuisse hebręos, & vsos lingua hebręa, quòd tamen non contigit* posteri *enim Hęber fuerunt Syri, Moabitę, Ammonitę, Ismaelitæ, Idumæi, Madianitæ, Amalechitę, & qui ex filio eius Iectan progeniti varias in regiones Indiæ, gentes varijs differentes linguis condiderunt.* Sed tu pręter primogeniti lineam, in qua sola nomen paternum conseruari oportuit, alios surculos mihi affers, qui post quintam, & sextam generationem, & patriam, & nomen, & linguam etiam longo seculorum decursu mutarunt. v.g. Ammoabitæ, & Moambitæ ex Lot, qui filius fuit Haram fratris Abrahami, ętate minoris, vt iam hic deperdatur linea primogenituræ; Sic Idumæi ex Esau, qui etiam primoginiturę ius perdidit: Ismaelitę, & Agareni ex Ismaele, quem ex ancilla suscepit Abrahamus. At hę gentes spacio seculorum dispersę, confusæq; fuerunt, propter infusiones, bella, clades, commercia, coniugia, & alios casus,

& propterea linguas vel peregrinas, vel nouas, vel commistas, vel corruptas emersisse. Quis enim hodie in Gręcia linguam græcam, in Italia latinam, nisi relictis monumentis librorum agnoscit? Maximè cum linguarum dialecti innumerabiles intra paucorum milliarium spacium sint admodum diuersi; vt se inuicem habitatores in non magna regionum distantia, non intelligant, sicut in
D.Hie. nouo orbe Americus Vespucius obseruauit. Deniq; D. Hieronymus de omnibus filijs Iectan inquit, *Quid mirum in tanta vetustate? cum intra annos ducentos mutata sint omnia penè vrbium, montium, fluuiorum nomina Italię, Hispaniæ, Gal-*
D.August. *liæ aduentu barbararũ nationum?* Consonat D. Augustinus inquiens: *Sicut ex Assur Assyrij, ex Heber Hebręi partim temporis vetustate mutata sunt, vt vix homines doctissimi antiquissimas historias perscrutantes, nec omnium, sed aliquorum ex istis origines potuerint reperire.* Quod autem adiungis de filijs Iectan, qui varias vrbes condiderunt, hanc tibi nubem discutit D. Augustinus. Nam tametsi in scriptura sacra nominatur primo loco Phaleg, secundo autem Iectan, *Nequaquam*
Gen.c. *putandum* (inquit D. Augustinus) *quod eo fuerint ordine geniti, quo commemora-*
10. *ti leguntur; Alioquin duodecim filij Iectan, qui erat filius Heber, frater Phaleg, quomodo potuerunt iam gentes facere, si post Phaleg fratrem suum Iectan natus est: quandoquidem tempore, quo natus est Phaleg, diuisa est terra.* Itaq; ex sententia D. Augustini optimo fundamento innixa, Iectan maior natu filius Heber fuit, & habuit
c. 11. duodecim filios, cum quibus diuersas gentes fecit. Phaleg verò minor natu mansit cum patre, & eadem est eius gens hebręa, & eadem lingua: & ex Phaleg per lineam rectam procedit Abrahamus, vt constat ex diuiua pagina. Sed statim argues, si Iectan fuit maior natu, iam constat familiam Heber consensum præbuisse ædificationi turris, siquidem familia Iectan in linguas, & gentes diuisa est, diuisio autem ista pœna fuit peccati, & ad eos spectauit, qui consensum sceleri, prębuerunt. Respondeo, Iectan tempore diuisionis linguarum, vt idem D. Augustinus ait, tam grandes filios habuisse, vt iam per se facerent familias, quare Iectan iam erat extra familiam Heber patris sui, potuitq; & scelus committere, & pœnas luere, remanente familia Heber intacta, quæ concludebatur in Heber, & filio eius Phaleg; Et propterea in filio Phaleg fundata fuit origo Abrahami, non aliter ac Iacob prælatus fuit fratri suo Esau, & Ephraim fratri suo Manasses: quippe Phaleg, significans diuisionem, natus tempore diuisionis linguarum, ideo natus videtur, vt consolaretur patrem de damno, quod recepit ex præuaricatione alterius filij maioris natu, hoc est, Iectan, & ideo Phaleg meruit meliorem posteritatem, nempe eam, quæ producta fuit ad Abrahamum; & ab Abrahamo in Christum redemptorem. Miror autem Genebrardum exactissimum chronologistam, qui sequutus ordinem commemorationis, Iectan dicit fuisse filium minorem patris Heber, nec forsitan ei, cum hoc scriberet, in mentem venit D. Augustini optimè comprobata sententia.

13 Ad te reuertor, ò Satyre, qui non solui, ais, tuam, vel saltem Theodoreti rationem dicentis, non in omnibus Heber posteris seruatam fuisse linguam hebraicam, non soluit inquam, licèt dicamus, illos tantùm posteros Heber dictos hebræos, & vsos hebræa lingua, quos recta serie generationis ab Heber vsq; ad Iacob pertinentes recensuit Moses, in quibus veri Dei cultus mansit: *Quia non legitur* (hæc est tua impugnatio) *pręter illam in campo Sanaar, aliam vllam factam fuisse linguarum confusionem, multo post in nepotibus Heber, qui dicti sunt Syri, Moabitæ, Madianitę, Idumæi Amalechitę, Ismaelitæ, & Ammonitæ.* Quid oportebat hos
Satyri verbositas. populos nominare, quos non multo priùs nominaueras? tua hæc est ambitio, verbositate volumen ad magnam molem perducere: patienter ferendum est. Illud verò ferre nequeo, quòd putes necessariam fuisse nouam cõfusionem ad hoc, vt post longam annorum seriem linguæ illę septuaginta duæ in plures alias propagarentur. Genebrardus te docet, qui linguas quasdam matrices appellat, quæ alias pepererunt. e. g. *Hebraica genetrix est Syriacæ, Arabicæ, &c. Latina Italicæ, Valachiæ, Gallicę, & Hispanicæ; Gręca, Doricę, Ionicę, Aeolicę, Atticę: Slauonica, Polonicæ, Boemicę, Moscouiticæ &c. Germanica Heluelicæ, Anglicæ, Flandriæ: Tartarica, Turcicę, Sarmaticæ &c. Abyssina, AEthiopicæ, Sabeæ &c.* Itaq; si matrices illas recenseas, & ex his hebræam aboleri velis, nunquam accedes ad septuaginta duarum linguarum numerum, qui in diuisione fuisse dicitur, & à sacris doctoribus ita recipitur, quamuis non desint, qui septuaginta duntaxat fuisse autument. Pererius etiam, licèt fateatur, non tot fuisse linguas, quot erant in illa multitudine homines,

nes, nec singulis hominibus singulas attributas esse linguas, sed cuilibet familiæ illarum gentium differentem ab alijs assignatam fuisse linguam, attamen familias istas certo aliquo numero definire difficillimum esse, existimat: nihilominus pręstat in his linguis numerandis D. Augustini, & aliorum Sanctorum Patrum sententiam sequi: neq; enim rationes, quas in contrarium Pererius affert tanti sunt, vt nos cogant à communi, & receptissima opinione discedere, eas tamen nunc refellere, non est præsentis instituti: neq; enim omnia vbiq; tractanda sunt. Quod ex po-
ad rem attinet, est scire, ex illis linguis, quæ in diuisione ortæ fuerunt, natas fuisse steritate
pleraśq; alias, vt euertatur id, quod tu dicis, videlicet necessariam fuisse ad mul- Sē fue-
tiplicandas plures linguas nouam confusionem, quæ tamen non accidit. rūt 26
14 Cum ergo D. Augustinus dicat, Heber, & familiam eius fuisse Dei populum, extirpe
vnde *Quoniam de pœna venit multiplicatio, mutatioq; linguarum: & vtiq; pręter hanc* Chā 31
pœnā debuit esse populus Dei, & paulo infra *Profectò cum quęritur in diuisione lingua-* ex Iap-
rum, vbi lingua illa remanere potuerit, quæ fuit ante communis, quæ sine vlla dubitatio- het 15.
ne, vbi remansit, non ibi fuit illa pœna, quæ facta est mutatione linguarum: quid aliud
occurrit, nisi quod in huius gente remanserit, à cuius nomine nomen accepit, & hoc iu- 72
stitiæ gentis huius non paruum apparuisse vestigium, quod cum aliæ gentes plecterentur mutatione linguarum, ad istam non peruenit tale supplicium. Ex quibus verbis ma-
p.140. nifestum est, Heber virum iustum extra pœnam diuisionis linguarum mansisse. Ad hoc tu inquis, fundamentum esse debile: *Quod enim dicitur, Heber fuisse iustum, & non conspirasse cū alijs ad ædificium turris, ideoq; nō perpessum fuisse confusionem linguæ, id quidem piè credunt plurimi viri.* Ita est piè credunt, quicumq; hoc credunt, quod tu tamen negas: Addis ergo ita. *At in sacra pagina tale quid non habemus à Mose.* Hanc tuam proteruiam pręcognouit D. Augustinus, eiq; promptè sic respondit: *Quapropter etiamsi non euidenter expressum est, fuisse aliquod pium genus hominum, quando ab impijs Babylonia condebatur: non ad hoc valuit hæc obscuritas, vt quęrentis fraudaretur, sed potius vt exerceretur intentio.* Cætera vide ibi. Nam ex sacra pagina constat, vnam fuisse linguam ante diuisionem linguarum, constat etiam inter filios Sem commendari Heber, quamuis ab illo quintus oriatur: constat tertio, Hebræam vocari linguam, *Quam Patriarcharum, & Prophetarum non solum in sermonibus suis, verùm etiam in literis sacris custodiuit autoritas.* Si quęras, vbi remansit lingua ista hebræa, tu tibi met respondebis, mansisse in domo Heber; quòd, si non aliud, saltem deriuatio vocabuli te docere poterit.

15 Cum autem hoc rectè ex sacra pagina colligatur, tu ex eadem contrarium colligere conaris. Sed quomodò? nempe adducis illa verba: *Descendit autem Dominus, vt videret ciuitatem, & turrim, quam ædificabant filij Adam;* tunc interrogas: *Non ne numerandus est Heber, & eius filius quilibet inter filios Adam?* Tua te semper decipit ista logica, vt indefinitum accipias pro vniuersali. *Ædificauerunt* error ī
turrim filij Adam, ergo ędificauerunt turrim omnes filij Adam: quasi dicas *homo cur-* logica
rit, ergo omnis homo currit. Adeò in logicis principijs ignarum te pręstas, vt nescias in non necessarijs indefinitam non æquipollere vniuersali, sed duntaxat singulari?

16 Rursus alia in confirmationem verba adducis: *Venite confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisq; vocem proximi sui:* tunc ais, *Qui vnumquemq; dicit, neminem excludit.* Tibi facilè respondet Pererius, confusionem illam, de qua loquitur Moses, non fuisse in linguis, sed in hominibus, propter linguarum tamen repentinam varietatem. Etenim propter primæ linguæ obliuionem, quę plerisq; illorum hominum accidit, & subitam variarum linguarum valde dissonantium, ac discrepantium in magna illa hominum multitudine vsurpationem, tanta illis hominibus animorum confusio accidit, vt & ab incæpta ædificatione desistere, & inuicem segregari, diuersaq; terrarum loca capescere coacti fuerint. Adiungam etiam, si vnumquemq; ita accipias, vt nullus fuerit, qui proximi sui linguam intelligeret, tot fuisse linguas, quot erant homines, atq; non iam septuaginta duas linguas, sed plura millia linguarum nobis exhibes. Tandem si vnusquisq; suo idiomate loquebatur, quomodò potuerunt se se ita per familias diuidere, vt ad diuersas regiones habitandas abierint? Quare cum dicitur confundamus linguam eorum, vt non audiat vnusquisq; vocem proximi sui, idem est, ac si diceretur, confundamus, ex diuisione linguarum, mentem eorum, vt obstupescentes, alij alios non intelligant, nempe confusi animo, & perturbati vltra quam credi potest.

17 Vlteriùs

17 Vlteriùs confirmas tuam peruicaciam, quia post diuisionem illam homines *Cessauerunt ædificare ciuitatem, & icirco vocatum est nomen eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terrę.* Tunc si arguis. *Iam non confusum fuisset ibi labium vniuersæ terrę, si mansisset immunis à confusione primæuus ille sermo in domo Heber, è cuius domo tot gentes exortæ sunt plurimas partes incolentes, Moabitæ, Syri,* &c. Tu hìc posteros Heber iterum recenses, quos iam bis supra recensueras, vt nullum tua loquacitas habeat terminum. Quid ergo vis? non posse simul esse verum, quòd manserit domus Heber immunis à confusione, & confusum fuisse labium vniuersę terræ: ita ne? Scito in primis, labium vniuersę terrę confusum sic explicari, labium vniuersarum regionum terræ confusum, vt scilicet quælibet regio suum acceperit idioma, non vt vniuersi habitatores terrę singuli singulas haberent loquutiones. Scito insuper, loquutionem hebræam, licèt manserit velut erat priùs, nihilominùs fecisse per se ipsam gentem ab alijs separatam, quia nec alios intelligebat, nec ab alijs intelligebatur. Scito tertio, linguam hebræam mansisse in Heber, & eius filio Phaleg, qui à patre diuersam gentem non fecit, sed linguam, & propagationis seriem conseruauit, vt iam satis dictum est.

Satyri loquacitas

18. Si verò quęras, quod nam fuerit priuilegium Heber, si enim nec alios intelligebat, nec ab alijs intelligebatur, profectò in eadem confusione erat, atq; alij, qui varijs linguis loquebantur. Respondeo, non consistere immunitatem Heber in eo, quòd ab alijs diuisus non fuerit: quippe, mansit diuisus ab alijs, sicut alij ab illo, & inter se ipsos; dignitas maxima eius fuit, quòd ei remanserit primæua lingua, sub qua posteritas sanctissima promittebatur, ideò lingua sancta appellata, per quam etiam sibi, & familiæ eius tam erat communicatio interdicta cum sceleratis, qui in ædificationem turris conspirarunt, quàm permissa cum iustis, qui criminis illius participes non fuerunt: multi namq; qui eo tempore, in Syria, & in Chanaam commorabantur, non fuerunt reperti in scelerata illa factione: quippe structores turris descēdisse fertur de oriēte (vt ex sacra pagina colligi potest) ad construendā hanc fabricam: Syria autem, & Chananæa erant in occidente terrarum, quę tunc incolebantur: nempe vltimę ab illa parte, propter mare mediterraneum: mōtes Libani, Armeniæq; à septentrione: deserta Arabię ab Austro, solo oriente aperto, plano, & peruio vsq; ad montes Mediæ: his enim finibus conclusa videtur illius ętatis habitatio. Porrò non fuisse multos repertos in Babylonia, cum turris ædificabatur, accipio à Genebrardo, nec mihi placet Pererius contrarium asseuerans.

Gén.11

Geneb. Chronol an. diluuij 31. & mundi 1758. Perer. in Ge. tom.2. lib.16. disput. 1. super caput 11. supra n. 14.

19 Redis iterum, quæ tua est loquacitas, ad argumentum iam priùs tentatum, videlicet ductum ab eo, quòd iustitiæ, & sanctitatis Heber nulla in diuina historia fit mentio. At huic dubio iam tibi supra responsum dedit Augustinus, & addidi tunc, rem non amittere veritatem, quando eius non fit mentio, sed quando vera esse negatur. Addo nunc, earum rerum, quę non commemorantur, supplementum accipi ex maiorum traditione; cum ergo traditio nobis ex sanctorum Patrum testimonijs adueniens sit valde efficax, & in hac re, de qua agimus, multa eorum testimonia adsint, recalcitrare est nefas. Itaq; quoniam secundam hanc coniecturam, quam D. Augustinus sumpsit ex eo, quòd Heber, qui non fuit socius in culpa, non debuit esse particeps in pœna, tu multis oppugnasti, multis etiā eam defendere oportuit.

20 Tertia sequitur coniectura, quam tu ad Dantem autorem refers, posses ad quamplures alios referre, communissima namq; est: nempe *Quòd Redemptor noster ortum ducturus ex filijs Heber inter hebręos, non lingua confusionis, sed lingua gratiæ frui deberet.* Hāc tu dupliciter calumnijs impetis. Primò sic: *Lingua illa gratiæ dici non meretur, qua loquutus est diabolus tentatus Euam* (tentas voluisti dicere: sed heus tu, ne conijcias culpam in typographum: neq; enim error iste est in ijs, quos ad libelli calcem notasti) *& Euam mendacia dicens, & Cain, & omnes alij ante diluuium, peccatorum multitudine, at enormitate Deum ad totius Mundi subuersionem irritantes.* Tua grammatica hìc affulget, siquidem illud *at,* quod est disiunctiuū pro coniunctiuo apponis, & enormitatē dicis, cum latinorum nullus ita loquatur. At tu bardus es, & nescis, Deum optimum maximum potuisse linguę primæuę autoritatem præstare, & subinde potuisse, si vellet, eandem auferre: è contrario diabolum non potuisse autoritatem linguę auferre, cui eandem autoritatem non poterat præstare; notissimum est hoc apud iureconsultos iuxtà regulam *Eius est nolle, qui potest & velle:* Non dicitur silere ille, qui loqui non potest.

Satyri error ī grammatica

★

l. eius est velle ff. regu. iur.

potest. Quemadmodum ergo Christus Dominus per id, quod homo factus nobilitauit humanam naturam, nec tamen è contrario, quoniam Iudas inter homines numeratur, homini detrimentum, in nobilitate sua accessit, sic & Deus tam ante incarnationem, quàm post idiomate hebraico loquutus huic idiomati sanctitatem præstitit, quam nec diabolus, nec impij homines, quamuis eodem idiomate loquerentur, auferre potuerunt. Nobilitatem acquisiuisse humanam naturam per incarnationem Verbi æterni, probat D. Thomas autoritate D. Augustini, dicentis *Quandoquidem sic potuit Deo coniungi humana natura, vt fieret vna persona, superbi illi maligni spiritus non ideo se audeant homini præponere, quia non habent carnem.* Quòd lingua hebraica etiam propterea quòd à Christo Domino fuerit in vsum sermonis accepta nobilitatem est adepta, non aliunde melius probatur, quàm quia exinde à sanctis autoribus, & sacræ bibliæ interpretibus sancta est appellata.

21 Asserere etiam prædictam coniecturam tu ausus es: videlicet: *Quia Redemptor, qui carnem passibilem, ac mortalem assumpsit, non autem carnem innocentiæ illam, quæ quoque ante peccatum fuerat immortalis, & impassibilis ante illud peccatum, potuit etiam post linguarum confusionem, quam præcessit lingua gratiæ nuncupata, linguam confusionis induere, vt eos conuerteret, & aliquis intelligeretur, quæ lingua confusionis appellata est, sententiæ, apud quos degebat.* Hic tuam laudo elegantiam, qui linguam induere dicis, & similiter posses dicere vestem loqui. Deinde cum dicas linguam gratiæ nuncupatam, videris nolle huic linguæ hanc dignitatem attribuere, quæ tamen, (vt multi Diui Pauli interpretes asserunt) etiam lingua Angelorum fuit appellata. Num dubitas linguam gratiæ eam appellare, cuius vsus est, eritque in Cœlo, dum ea sancti, vt psalmus ait, *in secula seculorum laudabunt Deum*, vt est communis opinio, relata à quàm pluribus, inter quos est Haymo, Viguerius, Remigius, Ioannes Dominicus Cardinalis, Vinaldus de Monte Regali.

22 Cæterùm quamuis Christus dominus loqui potuerit quacumque lingua voluisset autoritate propria, sicut Apostoli sancti loquuti sunt ex Spiritus Sancti beneficio, nihilominus Christo sermo erat cum hebræis, neque enim extra Palæstinam egredi voluit, & quamuis hebraicus sermo, quo tunc in vsu erat, syrochaldaicus diceretur, quoniam post reditum ex Babylone populus illo idiomate misto loquebatur, nihilominus hoc negari non potest, nimirum datum esse ei nomen hebraicum, quod, testimonio D. Pauli, est *supra omne nomen*, in quo (vt idem Paulus ait) *omne genu flectatur cœlestium, terrestrium, & infernorum.* An tibi non videtur magna dignitas, quod tum antiquum illud nomen Tetragrammaton, ineffabile, tum hoc nouum salutare, vtrumque fuerit hebraicum? Nominis quod Tetragrammatum, hoc est, quatuor litterarum dicitur, admirabilem præstantiã multi te docebunt, sed inter omnes optimè Eminentissimus [b] Bellarminus. Nominis Iesu maiestatem iam te docuit D. Paulus. Quod si dicas, plures fuisse, qui hoc nomine appellati sunt, & duo præ cæteris insignes, vnum filium Nun, illum, qui Mosi in ducatu successit, alterũ Summum Sacerdotem filium Iosadec: omitto alterum huius stirpis filium, Syrach autorem ecclesiastici, qui vnus ex septuaginta duobus interpretibus fuisse dicitur, & alterum eius nepotem ex filio suo Syrach, qui aui librum panareton, hoc est, de omni virtute, qui ecclesiasticus inscribitur, ex hebraico in græcum sermonem transtulit: omitto plures alios, qui hoc eodem nomine fuerunt appellati. Scito in his omnibus (vt ait [c] Mercerus apud Pagninum) nomen hoc fuisse tamquam vmbram, in Redemptore autem nostro veritatem etymi fuisse seruatam: est enim Iesus, siue Iehosuah, græcè σωτὴρ latinè saluator, proprium tamen Iesus nefas sit cuiquam Christiano hodie imponi, propter summam tanti nominis venerationem, vt aduertit inter alios [d] Lorinus. Priores autẽ id nomen eatenus habuere, quatenus in aliquo nostri veri Iesu typum gesserunt, quod latè probant Tertullianus, Origenes, Eusebius & complures alij. Hęc est vera linguę hebraicæ laus, vt vnum, & idem significatum nempe saluator, latinè, & græcè imponi cuiquam liceat, hebraicè ad solum Christum nostrum referetur, quod à Deo impositum, ab Angelo vocatum, ab hominibus non nisi cum eximiæ reuerentiæ signo pronuncietur.

23 Quarta coniectura iuxtà meum ordinem est: quòd libri sancti, qui hebraico sermone scripti sunt, ea lingua scriptos esse deceat, qua loquuti sunt Adam, Eua, & omnes Patriarchæ. Hanc rationem tu non obstare ais: *Tum quod non omnes libri sacræ scripturæ scripti sunt hebraicè: nã libri Danielis, Esdræ, Tobię, ac Iudith, te-*

D. Th. p. 3. q. 1. ar. 3. in corp.
a Haymo. 1. corinth. c. 13. Viguerius doctrina scholastica Inst. c. 9. § 21. v. 8. p. 103. Remigius 1. Corint. cap. 13. Ioannes Dominicus Cardin. sup. magnificat. Vinaldus l. de laud. & triumph. trium liliorũ.
b Bellar. 1. exercit. in psal. 34. vers. 1.
c Mercerus.
d Lorin. in nume. c. 13. v. 17.
Tertullian. l. contr. Iud. c. 9. Ori. homil. 2. in exod. & 22. in nũ. Euseb. l. 6. 4. demõstr. Euan. c. 27. 28. 29. p. 141.

stimonio D. Hieronymi, & eminentissimi Bellarmini scripti leguntur non hebraico, sed idiomate Chaldaico. Ita tu, qui superius mihi succensere videbaris, quòd dixerim, librum Danielis esse traductum ex Hebraico, sed neq; illic, neq; hic scis prorsus, quid dicas: nam, vt iam retuli, pars illius libri græcè, pars Chaldaicè, pars autem hebraicè scripta est, vt te bibliotheca sancta docere potest. Sed redeo ad institutum iter. Verum quidem est, libros Euangelistarum, & epistolas Apostolorum & latinè, & græcè ab autoribus suis fuisse scriptas: at pentateucum, at lex in monte Sina Mosi à Deo data hebraico sermone prodierunt. Tu tamen ais, libros noui testamenti non minùs sanctos habendos esse, quàm veteris. Si de sanctitate legis loqueris, hoc quidem verissimum est: cæterùm quemadmodùm libri noui testamenti possunt vincere sanctitate libros veteris testamenti, ita cum de antiquitate loquimur, non sunt inter se comparandi: quæ enim comparatio fieri potest, vbi nulla est comparandi ratio? exemplum habes in Adamo, & Salomone, vterq; si quo ad scientiam comparentur, eam habuit à Deo infusam, quis autem adeò demens erit, vt quærat, quis nam eorum tempore prior fuerit? Circumstantia, ò Satyre, sanctitatis addita circunstantię antiquitatis (neq; enim vni tantùm adhæremus, sed plures coniungimus) efficit validissimam demonstrationem. Si medicè scires, notum tibi fuisset, non esse vbi duntaxat signo ad cognitionem morbi fidem habendam, sed syndromen, id collectionem multorum considerare oporteret.

24 Quinta coniectura ab etymologia, allusione, significatione nominum hebraicorum, à te etiam diluitur; quia similia attributa spectantur in alijs idiomatibus; In quo ignorantiam simul, & temeritatē ostendis, siquidem falcē mittis in eam messem, quę prorsus non tua est. Incipe ab alphabeto. Nomina hebraicarum literarum vetustissima esse, atq; ex his, veluti fontibus, deriuata esse nomina aliarum literarum veteres omnes hebreos, grecos, latinos docuisse, ait eminentissimus [b] Bellarminus, idq; colligit ex Iosepho, Eupolemo, D. Augustino, Eusebio, qui ex eo demonstrat, primas omnium literarum hebraicas fuisse, quòd solæ hebraicę literæ nomina habent significatiua. Cur enim græci literas suas vocent alpha, beta, gamma, delta, & latini A. b. c. d. &c. nullam aliam rationem reddere possumus, quàm quòd hebræos imitati sint, qui literis suis nomina imposuerunt aleph, beth, gimel, daleth. Cur autem hebręi literas suas ita vocauerint, rationem à propria significatione ductam reddit Eusebius. Item D. Hieronymus, & idem met Bellarminus, à quo hæc desumpsi. Itaq; prędicta ratione corruunt varię opiniones de origine literarū, quas [c] Polydorus Virgilius aggregauit. Quòd verò spectat ad vocabula, consule, præter alios, Benedictum Blancuccium, qui de lingua hebraica sic ait. *Ad cuius studium, & amorem inuitare illos debet huius libri gloria ingens, quod ab alijs linguis nihil vendicet, aut mutuetur, per se non modo ditissima, sed etiam copiosissima, è contra aliæ multas ab illa voces mutuantur, & inopiam suam multis tegunt præpositionum compositionibus,* & cætera, quæ in hanc rem prosequitur. Nec verò quòd in vna, aut altera dictione latini græciuè etymon sequantur, comparatio fieri debet ad hebraicam, in qua omnia nomina propria sub aliquo significatu imposita fuerunt, appellatiua è suis radicibus deducta adeò naturas rerum, quas significant, exprimunt, vt qui linguam hebraicam addiscit, simul & physicam scientiam addiscere quodammodò possit. Sed nescio quorsum hic adiungis translationis septuaginta interpretum laudes, quas nemo potest inficiari. Transfers hic verba Philonis, qui interpretationem istam extollit, multo magis eam celebrat munitus autoritate D. Hieronymi, & D. Augustini, & D. Gregorij Sixtus Senensis in sua bibliotheca sancta. Verùm quòd septuaginta verbum verbo omnino reddiderint, falsò id persuadere vis; imò iccirco septuaginta non tam interpretes, quàm Prophetę dicuntur, quòd multa mutarunt ad sensum magis, quàm ad verba respicientes. Vide quid circa hoc scribit Sixtus, nam & detracta aliqua, & alia aucta, plura mutata apud eos reperiuntur. [d] Quod attinet ad detracta. *Itaq; quod illi ignorauerunt, aut non plenè cognouerunt, vel dubijs, & ambiguis sententijs transtulerunt, vel omnino tacuerunt, volentes potius de incognitis benè tacere, quam de his, quę non nouerant loquendo, malè pronunciare:* & quę sequuntur: aliàs enim, cur aliqua tacuerint rationes addit. Quod vero spectat ad ea, quæ addiderunt ita ait. *De his verò, quæ ab ijsdem addita sunt, D. Hieronymus in libro de optimo genere interpretandi ostendit, in illis verba non esse consideranda, sed sensum, ad quem septuaginta ipsi nihil de suo addiderunt, licèt*

verba

Marginal notes: cōtradictio. a Satyri ignorantia & temeritas. b Bellar. inst. hebr. c. 1. Ioseph. l. 1. antiquit. c. 4. supple apud Clemēt Alex. l. 1. strō. Aug. l. 18. de ciuit. Dei c. 39. Euseb. l. 9. de prę parat. Euāg. c. ... D. Hieron. in epist. ad Paulā vrbic. & cōmentario ad threnos. c Polyd. vir. de inuentorib. rer. l. 1. c. 6. Be. Blā cuc. in instit. hebr. & prefat. 2. ad lectorem. d Bibliot Sanct. tom. 2. lib. 8.

verba quędam, quę in hebręo non erant, adiunxerint: Et reliqua, quæ, ne longus plus nimio sim, omitto: vide ibi. Quod tandem attinet ad ea, quæ mutarunt, sic habet. De locis autem, qui apud Septuaginta cum hebraica veritate pugnare videntur, rectè Augustinus dixit, multa esse apud Septuaginta interpretes, quæ cũ ab hebraica veritate discrepare putentur, si benè intellecta fuerint, inuenientur ei non esse contraria: plura in hanc rem ibi legito: mihi de vocabulis agenti sufficit, nequicquam te adduxisse cõformitatem vocabulorum inter editionem hebraicam, & translationem græcam. Nam si hæc Septuaginta interpretum in verbis, vt vides, discrepat, multo magis discrepabit translatio Aquilæ, & Symachi, quæ inferiores ei sunt. *D. A. 18. de ciuit. Dei c. 44*

25 Sexta coniectura, quam tu sumptam esse ais ex eo, quòd sacri libri scripti fuerint lingua breuissima, & simplicissima, qualis esse debuit primęua, facilè eã tolli ais: *Nam longè quam hebraica lingua breuior, & simplicior est, tum illa, quę scriptę fuerunt diuinitus in pariete Balthassaris Regis Babylonij*, Mane, Techel, Phares, *quarum syllabæ singulę, integram sermonis hebraici continent orationem, vt patet ex earum interpretatione*. Risum hic tuo more lectori concitas: nam breuiorem quàm sit lingua hebraica, dicis fuisse illam scriptionẽ, cuius linguę syllabæ continent integram sermonis hebraici orationem: ergo sermo erat hebraicus, literæ verò incognitę; Tu igitur das sermonem hebraicum sermone hebraico breuiorem; Deinde si illa lingua, qua voces in pariete erant scriptę, breuior erat, quàm hebraica, quæ nam lingua erat? num ea loquebatur aliquis populus? at Daniel eam intellexit, qui non nisi hebraicam, aut chaldaicam intelligeret naturaliter; fuit ergo illi data supra naturam cognitio, & non minorem requirebat ænigmatica illa scriptio: quippe aut literæ erant peregrinæ, & insolentes, (sicut suspicatur Pineda,) vt hæc gloria Danieli seruaretur, vel secundùm Maldonatum, & Antonium Fernandez mihi olim amicitia coniunctum, scriptio illa erat per literas initiales M. T. P. sic enim typographi hebræi initio operis versiculum aliquem psalmi, per literas tantùm initiales scribunt: sic etiam conflatum fuit nomen Machabæorum: quippe Mathatiæ filius Iudas militibus suis belli tesseram dedit hanc Mosis sententiam, *Quis similis tui in fortibus domine*? eamq; in singulis ordinũ vexillis, tãquã certæ victoriæ omen, per quatuor literas singulis singulas dictiones initiantibus scribi iussit: erant autẽ sermoni latino redditæ M. C. B. I. Populo itaq; breuitatis gratia literas coniungente effectum est, vt vocabulo *Machabæi* origo sit data, vnde fratres, & posteri Machabæi sunt appellati. Verùm tu nescis, in quo breuitas, in quo consistat simplicitas linguæ hebraicæ; breuitas quidem in radicibus, ex quibus vocabula omnia oriuntur, quæ trium duntaxat literarum sunt, paucissimæ quatuor habent literas: simplicitas, quòd non habent nomina ex pluribus nominibus composita, sed casta sunt omnia absq; artificiosa quapiam innouatione. Quòd si puncta obijcias, quę addita fuerunt primoribus vocabulis, scito literas hebraicas nullas esse vocales, & hoc linguam hanc ad addiscendum reddit difficilem, quod indicat D. Hieronymus: propterea posteriores hebręi ne disperso populo illo periret penitus scientia linguæ hebraicę, quæ ipse traditione maiorum, & vsu didicerat, eam ad artem reuocarunt certis quibusdam excogitatis punctis, quę vbiq; locum vocalium obtinerent. Id factum esse apud Tiberiaden Palęstinę anno 436 ab euersione templi, idest, anno salutis nostræ 476. existimat Bellarminus. Eos autem, qui congregati fuerunt, vt huic operi incumberent, appellati sunt Masorethes: forsan à radice Masar quod est maceria, quia tamquam maceria quadam circumuallarunt suis punctis hanc linguam, ne in eam abusus, & errores possent irruere: aut, vt alijs placet, à radice Iasar, quæ significat rectum esse, vt rectitudinem, quam seruarunt, indicarent. Quod de Sinensibus addis, parum ad rem est: nemq; enim illos ad ęmulationem, & certamen de primatu linguarum libet appellare, neq; voces habent simplices, sed scribunt per hieroglyphica, ita vt literę eorum, res non verba significent, & sic possunt diuersi populi inter se perscripta suos sensus explicare, nequeant per loquelam; nam, vti dixi, loquutio diuersa est: scriptura verò rem, non verba significat. Rideo, quòd induere sermonem adeò eleganter dictum existimes, vt id bis repetas, cum ne semel quidem scribendum foret. Sed magis ridere quispiã poterit, quòd cum D. Paulus dicat, *Multifariè, multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis, nouissimè diebus istis loquutus est nobis in filio*. Tu hæc verba accipis quasi multifariè, hoc est, multis, & diuersis idiomatibus Deus Prophetis,

ridiculum

Pined. de rebus Salom. l. 5. c. 13.

Maldonat.

Ant. fernãd.

exod. 15.

D. Hier. epist. 126 ad Euagrium.

Satyri inutilis verborum repetitio.

★

D. Paul. ad hebr. epist. 1. c. 1.

tis loquutus fuerit. Vnde nam accepisti hanc expositionem, quæ nihil malè habet, nisi quòd veritatem sibi oppositam habet? nam semper vno, & eodem idiomate Deus Patriarchis, & Prophetis loquutus dicitur, nempe hebraico: & hinc præcipuè accipiunt omnes argumentum ad probandum, linguam hebraicã fuisse primæuam; sic præter alios Accacius in Genesin, Lyranus, Iosephus. Scis quid significare velit Apostolus, quando ait, *Multifariam, multisq; modis olim Deus loquens patribus in Prophetis?* Nempe loquutus est Deus per varias figuras, visiones, & oracula, & ideo antithesin facit inter doctrinam Mosis, & doctrinam euangelicam, preferens euangelicam: nam doctrina veteris testamenti per plures vices pluribus inuoluta figuris fuit tradita, euangelium verò simul, & semel per vnum Christum dominum: ideo in græco est πολυμερῶς, i. multipartitè, vt optimè notat Cornelius, quod latinus interpres vertit multifariam: multipartitè, inquam, quia Deus partem mysteriorum Christi huic Prophetę, partim illi reuelauit. Rursus multis modis in gręco est πολυτρόπως. i. multiformiter, quasi vertens se in varias formas, modos, similitudines: sic Homerus Vlyssem vocat πολύτροπον, qui versatili erat ingenio, noueratq; se omni loco, & tẽpori accõmodare: vnde D. Paulus de se ipso *factus sum omnibus omnia*. Deus autem in varijs figuris se Prophetis ostendit, vt constat apud ipsos, quare D. Hieronymus illa verba Oseę: *Visionem multiplicaui, & in manu Prophetarum assimilatus sum*, explicat *per Prophetarum visa, dicta, & facta varijs tum personis, tum rebus me assimilaui*. Itaq; extra omnem instituti nostri rationem verba illa diui Pauli ad hebræos vis accommodare multiplicitati idiomatum, qua tamen Deum non vsum fuisse, constat.

Accacius in gen. c. 14. 21 Liran. in genes. 10 Ioseph. de antiquitat. Corn. a lapide,

26 Maneat igitur infracta tua illa petulans arrogantia, qua sanctorum Patrum dictis voluisti te opponere, & sciant omnes, hebraicam linguam fuisse primęuam ex sententia D. Hieronymi, D. Augustini, D. Chrysostomi, Origenis, & aliorũ antiquorum, quos sequũtur Tostatus, Caietanus, Oleaster, Genebrardus, Bellarminus, Hector Pintus, Rupertus Abbas, Eugubinus, & alij, quos velle omnes referre, non minor esset labor, quàm arenas maris, aut coeli stellas numerare. Tu autem excusationem à Theodoreto postulas, qui ait, *Nullum ex verbo pietatis detrimentum accedere, siue hoc, siue illud recipiamus*. Sed excusatio ista non te liberat à culpa: nam in primis Theodoretus discrepauit ab ijs, qui hebręam dixerunt primæuam fuisse, dicens esse Chaldęam, quæ ab hebræa parum distat; tu autem longè à veritate distas, dum vis primæuam liguam neq; hebræam, neq; Chaldæam esse, sed quandam, quæ non relicta fuit post babylonicam confusionem. Deinde Theodoretum, saltem quatenus hebræam primæuam esse negat, complicem tecum habes; at ex complice non tibi potest fauere excusatio. Tandem tuum esset considerare, an tua isthæc opinio, quæ sanctis Patribus, sacrisq; interpretibus aduersatur, possit dici temeraria, an malè sonans, an potiùs periculosa: meum non est quempiam accusare: scio duntaxat, opinionem esse tuam. Cæterùm postquam, qua polles iactantia te huius opinionis repertorem esse gloriaris, inquiens, *Hæc cum ego perpenderem, mihi verisimile visum est, originalem Mundi linguam, primæuumq; mortalium sermonem hominum in illa prisca linguarum confusione penitus desijsse, ac tum primum Chaldæam, & hebræam loquutionem, & alias linguarum differentias pręcipuas exortas fuiße.* Cùm tibi videretur magnum onus tuis humeris incumbere, socios laboris quæsijsti: nam ex se ipso decipi grauissimum est, inquit Plato: quare, & Dantem Aldigherium, & Philippum Cluuerium reperisti, quos, tu vt in rem tuam meliùs facere possint, magnis encomijs adornasti: ego verò nihil de eorum autoritate detraham, sed vtrum cum tot magni nominis viris, cum Ecclesiæ doctoribus, cum famigeratissimis interpretibus sint conferendi, iudicet tuus Cãpana. Verùm ad tuæ istius sectę malè iacta fudamenta accedo, priùs tamen cupiens, vt curiosis satisfacias, qui à te discere desiderant, cum dicas, te non inuitum concedere, sermonem hebræũ in Heber familia tunc, hoc est, tempore confusionis, enatum, cui nam hoc concedis non inuitus? nã nemo est, qui à te hoc postulet, neq; est vnde colligi istud possit; quare & rem à nemine quæsitam concedis, & rem istam concessam nemo à te vult recipere. Deinde cum dicas, potiùs ab Abrahamo hebręam istam linguam duxisse originẽ, tamquam germen chaldaicæ, videris velle, Chaldaicam hebræa esse priorem, idq; probas, quia hebraica magnam cum Chaldaica affinitatem habet: pulchra probatio, ex tuæ logicę fontibus deriuata. Sed cur non colligis è contrario ex ista affinitate

p. 143.

Plato in Cratylo.

error ĩ logica

finitate hebraicam esse priorem? forsan respondebis, quia Abraham erat chaldæus natus in Vr Chaldęorum. Verùm Chaldæus cum esset chaldaico idiomate debuit loqui, & sic eum intelligebant omnes ex ipsius familia, nec erat, cur nouam linguam formaret: quòd si lingua hebræa non fuit nouiter formata, sed ex chaldæa per corruptionem facta, non remanserunt duæ linguæ, sed vna degener, & quæ vocabulorum nouorum permistione scatebat. Nos autem scimus, posteros Abrahami non habuisse linguam corruptam nisi longè post, quando per septuaginta annos in captiuitate Babylonię permanentes, ob consuetudinem cum Chaldæis linguam propriam corruperunt, vnde orta est lingua Syrochaldaica, hoc est, chaldęus sermo cum hebræo mistus, quo populus post reditum è Babylone communiter loquutus est. Vbi nam ergo, aut quando factus fuit purus ille sermo hebręus nullam habēs ex chaldaico mistionem, quo Moyses Pentateucum scripsit? Perge igitur, & tuas rationes in medium proferto, mercedem accipies.

27 Prima est: *Si lingua primęua remansisset incolumis ad posteros transmittenda, profectò in illa turris ædificatione, non fuisset confusa lingua originalis, aliter ac legamus in sacra pagina*: Dicere voluisti *legimus*, grammatice infelix; sed tua infelicitas est maior, ea, quæ legis non intelligere. Fuit quidem verè confusum *labiū vniuersæ terræ*, quod quidem labium primæuus sermo erat; Sed nunquid quia labium illud primęuum fuit confusum, ideo etiam fuit extinctum? logica tua tibi valde nocet; Dic ergo sic: confusa fuit gens Itala cum exteris nationibus, multis irruentibus in Italiam, ergo gens Itala nulla remansit. Verberabunt te quàmplurimæ illustres familię, quæ ab antiquis Romanis originem ducere, non absq; probabili ratione, gloriantur. *Satyri error 1 grammaticæ* ★ *error logię.*

28 Secunda ratio, iam sæpius à te repetita, lectoris aurès offendit, adeò vt meritò tibi ambasiratus buccas inflet, neq; se fore posthac tam facilem affirmet, dictis vt præbeat aures. Ais namq;, si verum fuisset Heber propter suam iustitiam à cōfusione fuisse seruatum, vtiq; mentio de illo fieret in sacra pagina, sicut fit mentio de Noe, qui vir iustus, & perfectus in generationibus suis cum Deo ambulauit, ac proinde seruatus est in arca simul cum sua familia. Iam superiùs huic valdè debili fundamento responsionem à D. Augustino traditam dedi. Sed non ne tibi videtur satis (hoc etiam ad Diuum Augustinum refero) nempe, *Cum cępissent enumerari filij Sem, qui singuli gentes singulas procrearent, primus est commemoratus Heber, cum sit ab nepos ipsius, hoc est, ab illo quintus inueniatur exortus?* Non ne etiam tibi videtur magnum, quod ab ipso populus, ex quo Christus redemptor humanam carnem sumpturus erat, hebræus appellaretur? nam quod Franciscus Georgius dicit, Hebręos non ab Heber, sed ab Habar, id est, à transitu dictos esse, legislatorum more, nulla adhibita ratione est prolatum, & veterum traditionibus contrarium, ac propterea non recipiendum. *Supra n. 14. & nu. 19. D. Au. de ciuitat. Dei l. 16. c. 11. Fran. Geor. sect. 3. prob. 164.*

29 Tertia tua ratio sic corrigenda est, vt pateat eius falsitas, ais itaq;. *Cum linguarum confusio, qua primigenius sermo sublatus est* (hoc tu tibi gratis supponis, neq; est, qui dicat sublatum fuisse primigenium sermonem, sed mansisse in Heber, & domo eius) *ijs contigerit, quicumq; proximos suos loquentes non intelligebāt* (non singuli, sed per familias, vt Pererius annotauit, alioqui penè infinitus fuisset numerus linguarum) *cum Dominus ita mulctauerit homines in campo Sennaar congregatos ex vniuerso* (non omnes, vt superiùs à Genebrardo recepi) *vt non intelligeret vnusquisq; vocem proximi sui, vt sacra pagina testatur* (iam tibi dixi vnumquemq; dici, hoc est vnamquamq; familiam, nam ex Pereri sententia pro certo haberi potest, non fuisse tot linguas, quot erant in illa multitudine homines, nec singulis hominibus singulas attributas esse linguas) *iam vnicuiq; sublata fuit loquutio primigenia*. Cur ita? num quia non se inuicem homines illi intelligebant? At non ne poterat Heber manere cum primigenia lingua, & non intelligere alios, nec ab alijs intelligi? quid ni? iam hoc satis tibi superiùs demonstraui, nunc apologo satis lepido declarabo. Pluuia aliquando repentina omnes in aperto accepit, præter vnum, qui mansit sub tecto, aqua pluuia eius erat facultatis, vt omnes, quos madefaceret, insanire faceret, ille vnus & madoris immunis fuit, & insaniæ, sed quid profuit? nam neq; ille delirantibus, nec delirantes illi, adde nec ipsi omnes inter se ad rem nouerant respondere. Applica tuo sensui hanc fabellam, & reperies, Eusebium, quem tuæ sententię fauere ais, nihil tibi prodesse: dicit enim: *Ab vna lingua in multos tunc hominum genus confusum* *supra nu. 18. Perer. tom. 2. lib. 16. disput 10. in autoris sententia. supra n. 17.*

 fuisse.

fuisse. Hocquidem perquàm verum est, & Mosis testimonio, quem ipse citas, confirmatum: sed confusum fuisse hominũ genus tollit ne, primæuam linguam permansisse? Considera in pluuia illa eum, qui mansit sanus, ab insanis pro insano fuisse habitum.

30 At multò meliùs nobiscum agis, qui rem istam ad physica theoremata reducis. Ais namq; , *Philosophis terminum à quo mutationis non permanere ea peracta*. At cum philosophos nominare deberes, video annotatum duntaxat Aristotelem in primo libro physicorum, hic autem mihi esset instar omnium, si tecum ille diceret. Verùm toto, vt aiunt, cœlo à tua positione dissentit: in primis enim ea, quæ fiunt, diuidit inter permanentia, & non permanentia. Iam ergo ex hac diuisione colliges, non omnia esse, quæ non permanent mutatione peracta, sed aliqua, quæ permanent, vnde nihil philosophiæ aduersatur, linguam priorem mutatione peracta permansisse, siquidem est ex iis rebus quæ poterant mutatione peracta permanere. Deinde ex ista linguarum mutatione non potes dicere, linguam hebręam factam fuisse multas linguas, sed ex lingua hebræa multas factas fuisse: hoc te ibi docet Aristoteles inquiens: *Ex ære enim statuam dicimus fieri, non æs statuam*: & sic velut æs manet post peractam statuam, potuit permanere lingua hebręa post peractam aliorum diuisionem. In alio textu, quem citas, nihil, quod ad rem istam pertineat, continetur, sed solùm ait Philosophus, materiam primam per se, & suapte natura, seu ratione substantiæ, neq; interitum, neq; generationem subire, sed ex accidente duntaxat, hoc est, ratione priuationis, quæ in ea suo modo gignitur, atq; interit, cum incipit esse, rursusq; aboletur. Sed quorsùm hoc? nempe vt probes sermonem peracta mutatione non permansisse. Itaq; quemadmodùm materia prima non abolетur per se, sic prior sermo mutatione peracta non potuit permanere; ita ne? Pereas cum tua ista logica Baccheia.

Ar. l. 1. physic. tex. 60. — *tex. 82.*

31 Pergis adhuc Philosophastrum agens sic, *Si genus humanum confusum est, non ergo quispiam immunis fuit à confusione: quippe genus omnia complectitur sua induidua*. Turpis ęquiuocatio, in qua grammaticos, & logicos simul in vnum fasciculum redigis; Est genus apud grammaticos stirps, seu generatio, dicuntquè genus humanum, quasi humanam stirpem, aut etiam genus dicitur grammaticè multitudo hominum ad vnum principium redacta, sic Romanorum genus dici solet. At apud logicos genus est, quod prędicatur de pluribus differentibus specie. Vis ergo dicere genus hominum fuisse confusum, & genus tunc logicè refers ad sua inferiora; Esto: sit genus hominum, genus secundùm logicos, prędicabitur ergo de differentibus specie, atq; ita in homine plures nobis hominum species dabis; Non ne ego tibi pluries dixi, hanc tuam logicam, hanc tuam philosophiam, quas potiùs logicastriam, philosophastriamq; appellabo, rerum ordinem inuertere? Audi præterea: Si genus hominum accipere velis non logicè, (neq; enim ibi logica locum habet) sed grammaticè, dices fortasse genus hominum, hoc est, omnes homines confusos fuisse, ergo omnia humani generis, seu hominum indiuidua. At iam millies tibi dixi, indefinitàm enunciationem in rebus non necessarijs non ęquipollere vniuersali: genus hominum confusum esse non est, confusos esse omnes homines nullo excepto: sed confusos esse homines, hoc autem sic indefinitè acceptum non comprehendit omnia indiuidua, ita vt vnum, vel alterum non possit excipi. Verùm tu mihi affers verba Sybillæ allata à Iosepho: nempe, *Cum vniuersi homines vno eloquio vterentur, turrim ædificauerunt excelsissimam: Dij verò procellis immissis turrim subuerterunt, & suam cuiq; linguam dederunt*. Hoc ne tibi fauere putas? datæ sunt suę vnicuiq; linguæ, nempe vnicuiq; familiæ, ita vt vnaquæq; familia suam linguã haberet separatam ab alijs; Sed hoc ne facit, vt primæua fuerit extincta? non ne sufficit quod ab alijs separata, aliarum more remanserit? Num etiam tibi fauet D. Gregorius? imò tibi aduersatur: vide quomodò. *Spiritus sanctus*, (inquit, ille) *super discipulos, in igneis linguis apparuit, omniumq; linguarum scientiam dedit, quod sancta Ecclesia eodem spiritu repleta, omnium gentium erat voce loquutura* (sed interim apud discipulos mansit etiam prior lingua, neq; ob nouas linguas eis infusas, vetus deperdita est) *qui verò contra Deum turrim ędificare conati sunt, communionem vnius linguę perdiderunt* (ita est: perdiderunt communionem vnius linguæ, sed prior lingua non iccirco fuit abolita: non ne poterat deperdi communio vnius linguæ, & illa lingua apud aliquos remanere? quid ni?) *In his autem, qui Deum metuebant lin-*

Satyri error i logica, & Philosophia — *D. Gr. homil. 30. in euang.*

gue

quę omnes vnitæ sunt. Anthitesis est optima. discipuli Domini vnione linguarũ fuerunt munificati. Discipuli verò Satan diuisione earumdem fuerunt castigati. Tandem probationem adiungis tuo præclaro ingenio dignissimam: cum enim velis, linguam hebræam in confusionè babylonica euanuisse, ais, *Quod inde probari posse videtur: quia tractu tẽporis idiomata mutantur, & abolentur.* Hic splendescit, vt in cæteris, tua logica. Linguæ tractu temporis abolentur, ergo potuit lingua primęua subitò, & de repente in ædificatione turris aboleri. Nullam ne differentiam reperisti inter mutationem factam per longissimam annorum seriem ab hominibus, nouos semper mores, noua eloquia, nouos habitus quęrentibus, & mutationem à Deo factam per angelos linguæ flexiones dirigentibus in vnius noctis spatio? Tu forsan, & eodem quidem iure, ex mutatione linguarum, quæ fit per tot annorum spacium, addisces, fuisse linguam Balam directam, vt loqueretur, non quod ipse vellet, sed quod Dei iussu oportuit loqui. Imò verò ex eo, quòd habitus hominum longa annorum serie mutantur, colliges, Adamum statim ac peccauit, holosericis vestibus fuisse indutum. Sic tuę argumentationes sunt compositę, vt omne absurdum ex ijs colligi possit. *error ? logica.* *ridiculum*

p.146. 32 Dum ergo tibi videris tuo munere optimè perfunctus, & nihil ad tuæ positionis confirmationem deesse, nisi quicquid in contrarium afferri possit, diluere, hoc etiam peragendum putas, & tu tibi met obijcis, oportuisse vestigium aliquod primæui sermonis conseruari, atq; esse rationabile tali sermone loquutũ fuisse Deum, etiam post confusionem babylonicam, & hoc existimas insinuasse Homerum; Homerus ne insinuauit, Deum primęua lingua loquutum post confusionem babylonicam? nempe Homerus, cui nec primæua lingua, nec babylonica confusio fuit cognita. Sed cur ita? nempe quia ait. *ridiculum*

Chalcidem nominant Dij, homines autem Cymindim.

Et alibi eundem fluuium.

Quem Xanthum vocant Dij, homines autem Scamandrum.

Num quoniam Homerus aliqua nomina aliter apud Deos, aliter apud homines rebus imposuerit, rectè sequitur, Deum post confusionem babylonicam conseruasse primęuum idioma? Pręstiterat Platonem legisse, & considerasse, non solùm indicem percurrisse: nam apud eum Socrates, in cuius ore semper veritas, in dialogis illis collocatur (magister quippe erat aliorum) in Cratylo non tribuit Dijs, quòd lingua ignota loquantur, sed quòd, magis considerate, quàm homines, nomina rebus imponant: longum esset totum dialogum transcribere: vide apud Platonem. Hoc solum accipe. Quærit Hermogenes quæ de nominibus tradat Homerus, siquidem ab ipso, cæterisq; Poetis addiscendam esse nominum rectitudinem dixerat Socrates, qui sic respondet. SOCRAT. *Possim multa, maxima verò, & pulcherrima sunt illa, in quibus distinguit circa eadem, quæ nomina homines, & quæ Dij ipsi inducunt. An non censes, ipsum in his magnificum aliquid, & mirandum de recta ratione nominum tradere? Constat enim, Deos nominibus illis ad rectitudinem ipsam vti, quæ natura consistunt.* Tunc post pauca, quę ad dialogi legem spectant, sic addit. *An ignoras, quod de Troiano flumine, quod singulari certamine cum Vulcano pugnauit, inquit, quod Xantum Dij vocant, viri Scamandrum?* Postea etiam adiungit. *An non censes magnificum quiddam cognitu esse hoc, qua ratione rectius sit flumen illud Xanthum, quam Scamandrum nominare? Item si vis animaduertere, & istud, quod auem eandem dicit Chalcidem quidem a Dijs, Cymindim verò ab hominibus nominari. Leuem cognitionem hanc putas, vt sciatur quanto rectius sit, eandem auem chalcidem, quàm Cymindim nuncupare, vel Baticam, atq; Myrinem, aliaq; per multa, & apud hunc Poetam, & apud alios talia?* Hæc ex Platonis Cratylo, quæ cum aliquis considerauerit à te fuisse allata ad demonstrãdum primęuæ linguę seminaria post babylonicam confusionem ore Dei fuisse prolata, interrogabit sanè, an post bacchanalia ita censeas: nam in bacchanalibus duntaxat vocaberis ebriosus, sin extra, insanus. *Iliad. υ* *Iliad. ξ*

33 Tres tandem profers occasiones, in quibus post demolitionem turris Deus optimus maximus lingua primæua, iam tunc hominibus incognita, fuit loquutus. At si tibi ostendero in omnibus his tribus linguam, quam tu putas ignotam, notissimam fuisse, non ne resipisces? Sanè plusquàm satyricum ingenium est, quod manifesta redargutione conuictum, ab errore suo non recedit. Primam itaq; occasionem putas fuisse in conuiuio Balthassaris Regis Babylonię, & iccirco ais, *Non renuam, originali primorum hominum idiomate scriptas fuisse diuinitus*

eas literas in pariete domus Balthaßaris Babyloniȩ Regis, quas nemo Chaldȩorum, aut hebraeorum (quorum multi tamen aderant in aula, & vrbe regia) preter Danielem spiritu prophetico plenum, intelligere potuit, aut interpretari. Iam tibi superiùs cœpi dicere, hec verba scripta in pariete non continere idioma aliquod ignotum, neq; in vocabulorum significatione difficultatem latere, sed in modo, quo scripta erãt; Hebræi putãt, fuisse literas inuerso ordine exaratas: hoc nõ placet multis; alij recẽtiores, quos nuper nominaui, dicunt fuisse scriptas duntaxat literas initiales, & hoc videtur rationi consentaneum. Data igitur fuit Danieli potestas à Domino cognoscendi voces, quas singulæ literȩ portarent, quibus perlectis iã nõ ampliùs de significatione vocum poterat dubitari: cum enim Daniel per literam M. legeret *Mane*, iam hebræis notum fiebat, ex radice *Man* vocabulum Mane significare numerum: cum rursus legeret per literam T. *Techel*, chaldȩi agnoscebant suũ vocabulum ex radice Techol, & significare stateram, alij dicũt potuisse esse vocabulum hebreum ex radice *Sechol*, & permutatione vnius literæ, quæ in hac lingua fit frequẽs, dici *Techel*, hoc est, (vti dicebam) statera. Tandem cum per literam P. legeret *Phares*, poterant hebræi exclamare dicentes vocabulum hoc significare diuisionem. Nec te moueat quod vocem chaldaicam cum hebraicis permistam esse dixi: nam tunc, hoc est, in babylonica captiuitate cœpit fieri harum linguarum permistio, & quædam in hebraico idiomate corruptio: Sicut hodiè in nationibus Hispanæ ditioni subditis contingit, in quibus aliquid sermonis hispani cum proprio cuiusq; idiomate permiscetur. Perlectis igitur his vocibus *Mane techel phares*, Daniel iuxtà cognitã omniũ triũ vocũ significationẽ simul dixit. *Numerauit Deus regnum tuũ, & compleuit illud, appensus es in statera, & inuentus es minus habens: diuisum est regnum tuum, & datum est Medis, & Persis.* Quare dupliciter diuinum se vatem exhibuit Daniel, tum in lectione literarum, quas nemo, quȩ nam vocabula per eas significarentur, cognouerat: tum etiam iam perlectis vocibus, & cognita significatione vocum, quȩ quidẽ significatio vnicuiq; patebat, quid sub illa vocum significatione mysticum, & ignotum contineretur: neq; enim satis fuit noscere, quòd M. T. P. significaret numerum, pondus, & diuisionem, hoc enim ad absconditam lectionem literarum spectabat, sed (quod maioris momẽti existimandũ erat) intelligere exprobrationẽ peccati factã à Deo Regi Balthassari, & deuastationem futuram regni illius ob peccatum. Atq; ita manet explicata duplex prophetandi ratio, quæ in sacris literis colligitur. Vna quidem est occultarum rerum, tametsi prȩsentium cognitio, vnde dicitur in Exodo Moysi, *Aaron frater tuus erit Propheta tuus*, hoc est, erit tuus interpres. Et D. Paulus, *Qui prophetat hominibus, loquitur ad aedificationem, & exortationem, & consolationem.* Sic appellari potest propheria visio illa eiusdem D. Pauli, quando raptus fuit ad tertium Cœlum, & vidit *Arcana Dei, quae non licet homini loqui.* Et hæc est prima prophetandi ratio, quam tenuit Daniel in illa occulta literarum combinatione declaranda. Altera ratio prophetandi est illa, qua futura prædicuntur, & hanc tenuit idem met, quando perlecta iam verborum serie, quid occultum ibi contineretur, futurum prædixit: nempè babylonici regni diuisionem in Medos, & Persas, quæ, sicut prædixerat, fuit subsequuta. Atq; ita iam tibi cõstat, verba scripta in pariete, quando Balthassar erat in conuiuio, & sacra vasa profanabat, non fuisse ex dialecte incognito, sed ex idiomate misto, quod tunc temporis in vsu erat, & deinceps semper fuit.

supra n. 25. — *exod. c. 7.* — *Paul. 1. ad Cor. 14.* — *Paul. 2. ad Cor. 12.*

34 Altera tibi occasio proferẽdi verba ex idiomate, quod extinctum iam priùs fuisse putas, est sumpta ex Euangelio D. Marci Euangelistæ, quando Redemptor noster filiam Archisynagogi resuscitauit è mortuis: Verba autem sunt hæc. *Tabitha Cumi*, quod est interpretatum, *Puella (tibi dico) surge*. In primis scire debes ex Sixto Senensi, duo verba, videlicet *tibi dico*, quæ in hebrȩo Christi dicto non sunt, de suo addidisse Euangelistam, vt præcipientis Christi iussum ἐμφατικώτερον, hoc est, significantiùs faceret, & sensum vocantis, atq; imperantis fortiùs exprimeret. Omissis igitur his duobus verbis (*tibi dico*) quæ per parenthesin scripta sunt, illa altera duo Tabitha Cumim, quȩ tu putas ignota, & ex idiomate primæuo abolito deprompta, notissima sunt, & vnum reperies in dictionario Chaldaico, alterum in hebraico: ea erat, vt dixi, illius temporis loquutio. Tabitha chaldaicum vocabulum est, puellamq; significat, Cumi verbum hebraicum à radice *Cum*, & significat surge. Cum igitur voces hæ, ad quas puella defuncta vitam recepit, sint infinitæ energiæ, voluit eas sacer Euangelista ita exprimere,

D. Marc. c. 5. — *Sixt. Se. Biblio. Sanct. l. 8. in disso-lu. dub. nu. 3.*

exprimere, vt à Christo Domino fuerunt prolatę. Nec verò hæ solę voces hebrææ retinentur in Ecclesia catholica, sed aliæ etiam v. g. *hosanna*, idest, salua obsecro. Et *halleluia* laudate Deum; Dominus Deus *sabaoth*, hoc est, Deus exercituum.

35 Tertiam occasionem, quam tu ex verbis Christi Domini Crucifixi accipere vis, accipere possumus ad ostendendum id, quod modò dicebam, nempe vocabula aliquot in euangelio, & testamento nouo mansisse in suo priore idiomate. Tu putas verba illa *Eli eli lamma sabacthani*, hoc est, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*, fuisse incognita, vnde suspicaris primæui idiomatis esse; quod ex ignorantia à te prolatum esse, quilibet, vel parùm in lingua sancta initiatus cōprehendet. Scito ergo in psalmo vigesimo primo, juxtà translationem septuaginta interpretum scriptum esse, *Deus meus, Deus meus respice in me, quare me dereliquisti*; At illa verba *respice in me* (vt aduertunt Sixtus Senensis, & Genebrardus) interposita fuerunt ab interpretibus ad perficiendum πάθος, hoc est, interposuerunt πρόσχευσομαι, [respice in me] vt supplicantis, & expostulantis affectum potentiùs, & viuidiùs explicarent. Est ergo in hebræo *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me*. Porrò in hebręo verbum dereliquisti est *hasacthani*, pro quo *sabacthani* dixit Christus dominus: videlicet verbum chaldaicum, quod idem ac hebraicum significat, hoc est, derelinquere. Cur autem Christus dominus ita pronunciauerit, ratio est, quia sermone, qui tunc in vsu erat, loqui voluit: erat autem in vsu sermo ex hebręo, & chaldæo mistus, quem (vt dixi) portauit populus à Babylonica illà septuaginta annorum captiuitate, & posteà semper conseruauit. Tu autem, quia *Astantes, & audientes dicebant Eliam vocat iste*, existimas eos, qui aderant non intellexisse verba illa. Sed cur non considerasti, eos non errasse in significatione verbi *Sabacthani*, sed in voce illa *Eli eli*, quam quidem ignorare non poterant? siquidem *El* est vnum ex decem Dei nominibus, & addito affixo *Eli* significatur *Deus meus*. Verùm subsannatores erant, & vocabulum *Eli* pro *Elia* sumpserunt, vt subsannandi ansam haberent, sicut tu nuper originale apud me (sciens quid velim significare) non pro eo, vnde aliud est translatum, sed pro primæuo vsurpasti, & longissimæ digressioni occasionem accepisti, quod quàm honorificè à te sit factum, alij iudicent.

Satyri ignorantia ps. 21.

36 Concludam igitur, quærens à te, vt pateat, quàm impossibilis sit ista linguæ primęuæ obliteratio, an scias, Noe virum iustum vixisse aliquot annis post turris demolitionem, nec potuisse pœnam confusionis pati, quoniam, vt par est, caruit culpa? qua ergo lingua loquutus est? certè, ex tua opinione, non primæua, vt potè quæ iam extincta erat, nec tu vis eam apud aliquem mansisse, non aliqua ex ijs, quæ in confusione fuerunt ortę, quia, vt diximus, non fuit particeps culpæ, sic nec debuit particeps esse pœnæ; nihil remanet, nisi quòd remansit mutus.

37 Deinceps si Origeni, & Tertulliano fides aliqua habenda est, hi citant libros Henoc, qui fuit septimus ab Adamo: hos libros, manifestum est lingua primęua fuisse conscriptos: quis autem Origenem, & Tertullianum linguam primæuam docuit, si, vt tu dicis, extincta iam olim fuit? aut quomodò potuerunt huiusmodi libros legere, & intelligere, vt eorum doctrinam nobis traderent, quippe multiplex in ijs continebatur? Si verò quęras, quomodò potuerit liber ab Henoch scriptus post diluuium ad posteros saluus peruenire, respondet Tertullianus, non esse id incredibile, vel quia ipsum Noe in arca seruauerit, vel quia ipsum inundatione diluij abolitum, aliquis spiritu sancto illustratus restituerit, sicut per Esdram sacra volumina, post captiuitatem instaurata sunt. Proinde (vt aduertit Sixtus Senensis) D. Augustinus, *Henoch septimus ab Adam*, inquit, *non ne etiā in canonica epistola Apostoli Iudæ prophetasse prædicatur?* Et alibi *Scripsisse quidem nonnulla diuina Henoch illum septimum ab Adam negare non possumus, cum hoc in epistola canonica Iudas Apostolus dicat*. Verùm vtrobiq; scripta Henoch ob antiquitatem suspecta esse dicit. Horum etiam scriptorum Henoch autoritatem D. Hieronymus non recipit; quare si argumentum hoc ex libris Henoch acceptum nolis recipere, recipias saltem antiquiorem scripturā, quæ filio Adami Seth & Enos attribuitur: quippe scripsisse dicuntur multa in duabus columnis, quarum vna lateritia erat, altera ahenea, imò, vt affirmat Iosephus marmorea, quæ suo tempore in terra Syria extitisse ait: non ne hæc monumenta erant primęuæ linguæ post Babylonicam confusionem, adhuc permanentis?

Orig. I vltima homil. super Numer. Tertullianus in lib. de habitu mulier. Sixt. Sen. in bibliotecha sacra. Au. de ciuit. dei lib. 18. c. 38. idē lib. 15. c. 23.

38 Tandem quoad historiam à te allatam, longè tamen aliter, quàm tu illa es

abuſus, eadem ego vtar. Tu quidem hiſtoriam Pſammetichi narras, vt oſtendas phrygium ſermonem, ex opinione aliquorum, primigenium fuiſſe, cum tamen nemo ſit, qui ita ſenſerit, niſi Pſammetichus ipſe. Ego verò tibi eam referam, vt ſimul tibi demonſtrem, quanto errore, & ſtultitia dixeris, tum primæuum ſermonem extinctum eſſe, tum poſſe eodem loqui puerum in ſyluis educatum. Pſammetichum Regem nimis curioſum fuiſſe, ex ijs, quę de ipſo ſcripta leguntur, colligi poteſt: in primis enim, vt refert Athenæus, pueros curauit educari alios ſine potu, qui Libyæ deſerta aliquando penetrarent, alios ſolis piſcibus, qui Nili fontes ſcrutarentur: multa alia ſimiliter præſtitit; ſed quod ad rem noſtram facit (iuxtà Herodoti narrationem, quæ etiam legitur apud Suidam, & ex recentioribus apud Polydorum Virgilium) pueros recèns natos duos educandos tradidit paſtori, iubens, vt nemo coram eis vocem ederet, aliqui à capellis lactatos aiunt, alij à nutricibus, quarum linguæ præciſę fuerunt. Itaq; biennio tranſacto expanſa ianua (intus enim nutriebantur) ambo porrectis paſtori manibus ad venientem *βεκκος*, beccos dixerunt, qua voce Phryges panem appellant. Hoc tu tamquam fabuloſum reijcis, quia *Veriſimile non eſt, infantes antea ſolo lacte nutritos, panem ſibi nunquam viſum, cibumq; ſolidum poſtulaſſe in eſcam.* At tu ſi contra phryges rectè argumentaris, contra hiſtoriæ autem veritatem minimè; nam ſi verum eſſet, capras intus cum pueris commoraſſe, quid mirum foret, illos à capris didiciſſe illam vocem? an neſcis apud Theocritum caprarum vocem expreſſam fuiſſe per *βῦ be* vnde aliqui grammatici, & linguę græcę periti volunt literam *η* apud græcos non pronunciari tamquam *ita*, ſed potiùs *eta*: ſic te docet Cratinus, (*de te fabula narratur*) *ὁ δ' ἠλίθιος ὥσπερ πρόβατον βῦ βῦ λέγων βαδίζει.* *i. Is autem fatuus inſtar ouis be, be, dicens incedit.*

Athen. lib. 8. c. 6
Suid. i Belphegor.
Polyd. Verg. de inuētor. lib. 1. c. 3.
Theocritus
Cratinus

39 Hinc collige, puerum in deſerto educatum non aliam vocem poſſe edere, niſi eam, quam addidicit: à nullo autem poſſe addiſcere (ex hypotheſi) niſi à feris; quare ferarum voces imitabitur, non humanas, vt tu imprudenter exiſtimas; affirmās loquuturum ſermone primæuo, potiùs ſermone chymærico. Cæterum ſi primæuo loquatur (vt iam tibi in hoc faciam ſatis) non erit impoſſibile, primæuum ſermonem, quem tu abolitum eſſe dicis, in vſum reuocare: educatis nimirum in deſerto pueris. Fac quęſo, & quos tibi tua vxor pariet filios, occultos educato, quos poſtea primæuo ſermone loquentes, per vrbes circumduces, & maiori tibi lucro erunt, quàm philoſophaſtrica profeſſio, cui parum debes.

AN ALIQVI VENENO nutriri queant.

QVÆSTIO TERTIA.

1 FAciam, vt cultores hortorum facere ſolent, qui herbas inutiles euelſunt, vt vtiles, & victui neceſſarias poſſint commodè ſeminare. Calumnias iſtius, tamquam malignas herbas ex malignis radicibus, potiùs ex malignitate ipſa germinantes, libet extirpare. In primis duobus me oneras erroribus in grammatica adeò magnis, vt propterea putes, nec me poſſe me ipſum intelligere; nullum enim latinitatis habent ſenſum. Primus error eſt, quoniam *aſſuefactione* barbarè pro aſſuetudine vtor. At expuit tibi in faciem tuus Nicolaus Perottus in Cornucopia: non ne hic eſt excellens grammaticus? & tamen in expoſitione epigrammatis de Tigride dilaniante leonem, tibi datà verbo *ſueſacio ſueſactionem*, à verbo etiam *aſſuefacio aſſuefactionem*, & à verbo *diſſuefacio diſſuefactionem*. Quid ni? non ne nomina verbalia formare vnicuiq; licitum eſt? ſin minus, dic tu mihi, vbi nam reperiſti Aſitiaſten, & ſimilia, quę tu ineptè fingis? Alter meus ingēs error eſt, quoniā dixi, *quòd ſi adhuc alere poſſe perſiſtas*. Hic magnas excitas turbas, narras hiſtorias, autorum dicteria accumulas, & ſi ſcriptis poſſes cachinnari, cachinnatus etiam fuiſſes: rogas me, an ſciam *perſiſtere* nihil aliud eſſe, quàm *perſeuerare*. Scio equidem, & ita dicam, *ſi alere poſſe perſeueres*: quem nam hic agnoſcis errorem? nempe quia debueram dicere *ſi alere poſſe* dicens *perſeueres*, aut etiam dicens perſiſtas. Offendit ne aures tuas illius participij defectio? non miror; eis ſolùm id, quod ſordidum eſt, placet, non politum, & elegans.

pa. 38.

Cornucopia Nicolai Pero. ad epigr. Mart. 18.

gans. Nescio, cur figuratam loquutionem odio habes, quam vbicumq; reperis, abominaris. An nescis, eclipsin figuram esse apud rhetores celebratissimam? passim tibi Terentius hac figura loquitur, vt cum ait, *Verbum vnum caue de nuptijs,* deest *dicas*: idem alibi *Ego istam omnibus inuitis*: vbi Donatus, *bona eclipsis: nemo enim plenè loquitur, qui luctatur.* Tu autem, qui me tecum luctari velle existimas, hanc figuram debueras laudare. Cæterùm luctari nolo, ideo, cùm ita corrigis mea verba, *quod si venenum alere posse contendas,* ego correctionem istam non recipio, nam cum Satyro Rechensi luctari, & contendere non est honorificum: quippe *si victus erit mecum certasse feretur.* Plurima, quę te doceo, ne contentionis ergò dicta esse putes. Acquiesce igitur, alios alloquor, qui tropologica, & figurata loquutione delectantur, tu loquere, vt tibi libuerit sine ornatu vllo: forsitan Rechenses *sic rure loquuntur.* *Teret. in Andr. In Adelph.*

2 Infeliciter me semper accusas: siquidem accusationes in caput tuum conuertuntur. Itaq; grammatici errores euanuerunt, non minus euanescet contradictio, cuius tu me reum facis. Dixi ego, *Quid nam est illud, quod facit, vt ex non alimento fiat alimentum? consuetudo.* In hoc mihi ipsi me contradicere ais, quippe superiùs dixeram, *Ego autem venenum posse assuefactione fieri non nocuū possibile esse censeo, in alimentum autē abire (quod longè alia res est) non mihi persuadeo.* Ecce me miserum contradictionis compedibus alligasti. Verùm, quę tua est humanitas, statim liberasti agnoscens, me potuisse hoc proferre de mente aliorum, quos arguere tento. Ita est, & quicumq; meorum verborum seriem percurret, facilè me ad aliorum mentē loqui intelliget: dixi enim, *Quod si adhuc alere posse persistas* (nempe venenum) *audi, quid sequatur.* Hoc quid aliud est, quàm supponere, verum esse id, quod deducendo ad inconueniens refellere volo? Eram tibi sat obligatus, qui me à contradictione liberasti, sed quoniam veritas in te non diu commoratur, excusationem illam, quia vera erat, statim reiecisti, & cum ego pergam in eadem hypothesi, & velim probare, si verum sit, quod alij volunt, nempe ex non alimento fieri alimentum, id consuetudini tribuendū esse, pænitet te allatæ excusationis, & dicis, me mihi contradicere, qui superiùs non admisi, consuetudine venenum conuerti in alimentum. At non mihi contradico, nam superiùs ex mea sententia loquutus dixi, venenum non posse assuetudine in alimentum conuerti, nunc dico supposito, quod conuertatur, vt alij volunt, id assuetudine fieri. Tu tibi contradicis, qui me excusasti, quòd ex mente aliorum loquutus fuerim, & rursus me accusas, quòd idem dicam ex mente propria, cum nulla intersit oratio, ex qua colligi possit, me, qui ex aliorum mente loquutus fueram, reliquisse hanc viam. His tamen omissis ad propositam quęstionem accedo. *pa.39.* *Satyri contradictio.*

Argumenta, quæ probare videntur, posse venena nos alere. Articulus Primus.

1 NON est fides deneganda historijs fide dignorum hominum: & tamen extant non paucæ, quibus homines alitos veneno fuisse narratur: inter quos primam aciem ducit notissimus Rex Ponti Mithridates: quippe (vt narrat Plinius) *Vnici excogitatum quotidie venenum bibere, pręsumptis remedijs, vt consuetudine ipsa innoxium fieret,* quod confirmat distichon. *Plin.l. 25.c.2.*

Profecit poto Mithridates sæpe veneno,
Toxica ne possent sæua nocere sibi.

Neq; silentio prætereunda est anus Atheniensis, *cuius* (vt Galenus ait) *apud omnes percelebris memoria est: etenim ea à minima cicutæ portione auspicata, nullo detrimento ad permagnam progressa est copiam: principio enim paucum exiguitate ipsa deuictum est, at consuetudo naturale reddidit.* Plures extant apud varios autores historiæ, pręcipuè apud Cœlium Rhodiginium, ex quibus constat, non esse impossibile, venenum aliquando abire in alimentum. *Ga. 3. simpl. c. 18.* *Cœl. Rhod. lib. 11. c. 13.*

2 Præter historias adest etiam ratio. Nam Cœlius adducit ex Aristotele non solùm euentum puellæ veneno nutritæ, sed rationem, qua id factum fuisse, est existimandum. quippe fuisse ait, puellæ huic *cor caloris inops, prætereà meatus pręte nues, ita vt digestionis vi insigniter demutaretur haustum venenum, priùs quàm cor pertingeret.* Hanc rationem Galenus satis dilatat, & post multa concludit: *Sic hominem* *Ga. 3. simpl. c. 18.*

bo minem quidem cicuta necat, tum ob meatuum amplitudinem, calorisq; multitudinem, tu m ob attractionis arteriarum robur validum, etiam num ad cor pertingens.

H. 4. de morb. 3 Deinceps terra omnigena est, *Et omnia, quę nascuntur in cibi, ac potus vsum venientia, multas facultates de terra ad se trahunt, & in omnibus est aliquid pituitosi, & sanguinei*, & quę sequuntur. Cum ergo terræ nascentia nobis in victum veniant, & in terra, vt alia pleraq; sic venena etiam gignantur, non possunt alimenta adeò defæcata esse, quin aliquid venenosi participent. Quemadmodum enim Gal. 3. epid. sect. 3. co. 73. fœtus in vtero, tametsi, vt Galenus ait, meliorem ad se sanguinem nutrimenti causa allicit, relinquitq; deteriorem, nihilominùs (eodem met teste alibi) cum iam auctior est redditus non solùm quicquid in uenis est, id attrahit, sed etiam, quia plus indigeat, eius, quod vitiosum est, aliquid vnà trahit: quod quidem vitiosum, (vt quàmplurimis experimentis comprobatur) veneni naturam habet. Sic & terræ nascentia, trahant quantumuis sibi familiare alimentum, nunquam erit adeò purum, quin secum venenosam aliquam substantiam ex multis, quas terra sinu suo amplectitur, afferat. Quare cum ex his rebus alimenta hominibus comparentur, necessariò fateri debemus simul cum alimento veneni aliquid assumi, quod quia paucum, quia consuetum, non nocet, & subinde illud non refugit natura nostra.

Quid possit consuetudo. Articulus Secundus.

1 AMplissimus mihi se aperiret campus, si vniuersam consuetudinis ditionem percurrere opus esset: nam ab anima inciperem, quæ licèt à corpore separata consuetudine nihil proficit, dum tamen in hoc ergastulo commoratur, quosdam intelligendi habitus, alios etiam morales assuescendo acquirit, & perficit; Deinde ad functiones accederem, quas anima non sine corporeo instrumento obire potest, vt sunt tam interni, quàm externi sensus, vt sunt etiam motiones. Sed quod attinet ad sensus, posset aliquis dubitare, nam cum ex Aristotele sentire sit quoddam pati, cum rursus ab assuetis non fiat passio, aut saltem non tanta, videtur sensatio assuetudine minui, non augeri, maximè quia sensationes fiunt per organa corporea, quæ agendo defatigantur. Respondendum tamen est, in sensatione triplicem statum considerari, primus est, quando sensus recipit speciem ab obiecto, alter, quando specie informatus elicit actum sentiẽdi, tertius quando huiusmodi actum in se recipit. Quamuis autem in primo, & tertio statu potentia passiua sit, nihilominùs in secundo, qui præcipuus est, potentia est actiua. Dico autem, secundum statum præcipuum esse, quoniam licet recipi speciem ab obiecto, & recipi in sensu, sint conditiones necessarię sine quibus sensatio fieri nequit, nihilominùs ordinantur ad secundum statum eliciendi sensationem, quæ actio propriè sensatio appellatur. Hæc igitur actio eliciendi sensationem assuetudine facilitatem acquirit, & tanto fit facilior, ac subinde fortior, quanto passio minuitur: quippe inter agens, & patiens dissimilitudo esse debet, quę per actionem ad similitudinem reducatur; in passo consideratur vis resistendi, quę actionem difficilem reddit, in agente vis agendi, quę potentior est, vbi resistentia est debilior. Vnde constat, ablatam, aut deminutam assuetudinem passionis conferre quidem ad facilitatem, roburq; actionis, quę est præcipua in sentiendo. Quòd autem organa assuetudine defatigentur, vtpote quæ corporea sunt, nihil officit potentię: nam si potentia visiua senis collocari posset in oculo iuuenis, potentia illa iuueniliter, idest, fortiter ageret. Conteri autem res corporeas tractu temporis, & longo vsu, non est mirum, imò de animo quoq; dixit Poeta *Omnia fert ætas, animum quoq;* Satis autem est, quòd consuetudo ad perfectionem actiones deducat, licèt postquàm perfectæ sunt, instrumentorum culpa dilabantur, vel saltem dilabi videantur. Quod spectat ad motiones, habemus Hippocratem dicentem, *Qui consueti solitos labores ferre, & si fuerint imbecilles, & senes, non consuetis fortibus, atq; iuuenibus, facilius ferunt.* Quam sententiam Galenus applicat motibus siuè manuum, seu crurum, seu cuilibet alteri operationi, vt fodere terram, remigare, arare. Itaq; quicumq; membrorum, totiusuè corporis motus, quantumuis laboriosus, si consuetus sit, minùs molestat, quàm si insuetus, adeò vt hoc labore non ita offendatur debilis, vel senex (libet enim legere disiunctiuè, cum Musa, nõ coniunctiuè, cum Leoniceno, tum

quia

quia ita sensus remanet melior, tũ quia in græco est ἤ .i. *vel*, non autem καὶ .i. *et*.) Cur autem ita accidat, causam reddit Galenus, quòd partes exercitatę fiunt robustiores, atq; iccirco labores consuetos faciliùs ferunt. Causam hanc reijcit (suo more) Argenterius, quia scilicet tametsi labore corpora robustiora fiant, hoc non facit ad interpretationem aphorismi, in quo ponit autor, imbecilles faciliùs ferre fortibus labores sibi consuetos: supponit enim quosdam esse imbecilles, alios fortes, & imbecilles statuit faciliùs ferre. Verùm frustra Galeni explicationem reijcit: quippe satis est ad exaggerandam consuetudinis vim, quòd per eam debiles robur acquirant, quo faciliùs labores ferant, quàm illi, qui suapte natura robusti sunt. Neq; verò debiles fieri robustiores ad omnes labores dixit Hippocrates, sed duntaxat *ad solitos labores*, hoc est, ad eos, in quibus assuescunt. e. g. baiulus senex faciliùs portabit onus, quam iuuenis, qui portando oneri non est assuetus, in reliquis autem, vt in palæstra, in pancratio, in gladiatura, idem met iuuenis, qui baiulando superabatur à sene, senem superabit. Cœterùm quamuis hęc causa à Galeno allata sit vera, non tamen est sola: alia enim potest colligi ex eodem Galeno alibi (neq; enim omnia vbiq; tradit, maximè in re, quam non ex professo tractat) nempè quia fibræ musculorum, ad eam figuram, quàm sæpe acceperunt, facilè trahuntur, ad alias difficilè. Quare cum extremis figuris nemo velit assuescere, hoc est, extremæ extensioni v. g. cruris, aut extremæ flexioni, quippe hæ dolorificæ necessariò sunt, cum rursus media figura sit naturalis, & dolore careat, potest consuetudo non quęrens illas extremas, ab hac tamen media aliquantulum recedere, atq; ita hæc figura recedens à media, ope consuetudinis, perinde ac si media, naturalisq; [illegible], erit sinè dolore: quare consuetudinis, & naturæ eadem est potentia. Verba Galeni sunt. *Tantum igitur à media figura ad extensionem progressum est, quod perfectè caret dolore, quantum à diuturna consuetudine membrorum est coactum*, & quæ sequuntur. *Argenter. in aph.* *Ga. 2. de motu muscalor. c. 7.*

2 Cæterùm non in solis motibus, nec in solis sensationibus (vti supra dictum est) consuetudinis vis conspicitur, sed in quibusuis alijs operibus, quod sequente aphorismo perfectè Hippocrates declarauit, inquiens: *Quæ ex longo tempore consueta sunt, insuetis minùs molestare solent: oportet igitur ad insueta permutari.* Hoc consilio, quod vltimo loco addidit, nēpe *oportere ad insueta permutari*, vim consuetudinis magis expressit: quippe si consuetudo conuertitur in naturā, quicquid consuetudine acquisitum est, naturale fit nobis: quare ab eo non minore periculo recedere possumus, quàm si ab statu, qui secundùm naturam est, ad statū præter naturam transeamus. Meritò ergo à Galeno consuetudo natura acquisititia sæpissimè appellatur: acquisititia, quia non est innata, & natura, quia non tolerat repentinas mutationes, quas naturam tolerare dixit Hippocrates, & iccirco Aristoteles, consuetudinem, dicit, esse similem naturæ, in cuius rei testimonium affert Eueni poetę carmina. *H. 2. aph. 50* *Arist. 7. eth. c. 10.*

Consuetudo quidem rerum tractatio longa est,
Quam procedentem naturam dicimus esse.

Dixit *procedentem*, in quem sensum D. Augustinus eleganter affabricatam naturam appellauit: quoniam scilicet vnusquisq; per consuetudinem sibi met naturę cuiusdam est fabricator, & autor. Hęc itaq; cursim de animalis facultatis functionibus, consuetudine roboratis, sint dicta: facit etiam consuetudo, vt facultatis vitialis, seu, cum Platone, irascibilis, functiones & faciles sint, & robustæ: quippe irasci solitus sinè noxa irascitur, & solitus timere minùs à timore opprimitur; Sed de his satis. Ad naturalem potentiam accedo, quæ præsenti rei inseruit. *D. Au. lib. de Mus.*

3 Agentia naturalia forsan alicui non videbuntur aliquam à consuetudine commoditatem recipere: nam lapis, qui millies è turri descendat, non habet faciliorem, robustioremuè motum in millesimo descensu, quàm habuit in priore: nec etiam idem lapis assuetus per vnam viam descendere, descendit meliùs per illam solitam, quàm per aliam insolitam. Sic etiam ignis, cum primùm è silice excussus fuit, & in stipula accensus, non vrit minùs in illa, quàm in alia, & alia, in quibus vrendo perseuerauit; nec item ignis solitus quercū vrere, solitā quercum meliùs, quàm insolitam pinum vret. Hoc argumentum ab inanimatis ad animata deductum, nihil conuincit: quippe res inanimes, vt non deficiunt dissuescendo, sic nec proficiūt assuescendo: cuius rei causam existimo esse, quoniam ijs, quę anima carent, nihil sibi intrinsecum ex suis actionibus accedit,

quid enim intrinsecùs aduenit lapidi ex eo, quòd moueatur, aut quiescat? quid igni ex eo, quòd hæc, aut illa exurat ligna? At verò animatis longè aliter accidit: nam, vt Galenus inquit, *Sicuti vnum quodq; eorum, quæ comeduntur, & bibuntur secundum aliquam qualitatem alteratur, ita & ipsum quodammodò afficit id, quod alteratur*: & post pauca addit. *Quoniam ergo non solùm alteratur id, quod nutrit ab eo, quod nutritur, sed & ipsum aliquo modo exigua quadã alteratione alterat, necesse est, exiguam hanc alterationem, tractatu temporis, notabilem fieri: ita vt ad æqualem vim, cum familiaritate naturali, veniat ea, quæ ex diuturnis consuetudinibus fit. Atq; in ijs quidem, quæ comeduntur, & bibuntur inuenta mihi esse videtur causa facultatis consuetudinum.* Sic Galenus, iuxtà cuius placitum ego dixi, *Alimentum non solùm patitur, dum in substantiam corporis conuertitur, sed etiam agit, tribuens corpori, quas potest conditiones (hoc alibi fusius pertracto) nunc tibi sit pro hypothesi, alimentum corpori assimilari, alimento corpus*. Hìc me Satyrus Rechensis interpellat, sed quo iure? nempe mendaciorum, quibus eius semper scatent scriptiones; Inquit ergo, non idem genus esse assimilationis in vtroq;, vt ego falsò suppono; certè non hoc indicãt mea verba: quippe alimentum dico pati, dum in substantiã corporis conuertitur, agere verò tribuens corpori, quas potest conditiones; hinc ne colligis, me in vtroq; idem genus assimilationis supponere? Cum tamen ego in vno loquar de substantia, in alio de conditionibus, quæ accidentia sunt: igitur tu falsò dicis, me falsò supponere id, cuius contrarium mea verba sonant.

Ga. de cõsuet. c. 2.

de asitia c. 9.

pa. 39.

4 Cæterùm quamuis verum sit, (vt re vera est) inter nutrimentum, & nutritum non esse vnum, & idem genus reactionis, & passionis: nam alimentum patitur secundùm substantiam transmutando illam in substantiam aliti, alitum verò patitur secundùm qualitates, quamuis, inquam, hoc verum sit, non est tamen verum id, quod tu ais, nempe non idem esse assimilationis genus in vtroq;: sed hoc tibi ex logicæ ignorantia accidit. Aliud est, mi Satyre, non esse idem genus passionis, aliud non esse idem genus assimilationis: diuerso genere passionis fit, vt vnum patiatur secundùm substantiam, alterũ secundùm qualitates. At assimilatio in solis qualitatibus spectatur, non autem in substantia, quod tu, qui pueros doces, potueras didicisse ab Aristotele dicente *Similia autẽ, dissimiliaq; per qualitates solas dicuntur*. Itaq; inter nutriens, & quod nutritur, vnũ genus est assimilationis, nempe per qualitates, duplex repassionis, videlicet alterum per substantiam, alterum per accidentia: & hinc addisces, id, quod nutrit, fieri quidem simile nutrito secundùm qualitates, sed secundùm substantiam idem.

logicæ ignorãtia.

Arist. in predi. c. de qualit.

5 Ad consuetudinem reuertor, quæ sensim debet introduci, quòd si ita non introducatur, repentina erit mutatio, quæ iam non naturæ affinis, sed naturæ inimica erit: nam mutatione repentina nimis est quod fiat, at ex legislatoris edicto *Omne nimis est naturæ inimicum, sed, quod paulatim fit, tutum est*. Dixi, id, quod repentinum est, esse nimium, quia si nimium non est paulatinæ introductionis initium est. Itaq; ob hanc causam, inquit Galenus superiùs citatus, *Exiguam hanc alterationem tractu temporis notabilem fieri*. Hac paulatina introductione potest fieri, vt consuetudo cibos, quos ventriculus abhorrebat, tractu temporis reddat familiares, quod Hippocrates, præter suum morem, diffusè comprobat: *Multa autem his germana eorum, quę ventri contingunt, atq; alia quispiam dixerit, vt; exempli gratia cibos, quibus vti consueuerunt, facilè ferunt, tametsi natura haud quaquàm boni fuerint, similiter & potus; cibos vero, quibus vti non consueuerunt, etsi mali non fuerint, molestè ferunt, consimili modo & potus*: & alia multa, quę in hanc sententiam affert. Porrò cibi, quos priùs stomachus abhorrebat, in eius capacitate innatantes non poterant concoqui, & subinde non erant apti ad nutriendum: cum verò consuetudo eos fecerit familiares, illos ventriculus amplectitur, concoquit, & ad alendum aptos reddit. Scio auersationem istam habere latitudinem, vt si non omnimoda sit, coctio sequatur, sed deminuta, aut etiam deprauata, sin maxima, aut eos expellet natura per vomitum, aut, si non poterit, nauseam concitando permanebunt, donec partim in flatus, partim in crudos, excrementitiosq; humores conuersi, in pancreo, & mezentereo tamquam in sentina corporis reponantur. Vnde in prima illa corporis regione cacochimia aggregatur, & purgandi accedit necessitas.

Hip. 2. acut. tex. 33.

6 Proposui mures, & insecta, quibus in obsidione aliqua homines coacti necessitate, vescuntur, &, quod fœdissimum auditu est, matres filios deuorasse narrantur. Et quoniam dixi in obsidionibus non esse coquinæ vsum, accusat hoc

Satyrus,

Satyrus, quia in obsidione Hierosolymitana, cum deficerent alimenta, non defuit coquinę vsus, siquidem, ex relatu Iosephi, obsessi funibus elixis vescebantur. At ego coquinæ vsum deesse, dico, vbi desunt dapes, & coqui, tu autem funes esse dapes, ais. Interim me in Iudaicarum historiarum libris versatissimum esse, ais, sed quoties aliquid affirmas, cuius coniecturam nullam habes, mendaciter loqueris. Age nunc, ego has horrendas epulas, quas obsessi assumunt, alere posse dixi, *Si assuetudo naturam ita facere cogat.* Exclamas, & amicos admones, vt risum teneant; Assentior: teneant parumper, ea tamen lege, vt postquam te ineptè fuisse loquutum agnouerint, liberè ridendi potestatem habeant. Videtur ne tibi, non opus esse assuetudine, vt carnes tam ferinæ, quàm humanæ nutriant? irrides hoc dictum? sed quem nam nostrum irrides? num me, an Aristotelem? *A sect.* nam vterq; eandem sortem subire debet, cum vterq; eadem dicat. Audi magi- *18. pro.* strum: *Quod enim cibo solito non vescuntur, perinde afficiuntur, ac si nullum peni-* *1.* *tus capiant.* Quid ais nunc? vis ne tua improbitate Aristotelem improbare? & facies: ea tibi frons est. Cęterùm quoniam ex hac doctrina magnum absurdum sequi ais: etenim *Iam quæ non fuerat ijs assueta, mulier hebræa filij carnibus ab se comesis prima vice nutriri non potuit*; Similiter & hispani naufragi, qui in vltimo exterminio socios deuorabant, & plures, quos ad ostentationem, chartas inaniter replendo, accumulas, hos omnes dicis cibo insueto, nempe hominum carnibus fuisse nutritos, tametsi his antea non fuerint assueti: quare non opus est assuetudine, vt insueta cibaria nutriant.

7 Scito, multa esse, quæ nunquam, quantumuis diuturnæ consuetudinis vi, possunt effici alimenta, vt sunt metalla, & mineralia omnia, & reliqua, quæ non apta sunt vitæ munere frui, sicut iam supra satis est enucleatum. Alia esse, quæ suapte natura alimenta quidem sunt, sed quoniam non fuerant assueta, non pręstant corpori alimentum, non ex defectu propriæ naturæ, sed ex improportione cum stomacho nostro; Vnde carnes humanæ suapte natura quidem nutriunt, & antropophagis gratissimum sunt nutrimentum, vt constat ex historia iam superius relata de puella, quę ob humanæ carnis esum ad patibulum ducebatur. Ex hoc euentu, & alijs huiusmodi fit, vt nemo negare possit, cibos, à quibus propter insuetudinem abhorremus, esse verè cibos. Cur ergo non nutriunt, nisi assuetudo eos faciat familiares? Videlicet quia quæcumq; insueta sunt, ea imaginatiua vis, tãquam à natura nostra aliena nobis repręsentat, cumq; potentię inferiores superioribus obediant, fit, vt quicquid vis cognoscens, quę superior est, percipit vt aliena, virtutes naturales, attractrix, retentrix, coctrix vt aliena etiam respuant. Exemplum habes in rebus fæculentis, & putridis, quibus conspectis, & aliquando etiam sola imaginatione perceptis, nauseat stomachus. *supra q. 2. ar. 4. n. 4.*

8 Cęterùm mater illa hebręa, in obsidione Hierosolymitana, filij carnibus ab se comestis prima vice, vt tu ais, nutriri potuit, vnde videtur, non esse necessariũ recurrere ad consuetudinem. Potuit quidem nutriri tempore inopiæ, seu, vt inquit, Simon Porta, (quod tu superiùs subdolè vitiasti) in necessitate naturę. *supr.* Non ne iam tibi abundè verum esse dixi illud Auicennę dictum *Tolerare famem* *sect. 1.* *stomachum replet putridis humoribus?* nempe quia dum famem toleras, *q. 9. ar.*

Te semper anteit sæua necessitas *2. cal.*
Clauos trabales, & cuneos manu *1. nu.*
Gestans ahena, nec seuerus *1. 2.*
Vncus abest, liquidumq; plumbum. *Hor. l.*

Tanta est necessitatis vis, vt naturam, consuetudinemq; superet, eo tamen discri- *1. car.* mine, vt quę natura, & consuetudo introducit, suauiter, delectabiliterq; introdu- *od. 35.* cantur, quæ necessitas inuehit, violenter, ac molestè. Cæterùm si quæras, quid effecit, vt hæc, quę initio necessitas violenter inuexit, postea sinè violentia familiaria fiant? nempe consuetudo. Nam necessitas quidem sua violentia non destruit, imò conseruationis rerum ministra quędam est, eam propterea Plato Deam *Plato i* vnam, ait, esse necessitatem in ordine illo custodientem omnia, in quo commu- *Tym.* nis Iuppiter cuncta composuit. Prætereà tres Deas posuit huius necessitatis filias, quarum aliæ sub matris imperio procul à transgressione conseruent. Hanc necessitatem Ficinus existimat esse Mundi animam, quæ non permittit quicquam mundanas leges adeò transgredi, quin mox regrediatur in leges. Itaq; quamuis *Senec.* vt ait Seneca, *Necessitas, magnum humanæ imbecillitatis patrocinium, omnem legem* *l. 9. de* *frangit*, frangit quidem legem, sed aliàs ipsa etiam lex est, quæ cogit, & quidem *clemẽt.* cum

Ar. moral. eudem l. 2. c. 18. & metaphy. lib. 5. tex. 6. cum molestia: nam Aristoteles ex Eueno poeta, *Omnem rem necessariam molestam esse*, ait. Plura adduci possent ad significandam vim necessitatis, sufficiat tamen Thaletis responsum, qui interrogatus, quid esset in tota rerum natura robustissimum, respondit, *Necessitas superat enim omnia*; Sic Thales. Cæterùm si omnia superat, nihil ei æquiparatur, & cum consuetudo possit diuturnitate familiaritatem cum alimento extraneo nobis conciliare, cur non idem in exiguo temporis spacio necessitas poterit? Hoc tamen semper ea conditione intelligatur, vt versemur in re, quæ possit alimenti naturam induere, quippe impossibilia, vt sunt mineralia, & reliqua, quę nunquam vixerunt, nulla consuetudo, nulla necessitas poterit in alimentū conuertere. Cur igitur ego dixi *Hæc omnia* (nempe quę in obsidionibus comeduntur) *posse alere, si assuetudo naturam ita facere cogat?* nempe quia mihi dixerat [a] Aristoteles, *Cibum insolitum perinde esse, ac nullum cibum.* Iam ergo non ampliùs *risum teneatis amici*: ridete, & irridete Satyricam ignorantiam. *Thales apud laer. de vita illius.*

9 Si verò mihi quispiam dixerit, omne alimentum, quantumuis assuetum, esse initio nobis dissimile, ita tamen, vt aliquod similitudinis habeat seminarium, & à coctrice facultate fieri omnino simile, quippe est agens naturale, & agit assimilando sibi passum: si ergo hoc facultas coctrix per se solam efficit, quid supra coctricem poterit in alimentis insuetis facere consuetudo? non ne alimenta insueta alimenta quidem sunt, aliter nō possent (vt dictum est) in aliti substantiā conuerti? non ne consuetudo ea nobis reddit familiaria per plures actus, ex quibus resultat habitus? non ne actus isti procedunt assimilando? non ne coctrix similiter assimilando procedit? quid ergo efficit consuetudo, quod coctrix prima vice, etiam si non adsit magnum illud necessitatis imperium, facere non potest? Respondebo, similitudinem aliam esse à natura, & huius quidem rudimenta omnes cibi, etiam insueti, habent, aliam esse ab imaginatione, & hęc nullo modo in cibis insuetis adesse potest, imò verò contraria. Imaginatio igitur, quamuis naturas ciborum mutare nequit, potest tamen facultatem nostram distrahere, vt à cibis nihil iuuetur, quod tibi cum de ecstasi loquar, demonstrabo. Neq; solùm super naturaliter, (nam hoc non faceret ad præsens argumentum) sed naturaliter etiam imaginationis efficacia naturam à suis operibus distrahit, vt exemplis non paucis potest confirmari. Testis Socrates, cui nō semel contigit in via adeò irretiri imaginatione aliqua, vt à manè vsq; ad meridiem in eodem loco fixus permanserit. Testis Archimedes, qui cum vrbs, in qua erat, ab hostibus caperetur, oculis in terram fixis circulum describebat, ita operi intentus, vt militi roganti quis esset, non potuerit respondere. Verùm omnem admirationem superat presbiter nomine Restitutus, qui (vt narrat D. Augustinus) quoties volebat, ad imitatas lamentatiū voces se penitus à sensibus auferebat. Si ergo hęc, & quamplurima alia, supra naturæ vires, potest imaginatio, cur non poterit id, quod minus est, & quotidiano euentui magna ex parte correspondet, nempe ex obiecto aliquo fœdo, ac putrido appetitiuam vim ad fugam concitare?

[a] A. pro. 1. sect. 18. — *infra q. 24. ar. 4. n. 7.* — *Socrates* — *Archimedes* — *D. A. l. 14. de ciuit. Dei c. 14.*

10 Restat adhuc dubitatio: nam ratio superior potest appetitiuam facultatem compellere, vt non effugiat ea, quæ imaginatio tamquam horrida repræsentat. Narrat Socrates, apud Platonem, quem refert Galenus, *Leontium olim Aglaionis filium, cum ex Piræo sub boreali muro redijsset, sensissetq; intus apud carnificem iacere prostrata cadauera, simul & spectare cupijsse, & egrè affectum oculos auertisse, tantisperq; secum pugnasse, faciemq; obtexisse, donec cupiditate superatus oculos diduxit, ac patefecit, atq; cadauera accurrens, en, inquit, miseri pulchro spectaculo saturemini.* Ex qua historia cōstat coactam fuisse appetitricem facultatem, ne oculos ab illo horrendo spectaculo auerteret, quare similiter poterit eadem appetitiua virtus cogi, ne aufugiat à cibis horrendis, aut insuetis. Respondendum tamen est, in illo casu appetitricem, quę ad spectanda cadauera inclinabat, cum ratione, contrarium suadente, pugnasse, & iam ferè ratio erat victrix, nisi in summo exterminio, ac, vt sic dicam, in extrema necessitate irascibilis insurgeret in subsidium appetitiuæ, quæ iccirco rationalem superauit, & ad spectanda cadauera, renuente ratione, accessit. Ita in obsidionibus appetens valde stimulata propter ventriculi diuulsionem, quę dicitur fames, fertur in omnem cibum, deterret ratio, cur enim ab insuetis edulijs homines non deterreret, & maximè parentem ab esu filij? in hac pugna inter appetitum, & rationem insurgit irascibilis, & tamquam Leontius ille, ventriculo stimulanti, satia, inquit, te pulchro hoc, & suaui

G. 5. de placit. c. 7.

& suaui edulio. Possumus etiam è contrario dicere, rationem esse, quę ad vescendum incitabat, vt sui subiecti conseruationi consuleret, appetitum verò, apud quem est inclinatio, & fuga, ab illo horribili cibo aufugisse: tunc verò, irascibilē rationi in subsidium venisse, atq; ita renuente appetitu matrem filij carnibus se saturasse, quod magis rationi consentaneum iudicauit, quàm se ipsam sibi in escam dare; Similiter enim faciendum videbatur filijs Comitis Vgolini.

Ambe le mani per dolor mi morsi, *Dant: in infern. cāt. 33.*
E quei pensando ch'io'l fessi per voglia
Di manicar, di subito leuorsi,
E disser, Padre assai ci fia men doglia
Se tu mangi di noi: tu nè vestisti
Queste misere carni, e tu ne spoglia.

Sed hæc sufficiant, vt maneat stabilitum, magnam esse vim naturę, maiorem consuetudinis, maximam necessitatis. Maiorem consuetudinis, quàm naturæ vim esse ex eo patet, quod indicatio sumpta à consuetudine præualet indicationi sumptæ à natura, quod constat ex Galeno dicente *At qui si ex ipsa consuetudine indicationem aliquam sumi conueniet, siquidem multo iam tempore, temperatas naturas contrario victu ei, quę vicit intemperiei, sibi auimus, ita etiam, & cum parum ex sententia se habent, faciemus.* *Ga. 8. meth. c. 9.* Ecce Galenus à consuetudine indicationem accipit; Cum ergo addit: *Sin minus, quæ similia temperamenta suadet, indicationem preferemus*, ostendit priùs esse assumendam indicationem à consuetudine, & hanc omnibus præferendam, si ex consuetudine indicatio sumenda est, *sin minus*, in eo casu preferatur indicatio alia, hoc est, à temperamento: hanc doctrinam confirmat ipse decreto Hippocratis, nempe: *Victus humidus febricitantibus est idoneus, potissimum autem pueris, & alijs, qui ita cibari sunt assueti.* *Hi. 1. aph. 16.* Quamuis autem paulo infra, indicationem ab ætate parem constituens cum indicatione à consuetudine, videatur, indicationem à natura, & à consuetudine pares facere: *Nam & ætas*, vt ipse ait, *cum ex ijs sit, quæ natura nobis insunt, similem sibi victum postulat, & quæ à consuetudine sumitur, sic sumpta est, sicut ea, quæ ab ętate*, non comparat ibi has duas indicationes in vi, & dignitate: iam enim priùs statuerat, eam, quæ est à consuetudine, præcedere, sed comparat eas in modo indicandi, quoniā vtraq; seruari postulat, & subinde vtraq; similia, non vt morbus contraria, indicat. Quòd autem necessitas omnia superet, probatur, quoniam omnes indicationes præcedit illa, quæ sumitur ab eo, quod magis vrget: *Primum namq;*, Galenus ait, *in euiusmodi complexu æstimabis, à quo maximè discrimen ęgro impendere videatur.* *Ga. 7. meth. c. 12.*

Quæstionis resolutio. Articulus Tertius.

1 OMissis quamplurimis venenorum differentijs, generalis eorum diuisio sumpta est à Galeno: videlicet venena alia sunt frigida, alia erodentia, alia putrefacientia, alia calida. *Ga. 3. simpl. c. 19.* Vallesius erodentia, & putrefacientia sub calidis comprehendit, tametsi enim non omnes res calidæ sunt simul erodentes, & putrefacientes, nihilominùs omnia venena calida, non nisi erodendo, aut putrefaciendo interimunt. Quare quod sint venena, hoc est, naturæ nostrę inimica, habent ex proprietate substantiæ, seu ex modo mistionis, quod idem est; Quòd autem hoc, vel illo modo interimant, hoc illis aduenit à calore in hoc, aut in illo subiecto. Sunt calida alimenta, sunt calida medicamenta, sunt calida etiam antidota. Hęc omnia quamuis à venenis calore non differant, (& multa eiam nec in caloris gradibus differunt) tamen subiecto valde distant; Quid autem de frigidis sit dicendum, sic accipe. *Eorum, quæ frigore interimunt, nullum genere lethale est, sed sola quantitate*, inquit idem ipse Galenus. Hoc autem non ita accipi debet, quasi venena frigida nihil deleterium contineant præter frigiditatem: nam quid magis frigidum, quàm aqua niualis, aut etiam nix, & glacies? *G. vbi supra.* At *frigida, qualis nix, & glacies, pectori inimica, tusses mouent, & sanguinem, & destillationes*, dixit Hippocrates, nec tamen venena esse, pronunciauit. *Hi. 5. aph. 24.* Quapropter vt de venenis calidis diximus, sic de frigidis dicendum est, nempe hęc etiam, pręter frigiditatem, habere ex sua substantia aliquam putrefaciendi facultatem, sinè qua venena dici nequeunt. Hoc Galenus videtur confirmare dicens, *At sunt, quæ tota essentia nobis contraria sunt, proinde si vel minimum eorum assumptum fuerit, omnino lędat,* *Ga. 5. simpl. c. 19.*

necesse est: ceu dryopteris, & pitycampæ, & thapsia, & solanum manicum, & hydrargiros, & fungorum nonnulli. Hic Galenus inter venena, quæ tota essentia fiunt deleteria. ac proinde in minima quantitate lædunt, recenset aliqua frigida, vt hydrargiros, solanum, fungos: in quo videtur sibi contrarius: siquidem supra dixit, frigida venena non esse genere lethalia, sed sola quantitate. Soluitur hęc contradictio: nam Galenus priùs non dixit venena frigida non esse genere lethalia, sed venena, quæ frigore interimunt: possunt enim esse frigida, & interimere tota substantia, nempe putrefaciendo. Etenim quamuis superiùs diximus, calida non aliter, quàm putrefaciendo, aut corrodendo interimere, non propterea tenemur dicere ad conuertentiam, venena, quæ corrodendo, aut putrefaciendo interimunt, necessariò esse calida: possunt res frigido temperamento præditę partes aliquas habere acres corrodentes, aut quouis alio modo putrefacientes: has in aceto, cuius temperamentum frigidum est, agnouit Galenus, in alijs negat, quod intelligere oportet, in alijs, quę venena non sint: nam solanum, & fungi, & hydrargirum & frigidum obtinent temperamentum, & partes putrefacientes, & corrosiuas.

Card. opinio. 2 Cardanus tamen alia via incedens negat, dari venena frigida. & hæc, quę inter putrefacientia recensuit Galenus, & frigida esse diximus, frigida non esse, probat rationibus, quæ parum conuincunt: nam in primis, ex secundis qualitatibus velle agnoscere primas, est admodùm infidum: vnde Galenus *Interim verò*, inquit, *& illos quoq; castigauimus, qui ex consistentia, colore, odore, sapore, grauitate, leuitateq; cuiusq; medicamenti, existentem in singulis facultatem inuenire tentarunt.* *Ga. de simpl. lib. 3. c. 3.* Non est quidem negãdum, qualitates secundas, & tertias multoties à Galeno met considerari ad cognitionem primarum, neq; ille hoc negaret, alioquin Galeno Galenum passim obijcere possemus, sed id duntaxat vult, vt non accipiatur hoc signum tamquam omnino infallibile. Quare Cardano respondemus, neq; pondus hydrargiri, neq; saporem acrem cicutæ, neq; amarum opij, neq; diureticam solani facultatem, aliud indicare, nisi in rebus his, in quibus multitudine præualent partes frigidæ, pręualere actiuitate calidas.

Confutatio. 3 Sed vndenam colligimus, has esse frigidas? num ab effectu? quippe soporosos reddunt eos, qui huiusmodi venena assumpserunt? At Cardanus respondet, soporem hunc fieri propter calidi innati corruptionem. Cæterùm considerare debuerat, non omnem corruptionem sopori inducendo esse aptam, sed eam, quę in materia frigida excitatur, sic phrenitides, quoniam ex abscessu in cerebro, aut membranis eius fiunt, similes sunt lethargo, qui ex abscessu in iisdem locis contingit, differentia duntaxat est, quòd in phrenitide cum sit ex bile, vigiliæ adsunt, in lethargo, qui ex pituita est, sopor. Deinde ex modo, quo frigida venena soporem inducunt, & à sopore mortem, colligi potest, ea, quantumuis essentiam quidem dileteriam habeant, habere simul cooperantem frigiditatem: modus autem à Galeno sic describitur. *Proinde & mandragora, cicuta, altercum, papauer, ipsas nunc dico herbas, si quis modicè vtatur, condensandi vim obtinent: sin liberaliùs, non modo condensandi, sed & obstupefaciendi: si verò etiam plurimum, non tantum obstupefaciendi, sed & enecandi.* *Ga. 5. simpl. c. 14.* Sic Galenus: si ergo à calore corrumpente sopor fieret, neq; quantitas multa exigeretur, neq; progressus gradatim ad interitum. Hoc meliùs etiam explicat dicens: *Porro quæcumq; inter ea mentem lædunt, continuo etiam pleraq; caput degrauant vaporum prauorum congerie ipsum replentia.* *Ga. 5. simpl. c. 19.*

4 Est ergo ratum, omne venenum, quatenus venenum est, deleteriam secum habere facultatem; cęterùm quædã magis, alia verò minùs, adeò vt etiã in lactuca, si quęratur, cur tota comesta non interimit, succus autẽ per se sumptus interimit? Vallesius suspicatur, partes eius solidas aliquod in se continere correctiuũ qualitatis deleterię, quæ in succo est. Itaq; quę toto genere deleteria sunt, in exigua quantitate sumpta necant, exiguam appello, quę tamen apta sit ad agendum: nam alioquin quemadmodùm scintilla ignis non vrit, sic scintilla veneni non interimit, & de hac scintilla intelligi debet id, quod communiter iactari solet, *Parum veneni non nocet.* Quę autem quantitate necare dicuntur, sunt ea, quę vt deleteriæ qualitatis, quam paucam habent, vim exerant, necesse est, vt in qualitate notabili assumantur. Alia sunt medio modo se habentia, quę nec tantam expostulant quantitatem, quantam ista, neq; in tam parua sufficiunt, in quàm parua illa.

5 Reuertor ad venena, quæ frigore interimunt. In his Galenus duo requirit, amplitudinem

amplitudinem scilicet arteriarum, per quas præstò ad cor trahatur, & tenuitatem substantię, vt citò ad cor penetret. *Merito ergo fit*, inquit ille, *vt quæ frigore suo noxam inferunt, ijs actionis celeritas ad perniciem proficiat: quippe quę alioqui spatio excalfacta, vim, per quam agebant, deperdant. At quibus actio consistit in putredine, ijs tempus actionem auget, quoniam scilicet & putredinem.* Hoc probat exemplo lignorum viridium. *Hæc siquidem, si multa aceruatim in ignem conyciantur, eum celerrimè extinguunt, sin vndiquaq; in orbem composita prius siccentur, ac incalescãt, & deinde sensim inyciantur tantum abest, vt extinguant, vt etiam alimento illi efficiantur.* Hæc igitur ratio à Galeno ibi diffuse prolata non placet Greuino Claramontano. Primò quia absq; *exceptione constat, hos* (nẽpe frigidioris naturæ homines, & vasa angusta habentes) *citiùs extingui, quod calorem natiuum habent imbecilliorem, quàm illos, qui longiore tempore resistunt.* Hoc quidem ita est, sed Greuinus non animaduertit, venenis idem conuenire, quod de medicamentis ait Galenus, (sunt enim venena etiam in suo genere pharmaca) omnia itaq; tam frigida, quàm calida alterandi potentiam à nobis accipiunt, cęterùm diuerso modo. *Nam quę potestate quidem sunt calida alterantur eo duntaxat, quod incalescant à nobis: at quę natura frigida, tum quòd comminuantur, tum quòd ascititium accipiãt motum.* Hinc addiscimus, venena calida, & quæ putrefaciendo, atq; corrodendo interimunt, debere reduci in huiusmodi actum à calore nostro, frigida verò solam comminutionem, & distributionem à calore accipere, non autem infrigidãdi vim: nam vt ait Auerrous, calor non habet viam aliquam generandi frigiditatem: id enim ipsi repugnare videtur, vt natiuus noster calor refrigerandi impertiatur potentiam, cum non aliam, quam similem sibi qualitatem, nempe calorẽ, impartiri queat rebus, in quas agit. Respõdemus ergo Greuino, citiùs interficere venena calida, & deleteria, cũ accedunt ad cor, citiùs tamen accedere ad cor frigida, quã calida, quippe calida, & deleteria necesse est, vt priùs putrescãt, & putrefaciant; vnde Galenus *Atq; hęc prorsus tum venenosa, tum naturę animalis corruptricia pharmaca sunt: vel mutationis initium ab animalis corpore consequuta, deinceps iam putrescunt, ac corrumpuntur: deinde corpus quoq; vna corrumpunt, ac putrefaciunt.* Sed frigida, si frigus, quo noceant, seruari debent, oportet, vt citò ad cor accedant, quamuis autem in corde resistentiam inueniant, eam quantitate superant, qua & stuporem inducunt, & tandem mortem.

Ga. 3. simpl. c. 18.

Iacob. Greuinus Claramont. de venen. c. 1. l. 1.

Auer. l. 5. col. lect c. 3.

Ga. 3. tẽper. c. 2.

6 Addit tamen Greuinus, frustra requiri amplitudinem venarum, & arteriarum, quippe hæc, segnitie veneni, contra quam calor naturalis, & ad extremum vsq; spiritum pugnat, compensatur. Sed aduertere oportebat, segnitiem istam veneni motu arteriarum vehementiore deperdi: iccirco Galenus attractionem arteriarum causam primariam esse, ait, quæ efficit, vt venenum segnitie deposita præstò ad cor raptum accedat. Deniq; Galenus optimè suam hanc sententiã declarat, inquiens. *Ea propter meconium, hoc est, succus papaueris, & cicuta, si vino mista bibantur, ocius necant, licet non quouis temperata modo: si enim ipsa pauciss ima plurimo vino misceantur, prorsum diuidi possunt: si verò pauculo multa, deducuntur quidem ad cor, vinci autem nequeunt. Si quis verò papaueris succum, quantus interficere potest, hauserit, ac etiam, num tamen superstit, recta ratione, & hunc quoq; sanabit largè epotum vinum vetus, magisq; etiam si generosum fuerit, nam id quoq; magis calefacit.* Ex his, & multis alijs, quę in doctrina Galeni passim leguntur, constat, venena, quæ frigore necant, ad hoc, vt non vincantur, debere, citò accedere ad cor, vt scilicet inalterata accedant, ibi verò mortem inducere per suos gradus, priùs stuporem inducendo, posteà soporem, tandem extinctionem; cætera verò, quæ putrefacientia sunt, aut corrodentia, priùs putrescere, deinde substantiam corporis putrefacere: vnde (vt Galenus etiam ait) *Iis, vt tempore inualescant, accidit: siquidem temporis spacio putrescunt omnia.* Atq; hic est infelix exitus vtrorumq; venenorum.

Greuini confutatio.

Gal. 3. tẽp. c. 20.

Ga. 3. simpl. c. 18.

7 Exitus autem felix est, vt venena, quæ putrefaciunt, & corrodunt, hoc est, quæ toto genere venena sunt, si vincantur (vinci autem contingit antidotorum facultate superante) aut expellantur, siue per sudores, siue per vrinas, siue per deiectionem, aut in loco ignobili, vbi nocere nequeant, seponantur. Venena autem, quæ frigore necant, quibus exiguum deleterium adest, & quantitate interimunt; si vincantur à calore, incalescunt, cumq; suapte natura ab alimenti ratione non absint, in nutrimentum conuertuntur. Celebre exemplum habemus in Socrate, cui cicuta exhibita fuit: at ne hæc moram contraheret, & sic in alimẽtum

tum abiret, iussit carnifex, vt deambularet, sed cum inter deambulandum cicuta iam grauari sentiret, iacuit supinus (sic iubente, qui venenum præbuit) itaque tangente carnifice, & comprimente pedes, postea tibias, Socrates se sentire negauit: tunc dictum est ei, cum frigiditas ad cor peruenerit tempus adesse moriendi; ille verò sentiens ventriculo frigiditatem accedere, ò Crito, ait Æsculapio gallū debemus, quem reddere non negabis: & hæc vox illi extrema fuit.

8 Igitur ego, qui superiùs venenum reduci ad meliorem frugem, nunquam autem eò adduci, vt alere possit, dixi, postea verò te docui, quomodò ex non alimēto alimentū, consuetudinis auxilio fiat, excusaui contradictionē, in quam tu, me lapsum fuisse, exclamabas, & ostendi (te etiam licèt per vim, consentiente) priùs me loquutum fuisse ex mea sententia, postea ex mente aliorum. Nunc autem (vide quod nam sit tuarum accusationum robur) excusationem illam repudio, & contradictionem, quam tu damnabas, pro quæstionis determinatione repono.

9 Venenum sua essentia, siue toto genere, siue proprietate substantię, secundùm se totum, potest ad meliorem frugem reduci, & coerceri, ne noceat: non potest tamen vnquam in alimentum transmutari. Quod si obijcias venena, quę sumuntur ab animalibus, esse toto genere præter naturam, & tamen alimenti conditionem habere, quia scilicet sumpta sunt à viuentibus, quod probare potes exemplo illius puellæ, quæ araneas, quas comederet, venabatur. Respondeo, venenorum facultates alias esse angustiores sua specie, vt scilicet, species eadem permaneat, qualitas autem venenosa mutetur, vt arboris, quæ mala persica producit: hæc enim (quod Galeni autoritate confirmatur) ex Ægypto translata venenosam facultatem amisit: hoc etiam multis alijs plantis contingit, quarum facultas soli mutatione, mutatur. Hæc itaq; venena possunt in chylum mutata à calore nostro in alimentum conuerti. Alia sunt venena ampliora sua specie, vt animalium partes aliquę, quarum venenata facultas non deperditur, etiam si animalis forma deperdatur: sic vipera eadem venenosam facultatem habet in suo cadauere, quam habebat in suo corpore viuente, sic etiam aranea; & ista venena propter amplitudinem suam semper comitantur quaslibet formas, quæ corruptis prioribus de nouo adueniunt; puella autem illa captabat araneas, & ijs vescebatur, non tamen ex ijs nutriebatur; Vesci enim aliqua re non est ab ea nutriri. Tu autem ais, me alitionis nomine comestionem significare voluisse; At iam tibi superiùs dixi, quoties accusas, neq; accusationem in aliqua saltem coniectura fundatā habes, hoc esse propriè mentiri: hic ergo, vnde nā colligis, me ita sensisse? certè non aliunde, quàm ex tuo intellectu, qui distortione, & deprauatione peccat.

Cel. Rb. dig. ☞ pa. 45.

10 Dixi, venenum simpliciter non posse in alimentum mutari, & sic iam prior pars meæ contradictionis est vera; altera verò nempe ex non alimento consuetudine fieri alimentum, satis tibi, vbi de consuetudine est actum, manet probata. Hoc igitur discrimen, si ratiocinio valeres, tibi per se notum euaderet; Nam calidum, & putrefaciens venenum, quomodò fieret alimentum? nempe actione caloris. At calor est, qui corrosiuam, putredinosamq; qualitatem auget, ideo (teste Galeno) per moram fit deterius. Venenum autem, quod frigore enecat, quomodò ex veneno fiet alimentum? nempe per eam moram, quę alteri veneno erat nocua. Iam ergo si quis assuescat veneno huic, quod frigore enecat, & non nisi in quantitate satis notabili veneni vim prodit, si, inquam, quis assuescat, commutabit venenum illud in alimentum, vt contigit vetulę Atheniensi, de qua mox dicturi sumus.

Solutio argumentorum, quæ initio proposita fuerunt. Articulus Quartus.

1 HIstorijs videbatur confirmari, omne venenum in alimentum abire posse. In primis afferebatur Mithridates, qui quoniam veneno quotidie bibito aduersùs omne venenum muniebatur, manifestum est, illum non quolibet facili veneno fuisse vsum: nam sic contra fortiora non erat munitus, sed efficacissimo aliquo, cui assuetus minora contemneret. At Plinius, nec alius quispiam ex his, qui historiam narrant, cum veneno alitum fuisse, ait. Sumebat

igitur quotidiè parum veneni, sumebat tamen priùs, quodlibet antidotum, quod venenum fugaret. Hoc indicant verba Plinij *Quotidiè venenum bibere præsumptis remedijs*; His autem remedijs, in corpore præexistentibus venenum posteà accedens, vel expellebatur, vel in loco ignobili reponebatur, qui sunt duo felices exitus, quos diximus esse veneni toto genere pernecantis. Ergo hæc Mithridatis historia facit ad confirmationem prioris partis meæ contradictionis: scilicet posse venenum (nempe quod simpliciter est tale) ad meliorem frugem reduci, alere quidem non posse. Ad meliorem frugem reducitur, quoties potest fieri, vt assumptum non interimat.

2 Si verò aliquis interroget, quid Mithridati consuetudo sumendi venenum poterat præstare, siquidem quotidiè illud assumebat, quotidiè antidoti vi vel expellebat foràs, vel transmittebat in locum ignobilem? Interrogabo vicissim, quid præstare possunt consueti labores, quorum nihil in corpore remanet? Cæterùm remanet quidem, nempe habitus consuetudine acquisitus: neq; enim aliud est consuetudo, quàm repetitio plurium actuum. Sed iste habitus quid confert ad impediendam vim veneni internecantem? Impedit quidem: nam cum natura non toleret repentinas mutationes, quicquid prima vice accipitur siue alimentum insolitum, siue venenum, necessariò turbas excitat in corpore; differentia tamen in eo est, quòd ex prima assumptione alimenti, nil nisi nausea, aut cardiaca quędam passio, aut aliæ affectiones, quæ mitescere possunt, excitatur: At ex primo lethiferi veneni in corpus ingressu seditio lethalis commouetur. Accipiebat Mithridates venenum pręassumpta antidoto, & sic primus ingressus non poterat lethalis esse, quia antidoti fręno coercebatur, similiter secundus, tertius, & alij complures, donec iam natura habitu ferendi venenum euicta, non vti noua in hoc munere, sed tamquam satis in eo exercitata non offendebatur. Sic qui mechanicas artes addiscunt, initio cum molestia manum, & non sine ductore, exercent, posteà facilè eam, vt libet, flectunt.

3 Venenum, dicet alius, quantumuis assuetum, venenum est, sed quatenus venenum est non potest non nocere: quippe de ratione formali veneni est, vt sit naturæ nostrę inimicum, neq; hic habet locum consuetudo. Qui ita dixerit, incidet in reprehensionem Galeni, non secus ac ille, qui cum omnibus opinionibus de modo, quo videmus, contradixerit, minimè etiam videre nos concedit. At ne prædicta obiectio maneat sinè responsione, dicendum est, omne venenum nocuum suapte natura esse, nocere verò non posse, nisi alterando, & corrumpendo, sed quatenus assuetum, violentiam deponere, cum autem violenter, vehementerq; non agat, inducias præbet naturæ, vt possit se corroborare, & insurgere aduersùs hostem validissimè. Quare quicquid violentiam, vehementiamvè aufert veneno, aufert illi nocendi potestatem: consuetudo autem hoc pręstat, efficiens, vt venenum, sicut non insolitum, sic non sit potens ad excitandas repentinas, & subindè magnas, perniciosasq; mutationes. *Ga. de cōsuet. c. 1.*

4 Tu verò causam, cur venenum assuetum non interimat, reddis: quia *à principio exiguitate latenter corpori qualitatem naturæ suæ consimilem imprimens, licèt à calore superetur, quæ sensim adaucta frequente vsu totum corpus, demum simile, ac familiare veneno ita efficere valet, vt à veneni magna copia nulla corpori clades inferri queat*. Deus bone! qualem nobis constituis hominem, totum venenatum, imò totum venenum? At viperę, & pleraq; alia animalia saltem in vna aliqua corporis parte venenum gerunt: tuus iste homo in toto corpore. Heus tu memento, venenum suopte impetu cor petere, iste ergo tuus venenifer, pręcipuè in corde venenum asseruabit, & sic tibi viuet. Apage, tu poteris Galeno respondere, quando ait, quodnam quæratur medicamentum, vbi cor putredine laborat, te non indigere medicamento, cum & cor, & corpus vniuersum putredine laborare scias. Quòd autem istam putredinem admittas, patet: nam venenum à tota substantia putrescit, & putrefacit, inquit Galenus; sed tu dicis esse paucum, & tamen pluriès acceptum facis, vt multum euadat: dicis sensim esse introductum: at ignis scintillæ, si scintillam addas, & huic aliam, & rursus aliam, ignem efficies, qui domum tuam comburat. Deinde nunquid latenter (vt tu dicis) ingressus fur non furatur? Sed ais, venenum fieri familiare naturæ; dic sodes, quomodò acquiritur isthæc familiaritas? quis conciliat hanc amicitiam? ex parte naturæ est fuga, ex parte veneni furor; An inter furentem, & fugientem cōtrahitur familiaritas? Scito, venenum paucum quidem non nocere, familiare tamen naturę nun- *de his qui sine ali. l. 2. c. 222.*

quã esse. Tu verò, qui naturas animalium ab alimẽto permutari non patiebaris, & tuos feles, tuos canes nihil à tuo cibo acquirere tibi similе volebas, nunc vis, hominem veneni assiduitatate naturam venenatam toto corpore habere. Dices forsan, puellam illam, quam Auicenna narrat, nutritam fuisse veneno, vt Regem, qui cum ea coiret, interficeret, totam fuisse venenatam, hanc tamen historiam, vt indignam, cui fides habeatur, meritò irridet Bonamicus.

Bonamic. de alimẽto l. 3. c. 35.

5 Sed quoniã in Bonamicum incidi, non præteribo quin dicã, eum virũ alioquin doctissimum, & in peripatetica schola versatissimum, parum distinctè in hac controuersia se gessisse: cum enim Galenum aduersùs Auerroum, siue quisquis is est, sub nomine Auerrois, defendere velit, Galenum magis offendit; Nam Galenus nunquam dixit, omne venenum nutrire posse, sed illud duntaxat, quòd sola quantitate interimit. Ille autẽ in veneno, quod à tota substantia, seu toto genere lethale est, requirit quantitatem. Requiritur quidem in eo quantitas, nempe ea, quæ in omni agente naturali, vt agere possit, est necessaria, sed hoc non est, esse quantitate venenum: illud enim dicitur venenum quantitate, quod, vt interimat, maiorem postulat quantitatem, quàm vt quomodocumq; aliter agat. Manet igitur venenum, quod sua substantia est venenum corrodens, & putrefaciens, nunquam posse abire in alimentum; quæ, vti dixi, fuit meæ contradictionis pars prior.

6 Vetula Atheniensis pertinet ad secundam meæ contradictionis partem; siquidem postquam dixi, venenum nunquam posse nutrire, te docui, quomodò ex non alimento possit fieri alimentum. Cicuta non est alimentum, sed inter venena recensetur, nempe inter illa, quæ quantitate venena sunt; potuit ergo vetula illa consuetudinem consulens ab ea addiscere, quomodò ex non alimento faceret alimentum. Consuetudo illam manu duxit, vt desiderio suo satisfaceret. *Etenim ea*, inquit Galenus, *à minima cicuta portione auspicata, nullo detrimento, ad per magnam progressa est copiam: principio enim paucum exiguitate ipsa deuictum est, at consuetudo naturale reddidit*. Iam ergo tu falsò ais, falsum esse, homines veneno ali; Si dicas cicutam non esse venenum, experimentum in te facito.

Ga. 3. simpl. c. 18. ☞ pa. 43.

☞ 7 Sed tu is es, qui ne sturnis quidem concedis, vt veneno ali posse dicantur, cur ita? quia *Ob occultam sympathian*, ais tu, *sturni, & coturnices habent hoc, ne à virulentia lędantur, cum interim salutari succo napelli, & cicutæ fruantur. At homines carentes ea sympathia, citiùs à viru necantur napello, & cicuta ingesta, quàm innoxio succo nutriri valeant, vel etiam humore innoxio nutriuntur simul, & noxio interimuntur*. Prosperum tibi, & salutare sit, quòd salutarem succum in cicuta, & napello agnoscis, quem nec Galenus, nec alius quispiam ante te agnouerat. Deinde recurrere ad sympathiam, est recurrere ad causam occultam, quæ tunc ignorantiæ asylum dicitur; cum manifesta in manifesto est. At manifestam tibi ante oculos objiciunt Aristoteles, & Galenus: obiectum non vides *magis cæcus quàm talpa*; Non ne tibi superiùs dixit Cęlius ex Aristotele, duas esse causas, cur sturnus cicutam pro alimento habet, caloris inopiam, & meatuum amplitudinẽ; non ne hoc ipsum à Galeno sæpiùs audiuisti? quorsum ergo recurris ad sympathiam? Neq; verò caloris inopia facit, vt sturnus meliùs separet succum, quem tu appellas salutarem, à succo, quem virulentum nominas. Sed facit duntaxat ad moram, quam exigit cicuta, vt tandem, antequam ad cor perueniat, incalescat, incalescens autem, cum non nisi frigore necaret, necare non potest. Ad eandem moram facit etiam meatuum angustia. Hoc ita diffusè à Galeno est declaratum, & à nobis repetitum, vt superfluum sit hic rursus *recoctam dare crambem*. Addisce deinceps celebrium magistrorum placita perscrutari, priùs quàm id, quod planum reliquerunt, confundas inscius. Sed, ne vnquam non sis ridiculus, adiungis, hominibus ex cicuta lethum accidere: quoniam *simul etiam humore innoxio nutriuntur & noxio interimuntur*: quasi simul eos mittas, & ad triumphum, & ad furcas. Quid magis faceret Dionysius Syracusanus, qui simul homines, & pulchra luce oblectabat, & occæcabat, aut Atreus, qui Thyesti fratri filios comedendos apposuit?

de his qui sinè alimento lib. 2. c. 194.

Satyri ignorãtia.

Adãgium

Adagium ridiculum.

8 Ex his, quæ dicta sunt, manet soluta prior ratio initio adducta; nam meatus quidem angustia, & caloris inopia faciunt, vt venenum, quod frigore necat, possit commorando in ventriculo calefieri, ac proindè vim pernecandi amittere. Sed dubitabis forsan, quomodò si calore deperdit cicuta vim necandi, vt hanc

vim

vim deperdat, requiritur caloris inopia? tibi respondet Galenus: quippe calor, & dilatationem vasorum facit, & vehementem attractionem: & his duabus causis citò conducitur venenum ad cor, si citò, ergo non ita calefactum, vt vim necandi deperdat, maximè cum non nisi in quantitate satis magna assumptum interimat. Hęc tamen omnia, & reliqua, quę de venenis dicuntur, saluo indiuidualium qualitatum priuilegio, de quibus Franciscus Mirandulanus agit, intelligere oportet. *Ioan. Fr. Pica Miran. de exam. doct. van. l. 2. c. 23.*

de his qui si ne cib. lib. 2. c. 194. 9 Vltima ratio sumpta est à terra, ex qua venenosę etiam plantæ succum hauriunt. *Tu autem cum dicis purum venenum viuere non posse, neq; ali,* declarare deberes, quid puri veneni nomine intelligas: nam plantę multę sunt, quas pura venena esse, nemo dubitabit. Sed quoniam in cicuta, & napello duas partes agnoscis, virulentam vnam, alteram salutarem; existimas fortasse, plantas ali secundùm partem virulentam, non secundùm salutarem; at plantas istas secundùm se totas ali norunt rustici. Si verò puri veneni nomine accipis mineralia, non erat ibi locus agendi de istis, quippe intendebas probare magis distare ab alimenti natura aerem, quàm cicutam, & napellum, quod quàm insulsum sit dicere, omnes norunt. Sed omnes tuos errores velle corrigere nihil aliud esset, quàm *ex arena funiculum velle nectere.* *Adagium.*

10 Ad argumentum igitur initio propositum, non negamus esse quasdam plãtas, quę multum veneni è terra sugunt, & has esse adeò venenosas vt nutrire quidem nequeant, quoniam putrescibili qualitate sunt præditæ, vt est apocynon, vt sunt ex fungis illi, qui suilli appellantur, vt etiam est aconitum. Quòd si aliquæ plantę, vti etiam fœtus in vtero, aliquid venenosum, ob sequestrationem imperfectam, secum trahunt, cum paucum sit, vincitur à calore nostro, ac subindè vel expellitur, vel seponitur: & ob id quòd seponitur, occasionẽ accepit Gal. dicendi, venenum esse innatum corpori: est quidem innatum, videlicet membro illi ignobili, in quo latet, tamquam si naturale esset innocuum, non tamen simpliciter innocuum: nam ibi delitescens, adhuc pernecantem vim obtinet, & naturæ inimicam: pernecantem inquam, quia tractu temporis excitatur, & pernecat: naturæ verò inimicam, quia nulla temporis diuturnitate conuertitur in substantiam corporis. *Ga. 4. & 6. de loc. aff.*

pa. 39. 11 Rogas insuper me (quia dixi loquens de veneno, istud venenum, quod conuertitur in nutrimentum, conuertere substantiam nutriti in substantiam similem ei, quæ veneno nutritur) vnde nam habeo, vt agentia conuertant sua passibilia in substantiam non sibi similem, sed alteri? fateor ab Aristotele esse dictum *Omne agens assimilare sibi passum,* adiunge tu, *quantum potest;* quoniam ergo non potest venenum assimilare sibi corpus, assimilat illud alteri corpori, quod veneno nutritur: venenum itaq; per se assimilat sibi corpus in ijs qualitatibus, in quibus potest, per accidens tamen est, quòd alteri sibi simili simile euadat: neq; sic perditur intentio agentis, nam quæcũq; sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se: duo igitur corpora veneno nutrita sunt eadem inter se, ac proinde sunt eadem vni & eidem veneno. Deinde cum me rogas, vnde nam didici, nutrimentum mutare substantiam, rogo te inuicem, vnde nam didicisti mentiri? ego non de alimento, sed de veneno loquor, quod magis agit, quàm patiatur. Præterea si de alimento loquerer, non adhuc errarem: mutat nãq; assuetudine substantiam sũptã substantia, vt te iam superiùs docui. Tandem quia me interrogas, vnde nam habeo, vt agentia conuertant sua passibilia in substantiam nõ sibi similem, sed alteri, humiliter respondeo, me hoc habere à Galeno, qui aliquando loquens de calore nostro, sic ait, *Materiæ potius alimentum assimilat, quàm sibi materiam.* *Ga. de mar cor. c. 3.*

VTRVM EX COITV HOMINIS CVM bellua proles aliqua gigni possit.

QVÆSTIO QVARTA.

pa. 43. 1 MOnstra appellaui homines, qui veneno aluntur: insultas, quòd scilicet mihi contrarius in libro de Meteoris Microcosmi dixi, te garrire, qui ex hominis, ac bruti nefario concubitu monstra produci scribis. Sed statim

resipiscis

resipiscis agnoscens me de monstro naturali loqui, quòd tamē ais, vetare ea, quę adiungo: nempe homines veneni pastu, & alimdeciscere ab humana specie. Ego autem non ita liberè loquutus sum, vt tu ais, sed dixi, ita deciscere *Ab humana Specie, vt si vera esset opinio (quę tamen non est omnino improbabilis) dari formam corporeitatis, præter aliam totius, certè secundùm illam formam diceretur speciem mutasse*. Hęc sunt mea verba; quòd si, data forma corporeitatis, diceretur homo speciem mutasse, non ergo diceretur aliam speciem mutasse, quàm illam, quæ ex forma corporeitatis aduenit: ex forma autem corporeitatis, nō aduenit species, qua homo differt à bruto: hæc enim species aduenit ex substantiali forma, quę ideò specifica appellatur. Quę nam ergo species ex forma corporeitatis aduenit? nempe figura, seu imago. Num dubitas speciem multoties pro imagine accipi? percurre grammaticos, percurre medicos, percurre theologos, percurre philosophos, percurre etiam logicos, omnes tibi hanc ignorantiam è cerebro auellent.
Plaut. In grammatica tibi do Plautum dicentem *bellan videtur specie mulier*. In medi-
ê Bac. cis non tibi do vnū, sed promiscuè omnes, quippe si gręcos consulas, εἶδος nunc & figuram, nunc & speciem significat, sicut etiam ἰδέα. sed speciatim, apud Galenum inuenies, vbi Hippocrates ait, *Sunt autem facies ęgrotantium multæ*, ὄψιας
H. 6. .i. facies, quasi differentias, vel modos, vel formas: & apud Hippocratem Δεινὴ
epid. ἰδὰν πυρετὸς .i. *aspectu terribilis febris*. Sed quid immoror, cum nemo sit, qui ignoret, faciem, speciem, figuram, imaginem, vnam, & eandem rem esse apud
supr. se omnes? Itaq; iam superiùs te docui, quid mutationem substantiæ appellent me-
ctione dici; nunc autem quid mutationem speciei. Sed tu age, ne dubites, speciem pro
2. q. 2. pulchritudine accipere, & pro imagine: siquidem, & in sacra pagina reperies,
art. 2. *Specie tua, & pulchritudine tua intende, prosperè procede, & regna*; Et Theologi
n. 10. Dei speciem dicere solent: Philosophi eas imagines, quę sensibus accipiuntur, species appellant; apud Logicos inuenies species intentionales. Caue igitur, ne deinceps in rebus manifestis obstrependo persistas. Sin minùs, ne queraris, quòd te garrire dixerim, præcipuè cum adeò sine fronte sis, vt in Aristotelem conijcias id, quod in te conijci non vis. Exprobraui iam tibi, & millies exprobrabo, te, cum tibi dixi, *Quicquid garrias* tamquam magna iniuria affectum turbas excitare, qui tamen impudentia plus quàm satyrica dicas, *Quicquid in oppositum garriat* p. 230.
Aristoteles. Tu verò vt garrulitatem tuam excuses, duplicem constituis garrulitatē, alteram, quam vocas verborum luxuriē, hac tu te carere dicis, & ego in te luxuriem duplicem statuo. Alteram, dicis, esse exactam rei difficilis explicationem. Sed quis adeò insanus est, qui hanc inter garrulitates recenseat? An nescis, non esse garrulum, qui multa aptè loquitur, sed qui vel pauca ineptè? Sed tu garrulitatem garriendo excusas, sic te garrulum confirmas, & me veracem esse ostendis. Verùm ne ego garrulitatis tuæ contagione afficiar, ad propositam quæstionem, quam tu absq; occasione moues, occasione verborum tuorum vocatus accedo.

Argumenta pro parte affirmatiua.
Articulus Primus.

1 NON tecum ago nunc, mi Satyre; expecta parumper, donec seriam quęstionem absoluam: postmodò tecū iocabor. Videri igitur potest, semē humanum nihil habere, quod illud à cæterorum seminum conditione eximat: quandoquidem omnium commune est, vt non actu secundo, sed vel actu primo, vel, quod potiùs reor, potestate viuant: ergo nullum est semen, quod in vuluam iniectum vitam, quam potestate habet, non reducat ad actum.

2 Deinde cum calor naturalis noster à calore animalium possit foueri (vnde
Ga. 7. Galenus iubet, refrigeratum ventriculum appositis catulis calefieri) poterit qui-
meth. dem in vtero cuiusuis animalis humanum semen optimè conseruari. Poterit è
c. 7. contrario semen bellue in vtero mulieris calorem inuenire, quo in actum reducatur. Corroborat hanc rationem Ægyptiorum mos, qui in fornacibus pullos
Scalig. ex ouis excudunt, vt inter reliquos narrat Scaliger.
exerc. 3 Tertio confirmatur autoritate Thaletis antiqui physiologiæ magistri, qui,
23. cum apud Periandrum in armento vitulum humano capite natum videret, vocem hominis imitantem, Periandrum monuit, ne posthac bubulcos aleret non

vxoratos.

vxoratos: Insinuans, vitulum illum ex consuetudine bubuli cum vacca genitum fuisse.

4 Quarto, pro hac sententia facit Leonicenus, quem refert Montanus: quippe, se vidisse, ait, quendam, qui ad insulam deuenerat, vbi magna simiarũ era copia, vnam autem, cuius amore captus fuit, impregnauit, filium autem, & filiã ex hoc concubitu natos affirmat, qui nec homines, nec simiæ erant, sed mista animalia.

5 Quinto, licèt Albertus pastorem, qui de concubitu cum vacca ideò suspectus erat, quòd vacca fœtum edidit hominis figuram repræsentantem, defenderit dicens eo anno talem cœli positum fuisse, cuius vi monstrum adeò enorme extiterit, & hac ratione pastorem liberauit, nihilominùs hoc non tolerat VVeinrichius: quia scilicet hac excusatione occasio præstatur crimini occultando, vt sic maneat impunitum.

Quid inter cæteras animalium species, præter humanam, accedere possit. Articulus Secundus.

1 PRopter commistionem animalium brutorum, specie inter se discrepantium; multiformes in Africa partus accidunt, conuenientibus scilicet feris, propter aquæ penuriam, ad paucissimos amnes, vnde ortum prouerbium, *Semper Africa aliquid noui*. Hoc nobis tradit Aristoteles, ex quo transtulit Plinius; Agnouit commistionem istam brutorum Athenæus, & cum illo Galenus qui ex equis, & asinis, & vulpibus canibus per coitum commistis animal gigni ait, quasi ex vtrisq; mistum; Nec verò indigemus alio testimonio, quàm quod habemus ex mulis, quorũ generatio est, tũ ex equo, & asina, tũ ex asino, & equa. *Arist. 2. de gen. animal. c. 5. Plin. lib. 8. c. 16. Ga. 1. de nabum. c. 10.*

2 Hoc quamuis ita se habeat, non potest tamen constituere vniuersale pronunciatum, vt vidilcet omnia cum omnibus mista generent, sed aliqua cum aliquibus. Aristoteles tres requirit conditiones, vna est, vt quamuis genere sint animalia isthæc diuersa, tamen natura non multum distent: altera, vt moles corporis in vtroq; animali par sit: tertia, vt gestationis tempora sint vtrisq; æqualia: inquit enim. *Coeunt animalia generis eiusdem secundùm naturam, sed & ea etiam, quorum genus diuersum quidem, sed natura non multùm distat, si modò par magnitudo sit, & tempora æquent grauiditatis. Raro id fit, sed tamen fieri, & in canibus, & in vulpibus, & in lupis certum est. Canes etiam Indici ex bellua quadam simili, & cane generantur. Nec non in auibus salacioribus idem fieri visum est, vt perdicibus, & gallinis: quin etiam aduncorum accipitres specie diuersi coire putantur, idemq; in nonnullis alijs auibus euenire animaduersum est. In marinis nihil adhuc exploratum habemus dignum memoratu.* Hæc Aristoteles, & plura, quę sequuntur. *Ar. de gẽ. an. lib. 2. c. 5.*

3 Libet tamen has tres condictiones paulisper examinare: nam prima, quod scilicet animalium coeuntium (nos loquimur de coitu, ex quo proles aliqua, quantumuis monstrosa, non tamen nulla sequatur) genus sit diuersum, natura verò non multùm distans, non videtur constare posse: nam quæ maior distantia naturæ, quàm eorum, quæ genere distant? secunda etiam, nempe diuersitas magnitudinis, non impedit coitum: nam tametsi magna improportio impediret, quominùs, elephas cum ariete, aut ouis cum elephanto coiret, nihilominùs, canes lupo valdè minores esse possunt, & tamen coire. Tertia similiter non videtur obstare: nam quid facit ad coitum gestationis tempus? coeant semel, & concipiat fœmina, quæ, si plusquàm masculi natura postulat, differat tempus pariendi, non propterea desinet proles tandem in lucem edi; si verò fœmina minore tempore gestare possit, anticipet parere, & exeat proles imperfecta, atq; monstrosa, neq; iccirco desinet esse vera sententia de coitu ferarum inter se, quippe in præsente instituto proles monstrosa, proles est.

4 Nihiliominùs si rectè considerentur omnes tres conditiones, rectè positas existimare oportet. Nam quod attinet ad primam, cum species subalterna nomen generis mereatur, quippe sub se comprehendit varias species, multa sunt, quæ genere quidem, seu subalterna specie sunt prędita, naturam verò valdè similem habent. e. g. aues aduncæ, & non aduncę, vnaquæq; species istarum habet alias sub se: aduncę enim vel sunt accipitres, vel aquilæ, vel bubones, &c. non aduncæ etiam variæ, diuersæ speciei: possunt tamen aduncę cum non aduncis naturæ non valdè magnam habere distantiam. Quod attinet ad secundam, licèt

detur distantia in magnitudine molis, cum non tanta sit, quæ membrorum genitalium actioni inepta reddatur, rectè sequetur coitus, & ad coitum conceptio: quippe si proportio sit maxima, aut virile membrum præ exiguitate non accedet ad vterum, aut si accedat, exiguum erit semen, & in vteri amplitudine innatabit, aut præ magnitudine non habebit ingressum. Itaq; par magnitudo dicitur ab Aristotele, quoties imparitas coitum non reddit impossibilem. Tertia etiam grauiditatis tēpora æqualia esse debēt, hoc est, nō valde inæqualia; Nā si temporis inæqualitas sit magna, facultas formatrix confundetur: demus enim, e. g. fœminam esse ex genere animalium, quę per annum fœtum gestant in vtero, marem verò ex eorum genere, quorum fœminę vno, aut altero mense duntaxat gerunt in vtero, at q;ita semen emittat, quod citò efformatur: conferat ergo fœmina, aut, cum Aristotele, sanguinem menstruum, aut, cum Galeno, simul cum sanguine semen, hæc duo tardam, hoc est annuam formatricis actionem postulant, mas conferat semen, quod menstruam exigit elaborationem. In hac contrarietate formatrix confusa nihil operatur. Dicet tamen quispiam, operabitur quidem confusa formatrix, sed effectum producet confusum, & hoc sufficit ad præsens intentum: ex semine enim vulpis, & canis, prodit vulpes canina, vel canis, vulpinus, hoc autem quid aliud est, quàm produci ex genere diuersorum animalium coitu, prolem, siue hanc, siue illam parum refert. Respondeo, vbi animalia inter se non valde natura distant, ita quidem eueniet, sed nos loquimur de naturis valdè inter se distantibus. Deindè confusa formatricis operatio, tunc erit, quando vtraq; genitura habet duntaxat diuersas figuras ab animalibus, à quibus exeunt impressas, & tunc formatrix potest diuersas has figuras, quę in potentia, sunt, reducere ad actum secundum diuersas partes, vnde proles exit in aliquibus membris patri, in alijs matri similis. At casu, in quo sumus, hoc est, quando duo semina coniunguntur, quę longè diuersa tempora expostulant ad fœtus formationem, & motionem, non potest accidere, vt formatrix agat: hoc semen expostulat breuissimum tempus. e. g. mensem, illud exigit longissimum. e. g. annum: hæc duo tempora, secundum proprias affectiones contraria sunt: distrahitur ergo formatrix à contrarijs, & subindè diuulsa deficit, & euanescit, aut saltem ibi persistens nullam motionem edit, sed sicut cymba in medio fluuio, quam tanta vi aqua impellit deorsum, quanta ventus sursum, permanet in eodem statu. Deinde figura est quidpiam externum, formatrix verò intendit formare hoc animal, an verò hanc, an illam figuram habeat, non est de essentia formationis, nam ad summum si figura omninò à generantium figura distet, & in alterius dilabatur, monstrum appellabitur, erit tamen aliquid genitum. At tempus formationis est conditio sinè qua non potest sequi formatio: quare si formatrix operetur circa id, quod citam delineationem postulat, non autem circa aliud, nihil efficere potest: nam si posset, iam daretur aliquid gigni ex vno tantùm semine, & sic ad generandum non foret necessarius concubitus duorum. Tandem semina animalium, quæ diuersum formationis tempus requirunt, alia sunt magis liquida, videlicet ea, quæ tardè formantur, alia solidiora, hoc est, quæ pauco tempore in vtero moram faciunt. Formatrix autem non aggreditur semen, nisi postquā aliquam assequutum est duritiem, alioquin nimis molle non recipit figuram.

G. 2. de semin. c. 5. Hoc ostendit Galenus exemplis in hunc modum. *Sicut liquidum lutum impressionem, ac fictionem vllam non admittit, mediocriter autem induratum admittit, ita primæ, ac recenti fœturę accidit, quæ lacti recenter coagulato similis est; ac quemadmodum illud casearij non dum formare aggrediuntur, priùs quàm satis idonea coagulatione concreuerit, eodem modo animal natura non ante fingere conatur, quàm conuenientem duritiem adeptum sit: neq; enim etiam si conaretur, quicquam efficeret, cum materia nondum firma subiaceat, sed instabilis adhuc, & tremula subterfugiat, &c.* Igitur supposita hac Galeni doctrina, videlicet quòd formatrix non aggreditur semen, nisi postquàm iam aliquando induruit, procedamus priùs in doctrina Aristotelis, & accipiamus fœminam eius generis, quæ materiam præstet, longum tempus, vt efformetur, expostulantem, marem verò, qui breui tempore virtute, quam in semine habet, informet: non ne in illam materiam adhuc liquidam formatrix velociter irruens suffocabitur? è contrario sit materia velocis formationis, formatrix verò virtus tarda, non ne materia longo tempore innatans absq; aduentu formatricis corrumpetur? Deinde conuertamur ad Galeni doctrinam, iuxtà quam & in mare, & in fœmina tam materiam, quàm effectricem vim tenemur

agnoscere;

agnoscere: quid eueniet, si tarda sit fœmina, mas autem velox? nempe formatrix nequicquam aget in materia non adhuc disposita, fietq; irrita tamquam casearius, qui ex lacte non dum concreto caseum conficere vellet. Quid rursus fiet, si fœmina sit de genere eorum, quæ citò fœtum efformant, mas autem tardè? nempe fœminea materia sinè concursu masculi in viuiparis molam concipiet, in ouiparis oua subuentanea. At mola frustum carnis informe est, nec potest dici proles.

5 Ex tribus prædictis conditionibus, prior, nempe affinitas naturæ, ponitur ab Aristotele tamquam fundamentum, in quo consistit prolificatio ex coitu animalium genere distantium: inquit enim: *Coeunt animalia generis eiusdem secundùm naturam, sed etiam, quorum genus diuersum quidem, sed natura non multum distat.* Hoc iacto fundamento, duo, quæ sequuntur, sunt istius fundamenti conditiones: videlicet *Si modò par magnitudo sit, & tempora æquent grauiditatis.* Noto illud *si modò,* quod conditionale est. Galenus autem fundamenti illius duntaxat mentionem fecit, ratus videlicet illud esse, quod in concubitu dissimilium considerari debet, duas autem conditiones, vt manifestas, non commemorauit: quis enim nescit valde magnam distantiam in mole corporis, & tempore gestationis generationē omnino impedire? Itaq; cū Hippocrates dixerit *Nisi ea misceātur, quæ eiusdem sunt ordinis, quæq; eadem vi prædita sunt, neq; generabunt, &c.* Explicat ille, non modò fieri non posse, vt quicquam ex vno gignatur, verùm nec etiam ex duobus, nisi ea eiusdem fuerint ordinis, idest, nisi substantiæ affinitatem habeant; Affinitas autem ista in generatione requiritur. quoniam in ea necessaria est mutua reactio: qui ergo affinitatem generis dicit, consequenter mensuram insinuat, quæ consistit in duabus consectarijs conditionibus, hoc est, paritate magnitudinis, & qualitate in gestationis tempore.

Ga. 1. de nat. hum. co. 10.

6 Ex prędicto animalium specie, aut saltem propinquo genere distantium cōcubitu, proles bifariam educitur, vel quæ nulli parentum sit similis, sed tertiam quandam speciem constituat, vt innumeræ illæ belluæ, quas Africa, vt ait Aristoteles, producit: (neq; dicendum est, formas horum animalium esse formas parentum remissas: nam formæ substantiales non suscipiunt magis, & minùs) vel quę vni duntaxat parentum correspondeat: matri namq;, si Athenęo credimus, solet correspondere, siquidem ex vulpe fœmina, & cane masculo, vulpes exit cum pelle canina, ex cane fœmina, & vulpe masculo canis cum vulpino capillitio. Si etiam Stratonici physici opinio recipienda est, (quā Galenus non absurdā esse ait) fœmina, ex fœminę, mas ex maris semine inualescēte procreatur.

Ga. 2. de sem c. 1.
Ga. 2. de sem. c. 5.

7 Sed in hac duplice prole, quarum vna est tertia quædam species, altera verò vni tantùm parentum similis, duplex etiam occurrit dubitatio, vnicuique sua. Nam quod attinet ad tertiam speciem, siue concurrat effectiuē vtrumq; semen, vt voluit Galenus, siue, vt Aristoteles, masculinū duntaxat, semper semen agens instrumentale est, ac proinde determinatum ad producendum effectum similem suę causæ principali, hoc est, generanti: quomodò ergo extendetur ad tertiā speciem, ad quam non dirigitur à generantibus? Respondetur, agens instrumentale (non merum instrumentum, vt serra, gladius) non ità determinatam habere vim, quin etiam extendi possit ad effectum propinquum: nec propterea effectus ille appellabitur monstrum; colligitur hoc ex Aristotelico exemplo, *Vitis enim quędam est, quam capneum vocant, quę cum vuam albam soleat ferre, si nigram tulit, monstrum id esse non putant: quoniam sæpissimè id facere soleat: causa est, quòd sua natura inter albam, & nigram est.* D. Thomas hoc exactissimè explicat. Virtus enim formatiua, quę est in spermate maris, naturaliter est ordinata, vt producat omnino simile ei, à quo semen decisū est, sed de secundaria intentione est, quòd quando perfecta similitudo induci non potest, inducatur qualiscumq; potest similis. Et quia in generatione muli sperma equi non potest inducere speciem equi in materia, propter hoc, quòd non est proportionata ad suscipiendam speciem equi, producit speciem propinquam. Vnde etiam in generatione muli est aliquo modo generans simile generato: est enim aliquod proximum genus, quod non est nominatum, commune equo, & asino, & sub illo genere continetur etiam mulus.

A. l. 4. gen. an. c. 4.
D. Th.

8 Aliqui fieri hanc tertiam speciem dicunt ob cœlestem concursum; cæterùm quamuis non sit negandus influxuū cœlestium concursus in generationibus, verissimumq; sit Aristotelis theorema, *Sol, & homo generant hominem,* nihilominùs, vt semen

vt semen conuertatur ad tertiæ cuiusdam speciei productionem, non oportet, vt ab aspectu cœlorum manu ducatur, sed solùm, vt in actione adiuuetur. Adiuuat autem, quoniam efficiens, & materia cum diuersorum specie animalium sint, non habent inter se subordinationem, quæ requiritur in causis partialibus: quare defectu huius subordinationis non possent se inuicem fouere, nisi aliquod huius defectus supplementum acciperent à cœlo semper agente.

9 Quod verò ad secundum, hoc est, ad prolem, quæ vni duntaxat ex parentibus specie diuersis similis exit: non videtur placere Aristoteli, qui *Impossibile esse*, ait, *vt tale monstrum gignatur, id est, alterum in altero animal, tempora grauidationis declarant, quæ plurimum discrepant in homine, & cane, & in oue, & boue*. Cęterùm hæc ratio non in omnibus locum habet, sed in his tantùm, quę diuersis temporibus ingrauidantur. Quare dicendum animal, quod in altero gignitur, vel spectari secundùm partem aliquam insignem, & sic ipse met Aristoteles fatetur, puerum ortum cum capite arietis, aut bouis, idemq; membrum nominari animalis diuersi: vel spectari secundùm totum animalis corpus, & tunc re vera ex duabus naturis diuersis secundùm speciem, non potest coalescere vna natura indiuidui, quę alteri duntaxat similis sit in specie; quòd si quid tale apparet, erunt duo: quapropter canis ex cane, & vulpe natus, secundùm apparentiam erit canis, re vera autem in plurimis ita à parente cane dissentiet, vt tertiam speciem constituere videatur; & ita quando dicimus ex duobus specie differentibus fieri vnum, quod alteri parentum correspondeat, intelligimus, quòd respondeat secundùm caput, aut secũdùm crura, aut secundùm notabilẽ aliquam corporis portionẽ, vel quòd respondeat secundùm apparentiã. Hæc, quæ diximus de coitu belluarum specie inter se distantiũ, nobis viam pręmuniunt ad indagandam veritatem propositę quæstionis de coitu humano, & belluino, vt ex his, quę sequuntur apparet.

A.4.de gẽ.an. c.4.

Propositæ quæstionis determinatio.
Articulus Tertius.

1 Nimius essem, & extra chorum psallerem, si hic ex professo vellem de monstris agere: me præcipuè ab hoc labore liberat, inter alios Henricus VVeinrichius, qui exactè hanc materiã tractauit. Solùm mihi superest in pręsente dicere, institutam quęstionem non se extendere ad monstra: quippe ab ijs, quę casu fiunt, non ducitur argumentũ ad ea, quæ consultò, & naturæ ordine producuntur. Neq; enim negari potest, mulierem sinè culpa posse, ex virili semine vitioso, in vtero concipere monstrum, quod alicuius belluæ similitudinem referat, quamuis è contrario in vulua belluina non potest concrescere fœtus humanam effigiem præseferrens, quod si ita aliquando contigisse, dexerit, vel inter incredibilia est reponendum, vel ad portenta est reducendum, vt scilicet diuina voluntate, ad pauorem gentium, vt ab erroribus resipiscant, sunt facta. Monstra igitur, seu errores naturæ ad nullum finem diriguntur, imò verò sunt finalis causæ impedimenti effectus: cum enim causa finalis agentium naturalium sit producere sibi simile, cum impeditur hæc causa, id, quod resultat, est monstrum. Dixi, monstra esse errores naturæ: quia *monstrum*, ex Aristotele, *ablesio quadam est*, hanc fieri absq; causa finali demonstratur: si enim quæ rectè ab arte fiunt alicuius fiunt gratia, quæ autem ars aggreditur, sed non assequitur, extra finem intentum manent, quid de natura dicemus, quæ aliquid facere intendit, vt passum agenti assimilet, & sic vnumquodq; agens se per sua indiuidua propaget? si non attingit hunc finem, id, quod extra eum producitur, monstrum est. Nec verò audiendus est Capiuaccius, qui ait, *Agens nec vniuersale, nec particulare errare posse, & proinde monstrum non esse errorem naturę, siuè vniuersalis, siuè particularis*. Nõ errat quidem agens vniuersale, nam non agit, nisi concursu vniuersali, quo determinatur agens particulare ad actionem in materia disposita: si autem materia non sit disposita, agens particulare aberrat à via; Et tunc in naturalibus contingit id, quod in artificialibus contingere, dixit Horatius.

A.l.4. gẽ.an. c.4.

Capiu. l.4.c.6.

Amphora cœpit
Institui, currente rota, cur vrceus exit?

Porrò in his monstris, in quibus non agit natura, sed potiùs casus, nil mirum, si materia deprauata formatrici non obediens iniussa non cogitatas priùs formas

producat,

producat, nec de hoc nobis dubitare licet. Tota vertitur controuersia in eo, quod natura ex intentione propria facere potest, vtrum scilicet omnia ex omnibus, an aliqua ex aliquibus. Et sic procedendo accedimus ad vim seminis, inquirimusq; an semen humanum cum belluino mistum genitura quędam sit, tametsi erronea, & vitiosa, an non plus conferat, quàm si merum, & inutile prorsus foret excrementum.

2 Reprehendit Galenus eos, qui Pindaricis fabulis seducti, Centauros verè fuisse existimant, sic etiam vana est Minotauri historia, & similium; cœterùm, quid de Satyro dicendum, qui D. Antonio deserta peragranti se obtulit, ignoro; Scio tamen neq; à D. Hieronymo historiam narrante, nec à quolibet alio dictum esse, satyrum istum ex nefario concubitu fuisse genitum. Verùm vt ea, quæ de belluarum diuersæ speciei concubitu dicta sunt, nostrę inquisitioni inseruiant, inquirendum est, an conditiones illę, quas Aristoteles attulit, vt possint duo bruta diuersarum specierum coire, possint etiam humanæ speciei conuenire. Incipiam ergo ab vltima conditione, quæ est æqualitas temporis gestationis, & subinde temporis formationis, æqualitas, inquam, si non exacta saltem parum differens. Itaq; ex Aristotele, *Cæteris animalibus vnum est gestandi tempus, homini autem soli enorme est*. Hinc posset aliquis colligere, hominem, si plura gestandi tẽpora habet, nempe septimum, octauum, & nonum, nonnulli etiam decimum, posse multis animalibus accomodari: sed contrarium videtur magis philosophicè substinendum: videlicet quoniam habere plura gestandi tempora, & habere vnum duntaxat, contraria sunt, non posse animalia, has contrarias leges à natura datas habentia, inter se conuenire, sed necessariò reduci ad ea, quorum naturæ valde distant. Quod attinet ad alteram conditionem, quæ est paritas magnitudinis, hæc quamuis hominem cum aliqua belluarum conuenire faciat, non potest per se solam operari: necessarium namq; est, vt reliquæ concurrant, maximè naturę propinquitas, citra quàm inutilis est coitus, nam ad prolem faciendam præcipuum est fundamentum.

Ga. 3. vsu par c. 1.

Ar. 4. Gen. anim. c. 4.

3 Naturæ nomen multiplicem habet significatum, sed in pręsente, videbitur alicui significare posse temperamentum, nempe temperamentum specificum: est enim cuilibet speciei quodlibet temperamentum conueniens, equo, leoni, & boui, ac reliquis, sic etiam homini: ea igitur, quorum specificum istud temperamentum non valde vnum ab alio distat, naturæ affinitate frui dicentur. Videndum ergo est, an hominis temperamento possit aliquod aliud cuiusuis belluæ esse æquale. Galeni autem testimonio, *Medium temperie in toto animalium genere homo est*; Et alibi hominem reliquis speciebus in se collaris humidiorem, sicut canem sicciorem statuit: porcis domesticis, quibus execti sunt testes, temperaturam totius corporis inesse affirmat hominum temperiei similem. Hęc attuli, vt ostenderem, non fore difficile, animal reperiri, cuius temperamentum ab humano temperamento non valde distet, ac proinde dici posse, non valde distare natura: siquidem temperamentum, & natura idem sunt. At, vt temperamentum naturę nomine dignemur, non sufficit in sola primarum qualitatum mistione consistere, quę omne corpus non solùm viuens, sed non viuens etiam constituit: oportet multa alia, à Galeno accepta, adiungere, vt perspicuitatem, sic aliquando opacitatem corneę morbum intemperamenti appellat; sic colorem melancholię mores mutare ait, cum alibi temperamenta, animi morum mutationem afferre dicat: vnde apud eum color ad temperamentum reducitur, multa deniq; alia, vt similarium membrorum constitutio, & organorum præstantia, & substantiæ lænitas, & erectæ figuræ dignitas, & effigiei decor concurrunt ad efficiendum, vt *homo* (sic dicente Galeno) *quòd animam habet rationalem, ob id etiam corpus solum inter ea, quæ sunt super terram, habuit diuinum, atq; optimè ad vtramq; facultatem comparatum*. Imò verò si rectè naturæ nomine vtendum est, quando Aristoteles naturæ requirit affinitatem, naturæ nomine non aliud intelligit, quàm formam: hæc enim apud eum frequentissima acceptio est, quod si formam pro natura accipimus, quænam maior distantia, quàm inter formam rationalem, & formam brutorũ? Cæterùm vt ostendamus, impossibile esse, semen humanum cum belluino conuenire ad alicuius prolis generationem, prius oportet quatuor constituere hypotheses, quarum aliquid superiùs manet probatum, aliquid est per se notum.

Ga. 1. de temper. c. 6.

c. 5.

G. l. 10. simpl. de vrina humana.

G. 13. de vsu. c. 11.

4 Prima hypothesis: Non potest vnum semen aliquid generare, alioquin aut

Fff foemina,

fœmina, aut mas sinè alterius consortio gigneret, aut conciperet; hæc superius
Ga. 2. iam dicta probatur autoritate Galeni, neq; Aristoteles omnino repugnat, tametsi
de se- enim mulierem semen conferre negat, non negat tamen conferre sanguinem pro
min. semine, nam apud ipsum, *Et menstrua semen sunt, quamquam non purum*.
c. 4. 5 Secunda hypothesis: Bruta diuersarum specierum in eo conueniunt, quòd
Ar. 2. formæ eorum omnium educuntur de potentia materiæ, hoc est, fiunt vi seminis,
ge. an. in quo differunt ab homine, cuius formæ nihil confert semen: hæc namq; produ-
c. 3. citur per creationem: creatio autem fit sola vi agentis sinè concursu materię, vel subiecti. Hæc si non per se patet, vt prima principia, saltem negari non potest,
Ar. 2. nisi in prauę sectæ crimen incidatur. Disputent alij, quid in via Aristotelis tenen-
de gen. dum sit: quamuis re vera ille *animam rationalem venire deforis*, affirmet, quod
an. c. 3. idem est, ac si diceret, non educi de potentia materiæ. Quod mihi indicat eum aliquo modo creationis notitiam habuisse. Et re vera constat apud doctissimos viros, illum, si non cognouit creationem cum nouitate essendi, cognouisse saltem eam per modum demanationis naturalis, & æternæ, à primo ente: quippe res incorrruptibiles ab æterno procedere à primo ente apud eum in confesso est. Sed quorsum in Aristotelica doctrina quærimus id, quod in veritate infallibili habe-
Eccles. mus? *Et reuertatur puluis in terram suam, vnde erat, & spiritus redeat ad Deum,*
cult. *qui dedit illum*.

6 Tertia hypothesis: Semen licèt non viuat actu, viuit tamen potestate, ac proindè potestate est id, quod ex eo fit. Sunt, qui concedant, semen habere vitam in actu primo: id superiùs gratis concessi, quamuis re vera nec primo, nec secundo actu vitam habere, sit opinio valde rationi consona: id semel ex professo probare aliquando licebit: nunc autem, cur in eo defatigabor, si vel in potentia, vel in actu primo sit viuens, ad rem, de qua agimus, nihil refert? quippe duntaxat volumus, vnũquodq; semen saltem potestate esse id, quod ex eo futurum est, quod si actu primo, id iam est, tanto melius nostrę inseruit sententię: quippe sic magis determinatum est ad id, quod in actum secundum exire debet. Quare citra controuersiam dicere possumus, semen habet iam determinatum suum effectum.

7 Quarta hypothesis: Ex Athenæo iam superiùs relato, ex duobus animalibus specie diuersis fœtus refert magis matris, quàm patris naturam: vt ex vulpe fœmina, & cane masculo exit vulpes cum pelle canina & cane matre, & vulpe patre canis cum pelle vulpina.

8 Has hypoteses tamquam fundamenta iacere oportuit, vt ædificium stabile erigatur in hunc modum. Semina in vtero recepta (iuxtà primam hypothesin) debent esse duo, & subinde mutuam sibi pręstare opem, alioquin sufficeret vnũ. Non possunt se inuicem iuuare in eo, in quo differunt, hoc est in formis specificis educendis: nam in hoc potiùs se impediunt, & propterea fœtus egreditur tertiæ cuiusdam speciei: iuuant ergo se in eo, in quo (iuxtà secundam hypothesin) conueniunt, hoc est, quòd fiunt vi seminis. Hanc vim non habet semen humanum: quippe (ex eadem secunda hypothesi) semen humanum nihil formę confert: Ergo quoties semen hominis, & semen belluæ coniunguntur, cum semen hominis per se solum nihil agat, semen belluæ per se solum nihil conferat, nihil interim generabitur.

9 Duo hìc probatione indigere videntur: primum est id, quod dicitur, semina debere sibi mutuam ferre opem, quod in doctrina Aristotelica non requiritur.
Ar. 1. Respondeo etiã in via Aristotelis, sanguinem menstruum, quod seminis vicem
de gen. supplet (*nam si semen esset, menstrua non essent, nunc ideo illud adest, quia hæc sunt*)
an. c. præstare saltem materiam aptam, quæ virili semine informatur, vt ex duobus fiat
19. vnum, igitur confert fœmineum excrementum, vt materia disponens formam, virile autem, vt forma reducens materiam ad actum. Alterum est, quod dixi, semen humanum nihil formę conferre, confert quidem introducendę formę dispositiones, quæ tamẽ in introductione humanæ formæ, externæ admodùm sunt, & quamuis per eas materia disponatur, non iccirco anima hominis, vt anima bruti, ad introductionem necessitatur, quippe humanæ formę, que omnino spiritualis est, ortus non in materiæ dispositionibus est quærendus, sed in summa Creatoris potentia.

10 Altera ratio. Si semen humanum posset conferre aliquid ad generationem belluæ, haberet potestate (iuxtà tertiam hypothesin) vitam belluinam: ergo cũ ex concubitu duarum belluarum specie differentium producatur bellua, ita & ex

semine

semine hominis, & semine belluino: sed semen hominis nihil ad belluinam vitam pertinens in se habet; quid ergo ex homine, & bellua producetur? num bellua? at semen hominis ad hoc nihil confert; num homo? at absurdum est dicere, ad introductionem formæ hominis dispositiones belluinas concurrere. Num semihomo? At semihomo vel est vnum animal, vel duo: non duo, quia distinctas haberet officinas nutriendi, viuendi, sentiendi, mouendi, ergo vnum; est ne hoc vnum bellua, an homo? Si bellua, iam diximus: belluam non produci à semine humano: si homo, iam diximus, nihil ei conferre semen belluinum.

11 In hac argumentatione etiam difficile videtur, quod dixi: nempe semen hominis nihil habere, quod ad vitam belluinam pertineat, imò contrarium accidit in continuis humanę prolis generationibus: quandoquidem in vtero priùs quàm semen accipiat vitam hominis, accepit vitam animalis. Hoc quidem ita esse admitto, dummodò etiam mihi admittatur, idem humanum semen priùs, quàm viueret vita animalis, vixisse vita plantę. Si ergo ex eo, quòd semen vixit vita animalis, colligi possit, posse concurrere cum animali quopiam ad procreationē fœtus belluini, colligi etiam poterit, posse cum plantæ semine plantam efficere, & in terram iniectum fructificare; quod qui concederet, nugiuendulorum imposturæ, ab Amato Lusitano narratę, assensū præberet: hi enim homunculos quosdam ex radicibus cannarum sculptos, mulieribus sterilibus, & non parturientibus loco mandragorę, non paruo vendunt pretio, quippe radici in formam humanam adaptatæ grana quędam tritici affigunt, & terra obruunt, vt herbescente tritico capilli esse videantur, multaq; alia fingunt relatu indigna. *Amat. Lusit.*

12 Reuertor ad susceptum iter: Viuit quidem semen priùs vita plantæ, deindè vita animalis, vt posteà viuat vita hominis: sed cuius nam plantæ, cuius nam animalis vita viuit? nempe cuiusdam plantæ, cuiusdamq; animalis, quæ reliquis plantis, reliquisq; animalibus contraria sunt: quippe reliqua dispositiones conseruantes secum gerunt, alioquin non possent in vita permanere, neq; proficere. At humanum semen vitam plantæ, animalisq; habet, cui insunt corruptiuæ dispositiones: quippe semen priùs suscipit vitam vegetatiuam cum dispositionibus, à quibus corrūpatur intra terminum à natura præfixū, & fiat sensitiuū; postea suscipit vitam sensitiuam, cum dispositionibus corrumpentibus intra paucos dies formam istam sensitiuam, vt introducatur humana, siue rationalis, cui conueniunt conseruatiuę dispositiones. Corrumpi duas illas priores, vnam post aliam, necessarium quidem est, alioquin tot reperientur simul in vno subiecto formæ, quot sunt prędicata essentialia; quę doctrina communiter tam in philosophica, quàm in theologica schola damnatur, quod hic disputare tędiosum foret; sufficeat scire, non posse ex forma animalis, forma viuentis, forma hominis, & cæteris, vnum constitui simpliciter vnum.

13 Cum ergo in semine, quatenus est capax formę plantę, aut animalis, insint dispositiones corrumpentes tales formas, si cum semine animalis permisceretur, potiùs ei communicaret has dispositiones corrumpentes, quàm ab eo acciperet conseruantes: nam ad destruendum, vt dici solet, sufficit vnum.

14 Cæterùm quoniam diximus, semen habere potestate id, quod ex eo fit, posset aliquis arguere, ex semine humano fieri hominem, quare semen humanum habebit potestate hominem, & ex consequente animam rationalem, vnde sequeretur, rationalem animam educi de potentia materię, quod absurdum est maximum. Respondeo tamen, semen humanum habere potentiam ad animam rationalem, nempe potentiam passiuam: hæc autem non efficit, vt anima educatur de potentia materię: quippe potentia isthæc passiua nil aliud est, quàm apta quædam dispositio ad suscipiendam animam rationalem. Si quis verò dicat, omni potentiæ passiuæ respondere aliam actiuam, vnde cum in semine passiua sit potentia, debet etiam esse sibi correspondens actiua, respondebo, sufficere potentiā actiuam in progenitoribus, quando forma producenda naturæ vim superat. Hęc autem potentia actiua non inseruit productioni formæ rationalis (hanc enim productionem nulla potentia creata attingit) sed solùm vnioni prædictę formæ corpori.

15 Tertio. Si semen humanum posset cum belluino, in generatione prolis, conuenire, accideret (iuxtà quartam hypothesin) vt si homo in vaccam v. g. semen conijceret, nasceretur vitulus cum aliqua similitudine humana: si verò bos mulierem ingrauidaret, nasceretur homo cum figura bouina. Hoc autem

fieret

fieret propter vtriusq; parentis virtutes formatrices inter se pugnantes. Sed virtus formatrix hominis est ab hominis generãtis anima, igitur siue homo vaccam impregnaret, siue bos mulierem, semper anima humana supponenda est, & subinde vitulus cum figura hominis humanę formę particeps erit, quod mente concipi non potest. Rursus homo cum figura bouis habuit in generatione sua formatricem facultatem belluæ, quod etiam est absurdum, nam facultates animę hominis, per creationem producendæ, non possunt conuenire cum dispositionibus belluinis.

16 Augetur, & corroboratur hæc eadem difficultas: quia duo semina debent inuicem agere, & pati, & ex consequente duorum seminum formatrices facultates debent esse eiusdem ordinis (quod Hippocratis decreto constat) alioquin non daretur proportio inter facultatem, & facultatis subiectum: sed formatrix hominis est alterius ordinis à facultate brutorum, sicut sunt diuersi ordinis animę ipsæ inter se, ergo istę duæ facultates non possunt dirigere sua semina ad agẽdum, & patiendum inuicem: quippe reactio non datur, nisi vbi datur proportio, neq; agentia inter se proportionem habent, vbi facultates, per quas agunt, sunt diuersorum ordinum. *H. 1. de nat. hum. tex. 10.*

17 Tandem proles tertiæ speciei diuersę à parentibus non est monstrum: siquidem non est præter intentum naturę, vt iam ex sententia D. Thomæ ostendimus, & constat ex Aristotele: quare sicut ista tertia species v. g. mulus ex equa, & asino, aut canis, aut vulpes ex vulpe, & cane, est fœtus editus secundùm intentionem naturæ, sic vitulus editus ex vacca, & homine secundùm naturã erit, ac proinde pastor ille, qui cum vacca concubuisse narratur, habebit filium vitulum, filium, inquam, secundum naturam. *Ar. 4. ge. an. c. 4.*

18 Præstat igitur autoritati maiorum inhærendo dicere, fabulosam, & imaginariam esse hanc prolem ex congressu hominis cum bruto: sic tenet Galenus, qui inter plurima, quibus damnat hanc fabulam, habet hæc verba: *Nobis autem, quibus de veritate, non de fabulis cura est, satis constat, substantiam hominis, & equæ omnino misceri non posse.* Probationes autem, quas affert, quasi per irrisum adductæ sunt; sed satis est, quòd vir eximius constanter dicat iterum, *neq; enim si coitus quidam venereus homini cum equa fiat, perficient matrices sperma.* *Ga. 3. de vsup. c. 1.* *ibidem*

Solutio argumentorum, quæ initio fuerunt proposita. Articulus Quartus.

1 PRimum argumentum probat solùm, omne semen, qua semen est, cum sit animal in potentia, in vuluam coniectum reduci ad actum, non tamen probat in qualibet matrice quodlibet semen reduci posse ad actum. Deinde probat, semen in vulua reduci ad actum, non tamen probat ex solo semine semper, & vbiq; actum istum in vulua educi: quippe necesse est, vt plura concurrant: nimirum in omni generatione influxus cœlestis, in generatione hominis forma deforis adueniens, citrà quam semen humanum facultatem nullam habere potest; formam, inquio, non futuram, sed pręcedentem, hoc est, generantis: nisi enim forma, cuius est semen, semini tribuisset facultatem, quid aliud esset semen, quàm merum excrementum, vt iam superiùs dixi?

2 Ad alterum. Calore quidem aliorum animalium noster calor fouetur, quemadmodùm fouetur etiam emplastris, & ceratis calidis, attamen quod attinet ad effectus producendos, non solus calor, sed simul cum calore forma agit. Hinc est, quòd in ventriculo hominis generatur chylus aptus, vt conuertatur in carnem hominis, & in ventriculo equi, vt conuertatur in carnem equi, & sic in reliquis. Non igitur sufficit matricis calor ad reducendum semen ad actum, alioquin in alia quacumq; corporis parte, in qua calor adest, reduceretur.

3 Ad tertium. Forsitan Thales per iocum ita loquutus est: neq; enim ea, quę confabulando homines quantumuis sapientes dicunt, tamquam leges sanciri debent. Forsitan etiam ita sensit: quia animæ immortalitatem, & creationis mirabile opus non fuit assequutus; Sed vnus fuit ex illis, ex quorum mente ait Sapiẽs, *Quid habet homo iumento amplius?* nam multorum interpretum sententia est, Salomonem loquutum fuisse ex mente aliorum.

4 Quod verò attinet ad simias relatas à Leoniceno, vt inter figmenta sit reponenda

gendahistoria hæc, facit, quòd inter hominem, & simiam non adsunt conditiones, quas Aristoteles requirit (vt satis, superq; demonstrauimus) ad efficiendum, vt duo animalia diuersarum specierum coitu prolifico iungantur. Nam inter simiam, & hominem nec est par magnitudo corporis, neq; æquale gestationis tempus, neq; affinitas naturæ. Vnde meritò Galenus ait, *Quemadmodum autem simia, quòd animam habeat ridiculam, corpus ob id habuit ridiculum, ita homo quod animum haberet rationalem, ob id etiam corpus solum, inter ea, quę sunt super terram, habuit diuinum, atq; optime ad animę facultatem comparatum.* Neq; verò profanis historijs fides adeò habenda est, vt postponatur ratio: sunt quippe exempla, & historiæ magis ad persuadendum à rhetoribus inuentæ, quàm ad demonstrandum receptæ à philosophis. G. 13. meth. c. 11.

5 Ad vltimum. Rectè quidem, & philosophicè Albertus pastorem excusabat: neq; rectè VVeinrichius Albertũ reprehendit, quòd scilicet excusatione illa datur occultãdi criminis occasio. Animaduertere debuerat, hãc suã reprehensionem habere fundamentum in iure ciuili. At ius ciuile non pręstat stabilimentum rationibus naturalibus, potiùs rationes naturales sunt, quibus multoties ius ciuile stabilitur. Quare non quia crimen reuelari oportet, censenda est vera opinio, de generatione ex bruto, & homine, sed è contrario, si vera esset opinio, hinc posset meliùs iudex procedere ad probationem criminis. Pręterea quamuis vera esset opinio, quæ tenet, posse prolem gigni ex concursu hominis cum bellua, adhuc pastor non remaneret conuictus: nam qui ita tenent, non negant, posse monstra gigni absq; nefario concubitu. Quare damnandus VVeinrichius est propter nimiam seueritatem, qua pastorem voluit damnari. Damnandus etiam, quòd imaginationi vires monstra producendi aufert, & propterea inuehitur in sanctos viros, qui à sacra pagina, ex historia de virgis Iacob edocti, magnam vim imaginationi tribuunt. Verùm de his non est hic locus.

Ad calumnias quasdam, occasione huius controuersiæ allatas, breuiter respondetur.

Appendix.

1 QVoniam (vt apud Suidam Orestes ait ad Electram) occasionem eorum, quę gerenda sunt, loquacitas aufert, ne tua me garrulitas à recta philosophandi via distraheret, dum in disputatione cum doctis cõmoratus sum, te omnino reliqui, nunc iam quoniam illis video esse satisfactum, libet tecum paulisper, quasi ludibriò agere, quod alij faciunt; nam iocosum habes visum, iocosum etiam animum, in quo nil discrepas à tuo illo Compare, in quo magnas agnoscis dotes. Age dum, quid habes, Satyre, quod proferas in scenam? Accusas me, quòd ita dixerim: *Qui similitudinis in specie causam quærit, quærat etiam causam, cur vnus, & idem cibus in leone fiat leo, in equo equus.* Me contradictionis reum constituis, quippe qui ita dixerim in libro de Meteoris microcosmi, in libro verò de asitia dixi, cibum animalis bruti ab hominibus ingestum conuertere corpora hominum eo cibo vtentium, in naturam illius bruti animalis, cuius ille est proprius. Cæterùm me tibi, valdè obligatum esse profiterer, qui diligenter meos libros perlegisti, si eos addiscendi studio, non rabie, & malignitate permotus legeres. At, quod ego in tractatu de asitia de veneno dixi, tu venenum tibi surripiens ad alimenta accommodas. Scito ergo, venenum, & medicamẽtum hoc habere alimẽto contrarium, vt venenum, & medicamentũ magis agant, quàm patiantur, alimentum autem magis patiatur, quàm agat. Igitur venenum, quando in alimentum conuertitur, duo habet, per quæ agendi vim roborat, vnum, quia est venenum, alterum, quia non nisi assuetudine longa hanc suã perficit actionem; & ideo dixi, *Venenum, quod conuertitur in nutrimentum, vt paulatim patitur, ita paulatim agit.* Sed dic sodes, quid facit hoc aduersùs aliam propositionem, scilicet *Vnus, & idem cibus in leone fit leo, in equo equus?* Suidas p. 262.

2 Perge vlteriùs satyrizando, mi Satyre. *Semen*, inquio, *v. g. hominis, cum hominis pars sit, quicquid accipit in hominem conuertit, hoc est, in humanam carnem, & humanam figuram.* Increpas, quòd dicam, hominem nil aliud esse, quàm humanam carnem, & humanam figuram: ego vicissim increpo: quòd falsò ais,

Auferto hinc illud *nihil aliud*, apparebit veritas, quam illo tegumento volunt occultare. Conuertit ergo semen humanum hominem in illum hominem, hoc est, in illud hominis, quod potest efficere, nempe carnem, & figuram. Verùm ne id, quod iam satis explicatum est, repetam, quicquid addis, nempe me interrogans, cur cœlos negaui esse animatos, qui propriam sibi figuram vendicant circularem? cur dum totam hominis naturam carnibus, & figura determinans, ossiū non meminerim? id etiam, quod valdè inopportunè addis de Euæ productione ex osse, de visione Ezechielis, omnia, inquam ista superiùs, tibi adeo benè explicata reliqui, vt, si cerebrum habes, nulla tibi amplius dubitandi ansa remaneat.

Supra sect. 1. q.7.ar. 1.n.4. & sequent.

3 Filum igitur tuarum accusationum non abrumpam: me sic alloqueris: *Præterea magne homo, semen humanum generat hominem, non quia sit pars hominis, vti tu dicis, sed quia fructus est decisus ab vniuersis partibus humani corporis, vt Hippocrates ait.* Me magnum hominem appellas, in quo à tui dissimilibus in hoc similis euadis: quippe probi, & docti me ita appellant. Sed in te veritas diu constare nequit, huic veritati statim adiungis mendacium, inquiens, à me esse dictum, *Semen, quia sit pars hominis*, hominem generare: at ego dixi *Semen, cum sit pars hominis*; tu causam dicis, ego conditionem: hæc autem duo, an differant, tu ipse, & tuus Momus, iudices estote.

mēdacium

4 Ridiculus autem sis, dum ais, semen generare, non quia pars est, sed quia fructus. Adhuc nescis, fructum inter arborum partes recenseri? credideram, te id docuisse Aristotelem, qui in capite proprio de plantarum partibus, sic ait: *Quia pars rei cuiusq; de genere eius proprio, deq; substantia ipsius propria est, & quando generabitur plantæ species, remanebit in propria sua dispositione, nisi longa infirmitate quadam ex eadem dispositione sua excideret. E floribus igitur, & fructibus, & folijs plantarum alia toto anno sunt, alia verò non sunt, nec remanent, vt cortex, & corpus à re abijciente ipsum ob aliquam causam decidens.* Ridiculus ergo es dicens, semen non esse partem, sed fructum, cum fructus sit pars. Verùm magis ridiculus es, cum ais, semen esse fructum, quasi fructus non differat à semine; amicè moneo, incumbe ad studium doctrinæ Aristotelicæ, ob quam mercedem accipis, nam in omnibus te Peripateticæ disciplinæ penitus inanem reperio. Non ne legisti apud Aristotelem, semen, & fructus inter se differant, *prioris, posteriorisq; ratione? fructus enim, quod ex alio est, semen, ex quo aliud*: quapropter mentiris dum ais, Aristotelem dixisse, semen hominis est hominis fructum. Sed quid opus est Aristotele in re manifesta? extrahe è fructu semen, quod in eo continetur, nec propterea nō erit fructus: nunquid quia fructus continet semen, ideo dicetur semen? tu forsan tempore bacchanalium poculum appellas vinum: at scito, mi Satyre, hanc appellationem philosophicam non esse, licet rhetoribus per synedochē ita dicere liceat. Sed tu qui tropologicas loquutiones sæpe damnas, cur nunc tropologicè loqui vis? præcipuè quod tropologica loquutio ad ornatum sermonis inseruit, non ad inquirendam veritatem: neq; enim quia poculum licet vinum appellare, argumentabimur, ergo vinum est poculum: sic non quia fructus continens in se semen possit semen appellari, ideo argumentabimur, ergo fructus est semen.

Ar. de plāt. l. 1. c. 2.

Ar. 1. de gen. an. c. 18.

p.164

5 Sed quis nam te docuit, semen ex vniuerso corpore decidere? respondes, te id didicisse ab Hippocrate in libro de aere, aquis, & locis. Non desinam, te, vbi opus est, admonere: si meas admonitiones contempseris, tibi met imputato. Ne mittas falcem in segetem alienam: quippe tua te falce amputabis. Quæstio est inter autores medicos, an semen decidat ex vniuerso corpore: magna eorum pars non decidere, firmissimis rationibus comprobat, & Hippocratem solum voluisse spiritus in coitu ex vniuerso corpore confluere, semen verò nequaquam. Nolo hic controuersiam, ab alijs exprofesso ventilatam, pertractandam suscipere. Duntaxat te iterum hortor, vt semper qui peripatetus, & encyclopediacus es, Aristotelem consulas. Vbi nam te latuit Magni magistri, exprofesso de hoc agentis, optima doctrina? is enim in capite proprio quatuor argumenta affert eorum, qui tuam stultitiam sapiunt, hoc est, qui tenent semen ex toto corpore decidere, deinde in capite sequenti hanc opinionem refellit, & stabilitum relinquit id, quod verum est, videlicet negatiuam partem, neq; hoc leuiter promulgat, sed efficaciter hæc premittens verba, *His ferè rationibus quidam potissimum crediderunt, semen à toto corpore proficisci.* Hic est finis capitis præcedentis: subsequitur autem principium alterius sic, *Sed cum scrutamur, & diligentius rem discutimus, contrà potius*

p.269

Arist. 1. de gē. an. c. 17. c. 18.

Satyri stultitia.

potius esse videtur, nec supra dicta quatuor illa soluere difficile est, & quædam alia sequuntur impossibilia ex ipsa opinione. Ex his collige tuam ignorantiam, nisi Aristotelem ignorantem velis appellare. Innumeros ferè autores tibi hìc recensere, qui Aristotelis sententiam, quam tu ignorasti, sequuntur, sed ab hoc labore supersedeo, eum tibi libenter committens: sufficeret tamen, Galenum, qui sæpe Aristoteli contradixit, in hoc cum Aristotele conuenire. *Satyri ignorãtia. Ga. 2. de sem. c. 3.*

6 Ais insuper, semen prẹditum anima tum vegetali, tum sensuali, qua pollet homo. At hactenus putabant docti, animam rationalem esse, qua pollet homo. nam dum fœtus anima rationali non est prẹditus, non est adhuc homo; vnde quicumq; fœtum in vtero, ante quàm ei infundatur anima rationalis, occiderit, non dum homicidium fecisse dicitur: iccirco in Exodo, *Si rixati fuerint viri, & percusserit quis mulierem pregnantem, & abortiuum quidem fecerit, sed ipsa vixerit, subiacebit damno, quantum maritus mulieris expetierit; & arbitri iudicauerint*; puniebatur nempe hic aborsus pœna pecuniaria, quando scilicet fœtus non erat adhuc anima sua informatus, nam si esset, tunc aborsui causam prẹstans morte plectebatur, quod græca lectio manifestè declarat, & ita verba legis esse intelligenda tenent cum D. Augustino pleriq; alij sacri autores, qui censent, fœtum non adhuc formatum perdere, peccatum esse graue, formatum verò occidere homicidium esse, & hoc Sacrorum Canonum determinatione constat. Hinc colliges, quod dicebam, malè à te esse dictum, semen esse prẹditum anima vegetabili, & sensuali, qua pollet homo. At, o' Satyre, quantumuis sensualis tu sis, dum anima rationali non polles, homo dici non mereris. *Satyri error. exod. 21. n. 22. caput. sicuti 32. q. 2.*

7 Perambages deinde vis effugere, ne cogaris fateri, hominem per animam rationalem esse hominem, tamen vsq; tenebo. Inquis ergo. *Quare cum homo virtute suę animæ cum vegetalis, tum sensitricis procreet in suo semine consimilem animam, & vegetatricem, & sensitiuam.* Fige pedem, ne dilabaris: homo generans vnam duntaxat animam habet, hanc autem memento esse rationalem. Perge bonis auibus: *Propterea semen vi animæ suę consimilem animam procreat in materia, in quam agit.* Semen non procreat animam, sed si est potentia animatum, reducitur de potentia ad actum, si est, vt tu vis, animatum actu primo, fit animatum actu secundo, & hoc de anima brutorum, quæ in eorum semine existit in semine autem humano simul cum anima vegetabili, & sensitiua, quas potestate habet: neq; enim habere potest rationalem, quæ est alterius ordinis: habet saltem dispositiones aptas, vt subitò ac fœtus membrorum distinctionem est adeptus, in eodem instante rationalem animam accipiat. Quare concipiat v.g. equa ex equo, formentur in embryone membra equina, nil aliud erit, quàm equus: concipiat mulier ex viro, quid accidet in vtero? nempe nutrietur vnum semen ex alio. Ecce tibi in nutritione vegetabilis anima: incipiat embryon moueri, sed adhuc informe: ecce anima sensitiua, quæ introductione sua vegetabilem corrupit: postea membrorum distinctio, & figura incipiat apparere: non retinebis vlla vi humana conceptum illum, quin subitò accipiat formam rationalem. Itaq; cum ais, semen vi animæ suæ procreare consimilem animam, vltra quam impropriè loqueris: neq; enim semen animam procreat, neq; aliquem ita loquutum reperies, vltra hanc improprietatem loquendi falsò aliquid subtices in semine humano, quippe non solùm profert formas illas vegetabilem, & sensitiuã, sed simul etiam profert dispositiones, quibus efficitur, vt sub figura humana non possit stare alia forma, quàm humana. *Satyri error.*

8 Putas ergo, te meliùs loqui, si dicas, semen animam suam communicare eandem numero materiæ, quam sibi copulat in actu conceptionis. Esto, cõmunicet: quid fiet ex hac communicatione? num planta? num animal? quęro ego, quæ planta? quod animal? hęc planta, hoc animal debet esse aliquod indiuiduum suam propriam habens figuram: figuretur ergo: at vbi primum figuratur, anima rationalis ingreditur, quare illa planta, illud animal magis in via fuerunt, quàm in termino. Non hic pertracto de vero modo, quo animæ istæ introducantur, nempe vna ad corruptionem alterius præcedentis, quia iam satis hæc veritas recentioribus tum philosophis, tum etiam theologis innotuit. Nam cum prior forma sit via, seu preparatio ad secundam, & secunda ad tertiam, priores ambę eas accipient in materia, quibus non nisi certo temporis spatio perseuerent, cedantq; principi formæ. In plantis autem prior forma adest sine dispositionibus ad aliam, in brutis similiter non adsunt dispositiones ad tertiam: neq; enim natura

tura abundat in superfluis. In homine adsunt dispositiones ad vltimam, quoniã natura non deficit in necessarijs.

9 Addis, semen relatum ad hominem, à quo prouenit, habere ratione fructus, & effectus, non autem causæ producentis alium hominem illi similem in specie; Hinc arguis, non rectè à me fuisse dictum, semen, cum pars sit, *ideo* materiam, quam accipit conuertere in hominẽ: expungito illud *ideo*, neq; enim tale quidpiam scripsi: sed semen, cum pars sit hominis, quicquid accipit, in hominem conuertit. Nunquid in tua logica non hoc est verum? ventriculus, cum pars hominis sit, quicquid accipit, conuertit in chylum hominis nutritioni aptum. Est semen, si ad hominem generantem referatur, effectus eius, seu eius excretum, sed vt est eius excretum, (partem ego meritò dixi) est efficiens causa: num instrumentalis, an efficiens non est huius loci disputare. Tu verò, vt ostendas, non esse semen appellandum partem, instas insolenter, petisq; à me, vt tibi dicam, *Cur os cranei, vel tibiæ, cum sit pars hominis, non conuertat in humanam carnem quicquid accipit*. Peto inuicem à te, cur ventriculus, cum sit pars hominis, nõ sanguificet: cur hepar, cũ sit pars hominis, nõ chylificet, & tamen nõ potes negare actiones esse membrorum. Ridiculosam semper logicam nobis profers; nempe hæc pars edit hanc actionem, ergo illa pars edit etiam eandem. Non ergo necessariũ est, vt dicant philosophi, si oculi essent vbiq; etiam vbiq; fieret visio; iam per te, quoniam oculi vident, reliquę partes, quæ oculi non sunt, videbunt.

error. Satyri in logica

10 Dixi ergo *Hoc autem non materiæ opus dicetur, sed facultatis*; vbi dicendum erat *materiæ*, typographus materia dixit, literam pro litera, & vtrãq; valde affinẽ. Non ne hunc errorem puer legens reperiret? At tu vel puero indoctior, vel angue malignior parcere huic culpæ noluisti, sed maiore culpa: quippe nemo hoc apud te leget, qui te odio non habeat. Deinde arguis, quòd dixerim, opus facultatis esse, non materiæ: cur ita? quia scilicet sola intellectio, dilectio, electio dici possunt functiones facultatis intellectricis, atq; voluntatis, quia hę duæ facultates duntaxat animę sunt, nullius organi corporei famulatu indigentes: sensitricis, & vegetatricis animæ facultates communes sunt corpori; Sunt quidem communes, sed tamen nos facultates animę eas solemus appellare, nempe, vt iam superiùs me dixisse memini, quoniam à potiore parte denominationem accipiunt. Tu verò instas, non deberi has facultates dici animę, prout à materia illi substracta distinguitur: ego verò non contradistingo, sed inquio, *non materię opus dici, sed facultatis*, hoc est, non solius materiæ, sed facultatis. Non adhuc acquiescis? faciam te, & inuitum, & conuictum, & conuinctum etiam, si oportuerit, acquiescere. Quòd semen quicquid habet, conuertat in hominem, non est materiæ opus: negabis ne hanc propositionem? minimè: quippe tu semen viuens esse, dicis, eius ergo opera viuentis sunt, vt viuens est: at vt viuens est, non est materia sola: non est ergo materiæ opus: sed nec est animæ solius opus; quia tu dicis, opus solius animæ esse intelligere, & velle; cuius nam erit? nempe totius compositi: totum compositum per quid operatur? per facultatem; Iam ergo erit facultatis opus. Igitur non est opus materię, vt vidisti, & est opus facultatis. Cur ergo increpas, quòd dixerim, non esse materiæ opus, sed facultatis? cani similis videris, qui lapidem mordet, quia lapidatorem mordere nequit. Neq; verò si à logica ad grammaticam accedis, feliciùs te geris; Dixi, cibos varios in vnam conspirare naturam, tu conspirare esse ais, quando *plura efficientia vires suas congregant in vnum robur*. Mihi verò obijcis, quòd crimen committam, dùm plures materias conspirare facio in vnam passionem. Non quidem hoc te Plauti docuerunt manes, qui ait, *Mirum ni senes vicini in vnum nidum conspirauerint*. Valla te irrideret, qui conspirare diceret, hoc est, simul spirare. Sed tua hæc est consuetudo, vt nunquam ita seriò agas, quin ridiculum aliquid admisceas.

Plaut. ĩ merc.

★

11 Cum dicam semen membratum, & sanguinem membratum, rides quòd tuam grammaticam hæc vocabula non sapiant, & velles, vt dicerem membrabile semen, membrabilemq; sanguinem; hoc ne magis Prisciano arrideret? minimè: nam saltem membratum à verbo membrari potest duci, quo verbo vtitur Censorinus, vt tu etiam non negas, sed membrabile monstrum quidem esset, quod nulli progenitori responderet. Tu negas, posse dici membratum semen, membratum sanguinem, quod neutrum eorum sit formatum natura membri. At tu, qui ais, semen esse animatum, & scis animam esse actum corporis organici, quomodò negare potes, semen esse organicum? Ego verò, qui semen poten-

★

tia

tia animati esse dico, potentia quoq; membratū esse affirmo, quod idē de sāguine menstruo dicendum est: vtrumq; enim originis nostræ principium principia quędam, hoc est, potentiam quandam ad delineationem membrorum in se continet.

12 Deus bone! quomodò effugiam Satyrum istum, qui me in contradictione comprehensum tenet, quippe facio semen vtrumq; & proinde sanguinem principium materiale, qui nuperrimè dixeram, semen hominis esse principium efficiens, quod quicquid accipit in hominem conuertit? Protegat me à tuo furore, ò Satyre, Galenus, & vniuersa medicorum schola, quam ego in opere de meteoris microcosmi sequutus sum. Imò protegat me veritas: quippe verissima opinio, validissimis demonstrationibus fulcita, est, vtrumq; semen habere vim efficientem, habere & materialem, seu, vt dici solet, in vtroq; semine esse principium actiuum, & principium passiuum: in sanguine autem passiuum cum valdè exigua quadam actiuitate, quam aliqui negant. Velles, vt hic ventilarem hanc quæstionem? at tu, qui totum illud opus de meteoris microcosmi, aliquid quærens, quod morderes, vigilanter percurristi, cur non etiam illud, vt aliquid addisceres, peruolutasti? profectò longè melius tempus in hac honesta occupatione consumeres, quàm in illa turpi.

13 Ex duobus seminibus animalium specie diuersorum non fieri vnum alteri parentum simile in specie, sed speciei cuiusdam mediæ, & in libro de meteoris microcosmi dixi, & hic iā superius repetij, imò satis, superq; demonstraui. Hoc tu mirabili, & valde philosophastrica ratione ductus impugnas; Fateris quidem, si eorum animalium neutrum alteri prædominetur, sed veluti coæquentur viribus, produci animal tertię speciei: si verò vnum semen magno excessu superet aliud, & illi multùm prędominetur viribus, in hoc casu non admittis, gigni tertiam speciem, sed gigni animal eiusdem speciei cum illo, à quo profluxit: semen autem superatum se habere ad prædominans, veluti materiam ad efficientē causam. Aristotelem verò miserum ad tuam sententiam trahere conaris, qui, vt tu putas, docuit, si miscibilia quodammodò potentijs adęquentur, non generari vnum quid alteri eorum simile, sed tertium quid per participationem commune. Quando verò miscibilium vnum vehementer agat, & aliud maximè patiatur, ex eorum mistione generari quid simile prædominanti in essentia, quod alterius retineat aliquas qualitates. Hæc tua sunt verba, non Philosophi. Cur igitur Philosophi verba non transtulisti? ita facis, quoties vis, vt sententia autoris per vim tibi inseruiat.

Supra art. 2, nu. 9.

Ar. 1. de gen & cor. tex. 89.

14 In primis Philosophus improportionem duorum miscibilium, in qua (vt ille ait) *mutatur alterum in dominans*, scis quale vult esse? ille ipse eam expressè dat: nempe sic: *Ideo gutta vini decem millibus congijs aquæ non miscetur: soluitur enim forma, & mutatur in vniuersam aquam.* Vade nunc, & duo semina iuxtà hanc improportionem misceto, & tunc tibi dabo prolem vni parentum similem. Sed tu non vides, in hac distantia non duo semina posse dici, sed vnum duntaxat. Ain' tu vnum sufficere? quòd est tamquam causa efficiens? si vnum sufficit, procreetur soboles ex vno, & pereat sexuum distinctio. Tu verò alterum cupis esse tamquam materiam? ita ne mille aquę congios dicis habere guttam vini pro materia? Sed id, quod in mistione tamquam materia se habet, reagere dicitur: dabitur ne reactio à gutta vini in mille aquę congios? monstra nobis scribis, cum scribas de monstris.

tex. 88.

Ar. 1. ge. tex. 83.

15 Deinde quomodò te adiuuare potest Aristoteles, agens de mistione non viuentium, ad generationem viuentium? non ne animaduertis, illius exemplum esse sumptum ex mistione aquę cum vino, stanni cum ęre? imò tu ipse exemplum sumis ex auro cum argento. Hęc omnia generantur ne, an miscentur? mistionem à generatione differre ipsemet Aristoteles affirmat, imò ex professo multis adhibitis exemplis id probat. Tu autem cum duo semina miscentur, nihil aliud inquiris. Mistio apud Aristotelem est *miscibilium alteratorum vnio*: generatio verò *Prima participatio cum calido animę nutritiua*. Vah quàm inepta est tua isthæc ratio sumpta à mistione! valde philosophicam initiò dixi: ironicè dictum esto. Nam tu, vti puer legens in tua tabella, quoniam in contextu est *non generatur autem alterum, sed medium, & commune*, putasti Aristotelem loqui de generatione, at animaduertere debueras, vbi tuus codex habet *generatur*, alios codices habere *fit*. verbum enim græcum γίνεται (quod est in originali) multa significat, fio, nascor, sum, &c.

Ar. in fine primi lib. de gen. & cor.

Arist. de iuuet. & senect. c. 14. & alibi

Satyri error

10 Tandem mea verba sunt: *Homini propter formæ præstantiam commisceri alia species nequit*. Tu autem vbi nulla est dubitandi occasio, dubitas, & quæris à me, de qua commissione loquar: num de concubitu, qui est commissio venerea; an fortassis de seminum mistione. At sine commistione venerea, quænam seminum commistio fieri potest? commistionem veneream forsitan appellas flagitium ipsum, quod nefarii, & scelerati aliquando committere non verentur, & hoc contingere posse ais, neq; formæ præstantiam, quominus ita fiat, obstare, quamuis igne puniantur. Benè agis: damna hoc nefandum scelus, sed & aliud huic affine tandem damnato. Ago de prole, quę ex concubitu animalium diuersorum specie oritur, refero Aristotelicum prouerbium, *Semper Africa aliquid noui*; addo, hoc non posse contingere homini propter formæ pręstantiam, tu verò dubitas, an de seminum commistione loquar; non dubitarent certè tui pueri, qui propterea te sæpe irridentes gymnasium vacuum relinquunt. Quid igitur ais? nempe Aristotelem non cognouisse in humano semine animam rationalem, imò an eandem extra semen cognouerit, hoc est, eius creationem, subsistentiam per se, atq; immortalitatem adeò dubium est, vt multi eum in hac parte soleant culpare. Nihilominùs manifestum est, animam rationalem non esse in semine humano; nunquid propterea semen humanum producet arborem, producet bestiam? bestia es, si tale quid putas. Cæterùm hanc animalis in vtero muliebri generationem ex semine belluino, aut in vtero belluæ ex semine humano, adeò diffusè reprobaui superius, vt quęlibet, vel satyrica proteruia conuicta necessariò iaceat.

Satyri inanis dubitatio

De forma corporeitatis animaduersio.

1 SVB conditione dixi: *Si vera esset opinio (quæ tamen non est omnino improbabilis) dari formam corporeitatis, præter aliam totius, certè secundum illam formam diceretur speciem mutasse*. Tu insurgis, & formam corporeitatis, dicis, non dare specificum esse hominis, vel capræ, vel sturni: & in re valde controuersa, nimiumq; theorica, tu, qui theoriam, & encyclopedian ampullosè extollis, ita humi reptas, vt autorum quorumdam placitis inhærens, quid alij melius sentientes scripserint, quibus rationibus fuerint persuasi, non curas. Accusationem igitur moliris, quoniam Liconiensis, Zimara senior, Albertus, & Auicenna dicunt, formam corporeitatis esse primam immediatè materię primę coniunctam; Quare ego, qui dixi, materiam primam esse merum somnium, & nihil omnino esse, non debueram dicere, formam corporeitatis, quæ materiæ insidet, non esse omnino impossibilem. Sed non ne poteram ego, qui quando materiam primam è medio sustuli, his autoribus sum aduersatus, eisdem etiam aduersari in eo, quod dicunt, formam corporeitatis esse insitam materiæ primæ? Imò verò si saperes, facilè posses assequi, destructo fundamento destrui id, quod in eo fundatur: destruebam materiam primam, destruebam simul nexum formæ corporeitatis cum materia prima. Sed ne hoc gratis dictum putent docti homines, pauca quædam licebit in hanc rem adducere. pa. 45.

2 In primis forma corporeitatis Stoicorum fuit inuentum, quod recepit etiā Pericles quidam lydius, vt testatur Simplicius, quam si posteriores illustrarunt, non propterea rectè ais, eam ab his fuisse partim inuentam. Deinde inter huius formæ assertores magna viget dissensio, ita vt valdè laboriosum sit eorum varias assertiones enarrare; tres tamen breuiter percurram: vna est Auicennæ, qui hanc formam corporeitatis, quę est, quasi prænia dispositio ad propriam, & specificam rei formam, putat esse materiæ coæuam expertem ortus, & interitus; & ex hac forma cum materia prima constitui corpus in prædicamento substantiæ. Huius opinionis fundamentum est: quoniam antequam materia specificam formam recipiat, oportet, vt habeat partes inter se distinctas, & extensas; hoc autem esse nequit, nisi detur aliqua forma, quę ante alias, præsit materiæ, eamq; reddat idoneam ad recipiendam quantitatem, partiumq; distinctionem. Sic ex Auicenna. Si verò ab eo quæras, quæ necessitas cogat ponere quantitatem, quæ præcedat introductionem formę substantialis, respondebit, pręrequiri quantitatem, ne forma substantialis recipiatur in indiuisibili: si rursus quæras, cur quantitas prærequirat formam corporeitatis, respondebit, quia quantitas est quid accidentarium, & subinde

Simpl. lib. 1. phys. Aui. 2. suffic.

& subinde postulat quidpiam substantiale, in quo subiectetur.

3 Verùm non est, cur hæc Auicennę ratio nos deducat ad constituendam formam corporeitatis materiæ coęuam, quod tu ab eo tamquàm doctrinam indubitatam accipis, & inde putas, mihi bellum posse indicere. Dic ergo Auicennæ, corruptionem vnius esse generationem alterius, & è contra; hoc te docet Aristoteles, cui magis, quàm Auicennæ credere debuisses; Quantitas igitur rei, quę corrumpitur, secum habet dispositiones, quibus ad nouam formam geniti disponitur; At vbi aduenit noua isthæc forma, aduenit simul cum ea noua quantitas, & sic nunquàm forma specifica dicetur recipi in indiuisibili. Iam verò quod dicebat ille, prętequiri quantitatem, vt forma specifica introducatur, super vacaneum quidem est: nam formę specificæ dimensiones quantitatis conuenientes secum afferunt, neq; oppositum probari potest.

4 Scotus discrepat ab Auicenna, nam Auicenna formam corporeitatis directè collocat in categoria substantiæ, ille verò non directè, sed reductiuè: cum per eam constituatur corpus, quod est altera pars viuentis. Addit etiam formam corporeitatis non vbiq;, sed in rebus viuentibus duntaxat ab specifica forma re ipsa differre; nec esse materiæ coęuam, sed cum ex re viuente viuens oritur, materiam primam omni substantiali forma, quam antea habebat, exui, eiq; duplicē induci formam, vnā eius viuentis, quod generatur, alteram corporeitatis, ex qua simul cum materia corpus, quod altera viuentis pars est, coalescit. *Scot. in 4. dis. 11. q. 3.*

5 Henricus Gandauensis adhuc magis formam istam corporeitatis differentē à forma essentiali astringit. Nam Auicenna eam omni rei corporeæ attribuit, Scotus solis viuentibus, Gandauensis homini duntaxat, ea fretus ratione, quòd duæ productiones reales inter se realiter distinctæ necessariò postulant duos terminos reales realiter inter se distinctos; At in generatione hominis duæ concurrunt productiones realiter distinctę: Deus enim concurrit creando animam rationalem, homo agendo in materiam, expellendo ab ea formam pręcedentem, & disponendo ad animę rationalis susceptionem, quæ sunt actiones realiter distinctæ, ergo & duo termini; Terminus autem productionis est forma, ergo duę formæ: omitto id, quod Caietanus huic rationi opponit; satis mihi sit, has tres sententias enarrasse.

6 Accedam ergo ad tuam accusationem, quæ duo habet capita, primum est, quòd cum forma corporeitatis, ex Auicenna cum socijs, sit coęua materiæ, & inseparabilis ab ea, & omnino immutabilis, & tribuat materiæ esse corpus absolutè, non autem esse vllum speciale, perperam ego dico, dari formam corporeitatis, secundùm quam homo esu cibi ferini mutare potest humanā speciem in speciem belluæ. At ego iam tibi demonstraui, Auicennam, & paucos quosdam, qui eum sequuntur, à multis optima cum ratione refelli. Neq; tu debueras his veluti legum latoribus assentire, sed aduersariorum, qui infiniti propemodùm sunt, rationes mensurare; Verùm, vt videò, isthæc encyclopedia tuam excedit capacitatem.

7 Porrò cum maior, & melior autorum pars, quorum rationes validissimæ sunt, teneat, formam corporeitatis (siue in homine solo reperiatur, vt voluit Gandauus, siue in omni viuente, vt voluit Scotus) distingui realiter à forma specifica, benè potui dicere, hominem vsu cibi ferini mutasse speciem non secundùm formam specificam: nam si sic vellem, non erat, cur dicerem secundùm formam corporeitatis; mutare ergo speciem nō secundùm formam specificam, sed secundùm formam corporeitatis, est mutare speciem in eo, significatu, in quo corporeitas potest speciem mutare, hoc est, in eo, quo species sumitur pro figura; Et sic dico, si daretur forma corporeitatis, diceretur homo mutare speciem secundùm hanc formam, sed secundùm hanc formam non mutatur illa species, quæ dat esse specificum, ergo secundùm hanc formam corporeitatis mutatur species, quę ad illam spectat, nempe figura. Quin tu contra te ipsum, te ignarum pręstas. Non ne dicis tu, formam corporeitatis *Non dare specificum esse hominis, vel capræ, vel sturni?* maximè: iam ergo, cum dixi, mutari posse hominem secundùm formam corporeitatis, non dixi mutari in capram, aut in sturnū, sed mutari in id, quod forma corporeitatis illi potest tribuere. *Satyrus se ipsum facit ignarum.*

8 Alterum accusationis caput est, quòd in libro de meteoris microcosmi dixi, materiam primam esse somnium, & nihil, quare non possum nunc dicere, non

esse

esse improbabile dari formam corporeitatis, quæ tamen materiæ primæ coæua est. Multipliciter hanc accusationem diluo: primò non compellor asserere, materiam primam esse aliquid, vt simul asseram, formam corporeitatis dari: quippe eam non ad materiam primam referam, sed loco materię primę constituam. Secundò si Auicenna ita statuit, Auicennam refellunt alij, si alij dicunt, formam corporeitatis in materia prima subiectari, ego in parte eis assentior, in parte ab eis dissentio: nec est vlla ratio, quæ me cogat dare quantitatem in materia prima subiectatam, vt ex hac quantitate eruam formam corporeitatis: satis est, vt iam tibi dixi, quòd forma prior secum habeat quantitatem, quam exuit: forma adueniens habeat quantitatem, quam secum fert, atq; dari transitum ab vno composito ad aliud per deperditionem vnius formę, & acquisitionem alterius. Tertiò, ego nō induxi simpliciter, & absolutè formam corporeitatis, sed dixi eam non esse omnino improbabilem, hoc est, posse esse probabilem suppositis ijs fundamentis, quæ communiter recipi solent: nempe dari materiam primam, dari & quantitatem, quæ immediatè non vniatur materiæ primæ, & reliqua huiusmodi, quæ faciunt hanc opinionem probabilem: quare probabilis est secundùm quid, & proptereà rectè dixi, non esse omnino improbabilem. Quartò tandem, & vltimò in illo opere de meteoris microcosmi non te, & tui similes, *quorum* (ex sententia Sapientis) *infinitus est numerus*, alloquebar. Non ne audisti loquendum cum multis, sentiendum cum paucis? at ego ibi cum paucis sentire volui: sic qualitates primas abstuli, sic elementa quatuor non esse principia rerum statui, sic multa alia, quæ tibi admirationi, viris doctis eruditioni esse possunt, ibi determinaui, non quidem legem sanciendo, sed rationibus demonstrando, quod quàm feliciter prestiterim, loquatur vniuersa Europa: neq; ego tuam vanitatem imitabor, qui literas ad te vrbanitatis, & forsan iocositatis ergo, missa transcribis.

Finis Secundæ Sectionis.

Tertiam, & Quartam paulisper expectato: Vtraq; sub prælo est propediem visura lucem.



INDEX

INDEX RERVM QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

In quo signatas reperiet lector quæstiones quasdam, quę obiter inter disputandum occurrunt.

 ex

B

C

D

N

Nugi-

FINIS.

Errata sic emendanda.

Pag. 6. lin. 12. otium lege ocium P. 17. in margine dicta l. ducta P. 18. lin. 41. asse l. esse P. 32. lin. 5. cedere l. secedere P. 32. lin. 31. inferre l. inferri P. 33. lin. 7. syllogozandi l. syllogizandi P. 35. lin. 56. aliæ l. alius P. 36. l. 42. dicere l. dici P. 38. lin. 57. potest l. potes P. 47. in margine 6. epidem sect. 2. cap. 38. l. com. 38. P. 47. in margine Gal. lib. de sen. l. lib. de semin. P. 54. lin. 17. sir l. sit P. 58. lin. 38. oppositan l. oppositam P. 63. lin 3. dictorum l. doctorum ibid lin. 34. feteare l. fateare P. 65. lin. 29. sue l. suas P. 67. lin. 45. quod vtrumq; vires habeat supra resistentiam passi, Caracter mutato P. 78. lin. 26. intelligere l. intelligibile P. 81. in margine ipsi l. ipse P. 87. lin. 11. famelicæ l. famelicas ibid. lin. 54. repentine l. repentina P. 88. lin. 28. istas l. ista P. 96. lin. 23. ridiculæ l. ridiculè P. 97. lin. 13. tbis l. bis P. 100. lin. 30. generetioni l. generationi P. 107. lin. 8. condice l. codice P. 109. lin. 4. omné l. omne P. 12. lin. 25. vnnū l. vnū ibid. lin. 36. magis offendere l. magis potes offendere P. 122. l. 36. dixerat l. dixeras P. 123. l. 7. fic l. sic P. 128. lin. 22. assimilaturi l. assimilatur ibid. lin 30. nutritionum l. nutritionem P. 151. in margine auers l. aduers P. 155. lin. 46. Aristoteles l. Aristotele P. 160. lin. 11. futulibus l. futilibus P. 165. lin. 23. hoste l. hostem P. 168. lin. vltim fugē l. frugem P. 171 lin. 2. Columela l. Columella ibid. Sarcocolam l. Sarcocollam P. eandem lin. penult. differentiam l. differentia P. 172. lin. 9. videantur l. videatur ibid. lin. 16. temperata l. intemperata P. 173. lin. 36. alicere l. elicere P. 175. l. 42. conuenie l. conuenit P. 176. lin. 33. tempore l. corpore P. 177. lin. 37. ipsos l. ipsas P. 183 lin. 19. habet l. habent P. 185. lin. 20. temperementum l. temperamentum P. 190. column. 2. lin. 30. mesereicarum l. mesaraicarum P. 191. column. 2. lin. 7. qui l. quod P. 194. lin. 31. exmplo l. exēplo P. 195. lin. 34. in solito l. insolito ibid. lin. 35. doctrina l. doctrinam vbicūq; ilico legeris, corrige illico P. 202 lin. 49. omnixè l. obnixè P. 203. lin. 5. grammatice l. grammatica P. 206. loqutione l. loquutione P. 207 lin. 6 ammanuēsis l. amanuensis P. 208. lin. 10. homiuum l. hominum P. 210. lin. 15. pinguedinem l. adipem P. 215. lin. 10. protomastygem l. protomastigem ibid. lin. 10. mastygem l. mastigem. P. 216. lin. 5. solidę l. stolidæ P. 218. lin. 7. Camæleonte l. Chamæleonte ibid. lin. 44. reperta l. referta P. 220. lin. 34. indiuunt l, induunt P. 225. lin. 2. peregrantibus l. peragrantibus P. 226. lin. 46. geris l gerit P. 231. lin. 23. medicamento l. alimento vbicunq, leges antropophagi, lege anthropophagi P. 232. in margine gens l. gent ibid. in marg. foren. l. fin. P. 245. lin. 12. humanem l. humanam P. 246. lin. 15. qui dem l. quidem P. 248. lin. 20. quemadmodum literæ l. quemadmodum nec literæ P. 260. lin. 34. famil liarem l. familiarem P. 263. lin. 30. capescenti l. capessenti P. 264. lin. 5. vri l. tauri P. 265. lin. 17. apprhendebat l. apprehendebat P. 267. lin. 35. hauisse l. hausisse vbicumq; ęgiptū legeris, corrige ægyptum P. 269. lin. vltim. infusiones l. incursiones P. 271. lin. 52. capescere l. capessere P. 272. lin. 3. si l. sic 273. lin. 37. tetragrammatum l. tetragrammaton P. 277. lin. 38. nnulla l. nulla P. 279. lin. 4. hebręam. l. primęuam. P. 283. lin. 27. fi l. si ibid. lin. 15. rerum facit l. reum facit P. 285. lin. 46. tractatu l. tractu P. 288. lin. 37. lametantiū l lamentantiū P. 290. lin. 34. dileteria l. deleteria P. 291. lin. 30. seruari l. seruare P. 297. lin. 28. cocunt l. coeunt ibid. l. 42. aiete l. ariete P. 300. l. 36. præseferrens l. præseferens ibid. lin. 36. dexerit l. dixeris P. 301. lin. 26. solam l. sola P. 302. l. 44. anima l. anima P. 308. lin. 3. ratione l. rationem P. 310. lin. 24. sæcundum l. secundum ibid. lin. 30. Liconiensis l. Linconiensis P. 311. lin. 19. vn l. vnam P. 312. lin. vltima missa l. missas.

P. 190. col. 2. lin. 28. burburisinos l. borborygmos.

Vir probus typographo condonabit errores, & per seipsum quicquid minutulū corrector omisit, poterit corrigere. Satyrus suam sibi habeat proteruiam.

REGISTRVM.

¶ ¶¶ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sſ Tt Vu Xx Yy Zz Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk.

Folium principium ſignatura paragr. duernio. folium ſecundũ paragr. ſecundo ternio. ſignatura A vſq; ad Aa duerniones. ſignatura Bb vſque ad Hhh folium vnum. ſignatura Iii vſq; ad Kkk duerniones. Omnia ſimul ſunt folia 87.



Excuſſum Florẽtiæ in Typographia Sermartelliana cum Superiorum facultate.

Anno Domini. M.DC.XXXV.

COMMENTARII
IN LIBRVM
HIPPOCRATIS
COI DE ALIMENTO
SECTIO TERTIA.

COMMENTARII IN LIBRVM HIPPOCRATIS COI DE ALIMENTO

AVTHORE D. STEPHANO RODERICO CASTRENSI
*Lusitano, Serenissimi Magni Ætruriæ Ducis Medico,
& Medicinam in Pisano Gymnasio,
supraordinario loco docente.*

SECTIO TERTIA.



EXCVSSVM FLORENTIAE,

In Typographia Pignonium cum Superiorum facultate.

Anno Domini. M. DC. XXXVII.

COMMENTARII
IN LIBRVM
HIPPOCRATIS
COI DE ALIMENTO

AVTHORE D. STEPHANO RODERICO CASTRENSI
*Lusitano, Serenissimi Magni Etruriae Ducis Medico,
& Medicinam in Pisano Gymnasio
supraordinariam docente.*

SECTIO TERTIA.



EXCVSSVM FLORENTIAE

In Typographia Signonium cum Superiorum facultate.
Anno Domini. M.DC.XXXVII

Perilllustri, & præstantissimo viro

NICOLAO CINIO CANONICO FLORENTINO,

AVTHOR OPERIS, AB AVTHORE Salutis, salutem plurimam precatur.



Æ ego industrius homo sum, qui domum erecturus, siquidem auratis laquearibus, & pario marmore constructis columnis suffultam condere nequeo, salubrem, iucundamq; ædifico, vt siquid ex materiei, & operis demereatur inopia, ex loci amœnitate duplo mereatur. Obijciat ergo mihi quispiam, quasi per contemptum, parietes lateritios: ego illi inuicem situs præstantiam offeram. Sed quorsum hæc? ineptire videor, psaltes extra chorum: ita quidem esset, ni verbis allegoria subesset. Architectonice mea, ars medica est: siue enim medicinam facio, siue scribo, in agro meo ædifico, non opulenter, nullæ mihi sunt opes, sed tenuis supellex: parum scilicet eruditionis, atq; doctrinæ. ergo indignitatem operis, dignitate supplebo loci. Commentarius in Hippocratem de Alimento, qui in lucem editur, auspicijs tuis, ô Cine, egreditur, & se in sinum tuum insinuat, cynicos effugiens morsus. Hunc sibi locum, tamquam arcem eligit inexpugnabilem. Insurgat satyrica rabies, & me arguat iniuriarum: protectorem habeo, qui detrectatores odio habet, neq; in me pateretur id, quod sibi displicet, nisi iure factum, dictumuè foret. Quid vltra? Grammaticaliter agit quidam, qui ne primoribus quidem labijs grammaticen degustauit, eius tamen est naturæ, vt nodum in scyrpo quærat, tametsi sciat, se sagittas in alios collimare, in se ipsum reuersuras. Sed meus patrocinator liberalius se gerit: admittamus, inquit, grammaticis, vt stricti sint iuris, dummodò tamen intra suos se contineant cancellos. Tenent illi regionem sibi circumscriptam, in illa se iactēt, & declamationes, rigidissimis loquendi præceptis circumuallatas, componant: neq; eis aliquis, nisi grammaticus, iudex esto. Cæterùm vel precario permittant, vt reliquæ artes, atq; scientiæ peculiaribus vtantur vocabulis, quæ, si respuant, irrisui habentur: ita contigit grammatico, cuius nomen sileo, logicam profiteri volenti: namq; ens, essentiam, intentionem, & multa alia, sinè quibus logicus se explicare nequit, reiecit, & tamquàm implumis cornicula risum mouit. Quis quæso tolerabit morosum hominem quisquilias quærentem, & sibimet foueam, in quam incidat, parantem? Proh quot solæcos committit iste solæcorum inuestigator! quem tamen missum facimus

cimus

cimus, quoniam ipse commissum fatinus in re leui, auget in grauiore: & falcem in segetem alienam mittens, me Hippocratis mentem non fuisse assecutum, exclamat. Vnde nam tibi tanta temeritas, vt quæ apud magnum Hippocratem delionatatore indigent, tu improbo conta-ctu fœdare velis & pusillus in arte tua pigmeus, in aliena contendas haberi gigas? Sed vt in hoc quoq; tibi faciam satis, tres famigerati medici explicandi Libellum de Alimento prouinciam susceperũt, Cardanus, Vallesius, Fracantianus, multa nucleo tecta reliquerunt, quæ apud me quicunq; ingenuè iudicare velit, inueniet enucleata. Itaq; in cunctis Ciniam cauillatorum mastygem habebis. Si tamen castigatus plus satis prurire adhuc non desinis, insanabili scabie laboras, non pa-trocinantis defectu, sed sycophantissantis excessu. Vt hinc queat li-quere omnibus, felicem fuisse optionem, qua tanti propugnatoris fruor auspicijs. Adesto Vir præclarissime, quem excelsiores manent tituli, quippe tandem aliquando meritis tuis amplissimis amplissima responde-bit merces: neq; enim despero, fore, vt iustissimus dispensator omnium votis succurrens, te ad res magnas, ad quas videris affabrefactus, eue-hat: quin & tecum ego, qui tui corporis vmbra dici possum iure optimo tollar humo. Vmbram me appellaui tuã, vt pote qui artem Pisis excolui, Florentiæ in lucem edidi, tua sequutus vestigia, qui ab vrbe Pisarum oriũdus, vbi preclara tuæ antiquæ nobilitatis stegmata, aduersus tē-poris iniurias marmoribus sculpta prostant, Florentiam translatus, sub maiorum tuorum persona, bono omine patritijs Florentinis adscri-ptus, omnium applausu susceptus, inter optimates accedis recensendus. Hic te colo, & veneror, quòd si te aliò fata vocẽt, in vltimo licet senio constitutus, tuis inhærere vestigiis non dedignabor. Itaq; vmbram me esse dixi, te proinde solem appellaui, solem, inquam, radiantem, cuius recessu maiores cadunt altis è montibus vmbræ; ne ergo mihi acci-dat è felicitatis montibus cadere, curabo quoad possim ne à me recedas: quare perpetuis seruitutis vinculis tibi alligatus incedam. Nunquid mihi duntaxat contingit ex tua benignitate prosperitas? imò quibus-cumq; proficiendi studium inest. Nè autem solarem virtutem relin-quam, scis solem, & hominem hominis genitores esse: scito etiam ho-minis vim ad gignendas disciplinas in animo hominis tuo auxilio pro-nectam, ex philosopho sophon efficere: quisquis igitur arduum, & per-difficile virtutis suscepit iter, tuo lumine (parum abfuit, quin dixerim tuo numine) monstrante viam, ad culmen optatum ascendet: ibi placi-dæ spirant auræ, & secura diffunditur quies: locus deliciarum est, vbi-cumq; Cinius est: felix electio mea, quam gratulentur mihi, qui me amant, metuant, qui oderunt, nam cum his securus maneo, cum illis læ-tus. Tu tui similem, hoc est beneuolum, iucundum fautorem te præbeto. Vale ex meo Musæo prid. Id. April. 1637.



BENEVOLO LECTORI.



Ellem omnino iurgia deponere, ne magis ciuilium causarum forũ, quàm philosophicus ludus, nostra videretur cõtentio, & profectò quoad potero me deinceps continebo: quamuis Satyri inanes cauillationes, & insulsa dicteria mihi interdum bilem, vltra quàm cuperem, soleant mouere; Boni tamen consulat Lector ingenuus, & iniuriè lacessitum, iure suo vti patiatur.

EPIGRAMMA
AD SATYRVM RECHENSEM.

IN te crudeles mea Musa armaret Iambos,
Illos, si sciret, posse nocere tibi;
Cur scelus obijcitur, si non pudet esse scelestum?
Si non est facies, alapa quid faciet?

BENEVOLO LECTORI.

VEllem omnino iurgia deponere, ne magis ciuilium causarum forũ, quàm philosophicus ludus, nostra viderentur cõtentio, & profectò quoad potero me deinceps contineo: quamuis Satyri mores cauillationes, & insulsa dicteria mihi stomachum bilem, vltra quàm expectes, soleant mouere. Boni tamen consulat Lector ingenuus, & iniuriè lacessitum, iure suo vti patiatur.

EPIGRAMMA AD SATYRVM LECHENSEM.

Tu recte iudex mea Musa armaret Iambos,
Hunc, si faueret, posse mouere tibi:
Cur saeuis aliis, si non pudet esse scelestum?
Si non est facies, absque quid facies?

COMMENTARII IN LIBRVM HIPPOCRATIS COI DE ALIMENTO.

AVTORE D. STEPHANO RODERICO Castrensi Lusitano, Serenissimi Magni Etruriæ Ducis Medico, & Medicinam in Pisano Gymnasio, Primo Loco Docente.

SECTIO TERTIA.

TEXTVS SEXTVS.

FAcultas porrò alimenti peruenit, & ad ossa, & ad omnes partes, et in neruum, & in venam, & in arteriam, & in musculum, & in pelliculam, & carnem, & pinguedinem, & sanguinem, & pituitam, & medullam, & cerebrum, & medullam spinalem, & interanea, omnesq; ipsorum partes, & sanè etiam in caliditatem, & spiritum, & humiditatem.

COMMENT.



Num, & plura esse alimentũ, quia genere est vnũ, species verò multę, initio huius operis, dixit autor. Id nũc magis peculariter decernit, adeò vt dici possit alimentum πάντοι περὶ πάντα idest omne circa omnia: & quam Astrologi vim attribuunt Mercurio, possumus alimēto tribuere. Mercurius planetarum, cum quibus coniungitur, vim sequitur: sic alimentum in Microcosmo, partium, quibus adhęrescit, (siue sint ossa, siue nerui, siue quælibet pars alia) naturam induit; familiaritatem etiam, quam Mercurius habet cũ Musis, habet alimentum cum ingenio; quippe ex alimento perfecto spiritus reficiuntur, qui sapientiæ conferunt. Deniq; Mercurius cum Marte iram, cum Ioue vitam, cum Venere generādi potentiam auget; similiter alimentum in corde irascibilis facultatis robur conseruat in cerebro rationis domicilio, organa rationalia conseruat, in iecore nutritioni, in testibus generationi materiam ministrat.

Nullum est membrum, ad quod restaurandum non accedat alimentum; sunt membra partes viuentis: viuere, & nutriri dicũtur ad conuertiã: propterea necesse est, vt omne membrum nutritione perfruatur. Quamuis autem Hippocrates non omnia membra recenseat, nihilominus ea, ad quæ reliqua reduci possunt, non omisit; v. g. nominat ossa, ad quę reducuntur, cartilagines: neruorum mentionem facit, ad neruos reducuntur ligamenta, musculos nominat, ad musculos reducuntur tendones.

Dicet tamen aliquis, recenseri ab Hippocrate sanguinem, pituitam, ossium medullam, quæ non sunt partes corporis, & ex consequente non viuunt, sed partium viuentium nutrimēta sunt. Respondeo, ex alimenti quadam parte fieri partes corporis, reliquũ abire in excrementa. Cum igitur sanguis, pituita, & medulla non sint excrementa, necessariò vel sunt partes corporis, vel ad illas reducuntur: partes

corporis esse adhuc nequeunt: quippe nondum vitę munere, sicut suum totum, fruuntur: sunt ergo partiũ proxima materia, quę ad illas reductione quadam refertur.

Facultas porrò alimenti peruenit.

Dicitur facultas alimẽti penetrare, hoc est, alimentum cum sua facultate, quã habet ad nutriendum, non cum facultate ad penetrandum: quippe non penetrat sua sponte: mirum enim esset, quòd posset solidissimam ossium substantiam penetrare: sed vi trahentis facultatis, quæ vnicuiq; membro est indita penetrat per omnia. Accidit ergo alimentum reductum in minimas particulas, nempe in minimas physicas, non in minimas mathematicas, quę infinitæ cum sint, si singulę per se existerent, facerent infinitum actu. Sed de hoc satis superius est dictum.

But. q. 9 art. 4. n 29. & reliqui.

Verum si substantia alimenti est, quę præcipuè penetrat, alimentum autem tamquàm quid concomitans, cur dictum est ab Hippocrate *facultas alimenti peruenit,* quasi facultas præcipuum obtineat locum? nempe, vt insinuaret, facultatẽ esse, per quã alimentũ est id, quòd est; auferto ab alimento alendi potentiã non erit amplius alimentum.

Sed si alimentum nunquàm sine sua facultate est, cur Hippocrates, alioquin breuiloquus, non dixit alimentum penetrat? quippe sufficeret ita dicere, nec addere *facultatem,* quę necessariò subintelligitur. Consultò quidem Hippocrates facultatem alimenti penetrare, dixit: quippe si alimentum duntaxat commemoraret, neq; eius facultatem adiungeret, non discerneretur alimentum à medicamento: nam medicamentum etiam penetrat ad intima corporis, sed diuersa quidem facultate ab ea, quę in alimento est: siquidem alimẽtum, quà alimentum, potentiam habet passiuam, medicamentum autem actiuam. Quare quando medicamentum non vincit, sed superatur, conuertitur vel in alimentum, vel in venenum. Dicet tamen aliquis, hanc interpretationem non posse accommodari Hippocrati, antiqui namq; medicamenta, quæ in alimentum conuerti possint, non cognouerunt: v.g. rosam, mannã, cassiam. Cœterum, an antiquis benigna medicamenta fuerint nota, disputandũ est alibi, sed supposito, quòd ea non cognouerint, Galeni mens est, medicamentum, quòd à sua operatione defraudatur, conuerti in alimentum, & in venenum. In alimentum, quoniam si est purgans pituitam, conuertitur in pituitam, ex qua fit sanguis, in venenum, quia si purgat bilem, in ea conuertitur, quã conuersione veneni speciem subit.

TEXTVS VII.

A*Limẽti vero, & id, quod hoc nutrit, alimentum est, & quod velut nutrimentũ est, & quod nutrimentum futurum est.*

COMMENT.

QVoties Galenus, vel obiter, alimenti mentionem facit, præsentem sententiam videtur in ore habere, quam in eius libris diuersimodè explicatam reperio. Prima est huiusmodi: *Propriè nutrimentum est, quod nutrit, quod verò veluti nutriens est, nondum tamen nutriuit, cuiusmodi scilicet est, quod agglutinatur, vel quod apponitur, nutrimentum non est, sed æquiuocè: quod autem in venis est, atq; hoc magis, quod in ventriculo est, id tamquàm nutriturum aliquando sit, si probè coctum fuerit, nutrimentum appellatur. Ad hunc modum edulia, quaq; nutrimenta vocamus, non vtiq; quod iam animal nutriant, neq; quod talia sint, qualia sunt, quę nutriunt, sed quod nutritura sint, si probè sint concocta.* Hactenus Galenus, qui propriè appellat nutrimentum id, quod iam assimilatur; hoc est gluten; at veluti alimẽtum, id, quod agglutinatur, vt est cambium, vel etiam id, quod apponitur, vt fiat cambium, nempe ros. Quod autem nutriturum est, latissimè accipit, videlicet sanguinẽ, qui in venis est, quo etiã nomine cõprehendi debet humiditas innominata, quæ adhuc est in osculis venarũ: quippe hęc nõdum amisit formã sanguinis; appellat etiã quod nutriturum est, chylum, & edulia omnia antequàm coquantur: adde, & antequàm assumantur.

G. lib. 1. de nat. facult. c. 11.

Alibi valdè diuerso modo sententiã hanc interpretatur, videlicet sic. *Ei, quod prima significatione alimentum siue, nutrimentum est, substantiæ ipsius fluorem rectè opponas: ei verò, quod in secunda significatione accipitur, tum hæmorrhagiam; idest, sanguinis profluuium; tum, vno verbo, omnem sanguinis*

G. 1 Sanit. tuend. c. 15

sanguinis inanitionem: ei verò, quod tertio significato dicitur, vomitum, lienteriam, idest, intestinorum læuitatem. Hic iam mutatus ab illo, tria alimenti significata per tres coctiones distribuit; vt sit primum, & verum alimentum in tertia coctione, cuius euacuatio est per insensilẽ transpirationem, quam substantiæ fluorem appellat.

Dicet tamen aliquis, priorem istum modum non differre ab eo, qui in superiore interpretatione fuit allatus: nã illic primum alimentum erat id, quod assimilatur, hìc autem id, quod substãtię fluori opponitur, substantiæ verò fluori opponitur id, quod assimilatum est. Respondeo, aliud esse, quod assimilatur, nempè alimentum, & id, quod assimilatum est, nempè substantia, quę vltra alimenti naturam transiuit. Itaq; in antecedente sanguis numerabatur inter illa, quæ nutritura sunt, in hac autem expositione inter illa, quę veluti nutriunt.

G. 3. temp. c. 2. Tertiò sic explicat alibi. *Quod vtiq; iam nutrit, & corpori adiungitur, nec ampliùs futurum est, id propriè nutrimentum nominatur, idem verò, & corpus, quod nutrit, omnino excalfacit; quod reliquorum neutrum facit: quòd scilicet propriè nutrimenta non sunt; sed alterum eorum veluti nutrimentum; alterum tale futurum.* Hìc cum priore expositione in eo conuenit, quòd propriè nutrimentum appellat id, quod assimilatur: ideò inquit, *nec ampliùs futurum est*, hoc est, quod vltimo loco inseruit nutritioni. Reliqua duo videtur intelligere, vt quod agglutinatur, sit veluti nutrimentum, vt est proximũ, vt fiat nutrimentum; quod apponitur, vocat futurum nutrimentũ, forsan quia adhuc non continuum, sed contiguum cum nutriendo corpore est.

G. 5. aph. 39. Quarta Galeni expositio est. *Quantum igitur alimenti, ab ipsa alterati, fuerit nutrito corpori exquisitè assimilatum, illi apponitur parti, & nutrit eam, & hoc est, quod ipse ait, alimentum est, quod alit, & quod est velut alimentum, & quod debet alere.* Hæc Galeni verba videntur respicere tres nutritionis gradus, seu actiones, appositionem, agglutinationem, assimilationem, vt hęc tria sint alimentum, & velut alimentum, & futurum alimentũ. Ita profectò: nam quicquid ante hęc tria est, nempè medulla ad nutriendã ossa, sãguis in hepate, spumeus humor in carne pulmonis, humor glutinosus in articulorum compagibus, semen in testibus, & parastatis, saliua in lingua, hęc, inquam, omnia superfluum quid appellat.

In hac interpretationum varietate, si alimenti nomine latissimè vtendũ est, primam debemus recipere; si strictè sumenda sit nutritio, hæc vltima vera est. Reliquę duæ medio modo se habent. Quare ex omnibus quatuor sic vera, & magis consentanea expositio cõflari potest, Vt dicamus verè, & propriè, nutrimentum esse, quod circa nutritionem versatur, scilicet quod apponitur, agglutinatur, assimilatur; est veluti alimentum id, quod iam tres coctiones pertransijt, nondum tamen apponitur, nempè humiditas innominata, quę in osculis venarum capillarium continetur: futurum verò alimentum est sanguis, & chylus. Cæterùm quemadmodùm, vt diximus, id, quod iam assimilatum est, non ampliùs dicitur alimentum, sic edulia antequàm assumantur, & aliquam à nobis mutationẽ accipiant, non dici debent adhuc futurum alimentum: quippe edulium nondum τροφεὶς, sed ἐδέσματον aut σιτίων appellari meretur. Vsus tamen obtinuit, vt communiter edulia alimenti significatu comprehendamus, sed impropria, vt constat, loquutione.

TEXTVS VIII.

PRincipium autem omniũ vnum est, & finis omniũ vnus, & idem finis est, atq; principium: & quæ particulatim in alimẽto probè, & malè distribuuntur. Probè quidem, quæ prædicta sunt, malè verò, quæ contrarium his ordinem habent.

COMMENT.

INterpretes finem intelligunt eum, qui à facultate, vel à natura intenditur, & sic principium, & finis idem esse dicitur: scilicet principium est facultas, quà conuerti possit alimentum in substantiam aliti, finis ipsa conuersio; quę à facultate non differt re, sed ratione, vel finis est alimentũ, quo ad

naturam cōseruandam viuentia vtuntur. Hęc quidem expositio veram cōtinet doctrinam, sed vulgarem, & Hippocrate, qui nihil vulgare, præcipuè in hoc opere, loquitur, indignā. Puto ergo in his verbis, catenam contineri ex auro septies probato conflatam. Quare duplex huius sententię interpretatio mihi occurrit, quam in medium proferre libet: sit apud lectores optio.

Prima expositio autoris.

Diuisit autor alimentum in illud, quod propriè alimentum est, vt scilicet quod apponitur, agglutinatur, assimilatur, & in illud, quod velut alimentū est, & in illud, quod futurum alimentum est. Cœterùm quemadmodū propriè alimētum spectat ad nutritionem, sic reliqua duo spectant ad coctiones. Inquit ergo, finem priorum, quàm posteriorum esse eundem, hoc est, esse similem: simile accipi pro eodem etiam apud grammaticos receptum est: dicimus enim aliquid futurum cras eadem hora, id est simili. Itaq; omnium, nempe tam earum actionū, in quibus versatur alimētum propriè dictum, quàm aliarum, in quibus versatur id, quod velut alimentum, & futurum alimentum, omnium, inquit, finis vnus est, omnium vnum est principium. Non vt finis, & principium sit idem, sed vt finis omnium sit idem, & omniū principium idem.

Hoc probare est operę pretium: Coctionum principium est appositio: nisi enim materia concoquenda apponatur membro concoquenti, coctio fieri nequit; principium nutritionis est appositio: hęc enim primum sibi vendicat locum inter tres actiones, quibus constat nutritio. Rursus finis coctionis est assimilatio, quoad fieri potest, sic chylus albedinem suscipit à ventriculo, membrana alba, & inter partes spermaticas numerata, sanguis ruborem suscipit à iecore, qui videtur sanguis quidem compactus: finis nutritionis est assimilatio, hęc enim inter tres nutritionis ministras vltimo loco collocatur.

Tunc adiungit; *Et quæ particulatim in alimento probè, & malè distribuuntur: probè quidem, quę prędicta sunt; malè verò, quæ contrarium his ordinem habent.* Quasi dicat, iuxta hunc ordinem, vt scilicet ab appositione ad assimilationem procedatur, probè quidem omnia fiunt, malè autem si contrario ordine procedatur: e.g. in coctionibus, si alimentum non probè apponatur, coctio erit vitiosa, hinc in ventriculo ex chylo remanent cruditates multæ, vnde fluctuationes, flatusq; gignūtur. In actionibus verò nutritioni inseruientibus, ob appositionis defectum, agglutinationemq; imperfectam fit anasarca, fiunt herpetes, cancri, & alia praua vlcera.

Altera expositio eiusdem.

Semper Hippocrates aut de mēbrorū compositione, vt in libro de ossium natura, & de locis in homine, aut de alimenti laboratione, vt in lib. de dięta, & in pręsente de alimento loquutus, in circulum omnia volui, ait, & principium, & finē, dicit, esse vnum. De membris quidem adeò perfectum statuit circulum, vt, se ignorare, fateatur, ortum ductum venarum. In alimento si rumpatur catena, quæ in circulum versatur, malè res eunt, quod in pręsente vult significare: quod, quomodò accidat, paucis expediam.

Pythagoras absconditę sapientię pater, Deum circuli instar esse dixit, cuius circumferentia est vbiq;, cētrum verò nullibi. Neq; meliùs, meo quidem iudicio, omnipotentis Dei infinitatem, immensitatemuè potuit declarare. Nam circuitus sempiternus est, cui, si moueretur, perfectissimus conueniret motus: quisuo fundamento maximè iungitur; alij quippe motus aliquem terminum attingunt, circularis idem habet principium, & finem, vt cum finire videatur, tunc incipiat. Cum autem naturæ autor omnium operum, quæ patrauit, Architypus sit, & ideas omnia, quę ab ipso creata sunt, vti cœlum, & elementa, in circuitu sunt facta, & similiter microcosmus, de quo Iob. *Manus tuæ Domine fecerunt me, & plasmauerunt me totum in circuitu*; ac si alluderet, vt quidam volunt, ad figuli rotam, cuius circuitu, id est circumuolutione formatur vas figulinū, quod insinuat primi hominis ex luto formationem à Deo factam. D. Thom. & Caiet. de corpore accipiunt, quod videatur animus, & cor circundari, & circumuestiri corpore. Sic à D. Paulo homo dicitur circumdatus infirmitate, id est fragili corpore, & carne infirma. Iob. c. 10. n. 8. D. Paulus ad hebr. c. 5.

Quod

Quòd autem circularis sit hominis figura, ostendunt anatomici, corpus cõstituentes in plano, brachijs, cruribusq; expansis, cuius vmbilico si stabilem circini partem imponamus, & alteram, quę mouetur in gyrum, vertamus, sinè dubio inueniemus, hanc extremitates corporis attingere.

Prętereà quemadmodùm elementorum in se ipsa conuersiones circulariter fiunt, & vnum in alterũ, hoc rursus in illud, cum opus fuerit, conuertatur (quod si ita non fieret, Mundus non posset conseruari) sic alimentorũ fiunt vicissitudinariæ conuersiones, ne microcosmus collabatur. Considerare itaq; oportet initio generationis nostrę semen, & sanguinem, quę sunt nutrimenta, ex quibus virtus formatrix, corpora nostra finxit, esse etiam substãstiam innati calidi, cuius magnam partem cor, cum gigneretur, accipit, vnde mobilitatem est adeptum, & fœcunditatem gignendi noui caloris. Si igitur calidi innati substantia est effectus in generatione cordis, si rursus est causa, quę nouum calorem gignit, non ne in hac vicissetudinaria generatione fit circulus? Rursus, in progressu vitę, calor quicquid cõcoquit, in membra reponit, deinde idem calor, quicquid repositum est, absumit, & hinc oritur necessitas aliud rursus reponẽdi, & quod denuò reponitur, denuò absumitur, & in illo principio, in hoc fine calor idem adest, omnium operum autor; non ne circulus est, in quem voluitur alendi necessitas? Quòd si hęc vicissitudo pręuertatur, & ordo conturbetur, malè res eunt, ex Hippocratis sententia. Nam ex cibo ingesto, ante dissipationem, hoc est, antequàm necessitas cibandi adsit, cruditates accumulantur, si desit, perseuerante dissipatione, atrophia, & estrema attenuatio, & tandem mors aduenit.

VNDE NAM ALIMENTI Necessitas.

QVÆSTIO PRIMA.

1 QVamuis superiùs multiplice disputatione, adeò ineuitabilem esse alitionis necessitatem, vt ne breuissimo quidem spatio interrumpi patiatur, demonstrauerim, tamen, vnde nam hæc necessitas proueniat, nondum plenè videor declarasse: quoniam autem nunc circulus, de quo egimus, hanc necessitatem includit, opportunum est, pauca de eadem exarare.

Duo esse damna ineuitabilia, ad quæ referenda est alimenti necessitas.

Articulus Primus.

2 Siccitatem, & continuum fluorem substãtię duo damna ineuitabilia Galenus statuit: siccitatem, iam ex eodem dixi, nobis inditam fuisse, quia priùs oportuit molle esse corpus, vt facilè formaretur, deindè fieri durum, vt ad omnes actiones agile redderetur, duritiem autem siccitate conciliari, siccitas ista ab igne est, ignis sua voracitate substantiam corporis absumens, fluorem cõtinuum eiusdem substantię efficit. Itaq; ab eodem calore humidam substantiam dissipante fit & siccitas, & fluor, quę duo ineuitabilia ideò sunt, quoniam inneuitabilis est caloris actio. Hanc doctrinam, quæ verissima est, à Galeno recipiunt omnes, vt hic obiter castigandus sit Satyrus Rechensis, qui dum ab hac via, qua doctissimi quiq; incedunt, temerè vult discedere. Agnoscit quidem suam temeritatem, eamq; adductis Lucretij verbis significat

G. 1. Sanit. tuend. c. 2.

De his qui sine alimento 2. c. 15.

Nec mi animi fallit, quàm res noua, miraq; menti
Accidat,
Et quàm difficile id mihi sit peruincere dictis. &c.

Nihilominùs tamen, eum, cui communis opinio placet, tãquàm si rem inauditam loqueretur, obiurgat, & quod magis mirandum est, simul & suam positio-

nem

nem nouam esse fatetur, & eam ex sapientum placitis depromere se posse, sperat. Relinquamus ergo istum cum sua satyrica petulantia, & ostendamus, duo illa esse necessaria. Et quod attenet ad siccitatem, cum illa à natura fuerit data, quia aliter membra non possent constare, ita ineuitabilis est, vt est ineuitabile membrorum robur, & actionum necessitas; sed cur appellatur siccitas ista damnum, si tot nobis præstat commoda? quia scilicet tametsi propter vtilitates indita sit, secum magnum affert damnum: ipsa impedimentum est, ne id, quod restauratur, bonitate ęquipolleat deperdito: quippe inualescente corporis siccitate, quod corpori simile fieri debet, siccius, quàm antecedens sit, oportet, & hanc superiùs, dixi, esse causam, quę ad interitum nos deducit.

3 Fluor substantiæ colligitur ex necessitate agendi, qua calor est præditus: neq; verò hanc actionem calor edere potest, illam non potest, vt Satyrus existimat, alioquin ageret ex electione; sed hęc iam superiùs satis sunt disputata, & plenè determinata. Si quis igitur quęrat, in quo differant siccitas, & fluor substantię, respõsionem ex iam dictis habebit: quippe siccitas vsq; ad consistendi ętatem procedens aliquas secum affert vtilitates, fluor autem substantię semper à principio est nocuus, deindè, vt per se patet, siccitas damnum est in qualitate, fluor in substantia. Cœterùm adhuc dicet aliquis, frustra hęc duo damna afferri tamquàm inferentia alimenti necessitatem: sufficit namq; sola vna, nempe substantię fluor: quippe alimentum ad substantię restaurationem ordinatur, qualitates autem à medicamento per introductionem contrariæ qualitatis inducuntur. Responsio ad hoc dubium petenda est à Galeno: *Nam sanorum calor*, ait ille, *vaporosus est, atq; suauis, & tactu conueniens, nihil triste, nihil asperum, nihil mordax præseferens, eorum verò, qui febricitant, & præcipuè hecticas febres, aut eas, quæ ex putredine humorum ortum habent, acris est, & insuauis, ac mordax, & nostrum corrodens tactum.* Iuxtà hęc verba, & plura, quæ idem ibi, effluxus secundùm naturam, hoc est, qui ad naturæ opus, nempè ad caloris naturalis actionem sequuntur, sunt humidi, ac proindè expostulant restaurationem per similia, nempè per alimenta humida, effluxus verò febricitantium sunt sicci, aridi sunt etiam pręter naturam, quare reducendi per contraria, nempè per medicamenta humida: quando enim dicitur, *Victus humidus febricitantibus*, humiditatem, licèt in victu, medicamentosam intelligi debere, interpretes animaduertunt. Itaq; siccitas, quę sanis inducitur, non expostulat excedentem qualitatem humidam, alimentum verò, quatenus alimentum, substantia est, nulla verò substantia qualitatum est expers, sed in hoc alimentum differt à medicamento, quod alimentum eos habet moderatas, medicamentum verò excedentes. Hoc nos docet Galenus inquiens: *Quamobrem, quę medij sunt temperamenti, nullaq; vincente qualitate sunt prædita, ea so'um sunt alimenta, non autem medicamenta.* Porrò quemadmodùm alimenta, quantumuis frigido temperamento prędita, possunt dici nos calfacere, quoniam substantia caloris innati augent, (quod de lactuca dixit Galenus) ita possumus dicere, quęlibet etiàm temperamento sicca nos humectare, quatenus humidi substantifici augent substantiam. Igitur inducta per fluorem inopia substantię, suppletur substantię repositione, inducta verò per siccitatem inopia humidi, suppletur repositione substantię, à qua humectatio oritur. Neq; verò huic doctrinę obstat Galenus, quando ait: *Cibo igitur quicquid siccioris substantię effluxit, restituimus, potione quicquid humidioris*, non, inquam, obstat: nam cum potionis nomine, vt supra iam diximus, intelligatur cibus poculentus, hic humidiorem substantiam, hoc est mollem, nutrit, cibus verò solidus scciorem, hoc est, duriorem, comparatiuè loquitur. Partes ergo, quę magis humidę, quàm siccę substantię participes sunt, poculentis gaudent, quę verò magis sicco, quàm humido abundant, melius esculentis reficiuntur. Quòd potionis nomine alimenta liquida intelligat, ex eo constat, quòd nutrire dixit: potus namq; qui potus duntaxat est, non alit. Quòd etiam comparatiuè loquatur, apparet, tum quia sicciorem, non siccam, humidiorem, non humidam substantiã appellat: tum etiam quoniam substantia nostri corporis simpliciter, & absolutè sicca non reperitur: sinè humido enim non possent compages substantię conglutinari. Constat pretereà, quia cum multæ sint volucres, quę nunquam bibunt, homines etiam fuisse narrantur, qui per totam vitam à potu abstinuerunt, & tamen vrinis expurgabantur: imò quotidiè experimur in ijs, quos exsiccare volumus, & in victu valdè exsiccante continemus, & tamen vrinæ quantitatem plusquàm potus mensura exigat, eijciunt; sed de humido, & sicco alimento inferiùs

Margin notes: Pag. 24 89. — Supra sect. 1. q. 4. art. 12 n. 37. — G. 1. aph. 14. — G. 1 de alim. fac. 1. — G de temp. — Supr. in tex. 1.

ex professo agendum est, vbi Hippocrates ait: *Humidum alimentum faciliùs transmutat ur, quàm siccum: siccum alimentum humido faciliùs transmutatur.* *infr. tex. 52.*

4 Porrò cum de temperatura cuiusq; rei medici loquuntur, non de ea agunt, quam in se, vel ad suas actiones, aut ad totam naturam collatę res obtinent (ad philosophos enim pertinet hæc inuestigatio) sed, vt Galenus vult, hominis tantùm respectu: ita vt calidum, frigidum, humidum, siccum dicatur, quod humanum corpus calefacere, refrigerare, humectare, siccareq; potest. Hac igitur suppositione facta, potest cibus aliquis potestate humidum temperamentum habere, nempe humidum, si ad corpus humanum comparetur. e g. lactis substantia humidius temperamentum obtinet, quàm sit temperamentum humani corporis: quare lac sumptum necessariò carnem gignet humidiorem, quàm sit ea, quę preexistit, ac proindè dicetur alimenti substantia humectare, quia scilicet substantiam generat humidorem alito, vnde corpus cibo humido nutritum humidius redditur: quare hecticis, tabidis, & quomodocumq; extenuatis vtila sunt cibaria non solùm actu, sed pręcipuè potestate, humida. *G. 1. simpl. c. vlt. & 3. eiusd. oper. c. 5.*

5 Altero modo dicitur alimentum humidum, quod facultatem habet impinguandi, vt caro porcina, & ex fructibus vua, ficusq;: cum itaq; corpus incrassatur, humidius reddi dicitur, sicut è contrario tenuius, cum exsiccatur.

6 Tertio modo alimentum, vt alimentum, tametsi siue actu, siue potentia sit siccum, dicitur humectare, quatenus caloris innati substantiam regenerat, quæ calido, & humido consistit: Iuxtà hanc acceptionem humectatio, quę fit ex alimento, in ętatibus accrescendi valdè apparet, quoniam in his, licèt, quod reparatur, siccius, sit deperdito, nihilominùs quantitatis augmēto suppletur huiusmodi defectus: vltra ętatem consistendi nulla apparet humectatio, quia quęcumq; fit, deperditione substantię, quę nunquam similis reparatur, delitescit. Statutum sit ergo, & deperditionem substantię ex continuo fluore, & siccitatem à principio inductam, & semper auctam, restaurationis necessitatem inferre.

Dilutio obiectionum, quę circa pręd icta afferri possunt. Articulus secundus.

Prima Obiectio.

1 OCcurrunt nonnullæ dubitationes, quæ superiùs fundatę doctrinæ videntur nocere: ea diluere erit operæ pretium. *Prima.* Aer nos ambiens, summoperè vitę nostrę necessarius, necessarium etiam, & subinde ineuitabile nobis infert damnum: quippe ex ambiente procedit, quòd fame vexemur, fames autem alimenti necessitatem significat. Vnde videtur colligi, posse pręter duo ineuitabilia iam enarrata, tertium esse aerem, atq; adeò non illa duntaxat, sed hunc etiam esse recensendum. *Responsio.* Aeris quidem magnam necessitatem negare non possumus, quam agnouit Galenus, ac propterea inquit, *Eorum verò, quæ extrinsecùs incidunt, vnum certè est, quod separari ab eo non potest, quodq; illi perpetuò, & (vt ita dicam) veluti connatum adhæret, aer ipse ambiens.* Certum etiam est, ab aere necessitatem prouenire alimenti: sed quomodò: nempe ab eo fluorem substantię moliente: nam ex Galeno, *Corpus extenuatur, atq; in uapores resoluitur, idq; duplice de causa, extrinsecùs quidem ab aere ambiente, intus verò à calore natiuo.* Si ergo aer fluorem substantię molitur, causa dicetur necessitatis alimēti, non diuersa quidem à fluore substantię, sed quæ mediante hoc fluore necessitatem alimenti ingerat; & sic est causa remota, quam nos nunc omittimus, cum satis sit afferre causam proximam, quę ex illa remota pendet. *G. 1. Sanit. tuend. c. 4* *G. 7. aph. 59.*

2 Hic se offert difficultas à multis ventilata superiùs tacta, est in hunc locum remissa, an scilicet aer perpetuò exsiccet corpora nostra. Nam ex vna parte ita sentire videtur Galenus: si quidem ab ambiente corpora extenuari, dixit, extenuatio autem exsiccatio quædam est; Ex altera idem Galenus. *Ille nempe,* inquit, *qui circum funditur aer, nos lædit, vel quod calidos immodicè, vel quòd frigidos, vel quòd siccos, vel quòd humidos reddit*; & alibi etiam, *Ex his enim necesse est, aliquo modo affici corpus ab aere quidem ambiente, quia aut calefit, aut frigefit, aut humectatur, aut exsiccatur*: & alibi: *Quare si verum est, cum aere, simul alterari animalium corpora, per imbres fiunt humidiora,* *G. 1. Sanit. tu. c. 4.* *G. art. med. c. 84.* *G. 1. epid. Sect. 1. com. 2.*

G. 2. de Crif. c. 3 *per squalores sicciora*; & alibi longa oratione probat, aerem condisponere temperamento suo corpora nostra, eoq; fieri, vt per æstatem augeatur bilis corpore, ex aeris commercio, concalefacto, & exsiccato, in hyeme pituita, refrigerato, & humectato.

3 Gentilis in hac controuersia existimat, posse quidem aerem per se varia temperamenta inducere: nempe suas corpori, quas habet, imprimendo qualitates; Vnde constitutio aeris austrina humida humectat, aquilonia sicca exsiccat, estiua calefacit, brumalis frigefacit: nihilominùs per accidens cum constitutio, quæ sit humida, simul calida est, resoluit: sicca verò, & frigida sua frigiditate exprimendo, fluorem substantię inducit. Verùm maiori anni parte datur temperies, quę nec sua caliditate resoluat, nec sua frigiditate exprimat; quare hęc expositio non est recipienda, maximè cum non sit ex mente Galeni, quippe aliquando ait sic. *Etenim frigidæ causæ cutem constipantes, humores, prohibent digestione: tum autem humiditas aeris non remouet à corpore quidquam, sed adijcit*; quibus verbis ostendit, frigiditatem constipatione effluxum prohibere, non autem expressione augere; humiditate etiam nihil è corpore educi, sed potiùs in corpore reponi, quare constat, illum, cum aeri tribuat posse fluorem substantiæ efficere, noluisse statuere propositionem perpetuę veritatis, sed quòd multoties ita fiat: quapropter liberabitur à contradictione, si dicamus, aerem, vbi patent pori, suę substantię tenuitate ingredientem intra corpus, eam substantiam, quę est iuxtà cutem, comminuere, atq; ita necessarium esse, vt ingressu aeris fiant effluxus, adiuuante scilicet calore, citrà quem nihil è corpore effluere potest. Verùm si pori non pateant, parum aeris est, quod ingredi possit, parum, quod permittatur egredi, & tunc nō attribuetur aeri substantię fluor. Fit igitur ab aere substantiæ fluor necessariò, nēpe necessitate ex hypothesi. Huius doctrinę veritas ostenditur in rebus inanimatis: quippe metalla, quę solidissima sunt, non flaccescunt: quia non habent poros, per quos aer atterens ingrediatur, neq; actualem calorem, qui comminutam in vapores substantiā expellat, fructus verò, & alia, quę poros habent, nisi ab aere defensa custodiantur, flaccescunt, custodita diutiùs durant. Quòd autem alterationes ab aere manifestæ vt plurimùm sint, & aliquando valde vehementes, iam superiùs satis demonstraui infringens cornua Satyri Rechensis, qui hanc veritatem euertere conabatur, non considerans mutationes temporum, quas, Hippocrates dixit, potissimùm morbos parere, esse valde magnas, imò adeò Baccho sopitus, vt eum nec brumę frigora, nec ęstatis intolerabiles calores monerent, ne in hanc absurdam incideret opinionem.

G. 1. epid. Sect. 2. com. 7.

Sup. q. 12. n. 13 Hip. 3. eph. 1. — pag. 101

4 Concludo ineuitabiles errores, seu ineuitabilia damna quędam esse in specie, quędam in indiuiduo. In specie omnis aer, tametsi alioquin proficuus, & ad vitam necessarius, nihilominùs nobis aliqua ex parte nocet, continuis scilicet, siue his, siue illis alterationibus; quamuis enim Vallesius nullam qualitatem aeri tribuat, sed susceptiuum omnium esse dicat, hoc etsi ei concederetur, concedere ille inuicem nobis teneretur, aerem nunquam sinè aliqua qualitate existere. Quoad indiuiduum potest huius aeris prauitas euitari: vnde Hippocrates in longis morbis solum mutari iubet, & in statu pestilente optimum consilium est fuga; quare aeris damna in indiuiduo ineuitabilia non sunt, attamen in specie maximè. E contrario sunt aliqua in indiuiduo ineuitabilia, quę tamen in specie euitari queunt, vt ensis, & fera: ab his enim possumus abesse, nō tamen ab hoc ense iam vulnus minanti, & ab hac fera morsum propè infligenti. Atq; hęc consideratio spectat ad ea, quæ extra occurrunt nobis, ea verò, quę intra nos sunt, neq; in specie, neq; in indiuiduo vitari queunt, vt sunt duo illa superiùs adducta siccitas, & substantię fluor, quę duo ab actione calidi in humidum, quæ necessaria est (quicquid Satyrus satyrizet) proueniunt.

5 Adesto Satyre: habes ne aliquid, quod contra hęc ineuitabilia afferre queas? pag. 102 Videris mihi afferre quicpiam ineuitabile, pręter ista duo: quippe errores magni (ais tu) possunt euitari, quia cognoscuntur, parui cū lateant, ineuitabiles sunt; & nos incautos, & inopinantes aggrediūtur. Exigui ne errores ineuitabiles sunt, quia percipi nequeunt? Ineuitabiles ergo erunt, non ex parte sui, sed ex parte cognoscentis, & sic in planta v. g. quæ adhuc tenera è terra pullulat, errorem committet botanicæ artis ignarus, non autem peritus, ac proinde error non huic, sed illi ineuitabilis appellabitur. Itaq; in his, quæ ignoras, errorem ineuitabilem appellas eum, quem tua ruditas ineuitabilē facit, & si cras in arte proficias, iam errorē non

Satyri ruditas

non ampliùs in re illa ineuitabilem committes; sic apud te appellationes fiunt, quę modò conueniunt, modò non. Vis scire quid sit propriè ineuitabile? nempe tua maledicentia, quam ne probitas, ne doctrina quidem potest euitare. Satyri maledicentia.

Altera Obiectio.

6 SI substantiæ fluor esset causa necessitatis alimonię, vbi plures forent effluxus, maiori alimonia esset opus, vbi verò nulli, nullum exigeretur alimentum. At verò ex vna parte aquæ potatores minùs patiuntur substantię fluorem, & tamen Hippocrates ait, *Aqua edax*; ex altera plantę, & conchylia, scopulis adhęrentia, paruos, aut nullos habent effluxus, & nihilominùs iugiter aluntur.

7 Quoad primam partem huius obiectionis, dictum est ab Hippocrate *Aqua edax, vigilia edax*, vt ostenderet duas causas inter se contrarias, ob quas possit ventriculus famescere: vna est, refrigeratio, quæ constringendo diuulsionis sensationem infert, vnde iuxtà Galeni sententiam, frigidus natura ventriculus ad appetendum quidem plurimum viget; altera est excalfactio, per quam substantia corporis dissoluta, auxilium quærit trahens à venis, quę successiua quadam suctione à ventriculo trahunt, & in eius ore diuulsionis sensum efficiunt. Quare cum aqua refrigeret, & subinde constringat, cum vigilia dissoluat, ac propterea diuulsioni occasionem pręstet, meritò dictum est, *Aqua edax, vigilia edax*. *At tu ne perperam accipito* (Galenus ait) *ne ue idem esse existimato, multa comessa, & multa concoquere, atq; conficere*. Ergo aquę potu non gignitur in nobis necessitas alimenti, nisi quatenus diuulsionis molestię volumus occurrere. Vigilando verò necessitatem acquirimus alimenti, sed necessitas hæc, inducta à vigilia, refertur ad fluorē substantię, qui per vigilias augetur. H. 6. epid. sect. 4. tex. 20. G. art. med. c. 62.

8 Quoad secundam partem, plantę, & conchylia paucissimam substantiā fluore deperdunt, paucissimū etiam est, quod in alimentum assumunt: neq; enim idē est iugem cibum accipere, & multum; poterit homo vno prandio plus nutrimēti in corpus ingerere, quàm planta spatio multorum annorum: quemadmodùm enim mercatura tenuis quamuis iugiter fiat, vix sufficit marcatori ad lucrandū victum, magna verò, & copiosa, tametsi raro exerceatur, opulentum negotiatorem reddit: sic cibatio tenuis, licèt continua, pauca est, largiter sumpta, tametsi interpollata, valdè replet.

Tertia Obiectio.

9 FLuor substantię, seu substantię defectus, propter quem alimentum dicitur esse necessariū, priuatiua res est, non ergo debet esse causa, cur cibum sumamus: priuatiuum enim nullius positiui causa esse potest. Responsio, quæ huic dubio fit satis, est huiusmodi. Galenus non dixit, fluorē substantię esse causā necessitatis alimenti, sed cum substantia nostri corporis continuè diffluat, nisi in locum diffluxæ altera substituatur, corpus omnino dissipari; ex hoc autem, nō arguitur, ex fluore substantię tamquam per influxum causę efficientis produci in nobis necessitatem alimenti; etenim fluor substantiæ magis propriè occasio, quā causa necessitatis alimenti appellari debet, quòd si quis causam appellet, satis est, quòd impropriè se hac appellatione vti, agnoscat. Itaq; necessitas alimenti, à fluore substantiæ non per virtutem efficientem, sed per modum resultantię, prouenit: resultare autem ex priuatione aliquid positiuum, non est pręter rationē, vt ex flammæ extinctione resultat carbo; sic etiam, *Virtus est vitium fugere, & sapiantia prima stultitia caruisse*. Quasi dicamus ex vitij fuga resultat virtus, & stultitię ablatione sapientia.

10 Porrò ita se res habet. Substantia diffluit, ex hoc fluore continuitas partiū manet soluta, & quoniam continui solutionē natura abhorret, ad impediendā illā partes vicinę cedunt, & coniunguntur, his cedunt alię, & sic fit successiuè progressus: quippe particulis nostri corporis cedunt venæ capillares, his vasa maiora, vasis parēchima iecoris, parenchimati venæ mesaraicę, mesaraicis fundus ventriculi, fundo ventriculi os ipsius; cumq; vlteriùs non detur progressus, ibiq; propter amplissimos neruos, adsit exquisita sensatio, fit tristis sensatio, hoc est, diuulsio-

nis sensus, qui dicitur fames. Ecce quomodo ad fluorem substantię sequatur necessitas alimenti, non efficienter, sed resultanter.

11 Abhorret autem natura continui solutionem: quoniam sui totius integritati, quoad potest, consulit, integritas autem, soluto continuo, rumpitur. Preterea vbi deficit partium continuitas, minus commodè fiunt influxus, ac proindè vitalis calor, qui influit, non adeò prestò, vt oportet, vniuerso corpori communicatur. At continui solutio molesta cum sit, fugam secum habet: indidit enim natura vnicuiq; vim ad fugiendum id, quod molestum est: quare solutionem continui fugiendo restaurat id substantię, quod effluxit. Exemplo nobis est infans recens natus, qui subito ac in lucem exit, famelicus plangit, non ob alicuius cibi desiderium, sed ob molestam ventriculi sensationem, cui occurrit nutrix exhibens alimentum, papillamq; ori infert, planctumq; sic cessare facit; molestiæ igitur ex tristi sensatione non aliter medemur, quàm auferendo causam: causa erat substantiæ deperditio, remedium substantiæ repositio.

12 Sed dubium adhuc remanet. Nam si ex ratione causę fluorem substantiæ excludimus; quoniam fluor iste priuatio quędam est, eodem planè iure continui solutionem excludere debemus; quippe hęc etiam nihil aliud est, quàm continuitatis priuatio. Animaduertere tamen oportet, fluorem substantię ita esse quid priuatiuum, vt nihil in eo positiuum possit considerari, cui positiua actio tribuatur: partes enim, quę post effluxum remanent, non indigent refectione. At in continui solutione præter negationem coniunctionis partium, quę est quid priuatiuum, sunt partes disiunctę, quę coniungi appetunt, immò re vera, vt diximus, cedentes inuicem, suapte natura coniunguntur. Possumus etiam dicere, solutionem continui non magis propriè dici causam, quàm dicatur causa fluor substantię; Vtrumq; est priuatio, vtrumq; concurrit ad necessitatem alimenti inducendam, non per influxum causę efficientis, sed per resultantiam.

13 Ex his, quæ dicta sunt, colligeret aliquis, me velle, vt fluor substantię remotè, & mediatè concurrat ad necessitatem alimenti, continuitatis verò solutio immediatè, & proximè. Quod si ita est, magis consentaneum foret, vt Galenus ad solutionem continui referret alimenti necessitatem, quàm ad fluorem substantię, nempe potius ad causam proximam, quàm ad remotam. Cæterùm, non ita me velle, profiteor, sed fluorem substantiæ, & continui solutionem pariter concurrere ad inducendam alimenti necessitatem: nempe concurrit fluor substantię postulans deperditi restaurationem, & simul continui solutio, vt exigens partium vnionem; sed quoniam de ratione formali alimenti, est repositio in locum deperditi, ad deperditi restaurationem respexit Galenus magis, quàm ad partium vnionem.

AN CALOR NATVRALIS humido substantifico nutriatur.

QVÆSTIO SECVNDA.

Introductio ad quæstionem.

Articulus Primus.

1 RESTAURATIONEM deperditi diximus, (ex Galeni doctrina, & omnium consensu) esse, propter quam alimentum requiritur; Satyrus tamen, vt pote qui extra hominum consortium semper ambulat, aliter sentit, nempe, *Alimenta viuentibus à natura dari, non ad conseruationem caloris, quatenus is est ignea qualitas, & elementaria; sed ad conseruationem viuentis, adeoq; substantifici humidi, calorisq; naturalis, quatenus hic est organum animæ.* Cæterùm dum tu, ò Satyre, ais, alimenta à natura dari non ad conseruationem caloris, quatenus est ignea qualitas, dum, inquam, ita ais, aerem verberas: neq; oportebat id asserere, quod nemo, vel te ipso indoctior negaret; quis enim est, qui dicat, alimentum inseruire conseruationi qualitatis, nisi, si quis dicat conseruari alimento qualitatem mediatè, hoc est, quatenus est substantia, cui calor inest, calor autem elementaris non differt specie à naturali,

Adagium Satyri ignorātia.

pag. 88

naturali, vt tibi iam demonstraui; cœterùm siue differre, siue non differre velis, semper calor, prout est qualitas, ab alimento non conseruatur immediatè, sed mediante substantia, cui qualitates inhęrent.

Satyri error primus

2 Deinde cum ais, alimentum esse datum ad conseruationem humidi substantifici,& caloris naturalis, quatenus hic est organum animę, tripliciter peccas: primò quia organum animæ constituis calorem ab humido separatum calorem, inquam, naturalem, quem humidum, (pace tua sit dictum) Galenus appellat: secundò quia calorem appellas organum animę: quòd si solius animæ organum est, deferet illa illud, cum separabitur à corpore: etenim quę sunt solius animæ, anima secum feret, cum separabitur, ita fatebitur quicumq; separatam à corpore animā subsistere posse crediderit: tu verò Satyrico more credito. Dices fortasse, te intelligere animā cum est in corpore: at si sic animam dicis, dicito etiam animam texere, & filare; Non te pudet in manifestam Aristotelis reprehensionem incidere? Anima, ò Satyre, non habet organa, sed sunt organa totius compositi: ideò dicitur anima actus corporis organici, quia coniunctione corporis, & animæ fiunt organa, in separatione autem cadauer non habet organa: sunt enim iam ęquiuocè organa, multò minùs anima organa habet. Tertius error magis ridiculus est, quippe ais, alimentum conseruare calorem naturalem, quatenus is est organum animę; At nos quando dicimus, aliquid esse tale, quatenus habet hoc, aut illud, intelligimus esse tale sub illa conditione, non autem simpliciter: ita vt vel esse, vel saltem considerari possit absq; illa consideratione; Considera ergò mihi calorem naturalem, non quatenus est organum animæ, tunc tua isthęc consideratio auferet à calore necessitatem alimenti. Benè est, & hinc colligent homines, viuere animal sinè alimento esse non à parte rei, sed iuxtà tuam considerationem, quæ ita est efficax, vt apud Auicennā imaginatio; Quare cogitato calorē naturalem in tuis pueris, non quatenus est organum animę, sic nec alimento egebunt, nec tu expensis grauaberis. Verùm isti errores tibi facilè sunt condonandi, quippe tempore bacchanaliū, quo hęc scripsisti, non poteras respicere ad omnia.

G. 2. de nat. h. co. 13.

Satyri error. secundus.

Tertius Satyri error.

3 Prętereà cum ais, alimentum datum, *ad conseruationem viuentis, adeòq; substantifici humidi, & caloris naturalis*; velim scire illa particula *adeò*, quam significationem habeat apud te: nam multa significat. Satyrus aliquando hominis societatem reliquit, quòd halitu oris, & calefaceret, & refrigeraret: homines nunc Satyrum effugient, quòd vnò aduerbio duo contraria aduehat. Tu ne, cui Elia lelia innotuit, hoc est, qui ęnigmata te soluere posse iactaris ænigmaticis vocibus nos irretire vis? Ego ex pluribus huius aduerbij significationibus duas ad hanc rem, de qua agis, facere posse existimo: primò si dicas viuentis adeòq; caloris, hoc est, eoq; caloris, seu ideoq; caloris, & tunc quia alimentum conseruat viuens conseruabit calorem, eritq; vita causa caloris, quod dogma tibi aduersatur dicenti, animam cum corpore calorem habente coniunctam subdito sibi corpori tribuere esse viuens; quod videtur significare, calorem simul cum anima tribuere corpori esse viuens: quamuis aliqui, queis hæc verba contigit legere, minùs hoc intellexerunt, quàm tu tuum Elia lelia; nam si anima cum corpore calorem habente, subiecto sibi corpori tribuit esse viuens, duo sunt corpora: vnum corpus calorem habens, alterum corpus, cui tribuitur esse viuens; Forsitan corpus calorem habens appellas substantiam calidi innati? At putas ne, corpus calidi innati esse diuersum à corpore viuente? Error quidem hic fustibus est dignus. Dic mihi quado ab Aristotele, imò, & à Galeno etiam omne viuens dicitur calidum, & humidum, à quo calore est calidum, à quo humido est humidum? non quidem ab extraneo; ergo à calore innato, & ab humido radicali: hęduę qualitates denominant corpus viuens; ergo quoties calidum innatum substantias esse dicis, substantias intelligis corporis viuentis: alias da mihi corpus calidum calore naturali, & humidum humido radicali, quod non sit viuens. Tandem conseruari, dicis, alimento tum corpus viuens, tum calorem, & humidum: at alimēto nihil, quod non sit viuens, conseruatur, alioquin non viuentia dicentur ali. Forsan verò *adeò* aliter abs te accipitur, nempe vt accipi solet tamquam particula repletiua, & exornatiua: & sic calor innatus, & humidum substantificum erunt viuentis synonima, visq; resipiscere ab ea heresi, in quam incideras, dum negabas, vitam esse caloris durationem, sed dicebas, esse permansionem animæ nutritiuę cum calido, putans rem esse diuersam: cum tamen si caloris nomine substantiam calidi innati intelligamus; (vt intelligi communiter solet) idem sit permāsio caloris, & per-

pag. 114.



Côtradictio.

pag. 114.



mansio animę nutritiuę cum calido: nam calidum, & calor, qui est substantia, idem sunt, anima verò nutritiua dicitur ad conuenientiam cum calore innato: quippe anima nutritiua est natura (neq; aliter nisi impropriè eam appellari permittit Galenus) at natura, & calor naturalis idem sunt.

4 Tandem conseruari, dicis, alimento viuens, adeòq; humidum substantificū, & calorem naturalem, sed quo genere conseruationis? Hoc oblitus es declarare: reponatur inter tuas optimas encyclopedias, aut inter tuas cyclopedias, quippe non potes vno dumtaxat oculo ad plura respicere. Duplicem statuunt philosophi conseruationem, vnam, quę nihil aliud est, quàm conseruatio eiusdem actionis, ac fuit productio prior, vt lux conseruatur à Sole: alteram, quę remouet corrumpentia, & hęc dicitur conseruatio per accidens, vt frigiditas aeris, quæ conseruat frigiditatem aquæ. Quonam igitur istorum modorum dicetur calor, & humidum conseruari ab alimento? Si dicas priore modo, quoniam prima generatio nutritio quędam fuit: neq; enim differunt hæ duę actiones ratione sui, sed dumtaxat ratione subiecti: quippe generatio est in subiecto nondum constante, nutritio in iam constante. Si ita dicas, nempe viuens, & subinde calidum, & humidum pendere in conseruari conseruatione primo modo dicta ab alimento, iam concedes, alitionem esse actionem non interruptam: quippe veluti actio, qua Sol conseruat lucem, non interrupta est, sic de conseruatione ista dici debet, atq; tuum illud dogma toties decantatum, in silentium perpetuum damnabitur.

Cōseruatio duplex.

5 Si dicas, conseruationem fieri remouendo corrumpentia, vt scilicet per alimentum remoueatur dissipatio, quam corpus patitur propter fluorem substantię, iam concedes, sinè alimento necessariò corrumpi viuens, vt pote quod à suo conseruante destitutum corrumpentis imperio subijcitur. Sed tu forsan, qui ad libitum transfuga vis esse, nunc à medicis ad philosophos, nunc à philosophis ad medicos, forsan in pręsente conseruationis acceptiones philosophicas, vt pote tibi perniciosas effugies, & ad medicas te conferes; eamus igitur ad medicos, quos, vt suspicor, non magis benignos reperies, quàm philosophos: quippe tu ad neutrum limen insistere potes, sed in medio quodam remanes cum vtriusq; extremi negatione; neq; philosophus es, neq; medicus, sed philosophaster, aut medicaster: elige, quod velis.

6 Itaq; medici quoq; dupliciter conseruant, vno modo, (& eo quidem proprijssimo) per similia, cum scilicet corpus in eodem statu semper conseruatur: quæ quidem conseruatio, quemadmodùm in theoria est valde propria, sic in praxi ferè impossibilis. Altero autem modo, per contraria moderato vsu adhibita, & hęc minùs propriè conseruatio est, practicę verò valde familiaris, per quam exigui quidam lapsus, qui adhuc non accedunt ad constituendū statū neutrum, emendantur. Et quoniam sanitas magnam habet latitudinem (vt autor est Galenus) potest intra terminos huius latitudinis corpus sanum quidem dici, & diligente medici ope indigere, quę quoniam lapsū per contraria corrigit, dicitur refectio; quoniā corpus accipit adhuc intra limites sanitatis, dicitur conseruatio. Quonā igitur istorum modorum vis accipi conseruationem viuentis factam ab alimento? Vtroq; sanè: neq; est, cur aliter dicas; nam si respicimus ad substantiam viuentis, ea conseruatur suo simili; quippe alimentum, quod verè est alimentum, hoc est, in opere extremo alitionis, est simile corpori, quod nutritur, atq; ita vt conseruatio vera fit per similia, sic per similia vera nutritio. Si verò respiciamus ad exiguos substantiæ defectus, qui reficiuntur per repositiones exiguas alimenti, dicemus, conseruationem esse secundo modo sumptam, nimirùm per paulatinas quasdam reductiones. Atq; hęc est conseruatio, quę pręcipuè de alimento dici debet, hoc est, vt ferè insensilibus refectionibus conseruetur corpus, ne in magnam, aliquam ruinam dilabatur.

G. 1. Sanit. tuend.

7 Quid igitur reficit alimentum? substantiam deperditam: qualis nam est ista hæc substantia deperdita? calida, & humida: ergo reficit, & iuxtà tuam phrasin, conseruat humidum substantificum, & calorem naturalem; Calorē ne naturalē, vt qualitas est? minimè; nam alimento, (vt tu met fateris) non qualitatem reficit, sed substantiam. Reficitur igitur humidum, quia deminuitur, & refectione reduci debet ad pristinam quantitatem, & hęc est conseruatio. Sed à quonam deminuitur humidum? nempe à calore igneo absumente: reficitur etiam calidū, vt ita conseruetur, refectione, qua deminutio eius non multum procedat. A quo

nam

nam fit deminutio calidi? profectò non ab humido, nec ab alio quopiam, nam deminutio fit à fortiore agente, quàm sit patiens, nullum autem agens fortius est, quàm calor: ergo calor innatus deficit non ab alio, sed à se ipso, hoc est, ad defectum eius, à quo substentatur. Cum ergo duo sint calor, & humidum, & humidum deficiat propter actionem caloris, calor ob defectum alterius, calor ob humidi defectum defici dicendum est. At id, cuius defectu res deficit, eius refectione eadem reficitur. Vtrùm hæc sit conditio pabuli, seu alimenti, hic inquirendum proponitur.

CONTROVERSIAE Resolutio.

Articulus Secundus.

1 Controuersiam hanc appello, cum tamen sinè controuersia res sit, imò eius veritas ab omnibus, quos sciam, recepta: quippe communi consensu traditur, humidum esse pabulum caloris; neq; est, cur hic singulos referre queam, proceres tamen afferre censeo necessarium. Primam igitur aciem ducat Hippocrates, qui ait, *Qui crescunt plurimum habent calidi innati, plurimo propterà indigent alimento, alioquin corpus absumitur*. Sic ille. Cur ergo absumitur corpus, si ei non tribuatur alimentum; nempe quia calor ex defectu alimenti conuertitur ad corporis substantiam. Sed alimentum quam corpori materiam prestat? nempe humidam: & calor, quando istam materiam humidam non habet, ad quam materiam in corpore conuertitur? nempe ad humidam. Id probat aliquando Galenus sumpto argumento ab infirmis, qui per aluum, quod liquatur, excernunt: *Qui nisi priùs vel morbi violentia, vel medicorum inscitia moriantur, in marasmodes febres incidunt: siquidem quoad materiam vberem habent, hanc colliquant: vbi illis tum adeps, tum caro mollis defecit, duras, & ægrè liquabiles carnes siccant, à quibus propter siccitatem nihil defluit: &c.* Itaq; humidi, ex quo nostrum corpus constat, absumptio impeditur oblato humido per alimentum: ex quo constat, humidum à calore absumi. Dicet tamen aliquis, caloris quidem esse humidum absumere, sed non absumit illud veluti pabulum. At ego quęram, quid habere debet id, quod absumitur, vt dicatur pabulum? respondebit, ni fallor, pabulum esse, dum absumens sustentatur eo, quod absumit; ita est profectò; sed calor sustentatur humido; quod qui negat, auferat humidum à calore, extinguet illum.

Hip. 1. aph. 14

G. 10. meth. c. vlt.

2 Deinde idem Hippocrates, hyberno tempore calorem innatum plurimum esse, & ideò pluribus alimētis corpus indigere, ait: vbi Galenus hæc verba scripta reliquit: *Verùm nisi hic* (nempe calor) *abundans habeat, quo fruatur, alimentum, primus ipse à circunstante frigore superabitur, tam ab eo, qui extrinsecùs ingruit, quàm ab illo, qui per inspirationem attrahitur*. Sic Galenus. Quis autem dubitat, alimentum, quo calor frui debet, non esse aliud, quàm humidum?

Hip. 1. aph. 15

3 Preterea quando magnus Senex ait, *Igni quidem vbi ad extremitatem aquæ peruenerit, deficit alimentum; auertitur igitur eò, vnde nutriri potest. Aquę verò vbi ad extremitatē ignis peruenit, deficit motus*. Deinde inferiùs sic: *Habent autem inter se mutuò, ignis ab aqua humiditatem, (inest enim ab aqua humiditas) aqua verò ab igne siccitatem (inest enim in aqua ab igne siccitas)* Hęc omnia (vt doctissimè notat insignis vir Antonius Ponce Sancta Cruz) in solo viuente contingere, sunt intelligenda. *Nam in mundo maiori* (inquit ille) *quando inuenies aquam siccam in actu, aut ignem actu, actu humidum?* addam ego nec potentia? Igitur ex Hippocratico oraculo cum humidum in viuente deficit (hoc enim est ad extremitatem peruenire) deficit calori alimentum; & vlteriùs humido inest à calore siccitas, hoc est, absumptio: nam corpori humido siccitas aduenire dicitur, quoties ei humidior pars absumitur, igni, seu calori inest ab aqua, hoc est, à corpore humido, humiditas, quia calor naturalis, cum humidus sit, (vt superiùs cum Galeno diximus) tunc substentari dicitur, cum dicitur humidus fieri.

Hip de diæt.

Ponce Sancta Cruz.

4 Accedo ad Galenum, qui aliquando sic ait: *Cum indigeat, simulq; desideret naturalis animantium calor copiosam humiditatem, ideoq; in viscera conueniat, & ventrem, fit somnus*. Sic ille, qui non ob aliud calori desiderium humidi, imò & necessitatem tribuit,

G 3. de caus. pluf. c. 10.

tribuit, nisi ob propriam caloris conseruationem; Si igitur humido conseruatur, humido nutritur, nutrione, inquam, suo modo accepta, nempè pro refectione. In huius rei confirmationem ab eodem Galeno recipimus alibi hęc verba. *Itaq; in exhaustis, si calor interiùs vergat, nihil habens, quod conficiat, languescit, & interit: primus enim omnium, vt ignis lignorum materia, ita ipse alimento nutritur*. Nemini, credo, dubiam esse Galeni mentem ex præcitatis verbis, pręcipuè cum idem alibi solidorũ corporum siccitatibus, si perdurent, succedere, ait, necessariò frigiditatem: videlicet quia siccitas, hoc est, humidi defectus, calorem extinguit denegato pabulo; vnde per ętates (vt etiam alibi dicit) quibus decrescit animal, refrigerari, & exsiccari solidas corporis particulas contingit, quippe calidum absumens reddit corpus siccum, & siccitas extinguendo calorem reddit corpus frigidum. Si quis verò obijciat, siccitatis esse non refrigerare, sed calorem acuere, respondebo, qualitatem quidem per inedias acriorem reddi, substantiam verò minorem, quod Galenum non latuit siquidem ait: *Cum igitur magis terrestre efficitur animalis corpus (tale autem quotidie efficitur) dum auget, tunc licèt valde calidũ existat, & igneũ, substantiam tamen innati caloris paucissimam habet*: plura alia sunt apud Galenum loca, in quibus hanc insinuat doctrinam, sed prædicta pauca sufficiant.

G. 6. epid. sect. 5. cō. 32. G. 7. meth. c. 7. G. 6. de Sanit. tuend c. 2. G. 1. aph. 14

5 Aristoteles, *Alimento, inquit, deleto, vel extenuato caloris, euenit, vt calor etiam ipse deficiat: calor enim humore alitur, non tamen quolibet humore, sed leni, & copioso*. Alibi reddens causam, cur minor flamma comburitur à multa, id fieri, ait, *secundũ accidens: quippe alimentum, quod minor flamma multo tempore consumit, hoc multa cito*.

Arist. sect. 3. prob. 5 Ar. de lóg. & breuit. uit. c. 2

6 Apud Platonem etiam forsan hęc doctrina reperitur: neq; enim credibile est, Marsilium Ficinum, qui cum communi etiam consensu sentit, sententiam suam extra Platonis aream fundasse: vtcumq; tamen sit, satis mihi est, quòd meus Plato Ficinus ita sentiat: is enim cum immortalitatem animæ, nomine dignus immortali, demonstraret, Lucretio ita occurrit: *Quoniam verò Lucretius immortalitati, ob eam causam diffidit maximè, quòd imminente morte, vires animi deficere videantur, animaduertendum est, vitam corporis humoris, & caloris temperatione consistere: ideoq; mori corpus, quando vel calor resoluit humorem, vel calorem humor extinguit. Quoniam autem humor caloris pabulum est, calor vehiculum spiritus, spiritus est animæ ad corpus conciliator, fit, vt quando resoluitur humor in membris corporis paulatim, anima quoq; membra deserat paulatim: & quia tunc regendo corpore minùs, quàm soleat, occupatur, in mentem suam se colligit, cernit arcana, præsagitq; futura. Absit à nobis Lucretiana suspicio: animam scilicet cum corpore morituram, quæ debilitato corpore roboratur*. Sic Marsilius, cuius doctrinæ suauitate ego delinitus, plura quàm in pręsens oporteret, transcripsi.

Marſ. Ficin. lib. 9. de immortal anim. c. 5. pag. 217.

7 Porrò Auicenna etiam inter primores est numerandus: apud eum autem, *Caliditas in humiditate existit, & nutritur*. Fernelius inter magni nominis auctores, licèt ex recentiorum numero sit, non est pretereundus, qui de calore innato agens scribit hęc verba: *Cum autem huius beneficio & munere corpus alioqui frigidum, vniuersum quantum est, calescat, necesse est, ei vim inesse caloris valentissimam, quæ si pariter siccitate comitaretur, nos impendio adureret: at qui non vrit: eam igitur necesse est, humoris temperatione perfundi, viuentiumq; calorem, ac spiritum idoneo, conuenientiq; humido contineri, quod illius subiecta est, & indissolubilis materia, quemadmodùm in his corporibus, quæ apta sunt, vt inflammentur, flammæ sedes, & pabulum aereus quidam est humor*. Hactenus Fernelius, qui ad significandum humidum esse caloris materiam, & pabulum, vtitur exemplo lucernæ, quo priùs bis vsus fuit Aristoteles, & posteà alij complures. Tametsi autem Galenus aliquando non patiatur, ignis flammam calori animalium comparari, nihilominùs se ipsum statim declarat, inquiens, *Equidem verum est ob innatum calorem corpora tum senescere, tum tandem corrumpi, falsus tamen est modus, quem ipsi tradunt: neq; enim sicuti à flamma absumuntur ligna, ita quoq; à calore innato animantium corpora*. Hoc quidem à Galeno per quàm verè dictum est, nam exemplorum non vndequaq; inquirenda est veritas: sufficit igitur ad similitudinem inducendam, quòd tam flamma ignis, quàm calor innatus in subiectam materiam, tāquàm in pabulum agant, & hoc ad rem nostram facit, aliam verò dissimilitudinem, quòd scilicet flamma suam materiam absumat, nihil aliud circa eam pręstans, calor verò innatus materiam sibi attrahit, apponit, gubernat, assimilat, non impedit, quominùs calor naturalis non habeat suum pabulum, imò verò ex ipsius met verbis constat, eum non negasse calori naturali nutrimentũ: inquit enim: *Nam & nutrimentum ad se ipsum trahit, materiamq; gubernat, apponit, agglutinat, assimilat, &c.* Si ergo calor naturalis nutrimentum ad se ipsum trahit, planè constat habere nutrimentum,

Aui. 1. 1. doct. 3. c. 1. Fern. lib. 4. physiol c. 6. G. de marcor c. 4

tum, flamma uerò non omnino nutrimentum ad se ipsam trahit, quamuis reuera flamma non omnino trahendi vi careat, si quidem oleum per lychini substantiam facit ascendere; Verùm dissimili modo à calore naturali, quod Galenus ibi contendit probare.

Quid Satyrus Rechensis circa pabulum caloris temere effutiat.

Articulus Tertius.

1 Separatim quid Satyrus effutiat, libuit propalare, ne viris præstatissimis iniuriam facerem, si eorum limpidissimis fontibus hanc lutulentam aquam permiscerem. Proferto ergo, Satyre, aliquid è tuæ sapientiæ cloaca, & in scenam egredere onustus sarcina, qua lectoribus risum concilies. In primis placuit tibi aliquando non discedere à communi sententia, & calori pabulum clemens admisisti: e.g. quando ais: *Cum vita perduret, quousq; calor natiuus in corpore maneat, hic autem tamdiù corpori adsit, quamdiù radicali humido retineatur.* Nonne humidum radicale si calorem retinet, id facit præstando ei nutrimentum? Id significas paulò infra his verbis, *Quia copiosior humor diutiùs calorem in corpore detinet, vitæ conseruatori nocitiùs enim paucus, quàm multus humor absumitur.* Iam hic fateris, humidum absumi à calore, & iccirco calorem in corpore detineri. At hæc est pabuli, seu nutrimenti conditio, vt detineat in suo esse id, à quo ipsum absumitur. de his qui sine ali. lib 2. c. 154.

2 Alibi tamen magis expressè hanc sententiam es amplexatus sic: *Si ea quidem ratione soluatur causa ieiunij, quia calor, etiam si citra vitæ periculum, nimium tamen excedat vigorem humoris, tunc celeriter humorem depascitur, vnaq; morbum, vt puta febrem excitat, & alimenti necessitatem incutit.* Profectò si calor humorem depascitur, humor est pabulum caloris; Quid hic afferre potes in contrarium? num te loqui de actione præter naturam? imò eò magis in actione naturali hoc verum erit: neq; alia est differentia, nisi quòd præter naturam *celeriter* calor naturalis depascitur; naturalis verò tardiùs. Vellem etiam scire, cum pluries dicas, calorem sursum inhiantem ab humore detineri deorsum, quomodò ab humore detinetur. Profectò humor nec trahendi ad se, nec retinendi vires habet: si igitur calorem retinet, quia calor, vorax cum sit, humido adhæret, quod deuoret, iam humido pabuli rationem, volens, nolens attribuis. Sed quid plura? tu expressè fateris, humidum saltem per accidens pabulum esse caloris, his verbis: *Accidit enim humorem in viuente pabulum esse calori.* Est ergo, iuxta tuam inconstantem mentem, humidum pabulum caloris; siue autem per accidens, siue aliter, parum refert. de his qui sine ali. lib.3. c.79. de his qui sine ali. lib.2. c.65.

3 Prætereà aliquando voluisti, calorem non esse totam misti formam, sed solius ignis, quod nunc transire sinam, id duntaxat, quod præsenti argumento inseruit, attingam; quippe statuis, calorem destruere sibi subiectam materiam, aisq; *Videmus enim flammam depascere oleum, ligna, ceram, & omnia quæcumq; combustibilia, & hoc non alia ratione, quàm quia pars ignea in huiusmodi misto cæteris elementis præualens ea ipsa destruit, quia sibi contraria, & impedientia ascensum ad æthera: quod idem dicimus de calore insito, qui est vna ex partibus temperamenti, non autem vniuersum temperamentum, à quo, & nos vltro fatemur, substantiam corporis tueri, non dissipari.* Omitto, quòd tibi contradicis: nam alibi te admonui, quàm stultè confunderes calorem innatum cum temperamento; omitto solœcismum, quòd verbum *tueri* passiuum facias, cum sit deponens. Sed age, non ne hic ais, flammam depascere oleum? non ne idem te dicere profiteris de calore insito? Iam ergo calor insitus depascitur materiam sibi subiecta, hoc est, suum oleum, suumuè oleosum humidum; sed tu ais, calorem destruere humidum tamquàm hostem contrarium, à quo detinetur, ne ad æthera ascendat. Solue, precor, calorem ab his compedibus: sine, vt oleum prorsus absumatur, neq; aliud superingeras: iam non adest retinens: ascendat ergo calor ad æthera: profectò non magis, quàm tu. contra dictio solœcismus

4 In tuis etiam Bacchanalibus, quoniam ego dixeram in tractatu de asitia: *Naturalis* (scilicet virtus) *cum parum depascatur, pauco indiget cibo.* Tu sic arguis: *Non est virtus naturalis, quæ depascitur humidum; sed calor naturalis: non est virtus naturalis, quæ depascitur* Nem. pag. 88.

depascitur à calore, sed humidum substantificum. Hic adeò manifestè caloris pabulum humidum esse profiteris, vt impudens sis, si aliquando idem negaueris.

5 Cæterùm ita ex professo his, quæ hactenus ex tuo penu deprompsi, tu met contradicis, vt videaris ad contradicendum ita natus, vt non solùm alijs, sed tibi etiam gestias contradicere. Ais itaq; *Ego siquidem ostendi, tum calori non subesse humidum pro pabulo,* & cęt. Ita ne audes in vno, & eodem libello dicere, *Calor de pascitur humidum,* & rursus, *Calor non habet humidum pro pabulo?* Caue, ne deinceps tempore Bacchanalium scribas, sed vt video, toto anno Bacchanalia tibi sunt: nam te ostēdisse ais, calori non subesse humidum pro pabulo. Vbi nam hoc ostendisti? citas tuum chaos de his, qui sinè alimento libro secundo, capite octogesimo primo. Adire volui volumen istud, circunspexi omnia, reperio caput octogesimum, deinde octogesimum secundum, vbi nam est octogesimum primum? profectò nullibi: dithyrambotizas, mi Satyre, inter Nemesin, & Bacchum. contra dictio pag. 26

6 Reperi tamen, quod volebam, nempe hæc verba: *Deinceps autem, & illud suspectum est, quod accipitur, calorem sustineri alimento; nam re uera calor sustinetur humido radicali (si dandum sit, calorem sustineri humore, ceu pabulo) alimentum verò sustinet quoquo pacto labantem humorem auocando calorem ab illius consumptione.* Hactenus nolle te à veritate discedere videbaris, non potuisti tamen diù extra tuę naturę limites consistere, sed verę doctrinę, quā quasi precariò amplexus es, subitò terga vertisti, inquiens, sed propriè calor nullo humore sustinetur: licèt enim subditum sibi humidū tū primigeniū, tum alimentare calor depascatur, hoc vtrumq; tamen non absumit, quia ipso alatur, ac veluti pabulo foueatur, sed ambos humores corrumpit veluti sibi contrarios, qui suo lentore calori obstant, ne sursum ascendat, eumq; vi detinent in hac mundi regione infima, ad loca sublimiora inhiantē. Quotuplex contradictio, quot errores in his paucis verbis contineantur, iam sat est dictum, & vnusquisq; per se ipsum assequetur. Plura adhuc restant examinanda. de his qui sin. alim. lib. 2. c. 80

Quid Satyrus in Bonamicum.

Articulus Quartus.

1 INsignis philosophus Bonamicus, si quando aliter, certè in hoc exactissimè se gessit, qui dum iuxtà communem sententiam humidum caloris pabulum esse, ait, se non astrictè pabuli nomine vti profitetur. *Pabulum, qui est humor* (inquit ille) *calori, quoad est calor, est prorsus necessarium: est enim veluti forma, quæ materię sustentanda est, eaq; propter alieno corpore fundatur: sic humore consistit: licet nomen pabuli, siue alimenti, philosophi, mediciq; astrinxerint materiæ caloris, qui est in viuentibus.* Sic ille, quasi dicat, posse nomen pabuli latè sumptum extendi ad non viuentia, tametsi astrictè viuentibus duntaxat tribuatur. Et paulò infra, quid nomine pabuli propriè medici, & philosophi notare voluerint, sic explicat. *Propriè tamen philosophi, ac medici nomine pabuli notare voluerunt, quod extrinsecùs accipitur cum salute accipientis, & quo, præ copia fit auctio, prę inopia decrementum.* Sic excluduntur ab alimenti ratione multa, quę licèt reficiant, non habent tamen prædictas conditiones, de quibus ibi satis egit Bonamicus. Bonamicus de alimento lib. 3. c. 43.

2 Insurgis tamen contra eum magis prolixè, quàm oporteret, & tuam dictionem in duas diuidis partes, (placet semper tibi doctrina cornuta) prima pars est, si sumatur calor, vt qualitas est, nos de hac, breuitatis gratia, non agemus: volumus namq; Bonamicum, dum ageret de alimento, non accepisse id, quod alitur, prout est qualitas; Accipiamus ergo prout est substantia, quę est alterum tuū cornu: quid tunc affers? nempe calorem non esse formam, quę indigeat materiei, qua innitatur: quippe non est absolutè forma, sed compositū per se subsistens. Hoc ne affers contra Bonamicum, qui, calorem, non dixit, esse formam, sed veluti formam? Respondes adhuc, esse quidem veluti formam, quia, vt monuit Aristoteles, ignis, & aer ad alia elementa relatus, & in misto quolibet, & in vniuerso habere rationem formæ, hoc tamen non esse, quia elementa supera esse nequiuant sinè inferis, vt forma sinè materia: nam subtracta de mundo terra, & aqua, eodem Aristotele autore, aer quidem ad inferiorem locum descendet, non Ar. 2. de gener. & corr. tx. 50.

tamen

tamen ideò vel aer, vel ignis tamquàm forma destituta materiei cōsortio peribit, sed elementa supera icirco se habere ad infera, vt forma ad materiem, quia hęc ab illis continentur, conseruantur, illaq; his sunt nobiliora, ac perfectiora. Ita tu ais: sed memineris, non rectè dici formam sinè consortio materiei perire: totum compositum est, quod perit: nam si hęc propositio, *forma sinè consortio materei perit*, esset vniuersim vera, haberes tu id, quod falsò credere, videris, animā rationalem non existere separatam. Deinde te etiam admonet Bonamicus, se non loqui de elementis, nec de structura vniuersi, sed de calore innato, qui humidi substantifici est veluti forma, quoniam (vt Galenus ait) nullum datur tempus, quo innatus noster calor per vniuersam materiam ipsam non sit extensus. Deniq; calor vniuersam materiam istam ita perficit, & exornat, vt posse dici videatur, humidum per calorem in actu esse. Rursus humidum materiei vices suscipit, quippe absq; calore res quædam nuda, informis, nulliusq; est actiuitatis. Hęc igitur ne ad amussim accipias, te admonet illud *velut* à Bonamico appositū: qui enim velut formam dixit, noluit dicere exactam formam.

Satyri error

G. de marc. c.3.

3 Vlteriùs bonum Bonamicum sic mordes; *Calor hic idem humore non alitur; quia flamma non permanet, sed iugiter succedit, vetusq; interit, dum noua gignitur: quod enim alitur, idem numero permanet, quare flamma humor verè non est, vt pabulum conseruans veterem ignem, sed vt materia nouum constituens.* Sophisma hìc latet, sed facile solutu: nam ignem, aut flammam, aut calorem, quicquid tu accipis restaurandum, vel restaurare vis totum simul, vel successiuè per partes: si totum simul, regeneratio magis: quàm nutritio hęc restauratio dici potest, si verò per partes, tunc restauratio isthęc ad nutritionem reduci debet. Admirabilem, imò Angelicum autorē habet hęc doctrina, videlicet D. Thomam: forsitan Angelico doctori nō acquiesces: quis dubitat? nonne eo iure, quo dixisti, me Galenum odio habere, quia crassos damnat, è quorum numero sum ego, dicam tibi te Sanctis esse infestum, quia Sancti sunt? Audi igitur bestia, verba aurea. *Sicut quando aliqua materia per se conuertitur in ignem, tota dicitur denuò generari, quando verò aliqua materia conuertitur in ignem, & vnitur praeexistenti, dicitur nutriri. Vnde si tota materia simul amittat formā ignis, & alia materia conuertatur in ignē, erit alius ignis numero. Si verò paulatim combusto vno ligno alius substituatur, & sic deinceps, quousq; omnia prima consumantur, semper remanet idē ignis numero: quia semper quod additur, trahit in praeexistentem: similiter est dicendum in corporibus viuentibus in quibus ex nutrimento restauratur id, quod per calorem naturalem consumitur.* Sic ille. Scito pręterea, D. Thomam in philosophicis auscultationibus quoad potuit sempre sequutum fuisse communem magistrum Aristotelem: quare præsentem sententiam ab Aristotele accepit, apud quem reperies ita scriptum: *Nam ignem, ad hunc ferè modum contingit, videlicet iniectis in eum, qui iam est, lignis, verùm ita quidem accretio est. At cum ligna ipsa incenduntur, generatio*

D. T. 1 p. q. 119 art. 1. ad 5. & 2. dist. 30. q. 2. art. 1. ad 4

Ar. 1. de gen. & cor. tex 39

4 Itaq; ignis, aut quidlibet aliud, quod siuè propriè, siuè impropriè nutritur, aut augetur, remanet quidē idem, quod erat priùs, nēpe secundū partes formales, non secūdùm materiales, vt ab eodē Aristotele recipiunt omnes, quāuis non omnes, quæ nam sint istę partes formales eodem modo intelligant. Veruntamen ne varias interpretationes percurramus, præstat faciliorem sequi: quare formales partes cum Auerroo dicimus esse easdem cum materialibus, ita tamen vt formales dicantur, prout constant forma: materiales, prout cōstant materia existente sub actu formę: hæ nō semper perseuerant, quoniā materia perpetuò resoluitur, forma autē eadē manet. Quare in non viuentibus, & in ijs viuētibus, quæ imperfecta sunt, nēpe in insectilibus, potest forma extēdi ad nouā materiā: in viuentibus autē perfectis non extenditur forma per suas partes, si quidem tota est in toto, & tota in qualibet parte. Sicut ergo, si membrum abscindatur, non contrahitur forma, sed absq; suo dispendio desinit informare partem, quę abscisa fuit, sic etiam, cum noua materia vnitur, absq; dilatatione informat illam: nempe quia materia vnita recipit statim totam formam, non partem eius. Nec verò hinc colligitur, priùs esse vniri materiam, quàm introduci formam: nam tametsi sit priùs natura, non est priùs tempore. Colligitur solùm ex dictis, generationem fieri in toto subiecto non ante existente, nutritionem fieri in parte subiecti iam priùs existentis.

Ar. 1. de gen. & cor. tex. 36.

5 Ceterùm si humidum non est ignis pabulum, quid præstat in corpore? Respondet Satyrus. *Calor hic, quem diximus esse calidam substantiam, alieno corpore non fundatur, & præsertim non humore: quia calori tum substantia completa inest, qua per se subsistere valet.* Siste, precor. Quid appellas alieno corpore non fundari? num tamquā

accidens? at hoc tibi libens cōcedit Bonamicus: neq; enim philosophus eximius vnquam diceret, substantiam ad substantiam se habere, sicut accidens ad subiectum. Num appellas non fundari alieno corpore, hoc est tanquàm formā in materia? non quidem, nam forma est quid incompletum. Ais tu, respondere posse, non fundari sicut verā formā, sed per modum formę; iam enim dictum manet, calorem non esse formam, sed veluti formam, veruntamen nolo hic adherere. Appellas ne non fundari, hoc est, tamquàm quod conseruatur in suo conseruante? at sic deciperis: nam alimento conseruatur id, quod alitur, & fundamentum eius, quod alitur, consistit in alimento: sin minùs, abstrahe alimentum, tota machina corporis, quod alitur, corruet. Quis te docuit, non posse vnum corpus in alio fundari, tamquàm in eo, à quo conseruatur? Sed tu dicis, caloris substantiā per se sustineri posse. Hoc vellem experimento comprobares.

Satyri deceptio.

6 Perge igitur. Adiungis, *Tum impetus est naturalis ad supera, quem humor violentia trahere, tractumq; detinere conatur deorsum, vt propterea non secus ignis humore, atq; alieno corpore hic apud nos fundari dicatur, ac si quis dixerit facinorosos in carcere compedibus inniti, quibus impediuntur, prohibenturq; fuga, & vi detinentur sub potestate iudicis*: Quamuis sępe prolixitate fastidium parias, nihilominùs condonandum tibi est, qui ridicula semper in tuis dictis permiscens, tędium soles consolari. Hęc tua cōparatio quē non ad risum concitabit? Habemus itaq; facinorosum calorem innatum; lictorem humidum substantificum, iudicem autem nullum alium agnosco pręter te, qui calorem in carcerem detrudi iubes, ibiq; compedibus *inniti*, parùm proprio verbo vsus. Quęrerem aliquem aduocatum, qui misero calori patrocinaretur: verùm cum tu dicas, eum violentiam pati, nihilq; violentum sit perpetuum, expecto tuas ferias altricis animę, tunc enim sinè dubio liberabitur calor à compedibus: nescio tamen, an ad supera euolabit. Nō te pudet officio philosophi professoris in almo Patauino Studio fungentem, has nęnias scriptis mandare, quas parasitus quidem pretio emeret, vt in scena spectatores in cachinnationes cogere vel inuitos posset? Num parasitus à te accepit, an tu ab illo, qui dixit, frustra inuentas fuisse compedes, cum mensa referta dapibus sufficiat, homines, ne aufugiant, retinere?

7 Verùm ne gratis dixisse videaris flammam igne non nutriri, hanc tuam dictionem dorso Aristotelis imponis: sed videamus, an ille hanc sarcinam ferre velit; inquis igitur; *Calor hic humore non alitur: quia flamma non permanet, sed iugiter succedit, vetusq; interit, dum noua gignitur: quod enim alitur, idem numero permanet: quare flammę humor verè non est, vt pabulum conseruans veterem ignem, sed vt materia nouum constituens: quod apertissimè nos docet Aristoteles &c.* Verba Aristotelis inferiùs referam, quando te in certamen cum illo vocabo: sufficiat nunc, te remittere ad pręcedentia; satis namq; dictum est, & D. Thomę autoritate comprobatum, aliud esse ignem totum accendere, tunc enim accensus, cum extincto priùs, non est idem numero: aliud ignem per partes refici: tunc enim ignis est successione vnus, sicut & fluuius: nam idem numero Tyber est hodie, qui fuit tempore Romanorū.

Albula Romani restat nunc nominis index,
Et qui nunc rapidis in mare fertur aquis.
Disce hinc quid possit fortuna: immota labascunt,
Et quę perpetuò sunt agitata, manent.

Coherere non posse ais, eundem humorem eidem calori esse tum materiam, qua ceu forma sustineatur, tum etiam pabulum, quo nutriatur. Tu semper formam dicis, Bonamicus velut formam: qui potestis cohęrere? considera vnam, & eandem rem diuersis temporibus, & tibi representabitur, nunc vt causa efficiens, nunc vt formalis. Ignis, dum se introducit in materiam, generat in illa sibi simile, & habet se, vt mouens ad mobile, ac omnino vt generans, & efficiens ad materiā, ex qua aliquid progignere debeat. Cęterū postquā materia ignita est, & ignis illam pro nutrimento habet, & veluti forma illius est. Quamuis autem hoc tibi videatur impossibile, quippe forma à generante est, & causa interna, cùm generans sit extra naturam geniti, in animalium quidē generatione, in qua generans manet extra, habes intentum: verùm in ijs rebus, in quibus generans manet simul cum genito, ex efficiente fit forma, & quod erat extrinsecum, fit intrinsecum. Non ne alimentum erat priùs extrinsecum alito, posteà fit intrinsecum? Et hoc si tibi in alijs rebus concederem ita esse, vt tu vis, at saltem in calore innato debes necessariò concedere, illum versùs suam materiam se habere veluti formam: siquidem

quidem *calor suam materiam perficit*, vt Galenus ait: perficere autem materiam, proprium est formę attributum. G. de marcor c. 3.

8 Neq; tamen adhuc desinis ineptire, sed distrinctionem facis tuo Marte, aut tuo Baccho compositam: videlicet, *Flammam combustibili adiunctā bifariam posse considerari, nempe in specie, atq; in numero, seu mauis secundùm totum, & secundùm partes.* Proh Satyrum ridiculosum! idem ne est in specie, ac secundum totum? idem ne in numero, ac secundùm partes? hoc ne tuos pueros doces? Sed sequamur tuam istā nouam phrasim: *si spectes* (inquis tu) *flammam in specie, ac secundùm totum, ea quidem, combustibili addicta non extinguitur ab ambiente, sed conseruatur iugiter ab humore.* Ego verò dico, si flammam in specie acciperes, prout species accipi solet à philosophis, flammæ species non magis extinguitur, quàm species equina moritur; si speciem accipi velis tuo modo, hoc est, secundùm se totam, flamma nunquàm datur à combustibili separata, & sic in tua argumentatione falsum quidpiam supposuisti. Et tamen putasti, te argumentum è natura rei deprompsisse. Ais, flammam à combustibili seiunctam ab aere interimi: diceres melius, flammam à combustibili seiungi idem esse, ac extringui: vbi nam dabis flammas à combustibili seiunctas? forsitan afferes coruscationes, & fulmina, & reliqua meteora ignita? nūquàm forsan vidisti apud Aristotelē, hæc fieri ex accensis exhalationibus siccis? at exhalationes istas combustibilia quędā sunt, vnde fulmina sulphuris odorē nōnunquàm exhalant, imò & aliquādo ea lapis comitatur: neq; est negandum, posse exhalationes intra nubem concrescere in lapidem, qui vnà cum fulmine tamquàm bombardæ globus trudatur, quemadmodùm & aliquando exhalationes in metalla addensantur, vt aduertunt Magnus Albertus, & Georgius Agricula. Meritò igitur ego in tractatu de Asitia dixi, nonne exhalationes intra nubem in lapidem coeunt, & indurantur, qui vna cum fulmine tamquàm bombardę globus truditur? Tu verò hanc opinionem, dicis, adeò ridiculam veteres censuisse, vt nemo illorum eam somniauerit; ridiculum igitur putas esse id, quod nequidem somniatur? Te igitur antipodes ridiculum cēsent, qui te numquàm somniarunt, censent, & nostrates, qui te viderunt, aut scripta tua legerunt: ergo te ridiculum esse norunt, & Tagus, & Ganges, & simul antipodes At quoniam hoc non dixerunt Plinius, Plutarchus, & Seneca, non debet ab alijs dici, & quicquid apud hos tres non reperitur, ridiculum esse putas? Ego tibi do cum Alberto Magno, & Georgio Agricula, Conimbricenses, qui hos citant, & amplectuntur. Do tibi pręter alios insignem nostra hac ętate Ioannem Cottunium in suo eruditissimo opere recens edito. Virum hunc præstantissimum, habes in Studio Patauino, in quo tu indignè, & quasi per contemptum toleraris. Ideirco illustrissimis Gymnasij moderatoribus visum fuit, vt ad philosophicę scholę pulchritudinem, quam tua turpitudo deformabat, hìc eximius professor, magno honorario proposito tibi merito prępositus, antecessoris munere fungeretur. Hunc igitur Patauij habes, adito, addiscito, & sicut (quæ eius est humanitas, & eruditio) in alijs multis, sic in re ista, in qua te ignarum esse video, te docebit: interim eius verba transcribam, vt pudeat te non somniasse id, quod apud alios frequentissimum est. *Rixantur hic quàmmulti, num fulmina vehunt secum lapidem aliquem, quo petunt, atq; descindunt ædificia, turres, templa, proceras arbores, & (vt ille ait) feriuntq; summos fulmina montes. Nos huiusmodi lapidem non semel vidimus; cuneum vocant, tamen fulmini per accidens coniungitur: neq; enim essentia fulminis in lapide illo sita est, sed, vt dixi, est exhalatio subtilis ignea, & ideireo Aristoteles non fuit anxius huiuscemodi lapidem hic explicare.* Sic doctissimus Cottunius, qui rixari ait, quàm multos, vt iam hinc ab eo addiscas, non esse rem à nemine ne per somnium quidem cogitatam; Dicit lapidem non esse de essentia fulminis, quod mihi non contradicit: siquidem lapidē dixi fieri, sed non semper fieri, dixi.

Satyri error.

Satyri error in logica.

Alb. Mag. lib. 3. tract. 3. c. 23.

pag. 15

Georg. Agric. lib. 4. de subterran. ort.

Ioann. Cottoni de meteor lib. 1. lect. 23

9 Sed ad susceptum iter reuertor. Ais, flammā nō dici ab humore ali: tres huius rei rationes affers: vna est, quia humor non conuertitur in totā illius flammæ speciē, sed in illius speciei determinatas particulas, nimirū in flāmæ partes exorientes. Hæc prima ratio nihil tibi fauet: nā nec etiā alimentū, quod animal accipit, conuertitur in totam speciem, sed indeterminatas quasdam particulas. Iam tibi superiùs satis explicaui, quomodò alitio fiat per minima quędam corpuscula sese per meatus insinuantia; Conuertitur ergo alimentum in corpore nostro in particulas quasdam exorientes (sic tecum libet appellare) quorsum ergo excludis humidum à ratione alimenti, inquiens, non posse esse alimentum, quia conuerti tur

in partes exorientes. Altera ratio est, *Quia humor commutatur in flammæ partem exorientem, non autem in genitum, sed nutricatio est conuersio alimenti in substantiam præexistentem: nutritur enim, quod iam est, gignitur autem, quod non dum est.* Ex vera doctrina falsam hauris. Nutritur quidem, quod iam est, sed nutritur additis partibus denuò ad partes præexistententes: gignitur, quod non est, quia generatio nihil supponit præexistens: hinc rectè communiter recentiores nutritionem aggenerationis nomine significant: quippe vt generatur substantia nulli cohærens, sic nutritur substantia cohærens præexistenti, neq; alia (vt sępe iam dixi) inter nutritionem, & generationem differentia est, nisi quòd generatio subiectum sibi facit, aggeneratio, seu nutritio subiectum supponit, cui per adhæsum se insinuat; nulla ergo hinc elicitur diuersitas inter flammę nutritionem minùs propriam, & propriam animalium. Tertia ratio est, quia nutritio respicit conseruationem indiuidui, generatio speciei. Videris mihi, speciei vocabulo velle vti ad libitum, sed neq; sic quicquam concludis: nam & nutritio respicit indiuidui cōseruationem; & generatio respicit proximè indiuidui productionem, secundariò speciei conseruationem. Sed quando sit, vti tu vis, quid inde? generatio differt à nutritione: differat: num quid iccirco quando flamma iam existens conseruatur paulatina materię suggestione, non dicetur nutriri? At extra chorum saltas, mi Satyre. Tu probas, generationem esse aliud à nutritione; deberes probare, flammam, cum tota accenditur, & dicitur gigni, non differre à se ipsa, postquam iam accensa conseruatur, & tunc (verè quicquid in contrarium garrias) dicitur nutriri: quippe nutriri est, per partes id, quod iam existit, refici, ne prorsus deperdatur. Cęterùm quoniam nihil aliud affers, cui priùs non sit satisfactũ, Aristotelis tamen autoritate in hanc pugnam te descendere simulas, nec hoc quidem omittendum.

Satyri error in logica.

Satyri error.

Quid Satyro cum Aristotele.

Articulus Quintus.

1 QVasi vertigine laborans Satyrus nunquàm magis ab Aristotele recedit, quàm cum ad Aristotelē vult accedere. Hoc in pręsente fiet palàm. Diuidit flammam combustibili adiunctam in eam, quę est secundùm speciem, & in eam, quę secundùm numeros; circa ea, quæ est secundùm speciem, multa inaniter loquitur, quę supra retulimus, concludens, nutrimentum per se respicere cōseruationem indiuidui, non autem speciei; hæc enim sola generatione conseruatur: tunc addit: *Quę omnia patent ex Aristotele vnicuiq;* citatq; Aristotelis locum. Sed heus tu Satyre, citare etiam Aristotelis verba oporteret: nulla ibi reperiuntur, quę ad pręsentem rem faciant: ea apponam: mirabitur vnusquisq; tuam subdolā naturam. *Est autem* (inquit Aristoteles) *esse aliud alimento, & augmentatiuo; secundùm enim quod quantum quoddam est, augmentatiuum est: secundùm autem quod hoc aliquid, & substantia alimentum.* His ne verbis Aristoteles diuidit flammam in eam, quę est secundùm substantiam, seu secundùm se totam, & in aliam, quę est secundùm numerum, idest secundũ partes? profectò hæc tua diuisio satyrica est, non Aristotelica. Pergit Philosophus, *Conseruat enim substantiam, & eousq; est, quousq; alitur: & generationi quoq; factiuum est; non eius, quod alitur, sed talis quale id, quod alitur: generat autem nihil ipsum se ipsum, sed conseruat.* Hic autem quid aliud vult, quàm alimento substantiam conseruari, non gigni? quia scilicet alitione res, quę præerat, eadem remanet, generatione fit alia. At non magis hæc dicta tuis dictis consonant, quàm feli crocoton. Verùm dum fucum lectoribus, *plena iam margine libri* (vt ait Satyricus) vis facere, fur Argiuus euadis (quod Suidas, de manifestè improbis dici solitum, testatur) qui doctrinam tuam pro Aristotelica venditas. Da mihi, vbi Aristoteles istam tuam diuisionem in flammam secundùm speciem, & secundùm numerum scriptam reliquit: da mihi, vbi reliqua, quę tu circa hanc diuisionem scribis, ille docuit. Si offeres, emendum pluris etiam, quam orationem Isocratis, quam ille viginti talentis fertur vendidisse. Tibi tamen proponere paucò emendas sententias ex eodem Aristotele depromptas, quę verę doctrinæ te conciliabunt, vt non ampliùs renuas dicere, ignem nutriri. In primis in eodem libro, quem tu citasti, paulò tamen superiùs ita habet: *Videntur autem neq; ita eodem modo ad inuicem esse alimentum, sed aqua quidem igni alimentum est, ignis autem non* alit

Ar. 2. de anima tex. 47.

Satyri falsitas

Adagium.

Suidas

Plin. lib. 7. c. 30.

Ar. 2. de anima tex. 42.

dit aquam; in simplicibus igitur corporibus hæc esse videntur maximè aliud quidem alimentum, aliud verò, quod alitur. Iam igitur si in igne calorem agnoscis, si in aqua humiditatem, cogeris dicere, iuxtà Aristotelis sententiam, calorem ali humido: habes etiã, in simplicibus corporibus nutritionis nomine vti, nõ esse abusum. Quamuis autẽ ipsemet inferiùs dicat, *Nihil alitur non participans vita*, non sibi cõtradicit; iam enim à nobis dictum est, nutritionem strictè sumptam esse dumtaxat viuentium, latè sumptam multa non viuentia etiam comprehendere, quod etiam apud magnum Hippocratem est vsitatissimum. tex.46.

2 Est præterea alius locus, vbi Aristoteles sic habet. *Quoniam autem est nutrimentum quidem materiæ, quod autem nutritur comprehensum cum materia forma, & species, rationabile iam solum simplicium corporum nutriri ignem omnium ex se inuicem generatorum; quemadmodùm & priores dicunt: solus enim est, & maximè ipsius formæ ignis: quia natus est ferri ad terminum, &c.* Addiscito hinc tria, quę priùs tibi impossibilia videbantur: primum, id, quod nutritur, dici posse formam: secundum, ignem dici nutriri: tertiũ, eundem ignem dici formam. Nutriri igitur ignem, non est vulgaris opinio, nec erronea, sed à prioribus, vt ait Aristoteles (hoc est) ab antiquioribus, ob multas verisimilitudines, quas eius nutritio cum vera nutritione habet, recepta: quippe ignis suffecta materia spontè excrescit: semper ei aliquid accedit, & recedit, deuorat materiam, fumum exhalat veluti coctionis excrementum, estq; tamquàm animal quoddam, quod ex se moueri videtur, & denique inter reliqua elementa maximè formalis est; alimentum namq; esse veluti materiam, & id, quod alitur, veluti formam, iam satis, superq; constat. Itaq; tametsi non viuentium non propriè, sed impropriè nutritio dicatur, nulla tamen propriè nutritioni magis accedit, quàm ignis, quicquid tu inscienter magistro communi recalcitres. Ar. 2. de gener. & corrup tex.50.

3 Alibi etiam idem Aristoteles in sua doctrina, sibi vbiq; conformis, ait: *Quapropter & minor flamma comburitur à multa secundùm accidens; quòd alimentum, quod illa in multo tempore consumit fumum, hoc multa flamma cito.* Hæc verba reperisti, eaq; non leuem continere difficultatem es fassus, nihilominus ab incepto deterreri non vis: Mirarer si, vel Aristoteles ipse, vel alius, si quis foret Aristotele doctior, te deterreret, te, inquam, conchilij in morem tuis ineptijs adhærentem, quas ne deseras, subterfugia habes plura, quàm mus; neq; verò captus erubescis. Cur igitur non te deterret Magistri autoritas? nempe quia *propositio*, ais tu, *vera est, vt in pluribus, ac secundùm vulgi famam, non absolutè, ac ex rei natura.* Si vera est vt in pluribus, hoc sufficit, vt possibile sit, ignem humido nutriri; sed tu addis, non esse ex rei natura, verùm ex vulgi fama. Apage, magnus vir habendus es: tales ne Recho philosophos procreat, qui Aristotelicum placitum inter vulgaria reponunt? Ar. de long. & breuit.vit. c. 2. & c. 3.

De his qui sine aliment. lib. 2. c. 177.

Adagium.

4 Nihilominùs dupliciter horum verborum autoritatem vis obscurare. In primis propter librum, in quo ea exarauit Aristoteles, quippe est *in paruis naturalibus inscriptis, quæ opuscula multis referta sunt exotericis, vulgaribusq; placitis, inter quæ iuuat connumerare propositum.* Cur ergo dixisti priùs, hoc, quod ex Aristotele affertur, non leuem continere difficultatem? imò nullam: quid enim facilius, quàm exploso libro explodere quicquid in illo cõtinetur? Rectè ego dixi priùs, te nõ erubescere, si quando capiaris. Libros de paruis naturalibus legislatorum more reijcis: vbi nam contra ipsos lata fuit sententia? in Recho ne? ita debet esse: nam per Florẽtissimas Academias, per doctissimorum hominum bibliothecas, eos semper vidi pari passu cum alijs Philosophi operibus procedere. Maneat igitur isthæc tua sententia indecisa, donec proferas virum aliquem famigeratum, à quo ita sentire didicisti. Secundo loco falsitatem prędictorum verborum colligis ex probatione, qua vtitur Aristoteles sumpta ab exemplo multę flammę, quę paucam corrumpit, *vt vulgaris est, atq; famosa, ita veritati, & Aristoteli exquisitiùs philosophanti refragatur*. Nec aliter dicere oportebat: quippe doctrina vulgaris vulgari probatione niti debet; sed cur non solùm vulgaris est isthæc probatio, sed etiam famosa? num famosam accipis in bonam partem? at sic nihil probationi huic detrahis: num in malam? at infamem diceres probationem, si tua foret: dum autem famigeratissimi viri nomine perhibetur, & Aristotelica censetur, te, qui eam infamẽ censes in hac censura infamem facit.

5 Sed dicis refragari veritati, & Aristoteli; vtrumq; seorsim libet examinare. In primis veritati dicis esse contrariam propositionem istam, & statim offers modũ, quo veritati sit conformis: nẽpe *si contingat humidum calori cedere, verè id affertur.* Iam ergo propositio, quam absolutè falsam esse pronunciasti, vt plurimùm vera est: Satyri contra dictio.

quippe

quippe vt plurimùm, hoc est frequentissimè, contingit calori humidum cedere; superare humidum est rarum, & non nisi suppositis magnis erroribus in victu: æquale esse vtrumque, rarissimum, imò impossibile, maximè si debeat per aliquod tempus durare; hoc iam supra satis remanet probatum.

6 Quod spectat ad exemplum flammæ maioris consumentis minorem, euentum recipis, causam verò non: neque enim hoc accidere ais (*vt vulgo dici consueuit*) *quia maior ignis absumat minorem, quo minor sustinetur, & alitur*. Vulgaria tibi videntur omnia; quomodò effugies vulgares homines? nimirum Satyrus es, recipe te ad syluas, aut natalem domum. Sed videamus, quomodò vulgarem istam rationem impugnes. Falsam itaque esse probas: *Nam si, vbi minor flamma in maiore extincta fuerit, statim lucerna, vel candela extrahatur, in ea conspiciemus tantum adhuc liquoris, humorisq; superesse, quantum satis esset ad continendum, etiam per notabile spatium temporis extinctam flammulam*. Sine, me paulisper ridere: siquidem semper aliquid ridiculum affers. Inquis ergo, superesse tantum liquoris, quantum satis esset ad nutriendum per notabile tempus extinctam flammam. Memineris, cum ego dixerim, manere assumptos tres alimenti quaternarios, loquutionem istam te improbasse, quia scilicet assumpta non remanere, sed abijsse dicenda sunt? Vide nunc quàm benè tibi vices rependam. Liquor ne remanet ad nutriendam extinctam flammam? at ego flammam extinctam non magis nutrimento egere putabam, quàm animal vita functum. Sed grammaticam Rechensem sequeris, non Priscianicam; sic dicis, minorem flammam extinctam in maiore, & accendi flammam in liquore, quæ omnia barbariem saperent, nisi in te cuncta sic saperent. Ad seria. Videris mihi non reperire in flamma aliud nutrimentum præterquàm oleũ, aut quoduis aliud combustibile; scito tamen, fumum, qui materiei crassę & humidę accensæ, quasi excrementum quoddam est, esse flammę nutrimentum. Hoc forsan intelligeres, si Aristotelem attentè legisses. *Alimentum*, inquit, *quod illa* (nempe flamma) *in multo tempore consumit fumum*: quasi dicat alimentum, hoc est, fumum, quod illa multo tempore consumit. Non est meum inuentum: Vide translationem Vatabli, reperies ita. *Quamobrem minor flamma à maiore, per accidens, deuritur, quod pabulum (fumum scilicet) quod illa non nisi longo tempore absumere potest, hæc ocyùs absumat.*

Ridiculum.  Pag. 36.

Scalig. exerc. 8.

7 Non excitabo hic controuersiam ab alijs iam ventilatam, num flamma, & pruna sint diuersę species. Sufficit, quòd Aristoteles suum exemplum in flamma posuit. Nutritur ne flamma? Scaliger ait, non ali, sed aliam, atq; aliam fieri, & argumentatur aduersus Cardanum in hunc modum. *Cętera, quæ pabulo aluntur, vt animantes, sunt aliquid sinè pabulo: tuus ignis sinè pabulo nihil est; si quid est sinè pabulo, cur indiget pabulo? non enim ab alio consumitur, ergo consumeretur à se ipso, quod est ridiculum.* Scaligero respondeo, illum in hoc defecisse, quòd contra Cardanum argumentari existimans, argumentatur contra Aristotelem, qui tum in loco, quem pręmanibus habemus, tum in problematum opere flammam suo liquore ali, dixit; At Aristoteles non erat autor contemnendus, vt eum non dignaretur nominatim exprimere; iam ergo patet, ob ignorantiam hoc factum. Deinde cum dicat, *Ignis sinè pabulo nihil est*, mihi occasionem pręstat interrogandi ipsum; Corpus viuens sinè pabulo quid est? respondebit, ni fallor, esse cadauer: siquidem tandiù viuimus, quandiù nutrimur: ita ne? at id, quod in viuente est mors, id in igne est extinctio: iccirco Aristoteles mortem per extinctionem definiuit: quicquid garriat Satyrus; ergo, vt per interitum viuentis ex defectu pabuli remanet cadauer, nempe corpus quoddam sinè vitali decore, sinè motu, sinè alijs viuentium dotibus, ita ex defectu pabuli ignis cadauer quoddam remanet: nempe ex materia crassa carbo; cinis, ex flamma fuligines: cadauera ignis sunt sinè splẽdore, sinè motu, sinè calore; & sic Scaligeri subtilitati acumen obtunditur.

Ar. 1. meteor c. 4. Ar. 4. meteor c. 9. D. Th. in 4. dist. 44. q. 3. art 2. 1. p. q. 67. art. 2. ad 2. & in 2. dist. 3. q. 1. art.

8 Flamma igitur ab Aristotele nunc *spiritus sicci feruor* appellatur, nunc *spiritus, aut fumus vstus*. Si igitur vnumquodq; nutritur ex ijs, ex quibus constat, facilè cõstare videtur, quod nam sit flammæ nutrimentum. Hoc egregiè declarauit D. Thomas considerans ignem, vel in sphera sua, seu in propria materia; vel in materia aliena: & in hac vel terrestri, & dicitur carbo, vel aerea, & dicitur flamma.

9 Porrò Satyrus Aristotelicam doctrinam pertæsus, inauditam è sinu sapientię suę depromit: audiat vnusquisq;. *Re vera*, inquit, *dicendum est, magnum ignem ad se rapere, attrahereq; paruum ob familiaritatem naturę, ipsumq; ab humido diuellere, quo prius cõtinebatur: quippe non tanta est vis humoris ad exiguum ignem retinendum, quanta vis inest igni maiori ad illum ad se trahendum, ac rapiendum*. Siste hic: maior ne ignis familiaritatis

ergo

ergo minorem ad se trahit, & ab humido diuellit, à quo priùs continebatur, & ita minor perit? At hęc tibi eueniat familiaritas ab amicis tuis. Familiaritas ô Satyre, facit, vt quæ familiaria sunt se inuicem conseruent, non vt vnum ab altero interimatur, nisi inter latrones. Deinceps, cur si ignis maior ob familiaritatem trahit ignem minorem, non trahit illum cum suo humido, à quo continebatur? hęc esset optima familiaritas iuxtà naturæ ordinem suauiter omnia disponentis. Satyri error.

10 Adiungis. *Nihil est enim rapacius, quàm natura, & inter naturas, quàm natura ignis.* Hoc ita est: sed rapacitas ignis non est versùs alium ignem, sed versùs materiam, quam rapit, vorat, absumit. Pergis aiens, *Et eò magis, quò pusillus ignis naturæ impulsæ ad maiorem collimat;* phrasis isthęc satyrica est. Collimat ignis paruus ad magnum, quasi limis oculis magnum intueatur. Sed omitto grammaticam. Dic mihi philosophaster, impellitur nè aliquid à propria natura ad suum interitum? profectò natura, quæ sic collimando paruũ ignem ad magnum impelleret, lurcas nouerca appellaretur. Concludis tandem sapienter in hunc modum. *Siquidem velut dissimilia, siue contraria omni conatu sese mutuò fugant, ita vicissim consimilia vniuersa; naturali quodam instinctu, vbi valentiora sint, ad se alliciunt, rapiuntq; minora, vbi verò debiliora sponté contendunt ad potentiora.* Dicis valentiora ad se allicere minora: pro minoribus debiliora deberes dicere, & hoc quidem verum est, sed quod debiliora spontè contendant ad potentiora, hoc nunquam probabis. * *

11 *Certo experimento* comprobari, ais, in æstate à magno calore ambientis *pusillum calorem tum animalium, tum etiam terræ aduentitium à centro ad circumferentiam rapi, non consumpta interna humiditate:* Respondeo in primis, ad calorem animalium, si loqueris de substantia calidi innati, hęc quidem hyeme ad interna recurrit, æstate verò non trahitur ad externa, sed tam exteriùs, quam interiùs, ob spirituum à calore dissipationem, dissipatur. Si agis de qualitate, hęc æstate adeò regnat interiùs, vt tunc maximè febres ardentes grassentur, conuerso scilicet, ob adustionem, sanguine in bilem. Venio ad terræ calorem; Philosophiam doces, & antiperisthesin ignoras, propter quam putei, qui in profundo terræ scaturiunt, æstate frigidissimi sunt, sic & cisternarum aer, & omnium cauitatum subterranearum: quia nempe vt calido exteriùs occurrenti resistat internum frigus, corroboratur. Verùm cedamus certo experimento: quod nam est tuum istud certum experimentum? nempe grandiorum fluuiorum, & fontium, quorum è terrę visceribus origo est, vbertas maior æstate, quàm hyeme. Apage cum tuo isto certo experimento: putabã, te tui immemorem aliquid verum nobis dicturum, sed tu tui compos in re aperta mentiris; Profectò nihil magis est notum, quàm fluuiorum, & fontium ęstate defectus, quem deinceps cum viderit, quicumq; te nouerit, hoc tuum manifestum experimentum damnabit. Sat meliùs Horatius fugiente hyeme decrescentia appellat flumina. Satyri ignorãtia. Mentitur. Horat. 4. carm. od. 7.

12 Trahi igitur paruum ignem à magno, ex Aristotele multis in locis tibi occasionem prębente, vis trahere: cęterùm vide, quid pollicieare: nam, vt inquit Suidas, *Amendace, quid verè dicetur?* Affers in primis, vbi causam assignat. *Cur ascendente iugiter de terra sursum exhalatione ignea, non multi, neq; sæpe numero cometæ fiant; decernit,* inquis tu, *hoc inde contingere, quia maxima exhalatio ardens in circulo lacteo, ad se assiduè trahit minorem ascendentem, quæ secus extra lacteam zonam sæpiùs in cometam refulgere posset.* Meritò ego priùs tuam mendacitatem timebam, tu causam, cur rarò fiant cometæ, ab Aristotele acceptam dicis esse, quia exhalatio minor trahitur à circulo lacteo, quæ extra hunc circulum in cometam *refulgere posset;* Ita ne? omitto illud refulgere in cometam, quod Rechensem grammaticam sapit; vide tamen quàm diuersa sit ab hac, quam attulisti, causa, quam affert Philosophus: *Eius autem, quod est non fieri multos, neq; sæpe cometas, & magis extra tropicos, quàm intra, causa est Solis, & astrorum motus, non solùm segregans calidum, sed & disgregans, quod consistit. Maximè autem causa est, quòd plurimum in lactis congregatur regionem.* Viden' qui isthęc consonent? *Aliud quidem noctua sonat, aliud cornix.* Num quia vltimo loco dicit plurimùm in lactis congregari regionem, colligis inde, maximam exhalationem in circulo lacteo ardentem trahere ad se minorem ascendentem? At nec Aristoteles, neq; aliquis ex eius interpretibus, neq; multi alii tum Philosophi, tum Astrologi, qui de cometis scripserunt, ab exhalationibus exhalationes trahi, dixerunt. Non est meum hic de cometis agere, valde disrumperetur tractationis filum. Camillus Gloriosus, ineptiis, quibus in eum turpiter te contulisti, valde doctè respondet; Quòd si veritas circa hanc rem tibi adeò non patet, habes insignem Cottunium, qui te apprimè Suidas. Ar. 1 meteor. c. 10 mendacium. * adagiũ.

doce-

docebit. Nobis citra controuersias, quas magnas inter huius materię scriptores vigere scio, quid ex Aristotele colligatur paucis expedire libet. Cometarum materia exhalatio est calida, & sicca: causa efficiens motus cœli exhalationem accendens: locus duplex, altior vnus, humilior alter, neuter tamen, vt plurimum intra tropicos, motus etiam duplex, scilicet humiliorum tardior, superiorum verò sydus ambientium velocior. Iam ergo constat, te falsò Aristoteli imposuisse, ab eo fuisse dictum, exhalationem magnam esse paruę attractricem.

Ar. 1. prob. 57. & 58. 13 Alter locus Aristotelis, quo probas, iuxtà illius mentem, minorem ignem attrahi à maiore, est, quia eius sunt verba expressa, *Multus ignis minorem ad se trahit*. Sanè si verba (vt tu vis) prout iacent, forent intelligenda, Philosophi doctrina instabilis esset: siquidem (vt priùs dicebamus) causam, cur flamma ingens minorem absumat, dixit esse, quia multa flamma citò absumit alimentum, quod parua longo tempore; nunc autem aliter sentit, inquiens, multus ignis minorem ad se trahit. Nec verò paruorum naturalium opus, in quo prior sententia scripta est, operi problematum, in quo legitur hæc secunda, quicquam autoritate cedit. Ceterùm si quis rectè consideret Aristotelicam doctrinam, valdè constans est, neq; vllā cōtinet cōtradictionem: quippe in paruis naturalibus dixit, extingui flammam minorem à maiore: quoniam flamma multa consumit citò alimentū, quod pauca longo tempore; Ita ne? maximè: at in problemate dixit, maiorem ignem ad se trahere minorem: sed quomodo? nempe quia ad se trahit minoris flammæ alimentum (consumpsit namq; suum citò) atq; ita tracto alimento minoris flammæ, minor sinè alimento remanere nequit, atq; ita à maiore absorbetur, absorpto videlicet alimento, cui adhęrebat. Sic intelligi debet idem

Ar. 3. de cœlo tex. 52. Aristoteles alibi, cum ait, ignem duobus modis corrumpi: *Nam à contrario corrumpitur, cum extinguitur, & ipse à se ipso marcescens, hoc autem patitur minor à maiore, & eò celerior, quò minor est*, nempè marcescit à seipso, cum sinè alimento est, *& eò celeriùs, quò minor est*: quia flamma, quæ aliquam habet magnitudinem notatu dignam, habet etiam vim ad retinendum sibi aliquam alimenti partem; quòd si valde exigua est, omne alimentum sinit abire, & propterea eò magis extinguitur, quò minor est, hoc est, quò minorem ad retinendum alimentum vim habet.

Ar. 3. prob. 23. 14 Sed neq; his satisfactus noster Satyrus alium affert Aristotelis locum, vt probet, ignem minorem à maiore absumi. *Vinum autem* (inquit Philosophus) *sua caliditate, calorem macerat naturalem, & quomodò ab igne nimio, aut sole exiguus ignis extinguitur, sic intimus corporis calor à vini calore, si minor est, superatur, atq; extinguitur.* Hac tu, Satyre, autoritate sigillum vltimum tuæ insaniæ apposuisti. Quid colligis ex huiusmodi verbis? nempe ignem minorem à maiore macerari. At quis tibi hoc negat? nos causam quęrimus, tu euentum nobis offers. Scis, quid voluit Aristoteles, quando dixit, vinum sua caliditate calorem macerare? nempè calorem à calore dissipari. Hoc tibi explicat Galenus sic: *Quòd si in multo Sole, & calido, & aprico loco, aut ad alteram maiorem flammam admoueris, tunc quoq; minorem flammam marcescere videbis: quoniam exterior flamma, vt quæ præpotentior sit, elaxat, atq; dispergit minorē.*

3. G. de morb. caus. c. 3. Numquid quia maior funes habet, quibus minorem ad se trahit? minimè: neq; si traheret, ideò dissiparet, sed quia dissipato, imò absumpto omni alimento, minor flamma non ampliùs consistit.

15 Verùm quoniam de lucerna accensa hactenus egimus, & te è tenebris, in quibus eras, liberauimus, ne quid desit, quo te illuminare possimus, accipe veram causam, cur maior flamma minoris alimentum absumat, & sic, nec discedes ab Aristotelis doctrina, nec te ipsum in præcipitia detrudes. Maior flamma non subitò absumit totum illud alimentum, quo minor alebatur, adeò vt minor maneat alimento destituta, & hoc tibi concedo, qui ais, cum lucerna, vel candela extrahitur, in ea adhuc tantum liquoris, humorisq; superesse, quantum satis esset ad continendum etiam per notabile spacium temporis extinctam flammulam, quæ denuò eodem in liquore accendi potest, & accensa perdurare. Hoc libens admitto, nempe quia, quando est separata, non habet aliquid, quod ei alimentum arripiat, quando autem est alteri maiori coniuncta, habet arripientem flammam minoris alimentum. Videtur hoc difficile, nam si minor flamma adhuc habet tantum alimenti, quantum sibi sufficiat, quid ei nocet maioris consortium? Hanc tibi difficultatem facilè diluo. Aduertendum namq; est, alimentum à maiore flamma totum assumi, non totum absumi: exemplo nobis sunt partes nostri corporis. Ventriculus totum chylum in se retinet, non tamen toto nutritur, sed ali-

qua

qua duntaxat eius parte: iecur nihil sanguinis in venas demittit, nisi ipsum priùs sibi satisfaciat. Sed longè meliùs tibi rem hanc alio exemplo declarabo. Cor (vt Galenus ait) *cùm vehementissimam habeat attrahendi actionem, alimento nunquàm indigebit, nisi priùs omnes animalis particulæ ad extremam deuenerint inopiam.* Hoc supposito, vt exempli vis magis innotescat, fingamus inter plura luminaria parua vnum valdè magnum, quod cordi comparabimus, reliqua reliquis membris; lumen illud magnum, seu maius illud cor, sibi attrahet multum alimenti, adeò vt nisi deforis aliud adueniat, reliqua luminaria parua, hoc est, alia membra deficient, & cor adhuc inopiam alimenti non sentiet: nam ex prædicta Galeni sententia, cor vltimum est, quod inopiam sentit. Itaq; nisi deforis adueniat alimentum, maior flamma, quam cordi comparamus, propter maiorem attrahendi vim, nondum sentit inopiam alimenti, quando flammę minores iam extinguntur. Rectè ergo proceres mutatione vocabulorum, & viuens extingui, & flammam marcescere dixerunt; Extinguitur viuens, quoniam marcore correptis priùs membris, vltimo loco cor deficit: marcescit flamma, quoniam defectu pabuli paulatim attenuatur, donec alimentum, quod priùs defuit minoribus, desit tandem maiori. Adhuc aliquis non acquiescet, nam quomodò defectus alimenti interimet priùs flammam exiguam, cui exiguum sufficit alimentum, quàm magnam, quæ non nisi multo sustentatur? Hoc iam cordis exemplo declarauimus, nempe quia maior trahit ad se maiore vi alimentum, quàm minor. G. de marcor. c. 5.

16 Cęterùm ea, quę hactenus dicta sunt, ei, qui considerat (veluti tu considerasti) oleum, aut ceram esse pabulum duntaxat flammæ maioris, & minoris, nihil persuadent. Nam duo luminaria, vnum magnum, alterum paruum, sua habent alimenta separata, neq; paruæ lucernę oleum, aut paruę candelę cera transit in lucernam, candelamvè maiorem, vt eius fiat alimentum; ac propterea (vt tu ad hæc alimenta respiciens dixisti) in lucernam extincta adhuc manet oleum, quo posset iterum accensa perdurare. Ita est: ac propterea tibi dixi, posse quidem cum oleo illo perdurare, si sola existeret, nō posse autem, si cum alia maiore. Cur ita? nempe quia non in solo oleo viuit lucerna, nec in sola cera candela, sed nutrimentum flammę, vti iam tibi superiùs ex D. Thomę sententia dixi, est aer. Non ne vides cucurbitulas medicas corpori applicitas ex aeris defectu extingui, aeris, inquam, puri? nam fuliginosus suis fuliginibus potest flammam suffocare. Itaq; si consideras pabulum superiniectum, videlicet oleum, hoc, si paucum sit, ad marcorem, & tandem ad interitum flammam deducit, si multum, suffocat. Rursus si consideras pabulum circumfusum nempe aerem, violentus aer flammam extinguit, leniter assistens fouet, & nutrit: huius maiorem necessitatem habet magna flamma, quàm minor, maiore etiam vi attrahit magna flamma, quàm minor: iccirco magna flamma, absumēs minoris pabulum hoc, minorem extinguit. Quid nunc ais Satyre? in Recho ne ita barbitonsores tui philosophantur?

17 Penè tibi est factum satis, vt deinceps, ne derideas eos, qui calidum humido nutriri aiunt; sed tu, quamuis vniuersi ita dicant, deridendos esse censes, neq; hoc citra Aristotelis autoritatem te prestare posse gloriaris. *Aristoteles* (ais tu) *deridendos, inquit, omnes, quicumq; ignem humido ali existimarunt, adeò, vt tandiu supersit ignis, quandiu habuerit alimentum*. Quis te coget, vt à mendacijs caueas? Aristoteles sic ait: *Quapropter & deridendi sunt omnes, quicumq; priorum existimauerunt Solem ali humido.* At tu parùm scrupulosè ignem pro Sole dicere nihil interesse putasti. Philosophus verò ibi veterum opinionem insectatur, qui putabant, astra nutriri vaporibus: ita sensisse videtur Lucanus, quando in Pompei obitu, Solem obscuratum ita describit.

de his qui fine alimento lib. 4. c. 63.

Arist. 2. meteor c. 2. mendacium.



Segnior Oceano, quàm lex ęterna vocabat,
Lactificus Titan nunquam magis æthera contra
Egit equos, currusq; polo rapiente retorsit,
Defectusq; pati voluit, raptęq; labores
Lucis, & attraxit nubes, non pabula flammis,
Sed ne Thessalico purus luceret in orbe.

Hanc sententiā Stoici omnes sunt amplexati, ex Latio autem M. Tullius, Seneca, Plinius, & alij eandem sequuti sunt, existimantes scilicet, Solem ideò circumferri, & modò ad Austrum, modò ad Septentrionem conuerti, quò humorem, vnde alatur, sibi comparet, vitamq; ex eo perpetuam degat, nam vnus, & idem

D locus

locus non posset ei alimentum suppeditare. Hos refellit, quia vapores non ascẽdunt ad Solis regionem.

18 Verùm ex his, quę ibi adiungit, putabis forsan, eum tuæ fauere sententiæ; quippe ait. *Flamma enim propter continuum humidum, & siccum, quæ permutantur, fit, vt non alitur: non enim eadem existens permanet vllo tempore, vt ita dicam*: & post pauca, addit: *Si igitur neq; succensus alitur ignis, neq; Solem, par erat, existimare, etiam si omnem calefaciens euaporare fecerit aquam.* Verùm, considerare debes, Aristotelem hìc Solem igni comparare, imò disparem in Sole, & igne naturam ostendere: quippe Sol idem semper manet, ignis verò non ita. Cęterùm ignem permutari iam diximus secundùm partes materiales, quod sufficit, vt Soli dissimilis sit, si quidem Sol neq; secundùm formales neq; secundùm materiales mutatur. Si igitur Soli idem, quod flammę, accidat, fiet, vt Sol perpetuò mutetur, ac in morem flammę renouetur. Atq; hęc ratio solùm tollit, flammam eo modo ali, quo aluntur ea, quę viuunt: nos autem iam sępius diximus, flammę alitionem impropriam esse, & ex Aristotele probauimus, eorum, quę impropriè nutriuntur, hoc est, non viuentium, nihil magis propriè nutritioni accedere, quàm ignem.

19 Sed ne in infinitum nostra procedat disputatio, tecum conuenire libet; siquidem igni nutricationem impropriam concedis, quam metaphoricam appellas, sed hinc non posse elici argumentum, ais, quod impediat tuum illud à nutricatione ocium. Sed cur ita? nempe quia ideò dicis, posse veram nutricationem intermitti, quia *humidum radicale possit esse satis ex se, citra externi, aut interni pabuli ministerium, ad continendum calorem, quamuis assiduè calor humidum depascatur, illoq; nutriatur ea ratione, qua ignis, & calor apud Aristotelem nutricari dicitur, nimirum metaphoricè, & secundùm vulgus.* Solue queso mihi hunc nodum; Nutricatione propria calor humidum depascitur; illoq; nutritur ea ratione, qua ignis, & calor apud Aristotelem nutriri dicitur, & tamen humidum radicale satis est ex se ad continendum calorem sinè pabuli ministerio? Insanisne, ò Satyre? Si calor humidum depascitur, velut flamma depascitur suam materiam, quomodò humor sustinebit calorem sinè alimento, flamma autem alimento semper indiget?

de his qui sine alimento lib. 4. c. 78.

Satyri insania

20 At teneo, quid velis, nempe caloris, & ignis esse viuentis exolutionem, destructionemq; seu ad interitum viam; nutricationem autem ad viuentis conseruationem institutam. Hoc quidem ita est, & à Galeno acceptum: quippe ipse ait, *Flammas ex corruptione materię, ex qua succenduntur ortum habere: animalia verò non sic innatum ab eo, qui ea affinxit, sortita esse calorem, sed vt ab illo augenda, & gubernanda*; & proptereà non recipit sententiam illam, *Calor, qui nos genuit, nos perimit*, & postmodò eadem repetit, inquiens: *Neq; enim sicut à flamma absumuntur ligna, ita quoq; à calore innato animantium corpora. Hoc sanè exemplum ijs, qui à febre corrumpuntur, accommodari posset.* Hęc omnia, quę Galenus affert, tuum adiuuant antecedens, scilicet non eodem modo se habere calorem innatum in humido, quo se habet flamma in sua materia: quippe flamma nihil aliud agit, quàm materiam absumere, calor autem innatus materiam pręparat in nutricationem viuentis. Sed nunquid ex hoc antecedente inferre potes, ergo humidum sinè pabulo poterit calorem sustinere? Absit: vide quid adiungat Galenus ad ea, quæ dicta sunt: *Exsiccari sanè corpora secundùm quandam naturalem consequutionem, hocq; ob calorem innatum fieri, omnino verissimum est, quemadmodùm, & in primo de sanitate tuenda libro ostensum est: idem tamen in pręsente quoq; disputatione repetere nihilominùs est necessarium.* Sic Galenus, qui prosequitur modum, quo ignis in prima generatione nobis fuit inditus, & multa, de quibus iam superiùs satis egimus. Hoc tamen vnum tibi in memoriam reuoco, Galenum hanc exsiccationem, quę à calore naturali fit, & continuum fluorem substantię attulisse tanquàm causas necessitatis alimenti. Igitur licèt calor innatus in eo differat à calore flammę, quòd calor flammæ solùm destruit, calor innatus alimentum in viuentis corpore reponit, nihilominùs tamen tam innatus calor, quàm calor flammę in voracitate continua conueniunt.

G. de marc. c. 3.

Satyri error in logica.

21 Si verò queras, cur natura conseruationis animalium sollicita, calori, seu igni, rei voracissimę, vitam commisit (quippe si ignis nobis à prima origine inditus non foret, neq; adesset necessitas attrahendi noui aeris ad ignis moderationẽ, neq; expulsionis fuliginum, neq; tandem continuę suggestionis alimenti) respõdeo, naturam vno ad vnum vti, ad multa abuti, quia scilicet illa multa potest aliunde corrigere. Quare cum vita vel sit actio, vel saltem non sinè actione, opus erat precipuo agente, tale autem est ignis: quòd si is secum perpetuam affert vora-

racitatem, hęc aliunde suppletur, nempe pulsatione, & respiratione, quibus nouus aer introducitur, & fuligines expelluntur, atq; etiam alimenti assumptione, quo membra aluntur, ad quod ministerium organa multa instituit: os, ventriculum, hepar, & reliqua, quæ nutritioni inseruiunt, & in perpetuo labore sunt, vt inseruiant calori vitam præstanti, & actiones perficienti. Atq; hęc de præsente quæstione sufficiant.

VTRVM CALOR, ET HVMIDVM sint contraria.

QVÆSTIO TERTIA.

1 HActenus calorem agere in humidum diximus; Cum autem omnis actio sit inter contraria, manifestum est, calorem, & humidum sibi inuicem contrariari. Cęterùm quando dicimus, actionem fieri inter contraria, contrarium latissimè accipimus: nam & priuatiuè opposita contraria esse dicuntur, & quæ dissimilia sunt co traria appellamus, imò etiam quę similia in specie, si in aliquo qualitatis gradu differant, ita contraria sunt, vt possint inuicem agere, v. g. calor, vt tria, in calorem, vt vnum. Verùmtamen si propriè contrarium accipiamus, standum est Aristotelis doctrinę, iuxtà quam *Vnum vni est contrarium*. Hanc propositionem bis ab Aristotele repetitam, ab omnibus communiter receptam, cũ negare non possis, partim expositionibus inanibus, partim exemplis ineptis, partim autoritatibus falsis, & semper contumelijs turpiter coniectis effugere conaris, non tamen euades: *leporem auribus teneo*.

pag. 21 | Ar. 1. de cœlo tex. 10. & lib. 10. meta ph. tex. 14. | Adagium.

2 In primis si velis fugam arripere, dicens, te non agere de propriè contrarijs, tu tibi iter interclusisti. Memineris, te sępe causam diuturni ieiunij attulisse æqualitatem inter calorem, & humidum, propter quam neutrum istorum superat, neutrum superatur. Hanc æqualitatem, tibi superiùs dixi, esse motum illum, seu actionem, quam Galenus tonicam appellat, in qua duo v. g. athletæ (quo exemplo tu met vteris) pares vires habentes, neuter alterum è loco suo dimouere potest. At isthęc ęqualitas, isthęc tonica actio non potest reperiri, nisi inter ea, quæ propriè contraria sunt: nã propriè cõtraria (autore Aristotele) sub eodem genere maximè distant, actio autem isthęc tonica fit ob repugnantiam maximam, qua maior dari nequit: si enim in altero luctatorum maior repugnantia, quàm in suo aduersario daretur, vtiq; iam vinceret. At libet tibi demõstrare, quàm contrarius veritati in hac contrariorũ acceptione sis, quod consultò in hunc locũ relegaui.

Supra sect. 1. art. 4. corol. 2. num. 32.

3 Occasionem ergo tuę maledicentię pręstiti: quoniam in meo tractatu de asitia te compellaui, & hoc syllogismo coarctaui. *Vnum vnius rei est contrarium, quare si calido frigidum est contrarium, humidum contrarium esse nequit.* Hoc syllogismo, seu maius enthymemate, tuam illam, à te sępiùs decantatam ęqualitatem inter calorẽ, & humidũ destruxi. Tu syllogismũ, imò me syllogizantem irrides, & ranam gyrinam appellas: melius tibi foret, vt tu rana scriphia factus, non ita turpiter, & ineptè coaxares. Recipis tamen ab Aristotele, vnum vni esse contrarium, & de tanto magistro gloriaris: prudenter agis, sed caue, ne satyriasi correptus aliquãdo in eum etiam irruas, vt quando te in eius verba non iurasse ais, & quando garrulũ vocas. Explicas autem Philosophi dictum, quod ille optimè sciuit condere (tu perperam condire ais) & intelligis, vt vnum vni secundùm formam contrarium sit, non secundùm materiam. Ad asylum puerile confugis, & ne quis tibi puerilem hanc fugam exprobaret, fateris, te hanc distinctionẽ nouisse, dum adhuc esses in philosophię tyrocinio. Hęc est prima veritas, quam apud te reperi: verùm cur veteranus iã factus non reliquisti has nuces, seu has nugas? nẽpe quia nec senex pueriles relinquis mores. Sed nunc à me edoctus hãc puerilem distinctionẽ damnabis. Tu inquis, vnum vni non esse contrarium secundùm materiam, sed secundùm formam. At cum puer adhuc esses, ignorabas secundùm materiam nullam rebus contrarietatem inesse? materia communis est omnibus, & secundùm hanc non dicitur vnum vni, nec vnum pluribus esse contrarium, sed neutrum neutri. Addis, vnam, & eandem rem, vbi secundùm duas rationes consi-

De Asitia c. 14. | Aduers. Pôc. pag. 4. & in Bacchan. pag. 230. | * | Prima Satyri veritas

deratur, duo posse habere contraria. Dic mihi, ista vna, & eadem res, est ne substantia, an accidens? si est substantia, substantiæ nihil est contrarium: & sic repetam iterum neutrum neutri esse contrarium: si est accidens, forma accidentalis est, & sic omnis contrarietas erit secundùm formam, & euanescet tua puerilis distinctio. Deinde cum ais, si secundùm duas rationes consideretur, duo habere contraria, & sic iuxtà tuam optimam philosophiam contrarietas erit ens rationis, & sic calor, & humidum, quę tu contraria esse dicis, imaginatione tantùm, non autem re ipsa sibi aduersabuntur. Viden, in quas fossas incideris? parcendum tamen est, quippe in tyrocinio hęc didicisti, neq; vnquàm amplius in doctrina profecisti.

Satyri distinctio vana.

4 Incipis deinde interrogatiunculis, quasi successor equus, insultare, aisq; *Non ne vni auaritię dabis duo contraria, prodigalitatem, & liberalitatem?* Respondeo, quoniam ex Aristotele, contraria sunt, quę sub eodem genere maximè distant, quoniam rursus, ex eodem, *Circa dationem, acceptionemq; mediocritas est liberalitas, excessus, & defectus prodigalitas, & illiberalitas, seu auaritia, in quibus contrario modo excedunt, & deficiunt homines: prodigus enim in largiendo excedit, in accipiendo deficit, auarus contrà excedit in accipiendo, in dando deficit*, necesse est dicere, prodigalitatem, & auaritiam contrario modo excedere, mediocritatem autem esse liberalitatem: quantum autem mediocritas differt ab extremo, tantum differt liberalitas à ratione contrarij versùs prodigalitatem; nam à medio ad extremum non est maxima distantia, quę requiritur in propriè sumptis contrarijs: inter prodigalitatem autem, & auaritiam contrarietas est, quippe sunt duo extrema, & subinde maximè inter se distant.

Arist. moral. Nicoma. li. 2. c. 7.

Ar. 2. ethe. c. 8.

5 Pergis interrogando sic; *Non ne vidisti apud Aristotelem in ethicis, vni virtuti duo vitia esse contraria?* Respondeo: vidi quidem, & ibi Philosophus, extrema, & media inter se contraria esse, ait. Oportebat tamen, te, si caput haberes, totum caput perlegisse, inuenissesq; hęc verba paulò infra: *Cum hæc igitur ita inter se opposita sint, extremis maior inter se, quàm cum medio contrarietas est: quippe cum longiùs à se mutuò distent, quemadmodùm magnum à paruo, & paruum à magno abest longiùs, quàm alterutrum ab eo, quod ęquale est*; sic ille. Si igitur extrema inter se distant magis, quàm vnum extremum à medio, iam vnum extremum non maximè distat à medio, ac proinde non subit legem contrariorum.

mendacium.

6 Affers deinde per summum mendacium Aristotelem, quem tuo palato vis accommodare, ais namq; sic: *Caterùm non te docuit Aristoteles in logicis, non semper vnum vni esse contrarium, sed aliquando plura?* R. non me hoc docuit Aristoteles, imò contrarium, vt iam dixi tam in libro de cœlo, quàm in metaphysicis, vbi semper repetit, *vnum vni est contrarium*; quid tu? vis ne contradictionis reum facere Aristotelem? At scio, cur ita scripseris: inuenisti in indice libri *Contraria vni plura*, neq; curasti scire, vbi nam hoc sit scriptum. Attende, Satyre: in libro sex principiorum, cuius autor est Gilbertus Porretanus, habẽtur hęc verba: *Relinquitur ergo vnum pluribus esse aduersum*. Non ergo Aristoteles est, qui hoc dixit, sed neq; ipse Porretanus de propriè contrarijs loquitur: siquidem ait: *Fortassis autem nec insolitum quidem putabitur vnum plurium esse contrarium: pallor etenim ad album, & nigrum contrarium esse videbitur: nam sub eodem genere cum sint, nunquam simul inueniuntur, & vicissim transmutantur.* Hoc exemplo declarat, se de contrarijs quidem loqui, sed non de propriè contrarijs, quippe pallor non maximè distat ab albo, vel à nigro: cum autem desit hęc conditio, deest propria contrarietas: manentibus alijs cõditionibus, manet contrarietas, sed non propria. Hęc doctrina Magistri est in metaphysicis, vbi habet hęc verba, *Quòd igitur contrarietas est differentia perfecta, ex his patet: cum autem multipliciter dicantur contraria, ita perfectum sequitur, sicut eis inest esse contrarijs. His autem existentibus patet, quòd non contingit vni plura contraria esse: neq; enim vltimo vlteriùs aliquid erit, nec vnius substãtię plura, quã duo vltima: & omnino si cõtrarietas differentia est, differentia verò duorum est, ergo & ipsa perfecta.* Nõ ne tibi Aristot. plenissimè facit satis?

Arist in post. prædicam. c. de opposit. Gilbert. Porret. de sex. princ. c. 6. de posit.

Ar. 10. metap. cit.

7 Addis, Aristotelem in physicis asserere, nigrum esse contrarium non solùm albo, sed etiam pluribus medijs coloribus. Hoc ne ita dixit Aristoteles, an forsan tu Baccho madidus somniasti? Aristoteles ibi, agit de ijs, quę ex alijs fiunt, apponitq; hæc verba: *Album quidem fit ex non albo, & hoc non ex omni, sed ex nigro, aut medijs: & musicum ex non musico, sed non ex omni, sed ex immusico, aut si aliquid ipsis medium.* Hinc quid aliud elicis, quàm quicquid fit, ex oppositis fieri, quę dummodò includant ex vna parte priuationem alterius, quod ad positiua attinet, iam diximus priùs, parum referre: siquidem sufficit dissimilitudo in gradibus duntaxat. Videre posses

Ar. 1. physic. tex. 43.

ses caput de oppositis, vbi priuatiuè opposita, relatiuè opposita sub nomine oppositorum comprehendit; hoc autem quid ad nos, qui de propria contrarietate agimus, qua medium, & extremum non sunt contraria, sunt tamen contraria contrarietate impropria?

8 Quare calorem, & humiditatem, quas tu vis esse contrarias qualitates, neq; sunt contrariæ tamquàm duo extrema (quippe extrema sunt calor, & frigiditas) neq; contraria, vt medium, & extremum, quippe humiditas non est medium inter calorem, & frigiditatem: sunt ergo calor, & humiditas duo disparata, quę eatenus contrariantur, quatenus vnum includit priuationem alterius. Ad Hippocratis aphorismum responsionem superiùs habes in eo loco, in quo ad hunc cōtrouersiam reieci: neq; est difficilis isthęc tua obiectio, nam humidus cibus occurrit siccitati, quæ cum calore febrili coniuncta est. Humiditas licèt hebetet aciem caloris, non hoc facit tamquàm constituta in gradu contrarietatis, imò verò calor siccitati coniunctus non est intensior in gradibus calore coniuncto cum humiditate: vnde omnes dicunt, parem esse calorem iuuenis, & adolescentis, quāquàm iuuenilis calor siccitatis aliquid amplius, quàm alius secum habeat. Sed quid hoc est? num quia calor hebetatur ab humido, erunt propriè contraria? sic ergo lignum, & ferrum contraria appellabis, nam *quod secatur*, inquit Philosophus, *hebetatur à secante*.

9 Ais, nullum sanæ mentis asserturum, calorem inter ea reponi, quæ non habent contrarium. Ita est: imò quia calor habet vnum contrarium, nempe frigiditatem, ideò non habet alterum nempe humiditatem: quippe vnum vni est cōtrarium. Tunc arguis: *Cum calor absolutè tùm à frigore, tùm etiam ab humore remittatur, iam calori contrarius est humor non minùs, quàm frigiditas, sed alia ratione, ac in diuerso genere, vt nuper explicauimus.* Remitti, ais, calorem tùm à frigore, tùm ab humore, & nihilominùs philosophiam doces? Monendi sunt philosophię operam impendentes, ne tuis istis dogmatibus irretiti, prauam concipiant doctrinam. Scito ergo, & humiditate retundi actionem caloris: citra hoc, quòd remittatur calor, & siccitate augeri caloris actionem citra hoc, quòd intendatur caliditas: nam aliud est aliquid habere tres gradus caloris expeditos ad agendum, aliud habere eosdē, sed cum aliquo impedimento; hoc impedimentum si contrarietatem velis appellare, memento, te impropriè loqui: si quis enim vires habeat optimas ad pugnandum, & tamen vinculis sit astrictus, nec pugnare possit, impedimentum quidem habere dicitur, non autem minores vires: quod si vincula illa contraria viribus esse dicas, impropriè loqueris: quippe impedire actionem non est deminuere rem in sua natura. Deinde quòd ais, calorem, & humiditatem contraria esse in alio genere diuerso ab eo, in quo contraria sunt calor & frigiditas, quæro, quod nam est hoc genus, in quo contraria sunt? Respondes in genere qualitatis, quia calor est qualitas actiua, humiditas passiua: sed te communis appellatio fallit: nam humiditas, & siccitas dicuntur qualitates passiuæ, non quòd nihil prorsus agant, sed quòd minore ad agendum vi preditę sunt, quàm alię. Sed iam tibi volo concedere, calorem, & humiditatem esse duo contraria in genere qualitatis, quia calor est qualitas actiua, humiditas passiua, dummodò tamen mihi concedas, calorem, & siccitatem similiter esse duo contraria: quidni? non ne etiā siccitas est qualitas passiua vt humiditas? Iàm ergo habebis, calori tam contrariam esse siccitatem, quàm humiditatem, habebis insuper calorem à suo contrario vigorari, non corrumpi, sed omnia ab illo habere tamquàm ab amico, non tamquàm à contrario. Hæc ne tibi doctrina videtur digna, quæ in Patauino resonet Gymnasio?

Satyri error in Philosophia.

Satyri error.

10 Me miserum! in laqueo, vt auiculam, me accipis. Dixi, calorem in humidum agere: ita est: dixi, humidum à calore absumi: verissimum: cur igitur nego, calidum esse contrarium humido? Sed non ne recordaris, me anteà dixisse, posse contrarium adeò latè sumi, vt comprehendat omne id, quod in aliud agere, aut ab alio pati potest? Scito ergo, calorem calori hoc sensu esse contrarium, si sumas calorem vt tria, & calorem vt duo. Deniq; video Satyrum istum magis bardum quotidie fieri: nullam ne differētiam constituis inter contraria propria, quę sub eodem genere maximè distant, & impropria, quæ distant quidem, sed non maximè? Volo ego hìc inuicem tibi laqueum parare, à quo certè non euades. Non ne ex Aristotelica definitione colligis, contraria sese mutuò expellere? cur ergo admittis calidum, & humidum, si contraria sunt, se compati, nec vnum aliud

expel-

expellere? Dices forsan, Aristotelem dixisse, contraria se expellere, nisi alterum insit à natura at calor à natura inest; Ego verò vtrumq; à natura inesse aio, & propterea non esse contraria, dixi. Sed si non sunt contraria, cur non se tolerant? quia scilicet vnum includit priuationem alterius, & agendi potentiam fortiorem habet, quàm aliud, nempe calor fortior est, quàm humidum, ac proinde quatenus priuatiuè opposita sunt, vnum agit in aliud, quatenus calor fortior est vincit in sua actione. Tandem medica indutus palla ad Galenum te recipis, aisq; sic: *Calor naturalis in viuentibus ideò contrarius est humido radicali, quia calor est qualitas efficacissima, vt ait Galenus, adeòq; ignea portionis in viuente soboles, leuitate, siccitateq; pollens; radicalis humor vicissim, vt quid à calore distinctum in viuente soboles est portionis aqueæ, atq; grauitatis particeps, & lentoris: modò ignea esse contraria aqueis, grauia leuibus, viscida siccis, quis negauerit?* Bellè concludis: dicamus cum Martiale, *Et magè principio grata donis erit.* Omnia hæc tibi concedam; concede tu mihi, calorem naturalem à Galeno, & ab omnibus medicis, humidum appellari, hoc iam superius probatum est; Si ergo calor naturalis humidus appelletur, ex consequente dicetur particeps esse igneæ portionis, & simul aqueæ; grauitatis, & leuitatis, visciditatis, & siccitatis; Sunt ne hęc contraria? sunt quidem inter se contemperata, vt mistum efficiant ac proinde non se inuicem expellant, ac tandem non eis conueniat contrarietatis definitio, quippe contraria simul existere nequeunt; Calidum, & humidum, frigidum, & siccum simul existunt in omni misto: non sunt ergo propriè contraria; quare tibi concedo, humidum, & calorem esse contraria lato modo sumpta: Nunquid hæc contraria ita accepta tibi inseruiunt ad probandum, posse duo contraria inuicem pugnantia æquales habere vires? Dico iterum non posse, quia si se destruere conantur, nec tamen possunt, id accidit, quia vtrinq; extremos adhibent conatus, & sic maximè distant.

G. aduers. Lyc. c. 7.

11 Restat tamen tibi vltimum subterfugium, nempe calorem, & humidum esse contraria in gradibus remissis, ac proinde non se expellere. Respondeo, ex contrarijs in gradibus remissis simul iunctis effici vnam substantiam mediam, vt ex albo, & nigro ad mediocritatem redactis fieri colorem aliquem medium, v. g. pallidum. Sed tu dabis, ex calore, & humido remisso, effici mediam substantiam; Sed quæ nam erit ista media substantia? num tepida? tepor perfit ex calore, & frigiditate; Ex calore autem, & humiditate medium aliquod fieri nequit, quoniam vnum non est via ad aliud. Iam igitur manet, neq; calorem esse propriè contrarium humido, imò nec impropriè, nisi quatenus vnum includit priuationem alterius: quæ acceptio remotissima est: nam altera, quæ sumitur à medio ad extremum, propriæ propinqua est: neq; philosophi, nec medici, ad quos confugisti, te aliquid iuuarunt.

TEXTVS IX.

SVcci varij, & coloribus, & uiribus, & in detrimentum, & in vtilitatem; & neq; lædentes, neq; commodantes; & multitudine, & excessu, & defectu, & implicatione, aliquorum quidem, aliquorum verò non: & omnium caliditatem lædunt, ac iuuant: & frigiditatem lædunt, ac iuuant: et facultatem lædunt, ac iuuant.

COMMENT.

QVoniam dixit in pręcedente contextu Autor, *Et quæcumq; benè, aut malè distribuuntur*, prosequitur nunc demonstrando, quid benè, quid malè in corpore agatur. Hoc ostendit in humoribus, quos, diximus, futurum esse alimentum: tum quia in his magis varietas apparet, tum quia hi sunt totius nutricationis fundamentum: siquidē id, quod ad alenda singula membra per corpus vniuersum mandatur, nihil aliud est, quàm compositum ex quatuor humoribus, quod sanguis appellatur: sumpto nimirum nomine à pręstantiore ex quatuor componentibus: sunt namq; hi sanguis ruber, melāncholia nigra, bilis flaua, pituita alba. In statu sanitatis proportionem inter se seruant, huiusmodi, sanguis supra reli-

reliquos abundat, dicente Galeno, *Ex quibus quidem cibis sanguis in ipsis gignitur, & pituita, & geminæ biles: sed sanguis plurimus, unde solus ex omnibus, in uenis apparet; alia pauciora creantur*. Secundum obtinet locum pituita: quippe hęc post sanguinem etiam alere potest: de flaua, & atra bile contentio est. Nam Aphrodisæus, quem sequuntur Altomarius, Argenterius, Ludouicus Mercatus, constituit tertio loco bilem flauam, vltimo tandem atram: quia hęc membra exedit, atq; interimit, quapropter paucissimam esse oportuit.

G. 8. de placit. c. 4.

Alex. sect. 2. prob. 10. Altomar. Argenter. Mercat.

Si quis tamen rectè considerauerit, inueniet, minimam portionem debere esse flauę bilis: neq; enim proportio sumenda est ex familiaritate, vel inimicitia, quam humores, tūc cū pręter naturam sunt, nobiscum habent, sed ex maiore, aut minore necessitate, qua nutrienda membra laborant; Cum igitur paucissima sint, quę flaua bile ad sui nutritionem indigeant, cōsentaneum est, paucissimam quoq; bilem flauam in mistione humoris nutrimentalis reperiri. Non etiam facit contra hāc doctrinam, quòd atra bilis sit humor exedens, & perniciosus, vnde Galenus, *perniciosissimum succum*, ait, *esse atram bilem cum alijs præualuerit*: nam ibi agit de atra bile pręter naturā, quod insinuat per illa verba: *cum alijs præualuerit*.

G. de const. art. c. 6

Succi varij, & coloribus.

Sanguis ruber est, pituita alba, bilis flaua, melancholia nigra. Sanguis, licèt secretus ab alijs humoribus non existat, nihilominùs quartus quidam est humor. Nec est audiendus Turisanus, qui vniuersam massam ex tribus dumtaxat substantijs constare existimat: sicut enim lac nihil aliud est, quàm tres substantię, serum, caseus, & butyrum, sic sanguis non est aliud, quā vtraq; bilis, & pituita. Hoc figmentum multis rationibus conuellitur, sed pręcipua, quę ad pręsens negotium spectat, sumitur à colore. Nam quæram ab eo, vt ex tribus liquoribus, quorum vnus sit albus, alter niger, tertius flauus, mihi conficiat mistum quoddam rubrum: imò verò ex colore rubro, quem tota massa pręsefert, libet argumentum sumere ad probādum, sanguinis, qui est quartus quidam humor, maiorem esse portionem, quàm reliquorum trium.

Turis.

Itaq; cum pręcipua sit naturæ in omni actione intentio, vt agens assimilet sibi passum, ventriculus albo colore præditus pituitam albam, chylumq;, qui pituitę assimilatur, conficit: iecur, viscus rubrum, sanguinem rubro colore saturatum efficit, ex sanguine rubro per adustionem fit flaua bilis: quippe flauus color ex rubro adusto resultat, ex maiore adustione simul cum corpulentia fit color niger, qualem habet melancholia. Si verò aliquis quęrat, cur à prima formatione ventriculus album obtinuit colorem, iecur rubrum, vel confugiēdum est ad substantię proprietatem, vel dicendum, ventriculum esse vnum ex ijs mēbris, quę ex semine fiunt: oportuit autem ita esse, nēpe membranosum, vt facilè dilatari ad excipiendos cibos, & comprimi, vt eosdem amplectatur, possit. Iecoris aliqui colorem rubrum ad igneitatem referunt, ego in meteoris microcosmi ad sulphuream quandam naturam: quippe sulphur in tartaro dissolutum rubedine saturatur.

Isti humorum colores in statu etiā pręter naturam, suam habent latitudinem: bilis enim à pallido ad flauum colorē per mediū rufum tendit, & his tribus coloribus adhuc bilis, secundū naturam, dici potest. Quæret tamen aliquis, cur bilis vitellina iam excluditur ab humoribus secundùm naturam, si vitellis ouorum flauus inest color? Respondeo bilem vitellinam esse vitellis ouorum similem non dūtaxat in colore, sed in substantia etiā: quippe si solum colorem vitellis ouorum similem haberet, vtiq; naturalis humor esset, cum tamen crassam obtineat substantiam magis, quàm pro statu naturali est, meritò ad humores pręter naturam reducitur.

Et viribus.

Habent humores diuersas inter se vires, seu facultates: nā cum sint quatuor proportione respondētes, vnusquisq; humor eius elementi, cuius specimen refert, vim, facultatemq; habet. Porrò elementa, dixit Plato, corporibus nostris inesse; meliùs tamen Hippocrates non elementa, sed calidum, frigidum, humidum, siccum appellauit: *potestate siquidem* (vt Galenus ait) *in corporibus non actu insunt: actu verò insunt*,

G. 8. de placit. c. 4.

insunt, quæ ex ipsis per media alimenta gignuntur, sanguis, pituita, flaua, & atra bilis. Igni flaua, atra terræ; pituita aquæ correspondet: atq; iccirco calida, & sicca flaua bilis facultate sicut ignis, atra frigida, & sicca perinde ac terra, pituita non secus atq; aqua frigida, & humida euasit. Solum autem aereum elementum, in animalium corporibus, iuxta naturam suam, tum in respirationibus, tum in pulsibus cernimus perstitisse. Sic Galenus, qui trium humorum facultates tribus elementis correspondentes recenset, sanguini autem nullam propriam assignat facultatem.

Hoc propterea euenisse existimo, quoniam cum singula elementa habeant qualitatem in summo, alteram propè summum, si quatuor humores quatuor elementis responderent, nullus esset humor medij temperamenti, aut saltem medio temperamento proximus; dari autem aliquod corpus temperatum, quod reliqua gubernet, & sua quantitate excedens totum denominet temperatum, magis necessariũ est, quàm seruare omnimodam cum quatuor elementis correspondentiã. Quòd siquis interroget, cur in microcosmo necessariũ fuit, vt aliquod corpus temperatũ esset, quod reliqua sua quantitate superaret, in macrocosmo autem non ita? Respondeo. In macrocosmo continuas fieri generationes, & corruptiones, quę non nisi ex contrariorum inter se pugna consurgunt: neq; præterea ex hac contrarietate posse corruptionem totius oriri: quippe elementa tum simplicitate substantię, tum magnitudine moles incorruptibilia sunt: vna namq; parte corrupta multas in subsidiũ aduenire certissimũ est, in microcosmo autẽ neq; quatuor humores sũt corpora simplicia, neq, adeò magnæ molis, vt nequeant citò suũ contrariũ corrũpere, nisi contrariorum pugna ex alicuius tẽperati præsentia frænũ habeat.

Porrò in quatuor humoribus euenire video id, quod etiam in quatuor anni temporibus: nam inter anni tempora æstas est calida, & sicca, vt ignis, autumnus frigidus, & siccus, vt terræ, hyems frigida, & humida, vt aqua, ver autem temperamentum medium obtinet; aut saltem medio valde propinquum: siquidem ita est calidum, & humidum, vt simul possit dici temperatum: quia videlicet neq; in calore, neq; in humiditate excessum habet: sic etiam adolescentia veri comparatur, quæ calida, & humida moderatè, ac proinde temperata censetur. Hinc inter ista tria affinitas est, adeò vt tam in adolescentia, quàm in tempore verno sanguis abundet: nec propterea tam in illa ętate, quàm in hoc tempore ex abundantia sanguinis, medij temperamenti limites transgredimur: medij, inquam, non ad pondus, sed ad iustitiã: posse namq; temperamentum ad iustitiam dici medium, licèt non respiciat ad extrema, velut temperamentũ ad pondus, sed dũtaxat ad actiones, ostendit Galenus, inquiens, singulas animalium naturas suum proprium medium habere, vt hominem tale, canem tale &c. Sed de temperamento sanguinis seorsim aliqua dicenda sunt. G. 3. fa cult. nat. c. 44.

DE TEMPERAMENTO sanguinis.

QVÆSTIO QVARTA.

Argumenta, quibus probari potest, sanguinem esse frigidi temperamenti. *Articulus Primus.*

1 MAgnorum virorũ opinio fuit, sanguini frigiditatem inesse. Hanc in primis sententiã tenet Autor libri de corde, qui sic statuit: *Sanguis enim non est natura calidus (neq; enim idia aliqua aqua) sed calescit. Multis autem videtur natura calidus esse.* Eandem opinionem sequitur Cornelius Celsus, cuius hęc sunt verba. *Neq; enim natura sanguinis est, vt vtiq; caleat, sed ex his, quæ in homine sunt, is celerrimè calescit, vel frigescit.* Galenus aliquando visus fuit in hanc inclinasse opinionem, dum ait, *Sanguis verò ipse à corde suum accipit calorem*, quasi insinuans, eum non habere ex se ipso, sed mutuatum à corde. Iam verò Aristoteles, sanguinem frigidum esse, manife-

Margin notes: lib. de corde in fine. Corn. Cels. lib. 4. c. 3. — Gal. lib. de tẽp. 1. ad finem. Ar. 2. de par. an. c. 3.

nifestissimè cẽset: quippe apud eum duplex calor est, duplexq; frigus: vnum actu, vel potentia, alterum per se, vel per accidens. e. g. aqua feruens, actu, & per accidens est calida, per se, & potentia frigida. Dicit ergo, sanguinem esse calidũ per accidẽs, & calidũ actu: eius hæc sunt verba. *His ita præfinitis, apertum iam est, sanguinem quodam modo calidum esse, videlicet eo, quale est ei sanguini esse, perinde aquam feruentem nomine vno significamus. At vero subiecto, & quod tandem cum sit, sanguis est, non calidus est.* Potest hæc opinio rationibus confirmari.

2 Prima; quando aliquid separatur ab alio, si qualitatem amittit, quam, cum coniunctum erat, habebat, illa qualitas ei inerat ab eo, cui coniungebatur: sanguis è corpore separatus statim calorem deperdit, & præ frigore concrescit, signũ manifestum, calorem illi à corpore inesse.

3 Altera: fœminæ maribus sunt frigidiores, (quod Hippocratis, Aristotelis, Galeni testimonio constat) & hoc nunc pro hypothesi constituatur: sunt itaque frigidiores, sed magis sanguineæ, quod ostendit menstruarum euacuationum necessitas, quibus si careant, malè habent: si ergo sanguine redundant adeò, vt singulis mensibus cogantur euacuationem sanguinis pati, si itidem frigiditate superant mares, non accipiunt à sanguine calorem: quare nullus sanguini inest calor.

4 Tertia: nutrimentum, & nutritũ debent, saltem temperamento, assimilari: sed ossa nutriuntur ex sanguine, suntq; temperamento frigida, frigiditatem ergo à sanguine, non calorem suscipiunt.

5 Quarta: sumi potest ex Galeno, qui, in semine plus esse, ait, igneę substantię, atq; aereæ, in sanguine aqueæ, terreęq; si ergo ex elementis humorum temperamenta assignamus (quod in pręsentis contextus explicatione cum Galeno pręstitimus) sanguis, qui aquam, & terram, duo elementa frigida, in se continet, frigidus est, non calidus. Gal. 1. méd. sanit. c. 2.

Vera sententia statuitur.

Articulus Secundus.

1 PRæstat, cum Hippocrate, & Galeno, sententiam ab eis pluriès repetitam amplecti, & in hac parte ab Aristotele, sanguinem frigidum esse asserente, recedere, quod vniuersa schola medica libens facit: quippe amicus Aristoteles, sed magis amica ueritas. Ergo siue ad materiam, ex qua fit sanguis (ea est pinguior, & aerea alimenti pars) siue ad officinam, in qua sanguis conficitur (ea est iecoris parenchyma) respicimus, caliditatem sanguini tribuere cogimur. Dico parenchyma iecoris, tametsi aliqui, quorum opinio valde improbabilis est, in venis, non in iecoris carne hęmatosin fieri, tenent. Ar. 2. de par tib. anim. c. 3.

2 Deinde conseruatio omnis à simili est: sanguis calore custoditur, frigore corrumpitur. Quòd si calor sanguini per accidens inesset, non inesset ab ortu: quod enim accidit, post ortum accidere solet; si fieret calidus influxu cordis, non refrigeraretur corpus extracto sanguine: semper enim remaneret influens calor, qui substitueretur in absentia extracti sanguinis. At, vt Galenus ait, natiuus calor perseuerantiam ex sanguine habet. Tandem si sanguis frigidus foret, non obstaret iecoris frigiditas, quominùs sanguis generaretur. G. de cur. rat. per sang. miss. c. 5.

3 Si Galenum consulimus, passim apud eum inueniemus, sanguinem calido temperamento esse preditum; Imò in cõmentario libri primi de natura humana, hanc sententiam ferè ex instituto pertractat, & inter signa calidi iecoris, sanguinis excessum reponit. Sunt autem aliqui, queis magis placet, sanguinem non calidum dicere, sed temperatum. Cum his tamen non est, quòd litem habeamus: nam, vt iam in cõmento remanet explicatum, ex vna parte, qui sanguinem calidum esse, dicit, non ei caloris magnum attribuit excessum: ex altera, qui temperatum esse vult, non dicit temperatum ad pondus, sed ad iustitiam, quod suam habet latitudinem: ideo [a] ex Galeno elici potest, sanguinem esse temperatum, scilicet in eo sensu, in quo ver temperatum esse dicimus. G. de caus. morb. c. 4 de tumor. præt. nat. c. 2. art. med. c. 4[?]

a G. 5. simpl. c. 21. idem elicitur ex libro de for mat. fœt. & pluribus aliis locis.

4 Non est silentio pretereundum, cum sanguis, & pro quarto quodã humore, & pro

& pro omnibus quatuor simul sumptis accipiatur, varias esse sententias assignatium alterutri ex his proprium temperamentum. Sunt, qui dicunt, vtrumq; esse temperatum: sanguinem quidem quartum humorem, quia prę cęteris amicus, & familiaris naturę cum sit, optimam temperiem habere debet: sanguinem autem, qui est congeries ex quatuor humoribus, quia sanguine quarto humore temperato, & pituita frigida, melãcholico etiam succo frigoris participe temperatur, ita vt bilis cal.ditas nihil possit, frigidum esse, dicunt. Alij sunt, qui vtruq; dicunt esse temperatum, hoc est, calidum, & humidum moderatè. Nam sanguis quartus humor calidus, & humidus cum sit, maiorem in vniuersa massa obtinet portionem, atq; ita vniuersa massa similiter calida, & humida est; quòd si eius caliditas augetur à bilis consortio, etiam à pituitę, & melancholię societate frigiditas suscipitur, humiditas verò ex sanguine quarto humore, & ex pituita, qui duo in maiore quantitate sunt, superat siccitatem vtriusq; bilis, quarum quantitas est minor. Alij dicunt, sanguinem quartum humorem excedere per calorẽ, massam verò vniuersam esse temperatam, idq; demonstrant, quia ex humoribus calidis, frigidis, humidis, siccis, iuxtà debitam proportionem (qualem in corpore sano supponimus) mistum fit contemperatum. Sunt tandem alij, qui sanguinem quartum humorem temperatum esse statuunt, eum verò, qui ex omnibus componitur, cum variorum membrorum, quę varijs temperamentis sunt prędita, alimonię inseruire debeat, non posse non esse intemperatum prædominio caloris, cum subdominio tamen partium frigidarum, vt omnium alimẽtum esse queat.

5 Quamquàm autem omnes prędicti verisimilia loquantur, hęc vltima opinio mihi magis veritati consona videtur: quippe natura suis vsibus rerum temperamenta accommodauit, sanguinem quartum humorem, qui calidi innati substantia futurus erat, temperatum esse oportuit, hoc est moderatè, seu in exiguo excessu calidum, vt est dictum: etenim & perpetuo cordis influxu, & spirituum, qui corde calidiores censentur, consortio gaudens, si ex sua natura moderati caloris limites excederet, profectò ex adiunctis calidissimus euaderet. E'cõtrario sanguis, vt est massa composita ex quatuor humoribus, qui fuit generationis nostrę materia, est & materia nutritionis: quare heterogeneum esse oportet, vt diuersorum membrorum, quę nutrire debet, naturis accommodetur; cum autem maior pars membrorum sit eorum, quę calida habentur, debẽt iccirco in sanguinis massa partes calidę exsuperare. Vnde in hoc composito excedit quartus humor, qui temperatus est, vergit tamen ad caliditatem: secundo loco adest pituita, quæ, dum per venas simul cum sanguine fertur, non est omnino frigida, sed vt ad sanguinis naturam progreditur, sic progreditur ad calidam naturam, neq; est sicut pituita illa, quę in cerebro, & ventriculo stabulatur: ex his compo-nẽtibus, totũ non habet, cur frigidũ euadat, habet tamẽ, cur eius calor augeatur, nempe sanguinis arterialis per transfusionem consortium, spirituum concursũ, cordis influxum, & bilis permistionem. Hęc omnia efficiunt, vt massa sanguinis magis excedat in calore, quàm sanguis quartus humor, quem parùm excedere, iam satis, superq; est demonstratum.

Soluuntur rationes in contrarium initiò adductæ.

Articulus Tertius.

1 OPortet ergo ea soluere, quę in principio contrariã sententiam persuadere videbantur. *Ad primum argumentum*. Non rectè ex concretione sanguinis extra corpus arguimus, frigidum esse: in primis enim sanguis, qui concrescit, non est solus, sed pituitam habet admistam: Deinde sanguis extra corpus iam amisit natiuum calorem, nec nisi ęquiuocè dicitur sanguis. Tandem adeps, & oleum faciliùs congelantur, quàm aqua, nec propterea plusquàm aqua frigoris participant. Vnde non ex facili concretione frigiditas cognosci potest: de sanguinis tamen concretione pleniùs tractabitur inferiùs. infra sect. 4. q. 17. per totam.

2 *Ad alterum*. In fœminis redundantia sanguinis non est signum maioris caliditatis: nam iccirco in eis sanguis redundat, quòd minus absumunt, minus autem absumunt, quoniam sunt frigidiores.

3 *Ad*

3 *Ad tertium* multi multa dicunt: continet namq; difficultatẽ valde intricatam: nam si ex sanguine fit medulla, vt ex medulla nutriantur ossa, plures istæ coctiones potiùs caloris augmentum arguunt, quàm frigoris: quippe Aristoteles, quę concoquuntur, coctione calida euadere, dixit, & tamen nutrimentum tendit ad ossa, quæ frigida suapte natura sunt. Mihi, omissis aliorum responsionibus, placet dicere, ex parte sanguinis melancholica nutriri ossa, vt pote quę terream magis naturam obtinent, hæc autem pars in sanguine reliquis frigidior censetur. Neq; verò quispiam obijciat, ex melancholico succo nigro non debere nutriri ossa albissima: nam etiam quando ex sanguine nutrirentur, ex rubro sanguine albedinem haberent; color igitur non attestatur nutrimenti materiã, sed agentis substantiam. Præterea medulla in ossium cauitate inclusa spirituum societate destituitur aliquantulum, & ita ossium nutrimentum euadit. Arist. 4. meteor. c. 3.

4 Ad Galenum, qui in sanguine plus, quàm in semine aqueæ, & terreæ substantiæ inesse, ait, dicimus, eum loqui de sanguine, qui in vtero materno cumulatur, & fœtui materiam prę stat: is autem sanguis menstruus est constans ex omnibus quatuor humoribus, nos autem inquirimus temperamentum sanguinis, qui est quartus humor. Hìc tamen se offert difficultas: nam si sanguis istę constat ex quatuor humoribus, & iuxtà Galenum constat ex substantia aquea, & terrea, cur superiùs statuimus, sanguinem ex quatuor humoribus constantem esse calidum maiori excessu, quàm sit quartus humor? Respondeo, Galenum dixisse, inesse sanguini plus aqueę, & terreæ substantiæ, comparatione facta ad semen, non tamen simpliciter, & absolutè. Quid verò dicemus ad Galenum, qui sanguinem calidissimum esse, ait, eorum quę in corpore nostro sunt? Rorarius dicit, calidissimum comparatione ad humida, prę sertim ad pituitam: sed hanc responsionem non tolerat contextus. Quid rursus ad eundem Galenum, qui alibi, inquit, sanguis æquabilẽ quatuor humorũ temperaturã creat? non intelligitur ęquabile ad pondus, nam sanguinem recedere à cutis temperamento alibi non semel dixit. G. 8. de tẽper. c. vlt. Rorar.

Et in detrimentum, & in vtilitatem.

Dicuntur humores facere ad detrimentum, quoniam omnium ferè morborum materialium causa sunt. Sed adhuc possumus dubitare, cur omissi sunt morbi ex simplice intemperie, morbi in compositione, & in continui solutione? Respondeo, in pręsente nec referri morbos ad suas causas, neq; causas ad suos morbos: nam sic omnes morbos, omnesq; causas percurrere oporteret, si tractatio perfecta scribenda foret; Sed agitur de humoribus, & hi dum malorum causæ dicuntur, non excludunt alias causas, quæ sanitati nocere possunt.

Adhuc posset aliquis dicere, si humores causę morborum dicũtur, hoc omnibus humoribus debet competere: cęterùm Hippocrates, siue Polybius inter humores morbum facientes duos tantùm enumerat, inquiens, *Morbi igitur vniuersi fiunt ex his quidem, qui in corpore insunt: tum à bile, tum à pituita*. Dicunt aliqui satis fuisse, hęc duo pro exemplo afferre; Verùm non placet hęc excusatio: nam ibi ex instituto de morbis agebat, quare non debuit esse deminutus. Alij dicunt, bilis nomine vtramq; bilem comprehendi: sanguinis non fuisse factam mentionem, quoniam, vt sinè alijs nũquã existit, sic neq; sinè alijs patitur. Hęc etiam responsio non est digna, quę recipiatur: nam ex solo sanguine fiunt febres synochę, in quibus licèt alij humores aliquid patiantur, febris solius sanguinis specimen refert. Quamuis autem aliquis dicat, synochum putridam ad biliosas febres esse reducẽdã, dicente Galeno, *Quæ enim ex sanguine putrescente fit, iam quodam modo biliosa est*, nihilominùs non est negandum, dari affectum sanguineum, vt in plenitudinis illa specie, quam, Galenus dicit, fieri à solo sanguine, à solo, inquit, vt hãc distinguat ab alia, quę ab omnibus quatuor fit humoribus: inquit enim, fieri plenitudinem *quatuor humoribus æqualiter redundantibus, aut solo sanguine*: dixit *æqualiter*, nimirum iuxtà illam proportionem, quam in sanitate seruari diximus, forsitã omisit sanguinẽ, quia hoc habet peculiare, vt reliquos humores corrigat.

H. lib. 1. de morb.

G. 2. cris c. 12.

G. 2. local. c. 1.

Quod tamen ad pręsentis cõtextus verba attinet, omnes humores possũt

E 2 esse

esse ad detrimentum, vel aucti, vel corrupti: omnes ad vtilitatem, si naturæ normam seruauerint: quippe nullus ex quatuor humoribus est, qui ad aliquem vsum, vtilitatemq; non sit à natura ordinatus; omitto eas portiones, quę, simul cum sanguine per corpus, ad alimoniam, membrorum, excurrunt, nam hos, certum est, esse ad vtilitatem viuentis: sed ego adiũgo, etiam excrementium quemlibet suos habere vsus.

De sanguine non est dubitandum: quippe adeò eius vsus increuit, vt ab Aristotele sit dictum, *Et semper quandiù vita seruatur, sanguis vnus animatur, & feruet.* Non disputo hic, an sanguis sit animatus, satis enim ad pręsens est, vt verba Philosophi accipiantur, si non quatenus sanguis habet animam, saltem quatenus disponitur ad animã, & capax est animationis, id, quod toto vitę tempore cõtingit. Pertinet etiam ad sanguinis vtilitatem, quam corpori affert, id, quod Galenus de eo asserit: nempe, non solùm sanguis corpori alimentum pręstat, sed calor natiuus in ipso perseuerantiam continet.

Ar. 3. de histo animal. c. 19.

G. de sang. miss. c. 4.

De bile, quę in chisti tellis colligitur, etiam dici potest, eam esse vtilẽ: quippe Auicenna, tam bilem, quę cum sanguine fertur, quàm aliam, quæ ad suũ receptaculum transmittitur, vtiles esse, ait. Prioris duas vtilitates tradit, vnã vt cum sanguine misceatur ad nutritionem quorundam membrorum, alteram, vt sanguinem reddat subtiliorem ad penetrationem: posterioris etiam duas alias vtilitates tradit: vna est, vt per eam intestina à fęcibus, & pituita lenta expurgentur, habet enim facultatem detergendi: alteram, vt sua acrimonia intestina, & musculum ani pungat, excitetq; ad sensum, vt expellat excrementa: quę omnia à Galeno desumpta sunt, alibi fusiùs explicanda.

Auic. 1. 1.

Pituita, non ea solùm, quę cum sanguine fertur, suos habet vsus, vt scilicèt nutriat membra pituitosa, vt sit veluti frenum calidę bilis, vt etiam in sanguinem conuersa nutrimentum sustineat, sed illa etiam, quæ excremẽtosa dicitur, ad articulos delabens eos humectat ne contingat siccitas ex calore, & confricatione: quod idem pręstat in omnibus membris, quę sunt ordinata ad motum localem. In cerebro etiam impedit, ne viscus illud cõtinuis cogitationibus inflammetur; vt somnus etiam ad animalis restaurationem concilietur, quę duo nisi pituita in cerebro adesset, fieri nequaquàm possent.

De melancholico succo etiam est, quod dicere possim, is, & pręter alios vsus, quos habet, vnus est, quẽ reperit Auicenna: nimirum vt ad ventriculũ deducatur ad excitãdam famem, quẽ vsum, quoniam à Galeno non fuit inuentus, non recipit Tubigensis, recipitur tamen, & meritò, à Vallesio, & alijs, à quibus hoc est satis, superq; vẽtilatum. Patet ergo humores, *& in detrimentum, & in vtilitatem esse.*

Et neque lædentes, neque commodantes.

Hęc verba sic prolata difficilia intellectu videntur: nam cum natura omnia ad finem aliquem dirigat, quî fieri potest, vt humores nihil in corpore commodi, aut incommodi afferentes procrearit? Verùm si respiciamus ad finem, ad quem natura humorum generationem direxit, facilè nobis erit intelligere, tunc humores ad finem à natura propositum dirigi, cũ nihil commodi, aut incommodi pręstent: dico commodi, aut incommodi, intelligens alterationem secundùm qualitates siue ad bonum, siue ad malum: quippe humores ad alimentum corporis diriguntur, alimentum autem tunc perfectè alimenti munere fungitur, cum omni prorsus qualitate alterante caret, qua si non prorsus careat, saltem eius quàm minimum sit particeps. Hoc Galenus eleganter pertractat in loco iam à nobis sępiùs citato, nec oportet eandem rem hic repetere.

G. 1. de alim. fac. c. 1.

Et multitudine, & excessu, & defectu, & implicatione.

Hippocrates breuiloquus multitudinem, & excessum dixit: quare existimandum est, diuersas res esse. Mihi sanè videtur multitudine respicere ad quantitatem, vt sit affectus ille; qui plenitudo, seu plethora appellatur, excessu, & defectu respicere ad qualitatem, vt sit vitium illud, quod propriè

priè dicitur cacochymia; cōplicatione verò respicere ad vtrumque, vt sit affectus ex vtroq; compositus, & sic tres lassitudinis species comprehendantur: videlicet in plenitudine lassitudo tensiua; in cacochymia, vlcerosa; in vtraq; simul phlegmonosa.

Obstare tamen videtur prędictę expositioni, quòd non benè supponat, multitudinis nomine intelligi solam plenitudinem: quippe hæc sola ad quantitatem refertur, quod falsum esse existimabit aliquis, quoniam etiam cacochymia potest fieri sinè praua qualitate humoris, sed ex solo augmento cuiusuis humoris præter sanguinem. Verissimum namq; est, sanguinem per se solum, vel simul cum aliis humoribus proportionem seruantibus, si augeatur, efficere plenitudinem; verissimum tamen est, alium quemlibet humorem, qui non sit sanguis, auctum efficere cacochymiam. Vnde non videtur rectè multitudinis nomen soli plenitudini accommodari. Respondendum tamen est, iure optimo à Galeno, & aliis multitudinem accipi pro plenitudine: quippe sanguis abundans, & plenitudinem efficiens, sola quantitate nocet, non autem qualitate; reliqui verò humores, quando augentur, qualitate nocent, quod si per impossibile, qualitate non nocerent, vtique cacochymia non esset, ac proinde purgatio dicitur euacuatio humorum qualitate peccantium, sanguinis missio autem, quæ multitudinem euacuat. Verùm in his commorari aliquantisper, non erit inutile. G. de plen. nō longè à princ. G. 9. meth. c. 5.

DE LASSITVDINIBVS.

QVÆSTIO QVINTA.

1 QVoniam verba contextus ad tres lassitudinis species reduco, eas hic breuiter libet explicare. Lassitudo vel fit à præcedente labore, cuius curationem docet Galenus in opere de sanitate tuenda, vel oritur sponte ab interna causa, & ideò spōtanea dicitur ab Hippocrate, quam in citato loco curare etiam G. docet. Vtriusq; sunt eadē symptomata, sed spontaneæ hoc peculiare est, vt sit morborum prænuncia. Hæc triplex traditur à Galeno. Prima dicitur vlcerosa, quia per totum corpus mordacitatis sensum efficit, similem ei, qui fit in vlceribus; Tensiua altera nuncupatur, quoniam in ea tensionis datur sensatio, sicut fibrę intensæ; Tertia phlegmonodes, in qua perinde se habet vniuersum corpus, ac si vniuersi musculi essent inflammati. Causam verò, ex qua vnaqueq; ex his tribus ortum ducat, docemur à Galeno his verbis: *Cum tres sint lassitudines, prima, quæ vlcerum, secunda, quæ tensionis, tertia, quæ inflammationis sensum habet: prima quidem ex vitiatis humoribus ortum habet, secunda ex plenitudine, tertia ex vtrisque simul iunctis*. Cum verò audimus tertiam speciem, nempe phlegmonosam ex vtrisq; simul ortum habere (quod etiam alibi repetit idem) non debemus intelligere, hanc tertiam esse quoddam compositum ex vtrisq. quod diuersam ab illis speciem non cōstituat; Etenim tametsi quoad causam nullam aliam habeat, nisi compositam ex causis, quæ alias duas gignunt, nec item quoad sensationem, quippe in hac tertia est & tensionis, & vlceris sensus, nihilominùs quoad essentiam mali, habet aliquid proprium, videlicet maiorem, quàm pro naturali habitu, tumorem, & hūc esse huic pręter cęteras particularem dixit Galenus. G. 3. sanit. tuen. H. 2. aph. 5. G. 3. sanit. tuend. c. 7 c. 9. & lib. 4 eiusd. c. 2. & 2. aph. 5. G. lib. de pl. sed cla 2. aph. G. 4. sanit. tuend. c. 1. G. 3. sanit. tu. c. 6.

2 Siquis autem dicat, dari etiam in nobis grauitatis sensum, qui alius est à prędictis tribus, quare videtur constituenda quarta lassitudinis species, respondendum, duplicem plenitudinem constitui à Galeno, vnam, quæ est respectu ad vires, quę scilicet quamuis non tanta est, quę vasa nimis repleat, est tamen tanta, quę vires opprimat: alteram, quæ respicit vasorum intercapedinem: Tensio ergo magis pertinet ad istam, grauitas magis ad illam. Cęterum cum ea, quæ est ad vasa nimis increuit, tunc & tendi & grauari corpus dicitur. Huic responsioni obstare Galenus videtur: quippe *Vlcerosam dispositionem ex mordacibus humoribus fieri, ait, onerosam ex multis virium respectu, tensiuam verò ex multis etiam ad ambientem ipsos intercapedinem, non verò contentorum corporum facultatem*. His verbis Galenus grauitatis sensum, quem onerosam dispositionem vocat, negat, posse pertinere ad plenitudinem. G. de plen.

dinem, quę est ad vires. Aduertendum tamen est, Galenum, qui sæpissimè tres lassitudinis species agnoscit in prędicto loco phlegmonosam non meminisse, sed solum accepisse vlcerosam, & tensiuam, quia hæ duæ inseruiebant argumentationi, quam aduersus Erasistratum moliebatur. Onerosam verò, & tentricem nominauit, non quasi duas species distinctas, nam sic suęmet doctrinę sępius traditæ esset contrarius, sed vt ostenderet, in vna tentrice posse dari duas sensationes, alteram rei tendentis, alteram grauantis.

3. Porrò plenitudo ad vires potest adesse sinè eo, quod vasa tendantur, ac propterea tunc aderit grauitatis sensus, (grauantur namque vires) non autem sensus tensionis: quippe vt grauitas pertinet ad vires, sic tensio ad vasa. Quando autem tensio vasorum (vt dixi) increuit, adeò vt detur impotentia ad actiones, dicuntur membra grauata, licet grauitatis sensus expressus non adsit. Hoc Galenus docet exemplo ventriculi à cibo quamuis exiguo, grauati, & similitudine iuuenis, ac pueri, qui non possunt idem onus portare. Idem etiam Galenus alibi, à plenitudine, quę fit respectu virium, venas non distendi ait: quapropter si quando in hac plenitudine distentio adest, id euenit, quia aliam sibi habet adiunctam. Pręstat ergo, hęc omnia redigere in compendium,

G. de plen. nó longè à princ. G. 9. meth. c.5.

- *Plenitudo.*
  - *Ad vasa.*
    - *Non increuit adeò, vt lassitudinis sit comes: potest seorsim, sinè plenitudine existere, non tamen curationem postulat, nisi pręseruationis gratia.*
    - *Increuit, vt tensionis sensum efficiat: cumque impotentiam ad actiones obeundas secum afferat, necessariò secum habet alteram, quæ est ad vires.*
  - *Ad vires.*
    - *Reperitur simul cum plenitudine ad vasa, quando humor simul & vasa distendit, & vires opprimit, & tunc, quamuis grauitatis sensus non sit explicitus, dicitur tamen facultas grauari, quia ad actiones obeundas est impotens.*
    - *Reperitur seorsim sinè altera (reluctante Eustachio) potest namque virtus imbecilla grauari abs a quantitate, quę non dum vasa repleat, & hæc etiam quemadmodùm altera, quæ est ad vasa, sanguinis missione tollitur: quare rectè Galenus in vtraque venam secari iubet, dummodò tamen vires non sint adeò languidæ, vt sanguinis missionem prohibeant.*

G. de sang. miss. c.4

- *Cacochymia.*
  - *Augmento alterius humoris à sanguine.*
    - *Intra vasa, & tunc non datur simul cum plenitudine: nam implicat, sanguinem esse auctum supra reliquos humores, & aliquem humorem esse auctum supra sanguinem.*
    - *Extra vasa, & datur simul cum plenitudine: nihil enim prohibet, corpus plethoricum habere vesicam felis obstructam, & esse ictericum, quod vidit Eustachius; in hac non datur affectus phlegmonosus, iste enim fit permistione duorum: at in cacochymia extra venas, & plenitudine intra, non datur permistio.*
  - *Vitio humoris sinè eiusdē augmento.*
    - *Intra vasa, & potest dari simul cum plenitudine: demus enim, quòd sanguis quartus humor sit auctus, & bilis v.g. putrescat non aucta, vel omnes humores secundùm proportionem sint aucti, & aliquis eorum præternaturaliter se habeat, siuè in qualitatibus primis, siuè in substantię corruptione, erunt simul in venis cacochymia, & plenitudo, ac subinde affectus phlegmonosus.*
    - *Extra vasa potest etiam dari simul cum plenitudine: quid enim prohibet, intra vasa esse plethoricum affectum, primam verò regionē pituitosis, biliosisuè, aut etiam melācholicis succis scatere?*

Aliquorum

Aliquorum quidem, aliquorum verò non.

NOn est perpetuum, omnes humores excedere, aut deficere, aut permisceri ad detrimentum, & ad vtilitatem; & quod attinet ad detrimentum possunt aliquandò vnus, vel duo humores noxam inferre, aliquãdò plures, & interdum isti, interdum illi. e. g. in tertiana notha, si sit, quam barbari maioris famæ, seu notæ appellant, permiscetur bilis cum pituita; si sit minoris famæ, bilis, cum melancholia; interim tamen neque in hac pituita, nec in illa melancholia detrimentum affert, & in neutra etiam sanguis.

Cęterùm videtur huic doctrinę praxis communissima contradicere: quippe in tertiana notha, siue hac, siue illa sanguinem mittimus: si ergo sanguis non inculpatur, quorsum hoc remedio vtimur? Deinde medicamento purgante vtimur, quod catholicon appellatur, quia omnes extrahit humores: si igitur non omnes peccarẽt, non conueniret hoc pharmacum. Respondeo, quod ad sanguinis missionem spectat, verum quidem esse, conuenire sanguinis missionem ex pręcepto Galeni; qui agens de hac febre inquit, *Quòd si sanguinem mittere oportet, neque hoc quidem omittendum, sed ab initio statim, adhibita earum rerum, quas scis, distinctione, tantum mittendum, quantum præsens exigit status.* Ceterùm, vt Stephanus Atheniẽsis aduertit, in hac tertiana, nimirùm notha, tunc mittendus est sanguis, cùm plenitudo adest. Vnde Trincauellius, magis pręseruationis, quàm curationis ergò hoc remedium admittit; ne scilicet morbꝰ sinè periculo, qualis est tertiana intermittẽs (quę enim intermittũt periculo vacãt) cõuertatur in morbũ periculosum, videlicet in continuam, & augescẽte sordida putredine in malignam.

G. 1 ad Glau. c. 10. Steph. Atheniensis

Trincauel.

Et omnium.

Quando videlicet omnes simul humores augentur, & tunc plenitudo est maximè propria: nam (vt hoc ijs, quę superius de plenitudine dicta sunt adiũgamus) inter plenitudinem ex solo sanguine, & plenitudinem ex omnibus quatuor humoribus agnoscenda est: in hac posteriore principalitas, nã & magis propria, & frequentior, & maioris etiam momenti est.

Quando etiam omnes humores deficiunt, & pro his adsunt eorum serositates, ex quibus oritur ea, hydropis species, quę asceites appellatur.

Quando etiam commiscentur omnes, & tunc massa sanguinis est omninò impura, fitq; pessima cacochymia. Atque ita, referemus istud omnium ad multitudinem, excessum, defectũ, & implicationem, quæ omnia superiùs manent explicata.

Caliditatem lædunt, ac iuuãt, & frigiditatem lædunt, ac iuuant.

Varij effectus producuntur à varijs humoribus in corpore existentibus: *Caliditatem lædunt*, e. g. bilis caliditatem viuentis, quę mitis, & suauis esse debet, immitem, & insuauem suo affluxu reddit: hic enim humor suam secum limam habet, nempè siccitatẽ, quà acrimoniam acquirit.

Caliditatem iuuat sanguis, qui si abundet, sua miti natura mitem efficit omnem calorem, qui in corpore est.

Frigiditatem lędit v. g. pituita, quę frigidam cerebri substantiam, frigiditate nocua, intemperatam efficit, adeò vt eius redũdantia fiat in cerebro memorię abolitio, catalepsis, & non raro etiam apoplexia.

Frigiditatem verò iuuat: quoniam frigiditas illa, quæ calori assistit, ne euanescat, pituitosi humoris præsentia fouetur, & hanc esse vnam ex causis diximus, cur pituita cum sanguine simul per venas excurrat: nempe ad sustentandam frigiditatem, ex qua calor sustinetur, dicente Hippocrate, *frigidum alimentum calido.*

Et facultatem lædunt, ac iuuant.

Facultatis nomine forsan intelligit quamcumq; facultatem: quęlibet enim facultas, siue animalis sit, siue vitalis, siue etiam naturalis, in humoribus, hoc est, in sanguine suam sedem habet:

habet quippe facultates, si eæ, quę spirituales sunt, nempe sensus, & voluntas, excipiantur, reliquæ sunt animæ simul cum corpore, ac proinde sedē habent in sanguine, qui animam corpori annectit. Forsā facultatem intelligit antonomastice animalē, imò quia animalis duplex est, motrix, & sentiens, nobiliorem sentientem accipit.

DE FACVLTATVM PRINCIPATV.

QVÆSTIO SEXTA.

Argumenta pro qualibet facultate.

Articulus Primus.

1 Viget adhuc, æternumq; vigebit contentio, quam Galenus aduersus Aristotelem incepit, ab vtriusq; scholę auscultatoribus posteà, quasi iure hæreditario suscepta: vtrū tres facultates tribus mēbris distinguātur, constituēte Aristotele in corde monarchiam, Galeno autem in corde, cerebro, & iecore triarchiam, siue triumuiratum: nec desunt, qui testiculis etiam additis tetrarchiā efficiant. Ceterùm non spectat ad presens negotium isthęc tractatio. Sed quoniam in medica schola trium principalium membrorum prestantiam, ex eo agnoscimus, quòd singula eorum singulis facultatibus regalem sedem paratam habent, res isthęc pro hypothesi statuenda est, & quænam omnium sit prestantior, quis habitationis ornatus, decernendum.

2 In primis pro naturalis facultatis præstantia adduci potest, quòd reliquarū ministerio vtitur: nam nutritioni, quæ naturalis facultas est, inseruit animalis, scilicet appetentia, cui incumbit ventriculum excitare, imò etiam cogere ad cibos capiendos; facultas etiam vitalis naturali ancillatur, ei namq; perpetuò spiritus offert, quibus sanguis vtitur in nutritione viuentis: quippe spirituum comitatu peragit, quę peragenda sunt.

3 Deinde reliquæ facultates auxilium petunt à naturali, vitalis namq; sinè sanguine per venam cauam in cor ingresso periret, animalis, si cerebrum nutritionis defectu exsiccaretur, deficeret: expectant ergo vitalis, & animalis subsidiū à naturali tamquàm inferiores à superiore.

4 Tertia: animalia, & plantę in virtute naturali conueniunt, naturalis ergo est communior, ac proinde præstantior: vtpote quæ longiùs sui imperij fines extendit, cumq; sit vniuersalior, nobilior quidem est, nimirum paucioribus differentijs coarctata.

5 Pro vitali est, quod omnia quęcumq; fiunt, ad vitę custodiam fiunt: quare vitalis facultas est finis, ad quem omnia diriguntur, causa autem finalis prestantissima est, vt pote propter quam cęterę operantur: nam finis id dicitur esse, cuius gratia reliqua fiunt.

6 Deinde cor, licet non habeat eam prestantiam, quam illi peripatetica schola tribuit, continendi in se originem omnium facultatum, nihilominùs facultatis vitalis, quam illi medica schola non denegat, tanta est prestantia, vt huius duntaxat beneficio prestantissimum inter omnia membra esse censeatur. Quapropter natura illud multiplici munimento defendit: situm habet in medio thorace, vt salutaris stellę instar radios vitales in omnem partem ęquè diffundat: thorax autem, in quo continetur, anteriore parte sterno, posteriore vertebris dorsi, superiore clauibus, inferiore diaphragmate circunscribitur. Quòd si tanta dignitas est cordis, & hoc viscus tanti facit natura non ob aliud, nisi quòd vitalis facultatis est sedes, profectò vitalis facultas prestantissima est inter omnes.

7 Tertiò: vitali facultati animalis perpetuò ancillatur: quippe respiratio ad vitalis facultatis custodiam est destinata: respiratio autem musculis peragitur, ac proinde actio est facultatis animalis.

8 Pro

8 Pro facultate animali facit, quòd intellectus, per quem homo est id, quod est, suum in facultate animali fulcimentum habet: nam dum anima est in corpore, nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu: separata etiam, licèt species recipiat infusas à Deo, nihilominùs retinet etiam eas, quas è corpore detulit, à sensibus priùs acceptas.

9 Deinde facultas animalis nobilem habet agendi modum, nempè liberum: in motionibus enim libertas agnoscitur, in sensationibus autem pręter libertatē, est etiam dignitas alia, quę intellectum ęmulatur: quippe sensationes sensuum internorum, & alię, quę externorum, non nisi per species fiunt: dixi aliquas externorum, quoniam tactus, & gustus, qui est quidam tactus, obiecta rẹcipiunt absque ministerio specierum. Non dari autem sensationes internas sinè interuentu specierum, multis rationibus demonstratur, & auctoritate Aristotelis pluribus in locis fulcitur: quod videre est apud Conimbricenses, & alios. Conimb bric. com. in Ar. de an. 2. q. 2. ar. 2.

10 Tertio: quia facultas animalis, saltem secundùm partem cognoscitiuam, magis separata est à materia, quàm quęlibet alia facultas, icciro anima appellatur: habet enim animę quoddam specimem; Vnde Hippocrates ait: *Melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur, & è contra morbo comitiali laborantes efficiuntur melancholici, atq; horum vtrumlibet magis accidit, prout vel in hanc, vel in illam partem infirmitas repit: si enim in corpus, epileptici, si in mentem, melancholici redduntur.* Quę verba ita explicantur, vt in melancholia videatur malum magis in mentem inclinare, quàm in corpus, quoniam in ea functiones animę cognitricis sunt deprauatæ. Hip. 6. epid. sect. 7. prope finem.

11 In hoc triuio positi, quà sit eundum, difficile est scire: prętat tamen cum distinctione loqui, sic enim asperitates auferentur, ad quas offendit intellectus. Res itaq; non vno simplice pronunciato, sed pluribus decernenda est.

Quomodò quæstioni sit respondendum.

Articulus Secundus.

1 DVm inquirimus trium facultatum naturalis, vitalis, animalis prętantiā, versari debemus circa subiectum, quod earum sit capax, alioquin cum possit dari viuens, quod facultatem habeat naturalem, careat animali, nullum autem, quod animalem habeat, & careat naturali, quod Aristoteles affirmat, qui agens de plantarum anima, ait, *Sinè autem ipsa nihil est prorsus, quod habeat sensum.* Maxima hęc est naturalis facultatis nobilitas, quòd scilicet per se solam existere possit, aliæ non sinè ipsa: nam vitalis quoq; quę pulsatione perficitur, non est sinè naturali, imò sunt, qui eam ad naturalem reducunt, quod supra iam satis est dictum. Itaq; quæsiti ratio consistit, vt in animali, quod tribus prędictis constat facultatibus, quęnam earum primatum obtineat, declaretur.

2 Porrò animal ab vna anima in esse animalis constituitur, non à tribus animis, hęc autem anima vna indeterminata est ad quaslibet, determinatur autem ab his, seu potentijs, seu facultatibus, quas tres duntaxat esse, mox probabimus, dummodò priùs demonstratum sit vnitas isthęc animæ, quam Aristoteles præ reliquis videtur optimè demonstrasse: si enim anima disiungi potest in tres animas, quid illam tenet, ne disiungatur? num corpus? at corpus ab his potiùs cōtinetur: quippe anima abeunte corpus dissoluitur, atque putrescit: quid ergo aliud ipsam detinet? num anima alia? at oportebit rursus quęrere, an hęc alia sit vna, an multiplex: si vna est, cur ergo & prior illa non erat vna? si multiplex, rursus quęrimus, à quo ista multiplex detineatur, & sic in infinitum abitio erit. Quòd si quis dicat, contineri ab accidente aliquo, instat Albertus Magnus, id, quod ab accidente fit, est vnum per accidens. Addit Philoponus, si opera vegetantis animę alitio, auctio, generatio à tribus prodeunt substantijs, malè vegetatiua anima vna dicitur: si prodeunt ab vna tribus insignita facultatibus, quid ni etiam fateamur, hominis opera ab anima vna, facultatibus verò diuersis prodire? Auicennæ etiam potentissima est ratio; Nam quemadmodùm à philosophis constituitur sensus communis, quia percipimus album, & dulce in lacte, Ar. 1. de an. tex. 90. & 91. Alber. Magn. Philopon. Auic. lib. de anim.

F quam

quam coniunctione nullus percipit externorum sensuum; cur non eodē modo facultates varię ad vnam animā terminentur? quippe sensitiua anima agnoscit pulchrū, non concupiscibilis; concupiscibilis cupit, nō agnoscit: quomodò ergo admonetur concupiscibilis, vt concupiscat? profectò aliquid vnū est, in quo cōueniāt: nam si Socrates videt pulchrum, non iccirco Plato concupiscit; quia scilicet pluralitas animarum impedit commercium facultatum. D. Thomas sic argumentatur: Ex potentia, & actu fit vnum per se, quia illa non sunt duo, sed est aptitudo ad rem, & res: ex duobus verò actibus, siue substantiæ sint, siue accidētia, non potest fieri vnum, quippe duę res sunt. Multę aliæ, ex prędictis auctoribus, & alijs quamplurimis possunt colligi rationes ad prædictam veritatem comprobandam: sufficiant tamen hæc pauca, ex quibus admonitum velim Satyrum Rechensem, vt quando suas altricis animę ferias publicauerit, se ipsum declaret; & ingenuè profiteatur, nolle se aut plures animas, aut plures animæ partes intelligere; quippe anima perfectorum nec multiplex est, nec partibilis.

D.Th. 1.p. q. 76. art. 3.

3 Ex hac animę vnitate colligitur facultatum eius pluralitas. Nam cum vna sit, actus verò ipsius plures re ipsa distincti, quomodò potest idem secundùm idem determinari ad plura realiter distincta? Debet ergo determinari non secundùm, quod est vnum, sed secundùm quod est plura; est vnum per se, erit ergo plura per aliud: istud aliud non est, nisi diuersæ potentiæ, seu facultates. Hę autem animę accidunt; quippe cum sint principia operationum, sunt accidentia, quibus substantia operatur: nulla enim substantia est immediatum suę operationis principium, quod Aristoteles significat, dum ait, ignem, terram, cęteraq; similiter non esse nata agere, nisi prout habent contrarietatem: at substantię nihil est contrarium: idem ergo est dicere prout habent contrarietatem, ac si dicat, prout habent accidentia. Tandem substantia neque sinè accidentibus existit, neque sinè ijs operatur, propterea eam natura accidentium varietate exornauit, vt possit actiones suas promere.

Ar. de sēsu, & sensil. c. 2.

4 Facultatum numerum multi multifariam venantur. Peripatetici huiusmodi potentias quinq; recensent, vegetatiuam vnam, alteram sensitiuam, tertiam loco motiuam, quartam appetitiuam, quintam intellectiuam, quas ab obiectis in hunc modum disponit D. Thomas.

D.Th. 1.p. q. 37.a.1.

Potentia fertur in obiectum.

- Coniunctum: *Talis est vegetatiua, quæ circa alimenti mutationem versatur.*
- Separatum.
  - *Agit in id, cuius imaginem in se habet.*
    - *Est in organo corporeo, talis est sensitiua.*
    - *Est extra organum corporeum, talis est intellectiua.*
  - *Agit, vt in fine talis est appetitiua.*
  - *Agit, vt in terminum, talis est loco motiua.*

Medici cunctas ad tres reuocant, animalem, vitalem, naturalem; appetitum, & motum non constituere diuersam speciem ex eo sibi persuadent, quòd in primis appetitus, vel ex ipso Aristotele, reliquis potentijs est adiunctus, sinè quo nequaquàm vegetabilia alimentum habebunt, conseruabunturue; sentientia non dolebunt, aut delectabuntur, rationalia libertatem voluntatis non exercebunt. Deinde loco motiua, sub potentia, seu facultate animali, tamquam species infima

Ar. 2. de an. c. 3. tex 37.

ma constituitur: ad animale namq; vim, tum sentire, tum moueri pertinet: quandoquidem vtrumque libero animæ arbitrio fit. Tandem de intellectiua quorsum aget medicus, si hęc ad corpus, quod est medicinæ subiectum, non pertinet?

5 Plato morum institutioni intentus, tametsi in numero facultatum cum medicis conueniat (quippè ternarium statuit) re maximè discrepat; nam appellat rationalem, quam immortalem (sic referente Galeno) esse affirmat, duas rationis expertes, irascibilem, & concupiscibilem. Hæc doctrina propositæ sibi tractationi in libro de republica, in quo de iustitia, alijsquè virtutibus exprofesso agit, nimiùm congruebat: quare meritò Fernelius huiusmodi Platonicas facultates morales appellat. Nos nunc in medica area versamur, & tres illas à medicis constitutas recipimus, vt potè quæ alias implicitè in se habent. De harum ergò primatu quid sentiendum sit, decernere oportet. G. q̃ animi mores c. 3.

6 Porrò, si consideremus facultatum præstantiam, prout vna ab altera independens est, naturalis, & vitalis sibi inuicem par pari referunt: quippe quemadmodum vitalis, absquè naturali sibi sanguinem ad spirituum, & sanguinis arterialis materiam suggerente non permanet, ita neque naturalis sinè spiritibus vitalibus, quos venæ à substratis arterijs recipiunt, neq; sinè calore viuifico permanere potest. Vitalis verò, & animalis, licèt non inæquilibrio sint, habent tamen suam inuicem dependentiam: habent quidem dependentiam, nam vitales spiritus transmittuntur, ex quibus fiunt animales: & virtus animalis motu musculorum respirationem molitur, qua vitali facultati inseruit; Sed hanc vicissitudinariam dependentiam non in æquilibrio esse, dixi, quoniam cum paucissima, & vix perceptibili respiratione potest animal viuere (non posse enim omnino sinè respiratione viuere, suo locò ex professo demonstrabo) sed cum vitali admodùm languida, neque motus, neque sensus constare possunt; quare iam extinctioni appropinquantis vitalis facultatis signum est, si æger non audiat, si non videat, si ad pedes dilabatur, & reliqua, quæ circa sensum, & motum ab Hippocrate in prognosticis referuntur. An verò sinè vitali influxu diutiùs, quàm sinè animalis facultatis irradiatione posit anima permanere, non valdè constat. Nam ex vna parte victima (vt narrat Galenus) extracto corde cucurrit, & clamauit, donec præ sanguinis exeuntis multitudine cecidit: Ex altera parte Hippocrates sinè respiratione animal in breui parte vnius diei perire ait. Quicquid ergò sit de spacio temporis, quo vna istarum facultatum, absque alia perdurare potest, illud certissimum est, eas inuicem vnam ab altera admodùm dependere. Quod verò attinet ad animalem cum naturali: hæ duæ licet aliquo modo inuicem dependeant, nihilominùs dependentia est valdè diuersa. Nam necessarium quidem est ad nutritionem, vt præcedat ciborum acceptio, & deglutitio, imò etiam & animalis appetentia, quæ omnia ab animali facultate fiunt: nihilominùs potest nutritiua facultas circa internum alimentum per aliquot dies versari, (numerum dierum iam supra definiuimus) atque ita potest naturalis facultas per spacium dierum sinè auxilio facultatis animalis constare; Facultas autem animalis tandiù sinè naturali, quandiu sinè eadem naturali constabit vitalis: quippe si vitalis corruat, nec sibi spiritus conficiet, nec alteri: quare ab hoc damno damnum animali facultati adueniens, eam prorsus truncabit. Infra. Hip. 1. progn. G. ... H. de flat.

7 Si verò consideremus easdem facultates, prout animantibus inseruiunt, naturalis quidem, cum non anima, sed natura propriè dicatur, non constituit animal in esse animalis, licet constituat illud in esse viuentis, prout distinguimus cum Aristotele, animal à plantis: tametsi enim sensitiuum, vt ex Aristotele diximus, non possit esse sinè vegetabili, hoc solùm probat, vegetatiuam prærequiri ad sensitiuam: quippè nihil potest esse sensitiuum, quod non sit vegetabile, potest tamen esse vegetabile, quod non sit sensitiuum. Verùm hoc in præsente non habet locum: quippè agimus de animantium genere, cui supponimus, tres facultates necessario inesse, & in hoc facultas naturalis non est, quæ constituit animal, sed viuens vegetabile. Supersunt duæ facultates, vitalis, & animalis, quæ ad animal, vt animal est, pertinent.

8 Objiciet tamen aliquis, vitalem non pertinere ad animal, sed ad viuens, quippe vitalis confert vitam, per quam non animal, sed viuens constituitur. Memini, me iam superiùs dixisse, non posse esse animal, quin sit viuens, nec viuens, quin sit animal, & viuentis nomen accepi non in eo sensu, quo plantæ viuere dicuntur, sed in eo, quo vita est aliquid à vegetatione diuersum. Viuat itaq;

planta suo modo, hoc sola vegentandi facultate, viuit animal suo, nempe per facultatem, quæ, vti superiùs dixi, ab aliquibus ad vegetabilem reductiuè mittitur, à Mercato ad sensitiuam, à Vallesio constituitur media inter vtramque. Vt vt sit, sufficit, quòd in animalibus, non in plantis reperiatur, solis enim animalibus pulsatio, & spirituum vitalium generatio conuenit. Cum igitur animalia ex hac vitali, & ex alia, quæ animalis dicitur, & sensum, motumque comprehendit, constent, quæ nam istarũ duarum principatum teneat, in controuersia versatur.

Supra sect. 1. q. 4. ar. 3. n. 5.

9 Decernendum itaque in hunc modum est. Si respiciamus ad custodiam animæ in corpore, vitalis quidem præstat; quippè propterea vitalis appellatur, quòd permanentiæ animæ in corpore inseruit, adeò vt facultate vitali, in cordis ventriculis sedem suam habente, soluta, soluatur vinculum animæ, & corporis. Cæterùm licèt ex parte necessitatis ita se res habeat, iam superiùs diximus, posse aliquid esse magis necessarium (vt inter sensus est tactus) & tamen minùs nobile: quippe visus necessitate inferior, nobilitate superior est. Itaque custodię animæ in corpore, in qua consistit totius animalis perduratio, necessaria est plus, quàm animalis facultas, ea, quæ vitalis appellatur. Cæterùm si loquamur de naturæ præstantia, vt nobilius est perfectè viuere, quàm simpliciter viuere, ita nobilior est facultas animalis, per quam perfectè viuitur, quàm vitalis per quam viuitur simpliciter: indicio sunt animalia imperfectissima, quæ vitam quidem habent, imperfectionem autem non aliundè eis tribuimus, nisi ex imperfectissimo sensu, & motu, quem habent.

10 Dignitas etiam animalis facultatis cognoscitur ex admirabili fabrica palatij, in quo residet: nam preter quàm quòd eius situs sit in eminentissima corporis parte tamquàm in spectabili quadam arce, habeatq; ibi speculatores sensus externos, proculquè existat à coquinæ inquinamentis, habet etiam plurimas concamerationes, & tegumenta, & inseruientia vasa, de quibus, præter cæteros, videndus est Andreas Laurentius. Non est quidem negandum, cordis etiam architecturam miro artificio constare, cæterùm longè inferiore architecturæ cerebri, vt docet autopsia, ad quam pertinet hæc contemplatio. Soluenda igitur sunt, quę pro singulis facultatibus indistinctè initio argumenta fuerunt adducta.

And. Laur. lib. 1. q. 4.

Responsio ad ea, quæ pro singulis facultatibus indistinctè initio adducta sunt.

Articulus Tertius.

1 Qvæcumque pro naturalis facultatis prestantia dicta sunt, parùm efficacia censeri debent. Nam quando animalis facultas sensu diuulsionis famem efficit, magis officio principis, quàm serui fungitur: quippe sic animanti iam iam præ inopia cibi deficienti succurrit, non aliter ac princeps in annonæ caritate ex alijs regionibus conquiri iubet, & afferri alimenta, consules subditorum suorum conseruationi. Quando etiam vitalis naturali suos donat spiritus, quibus naturalis viuenti inseruire queat, non iccirco censenda est vitalis inferior naturali, imò superior, quæ subditam sibi naturam largitione locupletat. Neque etiam præstantia arguitur, quòd naturalis facultas aliarum facultatum organis alimentum ministrat, immò naturalis respectu aliarum habet se, tamquàm coquus dapes præparans suis heris. Nequè tandem, quòd naturalis virtus sit ceteris communior complectens scilicet animalia, & plantas, ideò quãdo cum reliquis coniũgitur, his nobilior indicatur. Communissima res est etiam temperamentum, vt pote quod non viuentia etiam comprehendit, & tamen quandò in viuente simul cum facultatibus concurrit, facultatibus in nobilitatis gradu cedit: indicio huius rei est, quòd temperamentum est instrumentum, quo facultas operatur: quòd si Hippocrates, temperamentum animam esse, putauit, à quo non videtur dissentire Galenus, nos iam alibi, pręcipuè in, tractatu, *Quæ ex quibus*, ostendimus, hanc opinionem ab aliquibus falsò, & ex ignorantia magno viro Hippocrati attribui. Si quis tamen aliquis teneat, hanc fuisse Hippocratis sententiam, saltem fatebitur, Hippocrate, si ita sentiret, non propterea temperamenti

Tract. quæ ex quib.

menti dignitatem augere, sed animę deminuere. Tandem quod dicitur, communitatem naturali facultati nobilitatem conciliare, quippe vniuersaliora nobiliora censentur, falsum quidem est: quò enim vnicuique enti plura conueniunt prędicata essentialia, eò nobiliorem naturam obtinet: quippè homo nobilior est animali, quia in se continet animal, & hominem, Socrates, verò nobilior his, quia continet in se animal, hominem, & naturam indiuiduam. Sed quòd ad communitatem naturalis facultatis attinet, non ex eo, quòd facultas sit communis animalibus, & plantis fit, vt in animalibus sit prestantior reliquis facultatibus; Solaris namque virtus communis est generationibus omnium rerum, nec tamen, quando concurrit simul cum homine ad generationem hominis, principatum obtinet. Hoc tamen explicatione indiget: nam id, quod communius est, potest simul cum minùs communibus nobilitate reliqua superare, non tamen superat, quoniam communis est, sed ex se prestantiam habet; e. g. iustitia communissima est virtus, quippe se extendit ad plures alias virtutes, nihilominùs si cum qualibet alia coniungatur, semper principatum obtinet, non quia cõmunior est, quàm alię, sed quia prestantior, quippe ex sua natura nobilior est: siquidem secundùm eam benè se habet homo etiam erga alios, æqualitatem eis prestans, virtutes autem, quæ alteri conducunt, (ex sententia Aristotelis) prestantissimę habentur. Ex altera parte, si res ex se sit ignobilior, quamuis communior sit, non propterea superabit id, cum quo coniungitur: e. g. sensitiuum esse communissima res est, comprehendens tàm irrationalē naturam, quàm rationalem; cum ergo iungitur cum rationali, non propterea quòd est communior, erit nobilior. Itaquè communis est naturalis facultas, vt diximus, se extendens ad animalia, & plantas, cæterùm ignobilior cum sit, quando cum sensitiua coniungitur, non ex eo, quòd communior est, nobilior censebitur. Ar. 5. eth. c. 1

2 Quæ verò pro vitali facultate afferebantur, sic dilui possunt. Fatemur omnia, quę à natura fiunt in corpore viuente, fieri propter vitę conseruationem: confitemur etiam, finem, seu causam finalem nobiliorem esse medijs, per quę ad finem tendunt: possunt tamen hęc media, non prout ad finem tendunt, sed per se ipsa absolutè, hoc est abstracta à ratione mediorum, nobiliorem essentiam habere, quàm res illa, quę finis est, cuius gratia reliqua fiunt: quippe media appetibilia sunt, vel propter se ipsa, vel propter finem: si propter finem, finis ipse melior est, & appetibilior, ac subinde nobilior: si propter se ipsa, nihil est, quod impediat, quominùs ipsorū bonitas, ac nobilitas sit maior bonitate, nobilitateuè finis; e. g. proponat sibi aliquis, tamquàm finem, diuitias, medium autem ad acquirendas has sit ars, atque scientia, & virtus, nempè prudentia: hęc omnia rationem habent medij, ac subinde effectus illius finis, & sic necesse est, vt in nobilitate fini ipse cedant; Si tamen hęc media considerentur secundùm se ipsa, nemini dubium est, esse diuitijs nobiliora: eodem modo quicquid natura molitur, ad eum finem fertur, vt vita custodiatur; Inter hæc autem media, quę sunt ad vitę custodiam, aliqua nobilioris ordinis, quàm sit vita ipsa, censentur, vt sunt motus arbitrij, tum respirationis, tum deglutionis, vt est cognitio, qua res vtiles prosequendas esse agnoscimus, nocuas verò fugiendas. Nec verò negauerim, vitam his omnibus esse animantibus magis necessariam, quia desinente vita desinit esse anima, nihilominùs illa media prestantiora sunt, quippè si non vitam, at certè nobiliorem vitam constituunt, vnde superioris ordinis esse dicuntur.

3 Quicquid verò adiungitur circa cordis situm, architecturam, & munimenta, ostendunt quidem, facultatem vitalem esse valdè necessariam, valdè etiam nobilem, non autem probant, animalem ab ea superari; quippe & situs facultatis animalis eminentior est, & fabrica longè maiore artificio instructa. Tandem quòd animalis facultas motu musculorum thoracis, & diaphragmatis vitalem facultatem conseruet, non hoc suę derogat nobilitati; imò verò animalis facultas vitalem fouet, quoniam ab ea tamquàm perpetuum vectigal recipit spiritus, quos suos facit, & in proprijs actionibus absumit.

4 Quòd verò pro animalis facultatis prestantia vltimo loco adductum est, rectè confirmat id, quod tanquàm verum resoluimus, nempè hanc esse, quę principatum inter reliquas obtinet, in cuius gratiam satis multa dicta sunt. Et quoniam hanc facultatem secundùm eam partem, quę cognitiua est, intellectum ęmulari diximus, id confirmare libet ex eo, quòd eisdem nominibus, quibus

quibus intellectiua facultas appellatur, appellari etiam solet vis sensitiua interior; quippè sensus internus, aliquandò mens, aliquandò ratio nuncupatur.

Mentis nomine, an potentia organica intelligatur, an verò solus intellectus.

Articulus Quartus.

1 MEntem esse animam, aut saltem pręcipuam animę partem, nempè intellectum, receptissimum est ab antiquis; Vnde secundùm priscam Mercurij Trimegisti Ægyptij doctrinam, *Anima in corpore, mens in anima, in mente verbum, horum pater Deus:* Sacri etiam Theologi, essentias rerum ab æterno in mente diuina collocant, & inde descendētes beatas mentes appellant, quos Angelos, seu Dei ministros sacra pagina aliàs nuncupat. Aristoteles mentem, & intellectum, quasi vnam, & eandem rem accipit: laudatquè Anaxagoram, quòd mentem impassibilem, & immensam esse, dixit. Sed quando hęc omnia ad probandum mentis incorpoream, spiritualemuè naturam non sufficerent, satis est vnus instar omnium omnipotentis tuba Dei Paulus, qui datam sibi, ait, legem membrorum repugnantem legi mentis: ex hac autem repugnantia colligimus, mentis naturam naturę corporeę contrariam esse, ac proindè spiritualem.

Ar. 8. phys. tex. 38.

Paul. ad Ro. c. 7.

2 Quamuis ergò circa hoc nulla adsit difficultas, nulla etiam difficultas deberet esse circa latissimam huius nominis significationem, vt scilicet extendatur ad potentias etiam cognoscitiuas, quę corporeis organis ad suas functiones vtuntur, nisi Satyrus, quem Richardetum Scholastici per irrisum vocant, me in certamen compellaret, quòd, in morbis aliquibus, vt in apoplexia, mentem sopitam iacere, dixerim. Arma gerit in Aristotelis officina fabricata, atquè, non decere medicum, & philosophum pręstantissimum (ita me sæpè appellat per contemptum, ab alijs tamen vt verum recipitur) non decere, inquit, dixisse, *In apoplexia, & epilepsia, & alijs morbis, qui spuriæ cuiusdam ecstasis naturam habere videntur, mentem iacere sopitam: quoniam Aristoteles apertè sanxit, in morbis animam intellectricem nihil pati, nihil sustinere mali, sed id, in quo anima est: nempe corpus, &c.* Itaquè cum ego, mentem sopitam esse, dixi, tu arguis dicens, hoc falsum esse, quia anima intellectiua morbos non patitur, ac proindè quod ego mentem appellaui, tū animam intellectiuam appellas.

pag. 232.

3 Sed quid in me accusationem istam iactas? Iacta eam in Hippocratem, qui me errare coegit: quippè ab eo, qui dicit, *Mens ægrotat,* hunc loquendi modū accepi, & putabam me Hippocratica phrasi vtentem, non esse indignum nomine pręstantissimi medici, atque pholosophi. Cur ergo me laceras? Lacera diuinum Senem, qui dixit, *Quicumque dolentes parte aliqua corporis, dolorem non sentiunt, his mens ægrotat.* Quid ad hoc habes, quod possis dicere? habes quidem: qua verò fronte, tu videris. Respondes non longè infra, Hippocrates ibi, *nomine mentis intelligit sensum communem appellatum, qui facultas est corporea, pro indequè morbis obnoxia.* Candidus es, nec fallere vis: si quidem tuas contradictiones, ita manifestas profers, vt vnusquisque eas assequatur. Priùs mentem in morbis iacere sopitam, non admittebas, quia mens est anima intellectiua, nunc mentem ęgrotare posse admittis, quia mens est sensus corporeus organicus morbis obnoxius. Bacchus, in cuius festiuitate hęc scripsisti, te adiuuet.

Cōtradictio impudens.

pag. 241.

4 Sed venio ad aphorismi explicationem. Hippocratem, ais, nomine mentis intelligere sensum cōmunem appellatum: istud *appellatum,* cur à te est additum? num appellationem tu non recipis? Deinde vndenam ita sensisse Hippocratem, tibi constat? aut quis tibi dixit, eum cognouisse sensum communem? nunquid alibi huius sensus mentionem fecit? Pręterea tu sensum communem hic vis intelligi, quia hic sensus est potentia organica: nunquid alij sensus non sunt potentię organicæ? Frustra ergo degladiantur autores, dum inquirunt, an interni sensus locis distinguantur. An nescis, posse vnam ex potentijs internis offendi, alijs illęsis permanentibus? quod Galenus, exemplo Theophili, qui tibicines auferri è cubili iubebat, & alterius, qui è fenestra filium proiecit, probat: nam

G. de sympt. dif. c. 3. & lib. 4. de loc. aff.

Theo-

Theophilus phantasiam, vt vocant philosophi, seu imaginatiuam, vt medici, læsam habebat: quia imaginabatur tibicines adesse, qui non aderant; benè tamen discurrebat, quippè si adessent, eijciendi erant. Alius benè agnoscebat filium, non benè discurrens eum è fenestra proiecit. Tandem in peste, quę tempore Thucydidis peruagata fuit, remanebant omnes, qui ex morbo euaserant, omninò immemores. Hasne potentias existimas, non esse organicas, sed solùm sensum communem?

Itaq; *Quicumq; dolentes,* ait Hippocrates, *parte aliqua corporis, dolorem non sentiunt, ijs mens ægrotat.* H. 2. aph, 6. Ego explicaui *dolentes,* hoc est, habentes causam doloris: tu magnus vir, qui explicasti *Elia lelia,* hanc explicationem damnas; quia nullam mentionem facit Hippocrates de causa doloris: at si mentionem fecisset, vtiquè explicatione non indigeret. Sed quid tu respuis hanc explicationem? ne quęso propterea mihi litem moueas: cum Galeno, à quo hoc accepi, litigato. *Dolores*, inquit ille, *solet nominare nonnunquàm, dispositiones ipsas, in quibus dolemus: in quem sensum dicebat in libro epidemiorum, quando in Cranone antiqui dolores frigidi, noui autem calidi: haud quaquàm dolores calidos, frigidosuè, sed dispositiones, ex quibus fiunt, ita nominans.* H. 6. epid. sect. 1. tex.8. Quid ergo mecum pręliaris? Cum Galeno res tibi habenda est, qui etiam, quod ad mentem spectat, sic habet: *siuè autem νοῦν, id est mentem, siuè διάνοιαν, id est cogitationem dixerit, nihil in præsentia refert*: quibus verbis, mentem non ad sensum communem, sed ad cogitatiuam potentiam refert.

6 Sed esto; preualeat tua explicatio, & doloris nomine, non doloris causa, sed dolor ipse intelligatur. Dicemus ergo dolorem sentiri, eritq; dolor obiectum sensus; dic ergo mihi, vbi nam apud Aristotelem reperisti inter sensibilia, siuè propria, siuè communia dolorem reponi? Deinde tu fateris, dolorem adesse, ex defectu tamen aduertentię non sentiri; aduertentiam autem collocas in sensu communi, quod officium huic sensui nemo vnquam tribuit, imò Aristoteles in ijs met locis, quibus tu margines imples, hanc destruit falsitatem; nam si absq; aduertentia sensatio non fit (vt certè non fit) si rursus aduertentia est in sensu communi, sensationes fient in sensu communi, non in organis sensuum; & hoc est, quod ab Aristotele destrui, inquio; quippè probat manifestè, in vnoquoq; organo sensationes fieri. Scitò etiã hanc tuam aduertentiam, quam Michael Ephesius, & Philoponus inuehere sunt conati, & eam προσεκτικόν, idest, attendentē appellant, vanam esse: nam nihil aliud est attendere ad obiectum, quàm in obiectum tendere: hoc autem vnusquisq; sensus per se ipsum pręstat. Vlteriùs, tametsi obiectum possit speciem in organū mittere, & tamen non fieri sensationē, quia scilicet sentire non est duntaxat pati, sed etiã agere; actio verò non fit absq; applicatione agentis, quam tu aduertentiam nominas, hoc quidem in sensationibus locum habet, dolor autem aliquid importat preter sensationem: est namq; non simpliciter sensatio, sed tristis sensatio, seu potius, vt multi dicunt, tristitia ex sensatione: tristitia non datur absq; operatione appetitus, sed appetitus sensum communem necessariò habet adiunctum. Quomodò ergo si mens, hoc est, vt tu ais, sensus communis, non operatur, operabitur appetitus? si deest appetitus, quomodò adest dolor? Quòd autem dolor ad appetentem animę facultatem spectet, indicio est delectatio, quę spectat ad eandem.

Mich. Ephes. lib. 9. Philopo. lib. 2. de an. tex. 103.

7 Dum agerem de ecstasi, in qua potest intellectus per altissima peruagari, corpore interim sinè sensu, & sinè motu permanente, indicium huius rei sumpsi ex morbis, & ex animi passionibus: potest namq; dum mens ęgrotat, hoc est dum cerebrum, quod est domicilium sensuum internorum, morbo affectum huiusmodi sensuum operationes impedit, corpus sensu, motuq; priuatum iacere: & sic mens sopita iacet, mens, inquam, hoc est, interni sensus. Tu autem dicis, hoc non pertinere ad intellectum, de quo ago: imò maximè: nam ego ex absentia ista sensuum internorum, probo absentiam intellectus. Vide quomodo. Audistine aliquandò, sic docente Aristotele, oportere intelligentem speculari phantasmata? Si ergo ex vi morbi, vel passionis alicuius, phantasmata non sint, quia sensus interni, à quibus phantasmata fabricantur, cessant ab operatione, tunc intellectus ociari debet, vt certè ociatur: quippè nullus, qui ex apoplexia, vel epilepsia conualuit, narrauit, se, dum morbo oppressus erat, aliquid intellexisse. Sed in ecstasi intellectus non ociatur, quomodò ergo potest operari sinè phantasmatibus? nempè hoc supra naturam est: quippè tunc agit per modum separati, hoc est, eo modo, quo aget, quando animam à corpore separatam

Ar. 3. de an. tex. 30. tex. 39.

comi-

comitabitur: nam speculari phantasmata pertinet ad statum huius vitæ. Iam ergo tibi demonstraui ex eo, quòd per morbos mens ægrotat (sic loquitur Hippocrates) corpus immobile iacere, intellectum verò, si ecstasim tollas, ociari, si eam admittas agere, non secundùm præsentem statum, sed vi aliqua superiore ad eum modum, quo aget, tunc cum anima erit à corpore separata.

8 Sed malignè quidem, dum mentem sopitam dixi, me animam dixisse, calumniaris. Grammaticum profiteris: quare non poteras ignorare, me iuxtà veræ latinitatis vsum loquutum fuisse. Dixit quidem Aristoteles, animam rationalem non esse, quæ senio diffluat, sed ego mentem dixi cum Tibullo, à quo fluxa mens senio dicitur: mentem sopitam dixi, mentis stuporem dixit Cicero: Si ergo stupor est morbus mentis, morbus dici potest, dixitq; magnus Hippocrates, neq; contradicit Aristoteles, cuius auctoritatibus margines imples.

An possit ratio aliquando dici potentia organica.

Articulus Quintus.

1 INtellectum humanum rationis nomine significari, ex eo vel maximè patet, quòd homo per intellectum rationalis appellatur. Cęterùm non est negandum, posse etiam hoc nomen ad organicas potentias extendi, quibus ratiocinamur, easq; ratiocinatrices propterea appellamus. Negat tamen hoc Rechensis Satyrus, & sua met autoritate vtitur, potiùs abutitur: ait namq; se probasse potentiæ ratiocinatrici, adeòq; intellectui nulla prorsus esse instrumenta ad operandum. At non erat hoc probandum: nam tibi libenter fatentur omnes, estq; notum lippis, & tonsoribus, intellectum non esse potentiam organicam. Probandum erat id, quod proposuisti: nempè, *Vnicam tantùm in homine reperiri potentiam ratiocinantem, quam appellant philosophi intellectum, & mentem, cuius vnius, dicunt, esse ratiocinari*. Probare igitur debueras, solum intellectum esse potentiam ratiocinantem: hoc non probasti, quippè & grammaticos, & logicos, & philosophos, atq; etiam medicos aduersantes habes. pag. 127.

2 Animaduertendum tamen ante omnia est, cogitatiuam potentiam, quę organica est, non subire eam dignitatem, vt ratio appelletur, nisi in homine tantùm, non quòd in homine, & brutis differat specie: quamuis enim cogitatiua, seu phantasia componat, & diuidat ob coniunctionem cum intellectu, tamen cum hanc dignitatem habeat non ex se, hoc est, ex sensitiuæ partis, sed ex alterius, cum quo coniuncta est, beneficio, non rectè inde arguitur distinctio specifica, sic tradente D. Thoma. Atq; ita licèt Aristoteles dicat, soli intellectui conuenire componere, & diuidere, & discurrere, id intelligendum est, quasi dicat soli intellectui per se hoc conuenire.

D.Th. 1.p. q. 78.art. 4.ad 5.

3 Itaq; in homine potentiam organicam rationis nomine insigniri posse, tibi ex omnium consensu demonstrabo. Latina loquutio hoc maximè tolerat, quippè apud exquisitè loquentes ratiocinari adeò se diffundit, vt etiam computare significet, & ideò calculatores ratiocinatores appellantur. Apud logicos syllogizare ratiocinari dicitur, & syllogismus etiam circa singularia, qui non spectat ad intellectum, vocatur ratiocinatio; Vnde D. Thomas, cogitatricem, quæ à phantasia non distinguitur, eam in homine habere excellentiam, ait, vt componat, & diuidat, ac syllogismo terminis singularibus composito vtatur. Præterea, vt acquiescas, do tibi Aristotelem in Posterioribus sic dicentem, *Alij semper veri sunt, alij verò suscipiunt falsum, vt opinio, & ratiocinatio, vera autem semper sunt scientia, & intellectus*. Idemmet etiam dixit, reminisci esse syllogizare, reminiscentiam verò ibidem corpoream passionem facit. Nec philosophi abhorrent ab hac rationis acceptione: quippè D. Thomas cogitatiuam rationem peculiarem appellat, & Aristoteles imaginationem, omnium interpretum consensu, passiuum intellectum appellat. Locus est apud eum celeberrimus ad probandum notam ei fuisse animæ immortalitatem: Verba sunt huiusmodi: *Separatus autem est solum hoc, quod quidem est, & hoc solum immortale est, & perpetuum. Non reminiscitur autem; quia hoc quidem impossibile est: passiuus verò intellectus corruptibilis est, & sinè hoc nihil*

Ar. 2. post c. vlt. Ar. de memo. & reminisc. D.Th. Ar. 3. de an. tex. 20.

hil intelligit. Itaq; differentiam statuit inter intellectum, qui immortalis est, & intellectum passiuum (nempè ex omnium consensu) imaginationem, cogitationemuè, quæ est corruptibilis, & sinè hac intellectus nihil intelligit in hac vita, quippè nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu. Perit autem extincto corpore recordario, non omnis, sed ea solùm, quæ fit interuentu imaginationis.

4 Quoniam satis ostendi, & apud grammaticos, & apud logicos, philosophosq; rationis, & potentiæ ratiocinantis, quod idem est, nomine comprehendi non solùm rationem illam superiorem ab omni corporeo velamine spoliatam, sed etiam potentiam organicam, quæ per instrumenta corporea actiones suas molitur, restat, vt idem eodem modo apud medicos se habere, tibi patefaciam: hoc autem mihi facillimum est facere in doctrina Galeni, & in hac etiam non adducam omnia, quæ possem, sed breuitati consulens, paucissima.

5 Quid igitur vis? rationem esse potentiam merè spiritualem? nempè vnicum, & solum intellectum, non morbis obnoxium? At dabo tibi apud Galenum rationem læsam, non minus, quàm superiùs mentem etiam læsam ex Hippocrate tibi dedi. Galenus igitur, *Memoriam læsam simul cum læsione rationis* dari, ait, & se nouisse refert quendam, *qui ob laborem in studijs, atq; vigilias memoriam penè amiserat, læsa etiam ratione*. (G. 3. loc. affect. c. 5.) Si autem non solùm rationem, sed ratiocinatricem facultatem morbo læsam expostulas, id ab eodem habebis: huius quoq; veluti paralysim, quæ anœa, siuè amentia dicitur. (G. de symp. dif. c. 3.) Similiter in phreniticis rationem deprauatam esse, agnoscit alibi. Porrò frequentissimum est apud eum (vt de organis rationis nequeas dubitare) rationis, seu ratiocinatricis animæ sedem in cerebro constituere. Et quod magis ad rem facit, est, quòd brutis quoq; rationem, ratiociniumuè tribuit, inquiens, (G. 2. de motu muscul. c. 4.) *An animantium generi, quod irrationale appellatur, nulla omnino data ratio sit, sanè dubium est: nam etsi caret ea, quæ in voce versatur, quam sermonem nominant, quæ tamen animo concipitur, quam ratiocinium dicunt, eius fortasse particeps omne genus animalium est, quamquàm alijs parciùs, alijs liberaliùs tributa sit*. (G. In suasoria initio.) Sic Galenus, qui ratiocinium aliquod tribuens brutis, non profectò illud tribuit, quod sinè organis peragitur: ergo iam præter hoc datur aliud, quod instrumentis indiget. Tu autem cum minore ratiocinio, quàm bruta ipsa, ratiocinandi potentiam coarctari voluisti ad solum incorporeum intellectum.

6 Pro coronide leuissimam calumniam, qua in me vsus es, diluam: cum enim dixissem, referens tuam quandam ineptiam, *Possunt aliæ actiones feriari, vt augmentatio, generatio, & ratiocinatrix*, tua grammatica non tolerat, vt ratiocinatrix dicatur actio: inquis enim, in tuis scriptis nunquàm reperiri, functionem vllam à te ratiocinatricem appellari: *Nam functio quidem mentis aliqua verè dicitur ratiocinatio: ratiocinatrix autem est anima, vel animæ facultas, non animæ operatio*. Sed nescio, cur non possimus etiam, functionem ratiocinatricem dicere; sanè licuit Galeno ita fari, licebit & nobis, quippè interprete Linacro sic ait: *Quin etiam ratiocinatricis functionis, quæ veluti paralysis est*, &c. (G. de symp. dif. cit.) Manet ergo hinc, tibi semper in tuis sycophantijs magnum infortunium contingere, quòd victus iaceas.

TEXTVS X.

F*Acultatis autem variæ naturæ sunt*.

Diuisio facultatum in tres (vt iam superius statuimus) multiplicibus subdiuisionibus est amplificanda. Animalis igitur facultas vel est sensitiua, vel loco motiua: hæc motum præstat voluntarium, & est species infima, reliqui motus ad hanc non pertinent; illa, vel est exterior, vel interior; exterior diuiditur in quinq; sensus satis notos: de numero internorum non constat inter medicos, & philosophos, his quinq; statuentibus; illis tres præter sensum cōmunem, quem etiam medici agnoscunt; Est igitur præter hunc imaginatiua, quæ ab eo species recipit: cogitatiua, quæ discurrit, & memoria, quæ recordatur.

Vitalis est; quæ sanguinem arterialem in dextro cordis ventriculo conficit, quæ spiritus vitales in sinistro fabricat, quæ pulsare facit arterias.

Naturalem aliqui triplicem esse volunt, generatiuam, nutritiuā, augmentatiuam: nos iam superiùs hanc facultatum multiplicitatem abolendā duximus, omnesq; ad vnam nutritiuam censuimus referendas: (Sect. 1.) tametsi enim ad obiecta diuersimodè se habentia ferantur, nihilominùs obiectum est

idem, & idem operandi modus.

Nutritiuæ facultati quatuor facultates sunt ministrantes, quæ circa alimentum, dum conficitur, versantur: prima trahit, quare operatur per motum, fitq; rectarum fibrarum ministerio: secunda retinet, estq; velut actio tonica, cui obliqui inseruiunt villi, quos Auicenna vocabulo abutens transuersos vocat: tertia motu alterationis agit, & appellatur concoctrix: quarta per motum etiam localē agit, habetq; sibi inseruientes transuersos villos, quos Galenus circulares, aut rotundos nominat: hæc expultrix appellatur, magisq; excrementa, quàm alimentum tractat.

Auicenna.

Mihi quidem attractricem à retentrice non differre videtur: quemadmodum enim magnes per eandem vim ferrum retinet, per quem trahit, ita magnetica vis nobis impressa trahit quidem, quod trahendum est, & dum opus est, retinet, donec coctione peracta quicquid expellendum est, expultrici committitur.

Videtur tamen obstare diuersitas villorum: Siquidem attractrix per villos rectos agit, retentrix per obliquos. Respondeo tamen, attractionem fieri per fibras rectas, & has huic actioni sufficere, retentionem verò per rectas, & per obliquas, quippè id, quod retinere volumus, vndiq; apprehēdimus, hoc tamen maiorem facultatis efficaciam arguit, non autem diuersitatem.

Crisippus, & Aristo hanc facultatum multiplicitatem damnabant, vnamq; duntaxat admittebant, quod vniuersæ Scholæ Stoicorum etiā placuisse dicitur; forsitan quia ab eo, quod est vnum, & simplex, non potest naturaliter nisi vnum procedere; anima ergo vna, simplexq; substātia cum sit, emanationem pluribus potentijs præstare nequit. Verùm non est inconueniens ab vno quantumuis simplice plura oriri posse, dummodò inter se habeant ordinem: habere autem facultates ordinem inter se dignitatis, iam superiùs probauimus, imò & ordinem dependentiæ, quo inter se sunt concatenatæ, de quo iam est dictum satis. Aliter etiam respōdemus, has potentias, de quibus agimus, non inhærere animæ secundùm se, sed prout est cum corpore coniuncta, alioquin posset eas anima secum deferre, vt supra iam diximus. Tandem dicimus potentias, seu facultates nō emanare ab anima, quasi à quodam composito ex ijs, sed esse accidentia, quibus anima exornatur: hæc autem nihil animæ simplicitati, dignitatiq; detrahunt.

Crisippus Aristo Schola Stoicorum.

Supr. sect. 1. q. 10. art. 3. in fine.

Argenterius trium facultatum numerum augendū esse voluit, addiditq; quartam innominatam, quam sexuū causam esse dixit, persuasus ex eo, quod castrati homines habitum, vocemq; immutant, deinde quoniam testes inter præcipua membra recensentur, quod non fieret, nisi aliquid toti conferrent. Huic opinioni videtur fauere Galenus inquiens: *Quemadmodùm sentiendi, ac mouendi facultas à cerebro in neruos, pulsandi à corde in arterias diffunditur, ita quoq; à testibus in totum corpus vim quandam dispergi, quæ quidem in maribus robusti, ac masculi habitus, in fœminis ipsius fœmineæ naturæ in causa est. Ac propterea efficitur, vt fœmina abscisis testibus mari castrato similis euadat.* Sic Galenus. Sanè habitus, vocisq; mutatio, & alia, quæ testium dissectionem sequuntur, dignitatem illorum ostendunt, quos etiam inter præcipua mēbra numerare conuenit. Sed vterus quoq; & ventriculus, & pulmo partes præcipuæ appellantur, nec tamen idcircò diuersas facultates ab alijs habere censentur. Non omninò tamen negamus, testes tribuere aliquid toti corpori, per quod sexuum diuersitas agnoscitur, hoc tamen non est facultas; Non est tandem negandum, si ad speciei, non ad indiuidui vtilitatem respiciamus, testes primum habere locum, vt potè qui semen conficiunt propagandæ proli dicatum. Verùm potentia generatiua seminis non est quarta distincta à tribus: nam quemadmodùm ventriculus chylum, sic testes semen in proprium alimentum conficiunt, cuius residuum in generationis opus reponunt.

Argenterius.

G. 1. de semin. c. 6.

VTRVM

VTRVM TRES ANIMAE FACVLTAtes possint etiam tres animæ, & tres partes vnius animæ appellari.

QVÆSTIO SEPTIMA.

1 NVM tres facultates cum Medicis, an quinq; cum Philosophis ponendæ sint, non est, quod nunc in controuersiam vocemus: quippè iam supra professi sumus, nos velle medicè loqui, præcipuè cum circa hoc ferè nulla sit inter vtramq; scholam differentia; cum medici in suis tribus illas quinq; (saltem earum quæcumq; ad medicam contemplationem faciunt) comprehendant. Non est etiam negandum, tres animas esse, naturalē, quę vegetabilis etiam dicitur, & est communis animalibus, & plantis: tametsi eam Stoici non animam, sed naturam appellari sint passi; sed quoniam Galenus, differentiam non in re, sed in nomine tantùm reperit, non est in hoc immorandum: nihilominùs, vt superiùs me dixisse memini, semper propria loquutio impropriæ præferenda est, naturalem autem facultatem animę nomine dignari non est admodùm proprium, imò si Aristotelem consulimus, cum sæpè animalia, & plantas, quasi duas res distinctas dixerit, videtur eius fuisse sententiæ, vt solùm animalia possint ab anima denominari. Hæc igitur siuè anima, siuè natura in plantis sola absq; alijs conspicitur, quod etiam iam supra dictum est; Altera est sensitiua, quę animalibus conuenit: tertia rationalis, hominum propria. Atq; ita tres animas in vniuerso genere constituendas esse, nemo est, qui negare queat. Cœterùm quando omnes in vno subiecto conueniunt, an maneant tres simul animæ, an fiant in vna anima tres gradus, qui ad animarum pluralitatem nihil conferant, disputatione, propter vnum saltem Platonem, dignum videtur: quòd si non efficiant tria, an vnum ex tribus partibus constās? etiam propter multorum vario modo opinantium diuersitatem, inquirere erit operę pretium. G. 1. nat. facult. c. 1. & 6. de plac c. 2.

Non eodem modo omnes facultates dici facultates animæ.

Articulus Primus.

1 OMnis in primis æquiuocatio est auferenda; superiùs inter facultates quandam recensuimus, quam medici in corde collocant, & vitalem appellant, Galenus etiam aliquandò animosam: hanc nunc omittimus, quia, vt supra dictum est, eam aliqui cum Auerroo ad vegetabilem, seu naturalem reducunt, Mercatus ad sensitricem. Hac igitur sic relegata; reliquas potentias, & earum actiones, in alio sensu vitales appellant tùm Medici, tùm Philosophi, quatenus scilicet vitę munera per eas obeuntur, & viuenti, vt viuens est, sunt propriæ. Prætereà nos animalem diximus, quę constat ex sensitiua, & loco motiua, nunc autem nulla fit mentio potentię motricis: nempè quia hęc arbitraria cum sit, hoc est libera, sensui comes est indiuidua, cum enim ex Aristotele si sensitiuum adsit, necessariò adesse debeat appetitiuum, cum rursus frustra appetitiuum datum fuisset, nisi simul esset potentia prosequendi vtile, & fugiendi nocuum; manifesta, & necessaria consequutione hęc omnia supponi debent: Nos autem hic facultates, seu potentias consideramus, prout respiciunt diuersas animas, aut diuersos animę gradus, iccircò etiam rationalem animam, quam superiùs ad animalem facultatem reduximus, nunc separatim consideramus: vt potè qui tunc facultates materiales, iuxtà medicorum placita tradidimus, nunc vlteriùs ad plenitudinem doctrinę immateriales etiam contempla- Ar. 2. de. an tex. 27. & 3. eiusdem tex. 54.

Super sect. 1. q. 10. 2. 3. n. 2. templamur, iccircò hanc differentiam inter materiales, immaterialesq; potentias superiùs tactam in hunc locum reiecimus.

2 Omnes facultates tàm materiales, quàm immateriales, potentię animę dicuntur, non tamen omnes eodem modo: immateriales quidem solius sunt animę, & ei insunt, non quatenus illa est corporis forma, verùm etiam si à corpore abstrahentes essentiam animę cogitemus: quapropter nullis indigent organis ad suas operationes exequendas, & animam à corpore separatam comitantur. Sunt autem hę intellectus, voluntas, & memoria intellectiua. Ne tamen hinc aliquis inferat intellectum, dum anima est in corpore, posse absq; corporis subsidio naturaliter intelligere: nam qui ita sentiret, incideret in errorem Platonis existimantis, animas ante corpus fuisse creatas, & secum detulisse species, per quas intelligunt: verissima autem est sententia Aristotelis dicentis, intellectum esse tamquàm *tabulam, in qua nihil est depictum actu*: quare quicquid acquirit intellectus in statu huius vitę, à phantasmatibus, sensuum internorum, illud accipit: porrò iccircò constituitur intellectus agens, vt scilicet illustret phantasmata, faciat intelligibilia actu, & ex speciebus sensatis eliciat non sensata. Itaq; ad intelligendum potentia quantumuis immaterialis, dum tamen est in corpore, cõuerti debet ad species potentię materialis: nihilominùs tamen intellectio fit per modum immaterialem, hoc est, per species iam à materia omninò liberas, quę si rerum singularium sint, à phantasmatibus, vti diximus, beneficio intellectus agentis fiunt non sensatæ, sin rerum vniuersalium, tunc intellectio fit abstractione ab indiuidis, concipiente scilicet intellectu rem communem relictis differentijs indiuidualibus.

(Ar. 3. de an. tex. 14.)

3 Sed magis nobis immaterialitatem intellectus ostendit (quod de intellectu dicimus, de voluntate, & memoria intellectiua dicendum est) status animæ extra corpus. Supponendum hìc pro hypothesi est, animam per se subsistere, eãq; à corpore separatam actiones edere, saltem immanentes, has autem edi per facultates, seu per potentias, quippè nulla substantia creata immediatè per se ipsam agere potest. Hoc autem tametsi probare à priori difficillimum, & fortè impossibile sit, tamen demonstrari potest à posteriori, videlicet ab improportione, quæ est inter principium totale, proximumq; accidentalis actionis, & ipsam actionem, ne possint coniungi nisi per aliquod proportionatum medium, qualis est facultas. Et ideò sola substantia infinita, quæ omnem proportionem excedit, omnemq; vincere potest improportionem, sufficiens est per se ipsam ad omnem huiusmodi actionem. Statuendum igitur est, dari in anima separata facultates immateriales, intellectum scilicet, & reliquas, alioquin anima omni operatione careret. Quamuis autem intellectus in statu separationis non educat species à phantasmatibus, intelligit tamen tum per species, quas ex hac vita detulit, tum per alias à Deo infusas; Vnde in dubium reuocant Theologi, per quas nam anima separata perfectiùs intelligat? num per has, an per illas; Asserente D. Thoma perfectiùs intelligere per species acquisitas, alijs per infusas, nonnullis rem hanc, vt pote valdè obscuram, & non valdè necessariam, sub dubio relinquentibus.

4 Facultates autem materiales non ab anima absolutè profluunt, sed ab ea, prout corpori est coniuncta, ideò eas, anima cum à corpore separatur, omninò relinquit; cum enim potentiæ istæ non possint operari, nisi per organa corporea, cum primùm omnia organa relinquit, necesse est, vt simul potentias relinquat. Nec effugiet, qui dixerit, animam separatam habere has potentias in actu primo, non, inquam, effugiet: nam anima, vt corpus informat, est actus primus, separata verò facultates istas potestate quidem, seu vt in radice, habere in se ipsa potest, in actu verò primo non potest. Si quis verò dicat, actum primum habere se, vt habitum ad secundum, qui est ipsa operatio, quod constat ex Aristotele, qui actum primum dicit esse scientiam, secundum verò speculationem, respondebo, ferre quidem animam secum habitus scientiarum, & species immateriales; hæc autem non ad sensum pertinent, ac proindè non debet dici sensus in actu primo per ea, quorum est incapax. Siuè igitur cum Simplicio, Themistio, D. Thoma, & alijs dicamus, actum primum principium esse operandi, secundùm operationem ipsam; siuè cum Auerroe, quem recipit Caietanus, in actu primo esse idem, quod in ocio, in actu secundo in negocio, vtroq; modo, sensus, seu cognitio sensitiua pertinet ad animam in hac vita, non autem

(Ar. 2. de an. tex. 5.)

post

post separationem. Nam quoad priorem acceptionem anima non habet, cum est separata, principium sẽsitiuum agendi: quippè hoc concernit organa; quoad alteram: rectè actus primus ocium appellatur, & ab Aristotele somno, sicut actus secundus vigiliæ, comparatur; cæterùm non dicitur esse in ocio, quod incapax est essendi in negocio; Cum igitur corruptis sensuum instrumentis anima reddatur impotens ad sensationes eliciendas, impotentia isthęc non dicitur ociũ, & subindè nec actus primus. Porrò solum intellectum esse, qui in statu separationis maneat, crediderim auctoritate Philosophi non vna, sed pluribus posse fulciri. In primis consideranda sunt hæc illius verba: *Quæ verò secundùm potentiam tempore prior in vno est, omninò autem neq; tempore, sed non aliquandò quidem intelligit, aliquandò autem non intelligit. Separatus autem est solum hoc, quod quidem est, & hoc solum immortale est, & perpetuum.* Sic ille, qui cum dicat *solum* videtur excludere omnẽ aliam potentiam, & soli intellectui tribuere, vt separatus operetur. Alibi aliquantulum dubitabundus sic ait; *De intellectu autem, & speculatiua potentia nihil adhuc manifestum est: sed videtur genus aliud animæ esse, & hoc solum posse separari, sicut perpetuum à corruptibili*; Hìc etiam solum intellectum posse separari inquiens, sensum excludit: Alibi sic; *Quare anima sicut manus est: manus enim instrumentum instrumentorum, & intellectus forma formarum, & sensus forma sensibilium*: quasi insinuans, intellectum, & sensum conuenire in hoc, quod vterq; sit potentia cognoscitiua, differre tamen, quod intellectus est *forma formarum*, hoc est, recipit omnium rerum imagines: sensus verò forma sensibilium, hoc est, recipit eas tantùm imagines, quæ sensuum capacitatem non excedunt, eæ sunt, quæ organis corporeis peraguntur. Quare vbi organa isthæc desunt, æquum est, potentias aboleri. Ex his autem manet stabilitum, non vno, & eodem modo facultates omnes ab anima procedere, sed immateriales ab anima absolutè, materiales ab anima simul cum corpore.

Ar. 3. de an. tex. 20.

Ar. 2. de an. tex. 21.

Ar. 3. de an. tex. 38.

Quomodò partes animæ intellexerint Stoici.

Articulus Secundus.

1 EXistimarunt Stoici, referente Galeno, animæ substantiam ex quadã aeris, & ignis temperatura conflari: quippè constare animal totum, aiebant, ex anima, & natura, & vtramq; spiritum quendam esse, sed humidiorem, frigidioremq; naturalem, animalem contra aridiorem, ac sicciorem. Porrò animam in quatuor partes diuidebant, quas facultates appellabant, hæ sunt ratiocinandi, sentiendi, loquendi, & gignendi facultas. Menemachus, vnus ex sectatoribus Stoicæ disciplinæ, loquendi, & gignendi potestatem ademit, eas sentiendi facultatibus tribuens, quo nihil magis erroneum dici potest, nec minore etiam errore addidit aliam facultatem, nempè suspicionem, quam nescio, quomodo à ratiocinandi potestate posset diuidere; Hoc tamen omisso, quod ad præsens spectat, iste etiam facultates agnouit. Alij fuerunt Stoici, qui, animam simplicem, & partibus carentem esse, sunt arbitrati: nonnulli verò in sensum, & rationem animam diuiserunt.

G. quod animi mores c. 4.

2 Videntur tamen omnes in eo conuenire, quòd anima sit temperamẽtum, siquidem eam aliquid corporeum sumptum ex aere, & igne esse, arbitrabantur: ij verò, qui simplicem esse existimabant, eandem vni duntaxat elemento tribuebant. Zeno, Hippassus, & Parmenides, ignem esse, putabant: Anaxagoras, Anaximenes, Anaximander, aerem: Democritus, Leucippus, & cum his Pythagorici atomos, seu minutissima corpuscula: Empedocles sanguinem, Critias mistum ex humore, & sanguine. Omnes ergo isti, & alij, qui corpoream animam statuebant, poterant in anima partes integrales agnoscere. Ita vt qui, vno duntaxat elemento animam constare, dicebant, eam simplicem dicerent, varijs tamẽ actionibus se se pro subiectorum, in quæ agerent, diuersitate accõmodantem: sicut ignis liquefacit ceram, indurat verò lutum, aer & humectat, & exsiccat, vnde Virgilius.

Cum Iuppiter humidus Austris
Densat, erant, quæ rara modò, & quæ densa relaxat.

G. quod animi mores çit.

Qui verò ex pluribus, quàm vno, elementis animam componebant, facultatum varietatē in partium varia mistione reperiebant; vnde Galenus ob aeris, & ignis exquisitam complexionem, secundùm Stoicos, ingeniosum Chrysippum creatum esse, dixit, contra verò Hippocratis filios, quorum stultitiam dicterijs lacessunt comici, prę nimio calore tales euasisse.

Ar. 2. de an. tex. 26.

3 Cæterùm de anima rationali, quòd corporea sit, asserere est nefas, animas verò brutorum materiales formas appellari reperio, corpora verò dici, nequaquam compertum habeo: imò verò verba Aristotelis, *Et propter hoc benè opinantur, quibus videtur nec sinè corpore esse, neq; corpus aliquod anima*, putauerim & animæ humanæ, & animæ brutorum posse accommodari, diuerso tamen modo: etenim de homine dicemus, animam, cum sit actus, & perfectio corporis, corpus non esse, item nec sinè corpore: quia etsi anima intellectiua separata per se subsistat extra corpus, tamen suapte natura est forma illius, habet naturalem inclinationem ad illud, pendet ab illo in ratione informandi, & eius status naturalis est, quando coniuncta cum illo existit. De brutorum autem anima etiam dici potest: non est enim corpus, quippè bruta etiam è corpore & anima constare dicuntur, & definitio animæ, quòd scilicet sit actus corporis organici potentia vitam habentis, omni animæ cōuenit; deindè non est sinè corpore: quippè nec deforis aduenit, nec existit à corpore separata, sed è potentia materiæ educitur, hoc est, virtute agentis è materia, in qua potestate inerat, deducitur ad actum.

Ruui[9] in 2. de an. c. 3. q. 3. Conib. 2. de an. c. 1. q. 8. a. 2

4 Itaq; quod ad præsentem rem attinet, cum controuersia maxima inter auctores vigeat, an scilicet formæ brutorum perfectorum sint indiuisibiles, nec ne, quam inter cæteros optimè pertractat Ruuius, illi, qui tenent (è quorum numero ipse est) animam brutorum esse diuisibilem, necessariò tenentur fateri, esse quantam, & ex consequente corpoream: nam quantitas non inest formę, sinè materia: ex forma igitur, & materia, & quantitate corpus resultat; quòd autē diuisibilitas secum importet quantitatem, constat: quippè ratio formalis quantitatis est extensio partis extra partem, quæ vbi datur, diuisibilitatem comitem habet. Atq; ita iuxtà hanc opinionem poterunt animæ perfectorum animalium, præter animam rationalem, dici constare ex partibus integrantibus; multò ergo magis id faterentur Stoici, qui animas etiam rationales corporeas statuebant, contra quos satis, superq; à multis est disputatum, præcipuè à Ruuio præcitato, & à Conimbricensibus, sed omnium elegantissimè indiuisibilitatem animæ demonstrat Ficinus. Vnde constabit, falsum esse, quod Iandunus & Pomponatius dixerunt, nempè sola fide teneri, animam rationalem indiuisibilem esse: imò physicis rationibus exactissimè concludi potest, eam incorpoream, spiritualemq; esse substantiam, quod apud citatos auctores, & alios videre licet.

Ruui[9] Conib. Marsi. Ficinus de imm mortal. an. lib. 5. c. 6. Iandu. lib. de anim. 3. q. 5. Pompon. de nutrition. lib. 1. c. 13.

De animæ partibus quid senserit Plato.

Articulus Tertius.

G. de plac. lib. 5. c. 7.

1 Fatigatur Galenus in inuestiganda Platonis mente circa partes animæ: nam quòd eas posuerit, non est dubium, quòd autem diuersarum partium nomine diuersas species intellexerit, ambiguum esse potest. Ait igitur Galenus de Platone agens, *Ille animæ partes, quibus ad motum voluntarium incitamur, tres esse confirmat: scientiam tamen, hic tres esse inter se differentes partes, non necessariò probari: non enim magis partes, quàm facultates astruuntur. Eas verò esse siue partes, siue facultates appelles, à quibus vita nostra administratur, rationem in eo vim afferre, nullamq; contradictionem admittere.* Deindè postquam multa transfert ex Platone, quibus probat diuersitatem actionum in vno, eodemq; subiecto, redit ad priorem dubitationem inquiens: *His verbis, diuersam esse ratiocinantem animæ partem à concupiscibili, ostendit. Verùm, vt priùs etiam dixi, non dum id mihi propositum est demonstrare, diuersas scilicet specie has duas animæ partes esse: sed satis ad rem illud est, quod sinè vlla dubitatione concluditur, ratiocinari, & cibos, venereaq; concupiscere, eiusdem facultatis minimè esse.*

2 Verùm idem met Galenus inferiùs in eodem opere putat, se posse ex verbis Platonis comprehendere, illum diuersas species nomine diuersarum partiũ intellexisse; Quippè Plato, *Non posse contraria in eodem, & ad idem facere, vel pati, demonstrauit, quod in sequentibus posteà explicauit manifestè, idem in anima appellans speciem, & partem*. Tunc affert opinionem nonnullorum, qui aiunt, Platonem hoc suo argumento probare, vnam, & eandem facultatem non posse contraria facere, ac proindè diuersas esse facultates, non tamen hinc sequitur, diuersas esse species (semper hic specierum nomine substantias intelligere oportet) nam alioquin facultates etiam vnius animæ specie inter se dissident. Respondet ergo Galenus considerans verba Platonis, *Facere, vel pati*, atq; ait: *Eos, qui ita dicunt, non animaduertere, quòd facere quidem de facultate, pati verò non itidem liceat intelligere: in agendo enim, non in patiendo semper facultatis, & potentiæ nomine vti videtur Plato. Vnaquæq; enim res facere quidem aliquid potest, ex potentia nimirum, & facultate, quam habet: non tamen pati potest ex potentia, sed ex imbecillitate potiùs, cum id, quod concurrit, fortius, validiusq; extiterit*. Hactenus Galenus, qui existimat, Platonem non solùm diuersitatem facultatum, potentiarumuè cognouisse, sed diuersitatem etiam specierum, siuè substantiarum: quippè si, non posse eandem rem simul contraria *facere*, solùm dixisset, vtiq; ad diuersitatem potentiarum respexisset, sed cum adiungat *pati*, manifestum est, quòd diuersas species, siuè substantias intelligat. G. de placit. lib. 9. c. 9.

3 Quòd si aliquis Galeno obijciat, eum non sufficienter probasse ex Platonis verbis diuersitatẽ specierum, quippè etiamsi *facere* ad facultatem, potentiamuè spectat, posse *pati* non prouenit ex sola imbecillitate, sed adest etiam potentia passiua correspondens actiuæ, & ita *pati* non minùs, quàm *facere* potentiæ cuiusdam est munus, respondendum est, ex relatione inter potentiam actiuam, & passiuam non colligi, si datur qualitas, quæ sit potentia actiua, dandam similiter esse qualitatem, quæ sit potentia passiua. Hoc superiùs, dum de resistentia agerem, satis probaui: quippè vt potentia actiua exerceat proprium actum, satis est, quòd habeat passum proportionatum, quod passiuè se habeat, licèt suapte natura non contineat in se qualitatem, per quam passiuum dicatur. E. g. intellectus agens est potentia passiua, cui adæquatè respondet intellectus possibilis, qui respectu agentis passiuè se habet, quamuis aliàs sit potentia agens. Deinde quamuis potentia actiua sit qualitas per se instituta ad agendum, non est necesse, vt potentia passiua sit qualitas per se instituta ad patiendum: e. g. calor, vt est virtus instrumentaria ignis, immediatè agit in potentiam substantialem materiæ, educendo formam substantialem de potentia eius, vt verò est principalis virtus calefaciendi, agit in corpus, vt affectum quantitate, neq; aliqua alia peculiaris potentia passiua illi respondet. Sect. 1. q. 4. ar. 12. n. 9.

4 Constat igitur, Platonem plures partes appellasse id, quod diuersas species, diuersas naturas, diuersas substantias, diuersas animas esse existimauit, quę Aristoteles, tametsi suppresso nomine, redarguit: *Dicunt quidam* (ait ille) *partibilem ipsam, & alia quidem intelligere, alia autem concupiscere*. Hanc opinionem argutè erroris conuincit. Nam si anima suapte natura est partibilis, necesse est, vt ab aliquo contineatur: non quidem à corpore, nam potiùs anima corpus continet, quàm à corpore contineatur; ergo continetur ab alia anima; At hæc partibilis ne est, an non partibilis? si non partibilis, eodem iure prior illa poterat esse non partibilis: si verò est partibilis, postulat, vt ab alia contineatur, & sic dabitur progressus in infinitum. Ar. 1. de an. tex. 90.

5 Cæterùm cum Ficini testimonio constet, omnes animas insectiles esse, cum etiam tum Plotinus, tum Numenius, tum alij Platonici teneant, in doctrina Platonis non posse formam diuidi, quod aliqui assumunt, vt teneant, iuxtà Platonis mentem, nullas dari formas sectiles, quod quidem vniuersaliter dictum falsum est: nam videmus lacertam in partes diuisam animali motu cieri, & ab arbore extractum ramum frondescere: nihilominùs in animalium perfectorum formis recipiendũ est; Cum, inquam, fidem faciant viri doctissimi, & in Academica disciplina versatissimi, Platonem non admisisse formarum diuisionẽ, quomodò persuadebimur, eũ tres animas inter se diuisas in vno homine cõstituisse? Plat. in Alcibiade.

6 Attamen ex altera parte cum Platonis sententia fuerit, animam intellectiuam non coniungi corpori, vt formam materiæ, sed vt motorem duntaxat mobili, habereq; se animum Socratis ad Socratem, vt gubernatorem ad nauem, quatenus intelligentiæ, & rationis artificio, quasi clauo corpus mouet, eiusq;

actiones inflectit, & moderatur, possumus suspicari, eum, hoc falso fundamento fretum, in primis intellectiuam animam cõstituisse partem per se distinctam; Deinde sensitiuam, quę ad cognitionem singularium spectat, ac propterea ad operandum magis, quàm ad informandum dirigitur, efficere alteram speciem: remanere tertiam vegetatiuam, quæ informans est.

7 Duo in hac suspicione probationem expostulant: primum, cum dixi, sensitiuum spectare ad cognitionem singularium, Vtrum per intellectum non cognoscantur etiam singularia: alterum, quoniam dixi, sensitiuum magis esse ad operandum, quàm ad informandum, Vtrum anima per vnum principium operetur, per aliud informet. Quod attinet ad primum; Respondeo, intellectum non vniuersalem modò, sed particularem quoq; naturam cognoscere, alioquin non posset vtramq; inuicem comparare; Attamen priùs vniuersalem, quàm particularem naturam ab ipso cognosci: si quidem pro natura formæ intelligibilis in primis agit, forma verò intelligibilis abstrahit à materia sensibili, & subinde naturam refert vniuersalem. At verò particulare non percipit intellectus secundùm suammet naturam, sed quatenus inflectitur ad phantasiam, idq; in statu huius vitæ, nam intellectus animę separatæ absq; phantasmatibus intelligit, quippè species habet etiam representantes res singulares: neq; enim necessarium est, vt intellectus intelligat per species immateriales in representando: sufficit namq;, quòd sint immateriales in essendo. Si quis vlteriùs quærat, cur etiam in hac vita non possit anima intelligere, sinè conuersione ad phantasiam; respondeo, in statu huius vitę species omnes prouenire à phantasmatibus, quę phantasmata, vt fiant species vniuersalium abstrahuntur à conditionibus indiuidualibus, & sic prima intellectio, & intellectui magis naturalis est vniuersalium, deindè intellectus cognitione vniuersalis imbutus, discursu quodam se inflectit ad phantasma, ex quo fuit abstracta species, & in eo intuitiuè percipit particulare. Si quis autem dicat, phantasma esse materiale, & subinde improportionatum potentiæ immateriali, qualis est intellectus, dicam cum Areopagita, *Supremum infimi attingit infimum supremi*: quare phantasma eleuatum per coniunctionem cum specie intelligibili, intellectum verò depressum ad intellectionem reflexam, posse se inuicem attingere. In statu autem separationis dicendũ cum D. Thoma, & alijs, animam separatam cognoscere singularia per species sibi inditas in abscessu à corpore, quæ species similes sunt ijs, quas Angeli à prima origine acceperunt: representant enim, non solùm vniuersalia, sed etiam singularia, & sic patet, quomodò ad intellectum pertineant sola vniuersalia; nempè cognitione directa: particularia verò cognitione reflexa; Et iuxtà hunc sensum explicant multi verba Aristotelis, *Sensitiua igitur parte calidum discernit, & frigidum; quorum quædam est ratio caro: alia verò esse carnis discernit, aut separabili, aut sese habente ad seipsum, perinde atq; se se habet, cum extensa fuerit linea flexa.*

D. Dionys. de diuin. nom. c. 7.
D. Th. in disp. q. 89.
Caiet. Ferrar. & Abulensi.
Ar. 3. de an. tex. 10.

8 Quo ad alterum, An anima per vnum principium operetur, per aliud informet, quod videtur supponere mea ratiocinatio, si quidem dixi, sensitiuum magis esse ad operandum, quam ad informandum, Respondeo, Animam quidem rationalem formam hominis esse, & principium tàm essendi, quàm operandi: essendi est principium per se, operandi per suas facultates: vnde prima animę definitio traditur à Philosopho per ἐντελέχειαν, hoc est, per perfectum habitum, siue, vt vertit Hermolaus, nouum vocabulum nouo exprimens vocabulo, per perfectè habiam, quo vocabulo (vt alias interpretationes omittam) significatur perfectio, quæ per animam acquiritur, quę est ipsum esse. Secunda definitio per operationem est tradita: nempè anima est id, quo viuimus, sentimus, mouemur, & intelligimus primò. Itaq; facultates sunt instrumenta coniuncta animæ, quatenus illi subordinantur, sicut formæ principali, vt sinè actuali influxu, & quasi motione illius suas operationes edere non possint. Alia tamen ratione possunt dici principia principalia, saltẽ partialia: quia scilicet virtus, quam in se habent, & qua cooperantur ad effectum, est ex se proportionata, & commensurata tali effectui, quia talis effectus non excedit perfectionem facultatis.

Ar. 2. de an. tex. 6.
Herm. in paraph. Themistij.
Ar. 2. de an. tex. 25.

9 Igitur cum anima per se ipsam sit principium essendi, principium verò operandi sit per facultates, quæ etiam principia appellari possunt, licebit dicere principium essendi, & principium operandi esse principia diuersa: & quamuis principium essendi sit prius natura, quàm principium operandi, nihilominùs secundùm nostrum modũ cognoscendi (quia facultates cognoscuntur per actiones)

dicimus,

dicimus, facultatem animę sensitiuam magis esse datam ad operandum, quàm ad essendum, hoc est, animam secundùm id, quod est operans, magis apparere, quàm secundùm, quod est actuans; vel aliter sensitiuum magis pertinere ad actum secundum, qui actus nobis notior est, quàm primus, essendi verò principium magis pertinere ad actum primum, & sic decisa manet difficultas.

10 Porrò cum in Platonis doctrina contineatur animarum triplicitas, quam ille trium partium nomine significauit, cum rursus pluralitas animarum communiter explodatur, cauendum est, ne dum animæ partes dicimus cum Platone, animas intelligamus, in quem errorem lapsus est Galenus, qui, seu quoniam animę naturam ignorauit, seu quia rem exploratu dignam non iudicauit, plures siue partes, siue facultates, siue animas dicamus, nihil referre, ait.

In quem sensum dicant Peripatetici partes animæ.

Articulus Quartus.

1 NOn abhorret ab Aristotelis loquutione dicere partes animæ, quippe sic solet loqui: vt quando ait, *Dubitabit aliquis, & de ipsis partibus* (nempe animę) *quam potentiam habeat vnaquæq; in corpore*: & alibi; *Diuidentibus autem animæ partes, si secundùm potentias diuidant, & separent*, &c. Ceterùm non vno duntaxat modo partes accipi possunt. In primis partes integrales in anima non dari, iam diximus, attamen quoniam totum integrale, vel potest diuidi secundùm se, vel secundùm subiectum, cui inest, primo modo animæ partes dari nequeunt; secundo modo in plantis, & in animalculis imperfectis manifestè dantur: in animalibus perfectis, pręter hominem, an dentur, adhuc sub iudice litem esse, diximus. Ar. 2. de an. tex. 92. Ar. 2. de an. tex. 52.

2 In partes physicas animam non diuidi, satis manifestum est: partes namq; physicę sunt materia, & forma, quibus anima non constat; nam in primis, cum forma sit, ex forma constare nequit: quippe tunc illa alia forma ex forma constaret, & alia ex alia, & procederetur in infinitum; nec etiam constat ex materia: nam si constaret, non esset actus, sed constaret ex potentia, & actu, & prætereà non haberet potentias immateriales (loquor de anima intellectiua) neq; enim potentię possunt esse perfectiores ea, cuius potentię sunt. Facit etiam pro immaterialitate animę, eius prima creatio. *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem*; Facit & animarum creatio: quippe non educuntur de potentia materiæ, sed deforis adueniunt, vt constat ex Aristotele. Gen. c. 2.

3 Cæterùm de brutorum anima quid dicendum sit, difficultatem continet, nam hæc materialis dicitur: num quoniam materiam in se continet? minimè; nam forma cum sit, debet materiæ opponi. Dicet tamen quispiam, anima rationalis ideò dicta est immatęrialis, hoc est ab omni materia libera; quia non educitur de potentia materiæ, ergo anima brutorum, quæ materialis appellatur, quia de potentia materiæ educta est, eodem iure debet non esse omnino materiæ expers. Huic obiectioni faciendum est satis, explicando priùs, quid sit educi de potentia materiæ, quod tametsi priùs tetigimus, nunc ex professo declarabitur. Est igitur cum D. Thoma considerandum, has formas, quæ de potentia materiæ educuntur, non creari, hoc est, non fieri de nouo; quippe ex nihilo nihil fit, à quo axiomate excipitur anima rationalis, ergo iam priùs in potentia materiæ continebantur: nam dari formas priùs existentes extra subiectū, falsum est; Quare si continebantur in potentia materiæ, necesse est, vt ab illa vi agentis naturalis extrahantur, non vt extra materiam existant, & eius potentiam non actuent, nec illi adhęreant, sed quoniam cum anteà continerentur in potentia duntaxat, vt in causa, posteà sunt actu extra causam, & ita ex potentiali materiæ esse, in quo continebantur, educuntur ad esse actuale, vi agentis, concurrente etiam materia. Si quis autem dicat, etiam has formas virtute, & potestate in agente contineri, quare eodem iure dicentur educi de potentia agentis, respondeo, agens continere hanc formam eminenter, materiam autem recepti- D. Th. 1. p. q. 90. a. 2. ad 2.

nè, & passiuè: vnde quando dicimus educi de potentia, intelligimus de ea potentia, in qua recipiebatur, & quam postea actuat, ita vt vbi prius erat in potentia, remaneat in actu, quod non contingit formis respectu agentium, in quibus eminenter erant.

4 Alter modus, quo eductio de potentia materię declaratur, est, si dicamus, omnes formas substantiales, præter vnam animam rationalem, dependere à materia in esse, & in fieri: in esse quidem, quoniam à materia, in qua fuit in potentia, habet suum esse: eatenus enim est actu, quatenus fuit potentia; in fieri etiam, quoniam ad eductionem istius formæ concurrit materia in eo genere causæ, in quo potest: videlicet in genere causæ materialis.

5 Tertius modus explicandi, est huiusmodi; Educi formam de potentia materiæ est fieri eadem actione, qua fit compositum ex materia præcedente; Vnde forma dicitur educi, quia non producitur per se, sed compositum, forma verò comproducitur ex præcedente materia. Quamuis autem isti tres modi in vnam, eandemq; rem coincidant, tamen secundus videtur esse clarior priore, tertius verò magis accommodatus ad dubij responsionem, circa quam versamur. Nam cum actio, per quam materialis forma producitur, & per quam vnitur, sit vna, & eadem, non solùm re, sed etiam essentia (quod multorum consensu probatur, ideoq; dicitur educi de potentia materiæ) iam constat, cur dicatur materialis, & materiæ expers: Est quidem materialis, quoniam nec fit, nec existit extra materiam, est expers materiæ, quoniam materiæ per actionem, per quam fit, vnitur: neq; enim dicimus quidpiam sibi met vniri, sed alteri. Vel sic: Est materialis, quia comproducitur simul cum composito materiali: est immaterialis, quia est aliud à materia, videlicet est id, quod materiam reducit à potentia in actum. Porrò & anima rationalis, & anima brutorum est pars physica, & subinde non diuiditur in partes physicas.

6 In metaphysicas verò partes diuiditur, quippe anima, licèt sit vna pars physici compositi, est tamen vnum compositum metaphysicum: constat enim ex materia, & forma metaphysicis, nempe ex eo, quod est veluti forma, hoc est differentia, & ex eo, quod est veluti materia, nempe genere. Nam forma metaphysica non est propriè forma, sed metaphoricè; omne enim compositum, siue integrale, siue metaphysicum habet aliquid, quod est veluti forma, aliquid, quod est veluti materia, ad imitationem scilicet compositi physici: quippe compositio physica est prima, realis, per se, & maximè propria, ad quam reliquæ per analogiam quandam respiciunt. Discrimen igitur inter formam physicam, & metaphysicam est, quòd physicę munus est actuare materiam, metaphysica nullam habet sibi correspondentem materiam, quam actuet: etenim id, quod ei se habet vt materia, non actuatur ab ipsa, nec genus magis est actu, postquam contractum est per differentiam, quam erat prius: alioquin cum in Socrate v.g. dentur plura genera contracta per plures differentias, darentur plura entia actu, & quot essent prædicata essentialia, tot essent formę actu existentes, quod tamen falsum esse communi philosophorum consensu constat. Ex prædicto discrimine pullulat alterum: nam cum forma physica actuans materiam constituat vnũ totum reale, & physicum, non potest esse nisi vna in vno subiecto: at forma metaphysica, cum non efficiat aliquid reale existens actu, sed constituat vnum essentiale, potest in vno subiecto beneficio intellectus multiplicari, ac propterea erunt in vno subiecto plura composita essentialia, non re, sed ratione tantùm distincta. Atq; ita constat, in vna anima dari non solùm vnam diuisionem metaphysicam, in genus, & differentiam, sed plures etiam in plura genera, & plures differentias: omnium namq; vnum duntaxat subiectum est capax, vt pote quę sola ratione distinguntur.

7 Hic tamen non est prætereundum maioris claritatis gratia, quamuis dicamus differentiam esse velut formam, multoties formam metaphysicam dici totum id, quod ex genere, & differentia constat, & sic est aliud discrimen inter formam physicam, quæ nimirum partialis est, & incompleta, & metaphysicam, quæ dicit totam essentiam: & licèt res constituta per hanc formam metaphysicam, quæ est forma totalis, sit vera essentia realis, vt homo, aut equus, nihilominus, quoniam est composita ex genere, & differentia, est ens rationis: quippe hæc compositio non nisi ratione fit. Si quis tamen in contrarium nobis afferat Aristotelem, qui sic ait: *Similiter autem se habent ei, quod de figuris, & quæ circa animam*

A. 2 de An. tex. 31.

nam sunt: semper enim in eo, quod est consequenter, est potentia, quod prius est, & in figuris, & in animatis, vt in quadrato quidem triangulus est, in sensitiuo autem vegetatiuum. Ex his verbis videtur colligi, quemadmodùm in quadrangulo potentia quidem, sed tamen à parte rei, inest triangulus, sic in gradibus, qui in anima continentur euenire, ac proinde gradus metaphysicos inesse subiecto potentia, sed tamen à parte rei. Cœterùm si rectè animaduertimus, Philosophus non agit de gradibus metaphysicis, quod ostendunt exempla ab ipso proposita *sensitiuum, & vegetatiuum*, quippe hi à parte rei animæ insunt, de quibus iam est agendi tempus.

8 Insunt animæ facultates, seu potentiæ, dicuntur namq; facultates, quia per eas anima facit, hoc est, suas operationes molitur: potentiæ verò, quoniam his anima fit potens ad suas actiones, ad quas sinè illis impotens omnino foret; Cum igitur ad opus physicum, hoc est, naturę rei necessarium, dirigantur, physicæ sunt: quippe metaphysici gradus nullam habent causalitatem, sed solùm ad constituendam essentiam ordinantur; isti verò physici re ipsa existunt, vt pote ad actiones reales ordinati. Deinde metaphysici, vt diximus, sola ratione distinguuntur, isti autem physici tum inter se, tum à subiecto, cui insunt, re ipsa separantur. Quòd inter se realiter distinguantur, patet, quoniam tametsi non possit dari homo, quin detur animal, ac similiter non potest dari sensitiuum, quin detur vegetatiuum, nihilominùs non potest dari animal, quin detur homo, aut equus, aut alia similis species: potest tamen dari à parte rei vegetatiuum sinè sensitiuo. Dicet tamen aliquis, vt aliqua duo, aut plura realiter distinguantur, non necesse esse, vt existant separata; nam materia cœli nunquàm extitit separata à forma, & tamen à forma realiter distinguitur, quamuis ergo genus, & differentia, aut vna differentia ab alia non existant separatim, possunt nihilominùs realem habere distinctionem. Respondeo, verum quidem esse, licèt duo non existant separatim, posse realiter distingui, non tamen verum esse, ea, quę separatim existunt, posse non distingui realiter (loquor in terminis naturę secluso miraculo) dantur aliqua, quę non separantur, & tamen realiter distinguntur: nullum tamen datur, quod separetur, & non distinguatur realiter. Atq; hinc iam constabit, vegetatiuum, quoniam existit sinè sensitiuo, realiter ab illo distingui, quod in pręsens est necessarium; quòd autem formę metaphysicę non nisi ratione distinguantur, aliunde quàm à separabilitate reali ratio quęrenda est, ea autem nulla alia esse potest, nisi quòd hęc distinctio inter pręedicata essentialia non habet fundamentum in re, ergo in ratione; Quod autem in re non fundetur, patet ex suo contrario, quippe non realiter vniuntur, ergo nec realiter separantur; quid est enim, quod vnit differentias plures inter se, aut differentiam vnam generi? intellectus, & ratio: ergo intellectu, & ratione diuiduntur; quòd genus per intellectum differentię vniatur, patet, quoniam genus est indifferens ad plures differentias, neq; habet à quo vniatur magis huic, quàm illi, nisi intellectum: sic etiam plures formę, seu pręedicata per intellectum vniuntur, per eundem etiam separantur: neq; hinc sequitur, totum metaphysicum esse ens rationis, nam possunt extrema esse realia, ratione tamen inter se vnita, aut distincta.

9 Probatur vlteriùs, potentias, seu facultates inter se realiter distingui: nam earum actiones sunt reales, & valde diuersę, vt vegetatio, & sensatio: neq; necessaria est operatio intellectus, vt anima per hanc facultatem determinetur ad hanc actionem, per illam ad illam; Si igitur ex se, hoc est, è natura rei determinant animam ad diuersa munia, diuersę inter se sunt, non ope intellectus, sed reapse.

10 Ex hoc fundamēto, quòd scilicet facultates realiter inter se distinguantur, superiùs me deduxisse memini, eas ab anima realiter etiam distingui, ea ductus ratione, quòd alioquin essent eædem vni tertio, non tamen eædem inter se. Addo nunc aliam rationem: nempe magis differre potentias ab anima, quàm differant inter se: diferunt inter se tali distinctione, qua nulla potest esse maior, ita ergo distabunt ab anima. Hæc differentia inter animam, & suas potentias satis superiùs est determinata. Agendum nunc est de modo, quo ab anima procedunt. Omissa igitur opinione Auerrois, Nyphi, Ægidij, qui earum effectiuum processum ab anima negant, tenendum est cum D. Thoma, & plerisq; alijs, animam esse effectiuum principium suarum potentiarum; Principium inquam, non principale, sed duntaxat instrumentale. Nam & per generationem compositum viuens à generante, & per creationem anima rationalis à Deo creante accipiunt

piunt simul cum suo esse suum posse operari, ac subinde suas potentias vitales: cum autem potentiæ istæ sint accidentia, pendent à subiecto in fieri, & in esse; pendent à subiecto in fieri, non principaliter, vt diximus, ergò minùs principaliter, hoc est, instrumentaliter. Itaq; quatuor sunt, quæ se ordine consequuntur (vt subtiliter Ficinus considerat) essentia, virtus, operatio, obiectum: ab essentia profluit virtus, ab hac operatio, vt operatio obiectum petat. Cum ergo Ficinus dicat, ab essentia virtutem profluere, videtur concedere accidens emanare à substantia, quod tamen non est admittendum, etenim substantia, neq; vt causa principalis, neq; vt instrumētaria potest immediatè attingere productionem accidentis: est namq; inter substantiam, & accidens improportio ferè immensa.

Mar. Fic. de anim. immor. lib. 10. c. 9.

11 Ceterùm cautè, prudenterq; Ficinus dixit, profluere ab essentia virtutem, quasi insinuans, nolle se admittere, vt substantia sit immediata causa accidentis: nam sic nullum accidens esset principium effectiuum alterius: quippe sufficeret substantia per se solam: sed velle se significare, potentias istas dimanare ab anima effectiuè per resultantiam quandam, quæ est opinio expressa D. Thomæ, cum quo sentiunt communiter recentiores: tametsi non inter omnes conueniat de modo istius resultantiæ, quibusdam asserentibus in ea dari aliquā actionem: neq; enim admittunt, dari efficientiam sinè actione. Si ergo est efficientia, est simul actio: si non est efficientia, ergo nec resultantia. Verùm, meo quidem iudicio, nihil prohibet, in ijs, quæ naturaliter se consequuntur, vnum ad aliud consequi, illo primo nihil agente, quòd si nihil agit, non datur actio. Quare eleganter Caietanus hanc resultantiam naturalem sequelam appellat. Nec est, cur eum Suares arguat, quòd non declaret, quid sit naturalis isthęc sequela: satis namq; manifestū est, quid per eam significatur: quemadmodùm enim in syllogismo, qui est quoddam artefactum, ex præmissis necessarijs sequitur per se conclusio, sic in rebus physicis, in ijs, quæ necessariò antecedunt, sinè aliquo actuali influxu id, quod sequi debet, resultat. Cœterùm cum Suares dicat, sinè efficientia non dari naturalem sequelam causalem, sed illatiuam duntaxat: quia posito vno ponitur aliud propter naturalem debitum, vt inter materiam, & formam Cęli est naturalis illatio, non tamen dimanatio vnius ab altera, cogit, nos considerare, sequelam, quam ille, nouo forsan vocabulo, illatiuam appellat, nihil nouum afferre: neq; enim est diuersa à sequela, quam Caietanus naturalem vocat: imò etiam in syllogismis præmissæ influunt in conclusionem, sed non influunt quidpiam reale: eodem modo in naturalibus, tum per quandam rationem prioritatis, tum per aliam necessariæ connexionis, emanare dicitur vnum ab alio. Sumamus ergo (si quidem ei ita placet) materiam, & formam cœli: quamuis autem neutra fuit prior tempore, est tamen materia prior natura: accedat necessaria connexio (quam ipse naturale debitum vocat) iam dicetur, forma per resultantiam educi de materia: Sic similiter omnes formæ, quæ de potentia materiæ educuntur: neq; enim, (quod attinet ad præsens institutū) forma cœli habet aliquid diuersum à sublunarium formis.

D. Th. 1. p. q. 77. a. 6.

12 Itaq; mihi magis placet, auferri ab hac resultantia omnem actionem, licèt Suares à se quodammodò recedens, fateatur, hanc actionem nec semper actionem reputari, neq; per se distinctam esse, neq; vt propriam mutationem. Vnde ego ad hominem sic argumentabor: Quemadmodùm ille, efficientiam non veram, dicit, non esse efficientiam, velut aurum non verum non est aurum, eodem modo, dicam, actionem, quæ non reputatur actio, non esse veram actionem, ac proinde non esse actionem. Nam si aliquo modo resultantia ista, per quam pullulant potentiæ ab essentia animæ, esset actio; plura incommoda sequerentur. Inprimis essent tot actiones, quot sunt facultates, atq; ita multiplicarentur entitates; deinde anima esset immediatum, & vniuocum principiū accidentalium actionum: prætereà esset per se actio ad ea, quæ cum anima rationali concreantur. Tandem essent istæ actiones (quod implicat) immanentes simul, & transeuntes: immanentes, quia essent actiones nihil producentes ad extra, quippe potentiæ, licèt ab anima distinguantur, sunt tamen intimæ ipsi animæ: transeuntes, quia terminum haberent distinctum realiter à principio, à quo profluunt.

13 Has facultates multoties Philosophus appellat partes, vt cum ait: *Diuidentibus autem animæ partes, si secundùm potentias diuidant, & separent, valde multæ fiunt nutritiuum, sensitiuum, intellectiuum, deliberatiuum, appetitiuum.* Hic manifestè facul-

Ar. 3. de an. tex. 52.

tates

tates partes animæ esse, ait, longè autem manifestiùs sic: *Dicunt itaq; quidem partibilem ipsam, & alia quidem intelligere, alia sentire.* Multo meliùs alio in loco his verbis: *Secundùm enim differentias, per quas has separant, & aliæ videntur esse partes, maiorem his distantiam habentes, de quibus & nunc quidem dictum est: nutritiua scilicet, quæ & plantis inest, & omnibus animalibus, & sensitiua, quam neq; vt irrationabilem, neq; vt rationem habentem ponet quis vtiq; facilè.* Atq; hinc iam patet, pluribus modis peripateticam scholam animę partes attribuere, sed pręcipuè hoc vltimo, videlicet accipiendo partes pro facultatibus. Ar. 1. de an. tex.90. Ar. 3. de an. tex.41.

14 Verùmtamen Fernelius ad hanc acceptionem adeò inuitus trahitur, vt dicat, partes has, seu facultates animę seorsim sibi à tribus animę generibus nomina accommodare propter inopiam vocabulorum: vt scilicet potentia nutritiua à genere animę vegetabili vegetabilis appelletur: potentia sentiendi dicatur sensitiua propter animam sensitiuam: intelligendi autem facultas ab intellectiua anima nomen sibi asciscat; Et hinc ortam, ait, esse confusionem: nam *Quicquid intelligens est, continuò sentiens esse, dicimus, id est, sentiendi facultate prædítum: & quicquid sentiens est, id quoq; fatemur, naturæ facultatibus teneri: vt hæc non principium formarum, sed vel partium, vel facultatum nomina.* Parcat tamen Fernelius; Non inopia vocabulorum has peperit nomenclaturas, neq; ex his confusio aliqua, sed potiùs ordo, & recta rerum dispositio oritur. Nam qui meliùs poterant nomina his facultatibus imponi, quàm accipiendo illa à generibus, seu gradibus animę, cui sunt imposita? v. g. virtus illa, qua nutrimur, quo meliùs nomine poterat designari, quàm appellando eam vegetatiuam, sumpto videlicet nomine ab ea anima, quę sola huic muneri dicatur? Rursus sentiendi facultas nonne rectè sensitiua dicitur, propter eam scilicet animam, cui sensitiuam esse, principaliter cõuenit? tandem potentia intelligendi, non ne dum intellectiua appellatur, eam significat præstantiam, quam intellectiua anima super alias animas habet? Nec verò confusio hinc aliqua oritur: quippe vniuscuiusq; potentiæ appellatio exprimit illud genus animæ, à quo deducta est, aliud inferius supponit: v. g. potentia sensitiua, dum sic appellatur, expresè declarat, remansisse in animali ex eo genere animæ, quam, cum formaretur, habuit, ac subinde supponit aliud genus, quod in formatione præfuit; similiter cum dicimus, potentiam intellectiuam, expresè eam referimus ad genus animæ sensitiuæ, per quod ipsa emersit; vegetatiua etiam suum genus animæ exprimit, non autem habet aliud inferius, quod supponat. Itaq; nullo modo meliùs poterant potentiæ significari, quàm deducendo earum quamlibet ab illo genere animæ, ad quod tunc, cum formaretur animal, fuit perducta. Nonne animal priùs vixit vitam vegetatiuam, & tunc vegetatiuam facultatem est adeptum? Posteà ad genus animæ sensitiuæ ascendit, & acquisiuit potentiam sensitiuam, tandem in intellectiuo genere cõstitutum, intellectiuam sibi asciuit potentiam? igitur rectè loquimur, & distinctè, cum potentias generum animæ nominibus significamus: & hoc quoad cuiusq; facultatis, partisue nomenclaturam. Fernel. lib. 5. de. an. facult. c.2.

15 Ceterùm partes animæ dici, vult, *quæ sociatæ, atq; connexæ in totius vnam, & integram substantiam conspirant, quibus seorsum singulis non aptè potest totius nomen accommodari*; & iccirco inferius facultates, *neq; animæ substantiam, neq; eius partem vllam esse*, admittit. At nemo est, qui ei dicat, potentias esse partes substantiales animæ, substantiam eius complentes. Hoc tamen non tollit, quominùs alia ratione possint partes animæ nuncupari: non quatenus constituunt animam in esse substantiæ, sed in esse operantis, & quoniam, vt se res habet ad esse, ita se habet ad operari, hęc connexio facit, vt facultates, quæ animæ, vt operanti, inseruiunt, simpliciter animæ partes appellentur. Sed liceat mihi ad hominem argumentari: Si partes esse negat, cur in eodem capite intelligentem animam in homine esse, ait, cuius partes, non energia, sed potestate duntaxat consistentes vult esse sentientem, & naturalem? Profectò pręter quàm quòd sibi contradicit, quoniam partes animæ admittit, quas paulò post negat; absurda loquitur, dum intelligentis animę partes sentientem, & naturalem nominat, intelligentem omittit. Non ne ille dixit, partes simul connexę in totius substantiam conspirant? at ex sentiente, & naturali duntaxat totius intelligentis animę substantia non emergit. Ibidẽ.

16 Illud etiam valdè displicet, quòd facultates animę partes esse, negans, rationem affert, quia scilicet facultates nonnunquàm exolescunt, atq; pereunt, integra superstite animę essentia: & exemplo vtitur sumpto à facultate augescendi,

ſcendi, quę poſt vigorem annis confirmatum intercidit, & aboletur. Cęterùm quod attinet ad exemplum, iam ſuperiùs probauimus, facultatem augeſcendi etiam poſt vigorem remanere, quamuis ob defectū materię non ſe prodit, quippe aliquibus ſignis eam adhuc adeſſe ſignificatur: vt oſtendimus in dentibus, qui etiam in ſenectute augentur, & in vlceris caui ſanatione, quę ſinè augeſcendi facultate non fit. Quod verò attinet ad rationem, ea non efficax eſt: nam licèt partium eſſentialium ea ſit natura, vt qualibet earum deperdita, tota eſſentia deperdatur, in partibus etiàm compoſitum phyſicum conſtituentibus hoc accidat, nihilominùs partes integrales eius ſunt conditionis, vt aliqua illarum deperdita, totum non deperdatur: neq; enim deperditur corpus vniuerſum ablato brachio, aut crure. Partes verò potentiales, quę nobis nunc occaſionem prębent agendi de partibus animę, omnes, & cum anima, & inter ſe naturalem connexionem ſortitę ſunt: cum anima quidem (vt iam diximus) ſicut connexum eſt eſſe cum operari; inter ſe autem non eminenter, ſed formaliter ſuperioribus inferiores in ſe ipſis continentibus: quippe intelligens formaliter ſentientem, & naturalem complectitur, ſentiens autem naturalem: quod probatur: nam non datur maior ratio, cur in anima bruti contineatur potentia ſenſitiua formaliter, quàm in anima hominis: ſi enim aliquis dicat, maiorem rationem eſſe, quia in homine continetur nobiliore modo, nempe eminenter, hoc quidem, tametſi ex parte continentis pręſtantius ſit, ex parte tamen contenti minùs pręſtans eſt: e. g. potentia generandi hominem in Sole eminenter contenta, Solis arguit excellentiam ſuper hęc inferiora, nihilominùs hęc generandi potentia pręſtantior eſt in homine, in quo formaliter exiſtit. Itaq; ſi ſentiens potia ſub intelligente eminenter contineretur, hoc quidem quoad intelligentem potentiam, pręſtantiam indicaret: cęterum potentia ſentiens, vbi formaliter exiſteret, nempe in brutis, pręſtantior eſſet, & ſic de vegetatiua, quod non eſt dicendum: imò iam ſępius diximus, potentias, quę ſunt communes homini, & brutis, licèt poſſint ob vicinitatem cum intellectiua aliquid perfectionis acquirere, nihilominùs non habere diuerſitatem naturę, qualis diuerſitas reperitur inter id, quod eminenter, & id, quod formaliter exiſtit. Quòd autem hęc perfectio, quam poſſunt habere potentię inferiores ob vicinitatem cum intellectu, non immutet naturam, probatur, quia ſic ſemper potentiæ inferiores in homine pręſtarent eiſdem in brutis, quod non contingit: ſiquidem in aliquibus aliquæ belluę nobis præſtant.

Vultur odoratu, lynx viſu, ſimia guſtu,
Nos aper auditu, nos vincit aranea tactu.

Itaq; propter naturalem connexionem, quam potentiæ, tum ab anima, tum etiam inter ſe habent, inſeparabiles quidem ſunt, adeò vt dubitent theologi profeſſores, an diuina virtute ſeparari queant. Quare cum non ſit de ratione iſtarū partiū ſeparabilitas, non eſt, cur Fernelius, ſūpto argumento ab inſeparabilitate, probet eas non eſſe partes: probare priùs debuerat, ita conuenire partibus non ſeparari, vt nullum ſit genus partium, cui ſeparatio conueniat. Sunt igitur potentiæ partes quidem, non ſimpliciter, & abſolutè, ſed ſuo modo duntaxat. Verùm cum Fernelio ſatis, & hic terminus foret. Sed quoniam de ſeparabilitate potentiarum à ſuo ſubiecto loquuti ſumus, non præteribit hæc queſtio, non facta Satyri mentione, qui cauillationibus, quaſi tenſis retibus, inuigilat, an quidpiam poſſit in caſſes ſuos detrudere. Verùm accuſationem ab iſto contextam araneæ telam eſſe, nihilo, inquam, fortiorem, quàm ſit caſſis araneæ oſtendam.

Cauillatio valde impudens Satyri Rechenſis.

De aſitia. c. 19

17 HAbeo in tractatu de Aſitia, quem Rechenſis beſtia, cupit deuorare, habeo inquam hæc verba: *Prius Hippocrates (de actionibus naturalibus verba faciens) dixit, poſſe hominē per duos, aut tres dies ſinè cibo viuere, hoc fateri debemus. Poſteà accedit ad facultates animales, atq; ait, ab omnibus poſſe hominem ceſſare, ab ſpiritus ſuſceptione, hoc eſt, ab aeris attractione, quæ fit ore, naribus, & tranſpiratione, non poſſe. Sanè poſſunt & motiones, poſſunt & expulſiones, quæ muſculorum ope fiunt, vt mictus, & egeſtio, quædam per plures, quædam per pauciores dies, reſpiratio non poteſt.* Hic quis eſt, qui non intelligat,

me

me loqui de actionibus: si quidem actiones pro exemplo adduxi, & ostendi, posse hominem ab illis cessare, ab altera verò, quæ est aeris attractio, non posse. Quid putas, candide lector, hunc non candidum sycophantam fecisse? abstulit actiones, quas pro exemplo attuli, & apposito *& cætera*, mutilatã reliquit orationem, sic sperans, se fucum lectoribus facturum. Nam cum ego dixissem, Hippocratem accedere ad facultates animales, & addidissem iuxtà Hippocratis verba ab omnibus posse hominem cessare, si nõ sequuntur ea, à quibus cessare potest, nempè actiones, quas iste per summum nefas abstulit, recurrendum est ad ea, quæ antecedunt, nempè ad facultates: sic vt prima fronte videar dicere, ex Hippocratis doctrina posse hominem à facultatibus cessare.

18 Cæterùm istud tuum *& cætera*, ò Satyre, quæ malignitatis est instrumentum: quo, quoties tibi libet, mea verba in prauum sensum deducis. Memini, te iam per istud *& cætera*, multa verba occultasse, quæ ego ex Simone Port. cum quo agebam, transtuli, & sic effecisti, vt sensus verborum esset, calorem agere in necessitate naturæ, cum tamen appositis verbis, quæ occultaueras, non erat intelligendum in necessitate naturæ pro ex necessitate naturæ, sed in necessitate naturæ iuxtà phrasim Simonis, qua vtebar, hoc est, in tempore inopiæ alimenti, quando natura necessitate compulsa, humores prauos ad ventriculum conuocat: Ita nunc dolo malo agens, per illud *& cætera* occultasti verba, & orationis sensum immutasti. Hoc ne est officium boni viri? *Inciuile est* (inquit iureconsultus Celsus) *nisi tota lege perspecta, eius proposita iudicare, vel respondere*. Inciuiliter te geris ex iureconsulti decreto, mendaciter ex consensu eorum, qui non minùs mendacem eum esse aiunt, qui verum occultat, quàm qui falsum promulgat. Sed quænam ciuilitas ex Recho ex re poterat, aut quæ veritas ex loco, in quo, vt dici solet, *nulla hominum fides*? ff. de leg l. in ciuile.

19 Quoniam verò, ex regula etiam iuris, nemo ex fraude sua locuplex fieri debet, fraudem, qua vsus fuisti, dissimulare volo, & ab omnibus facultatibus cessare hominem posse, à me dictum esse, fateor. Tu ergo dictatoris modo sic intonas: *Semper habent homines facultates omnes animales, licèt cessare valeant homines ab operationibus, quas edunt beneficio facultatum animalium*. Hìc declarare debueras, *An omnes facultates animales* coniunctim accipias, tam materiales, quàm immateriales: nam sic verissimum est tuũ istud effatũ, sed simul inanissimũ; An facultates intelligis materiales duntaxat, & tunc, num eas accipis vniuersaliter in toto corpore, an peculiariter in quolibet membro: nam si in toto corpore, tu, qui sine respiratione viuere animal posse vis, cur etiam nõ admittes abolitam ab eo corpore esse facultatem animalem? siquidem tunc v.g. in syncopizante, motu, & sensu deperdito, respiratione etiam, te consentiente, ablata nulla remanet actio: si non remanet actio, vnde nam cognosces remanere facultates? num quia remanet anima adhuc? At potentiæ istæ, quas materiales esse supposuimus, non in anima sola existunt, sed in ea simul cum organis corporeis: organa autem corporea in homine sic affecto, non sunt capacia facultatum. Tu verò, quia anima adhuc informat, putas animam retinere facultates cum corpore, quod informatur. At corpus adhuc est aptum informari, organa verò facultatũ non sunt apta, vt recipiant has facultates. Si quæras vlteriùs, vndenam adueniat organis isthæc ineptitudo, respondebo præcipuè ex intemperamento, quippè facultates, aut temperamentum esse, aut in corporis temperamento consistere in Galeni doctrina est valdè receptum.

pag. 170.

20 Prætereà supponendum est ex superiùs demonstratis, facultates esse accidentia, supponendum ex logicæ tyrocinio, accidentia intendi, & remitti posse; Da igitur mihi, potentias intentionem, & remissionem pati: dabo tibi eas extingui. Sed tu recurres ad prouidentiam naturæ: quippè, quæ non patietur, facultates omninò necessarias aboleri. Tripliciter tibi respondebo; primò actiones magis necessarias esse ad vitam, quàm facultates: nam & multi viuere sinè facultatibus admittunt, sinè actionibus nullus: si ergo sinè actionibus vitam concedis, cur negas sinè facultatibus? Deinde facultates animales non in toto, sed in aliqua parte deperdi posse, non negabis, quippè brachium paralysi resolutum ideo sensu, motuq; caret, quia obstructis vijs non recipit influxum facultatis: viuit ergo sinè facultate animali, alioquin putresceret, vt morticinium, quod iam satis declaratum est. Tandem, cur magis solicita erit natura de facultatibus animalibus, quàm de naturalibus? Profectò facultates non essent, nisi actionum necessitas

sitas premeret, at non minùs necessariæ sunt facultates naturales ad vitam, quàm sint animales; Inanis mihi videtur est hæc tua intonata dictio, facultates omnes animales non cessare, debuerasq; adiungere nec naturales.

21 Medicè autem loqui oportet, siquidem circa magni medici verba versamur. Inuenies apud Galenum symptomata in actione deprauata, dominuta, ablata; nunquid de actionibus tantùm loquitur? imò & promiscuè de facultatibus. Addit enim aliquando ijs, quæ iam diffusè dixerat, *Actum de sensorijs instrumentis omnibus, tum quæ in his sunt facultatibus, iam mihi absoluta disputatio videtur;* Ergo ex his colligitur, illum iam egisse de facultate deminuta, deprauata, & ablata, siquidem se de facultatibus egisse, ait, in libro, in quo de symptomatum causis pertractat. Insuper proponit agendum de symptomatum causis, *Quæ sunt in contrice facultate,* atq; incipit in hunc modum: *Quæ verò in naturalibus functionibus, facultatibusq; symptomata fiunt, eandem, quam ea, quæ in animalibus actionibus insunt, inuentionis rationem habent.* Egerat de animalium actionum, facultatumq; vitijs, nunc de naturalium similiter agere instituit. Sed omnem tibi auferret nebulam, si auferri posset, quandò de potentia visiua sic ait: *At crystallini quidem humoris morbi in octo intemperamentis consistunt, facultatis autem morbi in eo, quod vel neruus, vel cerebrum malè sit affectum.* Plura tibi afferre possem, sufficiant tamen hæc, vt scias, facultatem, vtì potest dici fortis, aut debilis, posse etiam dici extinctam, imò, & renatam, quoties membra reducta ad priorem statum, facultatis deperditæ capacia iterum fiunt: vt mēbro, quod ob obstructionem nerui, carebat facultatis influxu & obstructione ablata, eū protinus habeat. Si ergo facultas ibi priùs esse nequibat, & simul ob defectum facultatis non aderat actio, cur magis actiones animales cessare, quàm facultates dicis? si membrum est factum facultatis incapax, cur ibi facultatem agnoscis? si deest actio, per quam cognoscitur facultas, quis tibi facultatem adesse reuelauit? Apud medicos, secundùm quorum consuetudinem, de re medica loqui, fas est, nihil sanè refert, facultates ne, an actiones deperditas dicas. Galenus interdum facultates læsas, ait, vt quando de memoriæ, & intellectus læsione sibi proponit agendum, aitq; sinè læsione rationis non dari memoriæ actionem, interdum actiones læsas nominat: etenim respiciens ad partem, quæ suscipiendæ in se, retinendæq; facultatis est incapax, læsam facultatem, imò & ablatam rectè potest dicere, respiciens autem ad sensum, quo affectiones iudicantur, læsas dicit actiones, quoniam hæ, non facultatibus, sed sensibus subiacent. Scito ergo, hominem cessare à facultatibus, quod à parte rei verum est, à parte loquutionis rectum. Verùm hæc doctis sunt superflua, tibi ne sufficiunt quidem.

G. 1. de sym pt. causs. c. 8

G. 3. de sym pt. causs. c. 1.

G. 1. de sym pt. causs. c. 2

G. 3. loc. aff. c. 5.

AD QVAM FACVLTATEM pertineat admiratio.

QVÆSTIO OCTAVA.

1 MAgnanimum non esse admirabundum, dixit Aristoteles, ergo ex lege contrariorum, pusillanimus erit admirabundus: sed magnanimitas, & pusillanimitas in ea animæ parte collocantur, quæ irascibilis à Platone, animosa etiam, & vitalis à Galeno appellatur, ad hanc igitur referri debet admiratio, & sic erit actus irascibilis appetitus.

2 Ad eandem etiam potentiam, ob aliam rationem pertinere videtur. Nam timor ad eam spectat potentiam, ad quam audacia, sed ad irascibilem spectat audacia, igitur ad irascibilem timor. Definitur autem admiratio à D. Damasceno; *Metus ex imaginatione vehemente.* D. Thomas, etiam admirationem timoris speciem esse, tradit.

3 Potest etiam videri, referendam esse ad concupiscibilem: siquidem, vt ait Aristoteles relatus à D. Thoma, admiratio est cum delectatione, delectatio autem in concupiscibili fit: & confirmatur, quia D. Thomas, *est,* inquit, *admiratio desiderium quoddam sciendi, quod in homine contingit ex hoc, quod videt effectum, & ignorat causam*

Ar. lib. 4. ad Nicom. c. 3.

D. Damasc. 2. fidei orthodox. c 15.

D. Th. 1. 2. q. 32. art. 8.

causam, vel etiam ex hoc, quòd causa talis effectus excedit cognitionem, aut facultatem ipsius, & ideò admiratio est causa delectationis, in quantum habet adiunctam spem consequendi cognitionem eius, quod scire desiderat, & propter hoc omnia admirabilia sunt delectabilia: sicut quæ sunt rara, & omnes repræsentationes rerum etiã, quæ non sunt delectabiles: gaudet enim anima in collatione vnius ad alterum, quia conferre vnum alteri est proprius, & connaturalis actus rationis, vt Philosophus dixit in sua poetica, & propter hoc etiam liberari à magnis periculis magis est delectabile, quia est admirabile; vt dicitur in primo rhetoricorum. Hoc discursu probat D. Thomas, admirationem & esse desiderium sciendi, & habere comitem delectationem, quæ duo sunt fundamenta, ob quæ admiratio, vel ad appetitum sensitiuum concupiscibilem, vel ad appetitum intellectiuum, qui propriè voluntas est, referenda videatur. Hinc Conimbricenses putant, in doctrina Sancti Thomæ dicendum esse, admirationem formaliter pertinere ad appetitum intellectiuum, licèt inuestigatio causæ illam concomitans spectet ad vim intelligendi.

4 Verùm longè magis rationi consonum est dicere, admirationem pertinere ad intellectum, & hoc manifestè elicitur ex Aristotele dicente. *Qui dubitat, & admiratur putat se ignorare:* dubitare autem est via ad scire, ergo ad eandem potentiam spectat: & hinc est, quod dici solet: *Philosophiam peperit admiratio.* Deinde, vt ex actibus voluntatis emergit probitas, & improbitas circa mores, sic ex actibus intellectus veritas, aut falsitas circa scientiam: cum ergo dubitare sit circa verum aut falsum ambiguum esse; cum rursus dubitantis sit admiratio, manifestum est, admirationem circa actus intellectus versari. Ar. 1. metaph. c. 2.

5 Ex dictis cognosces, duo animæ in admiratione contingere, vnum, vt quasi suspendatur, alterum, vt in eodem etiam actu exaltetur, hoc dixi in meo tractatu de asitia: nempè: *Per admirationem anima quasi suspenditur, exaltatur.* Horum effectuum fundamentum non est assequutus Satyrus; nec miror: sunt enim altioris indaginis, quàm pro captu ipsius: vtrumq; igitur reiecit, vtrumq; dignũ esse, quod recipiatur, ostendam. Et quod attinet ad primum. Tu, qui grammaticum agis, an ignoras, suspensum, & ancipitem idem significare? si ergo, qui admiratur, anceps est, suspensus rectè dicitur. Deindè si ex prædictis Philosophi verbis, qui admiratur, putat se ignorare, non ignorat: nam alioquin omnis existimatio esset ignoratio; non ignorat, quia putat se ignorare, nec scit, quia dubitat: ergo suspensus manet animus in admiratione. Vlterius iuxta doctrinam Scoti datur actus suspensiuus in voluntate, qui est neuter, hoc est, nec velle, nec nolle appellatur, ergo in intellectu, qui eiusdem, & forsan maioris nobilitatis est, datur hic actus neuter: neq; est, cur suspensio ista magis conueniat voluntati, quàm intellectui. Itaq; tu, qui hactenus te existimasse, ais, admirationem esse signum animæ depressæ in ignorantiam, & in dubitationem, resipisce ex tua stultitia, & in primis ante quàm inquiras, quid significet, perquire quid sit, vt agnoscas, an ita se habeat in essendo, vt in significando: deinde considera, animam depressam in ignorantiam nihil ampliùs admirandi occasionem habere; qui admiratur, contemplatur, qui contemplatur, adhuc non opprimitur ab ignorantia, sed exurgere conatur: nonne consideras verba illa doctoris Angelici, *Admiratio est causa delectationis, in quantum habet adiunctam spem consequendi cognitionem eius, quod scire desiderat:* si adhuc habet spem, non est depressa: spes namq; animam erigit. An tu ais, admirationem esse signum animæ depressæ in ignorantiam, citasq; Aristotelem? at ille admirationem fugam ignorantiæ appellat: quippe postquàm dixit, *Propter admirationem enim, & nunc, & primò cœperunt homines philosophari,* inferius ait, *Quare si propter fugam ignorantiæ philosophati sunt.* Viden, vt hæc consonent veritati, dissonent à tuis dictis? Addis, *Animam,* ex Aristotelis mente, *tunc exaltari cum dubitationem exuens, & ex admiratione iam exiens ascendit in abditarum causarum certam notitiam.* Hæc tua verba sunt, non Aristotelis, qui contrarium sentit, videlicet, *A principio quidem admirando est, quæ de dubitandis faciliora erant: deinde paulatim vlterius procedentes etiam de maioribus dubitando, vt de passionibus lunæ, & eorum, quæ circa Solem, & stellas fiunt, ac de generatione vniuersi. Qui verò dubitat, & admiratur, putat se ignorare: quare philosophus amator fabularum quodammodo est, eò quòd fabula ex mirandis constat.* Reperitne lector ingenuus in his verbis aliquid tuis verbis simile? non te pudet in hominum conspectu solemniter mentiri? Iam ergo prior admirationis effectus, nempe animæ suspensio, manet satis probata. Mendaciũ.

Pag. 247.

De assitia c. 26.

6 Accedo ad alterum effectum, qui est animæ per admirationem

exaltatio. Hæc etiam manifesta est; dummodò exaltationem intelligas initiatiuam, seu causatiuam, ideò dixi *exaltatur*, non autem *est exaltata*. Non ne vidisti mox ex Aristotele causam; saltem occasionem, sciendi fuisse admirationem? non ne per scientiam exaltatur anima? cui ergo, nisi admirationi, hęc exaltatio debetur? Memineris, dictum esse prius, admirationem esse causam delectationis, delectationem esse quandam expansionem; at, vti iam tibi aliquando probaui, expansio in spiritualibus exaltatio quędam est, imò & citra spiritualia manus etiam ad cœlum expandi, hoc est, eleuari dicuntur.

7 Postulas, vt te doceam, cur Deus, qui mens est altissima, & intellectus omnium celsissimus, non est capax admirationis. Docebo: vtinam tu docilis sis, vt mea dicta percipias, quod si non accidat, non deerunt quibus placeant. Mens, seu anima per admirationem, vt ego dixi, exaltatur, ergò non conueniet admiratio, nisi cui conuenit exaltari: (non loquor de exaltatione, hoc est, laudatione: nam hæc maximè Deo opt. max. conuenit, sed de eleuatione) id autem, quod altissimum est, exaltari ampliùs non potest: ergo quamuis Deo conueniret admirari, non conueniret exaltari. Sed vide, quàm benè te ducat tua logica; argumentaris sic: Deus, qui altissima mens est, non admiratur: ergo anima, quæ admiratur, non potest exaltari. Summus calor non potest intendi, ergo calor, qui intenditur, non potest versùs summum tendere.

Error in log.

8 Verùm quoniam dixi, quamuis Deo conueniret admirari, non conueniret exaltari, hoc te volo docere. Sūmæ altitudini, nulla suppositione, nulla mētis cogitatione, conuenit altiorem fieri: implicat enim manifestissimam contradictionem; Admirari autem quamuis non conueniat Deo, quippe vnico intuitu omnia conspicit, nihilominùs, per scientiam experimentalem conuenit Christo Domino, & prædicata de Christo, per communicationem idiomatum, conueniunt Deo; sicut enim verum est dicere, Deus mortuus fuit, Deus crucifixus, Deus flagellatus, sic etiam si tibi dabo Christum admiratum fuisse, vera erit enunciatio, Deus est admiratus. Habes apud D. Matheum, *Audiens autem Iesus miratus est*; Quòd autem verè, & propriè miratus fuerit, explicat D. Thomas, inquiens, *Iesus per scientiam experimentalem miratus est*: Iam ergo habes, posse sine erroris nota dici, Deus admiratus est, non autem Deus exaltatus est, nisi (vt iam dixi) per hymnos, & laudationes.

Euág. 1. Math. c. 28. D. Th. 3. p. q. 15. art. 8.

9 Vis prætereà, vt te doceam, *Cur etiam homines, quò doctiores, & alta magis ipsa sapientia sunt, alijs inferioribus admirabiles, animam habent, quę, quò magis exaltatur, eò minùs patiatur admirationem*. In primis tuum istud quæsitum contradicit Aristoteli; memineris, ab eo fuisse dictum, homines *a principio quidem admirando ea, quæ de dubitandis faciliora erant, paulatim vlteriùs procedentes etiam de maioribus dubitando*, &c. Si procedunt dubitando, procedunt etiam admirando; quare ne existimes, sapientes, quando viderunt stellam illam apparentem in Cassiopea, non fuisse admiratos, plebeios autē homines maiore admiratione fuisse raptos. Imò verò quia ex Aristotele, *qui dubitant, putant se ignorare*, qui ignorant, non dubitant, qui non dubitant non prorsus ignorant. Si discipulos in tua schola haberes, hoc manifestè agnosceres; nam qui prouectiores sunt, documenta magistri admirantur, & dubia soluenda proponunt, qui verò adhuc non sunt initiati, nec habent, quid mirentur, neq; quid dubitent. Verùm hoc meliùs in responsione ad argumenta proposita tibi inotescet.

10 Ad primum igitur, ex autoritate Philosophi dicentis, magnanimum non esse admirabundum, respondeo; quemadmodùm, iracundus differt ab irato, ille enim leui qualibet de causa frequenter irascitur (quod iam tibi superiùs dixi) atq; iracundum esse cadit in pusillanimem, iratum esse in generosum, sic de admirabundo dicendum est, quippe hic leui qualibet de causa admiratur, & doctis irrisui est, pusillanimitatemq; significat; qui verò admiratur propter illa, quæ admirabilia quidem sunt, magnanimus vir est, & iam rerum scientia instructus.

11 Forsitan increpabis, quòd magnanimus à me dictus sit *admirabundus*, cum tamen apud Aristotelem *admirator* legatur. Hęc tamen increpatio ex ignorantia proueniet: nam tametsi interpres parùm conscius differentię, quę est inter admirabundum, & admiratorem, ita transtulit: quippe admiratorem etiam dicimus eum, quem propriè admirabundum vocamus. Consulere in hac parte debes tuum cachodęmonem gręcum, is enim, nisi te decipi velit, te docebit, duas

esse

esse voces diuersas diuersa significantes, θαυμαστὴς, qua voce significatur admirator, seu admirans simpliciter, & θαυμαστικὸς, quo nomine appellatur ille, qui procliuis est ad admirationẽ, seu qui facilè admiratur. Cum ergo in greco codice sit hoc secundum vocabulum, manifestum est, Aristotelem dixisse, magnanimũ eum esse, qui non facilè admiratur: id indicant verba sequentia, *nihil enim magnũ ipsi est*: non quòd aliquid ei non sit magnum, nam sic magnanimus stultus foret, sed in sensu morali, in quo parum pro nihilo reputatur; Dicit ergo, magnanimo paucissima magna videri, ac proinde rarò admirari, neq; esse ex ijs, qui facilè, & leui de causa admirantur. In hoc sensu tuus Suidas potuit dicere, virum bonum, & sapientem nihil eorum, quæ mirabilia videntur, mirari decet, nempe eorum, quæ minoris notæ hominibus quasi admirabilia representantur; Alioquin velle ex animis hominum admirationem penitus extirpare, nihil aliud est, quàm eundem, vel stultum, vel malignum reddere: stultum, quia μάλα φιλοσόφου τοῦτο τὸ πάθος τὸ θαυμάζειν· οὐ γὰρ ἄλλη ἀρχὴ φιλοσοφίας ἢ αὕτη. Malignum verò, quoniam (vt Plinius iunior scribit) *Hoc prauum, malignumq; est non admirari hominem admiratione dignum.* Sed heus tu, ò Satyre, vide, ne ob vtramq; rationem ab admiratione procul absis.

Maxime videtur esse Philosophi hic affectus, nẽpe admirari: non enim aliud Philosophiæ principiũ est, quã ipsum.

12 Sed quid tu? putas ne, non fuisse valdè insignes viros, quos admiratio inuasit? Vbi nam te latuit Alexander Magnus, qui vitam, & grauitatem morum Diogenis cynici admiratus dicitur à Plutarcho? vbi Constantinus Imperator, qui, referente Sigonio, Romam veniens, plurima illius vrbis mirabilia, & inter alia, forum Traiani, singularem in terris structurã, est admiratus? quod etiã Traiani forum, vel assiduè videre miraculum esse, fassus est Theodoricus Ostrogotorum Rex. Viterius, si proteruire adhuc pergis, afferam, quæ negare nequeas. D. Paulus, quem nisi tu velis calumniari, saltem post conuersionem, sapientiæ diuinæ vas esse, fateri debes, miratus ipse est: lege in epistola ad Galatas hæc verba, *Miror, quòd sic tã citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud euangelium.* D. Ioseph, & Deipara Virgo non ne sapientissimi in sacris mysterijs fuerunt? At ipsi mirati sunt in his, quæ dicebantur de Christo: vnde apud D. Lucam: *& erat pater eius, & mater eius, mirantes super his, quæ dicebantur de illo.* Et quod omnium est maximum, iam tibi superiùs dixi, Christum Seruatorem nostrum miratum fuisse.

Plutarch. de fortun. Alex. Sigon. lib. 6. Imperat. occiden.

D. Paul. ad Galat. c. 1.

D. Luc. euangel. c. 2.

13 Ad alterum argumentum. D. Damascenus, admirationem, dicit, esse metum ex imaginatione vehemente, non tamẽ ibi accipit metum propriè, sed per similitudinem, quod expressius cernitur apud D. Thomam, dum ait, admirationem esse timoris speciem, nempe timoris similitudinem: id enim, quod in potẽtia appetitiua est timor, in cognoscitiua est ambiguitas: cũ ergo, qui in admiratione est, in ambiguo persistit (vt ex superiùs dictis constat) videtur habere quãdam timoris similitudinem: qui timet, non amisit spem euadendi è periculo, qui dubitat, spem adhuc habet euadendi ex ignorantia.

14 Ad tertium: Admiratio est quidem cum delectatione, non quòd delectatio sit in admiratione formaliter, sed consequutiuè, quatenus scilicet per admirationem comparatur scientia, in qua sibi complacet intellectus. Eodem modo dicitur desiderium sciendi, quia dum aliquid dubitando speculamur, & assequimur, aliud assequi desideramus, quod iam ex Aristotele ostendimus, quippe ex paruis dubitabilibus, ad maiora per admirationem intellectus progreditur.

15 Tandem ad intellectum pertinere admirationem vltra prædicta, ostendit etiam communis loquutio: nam admirationem stuporis nomine designamus, stupor autem pertinet ad sensum, estq; inter sentire, & non sentire mediũ quoddam: admiratio ad intellectum: & est medium inter cognoscere, & non cognoscere: vnde aptissimè ad dubitationem refertur. Porrò obiectorum, quædã ob id sunt admirabilia, quòd causas ignotas habent, & hæc solis sapientibus admirationem ingerunt, (quippe ad hos spectat rerum causas indagare) non autẽ ad plebeos, quibus nulla causarum cura est. Sic maris fluxus, & refluxus sapiẽtum mentes fatigat, quem tamen nullus ex plebe admiratur. Alia è contrario sunt mirabilia, quoniam rarò eueniunt, & horum admiratio magis plebeos, quã sapientes inuadit. Hinc est, quod monstra miratur populus, quasi sit res admiratione digna, quam tamen sapiens contemnit; Tertio loco constituuntur alia, quæ & sapientibus, & ignaris admirationi sunt, vt cometæ: nam hos tamquàm raros miratur plebs, tamquàm occultam causam habentes sapiens admiratur.

Quarto loco sunt ea, quæ neq; sapientibus, neq; ignaris admirabilia quidem sunt, vtpote, quæ nec rara, nec occulta: talis est tua in me rabies, & proteruia, quæ & assiduè te vexat, & omnibus est notissima, probis tamen duntaxat odiosissima.

TEXTVS XI.

SVcci corrumpentes & totum, & partem; & forinsecùs, ac intrinsecùs; spontanei, et non spontanei, nobis quidem spontanei, causa verò non spontanei.

DIxit superiùs, humores lædere, & iuuare: accipit nunc tractandam priorem partem, videlicet eos, qui lædunt, accepturus posteà eos, qui iuuāt, quando videlicet inquiet, *Natura abūdè præstat omnia omnibus*. Humores igitur, quos nunc corrumpentes vocat, lædunt, vel totum, vel partem: totum lædit humor, qui febrē excitat: quippe tunc febris nuncupatur, teste Galeno, cum per totum corpus extensus fuerit calor, hoc est, extensus, vel qui extendi sit aptus, quod addo propter febrem lypiriam, in qua extrema frigent. Humor corrumpens partem declaratur ab eodem Galeno, cum ait, *Iam ea, quæ putrescunt in animantis corpore, calorem quēdam immodicum in ijs partibus, in quibus putrent, efficiunt, sicut erysipelata, & herpetes, & carbunculi, & inflāmationes.*

G. de caus. morb. c. 2.

ibidē.

Et forinsecùs, & intrinsecùs.

Est subdiuisio prioris diuisionis: quippe ea, quæ corrumpunt totum, aut partem, vel corrumpunt exteriùs, vel interiùs; Cæterùm tam diuisio, quàm subdiuisio possunt intelligi, & diuisim, & coniunctim. Itaq; exteriùs corrumpunt, quæ similiter exteriùs corrumpuntur. e.g. quando corpus cacochymum exercetur, & ex Hippocratis decreto *vlcera erumpunt*, tunc humores, qui intus latentes à calore naturali coercebantur, nec putrescebāt, exeuntes, & ab eo destituti putrescūt, abeuntq; in pustulas; Interiùs autem corrumpuntur, quæ maiori malignitate prędita, non possunt à calore naturali impediri, quin putrescant: vnde, & fiunt cancri occulti, & interiora erysipelata, inflammationesq; non cōspicuæ.

In epid.

Spontanei, & non spontanei.

Altera subdiuisio est, humores corrumpentes totum, & partem, aut sunt spontanei, aut non spontanei. Solet Hippocrates spōtaneum appellare id, quod non fit à causa externa, vt lassitudines spontaneas, quæ non eueniūt à præcedente aliquo labore: euacuationes spontaneæ, quæ nullo medicamento assumpto fiunt, quamquàm aliquando spontaneū appellet id, quod nos sponte facimus, vt lacrymas spontaneas, cum sponte lacrymatur æger non ex vi morbi; sed hæc significatio non pertinet ad hunc locum. Sunt ergo humores spontanei, qui nullam euidentem habent causam, sed intus latenter gignuntur: nō spontanei, qui erroribus in victu correspondent.

Nobis quidem spontanei, causæ verò non spontanei.

Fracantianus, cui etiam consentit Cardanus, ait, spontaneum dici, non quia aliquid casu, & fortuna accidat simpliciter, sed comparatiuè, e.g. qui fodiendo terram thesaurum reperit, non dicitur habuisse causam reponēdi thesaurum: nam fossio terræ non fuit causa, alioquin nihil fieret casu, fuit tamen causa fossio eius terræ, in qua erat thesaurus. Cæterùm non mihi videtur ad explicationem horum verborum oportere recurrere ad casum, & fortunam, sed dicendum, Hippocratem, postquàm succos corrumpentes diuisit in spontaneos, & non spontaneos, explicare, qui sint succi spontanei: quippe cum spontaneum sit id, quod sponte sua ortum nulli causæ attribuitur, posset aliquis existimare, succos putrescentes in corpore nostro esse, qui causam nullam habēt, hoc, inquit, non ita esse suapte natura, sed quo ad nos: vt quando interiùs aliquis humor non satis ventilatus putrescit, nobis quidem, qui ventilationis prohibitionem ibi nullam agnoscimus, sponte sua putrescere dicimus; ex parte autem causæ non fuit spontanea putredo, siquidem causam

habuit prohibitam ventilationem.

Vel dicendũ, ſuppoſito quòd, vt diximus, ſpontaneũ, eſt id, quod ſinè cauſa manifeſta, quam medici procatarcticam vocant, fit, humores corrumpentes ſpontaneos nobis eos eſſe, qui fiunt, nobis nullam cauſam inferentibus, ſicut laſſitudines ſpontaneę, quibus nullam præſtitimus cauſam: eoſdẽ verò humores reſpectu cauſę eſſe non ſpontaneos, hoc eſt, cauſam horum humorum internam effectum alicuius cauſę exſternę. Supponamus hominem vitam deſidem agẽrem, qui neq; ſe expoſuit Soli, neq; iratus, neq: vigil fuit, neq; cibis calidis eſt vſus, huic ſi cõgeratur in corpore bilis, erit quidem ſpontanea, ſed quia vita deſes cruditates accumulans difflationem caloris impediuit, hęc impedita difflatio eſt cauſa billioſi humoris, & cauſa quidem non ſpontanea, quia ſcilicet à cauſa prouenit manifeſta.

VTRVM AD GENERATIONEM morbi neceſſaria ſemper ſit cauſa aliqua procatarctica.

QVESTIO NONA.

Argumenta, quibus probatur neceſſarias eſſe cauſas externas, vt morbus ſuſcitetur.

Articulus Primus.

1 SEx res non naturales à Galeno ſalubres, & conſeruatrices appellantur, non ob aliam rationem, niſi quoniã corporis noſtri commoderationem, conſtitutionemq; totam incolumem, atq; ſalubrem ſeruare poſſunt; ergo quicumq; circa has frugaliter ſe geſſerit, à morbis immunis vitam deget. G. art. med. c. 85.

2 Deinde Galenus ei, qui ſibi paruerit, conſtaturam ſanitatem prollicetur, imò alibi eos, qui ſe exercendi, viuendiq; ordinem ſeruarunt, ſanos vixiſſe, affirmat; ergo ex promiſſis magni medici habemus, non poſſe morbos oriri abſq; rerum externarum culpa. G. 6. ſanit. tuend. c. 7.

3 Tertiò: ſi ſupponamus hominem optimi temperamenti, optimę etiã partium conformationis, rebus externis ſumma cum moderatione vtentem, hunc neceſſe eſt illud vitę tempus, quod ex ſuis vitę principijs habet, ſalubriter tranſacturum, imò verò Theologi conſtanter tenent, Chriſtum dominum, ſi non fuiſſet interfectus, peruenturum ad decrepitam ętatem ſinè morbo aliquo: quod etiam conſtat, quia vſq; ad triginta trium annorum ętatem nullum paſſus eſt morbum, quare ſic, nullum paſſurus eſſet vſq; ad vltimum vltimę ętatis punctũ. G de ſucc. bon. vel mal. ſucc. c. 1. P. Su. 3. p. q. 14. art. 4. diſp. 32. ſect. 2.

4 Quartò: ſi abſq; cauſa externa ęgrotaret homo, ab interna duntaxat, morbus & eſſet pręter naturam, & ſecundùm naturam: eſſet quidem pręter naturã, quia ex definitione morbi ita eſſe neceſſarium eſt, quippe morbus definitur affectus pręter naturam: eſſet ſimul ſecundùm naturam, & confirmatur hoc, quia ab vnoquoq; temperamento effectiuè ſanitas procedit: ſi ergo ab eodem procederet morbus, vna eſſet cauſa per ſe contrariorum.

5 Quintò: vnicuiq; membro eſt temperamentum certum, & determinatũ à ſuo principio interno, à quo principio in ſuis certis, ac determinatis gradibus conſeruatur. e. g. aqua ſuę frigiditatis gradus quoſdam habet, in quibus à ſuo interno principio conſeruatur, ita vt ab his dilabi nequeat, niſi externo aliquo agente violentiam inferente: ſic etiam in corpore animalis; vnde rectè dicuntur ab Hippocrate *Naturæ morborum medicatrices*: quia ſcilicet ad ipſas ſpectat corpus viuens ad ſanitatem reducere, ſicut ad aquam ſpectat ſe reducere ad ſuum temperamentũ. Si ergo natura corpus lapſũ reducit, multò meliùs conſeruat, quoad poteſt, ne labatur: quare quidquid accidit pręter naturam, ab externo accidit.

6 Sexto:

6 Sexto: nihil poteſt agere in ſe ipſum: igitur morbi, ſaltem qui in intemperie conſiſtunt, nõn poterunt à temperamento fieri: hoc enim nihil aliud eſſet, quàm deſtruere ſe ipſum, quod eſt contra ordinem naturæ, omnium conſeruationi conſulentis.

Quæſtionis vera enodatio.

Articulus ſecundus.

1 NOn eſt vna ſimplice reſponſione ſoluenda hæc quæſtio, ſed triplici pronunciato abſoluenda: ſit igitur primum. Non omnes morbi habent cauſam externam. Hoc probatur, quoniam tametſi προφάσεις, hoc eſt, occaſiones, quæ communiter cauſæ externæ appellantur, gignant aliquem morbum, nihilominùs iſte morbus genitus poſterioris morbi cauſa eſſe dicitur, vnde Hippocrates, quando iubet conſiderari occaſiones, vnde homines ęgrotare cœperunt, non dicit προφάσεις, ſed τὰς ἀφορμὰς, quod primum morbi impetum ſignificat, quaſi in ſecundo morbo ad priorem duntaxat, non ad prioris cauſam reſpiciendum ſit. Dicet aliquis, cauſam externam eſſe ſecundi morbi cauſam magis remotã, quàm primi, cauſam tamen eſſe. Verùm ea, quæ à medico in morbis non conſiderãtur, pro nihil habentur; cauſæ igitur externæ in eo morbo, cuius ſunt cauſæ, ſi non ad curationem, vt Galenus ait, at ſaltem, ex eodem, ad cognitionem conſiderantur, in alijs autem ad neutrum. Nam cum aliquis ob externam cauſam incidit in tertianam notham, quæ longa eſſe ſolet, vt fuit illius adoleſcentis, cui tertiana autumno cœpit, & vere deſijt, hac ſanata relinquitur in corpore habitus cachecticus ob conſumptos diuturnitate febris humores tenues, & ex hoc habitu emergit hydrops; Certè in hac hydrope non reſpicit medicus ad externam cauſam, neq; tamquàm proximam, neq; tamquàm remotam. Sic etiam morbi, qui ex ſemine originem trahunt, non cenſentur cauſam externam habere.

G.4. meth. c.3. G. 2. de local. G. ad Glauc. lib.1. c.8. 3.prog 1.

2 Secundum: quando ex cauſis externis acquiritur diſpoſitio neutra, qua corpus per aliquot annos valetudinarium eſſe perſeuerat, poſteà hæc diſpoſitio, languidis, ob eam, factis viribus, ab ſtatu neutro in ſtatum inſalubrem tranſit, & morbum inducit: hic etiam morbus à medico tamquàm à nulla externa cauſa proueniens conſideratur: præcipuè cum προφάσεις, ſeu occaſiones externæ, à Galeno inualidæ appellentur, quibus non eſt attribuenda tanta vis, vt poſsint poſt annorum ſpatium morbos, lethales inducere.

3 Tertium: poteſt, nulla cauſa externa, neq; remotiſsima concurrente, ex ſolis principijs internis oriri morbus. Hoc vt pateat, meminiſſe oportet, vnumquodq; membrum triplex habere temperamentum; Vnum totius, quippe ex corde, niſi hepar obſtiterit, aut ex iecore, niſi obſtiterit cor, vt autor eſt Galenus, temperamentum vniuerſale profluit, quo ſingulæ partes induuntur; Alterum eſt temperamentum proprium cuiuſq; partis: quantumuis enim temperamentum totius calidum v.g. ſit, non poteſt efficere, quin oſſa, cartilagines, & reliqua membra exanguia non ſint frigido temperamento prædita, & ſic in alijs; Tertium eſt temperamentum, quod per coalternationem partium appellari ſolet, quo ſcilicet vnaquæq; pars ab alia moderationem propriæ conſeruationi neceſſariam ſuſcipit. Nam prima naturæ intentio eſt, vnicuiq; membro temperamentum ſuis vſibus neceſſarium tribuere, quod temperamentum, ſi aliqua ex parte ſit membri illius naturæ parũ conueniens, aliunde emendatur: e.g. cerebrum frigidum eſſe oportuit, ne continuis cogitationibus incenderetur: quoniam autem cum hac frigiditate non poteſt tot vapores, quot iugiter aſcendunt concoquere, & inde catarrhi, quibus homo vexatur, originem habent, nõ poteſt ſimiliter ſpirituum elaborationi inſeruire, quapropter datæ ſunt ei venarum, arteriarumq; myriades, quibus noxa frigiditatis impediri queat.

G. art. med.

4 Hanc coalternationem partium dari, oſtenditur à poſteriore, hoc eſt, ex effectu: quæ probatio, in medicina eſt ſatis. Videmus igitur ex defectu membri coalternantis membrum coalternatum lædi; vnde colligimus, ex eiuſdem coalternantis

nantis optimo statu illud alterum iuuari: si quis enim videat linguam per se ipsã aridam quoties ob defectum humiditatis è cerebro diffluentis, nec glandulas, quas habet, nec meatus, qui ei sunt quamplurimi infarcti humore conspergi, sic propterea neq; cibos commodè in ore versari, neq; loquutionem rectè exprimi, statim iudicabit, linguam ad suas actiones peragendas à cerebro subsidiũ expectare. Probatur secundò hæc coalternatio: quoniam anima perfectorum animalium non potest in vna duntaxat parte produci, neq; conseruari: ex quo colligitur, vnamquamq; partem per se solam non habere totum id, quod requiritur ad sustinendam formam, sed ad sui complementum alterius partis auxilio indigere. Nec verò contra ordinem naturæ, suauiter operantis, hæc membrorum coalternatio facta est: imò sic fieri decuit: nam si membra non in se mutuò agerent, non magis diceretur corpus ex partibus constare, quàm aceruus lapidum ex lapidibus. Quòd si hæc coalternatio vnius membri in alterius perniciẽ foret, magis diceretur aduersari ordini naturæ suauiter disponentis. Itaq; cor, initio suæ formationis, tanta præditum fuit caliditate, vt quemadmodùm obseruauit Galenus, si in recens dissecti cordis ventriculos digitum immitamus, prorsus vrere sentiamus. Hæc illi caliditas necessaria fuit, & hoc viscus feruere semper oportet, vt Galenus sentit, nempe sic & se ipsum, & alia tum mouet, tum calefacit; Ad vsus ergo necessarios calor hic excellens cordi à natura est datus: quoniam verò ex calore adeò intenso sequeretur combustio, hæc quidem impeditur coalternatione pulmonis, aerem frigidum cordi communicantis. G.lib. de fæt. format. & 1. de sem. G. 2. de temperam. & lib. de vsu puls.

5 Ante quàm vlterius progrediamur, oportet difficultatem, quæ hic se offert, remouere. Nam si adeò magna caliditas cordi, ob suos vsus, est necessaria, pulmo quidem cor refrigerando, vsibus cordis, ac subinde vitæ erit contrarius. Respondendum tamen est, duplicem esse partium coalternationem, positiuam vnam, alteram priuatiuam; positiua dicitur illa, qua membrum vnum ad alio suscipit gradum aliquem qualitatis, quo defectui suo proprio occurrat: vt ventriculus frigidus, quippe exanguis est (talem esset oportuit, vt dilataretur ab ciborum captum, constringeretur ad eorum amplexum) habet supplementum ex partibus circumuicinis: Priuatiua coalternatio ea dicitur, qua pars nihil sibi ab alia accersit, sed nulla re addita in suo proprio statu conseruatur: sic cor priuatiua coalternatione à pulmone in suo naturali temperamento conseruatur, ita refrigerantis aeris beneficio, non quidem eius calor retrocedit, sed, ne pergat vlterius, impeditur. Quare tantum abest, vt impediatur vsus cordis à pulmone refrigerante, quin potius adiuuatur: adiuuari autem ex eo patet, quòd nisi calor cordis frænum haberet ex aere à pulmonibus transmisso, pro calefactione cõbustionem, pro vita interitum præstaret. Porrò est considerandum, ex adeò vehemente calore, qualis est calor cordis, in vlteriorem calorem facilem esse lapsum: quadrat enim hic, quòd Hippocrates de athletis dixit, non potest calor ille eximius in eodem statu permanere: siquidem necessariò res omnes sublunares in continua sunt alternatione: nõ potest proficere, hoc est, non potest intensior cum profectu, & vtilitate fieri, reliquum est, vt in deterius ruat, hoc est, vt ruat in calorem præter naturam.

6 Cæterùm in aliquibus animalibus ingens cordis calor cohibetur quidem respirationis beneficio, sed tamen cohibetur minùs, quàm oportet: cohibetur, inquam, ne prorsus caliditas adurat viscera, sed minus, quàm oportet, quoniã animalia hæc corde, præter alia animalia, calidissimo, iecore etiam valde calido, habent organa respiratoria, licèt valde ampla, non tamen adeò, vt tantæ necessitati possint inseruire: quæ enim posset esse amplitudo, quæ tanto aeri attrahendo, quantum calor ille ingentissimus postulat, sufficeret? Quapropter remanet quidem calor aptus ad vitam, non tamen ad vitam sanam, vnde hæc animalia semper febricitant. Hinc est, quòd leo, calidissimo temperamento, tum cordis, tum iecoris præditus, ab interno principio febricitat: quippe à prima sua origine quartanam per vniuersum vitæ tempus patitur. Capras etiam quis non dixerit febricitare, quæ herbas, quas mordent, adurunt, & excrementa deponũt calorem igneum attestantia? Anates etiam perpetuò febricitant: nam cum conseruatio fiat per similia, si calido eorum temperamento sanæ forent, non delectarentur frigidis. At in aquis delectantur, quod manifestum signum est ægritudinis, quæ contrarijs curatur: quippe naturæ instinctus brutis animatibus pro medico est.

7 Ad

Vera decisio

7 Ad susceptum itaq; iter redeuntes dicimus, posse corpus ex prima elementorum permistione secundùm varias partes talem sortiri substantiæ proprietatem, vt pulmo magis facilem habeat temperamēti permutationem, quàm cor; permutentur ergo temperamenta ætatis decursu, pulmonis substantia ex mutatione temperamenti minùs poterit flabellandi munus obire, cor minùs mutatū improportionatam sibi reperit pulmonis actionem, ac propterea ex defectu coalternantis membri, calorem habet, extra statum naturalem, vnde sequitur febris. Alterum exemplum: renes suo trahendi munere, sanguinem à serositate purgant: deficiat mutatione ætatis virtus attrahens renum, nec tamen admodùm promptè iecur à suo munere permutetur, ob hunc coalternantium renum defectum serositas sanguinis redundabit, hinc putredo, & morbi varij.

8 Erit tamen, qui dicat, si cor ob alterius membri vitium, nempe pulmonis, febricitat, iam non dicetur febricitare ex internis principijs, & sic de alijs membris. Respondeo, quamuis occasionaliter ab alio membro morbus excitari dicatur, nihilominus ab interno principio propriè dicitur fieri, tum quia deest causa externa, tum etiam quia internum principium, hoc est, temperamentum cuiusuis membri, vt sit completum, debet componi tum ex propria mistione, tum ex vtilitate, quam coalternationis beneficio suscipit.

9 Altera obiectio esse potest, nempe calorem istum cordi additum esse independentem, ac proinde non posse efficere febrem: quod si posset, febris ista per se ipsam absq; vllo remedio sanaretur: nam calor independens, si sit præternaturam rei, ab eiusdem rei natura emendatur: vt patet in aqua calida extra ignem posita: ille enim calor, cum iam non dependeat ab alio, per se ipsum tollitur, operante scilicet naturali forma aquæ. Aliqui istum regressum aquæ ad suam naturalem frigiditatem attribuunt aliquibus frigidis partibus, quæ adhuc remanserunt, & se se ab illa vicinarum calidarum oppressione vendicare conantur, alij partes in aqua tepidas agnoscunt, quæ remittunt intensas, nihilominus certissimum est, nisi forma aquæ cooperetur, non posse particulas illas, (licèt ibi remansisse aliquis concedat) per se ipsas operari. Ad dubitationem medicam dupliciter possumus respondere: primò, calorem accensum ob defectum flabellantis pulmonis non statim dici febrem, nisi postquàm iam factus extraneus contenta cordis aut spiritus apprehendit, sic iam quando est febris, est calor dependens ab aliqua substantia calefacta; secundò, nullum esse incoueniens febrē à se ipsa multoties sanari: imò verò experimento constat, aliquos sinè auxilio medico à febre liberari, vincente scilicet vi naturæ, vim caloris præternaturam, & quidem antequàm calor extraneus putredinem in humores inducat, febris est ephemera, quæ sinè auxilijs medicis euanescit; postquàm autem corripuit humores, iam curationem exoptat, non ratione causæ efficientis, sed materialis. Tandem non solùm morbi leues possunt à natura curari, vt testatur Galenus, sed etiam morbi graues, & febres acutæ, quod latissimè probat Auerrous: causa namq; morbi potest cōcoqui, aut resolui, aut expelli, tam extra corpus, quàm in partem aliquam ignobilem, & remota causa illa febrem accendente, redit corpus sponte ad suam naturalem temperiem.

G. 1. loc. affe. c. 2. Auer. 7. col. c. 35.

Solutio argumentorum.

Articulus Tertius.

Morbi hæreditarij fiunt sine causa externa.

1 AD primum. Causæ externæ, seu res non naturales salubres quidem dicuntur, quoniam si ijs rectè vtamur, salubritati nostræ valdè conferunt; Cæterum non omnia, quæ conferunt ad aliquid, possunt eius naturam penitus immunem tueri: confert Sol ad fertilitatem terræ, neq; propterea solus fæcunditatis est autor. Qui rectè ad externas causas se habuerit, nihilominus tamen ex vitæ principijs valetudinarius sit, non poterit ex solo recto vitæ ordine à morbis euadere; Quod patet in morbis hæreditarijs.

2 Ad secundum. Galenus ijs, qui sibi paruerint, sanitatem constaturam pollicetur, sed non semper; verùm per viginti, aut per non tot etiam annos. In quo

ostendit

ostendit magnam quidem esse vim conseruatiuæ artis, non tamen tantam, vt possit perpetuam totius vitæ sanitatem promittere. Nam ille, qui ex membrorum conformatione articulorum laxitatem sortitus est, poterit quidem per multum tempus præseruari, sed tantem superante partium illarum recipientium debilitate, adueniet absq; vlla externa culpa articularis morbus. Sic nonnulli à parentibus sola praua membrorum constitutione accepta, morbosum apparatum accepisse censentur: neq; est necessaria culpa externa, vbi natura interiùs errorem in conformatione commisit.

Morbi quorũ causa est vitiũ in formatione fiunt sine causa externa.

3 Ad tertium. Cum supponimus hominem optimo temperamento, & apta membrorum compositione præditum, hunc immunem à morbis dicimus, nisi errorem in externis committat, quia scilicèt in ijs, quæ interna sunt, tutus est, & benè munitus. Itaq; Redemptor noster, perfectissimam habens membrorum compositionem, perfectissimum temperamentum siue ad iustitiam, siue, vt alijs placet, ad pondus, nisi error aliquis in externis accideret, non habebat, vnde posset ægrotare. Porrò aliud est dicere sinè externis causis non posse hoc corpus ægrotare, aliud, sinè externis causis non posse quodlibet corpus ægrotare. Neq; enim à particulari ad vniuersale valet argumentatio, scilicet Hic, quia non errauit in externis causis, non ægrotauit, ergo omnes, qui non errauerint in causis externis, non ægrotabunt.

4 Ad quartum. Triplex se offert responsio: non possumus dicere, hominem, qui ab interna causa febricitat, naturaliter se habere: quippe deest illi aliquid ad complemẽtum sanitatis, nempe coalternatio vnius membri in aliud, cuius coalternationis defectu febrilis calor in corde suscitatur. Cum ergo dicitur, sanitas prouenit à temperamento, non potest ab eodem prouenire morbus, respondeo, non prouenire morbum à temperamento, ità se habente, vt se habet in sanitate, quippe in sanitate nihil deest membro ad complementum sui temperamenti, in morbo deest coalternatio. Secunda responsio. Nulla esset contradictio: nam tametsi febris diceretur naturalis respectu sui principij, diceretur nihilominùs præternaturam respectu sui effectus, quippe læderet operationes. Nec est inconueniens à principijs naturalibus oriri aliquid quod effectum habeat præter naturam: nam actio caloris in humidum naturalis est, ab ea oritur (vt diximus) indigentia cibi, oritur & senectus, & mors, quæ omnia, licèt naturalia dicantur, quia sequuntur ad actionem naturam, sunt tamen præternaturam, siquidem naturam patientis euertunt. Tertia responsio. Admittimus, febrem esse à naturali principio, non tamen iccirco admittimus, febrem esse naturalem. Nam, vt aliquid sit naturale, non sufficit, vt sit à principio interno, sed necessaria est altera conditio, videlicet vt fiat passo non conferente vim. E. g. actio caloris naturalis in humidum est naturalis, quia adest ei vtraq; conditio: namq; & fit ab interno principio, hoc est, a calore naturali, & fit conferente vim passo: quia humidum confert vim calori, ei humidum subministrando. At febris fit à calore interno destruente temperamentum cordis, sed non fit passo conferente vim: quippe temperamentum non producit effectiuè febrem, sed febris fit per resultantiam propter incompossibilitatem caloris cum defectu aeris à pulmone transmissi.

5 Ad quintum. Non debet argumentum admitti ab inanimatis ad animata deductum: quippe partes inanimatorum, cum sint cum suo toto omogeneæ, hoc est eiusdem naturæ cum ipso, nullam aliam habent actionem, quã reducere suum totum ad statum naturalem, siquidem à suo toto conseruantur. At animata variarum partium compositione constant, vnde quãuis omnes partes concurrant ad conseruationem totius, & illud reducant ad statum naturalem, hoc efficiunt diuersas operationes in hoc officium conferendo, propter quas possunt corrumpi: partes enim animalis, tametsi conspirent ad conseruationem formę in materia, & hæc sic totius conseruatio, nihilominùs hæc conseruatio non fit per simplicem actionem: neq; enim omnes partes vno, & eodem modo operantur (vt contingit omogeneis) sed agunt diuersimodè: hæc calefaciendo, illa refrigerando: vna cibos concoquendo, alia excrementa expellendo. Quapropter in ista diuersitate actionum contingit, vt ex cuiusuis partis dissonantia totius armonia dissoluatur.

6 Ad vltimum. Admittimus, nihil agere in seipsum, & multò magis nihil agere in perniciem suam. Verùm iam diximus, febrem istam non fieri ex

alicuius agentis vi, & actione propria, sed per quandam resultantiam. Adiungimus nunc, postquàm in partibus igneis cordis, quę multę sunt, resultat calor intensior, posse alias terreas incendi, quare iam calor, qui formę erat conueniens, fit non conueniens. & operationes, quæ non dum erant sensibiliter læsę, sensibiliter læduntur. Neq; verò aliquis dicat, calorem hac propagatione fieri mole maiorem, non verò intensiorem: nam quantitatis augmentum vim agentis auget, vt Galenus animaduertit.

G.3. simpl. c. 27.



7 Contra hoc argumentatur Satyrus, cui caloris exiguitas ab eius debilitate longè dissidet, nam exiguitas, dicit iste, *nititur paucitate humoris, quo fundatur: vnde Hippocrati, qui crescunt plurimum habent calidi innati.* Hactenus benè, sed adiūgit, *non tamen robustissimum*; Num ita dixit Hippocrates? minimè: vnde nam ergo tibi venit in animum isthæc additio? Tu respondes sic: *etenim iuuenum, adultorum calor innatus validior est calore puerorum.* At rectè ego dixi, tuum esse illud *robustissimum*, non verò Hippocratis; siquidem si Hippocrates ita diceret, sibi met esset contrarius; Non ne qui quia crescunt plurimum habent calidi innati, plurimo indigent alimento? non ne si alimento careant, corpus absumitur? vnde nam hoc, nisi ex caloris robore? Deinde vnde nam cognoscitur robur caloris? Respondebis, ni fallor, ex actionibus: nec dicas, me loqui cum cautione: nam si ita respondere nolis, saltem ita respondebunt docti homines: quippe non aliunde cognoscimus validitatem caloris innati, nisi ex actionum validitate, alioquin vbi calor est debilis; actiones erunt validiores, quod si tibi placuerit, non mirabor quidem, mirabor, si placuerit alijs. Concludamus ergo, ex calore debili debiles esse actiones, & pręcipuè actiones naturales: nam animales expostulant duritiem membrorum ad motum, siccitatem ad sensationes: itaq; coctio valida validum arguit calorem, debilis debilem. Ita ne? quis dubitat? at pueri fortissimas habent actiones naturales, ergo habent robustissimum calorem naturalem, nec, vt tu dicis, validior est calor iuuenum calore puerorum. Calor hic naturalis, teste Galeno, *in pueris omnes actiones naturales adauget*, quod optimè declarat inquiens: *cum enim duplices actiones in animalibus sint, certè corporales pueri præcipuas obtinent, quæ animi sunt, ea quæ à pueris ad remissionem vsq; succedit, ætas.*

pag. 33

G.5. simpl. c. 9
G.6. san. tuen. c. 2.

8 Itaq; actiones, in quibus calor naturalis solus est opifex, in pueris validiores sunt, quàm in alijs ætatibus, quod indicat voracitas, & coquendi vehementia; Dixi, in quibus calor naturalis solus est opifex, vt comprehenderem etiam actiones vitales; quippe has etiam pueris robustas tribuit Galenus, dum ait, *Cum enim tres vires genere existant, ex quibus gubernatur corpus, duabus quidem pueri, quàm cæteri fortiores existunt, vna verò debiliores, quæ in neruis innexa est.* Sic Galenus. Iam ergo hinc habes, calorem puerorum non solum mole, sed viribus præstare calori sequentium ætatum, quod tu hactenus ignorabas, & hoc tibi expediret scire, non autem te implicare grammaticationibus, & quærere, an baiulus onere oppressus dicatur exiguus; dicitur quidem exiguus secundùm quid, hoc est, secundùm vires: sic calor naturalis exiguus est, quando est oppressus, nempe exiguus secundùm vires. Iam tibi superiùs in vera grammatica hanc dicendi formam recipi satis demonstraui; relinquo ergo hęc puerilia, de quibus, satius foret, nihil tibi respondere.

G.3. prog. 34.

TEXTVS XII.

RVrsus autem causæ, aliæ manifestæ, aliæ obscuræ, & aliæ possibiles, aliæ impossibiles.

MVltifariàm tradi solet causarū diuisio: quamuis autem diuisiones medicæ distent à metaphysicis, sunt tamen ab his aliqua petenda. Nam cum quatuor statuant causarum genera, formalem, materialem, efficientem, finalem, non conueniunt autores medici inter se de receptione istarum. Apud eos, qui morbum substantiam esse dicunt, dabitur in morbis forma substantialis, apud alios accidentalis, siue relatio sit, siue ad primam, siue ad tertiam speciem qualitatis spectet, de quo non est hic disputandi locus.

Materialem negat Vallesius: quia materia prima non inest, nisi substātijs corporeis: quippe hæ solæ constant

stant ex materia, & forma, materia secunda solis inest artefactis, morbus non est aliquid artefactum. At eodem iure probare posset, morbum non habere causam formalem, quã tamen concessit, nempe accidentariam: vnicuiq; verò formę sua materia debet correspondere: erit igitur morbi materia ea, quæ accidentiũ, accidentium verò materia est subiectum: erit igitur materia morborum id, in quo morbus subiectatur, vt humores, aut membra. Sed incontrarium est, quòd morbus est passio viuentis: humores non sunt viuentia, non potest ergo morbus subiectari in humoribus. Respondent aliqui, morbum habere corpus viuens pro subiecto denominationis, non verò inhæsionis, inhęret namq; non viuentibus. Ista tamen responsio nõ omnino mihi placet, nam accidens denominat subiectum, cui inhæret. Dicendum ergo, morbos, qui materia non constant, vt sunt morbi à sola intemperie, & solutione cõtinui inhærere in corpore viuente per se, eos verò, qui materia constant, inhærere per aliud, nempe per humores, aut spiritus, in quibus primario inhærent.

Causam finalem negat Vallesius, cui planè assentior. Nam quæ habent essentiam (vt ille ait) in aliqua perfectione, ea sunt propter finem, atq; sua perfectio est finis, & causa cuius gratia, quin plerisq; (vt censet Aristoteles) est eadem cum forma; sed quod ex defectu contrario perfectionis pullulat, non fit propter finem: Rossellus contrarium tenet: quod probat, quia cum morbus habeat causam efficientem, omnis autem causa efficiens operetur propter finem, necessario danda est in morbo finalis causa. Adiungit, absurdum esse dicere, calorem humoris putridi, cum intemperat cor, agere sinè fine: intendit enim generare sibi similem calorem, & ex consequẽte parem intemperiem promouere: quemadmodùm lapis, cum labitur in collum vesicę, intendit quidem obstruere, atq; vitium promouere in meatu.

Rossel. de cau. morb. c. 2 q. 3

Verùm exiguam vim habet isthęc Rosselli argumentatio: nam finis agentis naturalis est producere sibi simile, ac propterea caloris finis est producere alium calorem, quicquid autem ad hoc siue boni, siue mali consequitur, non est secundũ intentionem agentis. Itaq; calor in corde intendit producere alium calorem, si verò inde affectus sequitur, qui est febris, non est de intentione agentis, ac proinde non comprehenditur in causa finali. Sic etiam lapis suo pondere, vel molestatæ naturę impulsu labitur in vesicam: si suo pondere, idem finis est cunctorum grauium, si impulsu, finis naturæ est liberare partem, à qua dilabitur: si verò inde sequitur affectus præter naturam, non est de intentione agẽtis, & subinde non est causa finalis.

Refellitur Rossel.

Causa efficiens in omni morbo datur, vel per se in morbis, qui verè fiunt per causam realem effectiuam, vel per accidens in ijs, qui fiunt per resultantiam. Hoc tamen vnum aduertendum est, in morbis ex materia, causam efficientem, & materialem vnam, & eandem esse. Siquis enim in tumore prętr naturam quęrat, à quo fiat ille tumor, respondebimus ab hoc, aut ab illo humore, partem in tumorem eleuante. Si quis rursus quærat, ex quo fiat, dicemus similiter ex hoc, vel illo humore, nempe ex bile, si erysipelas, ex sanguine, si phlegmon est. Cæterùm causa, à qua est efficiens, ex qua est materialis, vtraq; vt videmus, in vna concurrit.

Alia diuisio causarum.

Diuidi etiam solet causa in primitiuam, quæ etiam externa, & procatarctica appellari solet, & antecedentẽ, quæ in corpore existens morbum facere apta est, sed nondum facit, & in tertiam coniunctam, quæ morbum immediatè gignit. De externa iam superiùs diximus; antecedentem possumus colligere ex Galeno, cum plenitudinem statuit in corpore, antequàm morbus gignatur, & meliùs cum spumosæ deiectionis contentiuam causam dicit esse in ventriculo, antecedentes verò plures. Manifestissimè autem conspicitur in accessionibus febrium intermittentium, in quibus causa antecedens est humor, qui in venis stabulatur, & non dum efficit paroxysmum, idem verò cum ad focum accedit, & febris accessionem efficit, coniuncta est causa. Vnde qui quæ-

G. 2. aph. 22
G. 7. aph. 30

runt, an febris intermittens sit plures morbi, responsionē habet promptam; sunt namq; plures morbi, si respiciamus ad causam coniunctam, sed sunt vnus morbus, quia vnam habent omnes accessiones causam antecedentem. An verò in omnibus morbis detur causa coniuncta, quæ continens appellatur, digladiatio est inter plurimos autores, qui de hac causa integra volumina scripserunt: certant de hoc præcipuè Valleriola, & Tubingensis.

Aliæ manifestæ, aliæ obscuræ.

Ad plenam notitiam causarum attulimus earum species, non quòd Hippocrates hic causas diuidat in suas species, sed sunt istæ quædam causarum conditiones, vnde potest dici esse diuisionem subiecti in accidentia. Itaq; manifestæ causę sunt, quæ vnicuiq; etiam non medico patent, & hæc est conditio pertinens ad procatarcticas. Quæsitu tamen dignum est, an sicut omnes procatarcticæ sunt manifestę, sint etiam omnes menifestæ procatarcticæ, ita vt reciprocentur, & esse causas manifestas sit procatarcticarum propriū quarto modo. Respondendum huic quęsito cum distinctione est. Manifestum, vel est manifestum omnibus, vel ijs tantùm, qui ex præceptis artis cognitionem inquirunt: rursus cum causam manifestam dicimus, vel intelligimus in genere e. g. an sit calida, vel frigida, vel alia quælibet generaliter sumpta, vel intelligimus in specie e. g. cum causa calida est, an sit manifestè ex bile, an ex sanguine inflammato. His ita consideratis, dicendum est, causas in genere, quas Galenus προφάσεις, vt diximus, appellat, esse cognitas tum ab artifice, tum ab artis ignaro, ideò iuxtà eundem hę causæ manifestę absquè ratione artificiosa cognoscuntur. Si verò ad speciem descendamus, causa quidem manifesta potest dari, cęterùm manifesta artifici duntaxat, & has, ait ille, solùm esse notas ijs, qui artificiosa cognitione vtuntur, imò in his causis medicū decipi aliquando contingit.

G. 4. acut. 54. Ibid. tex 55.

Obscuras causas appellabimus eas, quæ nec medico ipsi statim se offerunt, sed longa, & difficili indagine inquiruntur. Sed quæret aliquis, quęnam ergo sunt causæ occultæ? nam si eas, quæ difficili indagine acquiruntur, appellamus manifestas, quisnam relinquitur locus obscuris, seu occultis? Fracantianus existimat, solas externas esse manifestas, internas obscuras. Cardanus tres statuit differētias: primas causas manifestas, dicit, esse eas, quæ sensu cognoscuntur, & ob has dicit Hippocrates, medicus non errat; alteras, quæ sensu, & ratione acquiruntur, & per has, dicit, contingere errare, sed minus. Alias esse, quæ obscuræ sunt valde, & in his maximè, dum properamus, errant medici, & ægri moriuntur. Cæterùm cum primas tribuat sensui, secundas sensui, & rationi, tertias debuit tribuere rationi duntaxat: & in his non video, cur adeò errare cōtingat, quippe ad has ducimur per artificiosam coniecturam, quam Galenus vocat mediam inter exactam notitiam, & omnifariam ignorantiam.

Gal. 1. loc. aff. c. 1.

Mihi videtur diuisionem sic debere fieri, vt aliæ causæ sint manifestissimæ, quarum scilicet exactā notitiam tenemus, & hæ vnicuiq; sunt peruiæ, alias esse manifestas, quarum habemus nec exactam notitiam nec omnimodam ignorantiam, & hæ sunt, quæ per artificiosam coniecturam cognoscuntur, manifestę artifici duntaxat, qui præcepta tenet, quibus gubernatur; Tertias esse, quarum nobis inest omnimoda ignorantia: hę autem sunt causę, quę occultæ, seu obscurę appellantur. Itaq; inter manifestissimas, & manifestas differētia est, penès facilitatē cognitionis: verū licèt illę facilè, hę difficulter cognoscātur, cognoscūtur tamē: quòd si in aliquibus errare contingit, id accidit ex intellectus debilitate, non ex parte obiecti. At verò causæ occultę ideò sic appellantur, quia nulla industria, nullo humano studio possunt transire in manifestas: quippe eius sunt naturæ, vt captum nostrum excedant. Nec verò aliquis putet, differre obscuras ab occultis, quamuis aliqui in hoc textu vertant *obscuras*, infra verò in textu xv. *occultas*: nam in græco vtrobique est idem vocabulum: nēpe ἄδηλος, quod significat priuationē manifesti, quasi insinuetur id, quod dixi: videlicet causam occultam eam esse, quę nūquam potest euadere manifesta. Si quis

quis autem interroget, cur Hippocrates facta in presente mentione huius causę, eam repetit inferiùs cũ tamen non soleat idem bis repetere, respondeo, hîc factam esse simplicem diuisionem causarum in manifestas, & occultas, inferiùs occultas explicasse dicendo, *Hæc causa obscura, & parti, & toti, & alicui, & non alicui.* Quoniam autem hęc verba nos ad pleniorem causarum occultarum contemplationem inuitant, ad illius textus expositionem reseruamus ea, quę circa hoc in pręsēte dici poterat.

TEXTVS XIII.

Natura abundè præstat omnia omnibus.

Ar. 5. metap. c. 4. MVltipliciter naturę nomen accipi solet, & Aristoteles in metaphysicis varias huius nominis significationes assignat, & inter eas vltimo loco ponit eam, qua rei substantia, seu essentia significatur; hanc dicit, esse per translationem ad eam, quę significat formam, terminum generationis. In physicis naturę nomen ad solum primum principium intrinsecum motus coarctat. Verùm nos, vt pręsentis contextus explicationi inseruiamus, a quibus ex multis significatis, quę circumferri solent, ea scilicet, quę ad medicam auscultationem magis facere videntur, afferre non grauabimur. (Ar. 2. phy. c. 1.)

In primis natura accipitur pro cuiusq; rei essentia, in quo significatu dicimus, definitionem esse orationem, quę naturam rei declarat: neq; ad pręsentem rem spectat, differentiā considerare, quam metaphysici inter essentiam, & naturam constituunt: satis nunc est scire, essentiam, licèt non dirigatur ad operationem, vt dirigitur natura, quando ab essentia separatur, nihilominùs ab illa suggeri viuenti potentiam operandi, & sic possumus dicere, ab essentia habere omnia virtutem, & aptitudinem ad operandum: & probatur, quia si essentia sit incompleta, iam non *abundè præstat omnia omnibus*.

Secundò accipitur pro causis naturalibus, quatenus secundùm insitam proprietatem agunt. Naturę sic acceptæ multa circumferuntur encomia v.g. naturam nihil facere frustra; naturam quoad potest facere id, quod est optimum: naturam nec redundare in superfluis, nec deficere in necessariis: opus naturę esse opus intelligentię: circa quod axioma ex professo infra aliquid dicemus. Tandem iuxta hāc naturę acceptionem dici solet, naturam non pati quidpiam ocio torpere, aut feriari; Cum ergo anima altrix (vt supra diximus) conuenientiùs natura, quàm anima dicatur, perperam ei Satyrus ferias concedit. Igitur secundùm hanc acceptionem *natura abundè præstat omnia omnibus:* quia scilicet, vt diximus, hęc est illa natura, quę non deficit in necesserijs. (Infra.)

Tertiò, accipitur natura ab Hippocrate tum in libro de natura humana, tum alibi sępe pro temperamento: & hęc acceptio apud medicos est frequentissima, secundùm quam dixit Hippocrates, *Naturarum, hæ quidem ad æstatem, hę verò ad hyemem benè, male vè se habent*; Vbi Galenus, hoc esse ait, principalissimum significatum, & secundùm ipsam substantiam naturę, nempe temperaturam quatuor elementorum. Hęc *abundè præstat omnia omnibus:* si quidem ei adeò multum tribuitur, vt tam Hippocrates, quàm Galenus (saltem quādo extra medicos cõfines egredi nolunt) animam nihil aliud esse, dicunt, quàm temperamentum. Deniq; cum operationes à partibus nostri corporis fiant, cum rursus temperamentum sit, quod complet substantiam partium, rectè à temperamento subministrari actiones dicuntur; Quòd autem temperamentum compleat substantiam partium, videre est apud Galenum, qui ait, *Carni esse carnem, & neruo neruum, & aliorum vnicuiq; id esse, quod est, ob qualitatum quatuor prædictarum certam quandam temperaturam contigit.* (H. 3. aph. 22.) (G. de vsu par. lib. 1. c. 9.)

Quartò, sumitur pro vniuersitate creatarum rerum, quam possumus, iuxtà Platonis doctrinam, Mūdi animam appellare, cui incumbit rerum species conseruare, & vniuersi ordinem tueri. Quare cum omnia in se cõtineat, *abundè præstat omnia omnibus:* quippe ex sinu suo quicquid Mundo huic, & suis partibus necessarium est, promit. Hanc appellat Galenus mentem admirabili virtute preditā, quę omnia peruadit: hęc est illa natura (G. 17. de vsup.)

tura

tura, quę abhorret vacuum, solicita nimirum integritatis ipsius. Hęc est natura communis, quam pręter particularem considerare oportet: neq; enim sufficit cognoscere proprietates indiuidui, sed etiã eas, quas indiuiduũ habet à sua specie, quę sunt radij quidam idealis animę vniuersi.

Supra has omnes naturas, est ea, quę natura naturans solet appellari: nempe natura illa increata, infinita, immensa: & hęc ex fœcunditatis suę sinu *præstat omnia omnibus* abundanter adeò, vt absq; eius concursu nihil fiat, de quo aliquid libet dicere.

DE DIVINO CONCVRSV.

QVÆSTIO DECIMA.

Sensus quæstionis.

Articulus Primus.

1 NON diffunditur pręsens quęstio ad dependentiam, quam in suo esse, & in suo conseruari res creatę habent à creatore. Dixi depndere in esse, & in conseruari, ac omisi dependentiam in fieri: quia hęc includitur in dependentia in esse, neq; est alia differentia, nisi quòd res pendere in fieri dicitur, quoniam id, quod fit, non postulat talẽ causam simpliciter, vt sit nisi, vt sit per talem actionẽ; dependere autẽ in esse est, quia id, quod fit, simpliciter, & absolutè ad essendum postulat talem causam. e. g. anima rationalis dicitur pendere à Deo, tum in fieri, tum in esse, quia non solùm postulat, vt sit à solo Deo, sed etiam vt sit per creationem: anima verò brutorum dicitur pendere à generante in fieri, quoniam non postulat hanc causam, vt sit, potuisset enim esse à solo Deo, sed postulat, vt sit tali modo, nẽpe per eductionem de potentia materiæ. Itaq; res omnes creatę, si respiciamus ad primam earum procreationem, hoc est, ad productionem ex nihilo, dicuntur pendere, & in fieri, & in esse à solo Deo: eędem verò, si respiciamus ad ordinem generationum, dicuntur pendere quidem à Deo, & à generante ex naturę lege, pendere autem in esse à solo Deo; & hoc probatur quoad priorem partem, quoniam posita lege naturæ, secundùm quam omnia per generationem fiunt, (animã rationalem semper excipere oportet) datur necessaria dependentia inter generans, & genitum, quę tamen non excludit dependentiam à Deo: hęc enim intima est vnicuiq: rei; nam (vt Picus Mirandulanus ait) Deus per illapsum est intimus omni creaturę, & intimior, quàm ipsa sibi, aut forma materię, & qui hoc negaret, detraheret immensitati diuinę. Quoad posteriorem partem probatur etiam ferè eodem medio: nam res in suo esse vel pendet à seipsa, vel ab alia: nihil est, quod pendeat à seipso, nisi solus Deus, qui proptereà solus est bonus, quia solus independens, de quo infra: ab alio autem quicquid dependet, magis distat ab eo, quàm distet à Deo, siquidem Deus maximè intimus est rebus: igitur magis, & priùs dependebit à Deo, quàm à qualibet alia causa creata; si ergo priùs dependet à Deo, ergo pendet à solo Deo: nam vbi primùm datur dependentia à Deo, non est, cur alia postuletur. Si quis autem dicat, ergo etiam generatio fiet à solo Deo, quia Deus in generatione est intimus, responsio iam ex dictis patet, nam supposita lege naturę, Deus ita concurrit in generationibus, vt velit etiam admittere concursum generantis: at verò ad esse nulla supponitur dependentię ex creatura necessitas. Ratio huius diuersitatis est, quia gigni importat imperfectionem: datur enim alius perfectior productionis modus soli Deo competens, nempe creatio; at esse dicit omnem perfectionem, quę est in re, ac proinde debet dependere ab ente maximè perfecto.

2 Dependere res in suo esse à solo Deo, simpliciter, & absolutè loquendo, verissimum est: quamquàm non sit negandum, iuxtà quendam naturę ordinem, & participandi rationem, aliqua esse, quę à suis causis ęquiuocis in suo esse

esse dependeant: quia scilicet secundùm totam suam latitudinem effectus comprehenditur in sua causa. Hoc modo sol est causa luminis, comprehendendo in sole quicquid naturam solis participat ad proprietatem lucis: & è conuerso lumen, vt sic, postulat natura sua talem causam, vt sui esse iuxtà naturalem causarum ordinem. Porrò Deus per se, & primò verè, & realiter est causa essendi.

3 Sed quoniam dixi, Deū esse causam in esse, & in conseruari, quęri potest, an sint diuersæ dependentię in esse, & in conseruari. Respondeo, productionem, & conseruationem non esse actiones distinctas realiter, sed ratione tantùm, quatenus productio dicit effectionem rei, connotando, quod anteà non fuit: conseruatio dicit eandem, connotando, quod iam est. Nihilominùs productio rei est vna, & simplex, conseruatio verò multiplex, ex D. Tho: vt conseruatio per se, & per accidens: dicitur enim res conseruari per accidens, quādo defenditur à causis contrarijs, & corrumpentibus: per se autem aut est mediata, & remota, quæ consistit in influxu aliquarum dispositionum conseruatiuarum, vel est immediata, & proxima, quę consistit in influxu perseuerante ipsius esse, & hęc sola conuenit soli Deo, sed tamen non videtur secundùm eam dependentia in conseruari differe à dependentia in esse, potest tamen dici, omnes modos collectiuè sumptos pendere à solo Deo, & sic tametsi diuisiuè in vno quoq; conseruationis modo conseruatio pendeat à suis conseruantibus, nihilominùs in cunctis conseruandi modis collectiuè acceptis, Deus solus est, qui conseruator appellatur: exemplo res isthęc illustratur: Homo tribuitur animali per rationale, equus verò per irrationale, & sic quælibet istarum specierum suo modo dependet à differentia specifica, per quam contrahitur. At collectiuè sumpta tum irrationalia omnia, tum rationalis homo ab animali dependent, seclusa etiam omni differentia. Quare Deus solus est, qui omnium rerum simul conseruationem operatur. Vnde D. Augustinus exponens illa verba D. Ioannis, *Pater meus vsq; modo operatur*, ait in hunc modum, *Credamus, vel si poßumus etiam intelligimus vsq; nunc operari Deum, vt si conditis ab eo rebus operatio eius subtrahatur, intereant.* Et probatur vlteriùs ex verbis Sapient. *Omnibus mobilibus mobilior est sapientia, attingit enim vbiq;* vbi notandum illud *vbiq;* quasi atributum sit diuinę sapientię; attingere *vbiq;* hoc est, *coniunctim.* D.Th.1.p.q. 104.ar.1.&2. D.Au. in gen. c.20. Ioan.c.5 Sap.c.7.

4 Porrò hęc dependentia, quam res habent in esse, & conseruari, non est subiectum huius questionis, sed dependentia in operari. Hic posset aliquis discere, hoc quęsitum non differe à priore: Nam si iam costat, Deum concurrere ad esse rerum, manifestum est concurrere etiam ad operari. Hoc quidem ita est, verùm quæsitum istud secudum, quęrit aliquid, quod non infertur ex priore: quippe ex priore quęsito solùm infertur, si Deus conseruat in suo esse rem, quę operatur, conseruare eandem in suo operari: & prout est causa essendi, est causa operandi, cęterùm essendi causa per se, & proxima operandi causa remota: At posterius quęsitum exigit, an immediatè concurrat Deus cum operationibus creaturarum, hoc est, vtrum cum creaturis cooperetur necessariò. Nam tametsi ex superioribus constat, iuxtà verba D. Augustini citata, si Dei operatio à rebus creatis subtrahatur, eas interire, non tamen adhuc constat, posse subtrahi concursum Diuinum non ab esse rerum, sed duntaxat ab earum operari.

Cooperatio diuina cum agentibus creatis demonstratur.

Articulus Secundus.

1 PArum hic est immorandum: siquidem hęc propositio, *Deus influit immediatè, ac per se in omnem actionem creaturæ* de fide censetur. Vnde Albert. ita ait: *Alia opinio* (nempe quę negat diuinum concursum in actionibus) *ferè cessit ad aula, & à multis modernorum reputatur hæretica*; Item Greg. Scot. Bonauent. qui, inquit hanc sententiam absq; omni ambiguitate esse tenendam, Herueus, & pręter omnes D. Thomas in pluribus suę doctrinę locis. Hanc etiam opinionem amplectuntur Sancti patres, vt D. Augustinus, qui pluri- Alb.2.dist.35 art.7.

mas

mas affert sacræ paginæ autoritates, Gregorius Magnus, & alij quàmplurimi.

2 Stabilitur etiam rationibus satis multis, & efficacibus, ex quibus vnam, vel alteram eligere erit satis. Prima ergo sit: Si Deus non concurrit cum actione, vt sit, ista actio non postulat per se, & essentialiter influxum Dei, ergo nec forma producta per talem actionem: quare dabitur aliqua forma producta non dependens à Deo in fieri, neq; in conseruari, quod est absurdum. Nec valet, siquis dicat, actionem non esse capacem diuini influxus, non, inquam, valet: nam actio est participatio entis: igitur non pendet forma creata in fieri, quia fit per actionem independentem nec in conseruari, quia licèt, vt est participatio entis, subijcitur diuinæ protectioni, qui excludit actionem, quę est participatio entis, excludit & formam, quæ per eandem actionem producitur. Altera ratio facilis, & intellectui benè disposito valde consonas est hæc. Potentię sunt separabiles per diuinam virtutem à suis subiectis, ergo & actiones à suis potentijs: neq; enim datur maior ratio, cur accidentia separari possint à substantia, cui inhærent, quàm alia accidentia ab accidentibus, quibus inhærendo insunt: separentur ergo diuina potentia actiones à potentijs, iam igitur ex hac separatione necessariò infertur, eas priùs permittente Deo fuisse vnitas: patet, quia qui potest eas separare, si non separat, permittit, vt sint vnitæ, hęc autem permissio concursus esse censetur. Si quis autem valde tetricus vltra permissionem desideret etiam actualem cooperationem, eam sic demonstro. Res, quæ est in actu secundo, reducatur Diuina virtute ad actum primum: hoc nihil sic fieri prohibet: nam actus secundus est posterior, & id, quod est prius, constare potest sinè posteriore. Ponatur ergo res à Deo in actu primo, vt reducatur posteà ad actum secundum, vel id fiet cooperante Deo, vel non cooperante: si Deo cooperante, habeo intentum, si non cooperante, ergo non poterit reduci; Quod probo: nam reductio rei ad naturalem statum debet fieri per id, per quod conseruatur in suo esse: conseruari à Deo iam priùs diximus, ergo reduci debet à Deo. Sed hìc erit, qui respondeat, conseruari à Deo conseruante, de quo iam nunc non dubitatur, non autem à Deo cooperante, de quo est dubitatio. Respondeo: causa conseruans concurrit, vt res accipiat actum secundum, sed actus secundus est operari, ergo causa conseruans concurrit ad operari. Deinde: dum res erat in actu primo, aderat Deus, vt conseruans rem in suo esse actus primi: transit res ad actum secundum, non est, cur Deus non adsit actui secundo: sed actus secundus est actus operandi, ergo Deus adest in actu operandi. Supersedeo à plerisque rationibus, quę ab autorum libris colligi possunt, & accedo ad eas, quæ in contrarium solent adduci, & in hoc etiam profiteor, nolle me in ijs, quæ optimè ab autoribus solutę sunt immorari, sed breuiter attingere.

Contrariæ sententiæ fundamenta aliqua conuelluntur.

Articulus Tertius.

1 OPortet ergo ijs, qui erroneo spiritu ducti, Deo concursum in operando negarunt, respondere. Hæc sententia ante D. Augustini tempora iam viguit, vt ipse testatur his verbis, *Sunt, qui arbitrantur tantummodò Mundum ipsum factum à Deo, cætera iam fieri ab ipso Mundo, sicut ille ordinauit, & iussit, Deum autem ipsum nihil operari.* Hanc referunt Albertus, & Henricus, sed posteà eandem Durandus præcipuè sustinet. Cæterùm quamuis Satyrus concursum Dei ad operandum non negat, non vult tamen in hac parte omnino errore carere, adeò illi dulce est erroneis adhęrere opinionibus; Putat ille, actionem quidem ex concursu operantis Dei oriri, non tamen facultatem; Eius verba sunt hęc; *Quare suspendente Deo suum concursum cum causis secundis ad operandum, illa quidem priuabuntur actu operandi, sed non propterea destituentur agendi facultate, non propterea tolletur ipsis agendi facultas;* Hactenus tolerabilia dicit: addit tunc loquens

D. Aug. 5. de gen ad lit. c. 29

Albert. Henric.

p. 215.

quens de facultate: *Hæc enim physicè consequitur essentiam rei, non autem eminenter oritur ex concursu operantis, & gubernantis Dei.* Hæc propositio ita absolutè sumpta, aut est inordinatus sermo, ex quo oriuntur hęreses teste D. Hieronymo, & propterea corrigenda: aut omnino hæretica est, & detestanda. Absolutè autem sumpta, vt profertur, sinè limitatione, procul dubio hæretica est: quia non potest dici, salua fide catholica, esse aliquid à Deo, quod non oriatur ex concursu cooperantis, & gubernantis Dei. Verùm iam satis ostensum est, potentias esse à subiecto separabiles, remanente essentia subiecti, quare si Deus potest eas separare, potest concurrere cum subiecto conseruando eius essentiam, non autem cum potentijs, seu facultatibus. D. Hieron.

2 Accedo ad rationes eorum, qui concursum Dei in operando negant. Dicunt in primis, Deum (vt habetur in Genesi) in creatione Mundi cessasse ab omni operatione; *Et requieuit Deus die septimo ab omni opere, quod patrarat.* Verùm hęc verba, ait D. Augustinus, intelligenda esse de requie à nouis operibus ex nihilo condendis, non verò conseruandis, & gubernandis. Si verò requies, vt isti volunt, esset absolutè accipienda, non solùm tolleretur concursus Dei in operando, sed etiam in essendo, qui esset alter error peior priore. Genes. c. 2. D. Au. de gē. ad lit. c. 12.

3 Secundo. Quando duo agentia concurrunt ad vnam actionem, vel vnū est principale, alterum instrumentale, vel vtrumq; est partiale; Si igitur Deus concurrit, vt agens principale, creaturæ autem, vt instrumentale, loquutio quidem vera est, nempe Deum operari per causas secundas, seu medijs causis secundis: loquutionis tamen sensus est, Deum dedisse causis secundis vim operandi, & conseruare illas, vt vnaquæq; sua propria vi operetur. Si verò vtrūq; est partiale, duo absurda sequentur: vnum, quia cum causę partiales sint imperfectum, daretur imperfectio in Deo: alterum, quòd creaturæ cum Deo sinè subordinatione aliqua conuenient ad agendum. Responsio ad hoc argumentum omissis multis, quę hic afferri solent, est, posse quidem dici, Deum agere per creaturas, quatenus eas conseruat in suo esse, & in sua potestate agendi, & ad agendum instituit, & hic obiter notatur Campanij error, qui ait, opus naturę esse opus intelligentię, non quantum ad exequutionem, sed quātum ad finem vniuersalem; Sed cur non quantum ad exequutionem? cur non quantum ad finem particularem, & media ad ipsum finem? nam *Quis dedit gallo intelligentiam?* Si ergo opus naturæ dicitur esse opus intelligentię, quoniam natura inferior, quæ cognitione caret, dirigitur à superiore natura cognoscente: si rursus cognitio, seu scientia, siue sapientia non minùs requiritur, in exequutione operum, quàm in consequutione finis, cur potiùs dicemus, opera naturæ in directione ad finem, quàm in exequutione esse opera intelligentiæ? Sed ad argumentum reuertor: nam de hoc forsan alibi plura dicam; Potest quidem Deus dici agere per creaturas, dum eas dirigit ad agēdum, hoc tamen non tollit, quominùs verè dicatur cum eisdem cooperari. Duo autem absurda nequaquàm sequuntur. Nam primū, quòd scilicet cum partialis causa imperfecta sit, supponeretur in Deo imperfectio, non colligitur ex agendi modo, quo Deus agit simul cum causis secundis: nam tum causæ partiales dicunt imperfectionem, cum vna non potest agere sinè alterius adminiculo. At in Deo, vt notat D. Thom. non ex insufficientia virtutis, sed ex immensitate bonitatis prouenit, quòd creaturæ communicauerit vim agēdi, & ideò non per se solum, sed cum illa velit tales effectus producere. Altera est responsio, quam P. Suares magis probat, nempe duas has causas, Deum scilicet, & creaturam, cum sint diuersorum ordinum, non componere vnam causam totalem, sed vnamquamq; esse causam integram in suo ordine. Secundum (quòd nempe creaturæ sinè subordinatione conuenient cum Deo ad agendum) non sequitur, quippe partialitas causarum non tollit subordinationem inter eas: & sic causa prima, & secunda sunt subordinatę, quia prima influit in secundam, & sunt partiales, quia prima etiam influit in effectum: hunc duplicem influxum causę primę cognoscit D. Thomas. Errat Campanius. P. 225. Iob 38. D. Th. 3. cont. gent. c. 70. P. Suares. D. Th. 1. p. q. 105. ar. 5. & 3. contra gen. c. 70.

4 Tertio. Non repugnat, posse Deum efficere creaturā, quę per se ipsam operetur effectum sibi proportionatum: imò verò ita fecisse conueniens est: nam Dei perfecta sunt opera, agere autem dependenter imperfectio quędam est. Si igitur productio causę independentis in operando non includit in se re-

pugnantiã, imò arguit maiorẽ Dei potentiam, maioréq; perfectionem, si etiã magis perfectioni operis diuini conuenit agere, non expectato Dei cõcursu, quorsus concursus iste expectabitur? Respondetur: Vt se res habet ad esse, ita se habet ad operari; Sicut ergo repugnat creaturę, habere esse non dependẽs à Deo, ita etiam repugnat, non dependere ab eodem in suo operari. Deinde si detur actio independens à Deo; id, quod producitur per hanc actionem, pendebit ab illa sola in fieri, ergo & in esse (nam hæc duo sola ratione distingui, diximus) ergo daretur creatura independens in suo esse à Deo, quod absurdum est maximum.

5 Quarto. Causa creata vel est ęquiuoca, vel vniuoca cum suo effectu: si ęquiuoca, superat effectum, si vniuoca, est ęqualis ei; ad producendum autem id, quod est inferius, vel saltem ęquale, nullo indiget auxilio causa quęlibet; quare concursus Dei ad operandum erit superfluus. Respondetur, ex commensuratione causę ad effectum nullam elici necessitatem cooperationis Diuinę: verùm tamen ex processu actionis à potentia agente necessariò inferri diuinum concursum: siquidem nihil producitur absq; concursu Dei: cũ eo igitur producetur actio. Sed statim aliquis occurret inquiens, non idem esse concurrere in productione, & concurrere in operatione: producetur quidem actio diuino concursu, sed non aget eodem. Respondeo, actionem non esse aliud ab ipso agere: sic produci ab igne actionem comburendi, & comburere differunt in modo loquendi; si igitur Deus concurrit cum igne producendo actionem ignis concurrit in agendo. Atq; hęc mihi videtur conueniens solutio, quamuis P. Suares aliter respondeat.

6 Quinto. Actio, vt talis actio, vt sic, dicit habitudinem ad hoc agens, nempe ad hunc ignem: ergo immediatè hęc actio pendet ab hoc igne; quare impossibile est, pendere immediatè à Deo, quatenus hęc actio talis est. Respondeo: licèt habitudo illa agentis ad actionem sit vtriq; adeò intrinseca, vt ex hac intrinseca ratione proueniat, quòd actio sit immediata agenti, nihilominus Deus (vt initio huius quæstionis diximus) est magis intrinsecus: etenim *in ipso viuimus, mouemur, & sumus*, in ipso, inquam, mouemur magis, quàm in nobis ipsis. Quod verò attinet ad actiones liberas, non est nostri instituti: satis est tenere, diuinum concursum non impedire humanam libertatem. Quod attinet ad actiones, quas vocant peccaminosas, hæ, quatenus actiones sunt, habent participationem entis, & subinde participationem boni; quatenus verò morali bonitate priuantur, illa priuatio est nihil, ac proinde non indiget concursu. Vnde explicant aliqui verba illa D. Ioannis, *Et sinè ipso factum est nihil*, hoc est, quicquid peccaminosi actionibus nostris inest, priuatio est, ac proinde factum dicitur sinè Deo. Quod tamen attinet ad causam formalem, & materialem, quarum quęlibet aliquam inuoluit imperfectionem, ac proinde in genere istarum causarum non potest Deus concurrere, dissentio est magna inter duos validissimos pręliantes P. Fonsecam, & P. Suares. Dicam ego *Non nostrum inter vos tantas componere lites*. In pręsens sufficit, quòd Suares, dum negat, Deum supplere posse concursum causæ formalis, & materialis, non negat, saltem in genere causę efficientis, supplere possè concursum harum causarum, vt sic omnis imperfectionis suspicio euitetur.

(Euang. Ioan. — Fõs. 5. metap. in c. 2. q. 12. Suar. 2. tom. Disp. 22. sect. 3. n. 25.)

7 Porrò, firmiter tenendum est, Deum concurrere cum causis secundis ad operandũ immediatè, non sola immediatione virtutis, vt quidã existimãt, sed immediatione virtutis, & simul immediatione suppositi. Nec recipiẽdus est Fonseca, qui in actionibus, ad quas creatura simul cum Deo concurrit, vt in generatione ignis ab igne, tenet, Deum agere immediatè immediatione virtutis, non autem suppositi, ea saltem ex parte, qua agente vtitur, vt instrumento. Cæterùm ex quacumq; parte sumatur Diuinus concursus, semper vtroq; modo est immediatè: virtutis quidem immediatione, quia non per aliam virtutem, quàm per suammet: immediatione autẽ suppositi, quoniam, cum Deus propter suam immensitatem sit vbiq;, nullus potest dari locus, in quo non sit præsens, nec subinde actio sinè diuina præsentialitate: quippe actio increata, per quam Deus agit, est ipse Deus: quare Deus dicitur esse in omnibus per essentiam, & simul per potentiam: fallitur q; Aristoteles, dum existimat, indignum esse diuina maiestate esse in his inferioribus

(Fõs. 5. met. c. 2. q. 7. sect. 3. — Ar. de mundo ad Alex.)

secun-

secundùm substantiam, ex quo sequitur in eius doctrina, Deum non agere in hæc inferiora immediatè immediatione suppositi; Sed forsan liber in quo habetur, non est genuinus Aristotelis, vt multi putant.

Quomodò dicatur in Scripturis Deus subtrahere à rebus suum concursum.

Articulus Quartus.

1 Diuini concursus cessationem vocat diuina Scriptura imperare rebus naturalibus: sic *Imperauit ventis, & mari,* hoc est, non currens cū ventis, & mare *facta est tranquillitas magna*: similiter Soli imperauit dicens, *Sol ne mouearis contra Gabaon*: sic etiam terminos prę́scripsit mari, hoc est, concursum diuinum vsq; ad certos terminos habet mare. Hæc verba cum Satyrus in flagello satyricę stultitię, hoc est, in meo tractatu de asitia legisset, non potuit, non fateri, scitè me fuisse loquutum, & me interrogat, à quo tam scitam explicationem hausi. Sed heus tu, Satyre, ne dicas, te scitam explicationem ironicè appellasse: nam dum ignoras, à quonam eam hausi, non potes ipsam irrisui habere, vt habentur ea, quę per ironiam laudantur: sin minùs, talioni te obnoxium esse scito. Satisfaciendum tuę scitę interrogationi, & afferendi aliqui ex multis, qui hanc scitam explicationem scitè amplectuntur. Petrus Fonseca, Alphonsus Salmeron, Molina, Didacus, Aluares, & ex sanctis patribus, D. Augustinus, D. Chrisostomus, Theodoretus, Damianus, Gregorius Nissenus, Rubertus Abbas, & alij quàm plurimi. Iam ergo tibi constare posse, arbitror, vnde scitam hanc explicationem hausi.

2 Statim mihi falsò aliquid imponis, nempe me dixisse imperare in sacra pagina nihil esse aliud, quàm Deum rebus naturalibus non exhibere suum concursum; Expunge mendax illud *nihil esse aliud*, nam expositionem hanc sinè refutatione alterius protuli, quasi subdisiunctiuè loquutus: multi sunt expositores, qui sub disiunctione loquuntur includendo sub membris disiūctis plures expositiones, & nullam refutando, qui modus communis est interpretum. Si verò quę́ras à me, cur hanc expressi, aliam conticui, dupliciter respondebo: in primis ibi non interpretem agebam, sed eum sensum, qui meo instituto inseruiebat, accepi, quod poteram facere, si quidem neutra istarum explicationum alteri repugnat. Deinde hanc accepi, quia eam alteri prætuli; cur autem eam prę́tulerim, spero, me mox ostensurum; Interim scias, oportet, sacram Scripturam plures admittere sensus litterales vnius, & eiusdem textus, quod multis exemplis probari posset: probatur etiam ratione desumpta ab infinitate, & in comprehensa Dei sapientia, quæ hoc sibi proprium reseruauit, vt sicuti vno ę́terno suo verbo se totum, & omnia dicit, ita vno suo verbo scripto possit multas veritates docere, & multos errores confutare. Vnde D. Augustinus, *Quid in diuinis eloquijs,* inquit, *largiùs, & vlteriùs potuit diuinitùs prouideri, quàm vt eadem verba pluribus intelligantur modis, quos alia non minùs diuina contestantia faciant approbari?* Deinde potest Deus iisdem rebus plura significare, ob diuersas proprietates, quę rebus insunt: ergo etiam plures sensus, siue litterales in verbis propriè, siue tropicè, siue spirituales ex rebus gestis spectare. Sed discedamus hinc, quoniam satis constat, illud *nihil esse aliud* malignè, seu mendaciter fuisse additum, & accedamus ad diluenda ea, quę contra expositionem tot grauissimorum virorum consensu approbatam, indigna bestiola affers, quę omnia posses relinquere, si quidem, vt dixi vna expositio alteri non cotradicit: contradicis tamen tu meliori, quod incipies agnoscere.

Mat. c. 8. Iosu. 10. Psalm. 103. Iob. 26. 31. De asit. c. 24.

p. 37. 

Petr. Fons. 5. met. c. 2. q. 9. sect. 2. Alphō. Salme. ad Rō. 1. disp. 14. Molin. 1. p. q. 14. art. 1. disput. 8 Didac. Aluar. de auxilijs disput. 18. ad 3. ex sanctis patrib. D. Aug. ser. 89. de tēpor. de prędest. & grat. l. 1. c. 4 & 6. Chrisost. ser. 4. in epist. ad Rō. Theod. 16. 1. 2. Dami. l. 4. c. 20. Gregor. Nissen. in cantic. Moys. Rub. Abbas in c. 8. Matth. lib. 7.

Saty. mendax. D. Aug. l. 3. de doct. christ. c. 27.

Responsio ad Satyri obiectiones.

Ad primam.

1 PRima igitur tua obiectio est: Si imperare est subtrahere concursum, quid opus erat surgere, cum posset non surgendo suum contrahere concursum? *Responsio:* & pro responsione tolerato vt hanc obiectionem in te retorqueam; Non ne tu dicis inferius; *Deinde verò Dominus imperare dicitur ventis, & mari, quoniam imperauit Angelis præsidentibus mari, & ventis.* Tunc ego sic iaculum in te retorqueo; Si illud imperare directum est Angelis præsidẽtibus, quęro, cur opus fuit, Dominum surgere, cum valeret non surgendo Angelis imperare? nam ex parte Angelorum (vt docet Angelicus doctor) distantia corporalis, vel localis non impedit Angelorum cognitionem, cum non dependeat à loco, & tempore; ex parte ergo Angelorum, vt illud perciperent imperium, quid opus fuit, Dominum surgere? ex parte humanitatis ipsius Christi Domini, prout erat instrumentum coniunctum Verbi Diuini, ad quid requirebatur ipsam surgere? nam in instrumento deferente Dei imperium physicè, vel moraliter, aut requiritur actio propria; quæ sit præuia operationi principalis agentis, vt docet Angelicus doctor, & tota eius Schola, aut non requiritur, vt asserit Scotus, & tota eius Schola, quod idem docet Vega de instrumentalibus supernaturalibus. Si non requiritur præuia actio, ad quid Dominum surgere, dum imperat Angelis pręsidentibus? Si requiritur actio præuia, illud ne surgere erit actio pręuia? certè nullus, vel imperitissimus hoc adstruet. Ipsa loquutio, dum Christus *imperauit*, vt ait Matheus, dum *increpauit*, vt inquit Lucas, dum *comminatus est*, vt habet Marcus, fuit actio pręuia, quę detulit, vel physicè, vel moraliter ad modum actionis pręuiæ imperium Diuini Verbi ad Angelos præsidentes. Si ergo ad Angelos præsidentes imperium dirigebatur, cur opus fuit, Dominum surgere, cum posset non surgens Angelis imperare? p. 218.

D.Th. 1. p. q. 91. ar. 7. q. 107 art. 1.

D Tho. 1. p. q. 45. art. 5. 3. p. q. 13. art. 2. q. 62. art. 1. Scot. in 4. dist. 1. q. 1. lit. D.

Veg. l. 7. in cõcil. trid. c. 13. 14. dubio 1.

2 Dices, hoc fecisse, vt cognoscerent Angeli imperium ad ipsos directum esse. Iam dixi, cognitionem Angelorum non pendere à loco, & tempore: & nunc addo, instrumenta supernaturalia non requirere realem pręsentiam, sed virtualem, quia alioquin nequisset Christus Dominus sanare aliquem distantem, solo actu interno, neq; voce, quę ad ęgrum non pertingeret realiter, vel intentionaliter, quod est contra illud Ioannis, *Vade, filius tuus viuit:* nam ille infirmus salutem recepit voce ad ipsum non pertingente; vnde D. Gregorius ait, imperfectam fuisse fidem illius Reguli; quia non credidit, filium suum sinè præsentia Christi sanari posse. Rursus Christus illa sua voce, *Lazare veni foras,* eius animam ab inferis reuocauit; & tamen vox Christi neq; realiter, neque intentionaliter delata est ad inferos; sic docent Bellarminus, Vega, Suares, D. Thomas, & alij. Requiritur ergo sola pręsentia virtualis, & propterea illud surgere necessarium non fuit, etiam si alloqueretur Angelos præsidentes.

Ioan. 4. D. Greg. hom. 28. in euangel.

Bellar. to. 2 de sacram. c. 11. Vega lib. 7. de conc. trid. c. 14. Suar. ad 3. p. disp. 31. sect. 7. D. Tho. 3. p. q. 6. art. 1. ad 3 Salmer. 6. t. in euang. trac. 12 de signo tempest. Tostat in c. 8. Matth.

3 Cæterùm postquàm in te conieci argumentum, quo me petebas, respondeo ad obiectionem cum Salmerone, & Tostato, surrexisse Dominum, vt eorum infirmitati se accommodaret, nimirum, vt agnosceretur, se miraculum edere, aliàs poterat vel sedens, vel dormiens signum facere. Hæc illi, quæ verba satis demonstrant, concursum non fuisse positiuum, sed negatiuum, siquidem dormiens hoc poterat.

Ad Secundam.

1 SEcundò arguis: Imperare est agere, & quid positiuum: at Deum non concurrere, est Deum ociari in tali munere, ac quid priuatiuum, ergo imperare non est non exhibere concursum. *Responsio.* Dupliciter huic dubio faciam satis. In primis aliud est, Deum subtrahere suum concursum, aliud non concurrere: hoc secundum absolutè dicit quid negatiuum, vel priuatiuum: primum verò ex parte Dei dicit aliquid positiuum, ex parte creaturarum

rarum quid negatiuum, vel priuatiuum: nam subtrahere concursum ex parte subtrahentis dicit actionem positiuam, ideo subtrahere est agere, sicut imperare est agere. At ex parte rei, cui fit subtractio, substrahere est quid negatiuum, vel priuatiuum. Et sic quando dicis imperare est agere, adiungito, subtrahere etiam concursum est agere, & cessabit tua dubitatio.

2. Altera responsio. Hoc tuum argumentum procedit ex ignorantia phrasis scripturarum, quæ negatiuum sensum positiuo explicant nam Isa. dicitur *Deum obcæcare*, & Exod. *indurare*; & Isa. *aggrauare*, & D. Paul. *mittere opinionem erroris, vt credant mendacio*, & in Psal. *conuertere cor eorum, vt odient populum, & dolum facerent in seruos eius*, & lib. Reg. *Dominum præcepisse Semei, vt male diceret Dauid*, & D. Paul. *dare spiritum compunctionis: oculos, vt non videant, aures, vt non audiant*: & multa passim alia, quæ negatiuum sensum positiuo explicant. Sic Chrysostomus, Theodoretus, Damianus, Salmeron, Adrianus, Augustinus, *Quem vult indurat: indurare enim dicitur Deus, quem mollire noluerit: sic etiam excæcare dicitur eum, quem illuminari noluerit: sic etiam repellere eum, quem vocare noluerit*; item alibi, *cuius vult, miseretur, & quem vult, indurat, quasi diceret, cuius vult miseretur, cuius non vult, non miseretur*: & ibidem *quid ergo indurabo cor, nisi non molliam?* Hæc Augustinus; Ergo ex phrasi scripturarum negatiuus sensus positiuo describitur. Neq; est inconueniens, vt tu putas, verbo imperandi positiuo negatiuum sensum attribuere, hoc est, cessare à concursu.

Isa. 6.
Exod. 7.
Isa. 6.
D. Paul. ad Thes. 2.c.2.
Ps. 104.
2. Reg. 16.
Ad Rom. 11.
D. Chris. 4. ep. ad Ro. Theo. 1.c.p.2. Dami. l.4.c. 20. Salmeron ad Rō. 1. disp. 14. *A*drian. lumen eccl. Aug. de præd. & Grat. l 1.c.4.& c. 6.

Ad Tertiam.

1 ARguis tertiò; Concursus Dei est necessarius rebus, tum ad operationes, tum ad esse: si Deus absolutè cum ventis non concurrit, ne dū facta est tranquillitas, sed ventum, & mare ad nihilum redigi necesse fuit: quia omnia Dei concursu conseruantur, quo deficiente, ad nihilum rediguntur. *Responsio*. Hìc tu tui ipsius oblitus es, nam in hac ipsa tua pagina paulò infra sic ais: *Quare suspendente Deo suum concursum cum causis secundis ad operandum, illæ quidem priuabuntur actu operandi, sed non propterea destituentur agendi facultate*. Hìc autem asseris, hanc consequentiam non valere, Deus subtrahit suum concursum, ergo res anihilabitur, ibi verò dicis valere. Forsitan respondebis, me asserere absolutè, Deum non concurrere cum ventis, & mari, quod non concurrere absolutè respicit ne dum operari, sed etiam esse. At addiscito deinceps legere attentiùs meas positiones, ne dum distraheris, incidas in turpes responsiones. Ego sic dixi: *Vel aliter potest (vt iam diximus) abstrahere à naturalibus agentibus suum concursum, sine quo agendi facultas nulla datur. Hanc diuini concursus cessationem vocat diuina Scriptura imperare rebus naturalibus: sic imperauit ventis, & mari, hoc est, non concurrens cum ventis, & mari, facta est tranquillitas magna*. Hæc positio, est sole meridiano clarior: loquitur enim de concursu, tum in ordine ad operationem, tum ad agendi facultatem completam, quę nulla datur sine concursu diuino, vt igni in fornace Babylonis pueros non combussit, fuitq; priuatus sua operatione, & agendi vi completa ex negatione diuini concursus, vt optimè asserunt, inter cæteros, Fonseca, Didacus, Aluares, Salmeron, & tamen non fuit anihilatus, vt reperisses, si experiri potuisses, vt ministri Regis experti sunt. Maris rubri aqua, quæ ad instar muri stetit, suam nec habuit operationem, nec agendi vim completam, vt plures docent, ad nihilum tamen non est redacta. vt etiam cum Pharaone poteras experiri. Dicas quęso, si vales, quod nam discrimen constituis inter duo illa miracula ab Elia patrata, vt habetur in libro Regum, nam prophetæ voce altare destructum fuit, extendit Rex manum, nec valuit eam retrahere ad se? Dicam ego: hoc est discrimen: respectu altaris, diuinus concursus subtractus fuit quoad illius totale esse, ideoq; destructum est: respectu manus, defecit concursus quoad operationem, & agendi vim completam, ideoq; integra remansit manus suo toti coniuncta, sed immobilis.

Fons. 5. met. c. 2. q. 9. sect. 2. *Didacus Alu.* l. 3. de auxilijs disp. 18. ad 3. Salmeron ad Ro. 1. disp. 14. 3. Reg. c. 13.

Ad Quartam.

1 INsuper arguis. Hoc imperium fuit non essentiæ, ac diuinæ simpliciter naturæ, sed personale incarnati Verbi Christi Domini: concursus autem Dei cum omnibus causis secundis operantibus cooperantis non est attributum personale secundæ personæ, sed totius essentiæ diuinæ, totiusq; Triadis, tu verò (me alloqueris) Diuinæ attributum essentiæ, toti Trinitati commune, tribuis vni personæ Verbi incarnati; An nescis opera, quę Theologis appellantur ad extra, esse indiuisa, totiq; Triadi communia, non vnius tantùm personæ propria? *Responsio*. Non ignoro, opera Trinitatis ad extra esse indiuisa, scioq; torrentem theologorum illud explicare, quòd in genere causæ efficientis nihil vna operatur, quin omnes simul operentur illud idem, vt propterea dicant, opus incarnationis esse Verbi proprium, & personale quoad terminationem, at quoad efficientiam effectum fuisse à tota Trinitate. Tu verò ineptè, ac ineruditè theologizas: nam inquis, illud imperare esse agere (vt habes supra in secunda obiectione) hic verò asseris illud imperium esse personale ipsius Verbi, ergo ignoras opera Trinitatis in genere causæ efficientis ad extra esse communia, cum illud imperare sit efficere, & tu tamen tribuis vni personę Verbi. Noua est hæc theologia, à nullo theologorum vsq; modo excogitata, nisi à te theologię principia ignorante. At nescio, quomodò Campanium tuum latuit hic error.

Ad Quintam.

1 PErgis adhuc arguere sic. Agendi facultas absolutè rebus inest, ex illarum natura propria, cum earum sequatur essentiam: diuinus verò concursus puram respicit, vel rerum existentiam, quam conseruat, vel rei operationem, & actum secundum, cui assistit gubernans; Quare suspendente Deo suum consursum, causæ secundę priuantur actu operandi, non agendi facultate: ergo diuino concursu sublato, non tolletur agendi facultas. *Responsio*. Hæc obiectio aliquam vim habet, quam tamen tu non percipis, vt patet ex tertia tua obiectione superiùs adducta; Habet vim, quia non desunt doctissimi viri asserentes dari agendi facultatem sinè concursu diuino præuio, sed sufficere simultaneum ad operationem. Verùm consulant D. Augustinum dicentem: *Claret igitur, ne vno quidem die cessasse Deum ab opere agendi, quę creauit, ne motus suos naturales, quibus aguntur, aut vegetantur, illico amitterent*. Consulant etiam D. Thomam, qui sic ait: *Omnis actio, quæ non potest permanere cessante impressione alicuius agentis, est ab illo agente, sicuti manifestatio colorum non potest esse cessante actione solis, quæ aerem illustrat; vnde non est dubium, quin sol sit causa manifestationis colorum: similiterq; patet de motu violento, qui cessat cessante violentia impellentis; sicuti autem Deus non solùm dedit esse rebus, cum primùm inceperunt esse, sed quandiù sunt, esse in eis causat, in esse conseruans: ita non solùm, cum res primò conditę sunt, eis virtutes operatiuas indidit, sed semper eas in rebus causat, vnde cessante influentia diuina, omnis operatio cessaret*. Hęc D. Thomas: & ne dicant, D. Thomam non loqui de virtute agendi, audi illum paulò supra: *vltimum in bonitate, & perfectione inter ea, in quæ potest agens secundum, est illud, in quod potest virtute agentis primi; nam complementum virtutis agentis secundi, est ex virtute agentis primi*. Quid clarius? Consulant Aristotelem, vbi ait, *Vtrumq; enim mouere dicimus, & primum, & vltimum mouentium, sed magis primum: illud enim mouet vltimum, sed non hoc primum, & sinè primo quidem vltimum non mouebit, illud autem sinè hoc: vt baculus non mouebit, nisi moueatur à manu*. Sic ille. Sentit ergo, sicut baculus habet à mouente, & actualem virtutem, & actualem motionem, qua mouet lapidem, sic causam secundam accipere à prima non solùm esse, quod habet, non solam conseruationem, sed etiam actualem motionem distinctam ab esse permanente ipsius causæ, quę virtus est complementum facultatis agendi.

D. Aug. 4. de gé. ad lit. c. 12.

D. Th. 3. cótra gent. c. 67.

D. Th. 3. cótra gen. c. 66.

Ar. 8. phy. tex. 33.

Ad autoritatem Francisci Georgij.

1 NEquid tamen desit ad complementum responsionum, breuiter satisfaciam autoritati Francisci Georgij, qua abuteris. Nam ille non assertiuè, sed disputatiuè inquirit, an Iosue preceptum directum fuerit intelligentiæ orbem mouenti, & licèt sub dubio hoc relinquat; tamen in partem negantem potiùs videtur inclinare, dum inquit: *Hinc soli inferiori ab illo supremo recto, ac moto* (loquitur de sole supramundano) *magna fiducia præcepit;* Vbi ostendit præceptum directum esse ad ipsum solem, qui proinde, vt patet ex sequentibus, conformiter ad supremum Solem iustitiæ aliqua mora stetit. At quo pacto ad imperium supremi Solis steterit, non explicat, vt proinde locum relinquat dicendi, hoc factum fuisse ex negatione concursus Diuini Solis, vt patet ex præhabitis.

Franc. Georg. tom. 1. sect. 7. prob. 413.

Quæ commoda secum afferat explicatio, qua imperium refertur ad cessationem Diuini concursus.

1 TEnenda est prædicta explicatio, quam tu indoctè, imò etiam impiè reijcis: siquidem eam tenent innumeri doctores theologi, & quàmplurimi sacri patres, ac propterea, quia ex ea multa commoda sequuntur. In primis saluat propriam loquutionem textus: tum quia propriè explicatur de vento, & mari, non attribuendo his rebus allegoricas significationes (vt facit altera explicatio, de qua aliquid mox dicemus) tum quia (vt diximus) imperare est agere, & similiter est agere concursum substrahere; & licèt subtrahere esset quid negatiuum, aut priuatiuum ex parte subtrahẽtis iam etiam diximus, communissimam esse phrasin Scripturæ sacre, accipere scilicet, explicare negatiuum sensu positiuo, quod supra in secunda responsione, ad secundam obiectionem satis declarauimus.

2 Deinde hec expositio saluat potentiam obedientialem, ne dum quoad rem, sed etiam quoad modum loquendi de potentia obedientiali passiua, iuxtà mentem D. Augustini dicentis: *Eorum, quæ supra cursum naturalem fiunt, causas solus Deus habet in seipso absconditas, quas rebus conditis non inseruit: nam licèt illis dederit, vt ex ipsis posset fieri, quod rationes earum seminales excedit, id tamen in hoc sensu illis dedisse dicitur, quia illis dedit, vt in sua natura voluntati potentiori subiacerent.* En ex D. Augustino potentia dicitur obedientialis, quia subijcitur Deo, vt illius imperio obediat: hæc autem obedientiam denotat passiuam, subiectionem ad alterius imperium, que optimè quadrat cum predicta explicatione: siquidem imperio Dei, subijci ventos, & mare, & solem, & quicquid creatũ est, denotat.

D. Aug. 9. super Genes. ad lit. c. 7.

3 Tertio, saluat veritatem miraculi, quia illud subtrahere concursum est supra omnem facultatem creatam, & quamuis non sint multiplicanda miracula sinè necessitate, nihilominùs quoniam agitur de miraculo, quod iam tale esse constat, quò mirabiliori modo est factum, eò magis exaltat diuinam potentiam. Hanc tu potentiam obedientialem agnoscis in prima tua expositione, in qua creaturas tam cognoscentes, quàm non cognoscentes recipere ais imperium Dei; Ais ergo, *Profectò Deus mari, & ventis, quæ sunt naturæ non cognoscentes, imperans, perinde ac naturis eius vocem audientibus, ab eis obsequium sibi præstari, illasq; sibi imperanti parere, ac obedire sentit, & experitur. Vocante Domino prestò adsunt obedientes creaturæ, tam cognoscendi vi præditæ, quàm ea destitutæ.* Itaq; potentiam obedientialem agnoscis: sed hic non est controuersia de potentia obedientiali, quam vnusquisq; in rebus creatis, versùs suum creatorem fateri debet: quæstio est de modo, quo ista potentia obedientialis in exequutionem prodit. Hoc tu, quod erat explicandum, non tetigisti: quòd si tangeres, necessariò deberes coincidere cum explicatione à me adducta, quam iccirco dixi tradere potentiam obedientialem, & modum eius. Dic age, quomodò res non cognoscens exequetur potentiam obedientialem imperantis Dei? nempe si Deus imperat, vt non agat, non agendo: sed quomodo id, quod non

habet libertatem agendi, & non agendi, desinet agere? nempe si ei auferatur agendi potentia, aut saltem impediatur actio; Poterit ne hoc facere virtus creata? minimè; faciet ergo virtus increata. Quomodò ergo potest Deus facere, vt ignis v. g. non vrat? nempe sola sua voluntate, qua immutabilis ipse, permanens, & vult, & non vult: voluntas enim à potentia exequutiua Dei sola ratione distingui volunt theologi, imò nec rationis distinctionem admittunt aliqui, quoniam ita consentaneum est iuxtà modum loquendi sacrę paginę, vbi legitur, *Omnia quæcumq; voluit, fecit:* & alibi, *Omnia operatur secundùm consilium voluntatis suæ;* Vnde Leo Papa, *Deus cuius natura bonitas, cuius voluntas potentia, cuius opus misericordia est:* & D. Augustinus, *Cuius Voluntas opus, cuius velle posse est.* Ergo cum Deus voluit tranquillare mare, & ventos, eo ipso, quòd voluit, fecit, non quòd mare, & venti, res cognitionis expertes, receperunt aliquam actionem à Deo, per quam cessarunt agere, nam sic res istæ cessare dicerentur per potentiam naturalem, quæ in se recipit actum agentis, ac subinde cessarent citrà miraculum, quod est falsum: quippe de cessatione illius tẽpestatis speciatim D. Chrysostomus, D. Hieronymus, D. Thomas, Rupertus Abbas, Origenes, Salmeron, Tostatus, & plures. Porrò tranquillitas ista vẽtorum, & maris facta fuit supernaturaliter: ergo non per naturalem potentiã, sed per supernaturalem, hoc est, obedientialem, quam supernaturalem appello, quia est ordinata ad actum non naturaliter debitum, sed excedentem omnem ordinem naturę. Hæc autem potentia obedientialis (vt pote quæ in miraculosis effectibus semper requiritur) requireretur, si Deus prẽter ordinem naturæ tempestatem vellet facere, quam non aliter faceret, nisi augendo ordinarium concursum, cum quo spirant venti, & mouetur mare, ita vt concursus iste, qui priùs erat ordinarius, iam auctus supra ordinem naturæ est. Si ergo aucto concursu supra ordinem naturę excitaretur tempestas, eodem supra ordinem naturæ ablato, cessaret tempestas. Viden, vt licèt inuitus incidisti in meam explicationem recurrens ad potentiam obedientialem? Sed ignarus defecisti, quia modum potentię obedientialis non fuisti assequutus.

Leo Pap. ser. 2. de natiuit. D. Au. medit. c. 29.

D. Chry. hom. 28. in cap. 8. Matth. D. Hieron. lib. 1. c. 8. in Matth. D. Tho. 1. p. q. 44 art. 4. ad 3. Rup. Abb. in c. 8. Matth. lib. 7. Orig hom. 6 t. 2. in cap. 8. Matth. Salme. 6. t. in euang. tr. 12. de signo tempest. Tostatus in c. 8. Matth. q. 74. & 89.

Quæ incommoda secum afferat altera expositio, quam Satyrus affert.

☞ 1 NImius essem, si omnia, quæ hìc extra rem congeris, refutare vellem: nolo tamen aliquas omittere animaduersiones, quibus lector instructus tuam vanitatem agnoscet. Est ergo tua illa expositio, imperasse Deũ ventis, & mari, quoniam imperauit Angelis pręsidentibus mari, & ventis. Sed quomodò probas, hoc ita fuisse? nempe, quia non solùm cælestia corpora, sed & elementaria secundùm theologorum decreta, peculiares habent Angelos sibi assistentes, qui elementa sibi commissa regant, moueant, & intra proprios limites à Deo pręscriptos illis in prima Mundi constitutione, contineant. Itaq; ex eo, quòd elementa Angelos habent præsides, infers, Deum imperasse Angelis, non autem vento, aut mari, quasi Deus non in elementa, sed in Angelos præsides haberet imperium. Hanc iure Rabinicam expositionem appellant Docti, ego Rechensem esse, sat scio. Sed ego nunc, sicut alij dicuntur argumentum facere ad hominem, dici volo argumentum facere ad Satyrum. Tu quando ego dico similiter, imperauit soli dicens, *Sol ne mouearis contra Gabaonem*, ais, verba sacri contextus penitus hanc meam theologiam euertere: quippe non imperauit Deus causis naturalibus. Ego in te retorqueo argumentum, quando dicis, Deum imperasse Angelis, hanc tuam theologiã penitus euertunt verba sacri contextus: quippe in sacro contextu dicitur, *Imperauit Deus ventis, & mari.* Si ergo in tempestatis cessatione non vis respicere ad verba sacri contextus, cur in Solis cessatione à motu, vis sacri contextus verbis penitus adhærere? Sed tu ad aliam te transfers allegoriam, aisq; Deum imperantem ventis, & mari, imperasse quidem Angelis, quia ventorum nomine, & maris passim designantur Angeli. At heus tu recordare, quando Danielis verba in hanc rem citas, librum Danielis non esse historiam, sed prophetiam, Matthæi euangelium non esse prophetiam, sed historiam, &

p. 118

☞ p. 118

pertrahere sensum historicum ad propheticum, & vnum altero corroborare, nihil aliud esse, quàm confundere sensum proprium scripturarum cum figurato, quod à sacris interpretibus maximus error censetur, & notat D. Augustinus, & alij; quando autem hoc liceat, docet idem addita ratione, quę hic non militat, vt legenti patebit. Itaq; quicquid afters ex Daniele, & Apocalypsi propheticum est, quicquid ex sacris autoribus, allegoricum: vis igitur sensum propheticum, & allegoricum accipere ad probandum sensum literalem, de quo duntaxat agimus. Sed redeo ad Angelos elementorum præsides: quid hoc ad rem? præsidere, ò Satyre, nullam dicit habitudinem ad patranda miracula circa talia corpora: quia pręsidere requirit virtutem eorum propriã; miracula facere respicit diuinam omnipotentiam, & potentiam obedientialem creaturarum.

D. Aug. 3. de fide Christ. plurib. in locis.
Idem c. 10. & 16.

2 Colliges ex dictis, hanc tuam explicationem ne dum esse falsam, & omnino improbabilem, sed etiam dignam aliqua censura; Primò quia sacra Scriptura pręcipuè historica, sicuti & diffinitiones Ecclesiæ, non est explicanda in sensu improprio, nisi maxima vrgente necessitate, aliter in Ecclesia nihil certi habere possemus, ideoq; ruerent omnia fidei dogmata, non possemus hæreticos conuincere, infideles nos deriderent, & eis præcluderetur via ad eorum conuersionem: sed ista tua expositio, qua imperium Dei refers non ad ventos, & mare, vt habent verba contextus, sed ad Angelos, recurrit ad sensum improprium sinè vrgente necessitate, vt de se patet, ergo secum affert prędicta damna, ac proinde postulat censuram. Nec mihi afferas sensum allegoricum quo multi sancti patres vtuntur: nam aliud est post sensum literalem addere allegoricum, aliud literalem excludere, vt allegoricus introducatur, quod tu facis.

3 Deinde confundere sensum historicum cum sensu prophetico, quod te facere iam probaui, siquidem historiam ab Euangelistis narratam interpretaris per propheticos sensus Danielis, & Apocalypsis, confundere, inquam, hos duos sensus proprium cum figurato, cum maximo periculo est, vt notat D. Augustinus: meritò ergo dixi, hanc tuam expositionem expostulare censuram.

4 Item tua isthæc expositio tollit vim miraculi: siquidem tranquillitatem reducit ad Angelum operantem sua propria virtute, Angelus autem sua propria virtute miracula patrare nequit. Iam autem diximus, miraculosam fuisse tranquillitatem illam ex consensu sanctorum Patrum.

5 Pręterea tua isthæc expositio nullo nititur sanctorum Patrum testimonio, nulla alia scriptura, nullo decreto Pontificum, nulla reuelatione, ergo recedit à communissima patrum sententia, neq; alium affers autorem, quem tibi fauere dicas præter Franciscum Georgium: hunc autem iam tibi ostendi potiùs in meam, quàm in tuam expositionem inclinare, & audes impudens expositionem communiter à theologiæ professoribus, & sanctorum Patrum sententijs receptum tuo marte impugnare. Miror, quòd Campanius in suis dubitationibus hanc tibi non proposuit, quæ super alias efficacissima esset. Verùm ille, vt est vir probus, & qui forsan tuam timet maledicentiam, leuioribus tantùm iaculis tecum pugnauit. Neq; enim putabo, eum adulatione, qua ipsum vis tibi conciliare, delinitum tibi pepercisse: forsan etiam erat in suis lectionibus occupatus, quippe diebus feriatis publicè sacram paginam explicat mediocri honorario ab excellentissimis Studij Patauini Moderatoribus conductus, qui priùs Pisis cathedram metaphysicorum nõ inglorius moderabatur, imò cum suis collegis in disputationibus circularibus se non ijs inferiorem esse ostendebat.

6 Deniq; si sapis, tuam istam expositionem relegato: quippe eam agnoscũt omnes, esse plenam odio, liuore, tumida superbia, ac iactantia, ideoq; sinè charitate, & humilitate; quare illius sensus non potest ab Spiritu sancto intendi, tamquàm falsus, erroneus, & omnino è mentibus hominum abolendus. Plura forent congerenda, sed aliàs forsan dabitur locus.

TEXTVS XIV.

AD hanc verò forinsecùs quidem cataplasma, illitio, vnguentum. Nuditas, & tegumẽtum, & totius, & partis. Caliditas, & frigiditas iuxtà eandem rationem, & adstrictio, & vlceratio, & morsus, & corrosio.

ENumerantur externa medicamenta, quibus vti solet medicus, si non omnia, saltem ea, ad quæ omnia reduci possũt. Dixerat priùs, naturam omnia omnibus præstare, nunc, quid ars præstet, adiungit. Nã medicus suis medicamentis interdũ est naturæ minister: sic Hippocrates, *Ars*, ait, *tribus constat, morbo, ægro, & medico artis ministro*: in nonnullis codicibus (vt notat Galenus) non artis, sed *naturæ minister* dicitur; imò idẽ met Galenus hanc lectionem sequutus, alibi medicum naturæ ministrũ appellat, & meritò: siquidem Hippocrates, ait, *Natura stimulata, & impulsa, artis peritis, quæ facienda sunt demonstrat*. Est etiam naturæ imitator medicus, sic, *Quò maximè natura vergit, per loca conferentia, eò ducere conuenit*. Tertiò est medicus corrector naturę, propterea Fernelius, artem à natura superari, dixit: iccirco Hippocrates in prçcitato aphorismo dixit, *per loca conferentia*, quasi diceret, si natura euacuationem tentat per loca conferentia, tunc medicum *eò ducere oportet*, & erit sic imitator naturę; si verò non ducat per loca conferentia, tunc medici officium est ad alia loca deflectere, & in hoc casu erit non naturæ imitator, sed corrector.

H.1.epid. sec. 2. tex. 51.

G. ad thrasybul. c. 20.

H. lib. de art.

H. 1. aph. 21.

Fer. lib. 7. temper. c. 1.

Sed venio ad contextus verba. Sũt medicamenta, quæ extrinsecùs applicari solent, in primis *cataplasma*, quod cum emplastris propriè dictis magnam habet similitudinem: fit ex rebus viridibus, herbis, radicibus, floribus, fructibus, seminibus contusis, & oleo, adipe, farina exceptis. Chyrurgici recentiores cataplasmata etiam appellant pulticulas ex farina, vel ex medulla panis confectas. Emplastra verò sunt medicamenta, quę varia simplicium genera, prçsertim metallica recipiunt, eò vsq; decocta, donec manus non inficiant, cum refrigerata sunt, dura, ac solida manent, calefactione malaxantur; Arabes, & barbari cerota appellant, ceratum autem à cera, & oleo dictũ est medicamentum quodammodò medium inter vnguentum, & emplastum. *Illitio*, hoc est, linimentũ, est, quo partes inũgũtur, differtq; ab oleis, & vnguẽtis quia est vnguẽtis liquidius, oleis verò crassius.

Nuditas, & tegumentum, & totius, & partis.

Raritatem, & condensationem vocat Fracantianus nuditatem, & cooperimentum: mihi tamen videtur Hippocrates inter externa auxilia recensere modum, quo se debet ęger habere circa ambientis temperamentum, quod Galenus optimè definijt: si enim fuerit aer in quo febricitans commoratur, calidissimus, paranda est domus euripis, quò se deijciant aquę fontes, & aqua frigida ex vasis in vasa transfusa; prçtereà domo aqua, quæ prorsus frigida sit, aspersa, ac rosis plurimis humi fusis, aut vitium capreolis, aut ruborum summitatibus, turba quoque hominum ingredi prohibeatur; nam respirantium multitudo aerem calefacit. Si verò modicè frigidus est, eo nos contentos esse oportet, nihil aut machinantes, aut alterantes. Si verò frigidissimus est, vtiq; quatenus ab ægroto respiratione attrahitur, admittendus est; quippe calorem, qui est in corde, maximè refrigerat: non tamen quatenus extrinsecùs ęgrum cõtingit, vt pote qui densat, cogitq; cutẽ, ac putredinosis humoribus transfluxum, transpirationemq; prohibet. Illud tamen ex eodem ibidem memoriæ mandare conuenit, nempe maius esse ex frigida respiratione commodum, quam ex cute densata incommodum.

G. 10. meth. c. 8.

Itaq; iuxtà hanc normam à Galeno traditam, tegumenta lecti ægro prçscribenda sunt, vt scilicet, si æger febre

febre ardente laboret, in æstiuis ardoribus, in loco admodùm calido, leuiter contegatur; sin decumbat in cubiculo frigido, respiratio sola aperta maneat, reliqua corporis cooperiantur, atq; hoc est, quod in contextu addidit Hippocrates, *& totius, & partis*.

Et caliditas, & frigiditas.

Etiam hæ duæ qualitates per externa medicamenta acquiruntur. Vtraq; balneis comparatur: nã balnea aquarum dulcium, ad refrigerandum sunt vtilia, mineralium verò aquarum ad calefaciendum. Imò immersiones in aqua dulci, & refrigerare, & calefacere possunt: nempe, vt Galenus scribit, calefacere, si sint calidæ, refrigerare, si sint frigidæ.
G.3. sani. tuẽ. c. 4.

Iuxta eandem rationem, & adstrictio, & vlceratio, & morsus, & corrosio.

Vtimur adstringentibus extrinsecùs, quãdo ęger patitur diaphoresin, hoc est resolutionem per sudores, aut per nimium effluxum substantiæ, insensili transpiratione factum: iccirco Galenus, *Si per sudorem digesti fiant tremuli, vt in deliquijs cardiacis, & stomachicis, calefacere hos, extremum malum est: quippe contrarium in ijs conuenit: nempe cutem densare, quæ refrigerant, adstringunt, coarctantq; meatus adhibentes*; & alibi, ijs, qui ob sudoris multitudinem animi defectum patiuntur, ventis refrigerantibus aerem pręparari, iubet: aerem quoq; domus alterare frigida, atq; adstringente qualitate, myrtorum folijs, vitium capreolis, ac rosis pauimentum consternentes.
G.3. sani. tuẽ. c.4.
G.1 ad Glauc. c. 14.

Vlceratio etiam conuenit: in doloribus enim inter multa alia remedia vstionem, & sectionem recenset, quin etiam empyematicos, & hydropicos paracentesi curare iubet. Prudenter etiam alibi in pleuritide, si non spuatur, pręcipit sectionem, ne scilicet pus in capacitate thoracis detentum deterius fiat, & cordi vicino communicetur. Alibi etiam in dolore se se transmutante multiplicè vstione vtitur. Deniq; familiaris est Hippocrati hęc curatio per vstiones, quam ab eo acceperunt Arabes, hodie prorsus abolita, solis relictis fonticulis deriuatorijs, de quibus an loquuti fuerint veteres, alibi pertracto.
H.6. epi. sec. 6. tex. 5
3. de morb.
H. de intern. affe.

Morsus, & corrosio remediorum genus, quo soporoso affectu vexatis succurrimus: in quo sensu sunt vesicatoria, dropacia, & alia: possumus etiam in hoc numero ponere cucurbitulas, & ligaturas, frictionesq; non leues.

TEXTVS XV.

Intrinsecùs verò, & quædam ex prædictis, & supra hæc causa obscura, & parti, & toti, & alicui, & non alicui.

A Minùs pręstantibus ad pręstantiora transit: longè enim præstantiora, efficacioraq; medicamenta censentur, quæ intus assumuntur, quàm quæ extra applicantur. Cauendum tamen est, ne, cum autor ait, *Intrinsecùs verò quædam ex pręd ictis*, intelligamus quędam ex ijs, quæ extrinsecùs adhibētur, esse eadem specie cum aliquibus, quę interiùs assumuntur. Nam rarum est, id medicamentum, quod deforis imponitur, iuuare etiam intus assumptum: imò verò aliquando vnum, & idem medicamentum extra applicatum contrarias vires habet sibi ipsi intus assumpto: e. g. Aloe, Mesues testimonio, aperit ora venarum, (quod sumptum est ab Auicenna) at è contrario Dioscorides, aloen, ait, sanguinem sistere per ora venarũ ani emanantem: & Plinius, sanguinem vndecumq; fluentem arcere, dixit, quibus astipulatur Galenus, qui vasi tracto ad sanguinem sistendum aloen laudat. Verùm hanc controuersiam facilè soluunt multi dicentes, aloen extra appositam venas aperire, intus assumptam easdem adstringere, & sanguinem fluentem compescere. Ita sensisse videtur Auicenna: siquidem
Auic. 2. can. tract. 2. c. 5. Dioscorid. Plin.
G.5. met. c. 4.

dem & aperire venarum ora, dixit, & eandem aloen inter medicamenta, quæ ab hæmoptoicis ad sanguinem compescendum bibuntur, recenset. Allium, & quamplurima alia foris apposita exulcerant, intus absq; noxa assumuntur, vt notauit Galenus.

G. 3. de temp. c. 3.

Porrò cum Hippocrates ait, *quædam ex prædictis*, oportet intelligere, *quædam*, videlicet in genere, vt calefacientia, refrigerantia, adstringentia, has scilicet operationes præstant quædam extra adhibita, alia intus suscepta.

Et supra hæc causa obscura.

Recensuit medicamenta manifesta, hoc est, quæ proprietatibus agunt manifestis: non vult silentio præterire ea, quæ agunt etiam proprietatibus occultis, quas Galenus totius substantię proprietates solet appellare: cum enim tota substantia ex calido, frigido, humido, sicco permistis constet, quicquid ab his fit, à proprietate totius substantiæ fieri dicitur. Vbi autem corpus vna qualibet earum, quas in se habet, qualitatum, corpus, quod sibi admouetur, demutat, non ipsum hoc casu tota substantia existimādum est agere, agit quippe qualitas vna, quę est manifesta, sicut omnium permistarum concursio, occulta.

G. 3. temp. c. 2

Et parti, & toti.

Aliqua ex his occultis medicamentis respiciunt certas quasdam corporis nostri partes, alia totum corpus. De ijs, quę partem respiciunt, latè agit Galenus sic: *Nonnulla verò deprehendimus, quibus proprium est, partem aliquam corporis solùm offendere, quemadmodùm lepus marinus pulmonem, cantharides vesicam exulcerant; & rursus, quibus insitum est, vt aliquod membrum, ex omnibus, iuuent. Unde malè affectum iecur eupatorium herba plerumq; valde confirmauit, & vnguentaria glans lieni pluriès contulit, & saxifragia, atq; betonica renibus multotiès profuit. Sunt & aliæ, quæ membris alijs conueniunt, medicinæ experientia comprobatæ.*

G. de theriac. ad Pison. c. 6.

Sic Galenus, qui multis alijs in locis medicamenta, commemorat, varijs corporis nostri partibus proficua. Vallesius hanc facultatem refert ad similitudinē, quā medicamēta habent cum membris: quamuis hęc similitudo, ait ille, sensum nostrum effugiat, & tamen non admittit, proprietatem occultam appellari. Verùm si sensum effugit, nequit intellectui, nisi per suos effectus, representari, & sic rursus incidimus in occultam causam manifestorum effectuum. Ceterùm ex signatura externa cognoscere, medicamenta, certas quasdam partes respicientia, docet Osualdus Crolius.

Valles contr. li. 9. c. 1

Sunt medicamenta totum respicientia. In hoc censu constituam alexiteria: quippe dum cor iuuant, totum corpus iuuare cēsentur. Purgantia etiam medicamenta, quę à tota substantia vniuersum corpus euacuant, non venas duntaxat, vt malè existimauit Argenterius: quippe mirabilis est series, & continuatio venarum inter se, partesq; inanitę à plenis trahunt, pleneq; ad inanitas materiam mittunt.

Et alicui, & non alicui.

Cuidam sunt proficua aliqua, cuidā verò non. Hoc faciunt indiuiduales multorum qualitates, quę adeò sunt diuersę, vt vix duo corpora similia inueniri queant, quod iam superius ex Porphirio me dixisse, memini. Exempla multa afferri possunt, sed quia sunt cuiq; obuia, vnusquisq; ea per se inueniet. Vnum tamen non pęteribo, lac pręstantissimum esse in arte medica remedium tum ad phthysi laborantes, tum ad febre hectica vexatos; quòd si aliqua harum ægritudinum Petrus Aponēsis fuisset apprehensus, non posset hoc auxilio vti, siquidem, referente Matthæo de Gradi, lac Aponensis ita abhorruit, vt nec illud comedentes quidem sinè nausea aspiceret: contrarius huic fuit quidam relatus à Foresto, qui nullo alio cibo, aut potu vtebatur, quàm lacte vaccino, & sic optima sanitate fruebatur.

Matth. de Gr.

Petrus Foresk.

DE QVALITATE OCCVLTA.

QVÆSTIO VNDECIMA.

Quot modis qualitas occultæ dicatur.

Articulus Primus.

1 CErtissimum est, multa ex diuino decreto nobis occulta esse, dicente sapientissimo Salomone, *Cuncta fecit bona in tempore suo; & Mundum tradidit disputationi eorum, vt non inueniat homo, quod operatus est Deus ab initio vsq; ad finem.* Nè tamen hęc sententia malè intellecta aliquem in Scepticorum deducat errorem, qui, vt in nulla re errarent, in nulla se certum aliquid scire posse, profitebantur. Media via secura est: omnia enim scire velle, temerarium, de aliquibus dubitare, est necessarium. Superiùs aliquot gradus cognitionis attuli, nunc assumo obiecta, quæ cum intellectus nostri captum excedant, simpliciter occulta appellatur. Hæc vno è tribus modis occulta censetur. Primus modus est, quando causa alicuius rei patet, modus autem, quo hæc causa agat, non cognoscitur (loquor semper de causa efficiente;) Secundus modus, quando constat quidem, aliquid alicuius causæ effectum esse, quænam autem ea sit, prorsus nescitur. Tertius modus, quando res, quæ agnoscitur, in quo essentiam suam sitam habeat, intellectus assequi nequaquam potest.

Primus Modus.

1 COnsiderasti ne aliquando pixidem nauticam, cuius cuspis versùs polum, semper respicit? id si à qua causa fiat, inquiras, facilè reperies, nempe à magnete: quomodò autem magnes id faciat, licèt plures inquirendo sint defatigati, nemo adhuc quicquam, cui acquiescat intellectus, reperit, vnde necessarium est ad occultam quandam proprietatem confugere: neq; verò hęc fuga turpis est, quando turpius fuit aliquibus, in hac contemplatione sinè fructu commorari. Fracastorius montes ferri, & magnetis sub polo esse, ex negotiatorum fide affirmat, quos tamen apud neminem reperio. Cardanus, magnetem ea parte vires recipere ait, quoniam ortum stellę in cauda vrsę minoris, quę quinq; partibus orientalior est polo Mundi respicit. Alij, quos refert Fracastorius, negant trahi perpendiculum illud, sed cęli vertigine omnia perturbante se se ita constituere, vt quiescat magis, quo potest: talis autem est linea, quæ ad polos spectat. Alij, referente eodem, existimant, ferrum illud se se ad eas stellas conuertere, quæ in polis sunt, non aliter, quàm herbę quędam ad solem, vt Heliotropion, Tragopogum, & ornithogalum. Masullus autem putat, se supra omnes sapere, aitq; *Cum debeat magnes ad illud loci sibi proprium, naturaq; concessum* (nempe ad polum) *properare, cumq; pares ad illuc se se ferendum vires ob distantiam non suppetant, eò saltem se conuertit, vt quamuis locum attingere nequeat, attentare non pigeat, vel quamuis obtinere non valeat, anhelare non desinat.* Sic ille; cæterùm vnde magneti locus ille proprius, naturaq; concessus sit, non explicat. In hac varietate opinionum, quarum nulla difficultatem exhaurit, certiores sumus, nihil certum de hac causa, hoc est, de modo, quo effectum satis notum producit, posse agnosci. Hoc itaq; exemplo contenti, ad alia progrediamur.

Hier. Fracast. de sympat. c. 7

Carda. de subtil. lib. 7.

Mas. de attrac. lib. 1. exerc. 20

Secundus Modus.

1 CVM nihil sinè causa fiat (nam & ea, quæ per resultantiam fiunt causam habere dicuntur) multa sunt, quæ fieri profectò fatemur, sed à qua causa fiant ignoramus. Animalia multa ex putredine terræ oriuntur: ecce tibi effectus, causam verò efficientem inquirere, inanis est labor. Nonne in hoc agone insudauit Satyrus? maximè: quid inde gloriæ reportauit? plurimum: nempe, vt lectores eum odio prosequantur: quippe à lectione huius libri, quicumq; ad eum accedunt, more eorum, qui Sybillam consulebant, lib. proprio.

Vir. Æneid. 3.

Inconsulti abeunt, sedemq; odere Sybillæ.

Picus Miran. cont. astr. lib. 3. c. 12.

Ad Cęlum communiter confugiunt philosophantes, sed ego iam dixi, frustra ad vniuersalem causam recurrere eum, qui particularem quęrit: Picus Mirandulanus vult cælestia corpora, quæ causæ vniuersales sunt, à causa secundaria, hoc est, ab aeris varia mutatione, variam accipere dispositionem, vnde effectuum distinctio ortum habet. Sed ego illum adhuc interrogabo, quęnā sit dispositio, quæ ranas excitat, quænam, quę mures: In terra, vt in materia, id assequi, forsan erit possibile: in aere autē non magis est cognoscibile, quàm sit in cælo, ac proinde ignotum per ignotum traditum esse, arbitror. D. Thomas non requirit aerem intermedium, qui stellarum dispositiones immutet, sed simpliciter probat, virtute cęli fieri non nullos homines in nonnullis artibus efficaces, sicut miles in vincendo, agricola in plantando, medicus in sanādo. Pulchrè, vt solet, Ficinus sic in hanc rem scribit: *Singulares verò indiuiduorum dotes, quæ sæpe nonnullis insunt tam mirabiles, quàm in speciebus esse solent, exhibetq; per seminales similiter rationes, non tam sub adminiculo formarum, figurarumq; cælestium, quàm situ stellarum, & habitu motionum, aspectuumq; planetarum, tum inter se, tum ad stellas planetis sublimiores:* & cætera, quæ adiungit scitu quidem dignissima. Videor tamen, hos magnos viros damnare, si quidem ad cęlum confugiendum non esse, dico, cum tamen illis non nisi à cælo petitam rationem afferant. Hęc obiectio inter plures alias vanissimas, quas affert Satyrus, numeratur, eas infra scorsim infringam.

D. Tho. con. gen.

Mar. Fic. de vit. cæl. cõp. c. 6.

Tertius Modus.

1 QValitatem multoties agnoscimus, in quo autem hæc qualitas consistat, ignoramus. Dici solet, vt plurimùm hanc vel in forma consistere, vel in temperamento; quæ à forma est, immutabilis manet, dum forma durat; quæ verò à temperamento mutatur, ita mutari contingit, sicut mutatur temperamentum: quod cum suam habeat latitudinem, potest notabilem mutationem subire: nec propterea formam corrumpere; quòd si eò res deueniat, vt non amplius cum illa temperamenti mutatione forma consistere queat, totum corrumpitur. Si igitur in hac corruptione qualitas deperdatur, signum est, quod erat à forma: si maneat, erat à materia. Verùm hęc doctrina infinitas propemodùm patitur exceptiones: in primis enim multa sunt, quæ qualitatem occultam habent à forma, nec tamen eam, amissa forma, amittunt: scorpius venenosam habet qualitatem à sua propria forma specifica, siquidem vniuersam speciem comprehendit, & tamen amissa forma, adhuc remanet: nam mortuo scorpione adhuc id, quod manet, venenosum est. Alia sunt, quæ, quamuis qualitatem occultam habeant à forma, nihilominùs forma non deperdita deperditur qualitas: vt mala persica, quę ad nos translata formam non mutarunt, qualitatem autem deposuerunt. Pręterea multa sunt, quæ qualitatem habent à temperamento, siquidem tēporis diuturnitate languescit, & tamen alia eiusdem temperamenti non habent eandem qualitatem. Deniq; nec innotescit, quid sit hæc forma: nam in igne nihil apparet pręter ignem, & eius calorem: id autem, quod facit, ignem esse ignem, sensu percipi nequit, ac propterea non etiam intellectu, nisi per abstractiones quasdam, quę valde confusam notitiam gignunt; Neq; qualitates, quæ à temperamento sunt, habent secum cognitionem eius gradus tēperamenti, in quo consistunt. Neq; magis doctus euadit ille, qui didicit, faculta-

cultates consistere in forma non cognita, & in temperamento, cuius gradus ignoratur, quàm erat priùs. Auicenna, in elementis, præter qualitates primas, alias subesse, vult; quarum essentiam ignoramus, & quamuis in hoc nimius esse videatur, nihilominùs eius rationes impugnari nequeunt. Abeat igitur Masullus cum suis academicis exercitationibus, in quibus, dum proprietates occultas destruere conatur, se ipsum destruit. Auic. de med. cord.

Responsio ad ea, quæ à Satyro opponuntur. Articulus Secundus.

1 EXistimaret aliquis, posse hanc quæstionem transire absq; Satyri incursione: sed fallitur: nam iste *campo in medio se corniger offert, & quocumq; illum tulit impetus, omnia vertit.* Aduertat lector ad obiecta, quibus mea scripta petis, ò Satyre, qui in hoc laudandus videris, quod tibi nomen asciuisti, tua Satyrica procacitate dignissimum. Cum ego viderem, multos in impossibili defatigari, vt nil inde, preter meros errores, posse elici sperandum sit, protuli hec verba *In re autem difficili, satius quidem foret, propriam fateri ignorantiam, quàm detegere proteruiam.* Insurgis tu; & me tamquàm mihi aduersantem obijcis, quia Galenum accusaui in opere de meteoris microcosmi, quod ille in re difficillima suam confessus est ignorantiam. Ego ne, in re difficillima Galenum suam confessum esse ignorantiam, dixi? At tu ea, quę mirabilia sunt, difficillima esse existimas. Mirabile quidem est diuinę prouidentiæ opus, de quo ibi agebam, & tamen nihil cognitu facilius, vt ego met ibidem dixi. Agebam de virtute formatrice, & Galenum meritò reprehendi, quòd in ea primum motorem non agnouit, quod tamen cognitu facile esse, dixi, tum quia omnia ab vno primo principio procedere, est per se notum, tum etiam quia Galenus, qui Platonem in Tymæo legerat, non debuerat ignorare, Deum sempiternum condidisse hunc Mundum. Iam ergo, ne à te ipso discedas, mentiris, dum me Galeni accusatorem, quòd in re difficillima suam confessus est ignorantiam, constituis, imò quod in re facillima, voluit potiùs ignorantiam fateri, quàm veritatem agnoscere.

p. 17. De meteor. microc. lib 2. c. 3

Mendacium.

2 Itaq; Galenus se scire proteruè negauit, quod scire tenebatur, isti autem proteruè se scire autumant, quod scitu est impossibile; Esse autem scitu impossibile id, quod suapte natura est occultum, vnicuiq; constat; Quando ergo inferiùs hoc ad causas occultas reducemus, constabit simul, inanem fuisse laborem eorum, qui circa harum disquisitionem fuerunt versati. Iam ergo, quod ego Galeno obieci, non impedit, quominùs etiam alijs possit proteruia obijci: si quidem vtrobiq; est proteruia, diuerso tamen modo: Galenus proteruiendo rei manifestę, ignorantiam sibi falsò asciscebat, ne à sua maiore ignorantia posset diuelli. Isti alij proteruiendo, nolunt ignorantiam propriã fateri, & sic eam longè manifestiorem reddunt. Quare Satyrus quidem Æsopeus nullam in meis sermonibus reperisset contrarietatem, quam reperit Satyrus Rechensis, nempe, quia Æsopi scientia, & Rechensis conscientia inter se valde repugnant.

3 Porrò displicet tibi, quod dixi, *In re difficili satius fore, propriam fateri ignorantiam, quàm detegere proteruiam.* Expectabam, vt mihi afferres aliquid, propter quod tibi hoc non placet. Affers quidem, nempe Hippocratis autoritatem, *Qui fatetur se nescire, quomodo Zoilo sinè rigore facta fuerit morbi iudicatio* & Galenum, *Qui sæpe numerò fatetur ingenuè, se prorsus ignorare naturam facultatis formatricis, & substantiam animæ rationalis.* Itaq; tibi displicet propriam ignorantiam fateri, & autoritate vteris duorum celebrium virorum, qui propriam ignorantiam sunt fassi. *Non equidem ebrietas altiùs ire potest.* In hoc priore ignorantium ordine (nam duos esse ais) nempe eorum *Qui nesciunt, & putant se ignorare,* collocari posse negas eos, qui ante me de diuturno ieiunio scripserunt; quippe singuli, non minùs, quàm ego censuerunt, se longioris abstinentiæ causam tenere, quam pro vera suis monumentis ad nos transmiserunt. At ego nullas classes, nullos ignorantium ordines constitui, sed eos, qui nec vera, nec verosimilia circa asitię causam tradiderunt, admonui, satius, in simili

fore

fore propriam ignorantiam fateri, quàm proteruiam: Ignorantiam autem, quam fateri tenentur, non eam esse autumo, quę dicitur ignorantia peruersę dispositionis: puta, cum quis habet habitum fallorum principiorum, & falsarum opinionum, ex quibus impeditur à scientia veritatis (vt per D. Thomam): sed ignorantiam, intelligo, hoc est carentiam scientiæ, quę nobis multoties ex sublimitate obiecti contingit; in hunc sensum accipi solet à plerisq; ignorantia: præcipuè à D. Augustino, cum ait: *Melius est nescire, quàm errare, melior est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia.* Si tu hęc D. Augustini verba considerares, forsitan ea, quę ego protuli, vtpote his consentanea, non auderes repudiare.

D.Th. in q. de mal. q. 3. art. 3.

D. Aug.

4 In secunda classe numeras illos, qui se scire putantes, non veram propositi causam afferentes, à vero aberrant. His non rectè proteruiam à me obijci, proteruus tu mihi obijcis: ais namq; studio iuuandi studiosos, quicumq; sua cogitata proferunt, in re difficili non proteruiæ esse accusandos, sed bonæ voluntatis prædicandos. Quid ni? non ne possunt, & proterui simul esse, & beneuoli? Proterui quidem sunt, difficilia, imò impossibilia indagando; beneuoli, studiosos iuuare cupiendo. Affectus quidem animi est vehemens, de quo gratiæ eis habendę sunt, effectus est nullus, & de hoc veniunt reprehendendi: quippe dum veram doctrinam assequi nequeunt, falsam seminant. Verba Aristotelis nihil te adiuuant: ait namq; *Non solum illis agendas esse gratias, quorum opinionibus quis acquiescit, sed illis, qui superficie tenus dixerunt.* Nunquid philosophos laudat eos, qui errarunt? minimè: sed eos, qui superficie tenus dixerunt, neq; vlteriùs progredi ausi sunt, ne sibi consciscerent errores. Opiniones, ò Satyre, quę sunt superficie tenus, ducunt nos ad profundiorum disquisitionem, eæ verò, quæ erroneę sunt, addiscentium mentes possunt erroribus imbuere, ac proinde seruabit odorem testa diù. Iam ergo te magister increpat, quòd defendere vis eos, qui amore iuuandi alios, in falsa dogmata fuerunt prolapsi, solos enim laudat alios, qui ne laberentur in errores, vltra superficiem transgredi non sunt ausi.

Ar. 2. metaph. tex. 2.

Horat.

5 Dum ego satius duco, propriam fateri ignorantiam, impossibile me postulare, ais: quippe non possunt ignorantiam fateri, quam non agnoscunt. Id probas, quia *Voces sunt signa conceptuum animi: si concipiunt animo se scire, quomodò volo ego, vt illi fateantur, se ignorare?* Accede Satyre, & parumper tuorum verborum mihi constantiam exhibeto: videbis quid hinc queas reportare. *Voces sunt signa conceptuum animi?* ita sanè, Aristotelica autoritate sigillatum, dogma recipio. Memineris tamen, quos alibi excitas tumultus, dum ego, ex eodem met Aristotele, dixi, voces significant ex instituto. Non ne ibi dixisti, *Vox est animalis perfectioris naturæ sonus, respirantibus enim solis animantibus voces insunt: vocalia verò animantia, præter hominem, plurima sunt bruta, potissimum aues, & quadrupeda, quibus voces non ex instituto significant?* & quę sequuntur; In quibus voces tam hominibus, quàm brutis communes esse contendis, nec admittis, dici posse, voces significare ex instituto. Si ergo voces ita se habent, si rursus voces significant animi conceptus, (quod tu etiam vis) iam ergo bruta habebunt animi conceptus: quippe voces nunquam aliter sumi vis, nisi prout brutorum, hominumq; communes sunt. Exulta igitur, quippe, *Te semiuirumq; bouem, semibouemq, virum* non deserunt animi conceptus. Verùm hoc ex tua sententia, non aliorum.

Ar. 1. perhiar.

p. 133.

6 Sed ad institutum redeamus. Si concipiunt animo se scire, inquis tu, quomodò fatebuntur, se ignorare? Attende Satyre: qui pronunciata effutiunt, nihil vero similia, non sinè culpa concipiunt animo se scire, nec sinè peruicacia recusant, propriam fateri ignorantiam. Adiungis tu, falsas illorum opiniones alijs vsui esse posse ad errores euitandos, in cuius rei confirmationem Aristotelis autoritate abuteris: nam ille nunquàm in re litteraria errores vsui fore existimauit; voluit tamen, vt quicquid ab alijs dictum est, consideremus, & (vt eius verbis vtar) *Benè quidem dicta accipiamus, si verò aliquid non benè, hoc euitemus.* Hoc ne est, errores posse ex vsu esse? imò verò admonitio quędam esse videtur, ne ex aliorum erroribus propriam comparemus ignorantiam.

Ar. 1. de anim. tex. 19.

Satyrici argumenti prioris examen.

1 ME in libello de asitia circa diuturni ieiunij causam nihil proprium afferre, ais; sed referre causam ad concursum earum rerum, quas pleriq; omnes pro causa ieiunij seorsim statuerunt, & prolixè nimis, sæpius repetitas inanis asitię causas ab alijs relatas, manifissimam à te somniatam, in medium affers. Ex his aliquas omnino reijcio: qui enim tua illa chimæra, & ecstasis facultatis altricis posset cum alijs conuenire? cæterùm quę quidpiam conferre possunt, simul adiungo, vt si seorsim non tantam vim habent, quæ corpus viuens in diuturna asitia possint conseruare, saltem cunctę simul, tamquàm causę partialiter concurrentes, aliquid ampliùs conferre queant. Tu ex hac mea doctrina, quam nullus sapiens reijceret, argumentum in me conijcis, inquiens: Si ergo viri illi talia non docuissent, quid vnquam in huius euentus explicationem, afferre posses? (me nempe alloqueris) Quare satius mihi fuisse, arbitraris, opiniones suas, tametsi falsas, in medium proferre, sinè quibus ego nihil habuissem, quod in proposito afferrem. *De asitia c. 21.* *p. 19.*

2 Multa hìc notatu digna nobis præbes; In primis ais, me circa diuturni ieiunij causam nihil proprium afferre. Nunc teneo, cur aliquando dixisti, me nullam huius rei causam attulisse, nempe nullam meam propriam, sed ab alijs surreptam: Et, quod idem est, alibi me nihil nouum dixisse autumas. At ego, præterquàmquod in eo, quod scribo, non, an nouum, vetus vè sit, sed an veritati consonum contemplor, tibi nunc monstrare volo, meam opinionem ab alijs esse diuersam, & multum splendoris quęsito attulisse. Exemplo prius vtar. Si vnus aliquis dixisset à solo Sole hominem gigni: si aliunde alius à solo genitore hominem produci existimaret: tertius adueniens, & affirmans à sole, & homine hominem generari, profectò tertiam opinionem optimam, veram, à duabus prioribus diuersam se attulisse meritò gloriaretur. Iam hinc incipies agnoscere, me, qui causas ab alijs allatas parùm, imò nihil efficaces ad diuturnę asitiæ mirabilem euentum demonstrandum censui, dum omnes simul collegi, & ex ijs efficaciorem influxum elici posse demonstraui, iam aliquid fecisse, quod priores quidem non præstiterunt. Et quamuis priores illi suas debiles causas non commemorassent, non propterea mihi ignotę esse poterant: quippe omnes sciunt, constipationem pororum aliquantulum necessitati alimenti obstare: omnes etiam norunt, aeris dispositiones alias alijs edaciores (vt cum Hippocrate loquar) esse: constat etiam, cruditatibus in corpore existentibus faciliùs ieiunium tolerari, vnde Hippocrates, *Senes facillimè ieiunium ferunt*. Constat similiter, odorabilia solo halitu corpus alere. Hæc ego per se ita singula, confiteor, vt possint seorsim aliquantulum ad ieiunij tolerantiam conferre, ad diuturnam verò inediam (quod autores illi volunt,) non possint. Accedo, & concurrentibus simul omnibus his causis, maiorem, quàm singulis vim attribuo, hoc in primis verum est, non minùs, quàm si dicamus, posse centum homines impellere nauim, eorum verò nullum per se posse; deinde ab aliorum dictis diuersum est, quod tibi iam declaraui exemplo illius, qui diceret, *sol, & homo generant hominem*, quippe diuersum omnino sentiret tùm ab ijs, qui ab homine solo, tùm ab alijs, qui à solo sole hominem gigni, asseuerarent. Sed nunc commodiore exemplo idem tibi demonstrabo. Quæritur in pleuritide, quodnam sit signum pathognomonicum, hoc est, quod reciprocatur cum affectu, & proinde conuenit omni, soli, ac semper: si quis dicat esse tussim, errabit: nam tussis etiam absq; inflammatione pleuræ reperitur, & phthysicis est familiaris, atq; perpetua: alius dicet, esse dolorem punctorium: hic etiam errabit: dolor namq; pungens ex materia acri membranam feriente potest oriri, nulla interim facta pleuræ inflammatione: alius ad difficultatē respirationis confugiet, sed cum errore: nam, & asthma, & alij affectus thoracis citra inflammationē pleurę, difficilem reddunt respiratum: quarto loco accedent alij, & pulsuum duritiem signum pathognomonicum pleuritidis statuent, nec minùs, quàm cæteri aberrabunt: nam omnis inflammatio, per communicationem, arteriarum tunicas indurat, quare & peripneumonia, & phrenesis pulsos secum habent duros. Tandem alius, febrem acutam pleuritidi pathognomonicam esse, dicet, cum manifesto tamen errore: *p. 200.* *Hip. 1. aph. 13*

re: acutæ namq; febres omnibus nobilium partium inflammationibus, erysip ilatibusq; adsunt. His omnibus opinionibus refutatis, si quis dicat, ex recitatis signis, quę quinque esse perhibentur, vnā effici syndromem, collectionem vè, quę sit signum pleuritidis pathognomonicum, iste profectò verum, & ab alijs diuersum docebit, & vt hoc faciat, non oportet quicpiam ab illis didicisse.

3 Tu verò errores protegis, & eos vsui esse, prędicas, me autem, qui inscitiam damno, ignorantiæ patronum vocas. Cur ita? nempe quia semel, atq; iterum, satius esse, inquio, propriam fateri ignorantiam, quàm eandem ineptiendo magis detegere. Hoc ne est ignorantię patrocinari? imò verò eandē detruncare. Non ne propriæ ignorantiæ confessio vnicuiq; ex cognitione sui procedit? non ne qui sui cognitionem est assequutus, ad summum sapientiæ ascendit apicem? ergo si fateri ignorantiam est cognoscere se ipsum, si rursus cognoscere se ipsum, sapientię est operatio, qui propriam ignorantiam fatetur, sapienter se gerit, non verò, vt tu dicis, ignorantię patrocinatur: in quo videris parùm curare illud γνῶθι σεαυτόν, sententiam è cęlo lapsam ex veterum sententia, quam tanti fecisse dicuntur, vt eam communi consensu pro foribus templi Delphici Amphictyones inscripserint. Attende, quò dilabaris. Cum in vnoquoq; cognitio sui ipsius, & proprię ignorantię confessio se inuicem, & necessariò consequantur, si confessionem ignorantię tollis, tollere etiam cogeris cognitionem sui ipsius, qua sublata, tollitur sapientia; Sic tu, qui sapientię patrocinaris, eam è medio tollis, ego, quem, tu dicis, ignorantiam defendere, ignorantiam, ne serpat vlterius, propria confessione cohibeo. Deniq; si Socrates, qui *vnum scio*, dixit, *me nihil scire*, propriam ignorantiam confessus, sapientis nomen acquisiuit, tu è contra, qui ignorantiam confiteri non vis, ignorantis nomen tibi conseruabis, & ignorantia, quasi in luto, lutulentus ipse peruolutabis. Ignorantiæ ne patrocinatur, qui propriam ignorantiam humili confessione agnoscendam censet? Vide, quid dicas: nam *Non est parùm nescire quod nescias*, vt ait D. Bernardus. Sin hoc sciendi genus, tu sapientię patronus, reprobas, contrarium sequere, in ignorantia occulta obsordescito; quid inde? plaga magis fætida, morbus incurabilior, vt ex Heraclito Plutarchus. Ergo si cum Socrate saperes, te ipsum, hoc est, propriam ignorantiam agnosceres, & mihi, qui tibi ita facere consului, pro consilio isto optimo gratias ageres: neq; ego tunc, qui te consilio iuuissem, ignorantię, potiùs ignorantis patronus dici, recusarem.

Socrates. D.Bernard. Plutarch.

4 Tu verò tibi à me gratias habendas esse censes, siquidem tam bellum de asitia opusculum compaginandi mihi non paruam occasionem prębuisti. Gratulor in primis tibi, quòd à te ipso recedis, & ad veritatem accedis, meumq; de asitia opusculum bellum esse confessus, ab illa tua praua amaritudine conualuisti; Cauebo interim, ne tuus melle illitus sit gladius: scio enim (quod Alciatus ex Aiacis, & Hectoris mutua reconciliatione collegit) *hostium munera non esse munera*. Deinde libens tibi & ago, & habeo gratias, non quòd mihi bellum libellum scribendi occasionem prębueris: neq; enim tanti te vnquam feci, vt tua scripta me impulerint ad scribendum: quòd si nunc ad hoc munus trahi videor, amicorum postulationibus faciendum satis curaui, non tuis cōtumelijs, quas prorsus contemno. Gratias, inquam, tibi ago, quòd inanibus figmentis meæ solidę doctrinæ oppositis, eam illustrasti. Quando autem vis, tuos errores esse diligendos, quòd mihi aureum libellum componendi præstiterint occasionem, mihi is esse videris, qui latrocinium amas, quia iustitiæ celeberrimę virtuti exercendæ occasionem pręstat.

Alciat. embl.

5 Ad institutum igitur. Quando ex plurium causarum concursu, causam vnam asitię conflaui, non adeò mihi blanditus sum, vt me non sinè demonstratione loquutum fuisse, existimauerim: sed intra modestiæ limites contentus, inter multa improbabilia aliquid probabile dixisse, putaui: iccirco mei parum fidens, addidi, *Si tamen hæc ratio curiosis non omnino satisfacit, recurrat ad Auerrois dicterium, Contingant monstra in medicina, quemadmodùm in natura.* Hoc à te audito grammaticum induis, & non pateris, verba illa dicterium appellari: quia nempe Nonius Marcellus admonet dicteria denominari, *quasi dicta non seria.* At quorsùm recurris ad Marcellum? non ne tibi magis proximè aderat tuum Cornucopia, à quo poteras addiscere dicteria propriè significare *breuiter, & acutè*

acutè dicta? Et sic desineres de huius vocabuli significatu ampliùs dubitare, ni Cornucopiam, existimas, te posse superare. Putas etiam dicterium istud Aristoteli tribuendum esse, non Auerroi; Aristoteles quidem sententiæ huius est autor, quam Auerrous in dicterium vertit, ac propterea multi illa ad Auerroum referunt, loquendum cum multis, sentiendum cum paucis; ita egi: tibi melius videtur, loqui cum paucis, sentire cum nullo. Iam verò, quòd curiosos admonui, vt recurrant ad hoc dicterium, & pro recurrant, *recurrat*, dixi, noluisti hoc silentio transire: patienter fero, & typographi culpam in me suscipio. Expecta tamen, quid tibi eueniet, dum non poteris tuos solæcos, quos plurimos annotabo, amanuensi, aut typographo attribuere, & tunc leuis isthæc reprehensio grauem suscipiet castigationem.

Alterius argumenti examen.

1 CAusam itaq; asitię, vtcumq; attuli, si non demonstratiuam, saltem probabilem, at omnino manifestam. Cur ergo me accusas, quòd ad causas occultas, quas ignorantiæ asylum, cum ignorantium turba appellas, confugerim? Nempe diuinatorem te exhibes, sed stultum, atq; malignũ: stultum, quia erras in fundamento, ex quo: siquidem ex patrocinio ignorantię, quod me præstitisse ais, meam ad causas occultas fugam prænidisti: At, ò Satyre, satis tibi demonstraui, me non ignorantiæ, (quod tu ignoranter putas) sed sapientię patrocinari; Malignum: quippe fundamentum, quod, hoc est tuę diuinationis obiectum, falsò proponis: nam ais (per manifestum mendacium, vt soles) me ad causas confugere occultas; Sed cur id facerem, quãdo nulla me necessitas cogebat, siquidem manifestas iam tradideram? forsan quia eos, qui ad occultas se velint recipere, admonui, non esse timendos occultarum causarum irrisores? At debueras id, quod ante oculos habebas, intueri, nempe causam manifestam à me allatam, sic non tibi erat opus, quid de occulta sentirem, diuinare. Verùm in te id, quod de Thalete, aut, vt alij, de Anaximine fertur, quadrare potest, qui cum noctu cœlum contemplaretur, in scrobem decidit. Dic sodes: non ne hactenus me obiurgasti, quod asitiæ causam, non meam, sed ex aliorum scriptis conflatam attulerim? At hęc causa, quam attuli, manifesta quidem est: iam ergo non erat, cur ad occultã retrocederem: nam occulta manifestæ priuatio quædam est. Reperisti ne vnquam aliquem, qui cum aliquid reperiat, nihilum tamen præferendum ducat? Cęterum eos, qui causam asitię, quam attuli, non recipiunt, si in occulta delitescere amant, admonui, per me licere illis hoc facere, non tamen iccirco eis adhæsi, siquidem iam vlteriùs, nempe ad manifestam fueram transgressus.

2 Verùm si tuæ asininę aures meorum verborum concentum non capiũt, saltem alios meliore iudicio præditos sine, vt capere possint, neq; eis obstrepas blaterando. Qui causam occultam affert, neq; vlteriùs pergit, manifestam se ignorare fatetur, in hoc saltem sapienter agens, quòd propriam fatetur ignorantiam, & ineptiendi periculum, hac arte nouit euitare. Si tu, cum alijs tui similibus causas occultas dari posse, negas, his, qui ad eas confugere volunt, intercludis iter, forsitanq; deterriti deteriora quærerent; Ab hoc eos pręcipitio deuiaui, consulens, vt Scaligero, irrisores causarum occultarum irridenti, acquiescerent, atq; ita satius illis fore, existimaui, in occultis causis consistere (quod idem est, ac propriam ignorantiam fateri), quàm altiùs sapere laborando, turpiter, vt tu facis, ineptire. Sententiam Scaligeri, eo relicto, tamquàm meam, impugnas, & rectè facis: mea quidẽ est, dum mihi eam placere autumo; Sed quàm ridiculè id facias, norunt omnes, nosces & tu, si cerebrum habes. Ridicularia igitur isthęc tua auscultato.

Ridicularium Primum.

Scal. exercit. 218. n. 8.

1 IRridet Scaliger irrisores causarum occultarum, atq; ait: *Iidem isti, qui se se putant cuncta ad certas causas reducere manifestas, tandem huc se deuoluunt, vt dicant in oculis hominis, & catoblepæ esse principia contraria: & tamen irrident illi salutare asylum illud occultæ proprietatis.* Vocat ille causas occultas *salutare asylum*: tu longè sapientior, cum addito, easdem, *salutare asylum ignorantiæ* appellas; nil mirum, si ignorantiam addis ex tuo, qua nimiùm es locuples. Cęterùm quoniam Scaliger, vt irridentium causas occultas inscitiam exprobraret, quid isti de catoblepa intuitu pernecante dicant, quasi pro exemplo attulit; Tu in me conuersus, & forsan benè madidus, ais, te nullam catoblepæ, sicut nec mei mentionem vnquam habuisse. At tu, o Satyre, apage sis: neq; enim aut tibi catoblepam, aut catoblepæ te obieci vnquam. Scaligeri verba transtuli: tui autem quorsum mentionem facerem? quem, vt scis, nunquam nomine copellaui, neq; adhuc sciebam, an cum ridiculis occultarum causarum irrisoribus esses connumerandus, licèt aliquid suspicari possam de te, ad quem omnia ridicula confluunt. Itaq; causam tuam facis: nemo te de hoc opere voluit lapidare. At redemptor litium cum sis, caue, ne contra bonos mores agas.

2 Tunc elatis humeris gloriabundus, vt Saltamartinum decet, *Quid* (inquis) *si mortiferæ visionis huius ego tibi causam rationabilem dedero? concedes ne, posse me confugientes ad asylum proprietatis occultæ, ac ipsammet proprietatem occultam improbare?* Ego verò constringo humeros, atq; si hoc præstas, aio, eris mihi Magnus Apollo: ea tamen lege, vt si promissis non steteris, talioni subiaceas. Pergis ergo, & Aristotelem inuocas, qui non esse censendam, censet, vllam sententiam irrationabilem, sed aut inductionem, aut demonstrationem afferentem. Sed quorsum hoc? nempe vt marginem exornes; esto: vtrumq; affers, & inductionem, & demonstrationem: & inductione discurris per casus similes, in quibus ex intuitu oculorum praua infectio oritur. Consideras in primis; *menstruatas mulieres ideò tersum, ac politum speculum inficere, quoniam ex illarum oculis halitus tetri spirent, qui sunt vapores sordidi halantes è turbato commotione sanguine non ita puro, perq; satis apertos, & amplos oculorum meatus, crassiori lacrimarum corpulentiæ peruios, ab interno calore, seu mauis ab expultrice facultate veluti vibrati.* Prosequeris deinde eadem verbositate considerare fascinationem, qua pueri tenelli propter obtutum muliercularum quarumdam vexantur. Delaberis ad lippientium oculos, à quibus in oculos sanorum facilè ophthalmia communicatur. Ex his colligis, & me colligere cogis, catoblepam aspectu mortiferam esse, quod halitus exeant ex eius oculis venenati. Nec referre, ais, num ex oculis, vt catoblepa, & regulus, an ex ore, vt Bufo, Aspis, Vipera, an ex cauda, vt Scorpius, mortiferum animal, in homines venenum suum iaciat.

Ar. 8. phys. tex. 15.

3 Tam longa oratione quid es assequutus? nempe pręter catoblepam multa esse alia animalia, quę in homines venenum conijciant. Sed hoc tibi vnusquisq; antequam te defatigaris, fateretur; Illud autem venenum sit ne occulta quędam qualitas, an quidpiam manifestum, quod inquirendum erat, inquirere fuisti oblitus. Siste nunc parumper. Dupliciter potest hæc labes communicari, vel per delatationem qualitatis, sicut se nobis ab igne distantibus communicat calor, vel per transmissionem substantię. Vtrumq; tetigit Galenus ex Pelopis præceptoris sui mente, dum rationem redderet adolescentum, quibus epileptici contingebant insultus: ait namq; *Vnde ex duobus alterum Pelopi præceptori placuit, aut quòd qualitas quædam alteratis per continuationem partibus, aut spiritalis quædam substantia transmitteretur.* Ex his duobus video, te inclinare ad eam partem, non quę diffusionem qualitatis admittit, sed quæ transmissionem substantiæ inuehit. Id colligo ex tuis verbis: quoniam ais, *catoblepam aspectu mortiferam esse, quòd halitus exeant ex eius oculis venenati.* Ita ne? at cur halitus isti sunt venenati? nempe quia venenosa qualitate sunt imbuti: aliàs substantia ageret per se ipsam absq; ministerio accidentium. Qualitas ergo ista venenosa quęnam est? num aliqua ex primis? minimè: nam neq; calefaciendo, neq; refrigerando, neq; humectando, neq; exsiccando, prędictę infectiones

G. 3. loc. aff. c. 7.

 nes

nes pullulant. Num qualitates secundę? longè minùs: nec etiam tertiæ. Quęnam ergo est isthęc qualitas venenosa? tu tuo dogmati adherens, nihil aliud, ais, nisi est qualitas venenosa. At norunt omnes, venenosum, seu venenum esse id, quod naturæ nostræ est contrarium. Et sic omnia illa, quę ad qualitates manifestas reducere debueras, reducis ad qualitatem naturæ nostrę contrariam. Tenete Satyrum lictores; Scaliger eum in carcerem detrudi iubet, siquidem vnus est ex irrisoribus, qui in reprehensionem incidunt. Nonne Scaliger tibi dixit, hos occultarum qualitatum irrisores eò se deuolui, vt dicant in oculis hominis, & catoblepę esse principia contraria? Tu autem, (quod idem est) dicis, esse qualitatem naturę nostræ contrariam. Libet cum Gellio retaliare, & quoniam pro præmio tibi proposuisti, vt tibi autoritas cõcederetur improbandi proprietates occultas, & earumdem assertores, nunc tibi pro supplicio sit, vt non ampliùs, cum de proprietatibus occultis erit sermo, audeas hiscere.

Ridicularium alterum.

1 Litigiosum, quàm te, magis inuenio neminem: quis quæso nunc abs te quærebat, num soli homini intuitus catoblepę sit infestus? & tamen hoc imprudens in controuersiam vertis. Sed, quod peius est, an ita sit, non decernis: cur autem ita sit, determinas. Hæc est tua solita logicatio: nempe relicta quæstione an res sit, ad quęstionem cur sit, conuerteris. Hoc perinde est, ac si dicas nescire te, an vinum soli homini noceat, cur tamen soli homini noceat, scire profitearis; quo quid magis ridiculum esse potest? Itaq; indecisum relinquis, an solus homo catoblepæ intuitu offendatur, & ad probãdum, cur solus homo ita offendatur, accingeris; Esto: proferto ergo, rationes, quas habes. In primis affers raritatem cutis, qua humana cutis superat cutem aliorum animalium, ac proinde penetrationi auræ illius venenatę est magis peruia. At hæc ratio solùm efficit, vt homo faciliùs hoc contagio laboret, non verò, quòd alia animantia ab eo tuta permaneant. Deinde cutis aliorum animalium non ita densa est, vt propterea à contagij malo prorsus defendantur. An nescis, agnos virgilianos contagium fuisse passos? vnde queritur pastor inquiens, Logicæ error.

Nescio, quis teneros oculis mihi fascinat agnos.

Num rara substantia erat illius lapidis pretiosi, qui intuitu cuiusdam oculum fascinantem habentis, in duas partes fuit fractus, vt narrat Leonardus Vairus? Leon. Vairus lib. 1. c. 13. Effascinantium familias in Africa fuisse, narrant Plinius, nec desunt plures alię Pl. lib. 7. c. 2. historię multorum, qui venenatis oculis, & sata corrumpebant, & animantes ad languorem redigebant,

2 Adiungis raritati cutis, *meatus laxiores humanorum oculorum lacrymis crassioribus, & vberioribus patentes*. Vt sic per vniuersam quidem cutem, sed pręcipuè per oculos in hominum corpus catoblepę veneno pateat ingressus. Hoc tuũ additamentum, risui addimento est, quippe dum probare vis, meatus oculorũ hominibus, quàm cęteris animalibus, laxiores esse, argumentum sumis ab exeunte: nempe à lacrymis, quas solis hominibus contingere, ais: nam quod per oculos cæterorum animalium egreditur, lacryma non est: quasi verò in nomine ratio rei consistat. Itaq; expellat ceruum quantumuis crassum per oculorum angulos humorem, cum humor iste lacryma non nuncupetur, non expostulat ita amplos meatus, vt expostulant tenues, & roris in modum liquidæ muliercularum lacrymæ ex oculis expressione eductę. Solus ergo, qui flet, meatus oculorum amplos habet, qui non flet, crassum licèt expellat per oculos humorem, meatus habet angustos. At hactenus putabant omnes, crassitiem exeuntis argumentum esse amplitudinis foraminis, per quod exit, neq; ad hoc conferre expulsionis modum: alioquin elephas per angustam ianuam exiret, si per se solum expelleretur, per ampliorem autem, si expulsionis modum planctui similem haberet. Interim Apuleius in asinum versus in tanta infelicitate, hoc vnum felicitatis habet, quod cum flere nequeat, nec subinde lacrymas exprimere, tutus ab intuitu catoblepæ permanet. Deus bone, quis te istas docuit nænias? Videbis in oculis ceruorum concretum humorem

morem crassissimum, hunc dicis, per angustos exijsse meatus? cur? quia nempe non expellitur cum fletu: videbis hominem delicatum, aut potius mulierem, ex cuius oculis lacrymæ cristallino fuso similes exprimuntur, hic amplitudinem meatuum agnoscis. Quid de animoso viro, qui non facilè lacrymatur? hic ne, quia meatus habet angustos, à lacrymis abstinet? & tamen si ophthalmia laboret, crassum nimis effundet humorem.

3 Ceterùm abs te scire velim, cur præter humorem, qui cum fletu ex oculis eijcitur, nullus alius, in tua grammatica, potest lacryma appellari, & tamen aliter omnes sentiunt: nam etiam ad inanimatorum gummas, & balsama hoc nomen extendunt: vnde humorem ipsum naturalem, quem interdum arbores foris ostendunt, vel qui in interioribus partibus continetur, lacrymas Theophrastus appellat. Astringamus tamen significatum ad humorem ex oculis prodeuntem: iste ne, si sine fletu prodeat, lacryma dici non meretur? At Cæsar apud Lucanum conspecto Pompei capite detruncato,

Lacrymas non sponte cadentes
Effudit, gemitusq; expressit pectore læto.

Num quando etiam Plutarchus, quem tu citas, ait, aprorum lacrymam dulcem agnosci, ceruorum autem amarulentam, & salsam, impropriè loquitur? annuis, & has impropriè lacrymas esse autumas, quia sunt excrementa. Hic ridendi vlteriorem occasionem præbes. Da, quæso, nobis lacrymas propriè appellatas, quæ non sunt excrementa? quid ergo erunt? alimenta ne? an partes corporis? Cœlium vidisti, nec tamen apud eum hoc considerasti: quippe partem humoris, seu superfluitatis aquosæ ad emulgentes transmissam vrinã esse, dicit: deinde adiungit: *Quicquid verò subsistit cum sanguine, vt sit eius vehiculum, fertur cum eodem ad venarum extrema, quæ oculos pertingunt, & inde est lacrymarum materia.* Sic ille; vnde vrinarum, sudoris, & lacrymarum materiam vnam, & eandem posses conijcere. Solus quidem homo flendo lacrymas effundit; quippe vt solus est risibile animal, sic solus flebile, quod Rhodiginus annotauit, inquiens: *Ex animantibus cunctis homini tantum risus est datus, datæ similiter lacrymæ.* Lacrymas hic pro fletu accipito: siquidem risui opponuntur. Sed nunquid quia solus homo lacrymas flendo eijcit, solum humorem cum fletu expulsum lacrymam appellabis? absit: neq; enim in definitione lacrymarum locum habet fletus; definitio, autore Cœlio, nos docet, *Non esse aliud lacrymas, quàm aquosum humorem ab oculis profluentem.* Si definitioni huic non acquiescis, acquiesce Hippocrati, quippe eos, qui nolentes illacrymant, in prognosticis considerat, vbi Galenus, oculos illacrymare posse, ait, propter lippitudinem, aut propter fluxionem aliquam, & tunc non significat abolitionem; quod si propter debilitatem detentoriæ facultatis accidat, exitiosum, lethaleq; signum est; Lacrymæ etiam inuoluntariæ futurum sanguinis fluxũ è naribus indicant. Itaq; lacrymę eueniunt nobis, ex voluntate nostra, quod est grecè κατ' προαίρεσιν, aut non ex volũtate, quod Hippocrates dixit ἀπροαιρέτως. Lacrymæ ex voluntate nihil mali indicant, imò boni aliquid significant, cum eger commodè habuerit, vt est apud eundem Hippocratem; absq; voluntate, possunt quidem euenire ob causam externam, vt propter fumum, aut ventũ, sic etiam praui ominis non sunt. Deniq; ex his, & alijs potes colligere, lacrymas rectè dici, etiam si sine fletu expellantur. Si adhuc non vis, saltem, vnde nam tua isthęc grammaticalis proteruia ortum ducat, proferto: neq; enim tibi licet legislatorum more dogmata sancire. Scio, te nullum tecum sentientẽ grammaticum allaturum: nam Perottus in Cornucopia, qui autor multorum instar est, absq; vllo conscientiæ grauamine cum descensus humoris oculos malè angit, hunc morbum vulgò lacrymam appellari, ait, Si ergo medicis autoribus non acquiescis, acquiesce grammaticis, præsertim huic, qui capiti tuo optimè aptatur.

Theophrastus
Lucanus.
Plutarch.
Cœl. li. 1. c. 3.
Cœl. ibid.
H. 1. progn. 6.
Hip. 1. epid. sect. 2.
Hip. 1. epid. sect. 1.

Tertij argumenti examen.

1 Contradictionis me, & inconstantię reum facis: quòd semel cęlestes influxus ab occultis proprietatibus distinxi, asserendo, si hæc ratio à syderum influentijs non omnino satisfecerit curiosis, recurrere ipsos oportere

ad asylum salutare proprietatis occultæ; Et tamen iterum in libro de Meteoris Microcosmi, & inferiùs proprietates indiuiduales occultas à cælestibus influxibus non discerno. Ego verò te vicissim mendacij reum facio, te, inquã, quem non pudet sententias tuo modo transcribere. Nunquid in meis scriptis ita est, vt tu refers? nempe si hęc ratio è syderum influentijs non suffecerit, racurrendum esse ad causas occultas? Imò neq; rationis ductę ab influentijs, neq; causarum occultarum memini: nam postquàm rationem vnam ex plurium concursu conflaui, & addidi, *Hæc omnia, si simul adsint, poterunt, non plurium annorum, sed aliquot dierum, præter numerum præscriptum mediam sustinere; si tamen hæc ratio curiosis non omnino satisfacit, recurrat ad Auerrois dicterium, Contingunt monstra in medicina, quemadmodùm in natura.* Ecce tibi ratio, non vt tu dicis è syderum influxibus petitam, sed ex congerie multarum causarum; Quòd si inter has multas causas particulares, seu potiùs coadiuuantes cęlestes influxus reponantur, non propterea debueras mea dicta referre ad illos, tamquàm ad causam integram. Sed nec etiam recurrendum dixi ad causas occultas, vt tu falsò mihi imponis, sed ad dicterium illud Contingunt monstra in arte, monstra autem non referuntur ad occultas causas, sed ad particularis naturę in agendo errorem. Quare hoc dicterio quicumq; in asitiæ causa fuisset vsus, perinde faceret, ac si de ijs, quę rarissimè eueniunt (vtì sunt monstra) nollet disputare. *Mendacium.*

2 Quamuis autem tibi concederem omnia, quęcumq; vis, nempe me cęlestes influxus à causis occultis distinxisse, & rursus causas indiuiduales, quæ sunt occultę, ad cęlestes influxus retulisse, non propterea inconstantię vitio subiacebo. Nam à cælo & manifestæ, & occultę proueniunt causæ: hoc ne ignoras? quid manifestius, quàm lux causa diei? Ecce tibi causa non modò manifesta, sed manifestissima. Vis etiam occultas à cęlo causas? Iob te docebit increpans, *Nunquid nosti ordinem cæli, & pones rationem eius in terra?* Et iuxtà gręcorum lectionem, *Scis quæ sub cælo simul facta*, hoc est, (vt explicat D. Thomas cum latinis) scis ne, quæ in terra fiunt, pendentq; ex peculiari cęlorum efficientia? Eleganter Ficinus in Plotinum occultam nobis astrorum vim demonstrat pluribus argumentis, quæ ibi studiosus videre potest: sed precipuum est, quia, vt notat Phauorinus, non solùm aliæ stellę pręter notas existunt, sed etiam Planetę ignoti, vel propter splendoris copiam, vel propter exuperantiam altitudinis: sunt etiam innumerabiles in orbe lacteo oculis omnino nostris occultę. Planetę etiam ad stellarum aspectus aliter, atq; aliter afficiuntur. Deniq; stellę, quę nobis innumerabiles sunt, ad effectum quemlibet conferre nonnihil, ex earumq; confluxu commune aliquid, & id quidem pro natura loci, & materiæ confici, nemo sapiens negabit. Quapropter ille solus occultos syderum negabit effectus, qui inani sapientia iactabundus, in medio pendet aere, vt ait Aristides in Cimone, qui propterea neq; cælum, neq; terram attingit, inter quos Satyrus Rechensis venit recensendus. Cæterùm vt occultis à cælo causis, & effectibus vltima manus imponatur, destruenda foret opinio Ioannis Pici Mirandulani, & aliorum, tenentium cęlũ luce duntaxat, & motu, nullis alijs influxibus concurrentibus in hæc inferiora agere. Cęterùm hoc exactè præstiterunt, inter alios, Conimbricense Collegium, & Rubeus, à quibus petendæ sunt rationes, quę concludunt, necessariò occultos influxus à cœlo in hæc inferiora transmitti: aliàs quomodò possunt saluari generationes metallorum, quæ in intimis terræ visceribus fiunt, quò nec lux, nec calor à luce productus accedit: quippe calor præscriptum habet propagationis suæ terminum, breui spatio conclusum: quare non ita in profundum poterit dilatari, obsistente prætereà terræ frigore. Deinde experimenta hos occultos influxus confirmant: siquidem acus attritu magnetis confricata trahitur à cœli partibus polo vicinis: hæc autem attractio nec calori, nec luci attribui potest. Fluxus etiam, & refluxus maris, qui fit sępe non apparente luna in nostro hemisphęrio, à lunę influxibus contingit, vt communiter sentiunt philosophi, quicquid in contrarium Vulgaris Dialogista nostro hoc ęuo, rationibus ductus parum tutis, inuehere sit conatus. Tandem cœlum empyreum influere in hęc inferiora rationi summoperè est consonũ, adeò vt D. Thomas, qui priùs negatiuę parti adhęsit, posteà re meliùs pensitata (vt ipsemet fatetur) affirmatiuam est amplexus. Influxus autem cœli empyrei

Iob.c.38. *D.Thom.* *Ficin.* *Aristides.* *Pic.Mirand.* *Conimbricẽs.* *Rubeus.* *Vulgaris dialogista.*

empyrei non à motu (quippe non mouetur) non à luce (nulla siquidem lux ab eo ad nos pertingit) perueniunt, sed ab eius substantia, cui conuenit non otiosam esse, sed per qualitates sibi inditas operari. Plura circa hoc videnda sunt apud Conimbricenses, quare libens, ne actum agam, supersedeo.

3 Mirari in præsens subit, quod à proprietatibus occultis totus abhorrens videaris, cum tamen aliquando eas libens admiseris inquiens, *Postremò concedentes Fernelio doctissimo viro in disputationem, occultas quasdam esse vires in corporibus nostratibus, non ideò concedere cogemur, in cælo influentias esse vires abditas.* De latinitate non ago, de veritate sententiæ vnusquisq; iudicet, an rectè in corporibus, quę nostratia vocas, (quasi omnia sublunaria sint ex Recho) qualitates occultę admittantur, quando in cœlestibus admitti nequeunt, & vtrum hoc ita liberè dictum flocci sit faciendum, nec ne. de spō. tan. Viuent. ortu li. 2. c. 11

Quarti argumenti examen.

lib. de Meteo. Microcos. c. 1.

1 QVęrebam in meo opere de Meteoris Microcosmi, cur omnia, quæ sunt in mundo propria loca, propriamq; deserunt quietem (contra ipsorum naturas) vt vacuo, totum vniuersum destructuro locum impediant. Neq; admisi responsionem communem, videlicet hoc ita fieri, quia mundi partes, licet finem non agnoscant, diriguntur tamen à cognoſcẽte. Cur hanc responsionem non admiserim, rationem huiuscemodi reddidi: *Nam perperam ad vniuersalem causam recurritur, cum particularis quæritur.* Hoc est, quando quærimus proprietatem, quæ vnicuiq; particulari naturæ inest, frustra ad naturam communem omnisciam recurrimus: cognita enim natura communi, quam fateri omnes tenemur, adhuc particulares rerum naturas ignoramus. Tu verò putasti, aut te putare finxisti, mea verba de cœlo esse intelligenda, quippe cœlum vniuersalis est causa. At nec mihi de cœlo erat sermo, neq; si esset, debueras inde argumentum in me tuum conficere. Esto igitur: de cœlo loquamur, cum dictum sit in cœlo esse proprietates manifestas, & occultas, adde nunc è cœlo esse causas vniuersales, & particulares. Dico ergo, non esse recurrendum ad cœlum, prout causas vniuersales mundo huic inferiori præstat (nempe influxus vniuersaliter operantes) quando quęrimus effectus, qui causas particulares requirunt, quas etiam haberi à cœlo, puto te docuisse D. Thomã iam superiùs citatum, qui, virtute cœlesti fieri, ait, nonnullos, in quibusdam artium effectibus efficaces, sicut miles in vincendo, agricola in plantando, &c. Hæc ne fieri putas virtute cœlesti vniuersali? at si vniuersalis est, cur non omnes similiter attingit? Retuli ergo causas indiuiduales ad cœlum, non vniuersaliter operans, sed particulares communicans influxus. Nec verò quia cœlestes influxus indiuidualium qualitatum causas esse nosco, iccirco alias dari posse negaui; Hoc, si tibi mens libera foret, poteras ex meis verbis colligere, quę tamen transfers, & ita habent: *Si quis magis sapit, causam aliam proponat.* Ecce propriam ingenij debilitatem (nec me pœnitet) sum fassus: tibi liceat, pro satyrica procacitate, proteruire. Iam ergo tẽpus est, vt omnes agnoscant, vnde tibi hoc argumentum in mentem venit, nempe ex inscitia: cum enim Aristoteles dixerit, *Est enim ex necessitate continuus quodammodò iste superioribus lationibus, vt omnis ipsius virtus inde gubernetur,* Tu hinc colligis, cœlum esse causam vniuersalem, & ita vniuersalem, vt particularẽ excludat, hoc est, vt nusquam sit particularis. Audi tamen Ficinum; *Singulares verò* (inquit ille) *indiuiduorum dotes, quæ sæpe nonnullis insunt, tam mirabiles, quàm in speciebus esse solent, exhibetq; per seminales similiter rationes, non tam sub adminiculo formarum, figurarumq; cœlestium, quàm situ stellarum, & habitu motionum, aspectuumq; planetarum, tum inter se, tum ad stellas planetis sublimiores.* Multa alia, quæ ad nos particulares influxus faciunt, reperies in aureo illo libello de vita cœlitus comparanda.

D. Thom.

Ar. 1. meteor. c. 2.

Marf. Ficin. de vit. cæl. comp.

2 Nec te deterreat, quòd gemelli aliquando eadem hora in lucem exeunt, dissimilem valde naturam, dissimiles proprietates habentes, quę est quæstio satis iam agitata, & aduersùs astrologos genethliacos iactata: quippe breuissima illa mora, quæ in gemellorum partu intercedit, tametsi nobis perexigua videatur, in cœlo tamen ob eius vastitatem, & rapidissimam conuersionem,

potest esse admodùm insignis, magnamq; facere variationem. Sed non est meum hic defendere genethliacos; Vnum scio, stellas non inferre omninò vim nobis, neq; agere, nisi partialiter in subiecta materia; Quare potest eadem hora eosdem influxus duobus corpusculis communicare, cum tamen dispositio singulorum sit diuersa, & in hoc corpore non poterit eos producere effectus, quos poterit in alio. Quid ni? alioquin solus Sol ageret, & sic de reliquis stellarum orbibus, cum tamen certum sit, multùm conferre in omni actione agens inferius, quod superioris agentis adiumento duntaxat vtitur. Verùm de his alij plura: ad me nunc pertinet admonere te, frustra esse allatū exemplum duorum gemellorum, Iacobi scilicet, & Esau: nam cum causas naturales quęrimus, frustra ad supernaturales confugimus. At in istorum fratrum conceptu, gestatione in vtero, & natiuitate nihil naturale videtur fuisse, sed omnia supra naturam; quod Francicus Georgius, quem tu cum eximij theologi encomio sępe nominas, tibi declarat his verbis. *Cur pugna continua fuit inter Esau, & Iacob? an quia ambo fuerint partes duarum gentium sibi inuicem aduersantium, vt oraculum perhibuit? an quia (vt nuper dictum est,) Esau hominem animalem, Iacob verò spiritualem significabat? Hinc Esau prius natus est: Iuxtà illud Apostoli, prius, quod animale, deinde quod spirituale. Propterea persequebatur eum, qui erat secundùm spiritum, sicut idem Apostolus alibi docet. Vnde & pilosus, & hispidus instar hoedi, reponendus erat in sinistra: Iacob verò lenis, & suauis, quia spiritu Dei repletus, de quo dicitur, ò quàm bonus, & suauis est, Domine, spiritus tuus; aut in dexterâ, aut in medio collocandus erat.* Hactenus Georgius, qui, vt vides, ad supernaturales causas, & ad magni consilij arcanum, dissentionem istam duorum gemellorum refert. Non est igitur, cur hinc argumentum ducas ad probandum, quid ordine inferioris naturæ eueniat, quod te docere debuerant verba Malachię prophetę, *Iacob dilexi, & Esau odio habui*: quasi dicat Dominus, ego gratuita mea dilectione elegi Iacob, vt darem ei fertilem terram Chanaan, & ex ipso nasceretur Messias; Esau verò non elegi, sed reieci in aspera saxa, & montosa loca Seir. Caeterùm non est locus hic vlteriùs theologizandi: satis est, quòd te admoneam, impium esse, miracula Dei ad causas physicas velle reducere.

Franc. Georg. tom. 1. sect. 3. probl. 178.

1. Cor. 15.

Gal. 4.

Sap. c. 2.

Malach. c. 1.

Quinti argumenti examen.

p. 202. 1 INdiuidua mortalia, ais tu, *certam, & inuariabilem fortasse causam non habere, proindeq; proprietates indiuiduales cadere non posse sub scientiam, quàm non effugiunt omninò specificæ proprietates, determinatam, & necessariam causam habentes in essentia non mutabili, à qua proueniunt.* Hic tu mihi antecedens sub dubio ponis, inquiens, Indiuidua *fortaßè* inuariabilem causam non habere: consequens autem, id est, eadem indiuidua non cadere sub scientiam, absq; vllo dubitationis signa proponis. Subdolus es, mi satyre, & semper per laquearia incedis, sed, quod malum est, semper etiam cadis. In primis indiuiduum in communi causam habet immutabilem, de qua inter D. Thomæ, & Scoti sectatores viget hodie controuersia. Deinde hoc, vel illud indiuiduum, vt Socrates, Plato, eodem constituitur in esse hominis, & in esse Socratis, & Platonis secundùm rem, non secundùm rationem: quare secundùm rem causam habet sui esse Socrates, quam habet homo: & sic non est inuariabilis essentię indiuidualis causa, vt tu dicis, sed ita stabilis, vt est stabilis causa specifica. Tertiò, licet indiuidua non definiantur essentialiter, proxima definitione, sed remota, hoc est per sua vniuersalia, hoc tamen non tollit, de ijs posse esse scientiam, non quidem demonstratiuam, quę incipiat ab intellectuali cognitione, sed probabilem, quæ incipiat à notitia sensibili: & idcirco dicitur, de singularibus esse experientiam per se, scientiam per aliud, de vniuersalibus scientiam per se, experientiam per aliud. Deniq; quid scientiam aufers omnino à singularibus, & tamen peripateticum te prędicas? nempe vis, scientiam non esse, nisi de ijs, quę immutabilia quidem sunt: non ne sufficit, vt immutabilia sint, si non semper, at certè vt plurimum? At ęquum esset, te Aristotelis doctrinam non ignorare: is enim negans, scientiam esse de accidentibus (accidentia vocat, quę fiunt quidem, non semper tamen, nec ex necessitate, nec vt

Ar. metaph. lib. 11. c. 2.

plurimùm) sic ait, *Cur verò non sit huiuscemodi scientia, patet: omnis namq; scientia eius est, quod semper, aut plurimùm est, accidens verò in neutro horum est*. Dic ergo mihi si indiuidualis proprietas suo subiecto vel semper, vel vt plurimùm inest, non ne potest de ea dari aliquo modo scientia? At ego non ad inquirendas qualitates indiuiduales notitiam sequor, quæ si exquisita scientia non sit, est tamen lato modo, & experientię sequax.

2 Sed esto: nulla sit indiuidualium qualitatū scientia; quid ergo? vel desistes ab inquisitione earum, & sic oportebit, propriam fateri ignorantiam, quod tu proteruè renuis, vel eas inquirere aliqua methodo; hanc methodum si tu scientiam non vis appellare, appellato, vt vis, & cessabit omnis quæstio.

Sexti argumenti examen.

1 TAndem concludis, afferens proprietatem indiuidualium manifestā, & veram, vt tu putas, causam, inquiens, *Proprietates indiuiduales non aliunde pendere, quàm à peculiari gradu temperamenti, seu à determinata, singulariq; proportione caloris naturalis, & humoris radicalis, ex quibus vtcumq; temperamentum emergit*. Vnde nam tibi hæc pulchra ratio venit? nunquid ex Recho? at non putabam, ibi tales produci philosophandi rationes. Memineris in primis, te nuper ex Aristotele deduxisse, genericorum euentuum causas genericas debere esse, singularium effectuum causas singulares: At temperamentum conuenit corpori misto, prout corpus mistum est, ac proinde qui indiuiduali substantię causam aliquam ex temperamento accommodat, is singulari effectui genericam causam tribuit. Attamen tu non temperamentum simpliciter, & absolutè causam indiuidualis proprietatis esse, ais, & sic putas effugere; Sed non effugies, nam licèt verum sit (veluti ego superiùs à Galeno recepi) cum vna pręualet qualitas, manifestam qualitatem dici, cum plures, tunc proprietatem substantiæ appellari, nihilominùs hanc proprietatem substantię, nūquā dixit Galenus, esse proprietatem manifestam, nec dicere quidem posset, nisi tuam haberet frontem; Nam gradus ille temperamenti peculiaris, certaq; & determinata proportio caloris, & humoris radicalis, quæ tu dicis, esse causas qualitatum indiuidualium, sunt quidpiam vagum; in quo notitia nulla fundari possit: tribue mihi aliquid stabile, & ne dicas certam, ac determinatam proportionem, sed hanc proportionem, & indigita illam. Hoc ne facies? videlicet quando Rechense oppidolum desinet, malos homines, atq; pusillos procreare. Vis ergo causam qualitatis indiuidualis assignare indiuiduum vagum, & vis simul, istud indiuiduum vagum esse causam manifestam. Lepidum caput. Sit tamen, ista detur certa proportio, quę qualitatem istam indiuidualem gignat: an ne putas, non posse alia indiuidua eandem proportionē habere, & tamen eadem qualitate carere? Iam ergo aliquid aliud præter manifestam proportionem qualitatis istius indiuidualis causa est. Deinde calor innatus, & humidum radicale solis viuentibus insunt, proprietates autem indiuiduales etiam ad non viuentia se extendunt. Quod verò attinet ad temperamentum, dabo tibi aliqua, quę rheubarbari temperamento sint pręditа, nec tamen rheubarbari proprietatem habeant. Tandem duo illi Pontremolenses (Pontremolim quasi per contemptum, appellas castrum tu, qui in Recho ciuitate nobilissima es natus) duo, inquam, illi Pontremolenses nati in eadem hora, à ficubus abhorrebant, nec tamen eodem, sed valde diuerso, vt mihi relatum est, temperamento erant præditi, neq; eandem habebant caloris, & humidi radicalis proportionem: siquidem alter eorum ab hinc plures annos vita functus est, *Alter adhuc viget, & viuit, Antonius Curinus, eques Sancti Stephani, Serenissimi Magni Ducis Ætruriæ vnus ex primis Consiliarijs; Vir notissimæ nobilitatis, doctrinæ insignis, probitatis egregiæ, Pisanæ Scholæ quondam antecessor meritissimus, nunc emeritus*. Hunc tu sinè encomio præteris, & tamen tuum illum Circopithecum, visu, natalibus, moribus, & patria nil tui dissimilem quoties nominas, titulis oneras tam sibi improprijs, quam tuę peruicaciæ indicibus.

Ar. 2. phy. tex. 38.

p. 105.

TEXTVS

TEXTVS XVI.

EXcretiones ventris secundùm naturā; item vrinarum, sudoris, saliuæ, muci, vteri, iuxta hæmorrhoidas, verrucam, lepram, tuberculum, carcinoma, ex naribus, ex pulmone, ex ventre, ex sede, ex cole, secundùm naturam, & præter naturam: discrimina horum alijs iuxta aliam rationem, aliquando etiam aliter.

DIgressus autor, & paulisper cōmoratus in explicatione impedimentorum, quę aliquando ex intēpestiua medici diligentia eueniūt, vnde medicatrix natura à suo opere diuellitur, nunc interruptæ orationis filum annectit, recēsens euacuationes, quæ fiunt secundùm naturā, non quòd sint euacuationes naturales, licèt de aliquibus ambigi possit, vt mox, dum eas seorsum recensebimus, opportunè dicemus, sed quoniam fiunt à natura vincente, & malum, aut mali causam, à loco, vbi nocet, in alium protrudente, in aliū, inquam, quoniam duplex est euacuatio, vna per expulsionem extra corpus, altera per decubitum ad partes à natura destinatas ad suscipiēda excrementa. Priorem vocant medici κατ' ἔκκρισιν per effluxum, posteriorem verò κατ' μετάστασιν per transpositionem de loco ad locum: & hāc posteriorem simpliciter ἀπόστασιν abscessum vocant, priorem verò vel euacuationem simpliciter, vel abscessum eum addito, nempe per effluxum.

Itaq; abscessus simpliciter, seu euacuatio per decubitum minùs fida est, quàm quæ per effluxum: quippe abscessus per decubitum fiunt non expectata coctione, aut saltem non expectata coctionis perfectione: vnde Galenus agens de vrinis ait, *Eas nec prorsus inconcoctas, nec absolutè coctas esse, vbi natura abscessum factura sit.* Deinde etiam in abscessu simpliciter timor est adhuc palindromiæ: quamuis enim ad emunctoria sit humor delapsus, potest inde recurrere, sic *Ex bubone febres omnes ortæ, malæ præter ephemeras:* quoniam scilicet ex tumore in inguinibus facto propter transmissionem materię ad illā partem, potest rursus malignus vapor, ad coriterum recurrens, malignam febrem excitare.

G. in 1. prorrh. sect. 3. tem. 7.

Porrò euacuationes percurrit autor tam per effluxum, quàm per decubitum: neq; hoc loco eas discernit. Primo loco nominat *Excretiones ventris,* quibus tutissimè febres solēt iudicari, & hęc est omnium efficacissima euacuatio: cùm enim in ventriculo contineatur materia vel indigena, hoc est, ibi nata, vel aduena, seu aliunde confluxa, indigena quidem paratam habet per intestina expurgationem, aduena in eodem, tāquam in promptuario, ad expulsionem aceruatur. Nec alius est locus, in quem omnium partium confluxus ita facilè dilabatur, vt ventriculus ob colligantiam cum omnibus membris: Nectitur enim superiore quidem parte cum diaphragmate, & consequenter cum membris spiritualibus: inferiore, omento, & subinde membris naturalibus, peritonæo, pancreo, & mesentereo, posteriore, dorso, quà vena, & arteria magna pręreptant, dextra duodeno, & similiter intestinis, & venis mesaraicis, sinistra lieni, & hac ratione venæ portæ. Cordi adeò est sympaticus, vt propterea veteres os ventriculi cor appellauerint: Vtero etiam, vnde hysterice passiones ventriculo laborem inferunt. Propter istam connexionem concurrit vndiq; materia ad ventriculum, educenda per sibi connexa intestina. Pręcipuè quòd quæ è venis expellenda sunt, ad iecur, venarum radicem, recurrunt, è iecore autem partim ad vētriculum, partim ad intestina transmissa per anum exeunt, & hæc excretio ventris fluor appellatur.

Solet alui fluxus esse vel symptomaticus, vel decretorius, de decretorio, si requisita habeat bona, nemo dubitat, quòd sit vtilis: hoc est, si fiat in die à natura vincente, hoc est, post exactam coctionem, & in die destinato: quòd si praua habeat requisita, hoc est, si fiat in die iudicante ad ma-

lum, cum signis maioris putredinis, quàm coctionis, ęgro debili existente, crisis dicitur non simpliciter, sed ad malum. Symptomaticus fluxus, vt signum, semper est malus: quippe molestatam naturam esse indicat, quę aliàs si sui compos foret, priùs concoqueret, quàm euacuaret: propter molestiam autē à prauitate, vel multitudine materiæ morbum facientis, priùs euacuat, quàm concoquat, iccirco fluxus dicitur symptomaticus, hoc est, qui non fit ratione naturæ, sed est veluti casus. Nihilominùs fluxus iste, qui, vt signum, semper est malus, vt causa potest aliquando iuuare: quamuis enim Hippocrates dicat, *Non cedit cruda passio*, id solùm locum habet in materia, quæ intra abscessum continetur, de qua Hippocrati ibi est sermo: hęc enim reluctatur eductioni, neq; ad venas capillares, vnde egressa est, potest regredi. At materia febrilis, in venis amplissimis ebulliens, naturę sese exonerare satagenti facilè cedit. Quòd si adhuc purum ab impuro non est segregatum per coctionē, nihilominùs maior sequitur vtilitas ex impuri excretione, quàm damnū ex puro eiecto: quippe ęger in morbi principio suas vires adhuc habet, ac proinde puri defectum valet tolerare. Itaq; damnum, quod ex puri excretione sequitur, est debilitas duntaxat, hęc autem, cum adhuc vires non sunt diuturnitate morbi collapsę, non magna esse potest. Datur ergo post euacuationem quiescendi, ac subinde restaurandi locus. (Hipp. 4. acut. 12.)

Vrinarum. Secundum inter euacuationes locum, post alui fluxum, obtinent vrinę. Non est hìc occasio tractandi de signis ab ea sumptis, sed de vtilitate, quæ sequitur ex euacuatione facta per vrinarios ductus. Quamuis autem Galenus dicat, renes, & vesicam, & iecoris gibbam, si multo vitioso succo sint referta, per deiectiones, & pharmaca deiectoria expurgari, sin mediocri, per vrinarios meatus, non propterea debemus existimare, has partes duntaxat euacuari per vrinas: solùm voluit Galenus docere, has partes diuersam exonerandi se viam accipere, quando multo vitioso scatent succo, ab ea, quam accipiunt, quando mediocri copia laborant. Neq; profectò negare posset, cum serum ex vniuerso genere venoso ad renes confluat, ex vniuerso similiter genere venoso sāguinem à superfluitate serosa expurgari: quod ille met fatetur non vno duntaxat, sed varijs suę doctrinę locis. Imò verò vidit ipse, euacuari per vrinam vomicā pulmonis. Tandem materia serosa, qualis in febribus, maximè diuturnis, solet prædominari, dissoluta per vrinas educitur; Propterea huiusmodi vrinæ ex sero fuso conflatæ, liberant ab abscessu, qui aliàs futurus sperabatur. (G.7. meth. c. 13.) (G. 4. aph. 2. & 69. 1. ep. sec. 2. com. 41. ar. med. c. 89.) (G. 6. loc. aff. c. 5.) (H. 4. aph. 74.)

Cæterùm, in quo loco vrina suam formam accipiat, dubitant aliqui. Ludouicus Duretus existimat non ante serum illud eorum, qui sunt in venis, humorum, vrinę nomen habere, quàm ad vesicam venerit, inq; eaq; stabulari cæperit. Vnde putat, vrinæ suppressionem ad solam vesicam pertinere. Vallesius putat, vrinam in hepate formam accipere. Thomas à Veiga meus pręceptor, vbicumq; sanguis conficitur, tum in hepate, tum in venis antecedentibus, & consequentibus, ibi primam generationem vrinæ esse, affirmat. Ego non video (quod contra Duretum sit dictum) quid vesica conferat serositati in illam delapsæ, proter quod tunc, & non anteà serositas formam vrinæ consequatur. Quare siquis non nisi in vesica vrinam appellari velit, res ad quæstionem de nomine reducetur. (Duretus.) (Vall. 3 cōtr. c. 18.) (Thomas a Veiga.)

Sudoris. Vnus & hic est (vt inquit Galenus) humorum in animantis corpore prouenientium, eandem habens materiam cum vrina, & eundē generationis modum. Nihilominùs sudores, qui morbi ratione fiunt, diuersi ab vrina tum in significando, tum in causando sunt: quippe vrina secum habet notas coctionis, & cruditatis, sudor autem salutis, aut mortis; vrina euacuat serosas superfluitates, sudor autem vlterius habitum corporis refrigerat. Quare præstantiores multo censentur crises, quæ fiunt per sudorem, quàm quæ per vrinam. Imò omnium iudicationū præstantissima est (vt liquet ex Historijs Hippocratis) quę fit per sudorem, pręcipuè in febribus malignis, in quibus natura ad cutem maculas transmittit: ibi enim sudor motum naturę imitatur. Porrò optimè iudicium fieri, inquit Galenus, natura humiditatem supetfluam per sudores (G. 10. simpl c. prop.) (G. 4. aph. 38.)

res euacuantes.

Sudor autem tripliciter contingit, vel expressione, vel exeretione, vel exolutione partium solidarum; expressio fit, quoties venæ oppressę nimio humore, ac distentæ exprimuntur, & tunc sudatiuncula potiùs, quàm sudor accidit; excretio est, quã natura molitur, postquàm materia iam reddita est mitis, & naturæ iussui obediens; exolutio, quando partes effætę, & viuacitate carentes, frustrata assimilatione succi alibilis, nequeunt retinentis facultatis beneficio gaudere, & iste in desperata sanitate euenit, & frigidus esse solet. Verùm frigidi sudoris causa alibi pertractabitur, quemadmodùm etiam, an sudor in sanitate eueniens, sit euacuatio naturalis.

Sputi. Cerebrum, pręter frigidum, & humidum temperamẽtum, quod illi à natura consultò fuit datum, ne membrũ crebris cogitationibus occupatum accenderetur, neuè animalis spiritus omnium tenuissimus, euanesceret; ne etiam placidus somnus, qui facultatum animalium est requies, impediretur, aut saltem pręualente siccitate cum calore breuior fieret, quàm oportet, pręter hoc, inquam, temperamentum frigidum, & humidum, habet etiam alias quãplurimas causas, ob quas plurima congerit excrementa: insidet quippe corpori vniuerso velut caminus, & trahit ad se, instar cucurbitulæ, ab inferioribus membris omne exhalationum genus, vnde vaporibus impletur, & eorum assiduis haustibus inebriatur, adeò, vt nisi promptissimas, & amplissimas haberet vias, per quas sese onerat, facillimè obstrueretur. Excrementa sunt duplicia: quędam enim subtilia vaporum formam conseruant, alia concrescũt in liquidam substantiam. Vaporosa excrementa sursum eleuantur, & ne cranei durities exitum eorum impediat, suturę affabrefactæ sunt; excrementa verò crassiora, licèt per plures ductus mandentur, duos habent pręcipuos canales, nempe palatum, & nares, & ex his duobus palatum magis perspicuas euacuationes sustinet.

Conspicuus fertur ductus ab anteriore cerebri ventriculo ad anteriorem basim, in cuius extremo tenuis membranæ portiuncula quædam, primùm latior, deinde angustior, infundibuli instar conspicitur, quam iccirco infundibulum vocant anatomici, alij etiam peluim; per hanc humor pituitosus sensim excolatur: Hunc humorem excipit glandula pituitaria, spongię similis, quem tandẽ pedetentim in palatum per cuneiforamina instillat.

Hęc eductio πτυαλισμὸς, seu πτυελισμὸς appellatur, quę etiam aliquando sputationis nomine significatur: sic prorrhiticis *phreniticorum sputatio mala*, gręcè πτυελισμὸς κακὸν; Verumtamen hęc sputatio non solùm cerebrum, sed ventriculum etiam solet exonerare: vnde Galenus, *Cæterùm sputatio & propter os ventris, ex humiditate imbecillum, & propter cerebrum humiditatibus refertum oritur*: Sic Galenus. Verùm ex pulmonibus, & thorace sputum etiam eijcitur, quod facile ex ijs partibns exire cognoscitur, siquidem screatio tunc fit cum tussi: imò verò materia ex thorace, v.g. in pleuritide, educenda est non qualibet tussi, sed vehemente. Quare hoc solo aduerbio *vehementer* soluitur difficultas magna, quæ multos torquet; Videlicet quomodò possit ex capacitate thoracis materia ingredi asperam arteriam, vt inde per os educatur. Ratio dubitandi est; quia pulmo in medio thorace situs, sola aspera arteria suspenditur, vena autem arteriali, & arteria venali alligatur, nullaq; habet in thoracem hiantia vasa, per quæ possit ab eo materiam recipere. Respondetur in hunc modum. Facit hoc vehemens tussis, vt pote quę thoracem cogit contrahi, vt simul cum expiratione, materia quasi per vim expressa in pulmonem intromittatur. Galeni verba hoc declarant, inquit enim; *Nisi vehementer admodùm thorax pulmonem ex omni parte comprimat, humor in asperarum arteriarum ora recipi non potest*. Addit Castellus, & benè quidem, non solum expirationis, sed inspirationis tempore hanc materiæ transumptionem fieri: cum enim inspiratu pulmonis lobæ adeò distendantur, vt lateribus thoracis allidant, materiam ab affecta parte resudante, ob spongiosę substantię conditionem, qua pollent, exugunt. Si quis autem quærat, cur humor potiùs ingrediatur ramos asperę arteriæ, quam arterię venalis, &

H. 1. prorrh. 12.

G. ibid.

G. 5. loc. affec. c. 3.

Castell. tr. de pleu. difficult. 9.

venæ

venę arterialis, cum tamen non minus hæc vasa, quàm aspera arteria per vniuersam pulmonis substantiã dispergantur, respondet, ramos asperæ arterię esse patentiores, & cartilagineos, qui occludi facilè nequeũt: Sic rami isti, semper hiantes, adytum prębent materię intro impulsæ.

Muci. Ex duabus euacuationibus, queis cerebrum expurgari diximus, precipuam statuimus screationem, tum quia eius ductus est amplior, tum quia est ad hoc munus duntaxat affabrefactus. Altera ergo minùs præcipua habetur, quæ per processus mamillares, inde per nasũ educitur. Hæc per meatus angustiores, quàm illa, fit, & prętereà huius etiam meatus alteri muneri, nempe olfactui, est principaliter dicatus. Est mucus, teste Galeno, excrementum, quod à cerebro destillat, fortasse nec pituitam quis audeat appellare, sed solito vocabulo mucum, vel grauedinem, grecè κόρυζαν. Fit autem à frigore cõprimente, quicquid Mercatus, & Langius, alijq; recentiores nequicquam reluctentur, cum quibus non est hic agendi locus. Fit etiam à calore liquante, quod nemo negat.

G. 2. nat. facul. c. vl.

G. 4 simpl. c. 2.

Vteri. Fluxio sanguinis ab vtero, quę singulis mẽsibus mulieribus benè valentibus accidit, si mediocris sit, naturalis censetur, sin deminuta, aut redundans, inter symptomata recensetur. Est autẽ naturalis, quatenus à natura, dum sui compos est, præstituto fit tempore. An verò sanguis iste quantitate sola peccare dicatur, magna est inter autores decertatio; adeoq; potentes vtrinq; rationes afferuntur, vt cui nam parti adhærendum sit, non facilè constare posit.

Quod qualitate etiã peccet, ostendunt maligni effectus: quippe mulier menstruata, solo aspectu, eboris nitorem obscurat, speculum inficit, ex cõtactu huius sanguinis plantę exsiccantur, sanguis ipse epotus in rabiẽ ducit, multosq; secũ affert perniciosos casus, propter quos tũ Fernelius, tũ ante Ferneliũ Plinius, venenosã qualitatẽ ei subesse putarunt. Magni ponderis etiam est documentum sacræ paginæ: siquidem tempore mẽstruationis, fœmina immunda habebatur; non leue etiam indicium sumitur ab egritudinibus, in quas, ob retentum hunc sanguinem, mulieres incidunt. Necnon etiam variolæ, quas Arabum schola, & extra etiam multi referunt ad nutrimentum, quod puer in materno vtero accepit: nempe hoc sanguine per totum gestationis tempus alitus. Adest etiam pro hac parte autoritas Hippocratis, & Aristotelis, & Galeni. Hippocrates in libello de genitura loquutus de sanguine menstruo, *Radit*, ait, *terram, velut acetum, & mordet, vbicumq; mulierem tetigerit, & vteros exulcerat*; Aristoteles autem habet hæc verba: *Genus sanguinis vitiatum, agrotansq; est*; Galenus, *Singulis mensibus sanguinis portio inutilis, & superflua, non quantitate solùm, sed etiam qualitate excernitur*.

Fernel. Plin.

Leuit. 15. & alibi.

H. de gen.

Ar. de hist. an. l. 4. c. 19

G. de tra bile c. 8.

Pro altera parte non inualidę etiã rationes adsunt: in primis enim agẽs, & materia tam huius sanguinis, tam alterius, quo mulier nutritur, non differunt inter se; ex hoc etiam conficitur alimentũm pueri iam in lucem editi; Si autem prauam haberet qualitatem, natura potiùs nouerca, quàm parens foret appellanda, quæ infanti infectum parauit nutrimentum. Finis etiam, ad quem huius sanguinis aceruatio dirigitur, non patitur prauum esse sanguinem: est namq; finis generatio infantis, eiusq; in vtero educatio. Tandem principia generationis nostræ sunt semen, & sanguis menstruus; non est autem credibile, principia, in quibus generatio, & vita consistit, ex praua, & venenosa materia constare, præcipuè cum semen, quod exquisita substantia est, perniciosæ alterius societatem pati nequeat.

In hoc biuio positi autores medici, quodnam sit iter suscipiendum, valde ambigunt; Ego controuersiã sic dirimẽdam puto. Posterioris opinionis asseclę eò deducũtur, vt quando eis obijcitur series illa perniciosorum effectum, qui ad sanguinẽ menstrui solent sequi, respondeant, id non fieri à sanguine ipso, aut aliqua eius venenata natura, sed ex humoribus, qui è corpore ad vterum confluunt, qui praui cum sint, efficiunt, vt sanguis, alioquin laudabilis, horribilia damna inferat. Hac ego responsione quiescerem: quippe mihi satis foret, habere ab aduersario, agnosci in sanguine menstruo saltem extraneam prauitatem. Verumtamen

cum

cum hypothesis sit, mulierem, quæ proponitur, esse sanam, non potest in corpore sano tãta humorum prauitas aggregari, vt sanguinem deterrima vitiet qualitate.

Arbitror igitur, sanguinem confluere inculpatum, qui, dum per mẽsem aceruatur, & augetur, conculcatus, & non satis difflatus corruptionis accipit rudimenta, à quibus praua qualitas contrahitur; quòd si diutiùs, quàm pro tempore à natura instituto, detineatur (quod contingit in suppresione mensium) corruptio fit maior, ac subinde grauia eueniunt symptomata, morbiq; difficiles. Et sic vtriq; sectæ fit satis: tam scilicet ijs, qui tenent, sanguinẽ menstruum nullam habere prauam qualitatem contractam, aut ex agente, aut ex materia, quàm ijs, qui prauam qualitatem agnoscunt: nempe acquisitam per moram, & occasionem putredinis, quæ in sanguine, optimæ conditionis humore, non potest non esse pessima, iuxtà illud *Corruptio optimi pessima*.

Per hæmorrhoidas: Sic appellantur venarum, quę in ano sunt, dilatationes, & à crebro sanguinis fluxu, qui per eas fit, nomen acceperunt, quãuis aliquæ apertæ sint, aliæ, vt vocant, cæcæ. De cęcis non est, cur nunc loquamur: neq; enim hęmorrhoidarũ hic, nisi quatenus euacuatio quædam sunt, mentionem habemus. Porrò hæc euacuatio, ex Hippocratis decreto, ab affectu melancholico, & nephritico liberat: quippe, vt Galenus ait, non solùm ratione euacuationis, sed & ipsa qualitate humoris euacuati, hi affectus per hęmorrhoidas sanantur: quippe per has venas crassus, fœculentusq; sanguis euacuatur. Adeòq; hęc euacuatio laudabilis est, vt dicat Hippocrates, *Sanguis quidem supra qualiscumq; fuerit, malum, infra autem nigra deiecta, bonum est*. Galenus in comento dubiũ mouet, cur scilicet laudat Hippocrates nigra deiecta per inferiora, si nigras deiectiones superiùs damnauerat? Soluit autem inquiens, *quia melancholiæ maximum est remedium sanguinis infra per hæmorrhoidas effluxus*.

H. & G. 6 epi. 11.

H. 4. aph. 25.

Verrucam. Hęc pertinet ad abscessus; Est autem ἀκροχορδὼν: latinè verruca, tuberculum exiguum in cute apparens, vt plurimùm asperum, nonnunquam etiam læue; vix vna duntaxat verruca nascitur, sed sæpe plures; Quamuis autem exiguę sint, possunt multitudine paruitatem cõpensare, & ab affectu aliquo liberare, vt contigit Moscho, cui, cum valde calculosus esset, facto in superiore palpebra hordeolo versùs aurẽ magis, deinde rupto interiùs, soluta fuit passio inferior, nempe desijt esse calculosus. Sed notandum, materiam ex hordeolo emanasse, factumq; fuisse bubonem, iuxtà aurem, & infra in ceruice secundùm rectitudinem superioris bubonis: vnde colligitur, non suffecturam verrucam siue hordeolum, nisi adessent simul alij tumores, & ruptio in interiore palpebrę parte.

H. 2. epid. sect. 2. tex. 5.

Lepram. Græcè similiter λέπραν. Est autem lepra apud græcos, morbus cutaneus, parùm differens à psora: differentia verò in eo consistit, quòd psora summam duntaxat cutem occupat, lepra profundior est. Deinde per psoram cutis furfuracea quędam corpuscula remittit, per lepram magis squammas, vnde forsan lepra accepit nomen ἀπὸ τῶν λεπίδων, hoc est à squammis. Tandem in lepra maior apparet cutis asperitas, quàm in psora: & hinc etiam volunt alij, nomen Lepræ deduci ἀπὸ τοῦ λεπρύνεσθαι, quod significat scabrum fieri. Porrò vtcumq; dicatur, græcorum lepra species scabiei est, magis quidẽ profundam, quàm quę ψώρα appellatur. Huius leprę materia, ex Galeni sententia, *Succus est multus salsus, crassus, & immotus*; Cum dicat salsũ, pituitę miscellam agnoscit, non tamen dubium est, melancholicum succum esse pręcipuum, vt pote qui affectui denominationẽ tribuit: Galenus namq; lepram affectum melancholicum esse, affirmat, & à succo melancholico fieri, scriptum alibi reliquit. Miror tamen, non fieri apud Galenum differentiam ex parte materiæ inter psoram, lepram, elephantiasim, si quidem in opere simplicium habet hęc verba, *A cute, ceu squamma abscedit, extima cutis (quã græci vocant ἐπιδερμίδα) ad quam sistuntur, ac retinentur crassi, terrosiq; humores ad cutem protrusi, à quibus quidem psoræ, lepræ, elephantes nascuntur*. In libro de tumoribus præter naturam scabiem, & lepram, dicit, esse melancholicos affectus solius cutis, intelligamus tamen nos solius quidem cutis,

G. 2. symp. caus. c. 6.

G. 3. alim. facult. c. 2. 7. aph. 40.

G. de cib. bõ. & mal. succ. c. 14.

G. 11 simp. de carne viper.

G. de tum. pręter nat. c. 13. c. 14.

cutis, dummodò lepra in ipsa cute sit profundior, scabies minus profunda, cutis enim suam habet profunditatem. Sed quod ad præsentem rem attinet, est, quod sequente capite addit; nempe elephantem primam quidem generationem ex sanguine melancholico habentem, spatio temporis ipsius nigræ plus sanguine fieri. Vnde colligo, tres has affectiones ex eodem fieri succo, dummodò elephantiasim incipientem adhuc consideremus, nam prouecta iam vlterius, alterius humoris est particeps, nempe atræ bilis. Sed de elephantiasi mox dicemus, si prius quid Arabes de lepra sentiant, explicabimus.

Videtur mihi Auicenna lepræ descriptionem transtulisse à Galeno. Vocatur autem ab ipso Auicenna Albaras nigra, de qua ita ait: *Est illud, quod nominatur impetigo excorticatiua, & est scabiositas accidens cuti, aspera vehemens, & facit squammas sicut sunt piscium, cum prurit, & est propter humorem melancholicum imbibentem cutem de ea, quod est iuxtà eam, imbibitione fortiore, quàm in colore*. Poterit tamen aliquis dicere, Auicennam hic non descripsisse lepram: siquidem mox addit, *Et est de antecedentibus lepram*. Si ergo albaras nigra antecedit lepram, non est lepra. Respondeo tamen, lepram apud Auicennam, esse id, quod, apud Galenum, & alios græcos autores, est elephantiasis. Constat hoc ex ipsomet Auicenna, qui sic definit lepram: *Est infirmitas malè proueniens ex sparsione cholere nigræ in corpore toto, quare corrumpitur complexio membrorum, & forma ipsorum, & figura eorum, & fortaßè corrumpitur in fine eius ipsorum continuitas, ita vt corrodantur membra, & cadant casu, qui fit ab vlceratione, & est sicut cancer communis corpori toti*. Sic Auicenna, qui hoc vltimum accepit à Paulo, dicente, elephantiasin esse morbum incurabilem, quia non datur medicina, quæ sit superior hoc malo. Tunc addit: *Si enim cancer, qui veluti elephas quidam est in vna parte, ex incurabilibus, etiam ab ipso Hippocrate nominatus est, quomodò non magis elephas, qui velut cancer quidam in toto corpore est, omnino incurabilis erit?* Sic Paulus: ex cuius verbis posset aliquis suspicari contra id, quod diximus, & existimare, lepram Auicennæ non esse prorsus eundem morbum cum elephantiasi: quandoquidem elephantiasin Paulus incurabilem esse affirmat, Auicenna autem de curatione lepræ satis diffusè pertractat. Sed re vera Auicenna curandam accipit à principio, quãdo adhuc aliqua adest spes salutis; Hoc indicant eius verba, *Oportet, vt incipiatur in ea cum euacuationibus, & mundificatione ante, quàm ingrossetur ægritudo*. Similer Rhasis, *Hæc passio*, inquit, *postquam mansiua fuerit, incurabilis est, cum autem incipit, si ei subueniatur, & vt debet, medicata fuerit, aut sanatur, aut manet sic, nihil addens*. Imò ipse Auicenna de lepra agens sic ait, *Et hæc ægritudo nominatur leonina, & dicitur, quòd non nominatur ita, nisi quoniam plurimùm accidit leonibus, & dicitur, quoniam terribilem facit faciem patientis eam, & ponit eam in formam leoninam, & dicitur quoniam rapaciter tenet, quod capit, rapacitate leonis, & de hac ægritudine, quæ est debilis, difficilis est curationis, & de curatione fortis non fit spes*. Consonat hoc Galeni testimonio, siquidem se sanasse, ait, venæ sectione elephantem inchoantem.

Porrò id, quod Auicenna appellat albaras, est, quod à Galeno dicitur lepra, affectus nempe cutaneus, parùm profundior, quàm sit psora. Lepra verò Auicennæ est idem, quod elephantiasis græcorum, affectio, in qua vniuersũ corpus corio elephantis simile redditur, & facies leonina potestq; dici cancer vniuersalis: vt ex supra dictis patet. Remanet tamen nunc inquirẽdum, quid sit elephantiasis apud Auicennam: quippe Auicennam cognouisse elephantiasin, non est dubium, siquidem de hoc affectu seorsim pertractat. Cognouit quidem elephantiasin, morbum sic appellatum, cui hoc nomen Arabes indiderunt, diuersa tamen ratione quàm Græci: quippe Græci (vt diximus.) ita appellarunt, quia apud eos elephantiasis est, in qua vniuersa cutis corio elephantis similis redditur; Arabes verò malum illud, in quo crura incrassantur, fiunt aspera, varicosa, & vlceribus scatentia, elephantiasin dixerunt, quia scilicet hæc crura cruribus elephantum similia sunt. Vnde Auicenna suam elephantiasin sic definit: *Est additio pedum secundùm modum, qui accidit in venis varicum; quare ingroßat pedem cum qualitate sua, & quandoq; fit propter humorem melancholicum, & est illud, quod est plurimum, & quandoq; fit propter humorem plegmaticũ.*

Auic. 7. 4. tract 2. c. 9

Auic. lib. 4. fen. 3. trac. 3. c. 1.

Paul. Ægi. lib. 4. c. 15

Rhas. 9. ad Almans. c. 15.

G. 6. aph. 47. & lib. quos & quando in princ.

Auic. li. 3. fen. 22. tr. 1. c. 16.

Egerat superiore capite de varicibus, quas appellat dilatationem venarum in crure, & pede: huic affectui consectariam facit elephantiasin, quæ similiter est crurum, pedumque affectio, quam Rhasis etiam describit inquiens, *Cum ergo pedis crassities augeri videtur, & color offuscari, venæ quoque quæ vires vocantur, apparere cœperint*, & quę sequuntur. Ex quibus constat elephantiasin Arabum, esse crurum, pedumque morbum, qui reddit has partes elephantum cruribus, pedibusque elephantum similes; elephantiasin Græcorum esse morbum vniuersalem totius corporis, per quem vniuersa cutis redditur similis cuti elephantis. Res igitur sic habet.

Rhas.9.ad alm. c.15.

Lepra Græcorum scabiei species est parùm deterior, quàm psora. Auicennæ est albaras nigra.

Elephantiasis Arabum morbus particularis pedum, & crurum, cuius apud Græcos peculiaris mentio non fit.

Elephantiasis Gręcorum morbus vniuersalis, in quo vniuersa cutis exeditur, Auicennæ, & reliquis ex Arabum familia, dicitur Lepra. Et hanc Arabum, nomenclaturam vulgus communiter recipit: quare hoc malo laborantes Leprosos solet appellare, eosque è consortio sanorum separari iubet. Hinc est, quod per omnes fere regiones, quælibet ciuitas, aut castellum, suum habet Xenodochium extra muralia, ad quod compellente magistratu leprosi mittuntur, quod iam Galeni tempore solitum erat fieri, ab eodem etiam hoc malum inter valde contagiosos recensetur. Cum autem, quòd crura occupare diximus, malum non ità contagiosum habeatur, siquidem eo laborantes non separantur, manifestum fit, elephantiasim Arabum nō reduci ad elephātiasim gręcorū, sed esse duos morbos, nomine quidē pares, re autem valdè dissimiles.

G. de subfigur.emp. c. 12.

Cæterùm lepra græcorum, quę Auicennæ est Albaras nigra, inter leues morbos videtur reponi debere, siquidem psoræ, affectui cutaneo, comparatur: nec tamen negandum est, si vlterius serpat, posse prauam conditionem acquirere, & accedere ad elephantiasim græcorum, hoc est, ad lepram Arabum, dicente Auicenna cum de hac lepra gręcorum, hoc est, de albaras nigra, loquitur, & est de antecedentibus lepram, hoc est, elephantiasim Arabum.

Videtur tamen Galenus contrarium sentire: siquidem elephantiasin in lepram commutari dixit: & alibi historiam narrat cuiusdam philosophi, qui ex carnis viperinę esu ex elephantiaco factus est leprosus. Cæterùm hęc difficultas facilè tollitur. Nam lepra græcorum, seu Albaras nigra Arabum, tunc ad lepram Arabum, & elephantiasin græcorum tendit, cum malum pergit in deterius: & de hoc loquitur Auicenna. Galenus autem è contrario loquitur de malo retrocedente in melius; ad proinde ex elephantiasi graui morbo, esu carnis viperinę factus fuit morbus leuis, videlicet gręcorum lepra. Rationi autem consentaneum fuit, istos elephantiasi oppressos, qui terminati sunt in bonum, mansisse leprosos, hoc est, leuiter affectos. Nam graue malum, & iam in habitum conuersum, nunquam ita perfectè tollitur, quin vestigium aliquod sui relinquat: sic grauis apoplexia, si quando soluitur, paralysim post se relinquit, & tunc prior morbus dicitur sanatus. Quare non minus etiam elephantiasis sanata dici debet, quamuis patiens adhuc squammosam habeat cutem. Sanitatis enim loco habetur, siquis ex periculoso, & insanabili malo, ad malum, quod sinè periculo est, deueniat, vt ex apoplectico paralyticus, ex elephantiaco leprosus, si loquamur cum gręcis, vel si cum Arabibus ex leproso, Albaras nigram patiens.

G.11.simpl. de car. viper. De subfigurat.

Lem.c.13.

De lepra, cuius in sacra pagina fit mentio, non est, cur agamus; quippe diuersa omnino res est: quippe leprę nomen ad omne inquinamentum, vel macula cutanea extendebatur, non solùm in viuente corpore, sed in parietibus etiam. Itaq; impetigines, leuce, morphea, & similia cutis vitia pro lepra habebantur.

Pon myſti-

mysticam verò curationem habebant; Quòd si à reliquo populo sic affecti separabantur, non id erat ratione contagij, sed vt significaretur quàm abominabilis sit apud Deum omnis impuritas, quæ etiam in domibus, & in vestibus commendabatur, vt corporalis homo esset imago hominis spiritualis. Vnde est, quòd quælibet deformitas reddebat hominem indignũ, qui accederet ad ministeria sacra; Leuit. 21. Sic de sacris ministris, hoc est leuitis, lege sancitum est: *Nec accedet ad ministerium eius, si cæcus fuerit, si claudus, si vel paruo, vel grandi, vel torto naso*.

Sed vt ad lepram redeamus, eius nomine in sacra pagina, quęlibet cutanea infectio assumebatur, vt ex iam dictis constat, dummodò non sit adeò leuis, vt scabies; nam hæc simplice ablutione soluebatur, nec separatione a consortio sanorum indigebat: Vnde in Leuitico, Leui. c. 13. *Si obscurior fuerit lepra, & non creuerit in cute, mundabit eum, quia scabies est: lauabitque homo vestimenta sua, & mundus erit*. At in alijs deformitatibus, quæ ibidem describuntur, separationis præceptum erat; Sunt autem huiusmodi. *Homo in cuius cute, & carne ortus fuerit diuersus color, siue pustula, aut quasi lucens quidpiam, id est plagã lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad vnum quemlibet filiorum eius, qui cum viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipsamq; speciem lepræ humiliorem cute, & carne reliqua, plaga lepræ est, & ad arbitrium eius separabitur*. Ex his satis constat lepræ vocabulum in sacris litteris ad deformitates quasdam, quæ longè absunt à medicorum lepra, siuè Arabum, siuè græcorum, se extendere. Vtrùm verò Iob vera elephantiasi laborauerit, an in eo quoque lepræ nomen affectus cutaneus sit intelligendus, ambiguum est; nihilominùs non videtur fuisse elephantiasis facta: quippe in ea partes spermaticæ, quæ refici nequeunt, exeduntur, quare citra miraculum non poterat non remanere huius deformitatis vestigium: quare daretur in restitutione sanitatis Iobi multiplicatio miraculorum. Sufficit ergo, quòd fuerit elephantiasis incipiens, nam hæc nondum membra exedit: fuisse autem incipientem istam, colligi potest ex eo, quòd deformatam habebat faciem adeò, vt ab amicis non dignosceretur.

Cæterùm omnis cutanea deformitas abominabilis erat, & sic tam in sacris, quam in profanis litteris, infectos homines ab aliorum societate segregari solitos, legimus. In sacris enim habemus Dauidem, qui ait, *Amici mei, & proximi mei aduersùm me appropinquauerunt*; Ps. 37. Vbi Diuus Hieronymus legit, D. Hieron. *Quasi contra lepram meam steterunt, & qui iuxtà me erant, de longe steterunt*. In profanis lex extat Persarum, teste Herodoto, Herod. qua peregrini, & leprosi omnino ex finibus ciuitatum pellebantur. Verùm de his satis.

Tuberculum, Græcè φῦμα, licèt aliquando peculiarem habeat significationem, & dicatur phlegmon, quod in adenosa carne sponte oritur, atque ad suppurationem citò peruenit, nihilominùs, vt plurimùm generale est nomen, significans omnes ęquè tumores, qui præter naturam extuberant, in quacumque corporis parte.

Carcinomata. Dicuntur cancri, hi nunquàm in ęgrotantis bonum apparent, in vlcerum genere reponuntur, & cum carbunculis, & elephantiasi eandem materiam habent, quę in carbunculis quidem magis adusta est, in alijs duobus nulla est differentia, nisi quòd cancer (vt supra tetigimus) potest dici elephantiasis particularis, elephantiasis verò cancer vniuersalis. Cur autem, cum hoc ita sit, elephantias sit morbus valde contagiosus, cancrum verò nemo inter contagiosos morbos numerauerit, videtur multitudini materię attribuendum; Cum enim febris nulla saltem maligna adsit, quę vapores eleuet malignos, ij, qui ex cancro attolli possint, pauciores sunt, quàm vt possint infectionem in alieno corpore imprimere.

Ex naribus, ex pulmone, ex ventre, ex sede, ex cole. Quamuis ex omnibus his locis euacuationes iam recensuit, vt *ex naribus* mucus, *ex pulmone* saliuas *ex ventre* deiectiones, *ex sede* hæmorrhoides, *ex cole* vrina, repetis

tit nunc eadem loca, vt ostendat, alias per illa posse fieri euacuationes: nempe *ex naribus* fieri potest hæmorrhagia, seu sanguinis fluxus, quo febres ardentes multoties iudicantur: *ex pulmone* phthisi laborantium purulenta sputatio, *ex ventre* vomitus: neq; enim placet Cardanus, qui vomitum omissum ait, quoniam est euacuatio violenta: nam violenta sit licèt, est tamen talis, quàm multoties arte molimur ex præcepto Hippocratis, & à natura etiam facta ab eodem laudatur. *Ex sede*, humor pituitosus, qui ex intestino recto, per tenesmum educitur: *Ex cole* corruptum semen, quod per gonorrheam emittitur.

Secundum naturam, & præter naturam.

Quæsitu dignum est, cum autoris intentio sit recensere euacuationes, quæ secundùm naturam sunt, quod in prioribus huius contextus verbis expressit inquiens, *excretiones ventris secundùm naturam*, cur nunc addit, *secundùm naturam, & præter naturam?* Dixit quidem secundùm naturam, indicans, se velle recensere, post euacuationes ab arte factas, eas, quæ fiunt à natura, nunc addit aliquas fieri à natura victrice, & has secundùm naturam appellat, alias verò à natura molestata, quas appellat præter naturam.

Adhuc tamen remanet dubitatio: nam ea, quę sunt prętenaturam, non dicuntur fieri à natura; Vnde Galenus, *Quando aliquis incipit morbus, si quid excernitur, nihil tunc excernitur naturæ ratione, sed sunt omnia casus eorum, quæ præter naturam sunt in corpore dispositionum.* Quibus verbis insinuat, fieri has euacuationes è dispositionibus, quæ in corpore sunt, non autem à natura; Hoc etiam declarat alibi inquiens: *Cum itaque natura superfluum euacuat, iuuatur animal, cum verò alioquin excernitur casus ratione, neque inde vtilitas vlla prouenit, & talis euacuatio prauæ dispositionis est signum.*

G. 1. aph. 22.

G. 4. aph. 2.

Hæc tamen non obstant, quominùs dicendum sit, omnem euacuationem, quæ ab arte non fit, fieri à natura; Verùm ea, quę fit à natura, dum sui compos est, dicitur naturalis, ea verò, quę fit à natura molestata, præter naturam appellatur: quippe tametsi praua dispositio sit causa irritans, hæc irritat naturam, natura irritata operatur. Dicet tamen aliquis, hoc etiam modo euacuationes ab arte factas posse dici factas à natura, siquidem purgatio, quæ fit ab arte, dicitur fieri pharmaco trahente, & natura expellente: Respondeo, euacuationes, quæ à pharmaco fiunt, dici omnino fieri ab arte, quando quidem eas moliri, vel non moliri est in manu artificis.

Discrimina horum alijs iuxtà aliã rationẽ, aliquando etiam aliter.

Amplificatio est verborum præcedentium: quasi dicat, sunt euacuationes, alię quidem secundùm naturam, quales sunt decretoriæ factæ à natura vincente: sunt & præter naturam, quales, quę symptomatis ratione eueniunt. Hæc autem discrimina, scilicet secundùm naturam, & pręter naturam, secundùm aliam rationem, hoc est, secundùm propriam cuiusque naturam, vt si quis ex propria ipsius natura facilè sudet, vrinam autem exiguam reddat, hoc dicetur respectu istius esse ei secundùm naturam, quòd si aliquando vrinam plus solito emittat, & sudor minuatur, euacuatio erit ei præter naturam, hoc est, pręter peculiarem ipsius naturam.

Aliquando etiam aliter.

Quasi dicat, aliquando etiam potest aliter dici secundùm naturam: nempe secundùm temperamentum, vt si biliosus sit, & biliosa reddat excrementa, hoc illi secundùm naturam est: Quare pręter naturam iuuenis ille apud Galenum pituitosus quotidie vomebat bilem. Gart. [illegible]

TEXTVS XVII.

VNA natura sunt hæc omnia, & non vna: multa naturæ sunt hæc omnia, & non vna.

OMnium excretionum vna, & eadem est natura, nempe superfluitas, & non vna est natura: quippe aliqua superfluunt quantitate, alia qualitate. Rursus quælibet istarum multiplicem naturam habet, vel secundùm loca, per quæ fit, e. g. biliosa superfluitas, & per aluum, & per vomitum potest eijci, serosa tùm per vrinas, tum per sudores, pituitosa per nares, & per palatum, sanguis per vterum, & per hæmorrhoides, & per nares, melancholicus succus per venas etiam ani, & per secessum.

TEXTVS XVIII.

MEdicina sursum, & deorsum, & neq; sursum, neq; deorsum.

DIgressiones aliquando facit autor valde vtiles, sed instituti sui memor, iterum ad susceptum iter recurrit. Hoc in presente apparet: dũ enim auxilia ab arte petita tractaret, digressus fuit ad naturam, nunc ad artem reuertitur, proponitq; euentũ medicamentorum. Medicamenta igitur alia sunt cathartica, hoc est, purgantia per inferiora, alia anacatartica, quę purgant per superiora: quamuis autem anacatharsis soleat dici euacuatio per sputum, nihilominus, ex vi vocabuli, potest etiam vomitum, & omnem per superiora euacuationem comprehendere.

Porrò medicamentum, non solũ peculiarem humorem eligendi, sed eum ad certum locum deducendi facultatem habet; Sic Plinius, nigrũ veratrum, per inferna purgare, ait, candidum autem vomitione morborum causas extrahere. Vnde Auicenna, & Mesue vomitorium medicamentum dicunt, quod stomachũ, idest, ventris os superius suę substantiæ proprietate debilitans, atq; lacescens, & in eo immorans ad ipsum ex hepate, & intestinis, & partibus cæteris materias attrahit, à quibus offensus stomachus, & ad nauseam versus, vomitu per os expellit, motu scilicet suę naturæ contrario. Deiectorium dicunt, quod in ventriculo manens, ab hepate, & cæteris partibus humorem sibi familiarem ad intestina potiùs trahit, à quo irritata intestinorum naturalis facultas, ipsum, vt solet alia excrementa, protrudit.

Pli. lib. 25. c. 5.

Aui. 4. 1. c. 4. Mes. in canon. vniu. theor. 1. c. 2.

Cœterùm aliquando medicamẽtum vnum, & idem potest esse deiectorium, & vomitorium, & hoc vel ob naturam medicamenti, vel ægri, vel vtriusq; simul. Medicamentum si, supernatet in ventriculo molestũ est, & abominabile, quare vomitum mouet, ęger si stomachum habet imbecillum, ex medicamẽto etiam deiectorio ad vomitum proritatur. Similiter etiam ex parte tam medicamenti, quàm ægroti ex vomitorio fit deiectorium: nempe si medicamento vomitorio grata quædam, & suauia sint admista, tunc enim natura illud retinet, & ad fundum ventriculi mittit, Æger si stomacho sit robusto difficulter ad motum, motui naturæ contrarium, impellitur, & propterea potiùs eliges eam viam, quę ad inferiora ducit.

Et neq; sursum, neq; deorsum. Vario modo explicantur hęc verba. Ego existimo, Hippocratem hic vtilissimam doctrinam includere, qua nimirum sciamus, medicamenta multoties suo effectu frustrari, & neque sursum, neq; deorsum euacuare, quod idemmet in libello de medicamentis purgantibus (si genuinus est) eisdem ferè verbis exprimit hoc modo: *Eodem enim medicamento purgantur, & non purgantur.* Quod pluribus de causis accidere solet, vt in presente scheda apparet, ex qua addiscitur, medicum ad multa respicere debere, vt feliciter succedat purgatio. Miror tamen, cum nihil sit quod maiorem expostulet circũspectionem, quàm purgantis pharmaci exhibitio, quàm facilè homines sese nugiuendulis purgantia exhibentibus committant. Et quamuis Hippocrates exclamet, euacuationes nõ multitudine esse ęstimandas, illi si copiosam euacuationem videant, eã sum-

summoperè extollunt, nihil interim curantes, an talia purgentur, qualia purgari oportet.

pag. 102.

Sed te, ô Satyre, quis in hęc medica penetralia introduxit, vt deliramenta, pro more scribas? Ais nāq; medicos rationem habere in magnis remedijs temporis, & ætatis, & regionis, vt quibus variantibus varietas contingat in temperamento spirituum, & humorum, quę magnum habent momentum ad medicamenti potentioris actuationem? Humores ne habent vim ad actuationem medicamenti, ad quam solus naturalis calor incumbit? spirituum ne temperamentum cōtemplatur medicus, qui ignei sunt, & non variantur in temperamento, sed in substātia, aut quantitate? Apage sis cum tuis his ineruditis theorematibus.

Purgatio non succedit ob impedimenta.

- *Ex parte medicamenti.*
  - *Si recens non sit, sed vetustate vim suam amiserit.*
  - *Si dosis minor, quàm conueniat.*
  - *Si violentus sit, quàm natura ægrotantis postulet.*
- *Ex parte naturæ ęgri.*
  - *Ob caloris robur, propter quod medicamentum plus, quàm conuenit, alteratur.*
  - *Ob amplitudinem vasorum, & meatuum, ob quam pharmacum in corpus deducitur, nec datur locus reductioni in actum.*
  - *ob caloris imbecillitatem.*
    - *Absolutè.*
    - *Respectu assūpti pharmaci.*
  - *Ob defectum irritationis, vt si pituita reducenda sit talis, quæ prorsus mordacitate careat.*
- *Ex parte errorum.*
  - *ęgroti.*
    - *Si æger dormiat in media purgatione*
    - *Si cibum, aut potum assumat ante, quàm medicamentum suam perfecerit operationem.*
  - *astantium.*
    - *Si pharmacum non sit debitè calefactum.*
    - *Si vomitionis periculo non occurratur.*
  - *Medici.*
    - *Si pharmacum iubeat dari ventriculo famelico.*
    - *Si infelices astrorum concursus non effugiat.*

TEXTVS XIX.

IN Alimento medicina optimū, in alimento medicina malum.

PRO hypothesi constituendum est in hac sententia, pharmaci, seu medicamenti nomine, medicamentum purgans appellari, quod Hippocrati valde est consuetum, vnde medicari pro medicamento purgante vti, passim apud eum reperitur. Hoc supposito, triplicem habere sensum pręsentem contextum, dixit Pracantianus quorum duo ante ipsum fuerunt.

Primus est eorū, qui existimarunt, Hippocratem intelligere alimētum, in quo virtus pharmacię sit simul, & laudare illud tamquàm optimum: & quandoq; contradictoriè dicere, illud esse malum, vel optimum. Hanc expositionem omittit: quippe infiniti sunt alij modi, quibus permiscetur pharmacia cum cibo, ac propterea expositio deminuta est. Sed non video, cur sit deminuta: nam omnes modi reducuntur ad vnum, vt scilicet virtus alimentosa, & virtus medicamentosa sint simul.

Secundus sensus est aliorum, qui intelligunt hunc locum de cibarijs, quæ alterant, vt illa optima sint, & mala; Hanc expositionem, dicit, nō

con-

conuenire: quippe de pharmacia hoc loco est sermo, quam vocem in suo proprio significatu semper obseruauit Hippocrates: proprium significatum, vt diximus, est, vt pharmacum significet, quod purgandi vim habet; Cum verò expositio agat de alterantibus, refellitur à Fracantiano. Sed quamuis Hippocrates soleat, pharmaci nomine pharmacum purgans intelligere, neq; exemplum aliquod sit, in quo Hippocrates aliter loquatur, & sic non videtur esse expositio ad mentem Hippocratis, nihilominùs oportebat dicere, expositionem istam veram continere doctrinam, licèt parùm ad autoris mētem: vera enim doctrina, licèt interpretationi contextus non inseruiat.

Tertius sensus, quem approbat, est, ex commodis alimenti esse, quādoq; permisceri cum cibo pharmaciam, & permistionem istam quandoq; bonum esse, quandoq; malum, & hanc sententiam inferiùs Hippocrates met duobus verbis declarat. Porrò in alimento medicinam intelligere alimentum, quod simul sit purgans medicamentum (siue id arte, siue natura sit factum) rationi consentaneum est. Quòd autem sit optimum, aliquādo autem malum, diuersæ id efficiunt occasiones. Pręstat tamen hoc ex professo pertractare, vt possem ad artis opera vtilissimam.

Fern. lib. 3 meth. c. 4. Triplicem vsus notauit medicamentorū ordinem, vt Fernelius ait, vnus est malignorum, quibus vis inest venenosa, in hac serie habetur colocynthis, & scammonium; Alter benignorum, quę minimùm ab alimentorum natura defecerunt, cuiusmodi sunt pruna, violę, manna, serum lactis, cassię medulla; Tertius mediocrium, in quo sunt, rheubarbarum, agaricus, sena, aloe. Itaq; in corpore valido, sed inedia exhausto, benigni medicamenti nō valde magna portio in corporis substantiam facescit: maligni verò portio vel exigua in putredinem venenio finitimā abit: mediocris in humorem, qui foret euacuandus, conuertitur, in humorem, inquam, qui ex superuacaneorum est genere alendo corpori minimè idoneus. Hæc autem ita contingere aio, dummodò euacuatio non sequatur: nam si sequitur, nec malignum pharmacum vertitur in venenum, nec mediocre in humorem prędominantem. Cæterùm hanc doctrinam Fernelius accepit à Galeno, qui eam latissimè prosequitur. Nos verò relicto priore ordine malignorum medicamentorū, quæ, si in corpore maneant, in venenum conuertūtur: relicto etiā tertio eorū, quę conuertuntur in humorem peccantem, solùm secundum, qui ad pręsentis contextus explicationem facit, prosequemur, nempe, eorum, quæ simul sunt medicamenta, & alimenta. G. l. 3. simpl. c. 24.

Communiter dici solet, veteres nullam benignorum medicamentorum notitiam habuisse, sed solis vehementibus, & prioris ordinis, vt scammonio, veratro, & similibus fuisse vsos; Quod tamen falsum esse, constat: in primis enim Galenus prędictum triplicem medicamentorum constituens ordinem, iam admittit medicamenta benigna, atq; ait: *Quædam extra quamquòd noxam corpori nullam afferunt, etiam alimentum homini præbent.* Constat etiam, quia idemmet docens, quomodò curari debeat vitiosus succus in ventriculi tunicis receptus, adiungit hæc verba: *Sunt porrò ad huiusmodi affectus idonea pharmaca, genere quidem, ea, quæ modicè purgant, sic vt eorum vis super uentriculi, & intestinorum loca non ascendant aut si quid vltra vasa tantùm in mesentereo contingat.* Quamuis autem ibi aloen laudat, quod simul purgat, & ventriculum roborat, nihilominùs alibi non semel pruna, pręcipuè damascena, purgandi vi prædita esse inculcat, miraturq; Dioscoridem, quòd pruna exsiccata aluum sistere dixit, cum ipsa palàm subducant: Subducunt autē sua humiditate, & lentore (vt idem ipse ait) & multo magis cocta cum melicrato, siue sola sumantur, siue melicratum etiam superbibatur. Nihilominùs assumi iubet, post pruna paulùlum vini dulcis, & non statim post prandere, ne scilicet (vt existimo) cum cibo mista, (quippe ferè omni ex parte alimentosa sunt) in alimentum tunc conuertatur: quippe alimentosum medicamentum ab alimento non medicamentoso adiutum, totum abit in alimentum. Non tamen multo post cibus tardari debet, ne videlicet cogente necessitate natura alitioni, quæ magis necessaria est, inseruiens, minus necessariā

G. 3 simpl. c. 24.

G. 7. meth. c. 11.

G. 7. simp. de coccymela pruno 2. de alim. facul. c de pruno & 5. sanit. tuend. c. 9.

leuiter

leuiter purgans auxilium prorsus contemnat.

Hic tamen aduertendum est, alimenta medicamentosa non solum dici ea, quæ sic se habent à natura, sed quę ab arte fiunt; vnde Galenus sic ait: *Alia autem sunt, quæ ventrem subducunt, quòd facultates in se medicamentosas habeant commistas, similes eis, quæ in scammonio, colocynthide, belleboro, & id genus alijs conspiciuntur. Horum enim substantia ex cibo, & pharmaco est commista, vt si ipsa in ptyssana cremorem succi scammonij paulum quid injicias, qui succus etiamsi sensum quidem sic effugerit sua tamen actione minime latebit, sed aluū palàm subducet, atq; hoc esse videtur, quòd ab Hippocrate dictum est, in cibo medicamentum.* Hactenus Galenus, ex cuius verbis ne elicito, scammonium, & colocynthidem esse medicamenta alimentosa, sed ex his cum cibo permistis effici medicamenta alimentosa, qualia sunt suapte natura ea, quę hanc duplicem facultatem, & alimentosam, & medicamentosam inditam habent.

G. 2. alim. facult. c. 1.

Possunt autem harum mistionum plurima efformari, vt videre est apud Amatum lusitanum, qui diacitonitem purgatorium confecit, & marzapanes etiam purgante medicamēto concinnatos puero exhibebat. Aetius etiam exeitris cum scammonio medicamentum purgans composuit. Hoc autem solet ijs exhiberi, qui stomachum habent delicatū, & a medicamentoso sapore prorsus abhorrent. Nihilominus (vt notat Vallesius) non rectè in sanitatis tutela administrantur.

Amat lusi. cent. 4. curat. 22.

Aet.

Si quis autem dicat, hæc medicamenta semper esse praua, quia purgatiua pars alimentosam citius, quā oportet, è ventriculo expellit, sciat oportet maius esse commodum ex amplexu medicamenti, tunc cum necessarium est, vt reducatur ad actū, quàm damnum ex cita euacuatione alicuius portionis alimentosæ: quippe hoc incōmodum restaurari quidem potest, illud autem commodum præcipitem habet occasionem.

Porrò aliquando hęc medicamenta alimentosa siue natura, siue arte parata exhibere optimum est. Proinde manet vera prior pars contextus, *in alimento medicina optimum.* Altera pars, scilicet quando hoc idem sit malum, difficile est explicatu: nam medicamentum alimentosum, & subinde leue, etiam in principio, quando materia est cruda conceditur, adeò vt etiam autores, qui minoratiua (vt vocant pharmaca) in principio dari prohibent, hæc lubricantia non prohibent, vt videre est apud Brasauolum, qui omnino à minoratiuis abhorrens, leuia tamen lubricantia admittit. Cœterùm datur occasio, in qua neq; ista leuiter purgātia tutò admitti debent, videlicet in virium debilitate, quando vniuersa intentio medici restaurationi duntaxat incumbit. Siquis tamen Galenū objiciat, qui epicrasim laudat, quando euacuatione vti nequimus (epicrasis fit paulatim euacuando, paulatim restaurando) respondeo Galenum epicrasi vti, quando indicationes sibi inuicem aduersantur, hoc est, quando vires sunt infirmæ, & corruptela adest humorum: nostra verò hypothesis est, quando imbecillitas eò deuenit, vt altera indicationum deperdatur, nempe ea, quę euacuationem postulat, manetque duntaxat reficiendi occasio.

QVOMODO MEDICAMENTA alimentosa purgent.

QVÆSTIO DVODECIMA.

1 QVamuis catharsis græcè, significet purgationem, & iuxtà hoc significatum omne medicamentum purgans catharticum dici possit obtinuit nihilominùs vsus apud medicos, vt cathartica quasi per antonomasiam dicantur illa, quę electione purgant, & humorem sibi familiarem trahunt, reliqua lenientia, siue lubricantia appellantur. Qua verò proprietate certos quosdam humores trahant alterius loci est consideratio; Lenientia verò, & lubricantia sunt, quę præsenti negotio inseruiunt. Hæc in triplice

Fallo. de med. simpl. purg. c. 30. triplice differentia constituit Fallopius. Porrò eccoptica, seu lenientia sunt, quæ euacuant humores existentes in ventriculo, vel intestinis, vel primis osculis venarum mesaraicarum, quod tribus modis fieri, ait, duobus simplicibus, & vno composito: & sunt qualitas occulta, qualitas manifesta, tertio loco occulta, & manifesta simul. Sola autem illa, quę manifesta qualitate leniunt, vel lubricant, nullam attrahendi vim possidere arbitratur, reliqua duo, merito qualitatis occultæ aliquam, tametsi debilem, facultatem trahendi habere, ait: Quę debilis facultas potest inesse à natura (exemplo sunt aloe, sebesten, cassia) alia ab arte: quia scilicet minuitur dosis, aut aliquo alio modo impeditur vis trahendi. Putat ergo rheubarbarum in parua quantitate masticatum non transcendere primas vias. Contrarium tenet Mercurialis, qui ait: Merc. in lect. de componed. med. lib. 3. c. 5 *Et videbis sæpe quòd aliqui putantes lenire aluum, si deglutiant modicum rheubarbari, vehementer torquentur, & tamen aluus non ducitur: quia hæc medicamenta non possunt fieri lenientia.*

2 In hac controuersia ex vna parte tenendum est cum Mercuriali, medicamenta cathartica, vt rheubarbarum, agaricus, & reliqua fortiora, nunquam posse eò reduci, vt intra lenientium fines contineantur. Nam quod suapte naturæ alicui inest, semper ei inest. Cum ergo hæc medicamenta merito naturæ suæ habeant vim prolectandi certum humorem, & hæc est vis purgatiua in eis, si sumantur in minori dosi, quàm oportet, non propterea vim trahentem in vim lubricantem transmutabunt, sed vis trahens manebit admodùm exilis: ac propterea oritur in corpore conturbatio à medicamento trahere conante, & tamen nequeunte, sed nulla sequitur euacuatio, quia dosis non tanta est, quę possit trahendi munere fungi.

3 Tenendū ex altera parte cū Falloppio, medicamēta lenientia (quæ vt plurimùm alimentosam adiunctā habent naturā) aliquid secū habere trahentis facultatis, tametsi parū. Cōsonat hoc doctrinę Hippocratis, & Galeni: quippe H. de medic. purg. Hippocrates sic ait, *Nam & cibos alentes medicamenta esse putandū est, verùm minus, quàm illa.* Sic ille, qui cōparat medicamēta alimentosa cū fortioribus, & differentiā inter illa statuit secundùm magis, & minùs, non ergo secundùm varios G. 3. meth. c. 11 operandi modos. Galenus hoc etiam cognouisse videtur: siquidē si materia in ventriculo, & intestinis existat, facilia medicamenta, quæ modicè purgent, decernenda esse, tradit, *ita vt eorum vis supra ventriculi, & intestinorum loca non ascendat, aut si vltra transgrediatur, vasa tantùm, quæ in mesenterео sunt, contingat.* Ecce Galenus in medicamentis facilibus vim agnoscit, qua trahunt, non è longinquo quidem, sed ex propinquo. Et reuera si medicamenta lubricando, aut leniendo vias duntaxat purgare dicerentur, omnes ferè cibi præter illos, quibus manifesta inest astrictio, in purgantium serie scriberentur, imò & ex astringentibus multa, quæ abstergendi facultatem habent, hac facultate vias expedire dicerentur. Præterea si nihil his medicamentis educitur, nisi quod lubricitas viarum sinit abire, paruum quidem est huiuscemodi medicamentorum emolumentum. Quare hoc vnum certissimum est, vt humor plusquàm quotidiana euacuatione educatur, & vtilitas expurgatę primæ corporis regionis compareτur, necessarium est, vt detur aliqua tractio, quę naturam ad expulsionem inuitet, adiuuet. Porrò medicamenta alimentosa ea appellabo, quę simul cum facultate adherendi membris, facultatem habent trahendi e membris id, quod nocuum est.

4 Sed cur hanc facultatem non deferunt per vniuersum corpus, sed in propinqua regione, & non vltra operantur? An quia facultas alimētosa maior est, magisq; etiam corpori necessaria, facultas medicamentosa debilis, & non omnino naturę grata, quare citò euanescit? An etiam, quoniam cibus, quò vlterius progreditur, eò coctionibus correctus, alitioni fit accommodatior, eius verò trahendi vis, quò vlterius serpit, eò fit languidior, & tanto magis, quod debilis cum sit, citò deficit.

DE MELLE.

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

1 QVoniā de medicamētis alimētosis incidit sermo, nō abs re erit de melle, & māna pertractare, quę duo similē inter se naturā habēt, adeò vt occasionē nō leuiter disceptādi autores habuerint, vtrū scilicet mellis nomine māna ab antiquis fuerit significata, & è contrario, vtrū manna appelletur id, quod aliquibus mel esse dicitur. Igitur quòd manna purgādi vim habeat, cōstat manifestè hac nostra ętate, vtrū autē veteribus quoq; hęc eius facultas cognita fuerit, discutietur. Quod mel sit reponendum inter medicamenta alimentosa, ex eo vel maximè patet, quòd Galenus non semel, cibum maximè senibus accommodatum esse, ait, & idem ipse purgandi vim ei tribuit his verbis: *Quòd siquis citra aquæ admistionem, mel solum delingat, nutriet quidem infirmiùs, sed aluum promptiùs deijciet.* G.3.ali.facul. c.39.

2 Poeticè Plinius mellis naturā nobis sic explicat: *Ac si qui matutino sub dio fuere vnctas liquore vestes, capillumq; concretum sentiunt: siue ille est cœli sudor, siue quædam syderum saliua, siue purgantis se aeris succus.* Sic ille. Memini mè legisse apud Aristotelē, cū Empedoclem reprehendit, quòd mare dixerit esse sudorē terræ, hæc verba, *Ad poesim enim sic dicens fortè dixit sufficienter: trāslatio enim poeticū est, ad cognoscendū autē naturā non sufficienter.* Crediderim hoc schema in prędictā Plinianā allegoriā, metaphorāuè quadrare. At quicūq; dixerit, mel esse ros, per causam materialē illud definit: fit nāq; ex rore mel; Num verò admistione alterius substantię, inferiùs patebit: Sciendū interim est, apes nō rem vnam duntaxat in suos alueolos reportare; sed plures, vt ex Plinio, & Aristotele licet colligere. Plinius, *cerā ex floribus confici*, dixit *melligenem è lacrymis arborum, quæ glutinū pariunt, salicis, vlmi, harundinis succo, gumi resina*; Iuxtà hanc Plinij sententiā non rorem solum apes colligunt. Aristoteles, *instruunt* inquit, *fauos è floribus, ceram ex lacryma arborum, mella ex rore aeris.* Ecce ex diuersis rebus cellulas construūt, & alueolos muniunt, ceram fingūt, mel, cibumq; conficiunt: roridam quippe substantiā non in nutrimentū, sed in mellificiū absumunt. Hic Satyrus insurgit, & veritatem hanc, quæ solaribus radijs clarior est, cauillationibus nititur obtenebrare; Quoniam autem singula mea verba, rabie percitus, nititur lacerare, quàm inanes sint eius morsus, ordine patefaciam, & commodè vniuersam hanc quęstionem in plures diuidam articulos.

Pli.l.11 c.12.

Plin.lib.citat. c.6.

Ar.5.hist.ani. c.22.

pa. 63.

An apes melle nutriantur.
Articulus Primus.

1 A*Pes, licèt roridā substantiā accipiant, eam non in nutrimentū, sed in mellificium absumunt.* Hoc ego in meo tractatu de asitia sic dixi, hoc idē iterū libēs repeto. Tu verò hac veritatē nō recipis, poterūt tamē te, vt eā ręcipias, cogere, vel pueri ipsi, quibus sēper in ore est Virgilianus lusus; *Sic vos nō vobis mellificatis apes*; Sed heus tu, ne parui facito Virgiliū, quippe in Georgicis philosophico stylo egit, & de apibus multa nō solùm eleganter, sed verè nobis narrauit. Ille igitur, apes ad gloriā mel cōficere, dixit, de alimonia ne verbū quidē; *Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.* Sed tu Aristotelis autoritate munitus accedis, quem si rite intelligeres, potiùs ab eo abstineres, quippe tibi magis noceret, quàm prosit, quod paulo inferiùs te fateri cogam. De asitia c.12. Virg.4 georg.

2 Interim in memoriā reuocato, quod superiùs dixi, nempe nō vnā duntaxat rem apes asportare, sed multiplicē, ex multiplice autē rerū diuersitate substantias penè diuersas cōficere. Nonne tibi esse videtur aliquid, flores, & lacrymas arborū in fauos, & cerā comutare? Audi vlteriùs Pliniū: *Præter hæc cōuchitur erithace, quā aliqui sandarachā, alij cerinthū vocāt. Hic erit apū dū operantur, cibus, qui sæpe inuenitur in fauorū inanitatibus sepositus, & ipse amari saporis.* Ecce tibi Plinius offert apum cibū, quo, dum operantur, nutriuntur. Hic autem cibus, si latè accipias naturā mellis, mel etiā appellatur, aut saltē, Pliniano vocabulo, melligo. Iā ergo Plin.c.7.

go incipis agnoscere, potuisse Aristotelē, maximè vbi de mellificio nō agebat ex professo, cibū apū mel appellare, cū tamē, in suo proprio significatu, mel nō sit. Sed pergamus vlteriùs, meliora te docebo; Satis nunc sit, ostendisse ex Plinio, apes victu vti non tenui, ac liquido, sed crassiore, qualis est illa melligo, seu erithace. Quod autem in rore, quem apes sugunt, partes sint crassiores, & terrestres, verissimū est, locumq; Plinianæ querimoniæ præbuit: inquit enim, *Vtinam esset* (nempe ros) *& purus, & liquidus, & suæ naturæ, qualis defluit primò: nunc verò è tanta cadens altitudine; multumq; dum venit sordescens, & obuio terræ halitu infectus, præterea è fronde; ac pabulis potius, & in vterculos congestus apum (ore enim vomunt) ad hæc succo florum corruptus, & alueis materatus, toties q; mutatus, magnam tamen cœlestis naturæ voluptatem affert.* Vides ne, quot inquinamenta in rore Plinius reperit? Quid ergo mirum, si pars purior, & subtilior abeat in exquisitissimam mellis substantiam, crassior, & impurior in erithacen, qui cibus est apum?

3 Non est autem negandum, si alimentum apibus desit, ad mel se conuertere, (quod harum bestiolarum rectè ordinatum regimen esse indicat,) hoc autem, quod tempore inopię fit, non debet trahi in argumentum ad probandum id, quod naturę ordo postulat. Non est vana isthęc mea coniectura, imò ex Plinio, & Aristotele accepta; [Plin c.14.] Plinius sic ait: *Est autem in eximendis fauis, necessaria dispensatio, quoniam inopia cibi desperant, moriunturq; aut aufugiunt; contra copia ignauiam affert, ac iam melle, non erithace pascuntur. Ergo diligentiores ex hac vindemia duodecimam partem apibus relinquunt.* Considera ingenuè hæc Plinij verba, si ingenuitas apud te locum habet. Habent apes erithacem inseruientem, tum vt extremi faui inter se conglutinentur, vt ait Varro, [Varro.lib.3.] tum vt eo pro cibo vtantur; habent & mel, quod est earum opificium; Si apiarius in eximendis fauis auarè aluearia vacua relinquat, desperant, & moriuntur, siue aufugiunt: Si negligenter se gerat, & aluearium plenum esse sinat, apes ignauia torpebunt, non ampliùs mellificio incumbent; quare consumpta erithaca, conuertentur ad mel, a quo priùs obedienter abstinebant, ne scilicet consumerent sua pretiosa munera, dum aliunde haberent, ex quo nutrirentur. Iccirco neq; omnino in hac vindemia totum auferendum est, neq; omnino totum permittendum, sed duodecima pars eis condonanda.

[Ar. 9. de hist. animal. c. 40.] 4 Aristoteles magis hoc declarat: cum enim priùs dicat, *mel cibus earum est* (quæ verba tu putas tibi fauere, & est vnus ex tribus locis à te citatis) adiungit vlteriùs (& hoc tu non considerasti, vel subdolè dissimulasti) *Cuius rei indicium faciunt, cum apiarij eximere incipiunt fauos: quamuis enim suffiantur, vehementerq; ex fumo laborent, tamen plus mellis tunc edunt, quàm priùs: quod enim cibi causa sibi recondiderint, parciùs eo temporibus cæteris vtuntur, sed habent etiā, quo altero cibo alantur, quod quidā ceraginē, alij cereū vocant; verùm hoc deterius est, & dulcedine prope ficus congerunt id quoq;, vt cerā, suis cruribus.* Sic Aristoteles, ex quo habes, apes alium habere cibum præter mel, & hunc recondere, quare dum fumo laborant, nec possunt ad reconditum cibum accedere, melle vescuntur liberaliùs, cœteris verò temporibus parciùs; vnde eius parcimonia laudatur: *atq; apibus quanta experientia parcis.* Ampliùs Aristoteles paulò infra sic habet: *Mel apibus tum æstate, tum hyeme cibo est, sed recondunt alterum quoq; cibarij genus, cui durities ceræ proxima, quod sandaracham non nulli appellant.* [Ar. 1. de hist. anim. c 1.] Sic etiam alibi, qui est alter locus à te gloriabundo citatus, *Non desunt*, ait, *quæ cibo sui generis vtantur, vt apes, & aranei: apes enim, melle, & quibusdam alijs dulcibus aluntur.* Conficito ergo sic argumentum. Apes, & melle vescuntur, & erithaca, siue sandaracha; Erithaca quidem omni tempore, precipuè verò cum laborant, melle non nisi cum inopia premuntur. Hoc ita constituto, si quis te interroget, quis nam sit apum cibus, puto te, ni insanus es, responsurum, erithacam; siquidem hic est cibus, vt sic dicam, quotidianus, alius non nisi in occasionibus; Sic, tametsi homines tempore inopię cogantur cibis parùm vsitatis esitare, si te rogem, quisnam sit hominis cibus, [Ar. 5. de hist. anim. c. 22.] respondebis, panem: sin minus, ridiculus fies. Nec verò te deterreat locus Aristotelis, qui etiam est ex tribus à te citatis, quāuis dicat, *Cibi causa mellificant tā æstate, quàm autūno*: mellificant quidē cibi causa, hoc est, vt mellificando sibi cibū cōficiant, nempe melliginē illā: à natura enim inditū est, vt vnūquodq; agens naturale suę propriæ vtilitatis ergo operetur; quòd si hoc etiā in cōmune bonum

redundet

redundet naturæ communis, prouidentiæ tribuendum est. Igitur quamuis Aristoteles, dum ait, apes mellificare cibi causa, videtur contrarius sententiæ precitati versiculi, *Sic vos non vobis*, nulla tamen, re vera, subest contradictio; Nam philosophus respiciens ad causam cuius gratia, hoc est, finalem, rectè dixit, eas mellificare cibi causa: quippe nullum alium finem sibi proponunt, quam propriam vtilitatem: sic etiam Auicenna explicandus est, cum dixit, apes mel colligere, vt eo nutriantur, nempe quia aut hęc est earũ intentio, hęc particularis vtilitas, aut mel simul, & melliginem conficientes, cibum assumunt illum, quem parcimonia, & propria natura eas docet. Quando vero Poeta ait, *Sic vos non vobis mellificatis apes*, respexit ad efficientem precipuam: nam præcipuum opus, quo apes exercentur, est mellis confectio, quo, vti iam diximus, non vtuntur pro cibo, nisi necessitate oppressæ, quæ veritas satis ex hactenus adductis confirmata, alijs etiam coniecturis fortius stabilitur.

5 *Prima coniectura*. Non frustra apes colligunt flores caliculatos, vt Aristoteles annotauit, non frustra etiam, cum mellificatur, aggerunt suis cruribus ceram, & erithacam, vt scilicet simul cum rore duas efficiant substantias, vnam in proprium alimentum, alteram in vsum communem, hoc est, in mellificium. Ar. loc. citato.

6 *Secunda coniectura*, Cũ Aristoteles probare vellet, apes non conficere mel, sed deferre cadentẽ rorem, signũ ex eo accipit, quod mel in autũno postquam detractũ est, non reparatur, cum tamen illo etiã tẽpore flores proueniant, sed sũt flores sine rore, adiungit hęc verba; *Sublato itaq; melle, & cibo aut nullo extante, aut exiguo, repeterent certe apes munus mellis conficiendi*. Attende ad verba Philosophi, *sublato melle, & cibo nullo extante, aut exiguo*. Profectò *sublato melle*, si mel, & cibus vna, & eadem res esset, non rectè adderet *cibo nullo extante, aut exiguo*.

7 *Tertia coniectura*, Consideranda sunt hęc Plinij verba; *Neq; enim separatim vescuntur, ne inæqualitas operis, & cibi fiat, & temporis*. Quod si dicas coniungi ad sumendum cibum, quem reposuerunt, hunc autem esse mel, respondebo, si mel conficiunt, & illud præsens habent, non est, cur opere relicto ad cibum sumendum se congregent; Est ergo alia species ad cibum reposita, & ad hanc assumendam congregantur simul, & ab opere segregantur. Plin. c. 10.

8 *Quarta coniectura*. Non frustra poeta ait, *Dumq; thymo pascentur apes, dum rore cicadæ*, insinuans apes cibum conficere non ex puro rore, ex quo purum pag. 60 mel conficiunt: ideo thymum, & rorem inter se opponit. Tu vero hanc coniecturam dupliciter diluis, imò te hac coniectura dupliciter inquinas. Primo ais, apes thymo pasci, quoniam illę succo pascuntur in thymi folijs, seu floribus recepto, & insidente. Sed quæso, si Maronem prauum philosophũ esse vis, at saltem ne prauum poetam facito: nam si apes nutriuntur rore in thymo contento, & cicadę similiter rore, superflua, imò inepta esset illa oppositio inter cibum, quo vtuntur apes, & quo cicadæ. At tibi quoq; visum fuit, non sic difficultati fecisse satis, ac proinde in miserum poetam irruis, & sicut me, cuius rationes soluere non potuisti, contumelijs prouocasti, sic nũc in Virgilium, cuius sententia te conuictum sentis, contumeliosus euadis; Et quod tuam sapit ridiculosam naturam, vix finieras dicere, non esse curanda poetarum dicta, cum subito ipsius poetę autoritate vteris, vt probes, apes è cœlo lapsum habere alimentum, affers q; carmen illud, *Protinus aerei mellis cælestia dona*; de quo nos postea: nunc sufficiat, tuam ostendere inanitatem. Cęterum ne poetæ, quos offendis, maneat inulti, quam iniustus (stultijs potius) eorum sis reprehensor, tibi ostendam, nisi tu Platone, & Aristotele sapientior, hos celebres viros, qui Homeri, Esiodi, & aliorum poetarum versibus suam stabiliant doctrinam, contemnis; quin etiam Galenus, ex Homericis carminibus sibi eruit documenta; quod si a græcis ad latinos accedas, Senecam reperies multoties Maronis, Nasonis vè fulcitum versibus. Scriberem tibi hic longissimam seriem poetarum, qui de natura suis carminibus pertractarunt, sed nimius essem: nam ex antiquissimis sapientibus fere omnes ad explicandos suos sensus poesin sunt amplexi. Verum relictis omnibus Virgilium, cuius tu nunc autoritatem infringere conaris, non ne optimus fuit naturæ contemplator? Sane Varroni, qui Romanorum doctissimus censetur, & de rerum natura carmine scripsit, non cedit, vt eius georgica testantur; Altiorem etiam doctrinam in ecloga, quæ Silenus inscribitur, nobis tradidit, nec

mirum: nam ex libro Erastotenis Cyrenæi, qui nouus Plato dicebatur, multa (vt narrat Valerius Probus) accepit. Deniq; quid tecum moror? Crantor insignis philosophus Homerum, & Euripidem mirabatur, tu Rechensis philosophaster poetas in rebus physicis parui facis. Abeat igitur Antimachus Heliopolitanus Ægyptius cum suis tribus mille septingentis octoginta carminibus heroicis, quibus Cosmopæam, siue ortum Mundi, & conditionem descripsit; Abeat Xenophanes Colophonius physicus cognomento, cum suis mille versibus, quos in philosophia edidit, abeant infiniti propemodum alij, quos antiquitas celebrat, maneat solus legislator Satyrus, qui nobis præscribat, quorum scriptorum autoritate debemus vti. Sed, relicta hac amaritudine, ad mellis dulcedinem reuertamur.

9 *Quinta coniectura.* Ex varietate munerum, quæ apes exercent accipi potest. Dicebam ego, *Forsan inter se diuersa munera obeuntes, alia hoc, aliæ illo victitant cibo, vnde singulis sua nomina indidit Ælianus.* Dixi, *forsan*, sic expostulante lege coniecturæ: tu, qui demonstrationem velles, coniecturam vituperas, aisq;, nullam apud Ælianum mentionem de muneribus, aut cibis haberi; Ita est: sed nec ego dixi, Ælianum apum munera, cibosq; tradidisse, sed nomina: ex nominum autem varietate colligebam varietatem officiorum (quod quisq; facilè præstare posset) ex varietate autem officiorum colligi forsan posse diuersitatem ciborum; Coniectura hæc non placet tibi, placebit forsan melioribus. Non præteribo, quod dum ex Æliano nomina apum transtuli, cum dicendum foret *duces*, siue ego, siue amanuensis, siue typographus posuimus *dulces*. Hic magnam fundas accusationem, de qua nullam aliam vindictam volo, nisi quod omnes tale quidpiam legentes, irati tibi male precantur.

Plin. c. 14. 10 Aduersus prædictas omnes coniecturas, quibus persuadebam, mel non esse assuetum, & præcipuum victum, quo apes vtuntur, poterit adduci Plinius, qui aliquando dixit, *Vernum ex floribus constructo fauo, quod ideo vocatur anthinum, hoc idem attingi vetant, vt largo alimento valida exeat soboles.* Sic ille, qui velle videtur, vt mel anthinum relinquatur, ad largiorem apum alimoniam, & sic fortior proles exeat. Verum nulla necessitas cogit, hoc ita ex Plinij verbis colligere: siquidem satis est, vt ab eo accipiamus, non esse auferendum anthinum illud mel, ne simul etiam auferatur substantia, quæ apum alimoniæ inseruit: etenim non dubium est, in extractione mellis extrahi etiam melliginem, qua apes aluntur.

Lib. concl. 47. 11 Cæterum cum iuxta Aristotelem, & Plinium, quibus consentit Libauius, & alij, cibus iste à melle diuersus, quo vescuntur apes, sit vilissimus, & quædam veluti fæx, sandaracha, vel erithace dictus, cui est consistentia ceræ proxima, & durities, amarus, succulentus, rubeus, vel niger, sæpe repertus in fauorum inanitatibus, quæsitu dignum est, cur apes cibo isto amarulento, & abiecto vescantur, illumq; melli suauissimo, & nobilissimo præferant. Hic in primis prouidentiæ naturæ tribuendum aliquid est, quæ apibus eam indidit parcimoniam (ideo merito eas parcas Virgilius esse ait) vt velint, suum opus intactum seruare, interim viliore vtentes alimento, cuius natura homines vltra parcimoniam auaros reperies, qui deteriore contenti cibo, præstantiorem attingere non audent. Itaq; apes, quoniam laborarunt in conficiendo melle, mel, quoad possunt, repositum custodiunt; Cæterum crabones, vespæ, bombyces, fuit, musci, & reliquæ bestiolæ, quæ non laborarunt, audacter mel in victu absumunt, similes iuuenibus, qui opes, quas eorum parentes suum defraudantes genium congregarunt, prodigè dissipant. Itaq; purum mel non tam in cibum, quam in thesaurum apes seruant, quæ ideo simblides appellatur, & mel simblium, quippe thesaurum Attici etiam simblum appellant, vt refert Celius.

Cæl. Rhod. li. 28. c. 27.

12 Sed relicta naturæ prouidentia, ex qua assumpta ratio non est leuis, videtur dicendum, peculiarem etiam apum naturam esse, vt amaris delectentur, à dulcibus abhorreant, ita vt, quod nobis suaue est, sit illis ingratum. In huius rei gratiam animaduerti debet, quod, vt Aristoteles ait, *Colligunt apes ex omnibus, quæ florem caliculatum ferunt, atq; etiam ex cæteris, in quibus dulcedo est, & lingua susceptum id saporis deportant sine vllo fructuum detrimento.* Hæc verba ad mellificium pertinent, quod ex dulcibus fit: addit verò paulò intra, *Aggerunt suis*

Ar. 5. hist. ani. c. 22.

cruribus ceram, & erithacam, mel ore vomunt in cellas; Hæc autem separationem operis ab alimento indicant: nam mel, tamquam sibi parum gratum, euomunt, erithacam, tamquam suum cibum, retinent. Videbitur alicui, eas amaris delectari: & sicut capræ etiam *salices pascuntur amaras*, ita etiam salicibus, & omni amaro cibo vesci; Vnde Plinius, *genistas circumseri aluearijs gratissimum*, dixit. At genistæ amarissime, si quid aliud, quidem sunt: amarum etiam est thymum, at *thymo pascuntur apes*: rosę, & flores anthos magis amaritudinis, quam dulcedinis participes sunt. Hic se offert mel amarum, quod Galenus, sardoum esse, videtur sentire; Ruellius non Sardoum, sed Colchium; Ioannes Franciscus Mirandulanus vtrumq;. Potest hoc accidere, quoniam apes illæ debilem habent facultatem sequestrandi mel impuritate sua: sic etiam mel vnius regionis purius est, quàm alterius, vt videre est in differentia inter mel hispanicum, & italicum; quod non accidit, quia flores italici sint impuriores, sed quia apes hispanę sunt vegetiores. Verum quod apes ad nullam rem putidam soleant aduolare, sed dulcia appetant, sæpius repetito Philosophi testimonio constat; De dulcedine autem plura inferius dicam.

Pl.li.21.c.22.

G.7.simpl. de melle.

Ruell. 3. de hist. stirp. c.

Io. Frac.Mirand. de exa. vanit. lib.2.c.33.

Arist. hist. anim. c.8. & eiusdem c.1 & 4. eiusdem c.8.

13 Vt autem coniecturis vltimam manum imponam, vnam attuli in tractatu de asitia, quæ non coniectura, sed demonstratio mihi videtur: sumpta nempe ex eo, quod vno, vel altero die cellas melle repletas inueniunt apiarij: hoc non contingeret, si apes ex melle, quod conficiunt, quicquid in cibum opus habent, assumerent. Assurgis tu Rechiensi subtilitate armatus, atq; ais, me ita dicere potuisse, formicas non nutriri frugibus, quia breuissimo tempore suas caueas æstate frugibus replent. In hac tua comparatione, & valde tua, dupliciter te ineptire video. Primò quòd vnum, vel alterum diem, quo apes suos fauos replere, dixi, comparas cum non exigua æstatis parte, qua formicę in conuehendis frugibus laborant; deinde quoniam comparas apes, quę mel conficiunt, illudq; absumerent, si eodem in cibum assumerent; cum formicis, quæ non conficiunt fruges, quibus vescuntur, sed eas colligunt ex locis, vbi copiosissimæ sunt, & tum ad seruandum suppetunt; neq; vnus alteri vsus nocere potest.

14 Vidisti, & cæcus videre poterat, non esse mel id, quod apum cibus appellatur, cupiensq; effugere hanc fossam, in aliam deteriorem incidisti; Nam cum deberes dicere, cum præcitatis autoribus, non mel, sed melliginem, sandarachamue, aut erithacen esse cibum, dixisti, mel purum non esse, quo alitur apes, sed rorem melleum, siue aereum mel. In primis cum dicas, apes ali rore melleo, distinctionem roris, in melleum, & non melleum inauditam nobis insinuas: Deinde cum dicas, easdem ali aereo melle, non autem melle puro, vellem, me doceres, quæ nam est differentia inter mel purum, & mel aereum: nam hactenus putabam, nullam ex aere melli impuritatem accedere; Vlterius, si melle aereo nutriri, dicis; accipiens epithetum Virgilianum ex illo versu *Protinus aerei mellis cælestia dona*, scito, omne mel aereum appellari, quia omni melli materia inest ex rore, qui ab aere descendit, & sic nugaris, cum dicis, non purum mel, sed mel aerum esse apum nutrimentum, distinguens scilicet ea, quę nulla distinctione separantur. Si verò mel aereum vocas, quod nulla apum industria fit (de quo nos, an sit manna, inquiremus.) hoc mel apes nec tangunt, nec agnoscunt: quomodò autem eis erit in cibum? Considera ergo, quàm tibi melius esse, has compedes euitare, & ad Aristotelem, aliosq; autores te recipere, qui alimentum apum, iam nobis sępius repetitum, à melle diuersum esse, affirmant.

An ex puro rore fiat mel. Articulus Secundus.

De his qui fin. cibo li. 2.c.44.

1 EX *rore mel conficitur, non solo, verùm qui mistus ab apum ore vomitur*: Hoc ita dixi in tractatu de asitia, tu a te acceptum gloriaris: sed tu dixeras, mel substantiam esse compositam è certa specie roris, & stirpium, florumq; halitu, ac humore. Hoc ne tuum dictum, idem est cum meo? nihil minus, mi Satyre: nam ego rorem mistum dixi, nec propterea compositionem recepi ex rore, floribus, & stirpibus, sed rorem mistum, hoc est, qui simplex non

De asitia c.22

fit, sed roris quędam species, à rore tenui diuersa: quippe cum vapore illo tenui, ex quo fit ros, si ascendant simul exhalationes terreę, subtiles, tunc ex commistione vaporis, & harum exhalationum quoddam mistum euadit, seu succus quidam prædulcis, qui herbis, & floribus insidet, & ab apibus colligitur, ad aluearia conuehitur, ibiq; in fauis recluditur. Hic ros est ille, quem Plin. c. 12. Plinius ait, venire ex aere, & maximè syderum exortu, & tunc prima aurora folia arborum melle roscida inueniri, ac si quis sub dio fuit, vnctas liquore vestes, capillumq; concretum sentire. Propter hanc terreę exhalationis, quam dixi, mistionem, Ar. 4. meteor. c. 13. Aristoteles, mel terrę commune esse, ait; quod intellige non soli terræ, vt Vallesius. Vallesius optimè interpretatur; Esse autem mel terreum, demonstrat Nyphus. Nyphus: quoniam non tantum ab igne ingrossatur, sed amplius passim à frigore congelatur. Ecce tibi, quomodo dixi, rorem, ex quo purum mel fit, esse mistum; tu autem non mistum, sed compositum esse tradidisti, & tamen ignorans, quid inter compositum, & mistum intersit, me tuorum verborum dictorumq; raptorem facis; debuerat te docere Ar. 1. de gen. & corr. tex. 86 Aristoteles, compositionem non esse idem, quod mistionem.

2. Iam ergo à te non accepi istam tuam mistionem, tu illam à Plinio accepisti, quem tamen perperam intellexisti. Etenim tu vis, mel confici ex certa specie roris, stirpium, florumq; halitu, ac humore; Plinius autem vult, ex his non mel confici, vt tu putas, sed infici tantum; ergo distas à Plinio, quantum confectio ab infectione; Plinius enim, obuio terræ halitu infectum, & dum cadit sordescens, & succo florum corruptum esse, ait. pa. 63. Plin. c. 12. c. 15.

3. Ego verò rorem hunc, quem tu compositum appellas, Plinius infectum, materiam esse dico, ex qua conficiuntur plures substantię, nempe mel, sandaracha, siue erithaca, seu melligo, & cera: ex his pars crassa abit in alimentum bestiolarum, in ceram, & in substantiam, qua fauorum extremitates conglutinantur, pars autem tenuior in mel. Hoc valde explicitè nobis sic tradit Arist. Aristoteles: *Construunt fauos è floribus, ceram ex lacryma, mella ex rore aeris, syderum exortu potissimum, & arcus cœlestis incubitu contrahunt*. Ecce tibi quid ex vnaquaq; re, totam massam componente, fiat. Cęterùm dicis, hic nullam tibi apum mentionem fieri; non, ne mentionem cerę facit? at cerę nomen genericum est, amplectens, & ceram, qua faui construuntur, & substantiam cibi, Ar. 9. de hist. ani. c. 9. quę cerago, seu cerea, vt Aristoteles refert, appellatur; Iamq; tibi superiori articulo dixi, mellis nomine omnia, quę in aluearijs sunt, comprehendi, vt sic intelligas, materiam istam, quam Aristoteles in mel, & alias substantias diuidit, generico vocabulo mel nuncupari. Non prætereibo hic cauillatiunculam tui ingenij indicem. Dixi, apes haurire sibi è floribus partes tenuiores, & crassiusculum quidpiam assumere; pa. 60. Tu me mihi contrarium facis, qui pro eode habeo tenuius, & crassius: ego autem te tibi similem facio, qui ignoras, crassum, & tenue suam habere extensionem, ita, vt possit parti tenui aliquid crassiusculum, vt dixi, adherere, & sic substantiam nec esse valde crassam, nec penitus tenuem. Apes ergo hauriunt sibi è floribus partes tenuiores, non tamen penitus crassitudinis expertes, hanc loquutionem, quam tu ignoras, ne tyrones quidem ignorarent.

4. Perge igitur, nobis porrigere mel istud tuum factum ex rore, & humore ex stirpibus proueniens. *Adeo multus est*, inquis tu, *huius, & roris de cœlo prouentus, & humoris tenuissimi de stirpibus exitus, vt sine apum industria mel de plantis mane à rusticis colligatur*. De his qui sine cibo c. 44. Duas istas substantias inter se valde distantes, rorem, & stirpium humorem in vnam mellis substantiam congregas; à quo nam facta est isthęc congregatio? non à calore Solis, nam Sol disgregat eterogenea: qui enim potest calor solaris, ex his duobus efficere vnum? posset sanè vnumquodq. istorum concoquere, & incrassare, sed vtrumq; permiscere nequaquã Auicenna. potest. Deinde dic mihi, nonne ex Auicenna, quem citasti, ros cadens supra saxa in mel concrescit? At ex saxis, quos halitus, quem stirpium succum, posset ros sibi permiscere?

5. G. 3. alim. facult. c. 39. Addis rationem validissimam; Cum enim Galenus dicat, *Rustici coria supra terram extendentes, & arbores excutientes, quod ab eis defluit, excipiunt, & ollas, & fictilia melle implent*. Tu hinc apertè colligi posse, arbitraris, mellis materiam non esse à puro terrę, aquarumq; halitu condensato in speciem roris, sed partim ex rore, partim etiam ex halitu, tenuiq; humore stirpium. Sed quomodo

hoc

hoc colligis? nempe sic: *Secus enim haud necesse foret, melaereum in mõte libano colligi excussis arboribus: namquè sternentes coria, præcisis arboribus ac extra locum arboribus consitum, vel etiam inter vnam plantã sinè illarum excussu mel etiam colligeretur.* Hic tibi respõdebunt rustici ipsi, dicentq; nolle se, nemus præcisis arboribus distruere, cum absq; præcisione ista nullo labore, nullis impensis, quantũ mellis libuerit, colligere possint; Colligunt illi adeò multum in vna hora, vt ollas, & fictilia repleant: quorsum ex arborum scissura tardum expectabunt stillicidium? Deinde, cur coria extenderent extra locum arboribus consitum, cum mel non cadat, nisi in nemus arboribus consitum? Vis ne, vt expectent è cœlo pluuiam in loco, vbi non pluit? Amplius, cuperes, vt coria extenderent inter vnam, & alteram plantam, at hoc ita eos fecisse, certum est, sed coria inter vnam, & alteram plantam extensa adhuc erant sub arborum ramis, quippe plantę sua brachia latè expandunt. Sed tu nolles, vt excuterent ramos: & sic quidem sinè excussione, non dubito, mel colligerent; verùm cur tu aut industriæ, aut auaritiæ limites vis pręscribere? sanè rustici illi vltra mel, quod sponte in coria cadebat, adhuc excussione ramorum sibi maiorem quantitatem comparabant. Video te semper rebus minimis occupatum, & tamen circa minima proteruientem. G. 3. loc. aff. c. 5.

6 Sed quoniam, te non desiderare Galeni testimonium, ais (quod in tua grammatica est Galeni testimonium habere) & eius verba diffusè recitas, quę ego inferiùs etiam recitabo, nunc priora eius verba consideranda propono. *A plantis* (inquit Galenus) *& ab animalibus mel est secretum: & quidem mel oritur in plantarum folijs:* (addis tu pro tua benignitate, & floribus) *est autem neque succus earum, neque fructus, neq; pars, sed eiusdem est cum rore generis: nec tamen assiduè, nec copiosè, vt ille prouenit.* Hæc ne tu verba tibi fauere putas? at vident omnes, ea aduersùs te prorsus facere. Nam in primis, si mel à plantis, & animalibus est secretum, & quamuis oritur in plantarum folijs, non est succus earum, neque fructus, neque pars, cur tu ex stirpibus, & earum halitu, atque humore mel compositum esse vis? Profectò Galenus non sibi constaret: siquidem promittens se daturum alimentum diuersum ab animalibus, & plantis, nobis daret mel à plantis susceptum. Deinde cum Galenus dicat, mel, & rorem esse eiusdem generis, qui fieri possit, vt mel sit compositum, ros quidpia simplex, & sic differant toto genere?

7 Recita igitur vlteriùs Galeni, quæ sequuntur, verba. *Memini aliquando* (subiungit ipse) *cum æstate super arborum, ac fructuum, herbarumquè folia mel quàm plurimum fuisset repertum, agricolas velut ludentes cecinisse, Iuppiter melle pluit. Præcesserat autem nox* (*vt per æstatem*) *benè frigida* (*nam tunc tempus anni æstiuum erat*) *pridieq; calida, & sicca fuerat aeris temperies. Peritis quidem naturæ interpretibus videbatur halitus è terra, & aquis à solis calore sublatos, ac deinde exactè attenuatos, ac coctos à frigore sequtæ noctis concretos coaluisse.* Sic Galenus; Memineris, me superiùs dixisse, ex commistione vaporis aquei, & exhalationum terrestrium euadere succum, qui ab apibus colligitur. Quid ergo nunc dicunt periti? nempe halitus è terra, & aquis sublatos, & postea à frigore concretos illam mellis pluuiam fecisse. Iam ergo me, saltem precariò inter peritos naturæ interpretes, siquidem cum eis sentio, poteris recensere, ego vicissim te inter cynicos rabidos, in quorum numero vis esse, annumerabo. Cæterùm quoniam mel istud absque apum industria prouenisse narratur, iam hinc velim, vt cogitare incipias, non fuisse verum mel, quod nos infra ex professo disputabimus.

8 Addis aliam rationem à mellis bonitate, malitiauè sumptam; quippe *nil boni, maliuè* (ais tu) *melli à plantis inesse posse videtur, præter succi, vel halitus communicationem: nam stirpes solo contactu externo, sinè vllius substantiæ, aut halitnosæ, aut solidioris communicatu, nullam bonitatem, malignitatemuè corporum impertiri posse videntur, & eò minùs tenuitatem partium, quam mel à plantis calidioribus non sortitur, nisi ab illis ebibito halitu, vel humore tenuiore, quo mellis consistentia tenuetur tum breui temporis tractu: plantis enim calor actu non inest, quo mel attenuent, sed habitu solùm.* Duo hic vis ex succo stirpium, & halitu melli accedere: vnum bonitatem, malignitatemuè: alterum substantiæ tenuitatem. Quoad primum, putas ne, non posse qualitates communicari absq: corporum communicatione? forsan te fallit, quòd accidens non potest transire de subiecto in subiectum: at hoc intelligitur, non posse vnum subiectum subire, altero relicto; verùm propagatio Mercur. varia lect. Scalig. exerc. Licet. de nat. mellis.

gatio qualitatum, cui non est nota? non ne tu à calore incalescis? & illud, quod puero ascendebat è crure in caput, quod epilepticum symptoma inferebat, non ne ex sententia Pelopis præceptoris Galeni erat qualitas? Potest ergo ros adhæsu foliorum, florumuè, priusquàm ab apibus colligeretur, qualitatibus imbui, nulla inde accepta substantia, nulla facta substantiarum permistione. Quare cum Galenus, cuius verba transfers, dicat, *Videtur autem & ex plantis, in quarum folijs colligitur, boni, maliuè quidpiam ipsi accedere*, intellige accedere ex contactu, *Vuaq; liuorem contacta ducit ab vua*, non ex transmissione substantiæ, nisi velis atomos recipere, quod nunc, cum communem doctrinam sequimur, non est admittendum; in meis enim meteoris microcosmi viam peculiarem sequutus, atomos admittere mihi placuit, neq; enim quicquam prohibet, posse eum, cui doctrina communis est nota, aliquid supra vulgarem sortem, citra tamen veritatis offensionem, in propatulo exponere: quod Hippocratem fecisse, ex libris de dięta, & libello de flatibus constat. Tu verò crebro mihi tritam, & vulgarem scholarum disciplinam sequenti, sententias mei libri de meteoris microcosmi, tamquàm contradictorias, obijcis; quod si saperes, non faceres: quippe ea, quæ tibi videntur dissonare, ex sublimiorem mentem habentium sententia, consona sunt. Vnde tibi non impunè isthęc est rabies; vident quippe omnes, te mea argumenta non soluere, & irrident.

G. 3. loc. aff. c. 1.

9 Sed ad institutum reuertor. Monstraui, non esse necessariam tuam illā compositionem ex rore, & succo stirpium, vt mel, ex ea constans, bonitatem, prauitatemuè contrahat, sed sufficere communicationem qualitatis, quæ propagari potest, & sui participem vicinam quamlibet substantiam reddere. Quod verò attinet ad alterum, nempe ad tenuitatē, quorsum quęris substantiā rore tenuiorē, quę ei adiūcta efficiat, vt mel tenues habeat partes? an putas, succos stirpiū esse tenuiores rore? an in melle, quàm in rore tenuiores agnoscis partes? fac quęso, vt ouum melle plenū per hastam ascendat, sicut ascendit plenum rore; profectò nec pruina, nec alia quæuis impressio hoc efficere potest: efficit duntaxat ros, quia cum ex tenuissimo vapore fiat, resoluitur in aerem, qui calefactus intra oui putamen leuitat. Neq; est, qui dubitet, materiam roris non esse quemlibet vaporem, sed tenuissimum quendam, à solaribus radijs eleuatum: si enim crassior foret, vtiq; antiperistalin pateretur, per quam fieret grando. Porrò cum Galenus dicat, *Laudatissimum in locis mel gigni, in quibus thymus, & aliæ quædam herbæ, ac frutices temperamento calidæ, & sicca affatim proueniunt*, non ideò sentire videtur ex istarum plantarum succo mel fieri: quippe nullius plantæ succus rore tenuior esse potest, imò neq; halitus: sed significat, ex plantarum calidarum vbertate caliditatem illius loci agnosci, à loci verò caliditate mel tenuius euadere, & laudabilius: quippe à calore eximio fit partium excrementosarum à puris separatio, remanetq; mellis substantia & purior, & subtilior, vtpote ab excrementis crassioribus rite sequestratum. Non igitur est, cur tenuitatem in melle quæras ex succo herbarum, quem, falsò putas, esse rore tenuiorem.

10 Autoribus deinde tuam istam roris compositionem munire vis, quos tamen nihil tale somniasse, manifestè constat. *Aristoteles*, inquis, *mel non refert inter pura meteora*. Sed quodnam mel intelligis? num illud, quod opificio fit apum? at hoc quomodò potest esse meteorum, si est artefactum? mel quidem oleo comparat, & sicut oleum ex oliuis arte extrahitur, sic mel ex rore arte conficitur. Nonne tu ipse narras, in Africa quandam gentem esse, quę supra syrtes, & Carthaginem incolit, Gyzantes vocata, hancq; exercet artem, vt flores in istis locis colligat, melq; ea copia, & qualitate ex iis conficiat, vt apum ęquet mellificium? Profectò isti ita apes imitantur, vt AEgyptij gallinas: quippe, vt refert Scaliger, In ea regione; pulli ex ouis, calore fornacis, excutiuntur. Ego dixi, Gyzantes ad imitationem apum mel conficere, Libanius tamen vlterius progreditur, apesq; vicarias esse, ait, humani laboris: quippe homines, qui possent mel conficere, si vellent adhibe e ingenium, id operis apibus relinquunt, maluntq; otiosi alieno frui sudore.

Mercur. varia lect.

Scalig. exerc. 23.

Libau. de nat. mellis.

11 Itaq; non erat, cur Aristoteles mel istud apum inter meteora numerasset, mel autem aereum, quod citra apum ministerium fit, & nos infra, an verum mel sit, disputabimus, si tu non vis, esse meteorum, sed quidpiam ex rore,

re, & humore stirpium compositum oportet, vt hanc compositionem in aere fieri, illucq; stirpes suum mittere succum statuas. Sed audi, quomodo tuam hanc compositionem infringat Libauius. *Cum in desertis Arabiæ, & Lybiæ nudis item mel aereum inueniatur, non est, vt putemus, à floribus, per Solis radios, resolutum succum euehi: quæ enim florum humiditas resoluta tantæ copiæ mannę sufficiat? Vnde sit illa in locis, vbi flores sunt paucissimi, & syluæ admodum raræ, nisi ventis conuehi in vnum locum absurdè velis, cum maximè cadat manna tranquillis noctibus.* Sic ille, vnde tua isthęc proteruia posset flecti. Sed tu addis adhuc, Aristotelem determinasse, mel esse à prædominio terreum. In quo dupliciter te ipsum prodis, primò quod dicas *à prædominio*, quod Aristoteles non dixit, sed mel esse terrę, hoc est, pertinere ad terram, deinde quòd dicas, me falsò caput tertium citasse, cum caput septimum citandum foret: existimas namq; omnes codices vnam, & eandem habere diuisionem, in quo irridendus sanè es. Meus quidem codex per summas diuisus, caput tertium facit, quod tuus forsan aliter diuisus in septimo reponit. Est autem meus codex ex officina Iacobi Stoer celebris typographi Anno M. DC. VIII. Itaq; Aristoteles dixit, mel esse terrę, hoc est (quod iam tibi superius satis inculcaui) terreæ exhalationis particeps, non autem (vt tu putas) terreum dicitur, quia ex humore stirpium est compositum. Ad Platonem te confers, eumque in Timæo perspicuè reponere, ais, mel non inter liquores, quos cœlo pluat, sed quos è solo radicibus haustos plantę destillent, vt gummi, pix, oleum, balsamum, & id generis. Verùm Plato non est cibus tui palati, viderisque mihi permutationem facere, qualem apud Homerum Diomedes, & Glaucus faciunt, vt prouerbium, quo vsus est Iustinianus, in te iactetur. Lege igitur Marsilium Ficinum in hunc Platonis dialogum, quem tu citas, & tibi demonstrabit, quantùm Rechensis tractus ab Atheniensi distet. Hæc sunt Ficini verba. *Inter hæc de mistis imperfectis agitur, & de perfectis, de liquoribus, & lapidibus, & metallis, Sed hæc fermè omnia, Pythagorico more, sub obscuris metaphoris inuoluuntur: apertioribus autem verbis Platonem auditoribus tradidisse putamus, & Aristotelem præ cæteris manifestiùs ea literis commendasse.* Sic ille. Non oportet igitur, vt Platonis oraculum consulas, nisi interprete Aristotele, ex cuius scriptis, quid elicere possis, iam vidisti. Plinius, quem tu tuo modo explicas, tibi nihil fauere potest: mel enim sordescens est succus, & obuio terrę halitu infectus, succo florum corruptus, & cœtera, quibus Plinius de impuritate mellis conqueritur, non quòd hæc inquinamenta ad essentiam mellis pertineant, quod indicat idem Plinius ibi inquiens, *Vtinamq; esset & purus, ac liquidus, & suæ naturæ qualis defluit primò.* Galenus etiam, quem adducis, facit contra te: siquidem ait, materiam, ex qua mel generatur, esse rori congenerem: at iam tibi superius dixi, non esse congenerem rori, si sit composita ex rore, & succo stirpium. Congenerem ergo appellat, quia, vt ros purus ex vaporibus fit, sic iste impurus ex vaporibus simul cum exhalationum aliqua portione.

Libau. tract. probl. de nat. mel. n. 3.

Ar. 4. meteor. c. 3.

Adagium. Iustinian. in procemio pandect.

Marsil. Ficino in compendio Timæi c. 40.

De Mellificio.

Articulus Tertius.

1 SVB mellificij nomine comprehenditur totum illud opus, in quod apes incumbunt, siue ad construendos fauos, siue ad obserandas cellas, siue ad cibum in substantiam exquisitam, quam non sibi reponunt. Omnia posse cedere in apum alimentum, certissimum est, sed aliquod præcipuum esse, diximus, & quotidianum, alterum nonnisi tempore inopiæ. Adeò autem studio mellificij delectantur, vt quamuis reliquis viuentibus pręcipua sit intentio prolis propagatio, nihilominùs, teste Columella, *apes magis mellificijs, quam fœtibus student*. Cœterùm de mellificio multa tum Aristoteles, tum Plinius, tum etiam Maro, atq; alij complures, qui de re rustica scripserunt, nobis miracula narrarunt; Quare pauca mihi dicen-

Col. l. 9. c. 13.

da supersunt. Porrò apes rorem illum, quem mistum exhalationibus ter-
Mendacium. reis diximus, ore accipiunt, qui ros mistus ab apum ore vomitur. Ego
itaq; de rore dixi, tu, de melle me dixisse, ais; non ne in meis scriptis est, qui
mistus, hoc est, ros, masculini generis? Cur ergo tu transfers *quod mistum*, pa. 63.
nempe mel neutrius generis? Et tunc fraudulenter a me quæris, cui mistum?
at ego, mel non magis mistum esse, agnosco, quàm fuit mistus ros, ex quo est
factus. Iam ergo hæc calumnia cum tuo opprobrio est diluta.

2 Quæsitu autem dignum est, quid in mellificio apes conferant; Nam
Ald. de insectis l. 1. p. 117. Vlysses Aldrouandus, Herus ille tuus, cuius in sculo victitasti, rorem istum
mel non esse, ait, nisi ab apibus colligatur, cogaturq; nam cum sponte cogi-
tur, fit, quod manna sicca nuncupatur, sin non cogatur, tunc fit manna li-
quida, eaq; est, vt ros congelatus, viscida, & gustui maximè iucunda. Ex altera
Ar. 5. de hist. ani. c. 22. parte quid dicendum Aristoteli, qui *Mel*, ait, *non ipsas deferre apes, sed rorem can-
dentem deferre*, idq; probat duplici argumento? Vnum est, quia vno, vel altero
die cellas melle replent, quod non fieret, si apes aliquid vltra conferre de-
berent; alterum est, quòd autumno, licèt flores tunc non deficiant, mel,
postea quàm detractum est, non reparatur, deficiente scilicet rore? Dicen-
dum tamen est, præter rorem, quem apes accipiunt, nullam aliam materiam
melli faciundo præstari, & sic Aristotelis rationibus fit satis; cœterùm, for-
mam mellis intra corpus apum acquiri, & sic Aldrouandi sententia constat.
Insurgis tu Satyre, & citra apum industriam mel confici posse, conquisitis
vndiq; exemplis tenaciter defendis, quorum tamen vis multipliciter infrin-
gitur. Nam quod attinet ad Gizantes, de quibus superiùs egimus, nihil tibi
fauent: nam satis est, quòd mel apud eos arte fiat; neq; enim, quamuis Ægy-
ptij in fornacibus pullos excutiant ab ouis, dicendum est, non esse necessarias
gallinas ad excutiendos pullos, nam nouum istud hominum inuentum equi-
pollet veteri inuentioni naturæ. Quod affers ex Æliano, non est omnino
certum; quod tu tamen subdolè pro certo nobis das: inquit enim ille.
*In Media mel ex arboribus stillare: &, vt ait Euripides in Bacchis, in Cithærone
dulces ex ramis guttas manare: in Thracia quoq; ex plantis mel fieri, dicitur.* Tu ve-
rò illud *dicitur* abstulisti, verborum improbus sufurator. Cœterùm quam-
uis certum sit, mel sponte manare, pro melle intellige mannam: quippè (vt
tibi paulò post demonstrabo) mel aereum non est verum mel, sed species
mannæ, quod ex verbis Aldrouandi superiùs citatis poteras cognoscere: si-
quidem mel, quod ab apibus non colligitur, sed sponte cogitur, mel esse ne-
gat, mannam verò esse affirmat. Nec tu nomine mellis decipiaris, nam
Strabo. dulcem liquorem communiter mel appellabant veteres; Vnde Strabo ait,
in India arundines sinè apum auxilio, mel ferre suauissimum; putas ne illum
de verò melle agere, an de saccharo? Et tamen appellat mel. Si verò tibi
concederem, aliquando melle pluisse, non inde argumentum deducere tibi
Cœl. Rhod. lib. 6. c. 6. licet. Nunquid quia (vt narrat Cœlius) Augusti temporibus è taberna me-
ritoria, trans Tyberim oleum erupit, & tota fluxit die, poterimus colligere,
oleum sinè arte posse sponte emanare? Quare desine cumulare historias, ex
quibus nihil addiscendum, aliquid tamen mirandum poteris elicere.

Ar. 5. hist. animal. cit. 3 Porrò apes rorem, quem collegerunt, ab ore vomunt, quod Aristoteles
refert: *Mel* (inquit ille) *ore vomunt in cellas*, à quo Plinius accepit. Vtrùm
Plin. lib. 11. c. 12. vomant liquorem mellis, an alia parte reddant, alijs disputandum relin-
quit. Cœterùm citra disputationem Aristoteli adherendum est; Quare mel
Colu. li. 9. c. 2. vomitus apum meritò dici potest; Vomitum ego istum fieri necessariò dixi,
addidiq; *Neq; enim aliter dulcesceret: sapor dulcis optimæ mistionis, perfectæq; coctio-
nis est index.* In his paucis verbis oculatissimus homo tria conspicis à vero
procul; quòd autem à vero procul tibi esse videantur, non est obiecti vitio, sed
tui visus, imò tuæ mentis, quę, vt hactenus ostendi, erronea est; Sed videa-
Adagium. mus hos tres meos errores, seu has tuas tres calumnias, fortassis tuę te istę den-
tate mordebunt chartę.

Prima Calumnia.

1 NON placet tibi, quòd dixerim, mel non fore dulce, nisi vomatur ab apum ore, ais q; mel dulce esse in floribus, ac frondibus, antequàm inde colligatur ab apibus: quod multiplici experimento constare affirmas, ac veterum testimonio, recentiorumq; obseruatu. Hoc experimentum, hoc testimonium, & obseruatum, ad mella reducis, quæ absq; apum industria fiunt; Ideo affers Ælianum, qui in Thracia, in Media, & in alijs regionibus melle pluere narrat, affers & alios complures, prout es rebus nihil ad rem facientibus chartas implendi cupidus. Nihil isthæc tua exempla ad rem facere, inquio, quia tu, vt probes, quod probandum proposuisti, nempe mel dulce esse *antequàm colligatur ab apibus*, affers exempla mellis aerei, quod nunquam colligetur ab apibus. At si dulce est, *antequàm colligatur ab apibus*, illud *antequàm colligatur*, indicat posteà colligendum esse: mella tamen ista, quę nobis narras, tu ipse, non subire apum industriam, fateris; quare iam in hoc ridiculus censendus es, qui dicis, mel aerum, quod nunquam ab apibus colligetur, dulce esse, antequàm colligatur ab apibus. G. 4. simp. c. 5. / Au. 4. mete. / G. 4. simplic. 7. / G. 3. aph. 64.

2 Forsan vis argumentum ita conficere: Si mel aereum, quod non colligitur ab apibus, per se ipsum dulce est, erit etiam dulce per seipsum mel, quod colligitur ab apibus; At, si sic volebas dicere, omittendũ erat illud *antequàm*. Deinde neq: sic effugis ineptiam, imò incidis in tuę logicę corruptelam. Nunquid quia mel, quod sinè vllo opificio è cœlo manat, dulce est, ideo mel, quod indiget opificio, citra illud opificium dulce erit? Deinde etiam mel, quod defluit è cœlo, iam mel est, siue manna; at mel apum, antequàm ab ore apum euomatur, non est adhuc mel. Tandem putas ne in rore, qui ex thymo, ex flore libanotidis, ex rosa, & alijs similibus colligitur, ante quàm ab apibus colligatur, tantam habere dulcedinem, quantam habet mel, quod omnis dulcedinis symbolum est? Quare in problemate, quod proposuit Sãpson, *De comedente exiuit cibus, & de forti egressa est dulcedo*, pro dulcedine symbolicè, seu allegoricè mel intelligitur, & in psalmis ad exaggerandam dulcedinem dicitur, *Dulciora supra mel, & fauum*. Putas ne, inquam, tantam istam dulcedinem inesse rori, antequàm colligatur ab apibus? Quòd si quęras, vnde nã eis facultas tantam dulcedinem producendi, mittam te ad occultas qualitates, de quibus iam supra dictum est, & quęram vicissim, vnde nam araneis facultas conuertendi in venenum, quicquid, vel optimæ naturę assumpserint, quarum tę imitatorem esse tuæ istę calumniæ palàm faciunt. error in logic. / Iudic 14. / Ps. 18.

Calumnia Secunda

pa. 64. 1 OBijcis mihi secundum absurdum, quòd pono, dulcedinem esse indicium optimæ mistionis, & perfectæ coctionis; Et quamuis tu alibi argumẽta ab spagyricis ducta reijcias, nunc spagyricũ vis agere, inquisq; hanc meã positionem negaturos spagyricos, quos rectè statuere existimas, aurum perfectiore coctione, melioriq; mistione gigni, constareq; quàm plumbum, cũ tamen in plumbo saporem dulcissimum percipiant, in auro nullam dulcedinem gustus agnoscat. Adeò philosophicis principijs consonum est, dulcedinem optimæ mistionis, perfecteq; coctionis sobolem esse, vt te, qui hoc negas, solùm ob hanc culpam possint Studij Patauini Moderatores excellentissimi tibi stipẽdium denegare. Ita ne audes veritati manifestę, & veritatis amatori Aristoteli contradicere? In melle versamur: nolo aliunde, quàm ex loco, vbi Philosophus de melle agit, autoritates conquirere. Ille igitur hæc verba nobis scripta reliquit. *Crassescit autem mel concoctum iam tempore: initio enim, vt aqua, dilutum est, & primis diebus sinè crassitudine cernitur, quòd si exemptum eo tempore sit, crassitudine caret, tum vigesimo maximè die spissatur. Indicium perfectionis in sapore potissimum est: dulcius enim, quod crassius.* Putasti ergo mihi contradicere, & Aristoteli contradicis; Qua fronte id facias, tu videris. Iam ergo habes, mel, vt cœtera omnia, coctione incrassari, incrassatum dulcescere: ecce co- Ar. 5. de hist. animal. cit.

ctionis soboles dulcedo, habes insuper in sapore, nempe dulci (is enim est sapor optimus) perfectionem consistere: at perfectio misti in optima mistione consistit; ergo & perfectę coctionis, & optimę mistionis soboles, atq; index dulcedo est.

2 Deinde dulcedinem perfectę coctioni deberi, inde apparet, quòd dulcis sapor ex calore mediocri, & substantia non admodùm crassa ortum ducit; talis est substantia perfectè cocta, vnde linguæ apposita moderatè aperit, moderatè calefacit, moderatè humectat, & moderatè, citraq; violentiam apertos linguę meatus subintrans ibi manet. Quo fit, vt natura in tali temperie gaudeat, plurimumq; oblectetur: Præterea quod maximè nutrit, maximè est coctum, & elaboratum: dulce autem est, quod nutrit. Sed quid plura congero, ad destruendam falsitatem, quę, vt dici solet, mole ruit sua? Non ne maturatio coctio est? debuerat te hoc docuisse Aristoteles; Sed quid ad maturationem fructuum consequitur? nempe dulcedo: Hoc ne tu, præter communem omnium assensum, negabis? Adire licebit tibi Galenum, qui fructus initio acerbos, maturatione dulces fieri, ait. Tandem exemplo lactis (quod Galenus facit) mellis naturam tibi explicabo. De lacte ita inquit; *Sic autem in sanis, si non benè concoquatur, in quibusdam acescit, in quibusdam autem in nidorem abit: in ventriculo quidem frigidiore prorsus acescit, in calidiore verò in nidorem abit. Lac verò benè concoctum nutrit, &c.* Lac igitur vitiosum vel acescit, vel nidorosum est, benè autem coctum nutrit, hoc est, dulce est: quippe, vt iam diximus, dulce est, quod nutrit.

G.4.simp.c.15

Ar.4. mete.

G. 4. simpl.c. 7

G.5.aph.64.

3 Sed accedo ad spagyricos, quos, tu ais, aurum benè concoctum nullo sapore preditum dicere, plumbum verò nec perfectè coctum, nec optimè mistum dulcedinem habere. In primis memineris te perperam à metallis ad vegetabilia argumentum ducere, deinde falsum esse id, quod proponis: neq; enim apud spagyricos plumbum dulce, sed insipidum censetur; Vnde Libauius *Quædam, inquit, sua natura insipida, solutione fiunt sapida, vt plumbum in calcem, vel liquorem deductum dulcescit.* Sed tu hinc forsitan colliges, dari modum aliquem, quo plumbum dulcescit? Respondebo similiter, etiam dulcescere aurum; Lege spagyricorum principem Paracelsum, qui sic ait; *Porrò sunt etiam aquæ quædam ex acetositate genitæ, aut alio linguæ gustu perceptibiles, vt sunt aciduleæ, & similes. Harum ortus est ex resolutione metallorum antequam ad maturitatem peruenerint. De his ergo primum hoc sciendum est; quem gustum metallum quoduis ante maturitatem præbeat: aurum enim, & plumbum dant dulcedinem,* & cœtera, quæ prosequitur de reliquis metallis. Sed quorsum confugis ad spagyricos, cum quibus nulla tibi affinitas est, & Aristotelem protomagistrum deseris, ad cuius dogmata explicanda te in Studio Patauino insinuasti? nempe, non facit ad mores Aristotelica doctrina tuos. Igitur magnus Philosophus pręter iam dicta, iterum alibi ait, *Minus etiam suauia sunt, quia minus cocta: coctum enim in quouis genere dulcius est*; Et Aristotele maior Hippocrates tuam tibi improperat stultitiam inquiens, *Omnia, quæ coquuntur, semper dulcia euadunt*. Sed de melle iam satis. Cadant ergo calumnię tuę in caput tuum, dicatq; tibi Suidas

Libau. lib. 2. tract.1.de magister.c.17.

Par. tom.8. li. 3.de nat.aquis c.de aquis gustatilibus.

Ar.3.gen.ani. c. 1.

H de aer. aqu & loc.

Suid.in verbo ἀγνὸς

Aranea ignorat liberos, vt educet.

Quis enutritis, interit à charissimis.

Quod in eos iactari iubet, qui contra semetipsos aliquid moliuntur.

DE MANNA.

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

1 IN veterum, tum græcorum, tum etiam latinorum monumentis manna reperitur, quam, aliqui existimarunt, eandem esse cū manna Arabum; qua medici ad aluum soluendam communiter vtuntur; Sed magno quidem errore, in quē lapsus est Serapio, mannam thuris, cum manna roris confundens: est namq; manna thuris, sic à Dioscoride appellata, ea, quam Galenus sæpissime mannam simpliciter appellat, videlicet id, quod thuris pollinem dicimus: Diuiditur namq; thus in tres partes vna est propriè thus, altera

thuris

thuris cortex, tertia puluis eiusdem, quem Plinius micas thuris concussu elisas, mannam etiam vocat. Itaq; Serapion vtramq; mannam simul coniunxit, & in eandem foueam incidit Petrus Crinitus, quem iccirco arguit doctissimus Manardus. Diuersę quidem res sunt, imò planè contrariam naturam habentes: quippe manna græcorum, seu puluis thuris eandem vim habet cum thure, vt dixit Dioscorides, at thuri astringendi vis inest, mannæ autem Arabum soluendi facultas. Itaq; in præsente non de manna thuris, sed de manna roris agendum est, quod semel, ad totius controuersiæ intelligentiam, sit dictum. Pl.l.12. c.14. Petr.Crin. de honesta disciplin.li.25.c.7. Manard.lib.4. epist. 2.

An apud græcos, præcipuè apud Galenum, mannæ soluentis aliqua fiat mentio.


Articulus Primus.

1 AVerrous, *Inueniuntur*, ait, *manifestæ aliæ medicinæ apud medicos, quæ non sunt testificatæ à Galeno*: deinde numerat myrabolanos, & alia, tandemq; accedit ad mannam, cujus vim purgatricem describit. Hanc vim purgandi Galeno fuisse ignotam, vnusquiq; agnoscit: quippe nulla eius, apud eum, mentio habetur. Quare patet, deceptum fuisse Mesuen, qui (vt Fuchsius, & ipsius Mesuęi interpretes annotarunt) falsò adscribit Galeno medicamenta purgantia composita ex manna, & alijs solutiuis. Cęterùm an mannam (ignorata facultate purgandi) sub alio nomine agnouerit, inquirunt autores, & ferè omnes tenent, eum sub mellis aerei nomine mannam intellexisse; dixi ferè omnes, vt vnum, vel alterum aliter existimantes excipiam, quibus infra sum satisfacturus. Hæc omnia apud autores medicos cuiuscūq; sint notę, absq; dubio recipiuntur; Ea tamen Satyrus solita procacitate euertere conatur, & tria in me, imò in vniuersam scholam medicam tela conijcit, tres, inquam, calumnias, quas diluere erit operę pretium, in earum namq; dilutione multa scitu dignissima dicentur. Auerr. lib. 5. collig. c. 55. Mesue. Fuch. interp. Mes.

pa. 65. *Primò negat, mel aereum, & mannam vnam, & eandem rem esse.*

pa. 67. *Secundò negat, mel aereum esse id, quo vtimur ad soluendum ventrem.*

pa. 68. *Tertiò negat, mel aereum, & mannam, quâ vtimur ad soluendum ventrem, esse rorem terrena portione admistum.*



Dilutio primæ Calumniæ.

1 NArrat Galenus (vt iam superiùs cæpimus dicere) fuisse aliquando, ęstatis tempore, super arborum, ac fruticum, herbarumq; folia mel quamplurimum repertum, & agricolas veluti ludentes ceciniſſe, *Iuppiter mel pluit*. Hoc tamen, quod in eius regione erat rarum, in monte Libano quotannis accidebat, additq; *Itaq; coria super terram extendentes, & arbores excutientes, quod ab eis defluit, excipiunt, & ollas, ac fictilia melle implent, vocantq; id Drosomeli, & Acromeli, id est, mel roscidum, & aereum.* Sic ille. Hoc mel roscidum, seu aereum mannam esse tenent innumeri propemodùm autores: vt iam hinc duo innotescant, vnum ad confirmationem eius, quod supra dictum est, nempe mannam sub nomine mellis aerei fuisse à Galeno cognitam: alterum ad confusionem tuę pręsentis calumnię, nempe mel aereum, & mannam vnam, & eandem rem esse, quod tu ignoranter negas. Sed discurramus per aliquos ex multis autoribus, qui ita sentiunt. Agmen mihi ducat Matthiolus optimus botanicus: is enim hęc habet verba: *Credidit Auerrous, & post eum alij quamplurimi, mannam veteribus, & præsertim Galeno incognitam fuisse, quibus illud reclamat, quod ipse scriptis tradidit* (& hic apponit historiam superius à nobis relatam) tunc ait: *Hæc Galenus de manna memoriæ prodidit, ex quibus eorum error deprehenditur, qui putant hanc ei fuisse incognitam. Existimandum igitur est, quòd hinc Arabes suum deduxerint tereniabin, præsertimq; cùm scribat Serapio, hoc ab eis mel aereum* G.3. alim. facult. c. 39. Matthiol.in Dioscor.

reum appellari. Sic Matthiolus, qui Plinium citat à nobis superius citatum, citat & Theophrastum Galeno antiquiorem. Iam igitur hinc habes, terenïabin Arabum, mel aereum græcorum, à manna non differre. Accedat ergo
2.Ioan. Lang. epist. 64. secundo loco Ioannes Langius, qui sic ait: *Auerrous hanc,* (scilicet mannam) *Galenum, & alios ante eum græcorum medicos ignorasse, nugari non erubuit, cum is totam aerei mellis historiam abundè depingat, & longo, ante Galenum, temporis interuallo, Amyntas græcus autor in primo de Asiæ ponderibus libro mannam sub aerei mellis nomine exactè describit: inquit enim mel aereum cum folijs decerpentes, inq; massas syriacas, aut in globulos effingentes seponunt, cumq; eo vti voluerint fracta de globulis fragmenta in vasis ligneis dissoluunt, & colatum ebibunt, melle ipso suauius*. Sic Langius, qui vt vides, mannam à melle aereo non discernit, mannamq; à Galeno cognitam agnos-
3 Amat. Lusit. in Diosc. p.102 cit. Tertio loco adsit Amatus Lusitanus, inquiens, *An verò manna hæc priscis nota fuerit, vel de ea sermonem aliquem fecerint, in dubium hodie multi vertunt, cui quæsito facilè respondemus, quòd Galenus 3. de facultatibus alimentorum capite de melle huius mannæ mentionem fecit*. Hæc ille: additq; verba Galeni de melle aereo, quæ
4.Sebast. Mõtuus, & Fuch. mannę accommodat. Quarto loco repono Sebastianum Montuum, & Fuchsium; Hi enim disceptantes inter se, an manna hoc proprio nomine fuerit priscis cognita, in hoc vno conueniunt, videlicet sub mellis aerei nomine Galenum mannam accepisse. Montuus namq; in hanc sententiam Galeni verba toties repetita adducit, cui ita Fuchsius respondet: *Quare non opus erat Montuo sua illa annotatione, qua mel aereum ab Arabum manna, nec forma, nec viribus differre probare nititur: id enim nunquam negauimus*. Sic Fuchsius; Et tu non erubescis, id apertè negare, quod alij vnanimiter confitentur? Quinto loco se se offerat
5.Brasauol. de purg. med. Brasauolus afferens hęc verba: *De manna Galenus in tertio de alimentorum facultatibus egit, cum de melle mentionem facit, & illam vocat mel aereum, & an ventrem duceret, ignorauit*. Sexto loco statuo Hieronymum Mercurialem, qui agens de
6. Mercur. in lect. de comp. med. li. 2. c. 6. mannà hæc ait: *Sum ego huius sententiæ, eam cognouisse Galenum, sed subobscurè, neq; vt medicamentum purgans: etenim mel illud aereum, de quo mentionem facit, est quidem species mannæ, sed non in eam formam redactæ, quam cognouerunt Arabes*.
7.Fall. de pur. med. c prop. Septimo loco veniat Falloppius ita inquiens: *Habetis, & mannam Arabum, quæ à Galeno vocatur mel roscidum, vel mel aereum; locus est in tertio de alimentorum facultatibus capite de melle*. Octauo Bernardus Dessennius, cuius hęc sunt verba: *Viden-*
8. Ber. Dessẽ. de cõp. medi. li. 4. pag. 489. *tur omnium verissimè sentire illi, qui Galeno (licèt aliter vocarit, ac non dum eius in medicina venisset vsus) cognitam, & rem eandem cum Mesue pinxisse, asseuerent, dum melleũ humorem, cælo cadentem scribit. Quin & Theophrastus eius meminit libro plantarum tertio capite nona his verbis: Sin autem autore Esiodo melia, apesq; quercus ferat, magis quoq; illud confirmatur, ergo nascitur vel hic melleus humor è cælo cadens in hac maximè insidens*. Hactenus Dessennius. Illud verò admiratione dignum est, omnes scilicet autores istos, qui mel aereum, & mannam vnum, & idem esse affirmãt, hanc veritatem elicere ex ijs Galeni verbis, ex quibus tu contrarium elicis,
9.Manar. li. 1. epist. 4. & lib. 3. epist. 2. vt hinc iam pateat tua pręposterа mens. Nono loco placuit collocare Manardum, qui tametsi aliàs Auerroum autorem sequutus, mannam inter medicamenta purgantia à Galeno repositam fuisse, negat, nihilominus adiungit hæc verba: *Nisi fortè quispiam antiquitati fauens mel syluestre, vt Suidas, vel mel roris, aut aeris, vt Galenus, vocatam ab antiquis contendat, cui nec nos magnoperè (vt aliàs*
10. Foesius in econ. Hippo. *ostendimus) repugnabimus*. Decimo loco numerandus venit Hippocraticæ œconomiæ autor Foesius, qui μελιχέδρινον *mel cedrinum dici ait ab Hippocrate mel, quod ex cedris roris modo defluit, & colligitur, cuius magna est copia in Libano monte; vbi cedrus est frequentissima, & hoc mel refert ad mel aereum à Galeno descriptum, tandemq; adiungit: Quidam etiam eo nomine mannam apud Hippocratem designari contendunt, vt antea scripsimus*. Sic Foesius: vbi obiter nota, lapsum fuisse Cornarium, qui in libro de vlceribus legisse videtur non μελιχέδριον sed κεδρόλαιον, siquidem transtulit oleum cedrinum, cum transferre debuisset mel cedrinum, quod Celsus mel syriacum vocat, quòd in Syria maximè proueniat, cuius regionis mons est Libanus.

2 Habes iam plurimorum autoritate comprobatum, mannam Arabum sub mellis aerei nomine veteribus fuisse cognitam; quòd si Galenus eius vim
Actuar. li. meth. 5. c. 8. purgatiuam non agnouit, eam tamen agnouit Actuarius, qui etiam mannam proprio nomine appellauit inquiens, *Post id admodùm mediocriter cassia nigra, & manna purgant: nempe cassia trium, aut duarum drachmarum pondusculo vix vtiq; purgabit,*

gabit, at manne plusculum etiam absumitur, atq; hæc flauam bilem solùm educit, &c. Solus Costeus ex ijs, quos mihi vidisse contigit, mel aereum à manna differre arbitratur, ea potissimùm ductus ratione, quòd Auicenna seorsim, hoc est, in diuersis capitulis agat de manna, & de tereniabim; existimat autem propter substantiæ tenuitatem, tereniabin mel aereum esse. Mihi sanè iucundissimũ foret cum Costæo docto admodùm viro literariam inire pugnam: tum quia gloriosè cum autore grauissimo disceptarem, tum quia ille paucas admodum rationes in medium affert, paucas etiam à me expectaret, & sic disputatio foret breuis. Verùm tecum, ô Satyre, agendum est: quem bestiam multorum capitum merito appellauerim; quippe multa exhibes capita, hoc est, plurima argumenta, alia quidem inania, alia disformia, hoc est, extra rem adducta, alia etiam mendacia, ita vt omnibus satisfacere sit longum. Nihilominùs ne à me aliquid esse ob indissolubilitatem eius relictum, singulis respondebo. Sunt autem, si Deo placet, decem non minùs, quibus probare contendis, aliud esse mel aereum, aliud mannam.

3 *Prima argumentatio.* Mel aereum est substantia semper fluxilis, & liquida, licèt lenta: sed manna est corpulentia concreta, vt gummi; quorum illud ex Galeno constat, hoc ex Auicenna, & experimento.

G. 3. ali. fac. c. 39.
Auic. l. 2. trac. 2. c. 497.

4 *Responsio.* Differentiam inter mel aereum, & mannam ab accidente quodam petis, quod differentiam nullam facit: quippe, & manna potest esse liquida, & mel solidum. Incipiamus à melle apum, quod tibi solidissimum dabunt plurimi. Scaliger in Troglodyticæ parte, quę dicitur Bengala, mel, ait, adeò candidum esse, vt ne niuibus quidem cedat, durum verò quasi lapidem, solidum etiam ita, vt sportis contineatur. Apud Halizonas, teste Pausania, ita concretum est, vt à cera nequeas seiungere. Relinquo plura testimonia, & ad mel aereum accedo. Tu vis illud liquidius esse, quàm manna. Esto; sed si concrescat, quid fiet? erit ne conuersum in mannam, an remanebit mel aereum, vt anteà erat? si remanet, iam habes mel aereum condensatum: si non remanet, sed conuertitur in mannam, erit mel aereum manna absq; vllo additamento, sed sola concretione, ac proinde non re different, sed modo rei. Dices forsan, mel aereum non posse concrescere: imò herus tuus Aldrouandus, mel aereum concretum mannam appellari, affirmat, ait namq; *mel non est, nisi ab apibus colligatur, cogaturq; ; nam cum sponte cogitur, fit, quod manna sicca nuncupatur.* Ecce tibi manna, quę est mel, non ab apibus, sed sponte concretum. Habes igitur ex his mannam, quæ nil aliud est, quàm mel aereum concretum: vis ne etiam mannam non concretam? Brasauolus tibi fidem facit narrans, pharmacopolã emisse à Mauritano quoddã vas plenũ mannæ melli similis, quæ in medicamentis, non satis laudari potuit. Occurres adhuc, & inquies, Brasauolum à Matthiolo reprobari: quippe hanc ex eo genere fuisse, ait, quam Arabes tereniabin appellant. Tametsi autem Brasauolus senserit, tereniabin mauritanorũ eam esse mannã, qua communiter vtimur, Matthiolus tamen contrarię adhęret sententiæ: quippe Serapio, tereniabin rorẽ quendam esse, ait, qui è cœlo cadit grumoso melli similẽ, quod aliter mel roscidũ appellant. Auicenna verò de manna agens, eam grumi modo concrescere ait. Hæc tamen omnia, à Matthiolo adducta, nihil instituto pręsenti nocent. Nam demus, tereniabin minùs concrescere, quàm mannam; concrescit tamen: imò verò vlteriùs dico, siue concrescat, siue non concrescat, mannæ tamen species est, quod Matthiolus ipse non negat: siquidem de manna illa, quam refert Brasauolus, & quam ille tereniabin esse contendit, sic scribit: *Hanc quidem ex eo genere fuisse, existimauerim, quod mauritani tereniabin vocant.* Ex quibus verbis constat, mannam esse eiusdem generis cum tereniabin. Serapio etiam in capite de tereniabin, mãnę facultates exactissimè describit ex sententia Arabis cuiusdam nomine Abix; Iste autem Abix, tereniabin mannam esse, cognouit, mannę autem nomine eam mannam intelligit, quam thuris esse diximus: siquidem alibi ait, loquens de manna, confert relaxationi stomachi, & adstringit ventrem, quod mannę è cœlo cadenti nequaquam attribui potest. Auerrous etiam mannam, qua ad purgandum vtimur, tereniabin appellat. Vt autem hic obiter Costæo respondeamus, qui, quoniam vidit apud Auicennam, diuersis capitibus agi de tereniabin, & de manna, putauit, res esse diuersas, debuerat ille Andream Bellunensem dictionum Arabicarũ consu-

Scalig. exerc. 132.
Pausa in attices.
Aldrouand.
Brasauolus.
Matthiol.
Serapio.
Serap. de tẽper. simp. c. 11
Serap. in c. de man.
Auerr. ... sup.
Responsio ad Costæi ratio.

Aui. l. 2. trac. 2. c. 702. consulere is enim ita ait: *tereniabin, seu trangibinest species mannæ, quæ in oriente est valde in vsu*; Debuerat etiam animaduertere in capite de tereniabin, inscriptionem esse in hunc modum; *De tereniabin, idest, manna, seu melle de roco*; Videre etiam debuerat, quid in eo capite contineatur, & reperiret sub nomine tereniabin descriptas optime mannæ facultates, cuius verba placet transferre: *Tereniabin quid est? hic est ros, qui plurimum cadit in Corascent; & in locis, qui sunt vltra fluuium, & plurimum casus eius in regione nostra est super lapides: Melior est recens, album: est æquale ad caliditatem pertinens: est lenitiuum conueniens ad abstergendum: confert tussi, & lenit pectus: sedat sitim, solutione educit cholerum facile, & est solutio eius cum proprietate, quæ est in ipso, & eius quidem potio est a x. aureis vsq; ad xx. aureos*. Sic ibi; Quod si attendatur ad ea, quæ idem Auicenna in capite de manna scribit, facile assequetur differentiam non consistere in esse reali: inquit enim, *Manna quid est? est omnis ros cadens super lapidem, aut arborem, & fit dulcis, & coagulatur, sicut mel, & exsiccatur, sicut gummi, quemadmodum tereniabin, & asceberachost, & mel asportatum de terra Cusuram syluestri, & nos quidem iam diximus vnumquodq; in suo capitulo, & ipsum assumit de natura eius, super quod cadit, virtutem, & adiungit illam ad id, quod exigit lenitas, & dulcedo sui*: Profecto hęc Auicennæ verba similitudinem ostendunt inter tereniabin, & mannam in modo, quo cadunt è cœlo, in meteoro, ex quo fiunt, & in facultatibus: dissimilitudinem verò in eo duntaxat, quòd mannam exsiccari, ait, sicut gummiam, de tereniabin nihil tale profert: Verùm hanc differentiam non sufficere, vt diuersæ res censeantur. Neq; tu tanti debueras æstimare istam consistentię diuersitatem, vt hinc velles vitio vertere, quod quispiam mellis aerei nomine mannam significet: siquidem id omnes facere posse, addisceres, si bonorum autorum libros peruolutares, aut doctos viros consuleres: Matthiolus ibi dat vtriusq; consistentię mannam: Altomarius mannam liquidam mannæ nomine non dedignatur: inquit enim, *Qua ratione liquidam interim mannam generari non similem, quam roscidum, seu roridum mel, aut saltem eidem simile appellare licebit, interdum concretam, ac congelatum*. Et idem met sæpe repetit, liquidam mannam esse Arabum tereniabin. Quare Costęus ipse, qui nimis exactè voluit ex consistentia differentiam accipere, nequaquam succenseret ei, qui mannam, mel aereum, tereniabin, indistinctè nuncuparet: alioquin omnium censor videri vellet, quod non illi in laudem, honoremq; posset cedere. Et hæc sufficiant, vt tu non ampliùs hoc tuo argumento, sumpto ex consistentiæ diuersitate, vtaris.

Lib. 2. tr. 2. c. 479.

Matthiol. Altomar.

4 *Secunda argumentatio*. Mel roridum, seu aereum est purum meteorum (vt docet Galenus) manna prouenit omnis ex intima plantarum substantia, vt certis experimentis demonstrat Altomarius.

Gal. vbi sup. Altom. in suo tract. de virib. man.

5 *Responsio*. Hæc argumentatio ex tua farina est; videlicet tota ex mendacijs confecta: nam in primis Galenus nunquam purum meteorum dicere est ausus: quin potiùs ait: *Oritur in plantarum folijs*; Si ergo in folijs oritur, non prorsus è cœlo descendit: deinde paulò post narrat, *Super arborum, ac fruticum, herbarumq; folia, mel quamplurimum fuisse repertum*; Quomodò autem fuerit repertum, non declarat: quòd si agricolę veluti ludentes canebant *Iuppiter melle pluit*, dic tu, agricolas per iocum dixisse, purum esse meteorum, non Galenum, qui nihil tale protulit. Sed venio ad Altomarium, quem, tu ais, demonstrasse, omnem mannam ex intima plantarum substantia prouenire; ita ne dixit Altomarius, qui toto ferè suo tractatu *de differentijs, & viribus mannæ* de mannæ aereæ differentijs, & causis agit, deinde accedit ad mannam, quę colligitur in Calabria, & hanc ex plantis educi affirmat? Tandem se confert ad dilucidandum id, quod proposuerat: videlicet, num liceat medicis indifferenter, atq; innoxiè iisdem mannæ speciebus vti, postquam rationibus, autoritatibus, atq; experientia inuentum est, eam bifariam gigni. Hinc nec colligis, omnem mannam ab Altomario dici ab arboribus editam? quadrat hic plantina veritas; *Te homine nequam nihil est profectò stultius, neq; stolidius, neq; mendaciloquius, neq; argutum magis*.

Mendacium.

6 *Tertia argumentatio*. Mel aereum vbiq; ferè prouenit, vbi apes etiam illud colligunt, vt ait Aristoteles, & Auicenna: nam & multa copia quotannis frequenter pluit in monte Libano, quandoq; in Græcia, quod ait Galenus. Decidisse in Regno Neapolitano, memorat Altomarius: & doctissimus Costæus

Ar. 5. de hist. an. c. 22. Auic. l. 2. tr. 2. c. 496. G. loc. cit.

stæus testatur, vidisse se in agro Laudæ patria sua calidissima æstate serenis noctibus tam copiosè mel aereum decidisse supra plantas, & arbores omnes vniuersim, vt à multis collectum, & ad pharmacopolas delatum sit. Sed manna solùm ex oriente prouenit, & nostra, qua vtimur, omnis non aliunde, quàm ex ornis, & fraxinis quibusdam Calabriæ, ac ex pinubus, & iuniperis in Gallia transalpina colligitur, vt contestantur Garzias ab Horto, Costęus, & Altomarius.

7 *Responsio*. Tot scatet argumentatio hæc, falsitatibus, quot constat verbis. Nam in primis falsum est, quod ex Aristotele deducis, mel scilicet aereum vbiq; ferè prouenire, vbi apes etiam illud colligunt: neq; enim Philosophus mellis aerei, neq; mannę mentionem in loco a te citato habuit, sed, rorem ab apibus colligi, dixit, quod nos omnes scimus. At non propterea mel aereum vbiq; colligunt: nam sic, vbicumq; fuissent apes, fuisset & mel aereum: nos tamen videmus, in multis regionibus apes mellificare, in quibus nunquã mel aereum visum fuit. Hoc te debuerat docere Galenus, siquidem in eius patria, quasi pro miraculo habitum fuit, quòd semel tantùm aereo melle plueret, & tamen mel ibi ab apibus factum non deerat, imò optimum, vt ipse testatur. E contrario etiam sicut in multis locis apes sunt, nec est mel aereum, in alijs est mel aereum, neq; sunt apes, vt in monte Libano, quippe apes florum prata, non cedrorum amant nemora. Auicenna, quem tu citas, nil tibi fauet: neq; enim dixit, vbiq; apes mel aereum colligere, sed vbi mel aereum est, homines colligere eius partem crassiorem, apes subtilem; Sic enim explicantur eius verba, cum ait, *Et manifestum ipsius, colligunt homines, quod verò occultum est, colligunt apes*. Quare vt probes, mel aereum vbiq; prouenire, vbi apes illud colligunt, malè argumentaris ex eo, quòd mellis magna copia pluit in Libano: nam neq; apes in Libano illud colligunt, neq; si pluit quotannis in Libano, pluit similiter vbiq; Addis in Græcia quandoq;, quod ait Galenus. At illud quandoq; si semel tantùm significat, verum est, sed ex eo, quòd semel decidit in regione Galeni, (neq; enim totam Gręciam debueras comprehendere) non probatur vbiq; pluere. Ais etiam, quandoq; accidisse in Regno Neapolitano, vt memorat Altomarius; At non de melle aereo, sed de manna loquitur, ait enim, *Verum neutram* (scilicet concretam, & non concretam) *hoc nostro in regno Neapolitano cadere puto, aut valde exiguam, eamq; rarissimè, & non quotannis potissimùm concretam, & coagulatam*. Manet igitur ratum, te non probasse priorem argumentationis partem, videlicet mel aereum cadere vbiq;

G. lib. 1. de antidot. c. 4.

8 Altera argumentationis pars est, mannam non vbiq; cadere, in qua nihilo felicius te geris: quippe statim in limine es lapsus: siquidem ais, manna solùm ex oriente prouenit, & nostra, qua vtimur, omnis non aliunde, quàm ex ornis, & fraxinis quibusdam Calabrię, & ex pinubus, & iuniperis in Gallia transalpina colligitur. Legentes hoc quidam studiosi iuuenes, tametsi modestissimi, non potuerunt risum dissimulare. Nam si manna solùm ex Oriente prouenit, cur colligitur ex Calabrię, & Galliæ transalpinę arboribus? certè vel non prouenit solùm ex Oriente, vel Calabria, & Gallia in Oriente sunt. Deinde tu prius varias regiones commemorasti, in quibus melle aereo pluere dixisti (poteras etiam commemorare plures) nunc autem, mannam, dicis, prouenire ex Oriente: at in Oriente plurimæ sunt regiones, ex quibus manna asportatur, vt à Garzia ab Horto poteris addiscere: addito etiam Calabriam & Galliam; Iam ergo sicut mel aereum in pluribus regionibus, sic manna etiam prouenit: Vnde tua ista differentia sumpta ex locis, vbi prouenit mel aereum, & manna, vadat ad statuam Sardanapali, quę, teste Athenæo dextræ manus digitis ea specie compositis, qua solemus edere crepitum, quasi diceret, ne huius quidem facio.

Athen. lib. 12.

Adagium.

9 *Quarta argumentatio*. Mel roridum Galeno cognitum fuit, & diligenter consideratum: at manna, Galeno fuit ignota penitus, Auerrois testimonio dicentis, mannam, quæ purgat suauiter choleram, numerandam esse inter medicamenta, de quibus non egit Galenus.

10 *Responsio*. Mannam penitus ignotam Galeno fuisse, non poteris colligere ex Colliget Auerrois, sed duntaxat ignotam quoad facultatem purgandi; At hoc tibi concedunt omnes: de quo satis est dictum. Tu autem consi-

S derato,

derato, cum ais, mel roridum cognitum fuisse Galeno, dicere (ex communi omnium sententia) mannam cognitam fuisse Galeno: quandoquidem omnes vnanimiter, vt iam tibi ostendi, ita Galenum interpretantur.

11 *Quinta argumentatio*. Manna detrahit bilem ex corpore, vt Auerrois confirmat experimentum, sed mel aereum Galeno bilescit in corporibus calidis, adeoq; generat, & auget bilem in corpore.

12 *Responsio*. Galenus, vt constat ex inscriptione illius capitis, agit ibi de melle; constat etiam ex instituto libri, siquidem est de alimentorum, non autem de medicamentorum facultatibus; Pluuiam autem mellis aerei, quam mannæ fuisse omnes consentiunt, obiter adduxit, vt probaret, tam huius, quã mellis apum materiam esse congenerem, quod ille optimè declarat. Deinde post narratam historiam redit ad mel, eiusq; explicat naturam inquiens, *Ideoq; laudatissimum in locis mel gignitur, in quibus thymus, & aliæ quædam herbæ, ac frutices temperamento calidæ, ac siccæ affatim proueniunt: tenuiorum enim est partium id mel, quod in huiusmodi plantis generatur, ideoq; calidis corporibus promptè in bilem vertitur, frigidis verò, siue per ætatem, siue per morbum, siue natura, talia fuerint, est accommodatissimum*. Nunquid putas, hoc de melle aereo non de apum melle dictũ? At hanc eandem bilescendi in calidis corporibus facultatem apum melli pluribus alijs in locis idemmet tribuit. Sed non ne vides, de melle apum debere intelligi ea, quæ in illo capite à Galeno sunt scripta? Non ne mel apum est, cui ibidem leui coctione, & aquę admistione acrimoniam adimit, vt ad distributionem, & coctionem fiat accommodatius? *Cum enim hac parandi ratione* (inquit Galenus) *acrimoniam deposuerit, neq; ampliùs aluum ad excretionem irritet, haud cunctanter in corpus distribuetur*. Cœcus videt, mel hic sumi pro alimento, mel autem aereum quis vnquam pro alimento accipiet? Non ne etiam ibidem melicratum docet conficere? At melicratum quis vnquam ex melle aereo confecit? Nunquid non adhuc conuinceris ad existimandum, mel, de quo ibi, esse mel apum? Vis ergo mel aereum esse, quod bilescere dixit Galenus? Iam ergo dabis, Galenum in melle aereo cognouisse purgandi facultatem, siquidem paulo inferiùs ait, mel de quo ibi loquitur, aluum proritare; Si non loquitur, vt tu sentis, nisi de aereo, aereum certè est, quod aluum proritat; Sit ita: sed mel aereum (ex Costeo tuo) est idem, quod tereniabin; Cum igitur Galenus dicat (vt tu putas) mel aereum purgare, dicit, tereniabin purgare. At Auerrous, qui tereniabin idem cum manna esse, ait, fatebitur à Galeno cognitam fuisse in manna vim purgandi, & sibi met erit contrarius. Sed re vera Galenus manna ad purgandum nunquam vsus est, neq; facultatem purgandi in manna cognouit, in apum verò melle acrimoniam cognouit, qua aluum proritat: quam facultatem omnia, quæ acrimonia sinè astrictione participant, habere solent; Vnde Galenus, *Vacuationi naq; accommoda est acrimonia, vtiq; cum non sola sit, ac pura, sed aut dulcedini iuncta, aut certè non prorsum amaritudini*.

G.lib. de cib. bon. & mali succi c. 12. & l.alim. facult. c.1.c.2.lib. 3. eiusdẽ operis c.39.2.nat.facult.c.8.lib.4. simpl.c.17. & 6.epid. sect.5. co. 14. lib. de marcore c.vltimo.

7. simpl. c. de centau.maior.

13 *Sexta argumentatio*. Mel aereum maximè colligitur ex thymo, vt Galenus ait, at ex thymo nullibi collecta fuit vnquam manna.

14 *Responsio*. Si ex thymo mel aereum colligitur, mel apum ex quo colligetur? At nos scimus, ex thymo mel apum colligi prestantissimum, quod tũ Aristoteles, tum Plinius, tũ etiam quicumq; de apum historia scripserunt, affirmant, vnde Aristoteles, *Pastus gratissimus apibus thymum est*. Galenus laudatissimum mel gigni, inquit, in locis, in quibus est thymus, laudatissimum, inquam, mel apum ideo enim gigni, dixit, non cadere, aut pluere.

Ar.lib.9.c.40.

15 *Septima argumentatio*. Mel aereum quotannis in maxima vbertate colligitur in monte Libano, vt dicit idem Galenus.

Err. in logica.

16 *Responsio*. Pueriliter principium petis: nam cum tibi dicam, mel aereum, & mannam esse vnum, & idem, tu argumentaris contra inquiens, mel colligi in monte Libano, non autem mannam. Itaq; tibi autores affirmant, mel illud aereum, & mannam esse vnum, & idem; tu negas, quia scilicet mel illud aereum non est manna. Sed heus, tu, hoc erat probandum, alioquin circulus fiet in hunc modum; Mel aereum, quod colligitur in monte Libano, non est manna, quia manna non est mel aereum, quod colligitur in monte Libano. Vah quam bonus es logicus!

17 *Octaua argumentatio*. Mel aereum à Galeno connumeratur inter alimenta,

manna

manna verò nostra, non est alimentum, sed medicamentum purgatiuum.

18 *Responsio*. In primis vellem, vt aliquem adires, qui tibi illud Galeni in libro de alimentorum facultatibus caput de melle totum explicaret, intelligeresq; ex eo, agi ibi ex professo de melle apum, quod nutrimentum est, & obiter, vt ostendat roris, & mellis materiam congenerem esse, narrari historiam mellis aerei, quod mannam esse apud ferè omnes in confesso est. Cum hæc sineres, desineres his tuis argumentis vti, quibus nihil aliud facis, quàm confundere ea, quæ si verba Galeni intelligeres, tibi distincta manerent. Atq; ita in præsente non diceres, mel aereum inter alimenta à Galeno connumerari. Verùm nec sic ab errore liberaberis: nam manna ita est medicamentum purgans, vt partem etiam alimentosam in se habeat, & iccirco inter leuia purgantia recensetur, vti sunt pruna, cassia, tamarindi, & cœtera huiusmodi. Quare non est, cur mannam, alimento absolutè opponas, quasi nullam habeat alendi vim, imò tu etiam, mannam hebræorum, dicis, esse purum alimentum, vnde ab hac nostra differre, ais; Si ergo differunt, erit differentia inter purum alimentum, & non purum, ac propterea manna hodierna erit quidem alimentum, licèt non purum, sed purgandi vim in se habens.

G. 3 alim. fac. c. 39.

pa. 74. & de his qui sine alim. li. 2. c. 43.

19 *Nona argumentatio*. Auicenna distinctis capitibus, & diuersis conditionibus aereum mel seiungit à manna.

20 *Responsio*. Huic argumentationi, quàm à Costæo accepisti, iam superiùs factum est satis: neq; verò Auicenna, mel aereum, vt tu dicis, sed tereniabin seiungit à manna, neq; seiunctionis causa est diuersitas conditionum, imò, vt supra ostendimus, conditiones vtriusq; sunt eędem, pręterquàm in consistentia: tu autem & Auicennæ verba, & numeros capitum erroneè scribis, forsitan rem non vidisti in fonte, sed eam in aliquo lutulento riuulo hausisti.

21 Cœterùm tibi nunc peculiariter volo circa hanc argumentationem aliquid amplius in mentem reuocare. Memineris, te in secunda argumentatione superiùs dixisse, *Mannam omnem ex intima plantarum substantia prouenire*; In hac nona vteris Auicennę testimonio, qui ait, *Manna est omnis ros cadens super lapidem, aut arborem*. Vel igitur Auicennam recipis, vel respuis: si recipis, iam tibi contradicis: quippe priùs mannam ex intima plantarum substantia prouenire, nunc è cœlo cadere cum Auicenna, ais. Si respuis, impudenter agis, qui testimonio, quod falsum esse censes, ad probandam tuam hęresim vteris.

22 *Decima argumentatio*. Mel aereum est vnius naturæ, ac speciei, ros dulcis de cœlo cadens: at manna est multiplicis speciei, & originis: nam (vt omittamus hebræorum mannam, de qua suo loco mox agemus, quæ est supernaturale meteorum) physica manna duplex est, alia orientalis, alia occidentalis: orientalis manna, quæ rarissimè visitur in Italia, vt Matthiolus, & Altomarius contestantur, duplici speciei proponitur, vna valentior, quæ mastichina vocatur, quia fit ad similitudinem granorum mastices, & altera debilioris virtutis, quæ bombycina nuncupata; putatur à Matthiolo esse mastichina iam euanida, vel res quædam saccharo alterata. Cœtera, quę prosequeris à Garzia ab Horto translata, iam superiùs pertractauimus, & omnia sunt adducta, vt plures mannæ esse species, probare possis.

23 *Responsio*. Vident omnes, potuisse me vno solo verbo decem istas argumentationes euertere: nempe si dicerem, quicquid mannę attribuis, attribui aereo melli, siquidem synonima sunt; neq; tu contrarium probas: dum enim à tua priore opinione discedis, & mannam iam non ex arboribus incisis extractam, sed è cœlo cadentem admittis, hanc, teneris dicere, esse mel aereum, in quo vniuersę ferè scholę medicę consensum habes.

24 Ais nunc, mel aereum vnius esse naturæ, & speciei, mannam verò duplicem, orientalem, & occidentalem. At tui immemorem te facit Bacchus. Non ne superiùs dixisti, mel aereum vbiq; prouenire, in Græcia, in monte Libano, in patria Costęi? Iam ergo ratione loci mel aereum multiplex erit. Deinde locus nihil facit ad mutationem speciei. Videre mihi non semel contigit mannam ab orientali plaga aduectam in lusitaniam, quæ ab occidentali neq; figura, neq; substantia, neq; sapore, neq; facultate erat diuersa; seruabatur autem in vasis vitreis optimè obturatis. Garzia ab Horto mannam dicit aduehi ex Ormuziano Persico emporio, aliam ex alia Persiæ ciuitate, aliam

 aliunde.

aliunde. Cœterum vndecumq; aduenian, omnes specie conueniunt; Esset quidem Orientalis melior, nisi ad nos aduecta, vetustate obsolesceret.
Monachi. Vnde Monachi sic aiunt; *Nulli dubium est, quòd quanto recentior est manna, tanto nobilior, ideo manna orientalis parui penditur in Italia, quia non potest haberi ita recens, vt Calabrensis*. Sed quòd fructus, aut quiduis aliud in vno solo, quàm in alio, producatur, non variat specie: neq; enim cerasia Lusitana, quæ tu optima esse, ex Plinij sententia, sed extra rem, dixisti, non sunt alterius speciei, quàm gallica, aut italica. pa. 13.

25 Sed mirabar, quòd iam diu nobis risum non concitasti; Ades nunc, & duas species mannę tecum affers, quarum vnam dicis appellari mastichinam, alteram bombycinam, quę nihil aliud est, quàm mastichina euanida aut res quędam saccharo alterata. Sic ergo mastichina, & bombycina non differunt, nisi nomine, & antiquitate, quæ duo non variant speciem; Si verò est res quædam saccharo alterata, non est manna, quare nec est diuersa species mannæ. Si vero dicas, te hoc non ex propria, sed ex Matthioli sententia protulisse, dicam ego, te, dum testimonium affers, cui non refragaris, ei assensum prębere, quod iuris consulti volunt: nam *Qui tacet consentire videtur*. Atq; ita manet diluta tua isthæc calumnia, vt mel aereum, & mannam (ex autorum sententia communi, & vnanimi) vnam, & eandem rem esse, maneat stabilitum.

Dilutio secundæ Calumniæ.

1 FAlsum esse, dicis, quod ego affirmaui: nempe mel aereum esse id, quo vtimur ad soluendum ventrem, ais q; *Aereum mel non vsu venire medicis vllis ad soluendum ventrem, sed solam mannam propriè dictam*: hoc omnibus constare, affirmas, & Altomarij verbis comprobas. Ego verò, melle aereo medicos vti ad purgandum ventrem, asserui, & aerei mellis nomine mannam significare volui, quod vt facerem, mihi communis medicorum consensus tribuit potestatem: quod satis superq; hactenus probatum, demonstratumq; est. Cœterùm abste scire vellem, quam appelles mannam propriè dictam: nam si mel aereum mannam impropriè appellas, cur hactenus exclamasti opponens melli aereo mannam, neq; propriè ne, an impropriè sit appellandum nomine mannæ nobis significasti? Si mannam impropriè dictam appellas eam, quam Altomarius (quem tu refers) ait, *Instar roris decidere supra folia, ac ramos nonnullarum arborum, nec non super herbas, & lapides*: at hanc ille mannā appellat, neq; ait esse impropriè mannam; Tu verò eum explicas inquiens, hoc ita esse dictum, quia Altomarius ipse nomen illi à vulgo rusticorum, & idiotarum inditum mutare noluit. Hanc tuam explicationem Altomarius non tolerat: quippe ait, se hoc percepisse à quamplurimis rusticis, verùm etiā a non paucis nobilibus; Forsan nobiles inter idiotas numeras, vt scilicet tu idiota esse non possis. Cœterùm Altomarius, quando comparat mannam è cœlo lapsam cum manna ex arborum incisuris collecta, cœlestem, siue aereā longè esse præstantiorem affirmat. Audi Altomarium; *Itaq; vbi haberi possit róscida concreta, ac coagulata manna, tutè ad iam dictos vsus vtare; At eius defectu num ea, quam arboream esse probauimus, vti liceat, non dum liquet*. Sic ille, qui non sibi contradicit: nam è cœlo lapsam vituperat non omnem, sed quandam in aliquibus Neapolitani tractus locis cadentē, quæ noxia est, cuius contactu folia arborum marcescunt, cui consentit Campanella inquiens, eadem manna, aut mel à robustiore calore in aere decocta amarescit, ac contaminat fruges, in quas decidit. Hoc tamen non tollit, mannam crassam, quæ in Calabria ex aere cadit, esse laudatissimam, quod Matthiolus comprobat. His verbis: *Ea manna, quæ inciso harum arborum cortice in Apulia, & Calabrensi agro, hac ætate canicularibus diebus collacrymare cœpit, nullius quidem plantæ liquor est, sed ipsa eadem manna, quæ diebus superioribus easdem in arbores ab aere deciderat. Nam cum illis regionibus vsu veniat, quòd præ cæteris prædictæ arbores eo mellifluo rore affatim, abundeque madescant, sitq; cortex solis ardorē nimio sitiens, ac rimosus, magnam liquoris quantitatē intra se absorbet. Quo fit, vt postmodò exoriente canicula, inciso eodem cortice idem liquor exiliat*, p. 61.

Campanell. physiolog. c. 6. art. 8.

exiliat, & in grumos concrescat: qui tamen cum leues, fungosiq; sint, ob arboris succi mistionem, infeliciter operantur, nec alterius mannæ viribus correspondent. Hactenus Matthiolus; Cœtera, quę sequuntur vide apud ipsum: sunt enim scitu dignissima. Mihi satis nunc est, ostendisse, mannam istam, quæ incisis arborũ truncis extrahitur, esse infeliciter operantem, & manna, quę è cœlo cadit, longè inferiorem. Mannam igitur, quæ è cœlo cadit, appellare mihi libuit mel aereum, & purgandi ventrem facultatem ei tribuere.

Dilutio tertiæ Calumniæ.

1 Dixi, mel aereum, quod & manna appellatur, quo vtimur ad soluendum ventrem, esse rorem terrena portione admistum. Tu sedes adhuc in tuo asino, & mel aereum separas à manna: quod quo iure facias, tibi est satis demonstratum. Admittis itaq; mel, quod aereum nuncupat Aristoteles, ex ipsiusmet philosophi sanctione, esse cum terrę prædominio, sed mannam nostratem falsò dici rorem terrena portione mistum. Vbi nam mel Aristoteles nuncupat aereum? in libro, ais tu, de historia animalium. At toto illo capite à te citato de apũ mellificio tractat, neq; mel aereũ vnquã appellat, nisi velis eum ad te trahere, quando sic ait: *Construunt* (scilicet apes) *fauos è floribus, ceram ex lacryma arborum fingunt, mella ex rore aeris*. Verùm hæc verba ad mel apum, non ad aliud, quod tu vis, referenda sunt. Perge igitur, & ex vno mendacio in alterum delabere. Mel aereum, ais, ex eiusdem Aristotelis sententia esse cum terrę prędominio: vbi nam ita scripsit Philosophus? nempe, ais tu, in meteoris. In vno igitur opere dixit mel aereum, in altero habere prædominium terræ. Sed quis tibi dixit, mel, de quo loquitur in libro de historia animalium, esse illud, de quo agit in libro de meteoris? Sit tamen ita: nolo de hoc tecum contendere. Venio ad alterum mendacium, dicis namq; ab Aristotele melli aereo, siue melli cuicumq; inesse prędominiũ terrę: Aristoteles verò ita ait, *Hæc quidem terræ, hæc autem communia aquæ, & aeris sunt: mel quidem terræ, oleum autem aeris, & aquæ*. Vbi nam hic reperis illud prædominium? certè à te dolosè est additum. Cœterùm Aristoteles si tuo palato se accommodans diceret (vt tu vis, non vt reapse est) mel aereum habere prędominium terræ, iam mihi concederes plus, quàm ego volo: nam mihi satis est, mel aereum, quod & manna appellatur, habere portionem terræ: tu verò mihi dares in eo non quamlibet portionem, sed, si Deo placet, prædominium. Venio nunc ad tuas rationes.

Ar. 5. de hist. an. c. 22.

Mend. duplex

4. meteor. sum 3. c. 4.

2 *Prima*. Manna pręter illam portionem, qua constituitur in genere misti, nullam habet aliam terream portionem, de qua si ego tracto, perinde dicere poteram, mannam esse rorem ignea portione admistum. *Responsio*. Vt tibi respondeam, rogo priùs, an ros sit corpus simplex, an mistum: dices, ni omninò insanus es, esse corpus mistum: nam pręter quatuor elementa, in sublunaribus nullum aliud corpus simplex est. Tunc sic; Rori, qui est corpus mistum, vt euadat manna, adiungitur, terrea quædam portio, nempe exhalationum terrestrium pars aliqua: Hoc tibi dicunt omnes, & speciatim Altomarius sic: *Quo fit, vt & rationi consentaneum sit, quibusdam etiam particularibus regionibus, seu locis, statis quibusdam temporibus, & particularibus aeris constitutionibus, serenis tamen semper, ac tranquillis existentibus, liquor quidam suauis, melleæ consistentiæ, roriq; similis, nec non res quædam sacchari, seu gummi similitudinem præseferens, pruinæ instar generetur, crassiusculis quibusdam interim, etiam & lentis è terra vaporibus, atq; aqua diurno tempore à solis calore sublatis, exacteq; tenuatis, ac coctis, deinde, & superuenientis noctis frigore concretis, seu congelatis, ac deorsum decidentibus*. Placuit hanc elegantem mannę è cœlo decidentis descriptionem ex Altomario transcribere, in qua vides, mannæ substantiam in compositione sui habere crassiusculos, & lentos è terra vapores. Vnde tua isthæc argumentatio prorsus euanuit.

3 *Secunda*. Cum mista denominentur omnia ab elemento in eis prędominante, cumq; in manna, quę temperamenti est calidi, & humidi, prędominetur ignis, & aer, non debet à terra denominari. *Responsio*. Vide quot falsitates

tes incluseris in paucis hisce verbis. In primis supponis, me tribuisse mannę prædominium terræ, quod non habes, vnde elicias, nisi ex tuo mendace ingenio. Deinde mista, ais, denominari ab elemento prædominante, in quo manifestè ostendis (quod tibi iam sępius dixi) te logicę principia ignorare. Deno minatiua sunt, quæ à priore aliquo vocabulo, voce, & significatione deducuntur: at mista non deducuntur voce, significationeuè ab elemento prædominante: neq; enim saxum, in quo prędominat terra, nomen, aut significationem à terra habet. Sed nunquid tu, qui ignem, & aerem in manna prædominare dicis, etiam ex igne, & aere denominationem mannę tribues? Hic oritur tertius error, quòd scilicet in manna prædominium ignis, & aeris agnoscis. Vnde nam hoc es assequutus? nunquid ab excessu caloris? At mãna non est calida, sed temperata, aut saltem parum à tẽperato recedens: quippe Serapio eam, in actiuis calidam in primo gradu, in passiuis temperatam esse scribit. Auicennę etiam, & Mesuęi autoritate medium temperamentum seruat. Quòd si Auerrous, calidam, & humidam esse, censet, vel exiguum excessum intelligit, vel fidem non meretur, cum aduersùs meliores ęstimatores loquatur. Sed tu non ex eo, quòd mannam calidi, & humidi temperamenti esse statuas, debueras statim ei ignis, & aeris prędominium assignare, sed ad materiam, ex qua fit, recurrere; Eius materia est ros, roris materia vapor, non qualiscumq; sed ille, *Qui* (vt Aristoteles ait) *propter paucitatem sursum ducentis ipsum ignis, ad eam quæ eleuatur, aquam, iterum cum deorsum feratur, quando infrigidatum fuerit noctu*. Vis ergo ex vapore, qui, ob paucitatem caloris sursum illum ducentis, in rorem concreuit, fieri mannam igneam? Sic libet appellare iuxtà tuam positionem, qui mista ab elemento prędominante denominanda esse, ais. Est quidem mel, est & manna calidi temperamenti, mel magis, manna verò valde minùs: quippe non eam acrimoniam habet, quam in melle reperit Galenus; Verum tamen hoc eis temperamentum accidit, non ex elementis, ex quibus componitur, simpliciter consideratis, sed ex circunstantijs, quę in materiam frigidam inducere possunt caliditatem.

Logica ignorantia.

Serap. c. 45.

Auic.

Auerr.

4 Ne autem circa hoc ampliùs ambigas, Altomarius proposito problemate tibi hoc explicat. Problema est huiusmodi. *Si ex frigore vtraq; enarrata manna generationem habet, qui fieri possit, vt dulcis sit, temperatèq; calida, ac aluum soluat, vt omnes medici vno ore fatentur?* Respondet autem in hunc modum: *Nisi esset, quòd quamuis à frigore concrescant subiati halitus, seu vapores, ex quibus vtraque manna generatur, à Solis tamen calore priùs fuere extenuati, & concocti, aliàs eleuari haud quaquam possent; qua propter etsi concretio ex frigore eis proueniat, earum tamen materia calida est, & humida, cuius etiam temperaturæ remanet vtraq; manna ex eis genita: similem enim habet generationem, ac pinguedo ipsa, quæ non minus dulcis, ac calida moderatè existit, quamuis à frigore concrescat, vt Galeno visum est*. Hæc est solutio dubij, tradita ab Altomario, quæ tibi sufficere debet, sin minùs tu, qui ad elementa, ex quibus res constant, duntaxat ad cognoscendum temperamentum inspicis, dic mihi, cur ex aqua, quę frigida est, eleuantur vapores, quos, Aristoteles ait, esse calidos, & humidos, ex terra similiter frigida exhalationes calidæ, quæ facilè ignescunt?

5 *Tertia*. Manna cum purgat bilem flauam à similitudine naturę (vt contestantur Auerroes, Auicennas, Mesue, & quotidianum experimentum) planè, vt flauabilis dici non debet mistum à prędominio terreum, eadem ratione mannam perperam esse dico rorem terrena portione mistum. *Responsio*. De facultate purgandi, quæ mannę inest, in sequente articulo pertractabo. Interim scito, te in hac argumentatione mendacem, ridiculosum, & logicę ignarum te ipsum pręstare; Singula probare facilis est labor. In primis mendax es, dum ais, Auerroum, Auicennam, & Mesuem dixisse mannam similitudine naturę purgare: neq; viri doctissimi admodumq; insignes in hunc errorem incidissent: hoc inferiùs manifestum euadet. Deinde ridiculosus es, dum ais experimento quotidiano constare, purgandi bilem facultatem à similitudine naturę, mannę inesse. Nam aliud est ratio, aliud experimentum, quod sensibus acquiritur; At quo, quęso sensu acquiris similitudinem naturę inter mannam, & bilem? Illa alba est, hęc flaua: illa dulcis, hęc amara: illa genita per concretionem à frigore, hęc per adustionem ab excedente calore: illa moderatè calida cum humiditate, hæc excedens in calore cum siccitate;

Mendacium.

Ridiculum.

citate; Quid plura? non alia duo inter se magis dissimilia natura inuenies, quàm hæc, quæ tu similia esse dicis. Tertio loco se prodit tua in logicis ignorantia; Nam argumento vteris, quod aliquid habet in antecedente, quo caret in consequente: quippe in antecedente flauam bilem ais, non debere dici à prædominio terream, in consequente expungis illud prædominium, & inquis, mannam perperam dici rorem terrena portione mistum. Expunge ergo illud prædominium in antecedente, sicut fecisti in consequente, & tunc remanebit, flauam bilem non debere dici humorem terrena portione mistū, quod omnino est falsum quippe fit ex sanguine, quem terræ nimium habere, tibi probat Aristoteles ex eo, quod fibras habet: fibræ autem sunt terræ. Abi igitur, & ex tua ista ignea manna ignem tibi para. Logicæ ignorantia. Arist. meteor. summa 2. c. 3.

6 *Quarta.* Philosophus ait, mel ideo esse terræ, quoniam à frigido non concrescit, sed incrassatur non euaporans ab igne; Cum ergo manna frigore vicissim concrescat, non incrassetur, iam, ex Aristotelis doctrina, contra me statuis, mannam esse diuersum quid ab aereo melle, ac non esse rorem mistum cum terræ prædominio. Tria hic in te admiror, primo grammaticam, qua illud *vicissim* accipis pro *exaduerso*: cùm tamen hactenus omnes putassent *vicissim* dici, hoc est, *alternatim*. Deinde tuam philosophiam, qua mel, & aereum mel vnum, & idem esse, putas, cum sint adeò diuersa, vt mel hominum artificio confici possit, aereum mel solius naturæ ordine; Tertio tuam logicam: quandoquidem conficis argumentum, cuius maior propositio sic habet: *Mel ideo est terræ, quoniam a frigido non concrescit, sed incrassatur*; minor autem sic: *Manna frigore concrescit, non incrassatur*: consequentia autem hęc est: *Ergo manna est diuersum quid ab aereo melle, ac non est ros mistus cum terræ prædominio.* Videsne, quàm dissonans sit consequentia à præmissis? In maiore loqueris de melle, videlicet apum (de hoc enim loquitur Aristoteles, quem tu citas) in minore de manna secundùm se totam, in consequentia de aereo melle, & de parte mannę prędominante. Accedit, quod minori nullam adhibes probationem, qua valde indigeret: in minore habes terrę prædominium, quod ego nunquam dixi. Poteram etiam admirari tuam eximiam veritatem: si quidem ais, Aristotelem ideo dixisse, mel esse terræ, quoniam à frigore non concrescit, sed incrassatur. At bonus ille magister de mellis concretione ibi non loquitur, sed mel reponit inter illa, *quæ incrassantur non euaporantia ab igne*; Quòd autem non neget, mel concrescere, constat: siquidem in eadem serie constituit oleum, lac, & sanguine: at lac concrescere, dixit Virgilius: sanguinem concrescere, dixit idem Aristoteles ibidem: concrescit enim eo, quod exsiccetur infrigidatus. Itaq; Aristoteles lotium, acetum, lixiuium, serum, quę omnia licèt concrescant, nihilominùs non incrassantur, sed ab igne euaporāt, opponit melli, oleo, & reliquis, quę ab igne crassiora euadunt; Nunquid hinc colligis, Aristotelem dixisse, mel à frigore incrassari? Sed si à frigore, cur addit, non euaporans ab igne? Non ne vides, ibi agere de crassitie, quæ acquiritur non à frigore, sed ab igne, sine euaporatione, quam aliàs patitur aqua, & reliqua, quę aquea sunt? Porrò Nyphus optimè ex eo, mel terreum esse, colligit, quòd non tantùm ab igne incrassatur, sed ampliùs à frigido concrescit. Ex his vnusquisq; videt, quàm inanis sit isthęc tua argumentatio. * Logicæ error. Nyphus.

De facultate purgatiua Mannæ.
Articulus Secundus.

1 TVA me confusio cogit, quæ iam dixi, iterum repetere: nam tu repetitis accusationibus, vt multiplices in conuicijs, me cupis onerare. Attamen quò breuiùs potero, me hoc fasce leuabo. Iam superiùs satis dictū est, mannam cognitam fuisse Galeno, sed non sub hoc nomine, verùm sub nomine mellis aerei: hoc plurimorum autorum celebrium testimonijs comprobaui: si plura cupis, plurima adhuc supersunt. Dictum pretereà satis est, mannę facultatem purgandi Galeno ignotam fuisse: hoc etiam manet diffusè tractatum. Neq; verò Galenum, propterea quòd hanc facultatem ignorauerit, accuso, vt tu mei accusator mihi obijcis; Quę enim accusatio locum habet,

habet, si adhuc suo tempore non erat nota hęc facultas? Quòd si accusatio dici meretur, communem accusationem voca, siquidem omnes ita sentiunt: omnes, inquam, præter vnum Mesuem, qui, vt dixi, nescio, quomodò medicamenta purgantia composita ex manna ad Galenum autorem refert. Tu putas, Mesuem librum aliquem Galenicum habuisse, quem non habuit Auerrous, neq; præter Auerroum etiam alij. Sed falsa est isthæc tua coniectura: quippe, vt omnes norunt, Galenus mannæ nomen (relinquo thuris mannam) ignorauit, eamq; sub mellis aerei nomine cognouit. Tu putas, mannam ignorasse, quia nomen mannæ apud eum non reperitur: quasi verò in nomine rei veritas consistat. Aut tu quæris, an cognouerit Galenus id, quod posteri eius mannę nomine significarunt, aut, an cognouerit hoc nomen manna: de nomine non est quęstio: neq; enim reperitur apud Galenum: de re autem acquiesce tot viris eruditissimis existimantibus, eam Galeno cognitam fuisse. Rursus, aut quęris, an Galenus cognouerit mannam, aut quæris, an cognouerit facultatem purgatiuam mannę; mannam cognouit, facultas adhuc suo tempore erat ignota.

2 Quicquid circa hanc mellis, & aerei mellis, & mannæ controuersiam deliras, ex eo tibi aduenit, quòd caput illud Galeni non intelligis: hoc etiam satis est dictum. Est ergo manna medicamentum purgans, tu autem ais, me asseruisse, mannam non esse alimentum, sed medicamentum purgans. Ego ne vnquam negaui, mel esse alimentum? Pagina trigesima nona mei tractatus de asitia valde breuis est: eam potest vnusquisq; perlegere: si tale quidpiam dixi, reus sim mortis, aliàs Deus hominem nequam perdat, qui mendacijs, & conuicijs rem suam stabilire nititur. Ego medicamentum dico, & simul alimentum; nam medicamenta alimentosa esse, & cassia, & pruna, & alia similia nos docent. Cœterùm Galenus, mel, dixit, esse alimentum, mel, inquam, apum: nam de melle aereo, vt iam dixi, nihil ex professo tractat, sed historiam narrat, vt roris, & mellis materiam congenerem esse, dicat. Profectò hęc omnia toties sunt dicta, vt timeam, ne lector offendatur: quippe *Offendit miserum crambe repetita magistrum.* Moneo igitur te, ne audeas deinceps, cum verba Galeni transcribis, aliquid de tuo addere, ne doctrinam tanti viri tuis absurdis positionibus contamines. Loquitur ille de melle, tu mel vtrumq; adiungis, vt quod ille de apum melle dixit, tu ad mel aereum, seu mannam turpiter trahas.

pa. 39. | Mendac.

3 Manna igitur purgat bilem, purgat & serosos, & pituotosos humores: bilem tamen præcipuè, quia hæc semper faciliùs medicamento cedit: cumq; manna debilem habeat purgandi vim, potest trahere bilem maiori facilitate, quàm reliqua. Quòd autem debilem habeat vim ex Auerroo addiscito: inquit enim. *Et eius proprietas est purgans suauiter choleram, & est debilior alijs purgatiuis.* Purgat igitur, ex Auerrois, & aliorum testimonio, choleram, cum sit debilis, sed purgat hanc, quę stimulum habet, & facilè irritatur. Vnde ex Hippocratis decreto, in superpurgationibus semper prior alijs humoribus egreditur ex aluo. Itaq; non electiuè purgat, sed, vt ait Ioannes Brauus, purgat simplice ratione. Quare optimè Altomarius de eius facultatibus sic ait: *Quapropter guttur, pectus, ac ventrem lenit, leniendoq; cum facilitate quadam bilem educit, ac sitim sedat, præter id, quod sua dulcedine; si cum alijs purgantibus misceatur, medicamentis, eorum operationes vigorat: efficit enim, vt natura, ob eius dulcedinem, ea aggrediatur, ac ad actum ducat.* Sic ille; Vbi tamen animaduerto dictum, sitim sedare, cum tamen, quia dulcis est, sitim multoties concitet. Verùm hoc contingit, quando serosos, aut pituitosos humores è ventriculo educit: quando verò educit bilem, quę siticulosum efficit ventriculum causam sitis, & subinde sitim aufert. Atq; hęc de purgatiua manna, siue de melle aereo sint satis. Plura, quę addis, partim blatterando, partim conuiciando, vt persistas in primo errore, mel aereum non distinguens à melle apum, distinguens tamen à manna, satis iam vsq; ad nauseam sunt acta. Illud pro coronide adiungo, te (siquidem contra omnem medicorum sententiam sentis) debuisse eos nominare, illorum coniecturas infringere, & aliquam tantorum virorum mentionem facere: quod cum non facias, & existimes hoc, quod commune apud omnes est, meum esse inuentum, forsitan tibi ex ignauia, & ignorantia prouenit, forsitan etiam ex malignitate.

H. de natura human. | Brau. de purgat. | Altomar.

De

De Manna hebræorum.

Articulus Tertius.

1 SVpernè delabens cibus, vt inquit Suidas, est id, quod appellatur manna; Huius vocabuli etymon traditur in sacra pagina: nam *Apparuit in solitudine minutum, & quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram. Quod cum vidissent filij Israel, dixerunt ad inuicem: Man hu (quod significat quid est hoc) ignorabant enim quid esset.* Cum igitur originem trahat ab idiomate hebræo, & vox sit ab hebræis inuenta, à quibus aliæ gentes posteà nomen ad significandum rorem concretum ex cœlo delabentem, similitudine quadam ducti mutuarunt, rectè hinc colligi potest, meritò Matthiolum, & Altomarium eam mannam, quę è cœlo cadit, alteri ex incisuris arborum collectæ præferre. Suidas in verbo manna. Exod.c.16.

2 Vallesius, & Conimbricenses, & alij volunt illam hebræorum cum hodierna, qua in medicina vtimur, eiusdem speciei esse. Quid nunc ais Satyre? nempe hoc à te esse acceptum, qui idem priùs obieceras Vallesio: Conimbricensium autem non meminisse, quia posteriores Vallesio sententiam hanc ab eo desumpserunt. Turpis isthæc tua est arrogantia; An non poterat alius absque tuo auxilio Vallesium legere? Cauere deinceps oportet, ne aliquid à te priùs dictum proferatur, alioquin accusator ades, qui furti vnumquemque insimulabis. Hoc autem tibi semel sit dictum, non esse furti accusandum, nisi eum, qui dogma aliquod alterius, innominato autore affert. Quando ergo aliquod tuum inuentum mihi arrogagauero, latrocinij nota insigniri volo. Amaritudinem tamen, si quam in me tua hac sycophantia genuisti, satis compensasti risu, in quem delapsus sum, quando vidi, te Conimbricenses non meminisse, quia Vallesio posteriores sunt, cum tamen eo priores fuerint, neq; si posteriores fuissent, adeò exiguæ notæ sunt vt eos omittere debuisses. Itaque ad rem venio. In pluribus mannam nostram ab hebræorum manna differre, monstraui; Tu, qui iam priùs differentiam inter vtramque fassus fueras, non potuisti à me recedere: recedis saltem, quòd cum eas inter se differre dicas, inter se in multis conuenire teneas, vt sic semper belligerandi occasionem habeas. Sed quæ nam sunt istæ conuenientiæ? nempe, quod vtraque de Cœlo pluit. At ros, pruina, pluuia, & fulmina etiam è cœlo pluunt; deberes insuper considerare, quomodo vtraq; pluit è cœlo, quod tibi inferiùs monstrabo. Addis vtriusque colorem ad albedinem vergere; Hæc etiam conuenientia generalis est, & tam rori, quàm pruinæ, quàm etiam mannæ communis, imò & mel apum, si exquisitum sit, album esse solet. Addis vtrique similem figuram granorum coriandri, vtique par magnitudo granorum inest. At non te pudet, in re manifestissima mentiri; Vade ad seplasiarios: ostendent tibi mannam satis à seminibus coriandri diuersam, quippe in frusta valde maiora diuisa est; Describit tibi sacra pagina mannam illam antiquam, & ait, *Apparuit in solitudine minutum & quasi pilo contusum in similitudinem pruinæ*; Huic ne tibi similis videtur nostra manna ex rore concreto facta? Adiungis vtramque glutinosæ, pinguisque consistentiæ. Quis, quæso, tibi reuelauit, mannam illam hebræorum glutinosam fuisse, nam ex sacra historia scio, te hoc non accepisse? Concludis tandem sic: *Ob quæ à viris doctis pro vna, & eadem habita fuit.* Tu tamen diuersas esse sentis: quare te ipsum à doctorum numero excludis, neq; aliàs quàm nunc te meliùs coguouisti.

pa.71. ☞ Ridiculum. pa.72. ☞ Infra n.8. mendacium.

3 Itaque enarrare incipiam differentias, quas inter vtramq; inuenio. Prima est, quòd manna hebręorum, semina coriandri referebat, nostra autem tamquam fragmenta sacchari conspicitur. Hanc tu differentiam reprobas: tum quia Garzia ab Horto, secundam speciem orientalis mannæ prouenire, ait, in carduis, & esse quædam grana maiora granis coriandri medij: tum quia Matthiolus, mannam orientalem

masticbinam appellari, ait, à similitudine granorum mastiches, cum inter grana mastiches plurima spectentur coriandri seminibus æqualia. Pulchrè te in hac differentia geris; In primis in Indiam es profectus, vt afferres mannam orientalem, cum tamen occidentalem apud nos haberes, quæ tibi potuisset inseruire; Deinde mannam orientalem accipis non omnem, sed secundam eius speciem, vt possimus dicere, alias saltem species non esse similes mannæ hebreorum; Vlteriùs mannam maiorem granis coriandri, dicis, esse similem mannę referenti granis coriandri; Posses ergo cum Virgilio dicere

Sic canibus catulos similes, sic matribus hædos
Noram, sic paruis componere magna solebam.

Tandem quòd inter grana mastiches aliqua sint exigua, quæ non excedunt magnitudinem seminis coriandri, & ob id manna orientalis appellatur masticbina, vis, omnem mannam, omnia mannę grana esse granis coriandri similia. Accedit, quòd masticbina manna, non ex paruitate granorum ita appellatur; Sed tu, quantumuis in tuam sententiam aliorum dicta violenter velis trahere, nunquam efficies, vt differentia allata non sit vera, & satis nota; Quòd autem mysterium in hac similitudine mannæ ad coriandri semina includatur, inferiùs dicetur.

Infra n. 7.

4 Altera differentia, quam affero, est, quòd *hæc pluit certis temporibus, certis quibusdam regionibus, supra quasdam plantas, illa continuò in solis hebræorum castris, & singulis diebus, præter quàm sabbato.* Hìc tu in primis reperis, quod mordeas: nempe quoniam dixi, mannam hodiernam cadere supra quasdam plantas: ais namque, te paullo anteà, id falsum esse, detexisse *antiquorum placitis, & recentiorum obseruationibus, ac certis experimentis*: in quo, vt soles, turpiter mentiris: imò verò hæc omnia tibi aduersari, manifestè constat. Addis, aliud esse è certis plantis effluere, aliud super quasdam plantas depluere. Tu verò sapientissimus mortalium non in me, sed in Mesuem hoc iaculum conijcis, qui sic ait: *Manna est ros cadens super quasdam plantas, & lapides,* & quæ sequuntur. Mesuen sequuntur Altomarius, & alij. Quare vel tu plus his omnibus sapis, vel mea dictio, celebrium autorum dictionibus consona, à te perperam reprehenditur. Deinde quoniam dico, mannam illam continuò in solis hebreorum castris apparuisse, tu illud continuò damnas, quia existimas dictum, quasi velim significare toto anno, singulisq; diebus. At si ego ita vellem, non erat cur dicerem *continuò in solis hebræorum castris, & singulis diebus*: esset enim nugatio, nempe singulis diebus, & continuò, hoc est iterum singulis diebus; *Continuò* volui dicere, hoc est, promptè; (vnde Moses dixit populo *Nullus relinquat ex eo mane*, quippe prompta qualibet die vnicuique portio erat) aliàs si continuè vellem dicere, falsum dicerem: quippe non continuè pluebat: quandoquidem septima quaque die, id est, sabbato interpollabat. Tu verò, quę tua est mordendi auiditas, corrumpis sensum vocabulorum, vt inuenias, quod mordeas. Sed vnus ex illis mihi videris, in quos Comicus ait;

Mendacium.

Qui res alienas curant opere maximo,
Qui omnia se simulant scire, nec quicquam sciunt.

Sed dic sodes, quando continuè scribendum foret, & continuò scriptum fuerit; adeò ne magnus hic tibi error videtur, vt eum Musis plectendum tradas, quas scio te castigaturas libentiùs, quòd poetandi leges violaueris, & syllabarum ignoraueris mensuram? Vide tuum epigramma insulsum iners. Cœterùm, vt ad mannam redeamus, illa, qua pluit Dominus in deserto filijs israel, singulis diebus, prę̨ter quàm sabbato, pluebat: *In die autem septimo,* (dixit Moyses) *Sabbatum est Domini, idcirco non inuenietur; Venitq; septima dies, & egressi de populo, vt colligerent, non inuenerunt.* Hęc circunstantia, & aliæ de quibus mox dicam, ostendunt mysticum fuisse cibum, neq; cum cibo naturali conferendum. Et quod ad hanc pertinet, vnum reperio maxima consideratione dignum; videlicet quòd isthæc diei sabbati

cessatio docuit populum tunc manducantem, ea die esse quiescendum ab omni opere. Ideo iubetur, *Vt maneat vnusquisq; apud seipsum, & nullus egrediatur de loco suo die septimo, & sabbatizauit populus die septimo.* Quòd verò die Dominica primùm manna pluit in deserto, vt docet D. Augustinus, & Origenes, qui hoc probat ex eo, quòd dicitur manna pluisse sex diebus continuis, septima autem die cessatum fuisse: quòd, inquam, die dominica cœpit pluere, & sabbato non pluit, *intelligant Iudæi* (inquit Origenes) *iam tunc prælatam fuisse dominicam nostram Iudaico sabbato, & indicatum quòd in sabbato ipsorum gratia à Deo ad eos de Cœlo nulla descenderit.*

D. Aug. serm. 251. de tépore. Origen. hom. 7. super exod. Numer. c. 11.

5 Tertia differentia, quoniam hæc seruatur per plures menses incorrupta, illa seruata in posterum diem corrumpebatur, & die sexta duntaxat licebat colligere in diem septimam. Hoc etiam me apud te legisse, ais: tuum ne est inuentum? ergo à te etiam idem accepit diuinus historicus, apud quem vnusquisq; hoc ipsum reperit. *Dixitq; Moyses ad eos, nullus relinquat ex eo mane: qui non audierunt eum, sed dimiserunt quidam ex eis vsq; mane, & scatere cœpit vermibus, atq; computruit.* Quòd autem die veneris in sabbatum liceret seruare portionem alterius diei absq; corruptione, ibi etiam narratur: *Hoc est, quod loquutus est Dominus, Requies sabbati sanctificata est, Domino cras: quodcumq; operandum est, facite, & quæ coquenda sunt coquite: quicquid autem reliquum fuerit, reponite vsq; in mane. Feceruntq; ita, vt præceperat Moyses, & non computruit, neq; vermis inuentus est in eo.* Ecce tibi ex sacra pagina, quod manna hebræorum in posterum diem, præter quam in sabbatum, seruata putrescebat. Quòd autem nostra manna seruetur per menses incorrupta, vade ad seplasiarios, qui tibi eam ostendent. Quid ergo oportebat abs te admirabili autore hæc futurari?

6 Porrò quòd manna singulis diebus colligeretur præterquam in sabbato, expendens Theodoretus, eam reddit rationem, voluisse scilicet Deum, docere illum populum quandam vitæ rationem à curis liberam: vnde quia aliqui diffidenter in posterum diem seruauerunt, hanc ob causam manna computruit, & vermibus scatens reperta est: quòd enim id vitio mannę non acciderit, fidem facit sabbatum, in quo integra seruabatur. Cur verò sabbato nō plueret, aliam affert idem Theodoretus rationem: quia cum Deus hebręis lege pręcepisset, quiescere die sabbati, voluit quoq; ipse, suo exemplo eos ad præceptum seruandum excitare.

Theodoret. in quæst. super exod. quæst. 31. Idem q. 32.

7 Aliud etiam erat in manna illa hebręorum valde considerabile, quod in sacra pagina narratur: quippe, *Collegerunt alius magis, alius minus, & mensi sunt ad mensuram gomor, nec qui plus collegerat, habuit amplius, nec qui minus parauerat, reperit minus: sed singuli iuxta id, quod edere poterant, congregauerunt.* Quę verba Abulensis sic intelligit, vt quamuis re ipsa alij plus de manna, quàm alij colligerent, prout quisq; magis, vel minus indigebat: tamen cum veniebatur ad mensuram, quę publicè erat proposita, omnes reperirent vnum tantum gomor, quę erat quantitas pro singulis definita: illis enim qui plus collegerant, condensabatur manna diuinitus: ijs verò, qui minus, rarefiebat. Fiebat etiam diuinitus, vt id, quod quisq; colligebat, ipsi sufficeret. Franciscus Georgius mensuram istam, quę in vulgata editione dicitur gomer, appellat ex fonte Homer, esseq;, ait, manipulum, vel pugillum. Et quamuis varij sint appetitus, varieq; virtutes digestiuę, pugillum illum vnicuiq; suffecisse, ait: quippe etsi ęqualis erat mensura colligendi, non tamen virtus collecti, quę mensuram, & quantitatem non exquirit. Addit tandem, sic de nostro spirituali cibo dici, *sumit vnus, sumunt mille: tantum isti, quantum ille, nec sumptus consumitur.* Quòd autem manna symbolum fuerit diuinæ Eucharistiæ, tenent communiter omnes. Quod etiam potest obseruari in similitudine superius allata inter mannam, & semina coriandri: quippe (vt Philo ex rei rusticę peritis accepit) ex coriandri semine, etiam si minutissimè concidatur, singulę tamen particulę, & micę germinant, non secus, quàm si coriandrum foret integrum: quod optimè quadrat in Eucharistiæ mysterium, in quo tantundem virtutis continent singulę particulę diuisę hostiæ, quantum hostia integra: Philo etiam allegoricè hanc similitudinem refert ad Dei verbum, quod vel minima sui particula prodest audientibus, fructumq; virtutis producit: prior tamen sensus prestantior est, & magis proprius.

Abul. q. 17 in cap. 16. exod.

Franc. Geor. prob. 351.

Supra n. 3. Phil. lib. 2. alleg. sacræ leg.

8 Non tamen hic prætereundus est modus, quo manna illa hebręorum è

Supra n.2. cœlo cadebat, quod me explicaturum superius pollicitus sum: nam in hoc
quoq; magna cernitur differentia inter hodiernam mannam, & mannam he-
bręorum: quippe hodierna, cùm eius materia sit ros, totum illum in se absu-
mit, neq; dum pluit manna, ros simul in terram cadere conspicitur, sed ipsa
est pro rore. At manna illa hebræorum, quæ diuinitus pluebat, ita spargeba-
Exo.c.16.cit. tur, vt simul cum ea ros descenderet: Vnde in Exodo, *Mane quoq; ros iacuit
per circuitum castrorum, cumq; operuisset superficiem terræ, apparuit in solitudine minu-*
Numer.c.11. *tum, quasi pilo tusum in similitudinem pruinæ super terram*; Et in Numeris, *Cumque
descenderet nocte super castra ros, descendebat pariter & man.* Hoc autem aliqui sic
intelligunt, vt primo caderet pruina super terram, deinde manna desuper,
tum ros aliquantulum concretus, ita vt manna esset intermedia reposita in-
ter duo veluti stramina pruinæ, & roris, quòd purum, & immune à sordibus
colligeretur à populo: nam quòd priùs descenderit pruina, & super eam mã-
na, colligitur ex illis verbis Numerorum, *Cumq; descenderet nocte super castra
ros, descendebat pariter & man:* pro quo in hebræo est *descendebat super eum manna.*
Quòd autem rursus super mannam ros descenderet, ostenditur ex illis verbis
Exodi, *Mane quoq; ros iacuit*, pro quo in hebręo est, *Mane quoq; fuit operimentum
roris*, quod interpretantur autores illi de rore paulum concreto qui esset ip-
sius mannæ operimentum, & quo, oriente Sole, liquefacto maneret manna
discooperta, id est manna, quę erat minuta instar granorum coriandri, appa-
Lyra. rebat, liquefacto rore, discooperta. Hanc sententiam refert, & sequitur Ni-
Abul.q.18. colaus de Lyra; Abulensis verò quamuis non admittat illum rore, qui coo-
periebat mannam, admittit tamen pruinam, quę priùs descendebat, & hunc
ponit ordinem, vt scilicet Deus priùs mitteret ventum, qui superficiem terrę
purgaret, deinde descenderet pruina, tum verò manna.

9. Quarta porrò differentia esto sumpta a sapore: quippe hodierna saporem
habet cum dulcèdine quadam ingratum: illa adeò erat grata, vt sacra pagina
Sapient.c.16. in libro Sapientię appellet eam *Omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis
suauitatem*. Hoc etiam à te acceptum exclamas: At saporem hodiernę man-
nę mihi quotidie experiri contingit, sapor autem mannæ antiquæ in sacra pa-
gina cuilibet patet. Habesne aliquid tuum, quod surripi possit? affer: nam
de his vulgaribus, & non tuis, ita inaniter gloriaris, vt Camillus Gloriosus
mihi in mentem reducat, te meritò Saltamartinum appellari. Vndeq; tu is
Cic. epist. ad Atticum.lib.5 epist. quæ in cipit. Saturnalibus mane. mihi videris, qui ex Ciceronis dicterio, laureolam in mustaceis quęris. Itaq;
omnis saporis suauitatem inesse mannæ, dictum puto hyperbolicè, ad signifi-
candum iucundissimum saporem, quo manna erat prædita, non autem, vt
volunt aliqui, quod se se ad vniuscuiusq; libitum accommodaret. Duo hic
mihi obijcis, vnum, quòd locum sacrę paginę adduco mutilatum, alterum,
quòd eiusdem sensum corrumpam. Vtraq; tui ingenij calumnia est.

10 Quod spectat ad primam: Agebam de sapore mannæ, dixi ex ore diui-
nę sapientiæ, esse *omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem*.
Quorsum plura adderem? quod si plura cupis, adire potes librum, qui vni-
cuiq; patet: mutilata ne est sententia? minimè deceptio quę namq; esse potest, si
locum cito obuium cuilibet, qui vberiore lectione velit saturari. Num po-
tes verè dicere me subdolè verba conticuisse, quę si non transcripsi ea tamẽ
explicaui? Quę sunt isthęc verba? nempe *& deseruiens vniuscuiusq; voluntati
ad quod quisq; volebat, conuertebatur*. Non ne tibi dixi, hęc verba per hyperbolẽ
esse dicta, ad significandum iucundissimum saporem, quo erat prędita, nõ
autem quod se se ad vniuscuiusq; libitum accommodaret?

11 Quod ad secundam attinet, hic tu me falsitatis insimulas, quòd sacrum
textum corrumpam, & refellam: cum enim textus habeat *deseruiens cuiusq; vo-
luntati, ad quod quisq; volebat, conuertebatur*, non videtur posse negari, habuisse
mannam omnem saporem, & ad vniuscuiusq; libitum accommodatum.
Cœterùm, cum in eadem sacra pagina narretur certus, & determinatus sa-
por, quo manna erat prædita, explicandus necessariò est contextus, vt à con-
tradictione absoluatur. An nescis plures vnius sententię posse esse sensus?
tropologicum, analogicum, allegoricum, historicum? Profectò qui hoc
ignorat, abstinere debuisset ab scribendo, maximè de rebus serijs. Audi tamen
parumper me, & tibi faciam satis.

12 Plurima sunt loca in sacris litteris, quę ex sanctorum Patrum expositione
multi-

multiplicem recipiunt sensum e. g. in psalmo, *Dominus dixit ad me, filius meus es tu, ego hodie genui te.* D. Augustinus exponit hæc verba de æterna Verbi generatione ex patris substantia; Secundo intelligitur à D. Paulo de gloriosa Christi ex mortuis resurrectione: ita enim prędicãdo dixit: *Quoniam hanc Deus adimpleuit resuscitans Iesum, sicut & in psalmo secundo scriptum est, filius meus es tu, ego hodie genui te;* Tertio intelligitur de generatione temporali ex deipara Virgine, Theophilatus in c. 1. Matthæi. Plura alia sunt loca, quæ plures sensus recipiunt: verùm istud sufficiat pro exemplo. Imò verò multoties in scriptura sacra est omnino relinquendus literalis sensus, & accipiendus metaphoricus, siue etiam allegoricus, quod honestatis causa fieri, latissimè ostendit Ioannes Pineda in Iobum. Sed pręcipuè hoc patet in libro, qui inscribitur Cantica canticorum: cum enim sit sacer, canonicus, & propheticus, non debent, quæ in eo scripta sunt, intelligi ad litteram, sed totus dicendus est allegoricus, non autem historicus, eiusq; narratio genus est loquutionis rerum figuratarum, non autem gestarum, quod D. Augustinus nos docet. Igitur sanctorum patrum securas, receptasq; libentissimo animo prosequor semitas, & sententiæ huius sancti doctoris adhæreo, qui docet, in scriptura sacra aliam esse lectionem propriam, aliam figuratam; Quare legens sacram scripturam perpẽdere debet, an verba sumi debeant secundùm hanc, an secundùm illam lectionem. Cauendum tamen est, vt inquit ipse, ne figuratam lectionem ad literam accipiamus, aut literalem ad figuram. Modus autem inueniendi, an loquutio sit figurata, vel propria, assignatur ab eodem: quicquid enim in sermone diuino neq; admodum honestum, scilicet ad diligendum Deum, vel proximum, neq; ad fidei veritatem propriè referi potest, figuras esse cognoscemus. Ita quando duo loca inter se pugnare videntur, vt auferatur contradictio, alterum istorum figuratum esse dicere oportet. Quare optimo quidem iure Doctissimus sacrarum literarum expositor Ludouicus Sotomayor in cantica canticorum, vt auferret contradictionem, quæ subesse videbatur, dum sponsa ait, *Nigra sum, sed formosa,* sponsus autem de ipsa, *Tota pulchra es amica mea,* inquit, *rationem illam sponsi cum dicit tota pulchra es amica mea, laudatoriam esse, atq; proinde hyperbolicam: hyperbole enim, seu amplificatio maximè seruit dicendi generi laudatorio, quali quidem genere vtitur sponsus ibi, & aliàs sæpe.* Ita ait vir iste admirabilis.

Ps. 2. D. August. Act. apost. c. 13. n 32. Theophil. Pin. in Iob. c. 31. ver. 10. n. 3 Aug. 8. de genes. c. 1. Aug lib. 3. de doct. christ. c. 12. Ibid. c. 5. Ibi. c. 10. c. 16 Sotomayor p. 158. col. 2. D.

13 Accede nunc ad rem nostram; In libro Sapientiæ manna extollitur laudatorio genere sic, *Pro quibus Angelorum esca nutriuisti populum tuum, & paratum panem de cælo præstitisti illis, sinè labore, omne delectamentum in se habentem, & omnis saporis suauitatem, substantiam enim tuam, & dulcedinem tuam, quam in filios habes, ostendebas, & deseruiens vniuscuiusq; voluntati, ad quod quisq; volebat, conuertebatur.* Sic illic; Oportuit autem nunc totum transcribere encomium, cum priùs, quoniam loquebar de sapore, pauca illa verba sufficerent. Porrò hoc encomiũ in genere laudatorio hyperbolicè (vt inquit præfatus Sotomayor) est accipiendus, neq; hæc acceptio vitiat textum, quod tu putabas. Quòd si Lyranus, & alij hoc referunt ad bonorum pręmium, & malorum pœnam, in alio sensu, videlicet in sensu mystico eadem verba accipiunt, quod fieri posse iam supra manet probatum. Potestq; etiam accommodari ad similitudinem cum Eucharistia, quæ est panis cœlestis, & vt D. Paulus ait, his est in pœnam, illis in salutem. Quare, vt poteris ex Sixto Senensi addiscere, & nos iam te docuimus, nullum est inconueniens, vni, & eidem sententiæ tropologicum, analogicum allegoricum, & historicum sensum accomodare; Vt iam desistas à turpitudine tuæ accusationis.

Sixtus Senẽs. bibliot. sanct. lib. 3.

14 Itaq; mannæ hebræorum certus quidam erat sapor, *Gustusq; eius quasi similæ cum melle,* dicitur in Exodo; & iterum in Numeris, *Erat autem man, quasi semen coriandri coloris bdellij, circuibatq; populus, & colligens illud frangebat mola, siue terebat in mortario, coquens in olla, & faciens ex eo tortulas saporis quasi panis oleati.* Tunc ego quæro, nunquid ita fieri possit ex hac nostra manna: Tu promptè respondes, si de sapore naturali vtriusq; tractemus, non differre omnino mãnam nostram à manna hebræorum. Hæc tua responsio, nihil à tuis moribus recedit. In primis continet mendacium manifestum: quis enim est, qui nequeat gustum mannam nostram experiri, & videre, num referat saporem similæ cum melle, aut ex ea fieri possit tortula, quæ saporem habeat panis oleati?

Exod. cit. Numer. c 11. pa. 74. Mendacium.

oleati? confice quæso tortulam ex manna, & pueris, quos domi habes, præbeto, vt te veracem faciant. Ita ne in eo, in quo tibi omnes possunt falsitatem exprobrare, mentiri audes? Deinde cum dicas, si de sapore naturali vtriusq; tractemus, videris sentire aliter rem se habere, si de sapore naturali vtriusq; tractemus, aliter si de supernaturali, atq; ita hodiernæ mannæ tribuere saporẽ supernaturalem. Sed siste parum: quis est iste sapor supernaturalis, vel in hac, vel in illa manna? Forsitan saporem supernaturalem accipis ex eo, quòd Lyranus ait, mannam habuisse triplicem saporem, vnum naturalem, & erat quasi sapor mellis, alium supernaturalem, & hic duplex erat, quippe bonis sapiebat, vt volebant, malis autem hominibus erat cibus insipidus? Hinc ne colligis saporem supernaturalem fuisse eum, qui bonis erat ad libitum, malis insipidus. At non assequeris mentem Lyrani: Maius opus est, quàm vt intellectui tuo queat accommodari. Oportebat adire Abulensem, vt addisceres ab eo saporem naturalem mannę ei à natura inesse, supernaturalis verò licèt dicatur esse mannę, non dicitur inesse mannæ, sed ei per attributionem conuenit re autem prouenit à dispositione subiecti, talem saporem recipientis: sicut enim, citra miraculum, vna, & eadem res vnum duntaxat saporem habens, vario modo diuersos homines afficit, vnde est illud Horatij, *Tres mihi conuiuæ propè dissentire videntur. Poscentes vario multùm diuersa palato*, sic miraculosè propter peccatum diuina vltio, & propter bonitatem diuina beneficentia voluit, vt manna in ore bonorum suauis representaretur, in ore autẽ improborum insuauis, nihilo interim mutato in ipsa manna, sed in dispositione organi sensitiui: iccirco viris probis omne delectamentum in se habere videbatur, improbis autem nauseam mouebat. Quòd ergo hoc non proueniret ex parte mannæ, constat in primis, quoniam cum tribuenda sit supernaturaliter adueniens qualitas, longe decentius, & rationi magis consentaneum est, vt tribuatur humano sensui, quàm rei inanimatæ, qualis est manna. Deinde si manna esset bonis supernaturaliter omnium saporum particeps, malis autem supernaturaliter ingrata, sapor naturalis neq; horum, neq; illorum respectu esset necessarius, ac proinde penitus inutilis, & frustra. Vlteriùs, sapor naturalis in manna erat optimus, vt pote habens in se omne delectamentum, ac subinde omnes gratos sapores in se eminenter continebat, cumq; sapor naturalis esset gratus (quippe erat vt sapor similæ cum melle) continebatur sub sapore illo gratissimo, & sic erat in potentia scilicet contentus eminenter sub sapore supernaturali, & erat actu, nempe ipsi mannæ naturaliter inexistens: at rem vnam simul actu, & potestate esse philosophiæ contradicit, & philosophiæ parenti Aristoteli, cuius tu dogmata deberes venerari. Tandem si in manna variandus esset sapor pro libito vniuscuiusq;, cum variatio ista saporis esset miraculosa, fierent continua, & infinita miracula: quod non contingeret, si ad dispositionem organi referretur: nam in prauis, praua dispositio efficeret, vt hoc cibo stomachus nausearet, in bonis bona suauitatem gigneret ad libitum. Hoc Abulensis declarat, quoniam poterat Deus in organo gustatiuo ponere diuersas species saporum, sicut potest in oculo species obiectorum absensium collocare, quibus conspiciamus res, quæ non sunt in nostra præsentia. Habet ergo (vt ille ait) manna saporem determinatum, consequentem modum dispositionis suæ, varietas autem prouenibat ex parte organi. Vide apud eum plura circa hoc valde pulchra.

15 Vltimam differentiam statuo, quòd hæc nostra manna aluum soluit, illam aliam, nemo sanæ mentis, hac facultate præditam esse, arbitrabitur. Hanc tu, etiam differentiam, ais, agnouisse; O magnum virum, cui hæc naturæ arcana patent? magnam ne rem existimas, cognoscere mannam, quæ data fuit in cibum, & appellabatur panis fortium, non debuisse habere facultatem purgandi? At ego ita manifestam esse existimaui, vt aliter sentientem delirum esse, dixerim. Insanire ergo Vallesium *hac in parte*, dixi: quippe ait in principio cibum istum contulisse, vt medicamentum, ad deponendam cacochymiam, quam ex esu cucumerorum, peponum, porrorum, & alliorum, quibus multo tempore in Ægypto erant cibati, contraxerant; expurgatis iam consuetudo fecit idoneum, & suauem cibum. Hìc tu causidicum agis, & Vallesij partes suscipis; Quis inquam vidit Satyrum procuratorem? sed timeo, ne te magis libido accusandi me, quàm pietas Vallesium defendendi vrgeat.

Ridiculum.

Lyra.

Abulensis.

A. 8. phys. tex. 65. 1. de coelo tex. 132.

Valles.

pa. 75

Adagium.

Porrò

Porrò Plautus tibi diceret, te agere ędilitatem sinè suffragio, diciq; poteris ex Ciceronis oraculo *Sinè prouocatione senator, legatus sinè mandatis*, quò nil turpius esse, ait. Tandem cum eodem Cicerone appellabo te senatorem voluntariũ à teipso electum. Sed qua fronte, dum libellum nugatorium contra me scribis in ipso libello, te, hoc est maledicos, reprehendis? Pla. in Sticho Cic. 3. de legibus & philippica 13.

pa. 77. 15 Dixi, insanire Vallesium *in hac parte*: in qua nam? nempe respondes tu, quia dixi, mannam hebręorum non differre ab hac nostra: At in hac responsione rem facis tibi valde insolitam, & à tuo genio alienam: nempe mentiris: nam ego reprobo quidem Vallesium, & Conimbricenses, quòd, mannam hebręorum differre dixerint ab hac nostra, cœterùm insanire eum, dico, non ob hoc, sed quòd mannę hebręorum facultatem purgandi tribuerit, cum tamen constet, Moysen populo, cum primum apparuit manna, dixisse, *Iste est panis, quem Dominus dedit vobis ad vescendum*. Neq; verò magna iniuria Vallesio à me est illata: nam non vitio vertit Latoni Plutarchus, quod Athenis videns magnos comicos apparatus, insanire, dixit, ciuitatem, quę tanto studio luderet. At Athenarum vrbs, maiore inter alias ciuitates pollebat autoritate, quã Vallesius inter medicinę professores. Sed tu lites, & iurgia ex professo quęris, meq; sacri textus peruersorem appellas, quòd dixerim *Nauseat anima nostra super cibum istum leuissimum*, vbi dicendum foret *super cibo isto leuissimo nauseat iam anima nostra*; & mihi hoc crimen grauius facis, falsò imponens, quòd dixerim *istum cibum, & tamen cibum istum* apud me poterit quisq; reperire. Nunc an iste quisquiliarum amator tolerari debeat, an à consortio hominum reijci, viris probis considerandum relinquo. ☞ Mendacium. Plut. 7. sympos. 7.

pa. 76. 16 Cibum leuissimum dixi iuxtà vulgatam editionem, addidi verò ex Merceri translatione pro leui, dici vilem. Tu insurgis quærens, quomodò ego cũ Mercero vilem cibum appellare audeo, qui nuperrime, dixi ex eadem sacra historia, mannam esse panem eloim, panem Angelorum, panem fortium, panem è Cœlo datum, panem fortitudinis conciliatorem? addis deinde iure iurando, *Næ talis cibus vnicuiq; fuerit pretiosissimus, non vilis*. Peream, si cerebrum habes. Panis quidem erat pretiosissimus, & fortitudinis conciliator, & omnia prędicta encomia in eum quadrabant; cœterùm populus nequam, appellabat eum cibum leuissimum, eodem iure poterat appellare vilissimum: itaq; aliud est mannę laudes referre cum probis, aliud eiusdem vituperium cum ☞

pa. 75. improbis obmurmurantibus. Sed hìc non possum non admirari denuò tuam logicam, quam toties iam retro miratus sum. Recurris ad lexicographos, quos nec nominas, nec vidisse puto, atq; ais, panis nomine apud hebręos, significari omnem cibum, (imò, & apud omnes, poteras adiungere) quod panis sit maximè communis, & quòd sit pręcipuus cibus victui hominum necessarius. Sed quorsum hoc? nempe, vt in tuę logicæ officina pulchrum quendam Syllogismum possis fabricare in hunc modum. *Panis apud hebræos significat omnem cibum: at manna malis hebræis non præbebat fulcimentum virtutis, nec saporẽ gratum: ergo illis non erat panis Angelorum, nec panis fortitudinis, sed cibus leuissimus nauseam commouens*. Vtrum in hisce verbis aliquid, quod sensum immutet, mutauerim, vnusquisq; apud te videre potest. Interim argumentandi formã dialecticis examinandam relinquo. ☞ Err. in logica.

17 Porrò videbatur populus iam ab vnius cibi, pauco condimento indigentis, abhorrere; ideo clamabat. *Quis dabit nobis ad vescendum carnes? recordamur piscium, quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porriq; & cæpe, & allia. Anima nostra arida est, nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi man*. Duo hic notas reprobanda, miror, quòd non duo millia. Prima igitur obiectio est ista. Si manna, vt antea est dictum, iucundissimum saporem habuit, &, vt à Sapientia recipitur, obtinuit cuiusq; rei concupitæ saporem, certè nedum pauco, sed nullo penitus indiguit condimento. Optimè interrogas, mercedem accipito: nempe mutuam interrogatiunculam. Nonne dixisti ex Lyrano, cibum illum, hoc est mannam, bonis fuisse iucundum, prauis iniucundum? at qui murmurabant, praui erant: si praui, cibus eis erat iniucundus, si iniucundus, condimento opus habet: siquidem tumet fateris, & vnicuiq; est notum, condimenta cibis adhiberi ad conciliandum saporem. Interrogas iterum; Ab alimento iucundissimi saporis, & omnem desideratę rei saporem obtinente, qui fieri potest, vt populus abhorreret? Et ego vicissim

te interrogo. Si populo obmurmuranti, & de cibo illo conquerenti, manna non erat iucundissimi saporis, neq; omnem concupitę rei saporem obtinebat, qui fieri potest, vt populus ille prauus ab illo cibo non abhorreret? Tu autem prauis non fuisse cibum iucundum, sed iniucundum nuper cum Lyrano dixisti. Deinde quid à me quæris, qui fieri potest, vt populus ab eo cibo abhorreret? Quære hoc ab ipso sacro historico, qui ait, populum dixisse, super cibo isto leuissimo animam eorum nauseabundam esse. Tertio quæris, si manna fuit cibus vilis, vt nuper à Mercero recepi, atq; saporis insipidi certè potuit ab ea populus abhorrere; Sed quomodò nunc assero, eam pauco condimento indigere? Adsum similiter interrogans: si nuperrime dixisti, quid fieri potest, vt populus ab hoc cibo abhorreret, quasi hoc negans, cur nunc idem affirmās ais, certè potuisse ab eo populum abhorrere? Non ne hęc variatio Bacchum sapit? Deinde quod addis, cibos, quò sunt magis insipidi, & viles, eò pluris indigere condimenti, quo gustui fiant suauiores: primò scias opto, à me nusquam fuisse dictum, mannam illam fuisse insipidam, hoc tu, tuam sequutus consuetudinem, mendaciter addis: nam ex sacra historia colligi debet, saporē mannæ fuisse in primis, veluti similæ cum melle, quod in Exodo habetur. Deinde in Numeris quando populus murmurabat, & palàm conquerebatur, frangebat illam mola, siue terebat in mortario coquens in olla, & faciens ex ea tortulas saporis quasi panis oleati: quomodò ergo poteram dicere mannam vnquam fuisse insipidam? Vilem quidem cum Mercero esse, dixi: tu ne putas viles cibos maiore condimento egere, quàm præstantiores? Num pater tuus in Recho maiore sumptu, & apparatu cæpas, oleraq; condibat, quàm illo, quo in coquinis nobilium pisces delicatissimi, carnesq; laudatissimę condiri solent? Tua humilis conditio nec te opiparis conuiuijs adesse sinit, neq; exquisitas coquorum artes experiri. Forsitan etiam condimenta excogitas, quibus vilissimas dapes tuę humili familię pares. Alterum, quod reperis dignum reprehensione, est, quoniam transcripsi verba ex sacra pagina, quę habentur in capite vndecimo libri Numerorum, in margine autem pro isto capite: est caput Exodi decimum sextum. Proh ingens facinus, quod commisi? Dele, precor, illam marginalem alligationem, antequàm res ad illius magistratus aures, ad quem similia crimina punire spectat, possit deuenire; quòd si iam accusatorio animo, rem ad prætorem detulisti, expectabo sententiam dummodo priùs pro mea parte legem adducam, qua decernit Vlpianus errorem in nomine non vitiare dispositionem, quando constat de corpore. Si quis ergo tibi, mutato per errorem nomine, centum sestertia legasset, & tamen tuā verbis membrorum prauam dispositionem, magisq; prauos animi mores descripsisset, legatum vtiq; valeret, & tu centum sestertiorum fieres dominus. Similis est præsens casus: nam ego verba contextus ipsissima refero, in marginali verò nota nomen libri per errorem muto; quid putas prætorem dicturum? nempe hunc errorem nihil substantię rei nocere; Error ergo, qui non nocet, minimus censetur,: de minimis non curat prætor, imò nullus, te vno excepto.

Mendacium.

Exod. c. 16. numer. c. 11.

Vlp. in l. nomine ff. de verb. oblig. & in l. si quis fundi vocab. ff. leg. prim.

Paul. in l. omnino ff. de impensis in reb. dotalib. factis.

18 Tandem aduersùs me sic ais: *Qui dixisti populum abhorrere ab vsu mannæ, tua intereat docere, cur Deus perseueraret illis post coturnices, ac simul etiam cum coturnicibus pluere mannam? non enim coturnicum societas, mannæ gratum saporem conciliauit.* Sic voluisti in me conuertere ferrum: at ego non dicā, *me me adsum, qui feci:* quippe ego non ex meo marte dixi, populum abhorruisse ab vsu mannæ: diuinus historicus hoc narrauit, cum eo tibi res habenda est. Quamuis autem hoc dixissem, cur ex eo mihi vis imponere necessitatem agendi de coturnicibus? Mihi de manna erat sermo ad cuius complementum, nihil isthac tua consideratione est opus. Verùm scio, quid velis: optimam quandam istius tui quæsiti rationem inueneras, voluisti eam publicare, optimam ne, putas, esse, quam si venditare velis, non erit qui tibi pro ea obolum offerat? erunt multi, qui risu excipiant? quippe ais, *Deum semper pluisse mannam ob viros probos, qui talem cibum non aspernabantur, sed in delicijs habebant.* Sed, heus tu, si nescis, Deus *pluit super iustos, & iniustos.* Sed tu, qui ita sentis, dicere teneris, vnde colligis, mannam non fuisse cibum vniuersalem omnium, sed duntaxat proborum: neque enim ex sacra historia id colligere potes: quippe tam Ægyptij, qui promiscuè cum filijs Israel venerant, quàm populus indistinctè exclamarunt: neq; magis

pa. 11.

Numer. c. 11. & c. 21.

Matthei c. 5. n. 45.

bonis,

bonis, quàm prauis coturnices Dominus misit. Quod tu autem ais, societatem coturnicum non conciliasse mannę gratum saporem, non est omnino verum: nam populus conquerebatur dicens, *Nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi man,* (Num. 11.) quasi increparet, quòd vno duntaxat cibo vesceretur, qui assuetudine iā erat ingratus, vt contingere solet cibis quibuslibet gratissimis, vt longo vsu fiant ingrati. Vnde Abulensis, & Lyra notant, (Abulens. Lyra.) vbi dicitur, *flagrauit desiderio,* quamuis aliqui addant *carnium,* tamen in hebręo non hoc reperiri, & potiùs addititium esse: nam hebræi non solùm carnes, sed & pisces, & pepones, & olera desiderabant. Erat ergo illis manna pro pane (sic mannam terebant, & concoquebant, & tortulas conficiebant) coturnices verò pro opsonio: Alij *desiderio carnium* scribunt, quia populus exclamans aiebat, quis dabit nobis ad vescendum carnes? quæ postulatio, tum ex auaritia procedebat, siquidem habebant secum pecora, & alia animalia, quæ duxerant ex Ægypto, quibus volebant parcere: tum ex voluptuosa cupiditate, quoniam delicatiores carnes desiderabant. Propterea satisfaciens Dominus desiderio eorum misit eis coturnices; (Psa. 77.) Quod verò tu ais, *quia populum, qui desiderauerat carnes Deus vltus est, & occidit cum adhuc erant carnes in dentibus eorum,* scito illud *qui desiderauerat carnes* esse extra contextum, vt aduertit Lyra. (Lyra.) Cæterùm *plaga magna nimis,* qua Deus percussit populum, *cum adhuc essent carnes in dentibus eorum,* (Num. 11.) fuit supplicium peccati commissi; quod autem peccatum fuerit, supra eodem capite exprimitur sic: *Eo quòd repuleritis Dominum, qui in medio vestri est, & fleueritis coram eo dicentes, quare egressi sumus de Ægypto?*

19 Quænam autem fuerit isthæc *plaga magna nimis,* qua affecti fuerunt ex ipso contextu elici potest: quippe sic scriptum est: *Vt det vobis carnes, & comedatis, non vno die, nec duobus, vel quinq; aut decem, nec viginti quidem, sed vsq; ad mensem dierum, donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam.* Hæc saturitas fuit illis in pœnam, & fuit causa stragis eorum: quod colligitur ex verbis psalmographi dicentis, (Ps. 105.) *Et concupierunt concupiscentiam in deserto, & tentauerunt Deum in inaquoso, & dedit eis petitionem ipsorum, & misit saturitatem in animas eorum.* His psalmi verbis explicat Genebrardus (Genebrardus) admodùm doctè prædicta verba libri Numerorum: nam quod in psalmo dicitur, *& misit saturitatem,* consonat cum eo, quod dicitur in Numeris, *donec exeat per nares vestras, & vertatur in nauseam;* quippe exprimitur morbus emacians, quo quasi saturati abhorrebant ab omni esca, & sic marcescebant; Est enim cibi fastidium morbus, cuius mentionem faciunt medici practicam scribentes, edocti à Galeno, qui triplicem huius symptomatis causam statuit, (Gal. 1. caus. sympt. c. 7.) *vel quia sensus suctus sit amissus, vel eo quòd non fiat, vel eo, quòd corpus non vacuetur: ad eundem modum exiguæ, & languidæ appetentiæ erunt non perditis ijs, quæ diximus, sed propè vt pereant, perductis;* ex quibus verbis duo elicimus, vnum circa naturam symptomatis, alterum circa causam illius: natura symptomatis ea est, vt pertineat ad actionem, ablatam vel ad deminutam: ablata actio asitia propriè appellatur, in qua ęgri cibos penitus non sumunt: deminuta, quæ apositia, & anorexia (sunt hæc duo synonima) dicitur, est quādo oblatos respuunt. (Infra.) Sed non est adhuc hic locus tractandi de asitia, de qua tamen meliore occasione me acturum polliceor. Venio ad inappetentiæ causas, etiam ex contextu Galeni elicitur, eas esse tres, vnam quando in ore ventriculi suctionis sensus est amissus, (G.3. ep. sect. 3 com. 58.) quod contingit in febribus pestilentibus, vnde Galenus in quadam peste, quæ suo tempore viguit in qua multi eò inappetentiæ peruenerunt, vt maluerint mori quam cibos comedere hoc accidisse ait, (G.3 epi. sect. 1. com. 11.) *vitio ventris,* etenim & huius est opus ciborum appetentia, cōtingere enim posse facultatis appetitricis extinctionem, dixit idemmet. Altera causa est, quod suctio non fiat: suctio autem non fit vel ob nimiam plenitudinem vasa occupantem, vel cum nimia fit partium dissolutio, partibus vtiq; impleri minimè indigentibus. Tertia causa est, cum corpus non euacuatur, cum multum est, quod ingeritur, modicum, quod effluit, quod ijs, vt plurimùm vsuuenire solet, qui in ganeis, & delicijs vitam degentes, totos dies compotant, guleq; se omnino dedunt: his nec fames, nec inanitio vnquam adest: quippe famem cibo pręueniunt, inanitionem distentione impediunt.

20 Potuit ergo populus, & ob secundam, & maximè ob tertiam causam, cibos fastidire, atq; incidere in asitiam, ex qua illis superueniebat mors. Poterant etiam multi ex hac ingurgitatione in hydropem incidere, debilitato scilicet

G. 6. aph. 12. iecore ob nimiam quantitatẽ, qua, vt inquit Galenus, tale quid accidit, quale in flãmis exterioribus, in quibus multa ligna superingesta suffocãt ignẽ, atq; extingunt. Iecoris autẽ debilitas affert etiam secum inappetentiam, vnde Auicenna, *Quandoq; fit causa eius debilitas hepatis, quare debilitatur virtus appetitiua*: Et in hoc cõsentaneè cum Galeno est loquutus, qui in Hermocrate, maximam patiente asitiam, existimat, affectum fuisse iecur, principium scilicet vegetatricis; & naturalis animæ, cuius quatuor sunt facultates: attractrix, retentrix, alteratrix, expultrix, quæ suppeditant corpori nutrimentum, & augmentũ, *& hac affecta mirum in modum appetitus perit, vt mori citiùs, quàm gustare quicquam, sustineant ægri*.

Auic.

G. 3. ep. sect. 1 com. 13.

21 Itaq; nimia carniũ auiditate flagrauit populus, qui surgens *Toto die illo, & nocte, ac die altero, congregauit coturnicum multitudinem, qui parum decem coros*, idest, ij, qui minus acceperunt, decem collegerunt coros, eorum mensuram incertã esse, ait Lyra: certum tamen est, mensuram fuisse satis magnam: quippe hoc dictum est, vt significaretur, vnumquemq; magnam quantitatem collegisse illarũ auium, quas subito extra castra euiscerarunt: seu, vt alijs placet, siccandas exposuerunt; Vtcũq; sit, ingurgitationis pœnam tulerunt, quã Deus non distulit in longũ tẽpus, sed, *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuscemodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum, percussit eũ plaga magna nimis.* Hic etiam notato hyperbolicam loquutionẽ: quippe vt exaggeretur cita punitio dicitur, & adhuc carnes erant in dentibus eorũ, qua etiã hyperbole iisdẽ penè verbis vtitur psalmographus, inquiẽs, *Adhuc escæ erãt in ore ipsorũ: & ira Dei ascẽdit super eos, & occidit pingues eorũ: & electos Israel impediuit*: nẽpe magnates, qui primi fuerant murmurationis autores; Itaq; (vt est in eodẽ psalmo) *non sunt defraudati*, sed in eo, quòd defraudati nõ fuerũt, puniti sunt: quippe (vt ait Genebrardus) exauditi sũt ad voluntatẽ, nõ tamẽ ad vtilitatẽ: etenim saturauit eos Deus, & in ipsa saturitate puniuit; punitione magna hoc est, *plaga magna*, vt dicitur in Numeris, quã, vt est in psalmo, *electos Israel impediuit*, nimirũ pręcipuos totius populi mortis cõpedibus ligauit, ne posset iter suceptũ peragere, & ad terram promissionis accedere. Vide nunc, ò Satyre, quàm inanis sit tua illa, tuo cerebro digna, expositio.

Lyra.

Psal. 77.

Num. 11.
Ps. 77.

22 Sed tu, qui coturnices in mediũ attulisti (nos enim mihi, nisi de manna imò nec de mãna, nisi per parergon sermõ fuit) cur non soluisti dubiũ, quod indiget solutione? Si .n. antequã cœpit pluere mãna filijs Israel, iam in castris coturnicum numerus tantus erat, vt, sicut est in Exodo, *Operuisset faciẽ terræ*, & in psalmo, *pluit super eos, sicut puluerẽ, carnes, & sicut arenã maris volatilia pennata*: tũc enim dixit Deus, *vespere comedetis carnes, & mane saturabimini panibus*, quod cõtigit in deserto Sin, quod est inter Elim, & Sinai: cõtigit, inquam quinto decimo die mẽsis secundi postquã egressi sunt de terra Ægypti, quomodò in sequente mansione, post mõtem Sinai in sepulchris concupiscentiæ anno secundo post egresũ ex Ægypto, ad exclamationẽ populi, qui de mãnæ leuitate cõquerebatur, dicitur Dominus misisse coturnices? Nõne iã erant priùs? Consulendus tamen est Abulensis, qui (secundũ cuius mentẽ coturnices priùs nõ veniebãt quotidie, sed solũ prima illa nocte ad vesperã, quando dictum est *vespere comedetis carnes, &c.* (hoc probat exactissima, imò demonstratiua quadam ratione nẽpe quia idem fuisset de coturnicibus, quod fuit de manna: sicut enim nunquam dicuntur desiderasse mannam quoniam eam semper habuerunt, ita nunquam dicerentur desiderasse carnes, si illas semper habuissent. At verò flagrauit populus desiderio carnium, & nihil præter mannam habebat, vt ipse conqueritur inquiens, *Nihil aliud respiciunt oculi nostri, nisi man*. Constat ergo coturnices, vt est in Exodo, ante mannam fuisse, verùm postmodò defecisse, vnde orta fuit occasio populo flendi, & exclamandi.

Exod. 16.
Ps. 77.

Abulensis.

23 De mystica significatione mannæ plurima pulcherrima, & scitu dignissimã reperire licet: nobis satis, superq; de mannæ vtriusq; natura, differentijs, & viribus obiter sit dictum: obiter inquio, vt tuam ignorantiam confundam, quandoquidem me, quia tractatui de asitia caput de manna insertum appellaui parergon, increpas, inquiens, tractanti mihi de asitia, seu de his, qui sine cibo viuunt, & examinanti dedita opera sententiam illorum, qui putant diuturno ieiunio claros nutriri aere, pleno rorida substantia, quam ideo nutrire probant, quòd manna sit alendo corpori sufficiens, vt tu olim obseruasti, iam pa. 68

non

non parergon,sed propriam,meoq; instituto connexam debere esse contemplationem. Mecastor Morycho stultior videris, qui talem ratiocinationem fabricasti. Itaq; quia tracto de his, qui sine cibo viuunt, & rursus,quia hi aere, rorida substantia referto, nutriri ab aliquibus dicuntur, tertio, quia manna fit ex rore, quarto,quia mãna dicitur nutriendo corpori sufficiens, colligis contemplationẽ de manna, hoc est, quomodò decidat è cœlo, quomodò, & quatenus vim purgatiuã habeat,quibus in locis proueniat,an sit eadem res cũ melle aereo,an differat à manna hebręorum,hæc omnia propria mei instituti esse,non autẽ dici posse parergon? Deus bone! per quas ambages tuã istam nauiculã deduxisti? Nõ si tibi adminicula gubernandi nauẽ præstaret Tiphys, posset tot maria circũire. At ego putabã, quicquid in illo capite de mãna carpsim scripsi,perinde esse,ac si pictor Iunonem, aut Venerẽ depingẽs,exornãdę tabellæ gratia arbusculas,& auiculas addidisset: hæc autem additamenta,tam græci,quã latini parerga appellant:nã tametsi gręcũ sit vocabulũ, latinis iam familiare est factũ. Vnde Vitruuius ea,quæ ornatus causa fiunt in horologijs, parerga horologiorũ appellauit. Itaq;parergon auctuariũ quoddã est. Videat nũc ingenuus lector,an sermoni de manucodeatę, de apũ,& similiũ victu, addere sermonẽ de mãna,hodierna,& sacra,sit ex proprio instituto, an verò appendix, & accessio quędã operi pręter propositũ addita:imò verò, quoniã in exiguo illo spatio nõ poterã exactè hãc tractationẽ perficere,hac quoq; ratione caput inscripsi *parergon*:quippe ita dicimus nõ solũ ea,quæ per additionem, sed etiã,quę obiter,ac minus diligẽter scribũtur. Tandẽ cũ initio illius tractatus proposuerim,me velle aliorũ opiniones per iocũ infringere,et in hoc capite de mãna dicã,nõ potuisse me abstinere,quin à serijs omne ridiculũ exponerẽ,mihi sanè cõtradicerẽ,ni caput istud, in quo seriò ago,parergon appellarẽ: siquidẽ,vt iã ex grãmaticorũ mente dixi, parergon significat operis appẽdicẽ, seu operis accessionẽ,quia nempe alicui rei pręter propositũ additur. Vnde tu, qui me admones, vt stem promissis, & qui per iocum agere institui, nolim mei immemor ridiculum explodere à re seria,oscitanter hanc rationem considerasti,alioquin,quòd parergon dixi, laudares, si laudare scires, quòd si scires, Satyrus non esses, quem Satyrorũ Regẽ Hermippus comicus appellaret.

Responsiones ad quasdam obiectationes, quas satyrica petulantia disputationi de manna extra rem violenter intulit. Quid vnius vocula suppressio efficere queat.

1 QVicumq; beneuolo est animo, & maledicentiam odio habet,patienter feret,potiùs desiderabit, vt paulisper hìc ad rem meã digrediar. Silere melius esset,& philosopho decentius: sed quis Socratem,quis Epictetũ poterit imitari,quorũ ille non respondit ad probra,hic maiora vitia in se ipso, quàm quę ei obijciebantur,cõfessus,accusationes infringere fuit solitus? Itaq; Satyrus,quoniam ego agens de suauitate Cœlestis mannę, iuxtà verba Sapiẽtia, eam, dixi, in se habuisse omne delectamentum suauitatis, neq; mihi fuit animus verba cõtextus transcribere, neq; id facere erat opus, me dãnat,quòd multa ex eo loco non transcripserim,quę silentio pretermissa veritati nocere poterant, cum tamen nihil ea, quę addenda esse ait, sensum immutent, nihil efficiant addita, nihil officiant ablata; Hoc iam satis superiùs probaui. Cœterùm placuit illi hæc in hunc modum aduersùs me scribere. *Tu, qui posterius malignitatis accusas eum,qui locũ Galeni citans omisit vnã voculã, quæ sententiæ Galenicæ sensũ nõ variat omißa,cuius modo criminis reus es,qui sacræ paginæ locũ adducis mutilatũ, ac tot partibus omißis,consultò ad peruertendũ verũ,ac germanũ diuinę scripturæ sensũ?* Sic me mordere conatus,linguã ipse suã mordet; Etenim quisnã est iste, quẽ ego accuso,quòd voculã vnã omisit? nẽpe Satyrus ipse? memineris tamẽ,Satyre, qui initio dixisti nolle te occultũ,& laruatũ antagonistã, stãdũ esse promissis, & sic tuũ nomẽ propalare in pręsẽs debuisses. Tu igitur es, qui voculã vnã in Galeni contextu omisisti, vocula erat, fateor, non tamen, vt tu dicis, quę

Sap.16

De asitia c.19. sensum non immutat, imò maximè, imò subdolè, & fraudolentes. Erat sermo (vt quisq; videre potest) an exilis actio, pro nulla actione habenda sit, & iccircò atrophia dicatur, non quando prorsus cessat nutritio, (nam tunc mors aduenit) sed quando exilis admodùm fit. Tu autem, & aphnæam, hoc est, non respirationem, non pateris dici, cum ferè insensibilis est respiratio, neq; atrophiam, hoc est, non nutritionem, quando minima duntaxat est nutritio; Gal. 1. sympt. caus. c. 8. Vt autem tuam sententiam Galeni autoritate confirmares, attulisti eius verba, in quibus voculam vnam omisisti; sed in hac vocula vertitur cardo rei; te autem de hoc crimine accusaui, verba Galeni ad suum integrum sensum restituens, quæ prius à te ablatione voculæ fuerant mutilata. Sunt autem Galeni verba hæc: *Actionis digerendi in corpus alimenti, siue priuatio, siue imbecillitas, atrophiam necessariò inducit.* Tunc ego addidi, ita Galenus, quem locum malignè autor iste citat: siquidem *priuationem* dicit, *imbecillitatem* tacet. Scire autem oportet, actiones vitiari cum prauè fiunt, aut cum non fiunt: non fieri autem, apud medicos, est exiliter fieri. Iudicet nunc, vel ipse Aristarchus, an vocula Vide sup. sect. 1. q. 4. art. 13. n. 11. ista *imbecillitas*, absq; malignitatis nota potuerit omitti.

De cæsarie Absalomi.

1 PLusquàm Vatiniano imbutus odio, conceptam in me amaritudinem effundis, nec satis tibi maledicendi subiectum tractatus de asitia præbuit, vndequaq; paleas, & floccos, tamquàm delirus, collegisti, & meum de De met. micr. lib. 3. c. 1. meteoris microcosmi librum, ab omnibus receptissimum, temerare etiam nō dubitasti, imò, quę tua est contagiosa rabies, induxisti Campanium, virum alioquin probum, vt in me insurgeret, & id, quod ego in eo libro de cęsarie Absalomi dico, in suis vicenis impugnaret; Hæc vicena vltra vigesies quæsiui, & tamen, ne quid verè à te sit dictum, agnoui, non dum in lucem edita esse; Gaudeo: nam forsan, si ante quàm parturiat, viderit hanc meam defensionem, sinè dubio aborsum faciet. Ridiculum putas esse id, quod circa hoc 2. reg. c. 14. scripsi; Referam mea verba: *Aurum itaq; latere in microcosmo, prædicta suadere videntur, conspicuum etiam aurum in crure Pythagoræ (nisi forsan ad allegoriam deflectas) habebis. In cæsarie verò Absalomi necesse est, vt verum aurum agnoscamus: siquidem quando tondebat capillos, semel autem in anno tondebatur, quia grauabat eum cæsaries, ponderabat capillos capitis sui ducentis siclis pondere publico.* Scire vis, quodnam erat Tiraquell. in Alex. ab Ale. pondus continens ducentos siclos? consule Tiraquellum apud Alexandrum ab Alexandro: is enim te docebit, siclum fuisse duarum drachmarum numū; Igitur manifestum est, ducentos siclos efficere quatuor centenas drachmas: quæ drachmæ vncias continent quinquaginta: vncię verò quinquaginta efficiunt libras quatuor, & duas vncias. Parum distat ab hoc calculo computa- Ioseph. de antiq. Sabel. l. 9. Enead. 1. tio Iosephi in libro de antiquitatibus, quem refert Sabellicus: nempe cęsariem illam tantæ magnitudinis fuisse, vt ducentis siclis appenderetur, qui quinas conficiunt libras; ecce differentia est in vncijs decem. Siue ergo fuerint librę quatuor, & vncię duę iuxtà priorem calculationem, siue librę quinq; iuxtà posteriorem, non ne putas, capillos vnius hominis non potuisse tanti ponderis esse, si communem capillorum subirent conditionem? Erant ergo diuersæ naturæ ab aliorum hominum capillis: fulgorem auri habebant, auri etiam pondus: ego hoc appellaui aurum, tu, quomodocumq; velis, appellato, dummodò hanc cęsariem cum nulla alia comparandam, putes. Cuperem tamen, vt quando hanc meam opinionem ad Campanium detulisti, illum simul admoneres, me non loqui de auro ex fodinis extracto, sed de auro microcosmi, De metæ. microcosm. loc. citato. quod macrocosmi auro symbolicum est: quippe in eodem opere de meteoris microcosmi in hunc modum me explicaui: *Sed nunquid in homine est etiam substantia auri? quod si est, immortalis profectò erit: aurum enim igni resistit vni, inquit poeta, nil deperit auro igne, velut. solum consumit nulla vetustas, Ac neq; rubigo, aut ærugo conficit vlla, Cuncta adeò firmis illic compagibus hærent. Nunquid hęc etiam homini incorruptibilitas adest? in hoc etiam tibi satisfaciam: siquidem hoc munus libens suscepi, dummodò dum aurum, dum reliqua mineralia in microcosmo constituo, analogiam intelligas, ita vt sit suum aurum, sua etiam mineralia in microcosmo, proportione respondentia auro, & mineralibus*

libus macrocosmi: & quę sequuntur. Tu autem, qui ad accusandum minutias inquiris, cur ad defendendum ea, quæ necessaria sunt, non inquiris? Itaq; magni momenti putas esse, si accentum vnum omisit tipographus, si litteram mutauit amanuensis, si per incuriam fuit aliquis in grammatica lapsus, imò & horum plurima iniustè non nunquam accusas, & tamen cum eò deuentum est, vt te percepisse meorum verborum vim, ostendas, satis tibi esse videtur, si ea in deteriorem sensum retorqueas, vt inde inanem formes accusationem, fucumq; tui similibus facias. Cœterùm vter nostrum philosophicæ modestiæ huc vsq; fines violauerit, vel tui liuidi dijudicent. Patientur, ni fallor, me hostiliter lacessitum, ementitas odio delationes, impias calumnias, pœna talionis mulctare. Impar equidem, fateor, mihi tecum certandi conditio est: nā vt & malè audire, & malè dicere tibi facillimum, simul & promptissimum est, sic mihi malè dicere insuaue, & malè audire insuetum.

2 Quid quòd à mendacijs cessas nunquam? Ais, me dixisse in eodem libro de meteoris microcosmi (nec locum citas, cum aliàs soleas paginas citationibus implere) me, inquam, dixisse, res leuissimas esse cum terrę prædominio. At nihil tale apud me reperies; Motum quidem grauium, & leuium non ad Aristotelicam librauì Sancem, sed doctrinam, à communi via distantem, aperui, & rationibus validissimis obuallaui, quas tu nec soluis, neq; alijs in contrarium adductis refellis, & quasi edicto legislator Rechensis exterminas. Porrò ridiculus haberis, cum id, quod dixi de cæsariæ Absalomi, & quod me dixisse, fingis, de motu grauium, & leuium, nulla in contrarium adducta ratione, pro ridiculo reputas. Mendacium.

DE VTRAQVE MVNDI STRAGE, tam præterita, quàm futura.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

1 OCcasionem mihi præstat Satyrus præsenti quęstioni, quam omnibus iucundam fore, existimo: quippe iste dum me ridiculum esse, ait, ad res serias inuitat; Occasio autem suscipiendi hanc curam, isthęc est. Dixi ego in libro de meteoris microcosmi, *Quemadmodùm in magno Mundo meteora sunt morbi quidam, quibus laborat, & à quibus simul perijt, & iterum periturus est: passus nāq; est aqueam, patietur & igneam stragem, ita & morbi parui mundi meteora sunt, quibus sæpe laborat.* Aduersùs hoc insurgit Satyrus; Sed videat vnusquisq;, an ille se ipsum feriat dum ita ait: *Non ne ridiculum est, Mundum magnum appellare multitudinem hominum, quæ diluuio submersa est, intacta vniuersi natura?* Ex hac ergo tua, ò Satyre, interrogatione oritur occasio ventilandi, quid de vtraq; Mundi strage, secundùm sanctorum patrum decreta, sentiendum sit. De met. micr. lib. 1. c. 6.

Quid Mundi nomine, qui perijsse, & periturus dicitur, intelligi debeat.

Articulus Primus.

1 SVperiùs me obiter tetigisse, memini, quod nunc ex professo pertractabo: videlicet frequentissimum esse in sacra pagina, mundum accipi pro multitudine hominum: Vt quando D. Ioannes ait, *Et mundus eum non cognouit*; Et iterum, *Ecce qui tollit peccatum mundi*: nomine mundi, non fabricam vniuersi, sed homines intelligit. Sed nullibi clariùs hoc addiscere potes, quàm vbi idem ait, *Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos, videtis quia nihil proficimus: ecce mundus totus post eum abijt*. Profectò mundus, qui sequebatur Christum, erant, vt inquit Matthæus, *turba multa*. Prætereà quando Christus Dominus apud Io. c. 1. n. 9. ibi. n. 19. Io. c. 3. n. 17. Matth. c. 4. n. 25 & c. 8. n. 1.

Mat-

Matt.c.18. n.7. Matthæum dicit, *Væ mundo à scandalis,* non elementis, aut mundi fabricæ minatur cladem, sed hominibus. Item quando D. Paulus ait, *Sapientiam huius mundi*, & rursus, *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum*, non ne hominum sapientiam intelligit? ita sanè: nam irrationalibus creaturis non tribuitur sapientia. Considerasti ne vnquam Iosephum, quia prędixit futuram septem annorum sterilitatem in Ægypto, & pręcauendi modum docuit, appellatum fuisse à Pharaone saluatorem mundi? At Ioseph præcautione illa non muros ciuitatum, sed Ægypti habitatores, & plerosq; aduenas saluauit. Ioseph autem Redemptoris nostri fuit typus, qui Iesus, idest saluator, appellatus, Saluator mundi dici solet iuxtà illud D. Ioann. *Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus*: in quem sensum ait D. Paulus, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*. Non ne hæc, & plura alia, quæ per te ipsum reperire facilè potes, tibi persuadent, te ridiculum fieri, dum ais, ridiculum esse, mundum magnum appellare multitudinem hominum? num ridicula sunt hæc, quæ tibi adduxi. Caue ergo, ne posthac acceptionem mundi hanc, sed inscitiam tuam irrideas.

Paul. ad corint. ep.1.c.1.n.20. & c.3.n.19. Gen c.41.n.45 Ioan.c.12.n.19 Pau. ad corin. ep.2.n.19.

2 Sed quando non fuisset conueniens, multitudinem hominum appellare mundum, vnde nam colligis, me hac appellatione vti? Et cum dicam, mundum passum fuisse aqueam stragem, cur ais, me, homines hanc stragem fuisse passos, intellexisse? nempe (vt tu te ipsum declaras) quia homines fuerunt submersi, mundi autem natura mansit intacta. At mundus, suapte natura, est ornatus ex multis compositus: mundi igitur, vt ait Cicero, nos partes sumus, & D. Thomas, homo est pars mundi; potest ergo per synecdochen mundus appellari, sumpto nimirũ toto pro parte. Deinde per eundem tropum dicitur continens pro contento, nos autem in mundo hoc, tamquàm in domo continemur. Sed age iam, intactam remansisse vniuersi naturam, mihi ostendito: nam ex hoc ornatu, quo mundus constat, multa video fuisse labefactata, imò ferè omnia sublunaria: quippe de sublunari mundo est sermo: imò de mundo impiorum, sic loquitur D. Petrus. *Diluuium mundo impiorum inducens*. Porrò quàm miserè decipiaris, existimans mundi naturam mansisse intactam post diluuium, tibi nunc seorsim ostendam.

Cic. de finib. D. Th. in additam. ad 3.q. 74.ar.9. ad 1. D. Petr. ep. c. 3. n. 6.

Naturam vniuersi in diluuio stragem subijsse.

Articulus Secundus.

1 QVamuis mundi nomine, hominem appellari, rectè sit monstratum, adhuc fortasse dicere perseuerabis, non propterea à me, si homines volebam intelligi, mundum magnum fuisse dictum: quippe homo mundus est, sed mundus quidem paruus. Nihilominùs inanis est isthęc obiectio: nam cum mundus dicitur sinè additione magni, aut parui, magis significat mundum magnum, quàm paruum: siquidem verba simpliciter prolata ad suum principale significatum referuntur: mundus autem principaliter significat vniuersum, cum ergo mundum magnum dixi, non vnum hominẽ, qui est mundus paruus, intellexi, sed mundum, hoc est, mundum magnum. Deinde tametsi vnusquisq; homo sit vnus paruus mundus, tamen hominum collectio mundi magni nomine rectè exprimitur. Porrò mundus non solùm duplicem hanc acceptionem habet, nempe pro mundo magno, hoc est, pro tota creaturarum collectione, & pro mundo paruo, hoc est pro vnoquoq; hominum, sed alias tres prætereà habet; Vna est, qua accipitur pro mundo archetypo, seu pro mundo intelligibili, qui, ex D. Augustini definitione. *Est ratio sempiterna, & incommutabilis, qua fecit Deus mundum*. Altera est pro mundo Angelico, qui triplice Angelorum Hierarchia constat; Tandem pro mundo elementari, de cuius strage, illuuione aquarum facta, in pręsens agimus; imò verò cum mundus elementaris ex quatuor elementis, & corporibus cœlestibus componatur, nos partem duntaxat subcœlestem, hoc est, regionem elementarem accipimus, quam diluuium occupauit.

D. Aug. 1. retract. c. 3.

2 Cœterùm quamuis ex Diui Petri verbis in sua canonica colligi posse

D. Petr. ep. 2. c. vlt. n. 5.

videatur, cœlum in diluuio aliquod damnum fuisse perpessum, nomine cœli aerem intelligunt interpretes, nec etiam totam aeris regionem, sed hanc inferiorem, aut saltem propè mediam; quæ interpretatio potest accipi præcipuè à D. Augustino; cuius verba libet apponere: *Cœlos aereos quondam perijsse diluuio, in quadam earum, quæ canonicæ appellantur, epistola legimus. Neq; enim humida illa natura, quæ ita excreuerat, vt cubitis quindecim in altissimorum montium transcenderet vertices, potuit ad sydera peruenire: sed quia huius aeris humidioris, in quo aues volitant, tota, vel propè tota spatia compleuerat, perijsse, qui fuerant cœlos, in illa epistola scribitur; Quod nescio, quemadmodùm possit intelligi, nisi in aquarum naturam pinguioris huius aeris qualitate conuersa. Alioquin non perijssent tunc isti cœli, sed sublimiùs erecti essent, cum locum eorum aqua occupasset. Itaq; faciliùs eos, secundùm illius epistolæ autoritatem, credimus perijsse, & alios, sicut ibi scribitur, repositos, extenuatis videlicet exhalationibus: quàm sic erectos, vt eis cœli superioris natura loco suo cederet: est enim huic aeri ita similis aqua, vt eius exhalationibus pinguescere probetur, vt & spiritum procellæ faciat, id est ventum, & nubila contrahat, & possit volatus auium sustinere.* D. Aug. l. 3. de gen. ad lit. c. 2.

Qua propter etiam si verum dixit quidam secularium poetarum,

nubes excedit olympus,

& pacem summa tenent.

quia perhibetur, in olympi verticè aer esse tam tenuis, vt neq; nubibus obumbretur, neque turbetur ventis, neq; volatus auium possit sustinere, neq; eos, qui fortè ascenderint homines, crassioris auræ spiritu alere, sicut in isto aere consueuerunt? & tamen & ipse aer est, vnde aquis vicina qualitate diffunditur, & propterea ipse quoq; in humidam naturam conuersus, diluuij tempore, creditur: neq; enim arbitrandum est, aliquid de spatijs syderei cæli vsurpasse, cum omnes etiam altissimos montes aqua transcenderit. Hactenus Augustinus. Iam igitur habes, aeream regionem, quæ est vniuersi pars magna diluuio perijsse.

3 Perge nunc ad aquas, si vera fuisset multorum opinio, quę tenet, mare ante diluuium salsedinem non habuisse; Profectò eas acquisita salsedine, naturam mutasse, diceremus; Sed quoniam contraria opinio est magis probabilis, quam multi celebres autores sequuntur, neq; hæc controuersia modò est ventilanda, firmiorem probationem inquirere oportet. Aquæ certis quibusdam concluduntur terminis, vt appareat arida (nempe terra, vt est in Genesi) sic in creatione vniuersi factum fuit. Quare Iob, *Circumdedi illud* (mare) *terminis meis, & posui vectem, & ostia, & dixi vsq; huc uenies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos;* Vbi nota illud *terminis meis*, quod significat diuinam legem creatarum rerum naturis accommodatam. Hoc confirmans D. Augustinus ait: *Sic Deus administrat omnia, quæ creauit, ut ipsa proprios motus exercere & agere sinat*; sic ille. Proprius autem motus aquarum est ad decliuiora fluere: sic confunduntur ij, qui putant, terram non esse altiorem aquis, sed congeriem aquarum miraculo detineri, ne terram occupet; quod quam erroneum sit, per se patet: non enim Vniuersi gubernatio miraculis sustentatur, sed res omnes, tunc cum creatæ fuerunt, naturis suis reliquit Dominus. Porrò terram suapte naturam locum aquis superiorem habere, grauissimorum virorum autoritate, validisq; demonstrationibus comprobatur, quarum aliquas nos interiùs adducemus. Gen. c. 1. Iob. c. 38. n. 10 n. 11. Aug. 7. de ciu. Dei c. 30. Infr. art. 4. n. 8

4 Hic est ordo Vniuersi, vt scilicet terra aquis superstet, ordo verò ad naturam Vniuersi spectat, vnde mundus, ab Aristotele, siue ab autore libri de mundo, per ordinem definitur: est enim *Mundus ordo, & digestio uniuersorum, quæ à Deo, & per Deum asseruantur.* Si ergo in diluuio mundi ordo fuit præuersus, & aquæ, quarum locus est inferior loco terræ, locum occupauerunt terra superiorem: si rursus ordo ad naturam mundi spectat, manifestum est, naturam mundi, præuerso eius ordine, fuisse euersam. Quod autem aquæ locum supra terram tenuerunt, sacra historia nobis narrat hisce verbis, *Aquę præualuerunt nimis super terram, opertiq; sunt omnes montes excelsi sub uniuerso cœlo, quindecim cubitis altior fuit aqua super montes, quos operuerat.* Hec vltima verba, *super montes, quos operuerat* occasionem dederunt non nullis existimandi, non omnes montes fuisse opertos, sed quosdam. Verumtamen parum considerarunt isti antecedentia verba, *opertiq; sunt omnes montes.* Ar. de mund. ad Alex. c. 2. Gen. c. 7.

5 De terra quid dicendum? nisi quod cum diluuium fuerit immissum in supplicium effrenatę hominum concupiscentiæ, cum rursus hominum habitatio

tatio sola terra fuisset (neq; enim tunc cognita erat nauigatio) promiscuè
Gen. c. 6. n. 11 terræ & peccatum attribuitur, & supplicium promittitur? *Corrupta est autem terra coram Deo*, hoc est, corrupta est humana generatio, quę habitat terram: *cumq; vidisset Deus terram esse corruptam*, id est, homines in terra, omnis *quippe caro corruperat viam suam super terram:* & paulo post *repleta est terra iniquitate à facie eorum*. Hæc prædicta omnia ad culpam referuntur, & quasi per contagiũ terræ communicantur. Deinde ad pœnam, *& ego disperdam eos cum terra:* ecce supplicium similiter & hominibus, & terrę promittitur; Et vlteriùs, *ecce ego adducam aquas diluuij super terram, vt interficiam omnem carnem, in qua spiritus vitæ est subter cœlum, & vniuersa, quæ in terra sunt consumentur;* Infra etiam, licèt pluuia cadat super terram, & super mare, solius terrę meminit, inquiens, *Et post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus*, quasi insinuans, illuuionem illam ad desolandam terram fuisse cœlitus immissam. Valde errant, qui diluuium ad naturales causas, absq; peculiari Dei concursu, referunt: qua in re eò insanię deuenit Petrus ab Aliaco, vt dixerit, licèt Noe venturum diluuium diuina reuelatione cognouerit, idem tamen potuisse ei ex regulis astronomicis innotescere. Hoc refert, & refutat diffusè admodùm Pereira in Genesin omnino videndus: consonat etiam Genebrardus ita inquiens, *Diluuium autem Noe scriptura non astris, sed Dei iustitiæ, & voluntati tribuit: quia omnis caro corruperat viam suam*.

[Margin: c. 7. — Petr. ab Alia. 1 quæst. in gẽ. — Per. 1 gen. tõ. 2. l. 12. disp. 11 — Gen. in chronol. in secul. Noe.]

6 Est etiam alia ratio, quæ ostendit, terram passam fuisse stragem maximã: quia sicut aqua, superstans terræ, turbauit ordinem vniuersi, sic etiam terra, cum substaret aquis, quia vtraq; mutauerat locum suum. Deinde quo iure tu ais, hominum multitudinem, quòd aquis fuerit submersa, stragem fuisse passam, dicemus & nos, terram, aquis obrutam, fuisse euersam. Fuit hæc terrę submersio adeò damnosa, vt ex eo terra propter salsedinem aquarum, sub quibus latuit, fœcunditatis suę multum amiserit, & ob id post diluuium concessus fuit hominibus carnium esus: quippe ante, receptus non fuit, sed radicibus, fructibus, herbis citra vsum piscium, carniumuè victitabat mortale genus; Potuisse autem hunc cibum sufficere, facilè declaratur ex his, quæ Iulianus Apostata apud Suidam scribit: *Gentes autem ichthyopas, & sarcophagas* (inquit ille) *ne per somnium quidem nostram victus rationem uidisse, tradunt ij, qui orbem terrarum descripserunt*. Adeò deniq; magna fuit terrestris regionis mutatio, vt quatuor flumina magna Ganges, Tygris, Euphrates, Nilus, quæ irrigabant Paradisum terrestrem, diluuio omnibus sursum, deorsumq; turbatis obruptas maris, terræ, aeris cataractas, fontes suos, & origenes omnino mutauerint, & ex diuersis hodie oriantur regionibus, sitq; spatium terræ his fluminibus comprehensum tertia terrę pars. Et ipse Paradisus terrestris disparuit, neq; iam ampliùs extat; vt fortissimis rationibus probat Benedictus Pereira.

[Margin: Suid in Herodore. — Per. tom. 2. li. 9. q. 6.]

7 Tandem vt scias, quàm meritò mundi clades dici possit diluuij præteriti calamitas, adire potes prophanos scriptores, qui mundi genesin ignorantes, reparatorem orbis, qui in pristinum chaos diluuio penè redierat, Noe fuisse autumant, illumq; alij cœlum, alij Ianum, alij patrem Deorum appellant. Habes ergo aerem fuisse corruptum, aquas statutum sibi terminum prætergressas, terram submersam, volatilia, quadrupedes, & humanam prolem ferè extinctã, nouum chaos, (secundùm illos, qui primum chaos fuisse crediderunt) reuersum; Quid adhuc desideras ampliùs, vt possis, illuuionem illam, vniuersalem mundi interitum appellare?

De futuro mundi interitu.

Articulus Tertius.

1 QVomodò mundus magnus iam semel perijsse dicatur, satis manet demonstratum. Quomodò iterum periturus sit, demonstrare aggredior: quippe iam aqueam stragem passum esse, ignea iterum periturum, dixi: quod satyrica improbat proteruia, sed quo veritatis, religionisq; instinctu, iam manifestari cœpit, postmodò prorsus manifestabitur.

Cum

pa. 11. Cum dixi, mundum magnum periturum, quid damnas Satyre? phrasin ne, an rem, quę hac phrasi declaratur? Si phrasin, memento te non mecum, sed cum Dauide litem habere, quippe Dauidis ore loquutus sum: ipse enim est, qui ait cœlos perituros: *Initio tu Domine terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt cœli: ipsi peribunt, tu autem permanes*. Si verò rem, quæ phrasi illa declaratur, arguis, litem rursus habes cum D. Petro dicente, *Adueniet dies, vt fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur: terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur*. Poterat ne meliùs mundi interitus describi? Et tu tamen aduersus hæc impiè insurgens, putas, me posse lędere, cum potiùs te ipsum lædas, illæsa remanente sacræ paginæ veritate. Psal. 101. Canon. Diui Petr. 2. c. 3.

2 Verùm ad logicas technas confugis, vt videas, an hanc veritatem aliquo modo possis illaqueare, & tibi concessum fuit, in vtroque foro, vt tu dicis, neq; vetitum (vt par erat) has insanias in lucem edere. Sed vtrumque fefellisti forum, supremi verò iudicem fori fallere haud quaquam poteris. Age igitur, tua verba proferto: sic ais: *Tibi verò, cui mundus magnus peribit; mihi ne soli?* imò omnibus, tam catholicis autoribus, quàm ethnicis philosophis. Addisce hoc à D. Hieronymo qui ait: *Itemque qui se totius vniuersi naturam tenere profitentur, aiunt, mundum etiam ipsum periturum*. Vide nunc, an rectè dixerim, non mecum habendam esse hanc litem: mundum periturum dixi, sed non ego huius loquutionis autor sum: increpa autores sacros, & prophanos. D. Hier. in c. 51. Esai.

3 Perge, & tuam prosequere argumentationem: inquis ergo, *Aut non erit post combustionem mundus vllus, aut alter erit ab hoc diuersus: nihil enim post sui corruptionem permanet*. Sic putas, destrui futuram mundi stragem: deinde transuerso ordine ad præteritam destruendam conuerteris, sic: *Consimiliter dicenti tibi, magnum mundum semel periisse: quia perpessus est aquaeam stragem: iam aut hic mundus non est, idem numero cum eo, qui præfuit, aut quod semel interijt, idem numero permanet post sui corruptionem, aut animantium multitudinem appellare possumus mundum magnum;* quæ omnia tibi ridicula, ne dum absurda esse, videntur, sed quo iure videbis modo.

4 Cœterum vt ab hoc vltimo absurdo incipiam, nempe quia putas ridiculum esse, animantium multitudinem appellare mundum magnum, iam tibi superiùs satis demonstraui, ridiculum esse, hoc pro ridiculo habere; quare te duplice nomine irrisorum maximum dicam: tum quia maximus es inter irrisores, tum etiam quia maximus inter irrisos: grammaticus es, hoc benè capere potes. Accedo ad alia. Tota vis tuarum argumentationum consistit in propositione illa, quam formasti, & bis repititam nobis exhibuisti: videlicet, *Nihil post sui corruptionem permanet*. Hanc ita possumus exponere: *nihil post corruptionem est idem numero cum eo, quod fuit priùs*: hęc expositio tuis verbis consonat: siquidem pro magno absurdo nobis obijcis, quòd ex meis dictis sequatur, *vt quod semel interijt, idem numero permaneat cum eo, quod præfuit*. Sit igitur tua propositio hæc: *Nihil post corruptionem est idem numero cum eo, quod præfuit*. At ego quęro abs te, an propositio sit sempiterna; puto te assensurum: nam non agis de re, quæ nunc est, sed de diluuio iam ante myriades annorum transacto, & de altero posteà futuro. Itaque secundum hoc, licebit dicere, *nihil post corruptionem erit idem numero cum eo, quod præfuit*. Ita ne? quid ni? nullum enim est inconueniens in propositione perpetuæ veritatis verbum est mutari in *erit*. Sed tu non vides, in quam incidas foueam. Nihil ne, quod corruptum sit, post corruptionem erit idem numero cum se ipso, quod prefuit? consule Iobum, qui te obiurgabit, quandoquidem ait: *Scio, quòd Redemptor meus viuit, & in nouissimo die de terra resurrecturus sum: & rursus circundabor pelle mea, & in carne mea videbo Deum, quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt, & non alius: reposita est hæc spes mea in sinu meo*. At dices tu, hoc est supra naturam: ita est: sed mundi interitum supra naturam esse, iam superiùs est dictum, & inferiùs rursum dicetur. Instabis adhuc de hominis resurrectione, non de mundi restauratione, hoc fuisse prophetice dictum. Mihi verò in Iob c. 19 n. 25. 26. 27.

primis, ad infringendam tuam illam vanam propositionem, satis fuit ostendere, futurum aliquando, vt aliquid post corruptionem sui sit idem numero cum eo, quod præfuit. Deinde scias oportet, cum homine alias quoque creaturas pari passu procedere. Vnde D. Hieronymus, dum mundi renouationem, de qua loquimur, vellet sat bene declarare, similitudinem quæsiuit nobis inquiens, *Quod vt possit intelligi, nostræ conditionis ponamus exempla: infans enim cum in puerum creuerit, & iuuenis in virum, & vir in senem, nequaquam per singulas ætates perit, idem enim est qui prius fuit, sed paulatim immutatur, & ætati pristinæ perijsse dicatur.* Sic ille, qui, vt vides, non vult, hominem perire per singulas ætates, siquidem post vnamquamque manet adhuc: vult tamen, vt perijsse dicatur, nempe precedenti ætati. Sic mundus non perijt ita, vt non remaneat amplius, sed perijt priori mundo, quia remanet longè præstantior; & sicut homo resurgens immortalitatis dotes secum affert, sic resurgens mundus dona incorruptibilitatis habebit, eritq; cum homine renouato renouatum cœlum, renouata etiam terra, & in omnibus fulgor apparebit.

D. Hier. in c. 65. Esai.

5 Itaque cum D. Ioannes dicat, *Vidi cœlum nouum, & terram nouam: primum enim cœlum, & prima terra abierunt*, ne intelligas illud *abierunt*, quasi non sint idem numero, qui erant prius, sed abierunt, quia pristinus senescentis mundi status preterijt: *præterit enim figura huius mundi*, vt inquit D. Paulus. Quare optimè D. Gregorius *cœlum igitur*, inquit, *transit, & erit: qui ab ea, quam nunc habet, specie per ignem tergitur, & tamen in sua semper natura conseruatur*. Considera illud transit, & erit, & erubesce, cum dicas, non posse perire, & permanere. Imò consule D. Hieronymum, qui verba Seruatoris nostri in Euangelio, *cœlum, & terra transibunt*, & verba psalmi, *cœli ipsi peribunt*, & verba Esaiæ, *cœli sicut fumus liquescent*, hęc omnia explicat de mutatione, non de abolitione, ita vt quod perire dicitur in sacris litteris, non sit abolitum, sed mutatum in melius. Quare tum Psalmographus, tum Esaias mutationem hanc vestimento comparant: siquidem in psalmo dicitur *Omnes sicut vestimentum veterascent*, & Esaias eisdem ferè verbis, *terra sicut vestimentum veterascet*: Hoc est, sicut vestimentum vetustum, ac detritum innouatur, & in melius mutatur; sic cœli ad nouum claritatis, & splendoris statum transibunt. Hanc veterascentis mundi cum vestimento comparationem explicarunt septuaginta: si quidem verba illa Iobi, *donec atteratur cœlum*, legunt ipsi, *quo ad cœlum non sit consutum*: quippe in cœlo coagmentatio, & armonia potest explicari consuendi translatione: namque videbitur tota mundi machina dissui, & dissolui, cum non erit ordinatus omnium motus, sed diuersi: vnde vetustate sicut vestimentum diffluentur, & renouari eadem vestimenti similitudine consuentur.

Apo. c. 21. n. 1. D. Paul. ad Cor. c. 7. D. Greg. 7. moral c. 5. D. Hier. in Es. c. 51. & 61. Matth 24. Esai. c. 51. n. 6. Iob. c. 14. n. 12

6 Porrò mutationem mundi, renouationem ipsius, ideo appellari censendum est, quia erit mutatio in melius: neque enim mundus post diem Iudicij solum mutabitur, sed renouabitur, seu mutabitur in melius; quod indicat perfectiorem statum, quem mundus post hanc resurrectionem habiturus est: quippe aliud est resurgere, aliud mutari: siquidem mutatio secum affert meliorem statum, quod docet D. Paulus inquiens, *Omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur*; Sic etiam Iob munitus fide, *Expecto*, dicebat, *donec veniat mutatio mea*: eadem fide munitus Paulus ait, *Mortui resurgent incorrupti, & nos*, iusti, *immutabimur*.

Pau. i ad Cor. c. 15. n 51. Iob. c. 14. n. 14 Paul. vbi supra n. 52.

7 Deniq; quoniam hominis mutationi in melius, mutationem mundi comparamus & vtriusq; resurrectionem similem fore, dicimus, necesse est, vt vtriq; etiā similis præcedat interitus. De interitu hominis non est dubium, iuxtà illud D. Pauli, *statum est hominibus semel mori*; Mundi etiam interitus, suo modo futurus, iam ostensus est, ex multis, præcipuè ex illo psalmi, vbi de cœlis dicitur, *ipsi peribunt*; quod si de cœlis, quorum incorruptibilis natura censetur, istud dici potest, quantò magis de sublunaribus corruptioni obnoxijs corporibus? Duo autem sunt, quę interitum mundi similem interitui hominum, nobis representant. *Primum est*: quoniam cœli influxus, & pristinæ actiones, presertim motus, & quæ à motu pendent, cessa-

Paul. ad Hebr. c. 9. n. 27.

cessabunt, & hęc agendi, vitaliumq; operationum cessatio, cum morte comparatur. Cessaturum autem motum cœlorum, ostenditur, quia, vt habetur in Apocalypsi, *Iurauit Angelus per virtutem in secula seculorum, quòd tempus non erit ampliùs*; quòd si tempus ampliùs non erit, nec motus cœlorum esse potest, cum quo realiter idem est, & sine quo esse nequit. Hoc etiam congrua ratione probatur: quippe cessante fine, cessant ea, cuius gratia sunt constituta: sed præcipuus finis, cuius gratia mouentur cœli, sunt generatio, & corruptio viuentium corporum, & aliorum, ex quibus fiunt, & aluntur: hęc verò omnia expleto hominum numero, igne consumentur, vt pluribus in locis sacrę litterę testantur. *Alterum est*: quia prior mundi dispositio, & status (vt diximus) cum alio commutandus est: nam sicut moribundus homo aliam induit figuram, vt cernitur in facie illa cadauerosa, quam Hippocraticam solent medici appellare, quoniam elegantissimè ab Hippocrate descripta est, sic mundus aliam induit figuram, *pręterit enim* (vt iam ex D. Paulo diximus) *figura huius mundi*: tunc enim cœli videbuntur deficere, & quasi præ senectute caligare, vel potiùs moribundi instar, lumina claudere; Vnde in Apocalypsi, *Cœlum recessit, sicut liber inuolutus*, prophetico more *recessit* pro *recedet*, pręteritum pro futuro: quod etiam in futuro dixit Esaias, *Complicabuntur, sicut liber, cœli*, hoc est, cœli, qui omnibus aperti, & expansi sunt, vniuersim lumen reddentes, tunc fient, sicut liber complicatus, hoc est, nullum splendorem, ex se emittent. Cœlos autem expansos libro aperto comparari, colliges ex illo psalmi, *extendens cœlos sicut pellem*, quod pleriq; interpretantur, extendens tamquàm membranam, in qua sui notitiam descripsit: iuxtà illud, *Cœli enarrant gloriam Dei*. Porrò an mutatio prędicta attingere debeat sublunaria duntaxat, an etiam ad orbes cœlestes sit peruentura, dubium esse potest: quandoquidem D. Augustinus exponens verba canonicę D. Petri iam superiùs à nobis allegata, inquit, *Possunt cœli intelligi perituri, quos dixit repositos igni reseruãdos, & ea elementa accipi arsura, quæ in hac mundi parte subsistunt procellosa, & turbulenta, in qua eosdem cœlos, dixit, esse repositos, saluis illis superioribus in sua integritate manentibus, in quorum firmamento sunt sidera constituta. Nam & illud, quod scriptum est, stellas de cœlo casuras, præter quòd potest multo probabiliùs, & aliter intelligi, magis ostendit mansuros esse illos cœlos, si tamen stellæ inde casuræ sunt; Vel cum tropica sit loquutio, quod est credibilius, vel in isto imo cœlo futurum sit aliquid vtiq; mirabilius, quàm nunc fit*. Sic ille, qui, cum initio dicat, *possunt cœli intelligi*, & in fine tropicam loquutionem recipiat, perplexè loquutus videtur, & non valde etiam alienus ab opinione eorum, qui orbes cœlestes etiam renouandos asserunt. Quare tametsi in diluuio aquarum, virtutes cœlorum mãserunt intactę, hoc fuit, quia post illam stragem mundus ad solitam generationem, & corruptionem reuersurus erat, & propterea ordo cœlorum fuit pręseruatus, mansitq; semper in suo motu præscripto. At verò in vltima strage, quę futura est, virtutes cœlorum non ampliùs mouebuntur, neq; motus eorum erit necessarius, quippe, vt diximus, nec tempus erit ampliùs, neq; terra erit mortaliũ habitatio: quapropter cœlos nouos, & terram nouam dixit D. Ioannes. non disiungens mutationem cœlorum à mutatione terræ in melius. Satis iam ex his addiscere potes, mundum & semel perijsse, & iterum periturum: quæ doctrina est sacræ scripturę, sanctorum Patrum, & vniuersę theologorum scholæ, à te vno, per summum nefas, contradicta.

Ap. c. 10.

Hipp. 1. prog.

Apoc. c. 6.

Esa. c. 34. n. 4.

Ps. 103.

Ps.

D. Aug. li. 20. de ciuit. Dei c. 24.

Causæ naturales aquei diluuij præteriti.

Articulus Quartus.

1 POtuisset Deus ab ęterno tempus pręuidere, quo homines diluuij supplicio deberent puniri, & secundùm hoc, in creatione Vniuersi, cœlorum concursus, reliquasq; causas naturales ita disponere, vt in illo præstituto tempore, absq; particularis cuiusdam concursus nouo miraculo, sed seruato communi naturæ ordine, aquis inundaretur terra, fieretq; diluuium vniuersale, non aliter ac facta fuisse diluuia prouincialia commemorantur:

quale fuit illud Ogygis in Attica regione, & illud Deucalionis in Thessalia. Cœterùm quando diuinus historicus res naturaliter factas narrat, & quę ad solas causas naturales, concursumq; vniuersalem Dei referuntur, non eas nobis exhibet, quasi testimonia diuinę vltionis: quod tamen facit, quoties de diluuio sermo incidit, illudq; propter hominum scelera, ad vltimum prauitatis cumulum perducta, immissum fuisse, affirmat. Quare Deum vltorē vniuersalis illuuio autorem habet, qui tamen causas secundas, quas nutu regit, ad suscipiendam vindictam accipit, & impellit. Has naturales causas duas fuisse, narrat Moyses, dum inquit, *Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt.* Duplex igitur fuit causa, nempe inundatio fluuiorum, è terra scaturientium, & pluuia ingens de cœlo cadens. De vtraq; harum causarum seorsim aliqua dicenda sunt.

Gen. c. 7. n. 11.

2 Abyssi magnę nomine accipiunt aliqui mare, quod inundatione sua vniuersam terram submersit: cœterùm si mare intelligamus, cum illud per se solum sufficeret ad submergendam terram, frustra adderetur alia partialis causa, videlicet apertio cataractarum cœli, hoc est, ingens nimbus. Quare Philo, qui tres causas diluuij affert, nimirum maria tumentia, fluuios auctos, & imbres continuatos, poterat maria relinquere, ni potiùs vellet, maria sola ponere: quorsum enim fieret per plura, quod per vnum duntaxat fieri potuit? Siquis autem curiosè nimis quærat, cur Deus, qui poterat, sola maris inundatione, mundum subuertere, voluit potiùs duas alias causas accipere, nempe fontium ruptionem, & imbrium continuationem, factam perquadraginta dies, *factumq; est diluuium quadraginta diebus super terram,* responsiones complures morales hìc adduci possunt: vna tamen congrua, & valde pulchra sese mihi offert: videlicet mare legem habere, sibi à Deo impositam, ne terminos suos pretergrediatur, iuxtà illud Iobi, *Et dixi vsq; huc venies, & non procedes ampliùs, & hic confringes tumentes fluctus tuos:* & illud Salomonis in prouerbiis, *Quando circundabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos:* & in Ecclesiastico: *Terminum posuisti, quem non transgredientur, neq; conuertentur operire terram.* & Hieremias *me non timetis qui posui arenam terminos mari preceptum sempiternum quod non præteribit* cum igitur lex sancita sit mari, vt se contineat intra suos fines, si vltra progrederetur, iam esset legis transgressio: noluit ergo homines, diuinę legis transgressores, punire, accipiens pro instrumento supplicij creaturam, quæ diuinam legem transgrederetur, ac proptereà non fluctus maris ad hanc punitionem assumpsit, sed aquas aliunde conuocatas. Præter hanc rationem moralem, alia magis naturæ rerum congruens assignari potest, nempe quia mare, vt superiùs dicere cœpimus, & inferiùs meliùs comprobabimus, depressius est, quàm terra: non posset ergo super terram ascendere sinè nouo miraculo: non sunt autem multiplicanda miracula, quoad fieri possit.

Ibid. n. 17.

Iob. c. 38. n. 11.
Prouer. c. 8. n. 29.
Ecclesi. c. 39.
Hierem. c. 1.

3 Dicunt alij, abissum magnam esse baratrum, seu tartarum, cuius apud Platonem moribundus Socrates sic facit mentionem: *Vnus aliquis ex terræ hiatibus est profectò quàm maximus, perq; vniuersam terram traiectus, & patens, de quo Homerus, Longè imis baratrum stat sub tellure profundum. Quod & ipse alibi, & multi poetarum Tartarum appellarunt. In hunc enim hiatum omnia confluunt flumina, atq; inde rursus effluunt. Talia verò sunt singula, per quas labuntur terras. Quòd autem hinc effluant omnia, rursusq; refluant, hæc est causa, quòd hic humor nec fundum habet, nec fundamentum:* Et cœtera diffusè ibi tractata, ab Aristotele verò in meteoris in pauca collecta, & tamquam omnino falsa refutata. Forsan tamen sub hac fabula aliquid magnum occultatur, à quo non abhorret Olympiodorus: siquidem ea, quæ de Tartaro à Platone scripta sunt, fabulosè prodita esse censet, vt locum indicaret pœnis damnatorum, qui delicta non parcenda perpetrarunt, sempiternis addictum; quemadmodum & alia flumina Pyriphlegetontem, Cocytumq; ijs, qui aliter deliquissent: iuxtà hoc autem dicetur, Platonem, & locum supplicij damnatorum, & alium expurgationi dicatum agnouisse. Hanc igitur de Tartaro sententiam Aristoteles, vt sonant verba accipiens, nonnullis rationibus refellit, quarum vna est; Si è tartaro fluctuate flumina fluunt, fiet, vt fluminum aquę ascendant, eueniet q;, quod dici solet ἄνω ποταμῶν idest, sursum flumina; Alia ratio est, quoniam flumina omnia, quotquot non in alia se immittunt, desinere in mare cernuntur, in

Pla. in Phæd.

Ar. 2. met. c. 2.

terram autem nullum, ac si occultentur, rursus emergunt. Porrò cum non admittendum sit hoc baratrum, siue hoc tartarum, non admittenda est opinio de causa diluuij, quæ in eo fundatur, neq; adhærendum ijs, qui, abyssi magnę nomine, hanc aquarum vastitatem in medio terrę centro fluctuantem intelligunt.

4 Cum autem non sit negandum, subtus terram voragines multas esse, ex quibus ascendunt fontes quorum plurimi fluuijs originem prestant satius videtur, hanc voraginem multitudinem abyssi magnæ nomine significari. Sed vnde nam hę voragines aquas colligunt? num ex pluuijs? minimè: tum quia, vt ait Seneca, nulla pluuia est tam magna, quę terram vltra decem pedes in altitudinem madefaciat: At aquę satis profundiores visuntur, vt apparet in aliquibus miræ altitudinis puteis: tum quia è montibus valde aridis, in quibus nulla aqua colligitur, fluuij manant copiosissimi: tum etiam quia, vt Aristoteles considerare iubet, si ante oculos constituamus susceptaculum aquæ, quæ quotidie fluit, & multitudinem eius mensuremus inueniemus, fore, vt quod aquam fluentem recipit, terræ molem magnitudine superet, aut certè parùm vincatur. Num voragines istę implentur aquis, (vt Aristoteles voluit) ex vaporibus, & aere intus terram condensatis? At hęc fontium causa impossibilis videtur, si non omnino, saltem in ijs, qui magnis fluminibus originem prestant; nam tametsi valde probabile, & rationi consentaneũ sit, in cauitatibus terrę posse ex aere, & vaporibus fieri tantam aquę copiam, quæ fontibus, & fluuijs minoribus gignendis sit satis, non est tamen probabile, flumina illa amplissima magnam terræ partem occupantia, fontesq; vberrimos, ex quibus vt plurimùm hęc flumina oriuntur, ex condensatione aeris, vaporumq; generari, pręcipuè cum minor condensatio fiat in hyeme: quia, vt ostendunt aquæ puteales, tunc temporis calidiores, terræ viscera calidiora sunt, & tamen in hyeme fontes, fluuijq; vberiores fluunt. Num implentur voragines istæ propter mutationem terrę, & aeris in aquam, quod voluit Seneca? quippe, postquàm probat vicissitudinariam elementorum in se ipsa mutationem, addit: *Transit aer in humorem, nihilominus non sinè humore: & aera, & aquam facit terra, sed non magis vnquam sinè aqua est, quàm sinè aere: & ideo facilior inuicem transitus est*: Et cœtera, quibus demonstrat, terram expressione emittere ex se aquam, & aerem; quod, quamuis concedatur, non sufficit ad immensitatem fluminum, fontiumq; gignendam: prætereà sic fierent in dies maiores cauitates.

5 itaq; quoniam Aristoteles non negat, cauitates has, aqua plenas, quæ aquas excipiant, multis in locis inueniri, absurdum tamen esse, ait, siquis non putet, propter eandem causam aquam ex aere fieri, propter quam quidem super terram, & in terra; Nos illi hanc causam ab eo allatam, & optimè comprobatam, concretionem scilicet aeris in concauitatibus terram, vt fluuios, fontesq; minores gignantur, concedimus, dummodò nobis concedat, ad generationem fluuiorum, fontiumq; magnorum, vberiorem esse causam, quæ aquas ad cauitates illas conducat; Hanc etiam nos illi concedimus, non colligi ex aqua pluuia, ob rationes iam superiùs adductas. Sed cur non colligetur ex mari? num propterea quòd mare depressiorem habet locum, quàm sit terrarum locus, vt iam superiùs ex eodem Aristotele aduersus Platonem retulimus? At hæc ratio non ita vrget, quin responsione valde probabili solui etiam possit. Nam quamuis verum sit, aquam non plus natura sua posse ascendere, quàm descenderit nihilominus ab extrinseco impellente potest hoc contingere non aliter ac instrumentis quibusdam eandem aquam cogimus ascendere, quò volumus: vt patet in celebri fabrica Tolerana, quippe subijcimus aliam, quæ præcedentem impellat. Itaq; quemadmodum oleũ cum grauitatem habeat, super aquam ascendit pulsum ab ea, quæ grauior est, ita, etiam aqua dulcis, impellente salsa grauiore, ascendit. Si quis autem dicat; his exemplis ostendi, id, quod pellit, diuersum esse, & magis ponderosum, quare, inferiore loco occupato, id, quod locum illum obtinebat, impellere, aquam verò non impelli à re diuersa, sed ab alia aqua sibi simili in specie, respondeo, aquam denuo scaturientem, locum, in quo quiescat, requirere, cumq; alium non habeat, nisi eum, quem prior occupabat, præ sua multitudine illam in eam partem, quã potest, impellit: cumq; meatus ad superum

Collectio aquarũ num ex pluuia.
Senec. quæst. nat. lib. 3. c. 3.
Ari. 1. meteor. c. 13.
An ex vaporibus cõdẽsatis.
An ob mutationem terræ in aquam.
Sen. quæst. nat. c. 10.
Ar. lib. 1. met. sum. 4. c. 1.
An ex aqua maris.
Fabrica Toletana.

perum locum pateat, in eum fit impulsus. Itaq; hac de causa fontes, & Flumina possunt esse orta è mari, & scaturire in terræ partibus eminentioribus: quia dum aqua maris per terræ cryptas, & cauernas descendit, & quasi transcolatur, subtilior fit, & minùs grauis, deposita terrestrium concretionum admistione, vnde ex salsa fit dulcis; cumq; pars aquæ precedens defecatior sit, & leuior posteriore, illi cedit, & locum relinquit, & quoties aliunde non patet adytus, sursum ascendit per terræ cauitates, impellente posteriore, ratione suæ grauitatis, & densitatis: & quoniam in montibus maiores esse solent anfractus, & foramina, hinc prouenit, vt ex illis faciliùs, imò & frequentius flumina exiliant.

Eccl.c.1. 6 Quòd autem Flumina oriantur ex mari, sententia est consona sacræ scripturæ dicenti, *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Quæ verba (ne id, quod Aristoteli concessimus, iterum negare videamur) vt comprehendant etiam fontes, & fluuios, concretione vaporum genitos, dupliciter possumus explicare. Primo: quia sapiens ait, *Omnia flumina intrant in mare*: nempe tam ea, quæ è mari exeunt, quàm quæ ex vaporibus concretis fiunt; neq; Aristoteles negat ingressum fluuiorum in mare: imò verò rationem assignat, cur tot fluuijs in illud ingredientibus non redundat: videlicet quoniã in mari aqua expanditur, expansa autem, quàm collecta citius exsiccatur: siquis enim super mensam effuderit aquæ cyathum, breui tempore exsiccatur: quod non euenit, si tota simul in vase contineatur. Alias in super causas affert Lucretius, quas, quoniam in explicatione verborum, *& mare non redundat* versamur, libet hic adijcere. Prima ratio ducitur ex immensitate maris: quippe omnes aquæ, comparatione illius sunt instar vnius guttæ.

Ar.1.met.c.2

Lucr. lib.6.

Tamen ad maris omnia summam
Guttai vix instar erunt vnius ad augmen.

Altera est sumpta ex Solis calore, aquas exsiccante: quamuis enim ex vnoquoq; loco parum est, quod attollitur, multum tamen est, quod ex toto mari eleuatur.

Præterea magnam Sol partem detrahit æstu:
Quippe videmus enim vestes humore madentes
Exsiccare suis radijs ardentibus Solem:
At pelago multa, & latè substrata videmus.
Proinde licèt quamuis ex vno quoq; loco Sol
Humoris, paruam delibet ab equore partem,
Largiter in tanto spatio tamen aufert vndis.

Tertia ratio, vulgo creditur, non tamen omnino philosophis digna; nempe ventos aquam ex mari attollere, & veluti mare verrere.

Tum porrò venti magnam quoq; tollere partem
Humoris possunt, verrentes aquora ponti,
Vna nocte vias quoniam per sepe videmus
Siccari, mollisq; luti concrescere crustas.

Quarta ratio sumitur ex nubibus, quæ ex mari materiam hauriunt, quæ in magnam molem augentur, & in pluuias postea dissoluuntur.

Preterea docui multum quoq; tollere nubes
Humorem magno conceptum ex equore ponti:
Et passim toto terrarum spargere in orbe,
Cum pluit in terris, & venti nubila portant.

Quinta ratio ad rem nostram facit, & sententiæ Ecclesiastes accomodata videtur: Videlicet flumina ex mari ortum ducere, & per subterraneos meatus ad fluuiorum fontes ascendere.

Postremò, quoniam raro cum corpore tellus
Est, & coniuncta est oras maris vndiq; cingens:
Debet, vt in mare de terris venit humor aquai
In terras itidem manare ex equore salso;
Percolatur enim virus, retroq; remanat
Materias humoris, & ad caput amnibus omnis
confluit: &c.

Sed vt ad institutum iter reuertamur, dixit Sapiens, omnia flumina intrant

in mare. & sic Aristoteli non aduersatur, ingressum fluuiorum in mari concedenti; addidit posteà *ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur*: non dixit omnia, & sic possumus Aristotelem ab hac conditione liberare: si quidem ex eius sententia, nos etiam fatemur, non omnia flumina è mari exire, sed aliqua, nempe ampliora.

7 Alio modo explicatur Salamonis verba, scilicet omnia flumina ortū habere ex mari, vel proximè, vel remotè: & hæc etiam expositio patitur Aristotelis doctrinam: quippe, licèt flumina magna oriantur proximè ex mari, transcolato per subterraneos cuniculos, flumina minora oriuntur remotè ex mari: quippe cum ex vaporibus, aquis, ex humore aliquo, & aqua etiam frigiditate ortum ducant, ijs omnibus mare originem præstitit. Atq; ita manet explicatum, quid abyssus magna indicatur, videlicet magnæ aquarum collectiones subtus terram; quarum ruptiones particularium illuuionum causam fuisse constat. Quare non est mirum, si omnes, quæ sunt subtus terram, rumperentur, posse terras submergere, quod in diluuio vniuersali præter naturaliter est factum: nam naturaliter non fieri vniuersum, Aristoteles est autor: & reuera nunquam potest idem cœli status, eadem terræ dispositio esse in omnibus mundi regionibus, sed hoc solius autoris naturæ potentiam arguit.

8 Si verò mihi obijcias, quòd superiùs dixerim, leges positas fuisse mari, vt terminos suos nō transgrederetur, ac proinde noluisse Dominum in diluuio assumere pro instrumento mare, nunc autem dico, sumpta fuisse flumina, quæ cum è mari orta dicantur, pro mari habenda sunt, respondeo, terminum præfixum fuisse regioni maris vniuersæ, quæ terras circuit, & littoribus terminatur, quod indicant verba Hieremiæ superiùs allegata, *posui arenam terminos maris.* Si rursus obijciatur, fontium è mari prouenientium originem esse violentam, siquidem fit ascensu aquæ, qui motus est ei contra naturam, quippe aqua (vt dictum est) non potest vlteriùs ascendere, quàm descenderit, at aqua ex mari prouenïens, cum mare depressiorem locum obtineat, quàm terra, ascendet vltra quàm pro sua natura posset ascendere, respondet D. Thomas, huiusmodi motum non debere violentum iudicari, quia (vt quarto de cœlo scripsit Auerrous) naturæ, atq; ordini corporum maximè consentaneum est, vt inferiora superiorum impressionem sequantur, ac proinde Solis influxui, & aliorum syderum, quibus incumbit mundi commoditates promouere, attribuit. Verùm ne cogamur ad occultos influxus recurrere, melius dici posse videtur, ea, quæ sicca, & porosa sunt, vt spongia, suapte natura humorem sugere: hoc autem ita contingit aquæ maris, quæ suctu quodam terræ attrahitur: ac proinde, licèt motus sit contra naturā aquæ, est secundum naturam sugentis terræ.

9 Franciscus Sanchez conciuis meus, *Fontes*, ait, *in montium cacuminibus posse sinè vlla vi exoriri: quia cum saltem maris medium sit eiusdem altitudinis, cum altissimis montibus, aqua ad æquilibrium ascendere potest, vt videmus fieri in fontibus artefactis, in quibus tantùm ascendit aqua, quantùm in sua scaturigine habet altitudinis.* Pugnat etiam cum Lorino quòd dixerit ab astrologis, & philosophis demonstrari, terram esse altiorem mari. Profectò quemadmodùm minus probabilem opinionem sequitur, dum ait, medium maris esse altius quàm littora, ita meritò Lorinum reprehendit, neq; enim contraria opinio demonstrata est, sed tamquam valde probabilis à multis recepta. Itaq; quòd mare sit altius, quàm terra, opinio fuit doctissimorum virorum cui suæ non desunt probabiles rationes, contraria tamen, quæ mare depressius esse statuit, doctissimos etiam pro se viros habet, rationes q; præterea, quæ magis rationi consentaneæ videntur. Sunt igitur, qui mare magis excelsum quàm terram esse, affirmāt, preter alios Canus, & (vt videtur) D. Damascenus, Burgensis, Catharinus, addens non putare se, quemquam sapientem vnquam de hoc dubitasse: accedit Tullius, fauet D. Thomas, nec non D. Basilius, & quos Sanchez citat, Theodoretus, & Ambrosius.

10 Rationes etiam pro hac parte non desunt. Prima rectus naturæ ordo postulat vt id, quod grauius est, subsit ei quod est leuius: aqua verò leuior est, quàm terra iuxta Aristotelem, qui terram in medio mundi quiescere, ait: neampe quia est summè grauis. Secunda sumitur ex sensuum iudicio: quippe

Ar. 4. de Geo... lo. tex. 35.

Pf. 103.
Pf. ...

Hierem. c. 5.

D. Tho. 2. distinct. 14. q. 1. art. 1. ad 4.

Sanc. in Eccl.

Can. in com. ... part. ...
Burgē. ad c. ... gen. Catharin. ibi. ...
Tullius l. 2. de nat. Deorum.
D. Th. 1. part. q. 69. ar. 1. ad ...
Basil. hom. ... Hexamer.
Ar. ... de cœl. c. 8. tex. ...

quippe ijs, qui ex alto in oram maritimam vehuntur, terra videtur iacere infra mare, & quò propiùs ad littus accedunt, eò ipsis altissima quæq; vt turres, & montium iuga clariùs apparent, ac paulatim assurgunt.

Ar.4.de Cœlo tex.36.

11 Probatur etiam hæc pars autoritatibus non solùm Aristotelis, sed etiam sacræ paginæ; Aristoteles id apertè sentire videtur dum ait, *Et aqua quia et præter terram omnibus subſtat*: si ergo substat omnibus prçter terram, iam terrç superstat. Extant sacrç scripturæ testimonia varia, quorum aliqua afferre libet; In psalmo *Abyssus, sicut vestimentum amictus eius* (idest terrç) *super montes stabunt aquæ*, hoc est, eminentiores erunt montibus, eos tegent; Et in alio psalmo, *veni in altitudinem maris*: & complura alia, quç breuitatis causa omittenda censui.

Ps. 103.
Ps. 68.

12 Cçterùm his omnibus responsio facilè prçstatur quod faciendum duxi, antequàm contraria sententia cõfirmetur; Et quod attinet ad autores sacros dicendum est, eos in re probabili potuisse ita sentire, quod non tollit, alios eiusdem classis aliter sentientes meliorem partem elegisse. Quod verò attinet ad primam rationem, respondeo; Terræ quidem, & aquç naturam postulare, vt aqua terram ambiat, terra verò aquæ subiaceat, & ita in mundi exordio per duos duntaxat dies fuit factum, nam tertia die iussit Dominus congregari aquas, quæ sub cœlo sunt in locum vnum, vt appareret arida, hoc est, terra: quippe ita conueniens fuit, vt terra posset habitari: nec tamen proptereà violentiam hæc duo elementa patiuntur, nã terra non innititur aquç, neq; aqua habet supra se, nisi aerem: solùm q; violentiam paterentur, si grauius superstaret leuiori, quod tamen non fit, vt est manifestum. Ad secundam dicimus, decipi sensum ijs, quibus ex alto in oram maritimam venientibus, terra depressior videtur: causa autem deceptionis est nigredo obiecti, quæ illud semper depressius ostendunt; ideò pictores profunditatem rerum atro colore nobis fingunt: quod eleganter declarat Aphrodisæus, vt videre est apud eum.

Alex. Aphro. l.1.probl. 49.

13 Quod attinet ad autoritates; Aristoteles, terram substare aquis, censuit, hoc est, grauiorem esse: nos autem non loquimur de loco, qui vnicuiq; elemento debetur, nam sit nec aqua, nec terra suum locum naturalem occupat, sed agimus de statu vniuersi, prout eius gubernationi conuenit, & secundùm id, quod ab autore naturæ, dum mundum conderet, visum est, esse commodius. Quod attinet ad sacras litteras, quando dicitur *super montes stabunt aquæ*, intelligi potest *super montes*, hoc est, super terram, quæ post creationem mundi in montes increuit: & rursus *stabunt* aquæ legetur stabant, nempe ponitur futurum pro præterito imperfecto, quo hebræi carent; Iuxtà hanc lectionẽ Caietanus prædicta verba psalmi refert ad statum nascentis mundi, priusquã tertia die separarentur aquæ à terra. Alia verba alterius psalmi, *Veni in altitudinem maris*, interpretes dicunt *in profunditatem*. Vtriusq; psalmi expositionem tam priorem Caietani, quàm posteriorem istam recipit Genebrardus. Multa alia scripturæ loca, in quibus Deus datur, quoniam mari terminum constituit, non hoc dicitur, quòd aquas terrç eminentes coerceat, ne terram absorbeant, sed quòd eas depresserit, & terrç cauernis concluserit, cum suapte natura vniuersç terrç circumfundi deberent, iuxtà illud, *congregans sicut in vtre aquas*.

Ps. 32.
D.Hier.in ps. 32.
D.Au. ps.135.
D.Dam.l.fidei orthodoxæ.2. c.9.&10.
Cõtaren.li.2. de element.
Lippoman.
Caiet.
Hõcala ad c. 1. gen.
Æg.l.2. Hexamer. c.27.
D.Chry.hõil. 9 ad populum Antiochen.

14 Satisfactum itaq; est eis, qui tenent mare terrç superstare. Nunc contraria sententia, quç nobis magis placet, rationibus est firmanda. Et quod attinet ad autores, qui eam amplexantur, multos, magni nominis esse constat: nempe est D. Hieronymus, D. Augustinus, & vt alijs videtur, D. Damascenus, Contarenus, Lippomanus, Caietanus, Honcala, Ægidius, D. Chrysostomus, & pleriq; alij; Extant etiam sacræ paginæ manifestissima testimonia, vt in psalmo, *Ipse super maria fundauit eum*: & in alio psalmo, *Qui firmauit terram super aquas*: & in alio, *Qui descendunt mare in nauibus*: & alia complura.

15 Rationibus etiam hæc pars stabilitur. Prima est, Nauis tardiùs ad littus properat quàm progrediatur è littore: hoc inditium manifestum est, mare quò magis littori accedit, eò altius esse: quippe descensus rei graui promptior est, quàm ascensus; Descendit ergo nauis, quoties in altum prouehitur, ac proinde labitur in depressius; Quòd autem nauis è portu soluens, velociùs prouehatur, quàm accedens ad portum, si ventus pariter spiret, multo-

rum

rum experimento traditur comprobatum. Altera ratio est, & quidem demonstrationi proxima. Qui è Lusitania in nouam Hispaniam nauigant, post quàm progressi sunt, per quindecim gradus, reperiunt tardius vna hora eis oriri, & occidere Solem, quàm oriatur, & occidat in Lusitania. Hoc autē non sic accideret, si mare in altum conscenderet: nam citiùs vltra illos gradus nauigantibus Sol appareret, sicut etiā citiùs apparere solet ijs, qui montes conscendunt, tametsi ab oriēte longiùs distent. Tertia: quia in medio mari frequētes apparent insulæ: si verò aqua in globū coiret, esset in medio altior, quàm terra, neq; ibi terræ partes super aquā eleuatę viserentur. Quarta: fluuij prono cursu in mare dilabuntur. Quinta: terra, & aqua efficiunt vnum globum: vtriusq; ergo vnum est centrum, vnus communis circulus, ac subinde aqua non conglobatur in seipsam, nec terræ supereminet: quippe non est globus terræ insidens, sed pars globi; Vnum esse vtriusq; centrum, experimento patet: si namq; in aere terra, & aqua, vna post aliam demittantur, per eandem lineam descendent, quare ad eundem locum, hoc est ad idem centrum. Deinde cōmunem vtriusq; circulum esse, similiter experimento conspicitur in eclypsi lunari, in quo vna duntaxat vmbra in lunę corpore conspicitur: conspicerentur verò duę, si aqua, & terra duobus circulis inter se diuiderentur. Atq; hęc de eruptione fluminum, & fontium, quę Abyssi magnę nomine significatur. Ps. 23. Ps. 135. Ps. 106.

16 Altera diluuij causa sic à Diuino historico narratur: *Et cataractæ cæli apertę sunt, & facta est pluuia super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus.* Propriè cataracta locum abruptum, & præcipitem in fluuijs significat: græcum est vocabulum à Latinis iam in vsum deductum: pro cataractis in hebraico contextu vocabulum est, quod fenestras significat. Apertæ igitur sunt, iuxta originale, cœli fenestræ, quibus verbis (vt se explicat ipsemet diuinus historicus) pluuia significatur. Quomodò autem accipienda sit isthæc fenestrarum cœli apertio, diuersimodè à sacris autoribus exponi video; Nam sunt aliqui (inter quos est Eugubinus, cui assentitur Oleaster) qui à litterali sensu nolentes discedere, tenent aquas, quæ super cœlos sunt, & ex quibus constare dicunt cœlum crystallinum, apertis in cœlo fenestris, in terras irruisse, ac sic factum fuisse magnum aquarum imbrem per quadraginta dies, & quadraginta noctes.

17 Porrò hic duo pullulant dubia, vnum, an sint aquæ super cœlos, alterū, dato, quod sint, an fuerint à Mundi origine illic conseruatæ, vt post annos mille sexcentos quinquaginta sex diluuio, (vt hi putant) inseruirent. Profectò, quod attinet ad priorem dubitationem, tametsi graues autores, aquas super cœlos esse, negent, & aquarum super cœlos existentiū nomine, cœlos nempe nonum, & decimum translucidos, nullam stellam habentes, aquarū similitudinē referentes, intelligāt, quę opinio Conimbricensibus verisimilior, quā eius contraria videtur, nihilominùs eam parùm verbis sacrę paginæ congruentē, & inde violenter extortam esse sentio: libentiusq; plurimorū sanctorum patrū, asserentium, veras aquas super cœlos esse, sentētię adhęreo, neq; sinè ratione: quandoquidem mūdi opifex in secunda die creationis vniuersi ita dixit: *Fiat firmamentum, in medio aquarum, & diuidat aquas ab aquis, & fecit Deus firmamentum, diuisitq; aquas, quę erant sub firmamento, ab his quæ erant super firmamentum, & factum est ita, vocauitq; Deus firmamentum cœlum.* Sic ibi. Cœterùm siue firmamenti nomine totā hanc extensionem, expansionemuè vsq; ad cœlestes orbes intelligamus, cui fauet hebrea vox *rachiach.* i. extensio, siue expansio: siue octauā sphęrā, quam D. Augustinus firmamentū appellari, ait, tū propter firmitatem, tum propter transgressibilem terminū superiorū, & inferiorū aquarū (& obiter nota, D. Augustinū esse annumerandū ijs, qui, aquas super cœlos esse, tenent, licèt aliquando, aquas super cœlos existentes Angelos esse, dixit: hoc enim extra sensum literalem est: quod Satyrus non intelligens nesciuit, sensum literalem ab allegorico separare) quocūq; inquam, modo firmamentū sumatur, colligere debemus ex pręcitatis sacri contextus verbis, aquas superiores existere distictas ab inferioribus. Hoc etiā addiscimus ab etymo sermonis hebraici: quippe cœlū dicitur *Samaim*, hoc est ibi aquę; Deinde aquas vocāt hebræi *maim*, quod vocabulū, duplices esse aquas, nobis indicat: quippe in illa lingua res suapte natura duplices vocabulis terminatis in *aim* (quę terminatio dualis est numeri) significantur: sic oculi, sic aures nomini-

Anni ab origine mūdi ad diluuiū 1656.
D Bonau in 2. dist. 14. ar. q. 1. Durar. q. 1. M. Alber. eadē dist. art. 1. A Egid. 2. Hexam c. 14. lyra Abulēs. Caie. Catharin. D. Ambr. li. 2. Hexamer. c. 3. Basil. homil. 3 opific. mund. Chrys. Hipp. Seuerianus Theod. Beda Iustin. Marty. D. Aug. 2. de gen. ad lit. c. 10

minibus terminatis in *aim* exprimũtur: sic Hierusalaim ciuitas dicebatur, quę duplex erat, inferior, & superior.

19 Cœterũ queadmodùm in hac priore dubitatione ijs assentior, qui aquas super cœlos esse, affirmant, sic in posteriore ab ijsdē, dicētibus, aquas fuisse supra cœlos repositas, vt suo tēpore inseruirent vniuersali totius mundi illuuioni, omnino discedo, & cum Pererio, & alijs, aquas illas super cœlestes nō fuisse diluuij tēpore à sua sede remotas, existimo. Ad hoc demonstrandum suppono prius, aquas super cœlos, post diluuiũ, mansisse: patet hoc, quoniā Dauid, qui vixit multo post diluuiũ, ita cecinit: *Et aquæ, quæ super cœlos sunt, laudent nomen Domini.* Tres etiā pueri in fornace canebant: *Benedicite aquæ omnes, quæ super cœlos sunt, Domino.* Ex his constat, post diluuium, iuxta sacrę paginę sentētiā, aquas esse super cœlos. Quid ergo? mansit ne ibi aliqua aquarum pars, & alia pars tēpore diluuij decidit? At quorsum ita fieret si diluuium aquarum non erit amplius? ita tenet diuina promissio, *Nec erit deinceps diluuiũ dissipans terrā.* Deinde si aquę istę super cœlestes (vt est eorũm opinio) erant in cœlo crystallino exitus earum, vt in terras caderent, debuit fieri ruptis septem orbibus planetarum, & octauo siderum errantium, quod fuisset miraculum, magnum, nec tamen ab historico Diuino commemoratum. Tostatus adeò constanter tenet, non cecidisse in terram has aquas tempore diluuij, vt, tametsi id se a solemni doctore audiuisse, dicit, non habere saltem vllam apparentiam, affirmet: persuadetur autem, quia aquæ cristallinę non sunt de specie elementarium: quippe non sunt fluxibiles, sed congelatę, & solidę. Si verò aliquis Tostato obijciat, aquas omnes tam super cœlestes, quàm elemētares simul fuisse creatas, & posteà diuisas, ac proinde esse duas partes vnius totius, neq; inter se specie differre, pro Tostato respondebo, posse duo, quę origine sunt eadem, posteà in diuersas species immutari. e. g. ros originem prętat margaritis, quę nihil aliud sunt, quàm ros in ostreorum cauitate concretus, & tamen à rore specie differunt, imò ex eodem rore pars in ostreis fit gemma, in aere mel aereum, seu manna, in ventre apum mel: & ecce species est diuersa, origo, vna, & eadem. Quòd si quispiam aquas super cœlos non concretas, sed, vti priùs, liquidas asseruari contendat, non video, vnde possit redargui. Nam neq; grauitant, aut leuitant, cum sint extra mundi elementaris confines, neq; violentiam pati dicuntur, cùm in loco sibi à mundi conditore, in ipsa mũdi origine assignato, contineantur. Non videtur igitur consentaneũ pluuiam, quę diluuij tempore facta fuit, apertis cœli syderei cataractis accidisse, neq; ei aquas super cœlestes materiam præbuisse.

Perer. in gen. — *Ps. 149. n. 4.* — *Daniel. c. 3. n. 60.* — *Gen. c. 9. n. 11* — *Tostatus*

19 Longe magis consonum est dicere, fenestras apertas fuisse, non stelliferi cœli, sed aerei: (aeris regionem cœlum appellari frequentissimũ est) quemadmodùm enim Deus futuram siccitatem minatus dixit; *Iratus q; dominus claudat cœlum, & pluuiæ non descendant*, ita etiam ad factam illuuionem significandam apposite dicitur, apertas fuisse fenestras cœli, hoc est, apertam fuisse cœli aerei regionem. Porrò vt benè notat Pererius, phrasis est in sacris literis vsitatissima, ad significandam bonorum abundantiam, dici apertas esse cataractas cæli. Sic quando Eliseus predixit, fore, vt postridie modius similæ vno statere vęniret, & duo modij hordei statere vno, respondisse fertur quidam è ducibus Regis Israel irrisor, & incredulus. *Si Dominus fecerit etiam cataractas in cælo nunquid poterit esse, quod loqueris?* Apud Malachiam Deus promittens populo Israelitico magnā bonorum affluentiam, sic locuutus est: *Si non aperuero vobis cataractas cæli, & effundero vobis benedictionem vsq; ad abundantiam.* Accipitur etiam pro abundātia pœnarum vt in psalmo, *Abyssus Abyssum inuocat in voce cataractarum tuarum:* quam loquutionem Genebrardus, Hipotyposim poeticam calamitatum ingentium esse, ait. Itaq; meritò Rupertus Abbas hanc fenestrarum cœli apertionē insinuare, inquit, magnitudinem inundationis. Nec solùm hyperbole in his verbis subest, sed metaphora etiam: quippe, vt D. Chrysostomo videtur, hoc dictum est, non quòd cataractæ, & fenestræ sint in cœlo, sed quasi diceret, præcepit tantùm Dominus, & statim aquarum natura, mandatis conditoris obediuit, & vt confluxit, totum orbem inundauit. Porrò loquutio hæc non impedit, genitas fuisse pluuiales aquas ex multitudine vaporum, quos terræ humiditas produxit: credibile est autem, hanc vaporum multitudinem præcessisse, vt materiam multam futuris imbribus præstaret.

Deu. c. 11. n. 17 — *Perer.* — *4. Reg. c. 7.* — *Malach. c. 3.* — *Ps. 41.* — *Genebr. in ps.* — *Rupert. Abb. lib. 4. com. in gen. c. 20.* — *D. Chrysost. hō. 25. in gen.*

Atq;

Atq; ita causa nimborum ingentium naturalis quidem fuit, supernaturaliter tamen conuocata. Neq; etiam est præter rationem, ad augendam pluuiam, aerem magna ex parte, iussu Domini, in aquas fuisse resolutum, & iugiter ascensu vaporum restauratum; Nam ex causis naturalibus per se ipsas, absq; nouo, & peculiari Dei concursu potuit in vniuersam terram imber vno, & eodem tempore fluere: quippe Sol diuersis temporibus, diuersimode diuersas illustrans terræ partes, vicissitudinarias, non autem vniuersales pluuias efficit: videlicet accessu suo aquas exhauriens, abscessu reducens; quod tradit Aristoteles his verbis: *Quòd si Solem quiescere quis statuat, quid erit, quod exsiccet* (existimauit, solem non exsiccare nisi mediante motu, quod Vicomercatus reprobat) *sin verò conuersionem esse patietur, id, quod potabile est accessu suo, quemadmodùm diximus, perpetuò euehet, dimittetq; rursus abscessu.* Sic ille, qui prouinciales illuuiones naturaliter nobis concederet, vniuersalem verò nonnisi supernaturaliter concedi posse, par est. Si quis autem adhuc dixerit, posse astra, ex ea terræ parte, quam respiciunt, & in quam agunt, tantam vaporum copiam extrahere, quanta sufficiat vniuersali inundationi, quippe pars vna inundans in alias redundabit, respondeo, nequaquam hoc possibile esse: quippe nulla pars terræ tot vapores potest è se emittere, quot requiruntur, vt totus terrarum orbis adeò submergatur, vt aqua super altissimos montes quindecim cubitorum altitudine emineat: Neq; etiam tot vapores poterat simultaneè in aquas conuerti. Quare necessarium fuit, vt & vapores ex vniuersa terra iussu Domini eleuarentur plus satis, & eiusdem similiter iussu aer per vniuersas regiones secundùm aliquam sui partem in aquas dissoluerentur, naturalesq; causæ supernaturaliter ad tantum, & tam mirabile opus impulsæ, id nutu Dei efficerent, quod per se ipsas facere non poterant. Ar. 2. met. c. 3. Vicomercat.

20 Pro coronide libet adducere quæsitum quoddam non absimile ei, quod superiùs pertractaui, cum rationem reddidi, cur non fuit diluuium factum, solo mari suos fines transgrediente. Nunc autem similiter quæro, cur ad submergendam terram non fuit satis fontium, fluuiorumq; vniuersalis, vehemensq; eruptio, sed datæ sunt insuper ingentes pluuiæ? An quia id, quod beneficij loco priùs fuit datum, posteà in supplicium conuersum grauiter affligit, & eò grauius est malum, quò anteà suauius fuit bonum. Accesserat mortale nefas ad cumulum prauitatis: (quippe omnis caro corruperat viam suam) cumulata etiam pœna, & tanto sceleri condigna exigebatur; quò factum est, vt instrumentum diuinæ vltionis esset id, quod iam antea fuerat fructus diuinæ benedictionis, nempe pluuia: hæc enim erat optima merces, quam Dominus proponebat ijs, qui in lege sua permansissent: sicut ex opposito alijs, qui Dijs alienis inseruijssent, siccitates: quippe clauderetur cœlum, & pluuiæ non descenderent. Est autem tanti apud Deum pluuia, vt damnet in sacris litteris Ægyptum, quia sinè pluuijs sola Nili irrigatione fruges proferat, commendet autem Palæstinam: quia terra est *de cœlo expectans pluuias:* quod forsan scientia hominum, quæ ignorantia est apud Deum, longè aliter repræsentaret. Deniq; vtilitas, imò necessitas pluuiæ ex eo apparet, quòd simul ac creatus fuit homo, concessa ei fuit pluuia veluti magnum agriculturæ subsidium, magnum agricultoribus beneficium; Hoc sic ostendo. Quando in Genesi dicitur *Non enim pluerat Dominus super terram,* intelligitur de tempore ante Adami creationem, idcirco adiungitur; *Et homo non erat qui operaretur terram;* Si ergo non erat homo, non erat adhuc creatus Adam. Postquam autem Adam in luminis auras fuit editus, non sic erat, *sed fons ascendebat de terra irrigans vniuersam superficiem terræ:* fontis nomine accipitur vapor, originalis enim dictio *ed* duo hæc significat, & fontem, & vaporem. Ascendebat igitur vapor, qui in aeris regione concrescebat in aquam, fiebatq; pluuia, *irrigans vniuersam superficiem terræ.* Itaq; plantæ tertia die creationis vniuersi, diuina potestate productæ, diuina etiam potestate fuerunt sustentatæ, donec factus fuit homo, qui terram coleret, tunc autem culturæ necessaria data fuit pluuia; quæ deinceps temporanea, & serotina frumentum, vinum, & oleum, fœnumq; ex agris ad pascenda iumenta fœcundans terram hominibus subministrauit; Donec tandem iratus Dominus, statuit homines delere è facie terræ, & hac eadem pluuia, quæ terram reddebat fertilem, ad submergendam terram tamquàm aptissimo vindictæ instrumento est vsus. Potest Deut. c. 11. c. 14. Gen. c. 2. n. 5. n. 6.

huic rationi altera adiungi, videlicet iratum Dominum, licet simplice voluntatis imperio posset delere Vniuersum, voluisse iræ suæ causas naturales adaptare, & eas ad libitum suum extollere, vt eum causam causarũ esse pereuntes transgressores agnoscerent. Multiplicauit ergo causas, sine quibus agere poterat, sed noluit: ac propterea scaturientibus vniuersim fontibus, excrescentibus fluuijs, apertæ cœli cataractę adiungerentur, & sic velocior, atq; horribilior fieret mundi interitus.

Causæ naturales ignei diluuij venturi.

Articulus Quintus.

1 QVemadmodùm aquei diluuij duas causas naturales, supernaturaliter tamẽ impulsas reliquit scriptas in sacra historia Moyses (plures à Seneca, & alijs adductas contemno) vnam è terra scaturientem, alteram è supera regione cadentem, ita ad eam, quæ per ignem futura est Vniuersi stragem, duas causas conuocabit rerum Dominus: nempe præteritę fontium, fluuiorumq; erupitioni, igneæ voragines è viscerbius terræ erumpentes respondebunt; pluuijs è cœlo cadentibus similes erunt ignitæ faces desuper magno impetu irruentes; quod D. Thomas agnouit siquidem ait, *Quòd ignis ille non tantùm descendet, sed etiam à sanctis ascendere perhibetur*: quod probat ex canonica D. Petri, *vbi dicitur quòd tantùm ascendet iudicij ignis, quantùm aquæ diluuij*. Agendum itaq; in primis nobis est de igne illo, qui ascendet; Hunc, existimo, esse eum, qui sub terra, imò & alicubi sub aqua etiam latens, aliquando se prodit.

D. Th. 3. p. q. 74 ar. 2. in corpor.
D. Petr. Epist. 2. c. 3.

2 Subtus terram occultari ignes, indicant in primis aquæ thermales, quæ multis in locis calidæ scaturientes, ignis subterranei effectum secum gerunt: indicant & crebra incendia, quorum aliqua adhuc hodie visuntur, alia iam abolita sui vestigia reliquerunt; Omnium catalogum diligenter scripserunt Conimbricenses, & nouissimè eruditissimus Petrus Castellius in libro de incendio Vesuuij vulgari sermone, non vulgari tamen doctrina edito, quem meritò D. Angelus Colius, vir omni æstimatione maior, rara, & pulchra eruditione refertum esse in censura præfixa, fidem facit. Multas ibi causas seorsim sumptas reijcit, simul acceptas recipit, reducens omnes ad vnum genus, videlicet ad materiam facilè combustibilem, qualis est sulphurea, bituminosa, nec non etiam nitrosa, hæc enim vltima est, quæ, si adsit, impetum addit, quo erumpentes ignes magno fragore terrorem circumuicinę regionis habitatoribus incutiunt.

3 Neq; subterris solùm, sed sub aquis ignitabula etiam esse, mihi videtur: quid ni? Non ne sub mari etiam materiæ combustibiles sunt? ita sanè: est ergo ibi materia, efficientem autem causam non deesse, mox inferiùs commonstrabo. Nec verò mea isthæc est noua, & inaudita opinio, sed quæ plurimos, & valde celebres autores habet, qui à D. Castellio citantur: nimirum Iustinum historicum, Sebastianum Bassonem, Lucretium, Solinum, Diodorum Siculum, præter istos addam ego Olaum Magnum, qui Cassiodorum citat referentem, quid in monte Vulcano admiratione sit dignum: quippe cum accensus sit, & flammarum congregatione ardens, nihilominùs sub vndis occultatus latuerat. Siue igitur aquæ maris, crassitiem quandam in se habentes (vt ex Aristotele colligitur) materia proxima flammarum sint, siue producentes sulphur, & bitumen dicantur esse materia remota, hoc vnum certissimum est, eas extinguendo igni non esse aptas, sed excitandis flammis aptissimas; quod sciunt ij, qui regiones maritimas incolunt: si enim ibi contingat, incendio ædificium aliquod corripi, non recurrunt ad aquas maris; Constat etiam ex nauibus, quæ in medio mari incedio absumuntur, neq; illis mare auxilium præstat, sed perniciem auget. Cœterùm sulphur, & bitumen plerumq; iuxtà mare gigni, & à maris sordibus, & calore augmentum suscipere, autor est Cardanus; quin ipse Olaus Magnus ait, reperiri in quibusdam aquis venas sulphureas, quę accensę in morem flammarum, videntur vicina

Olau. mag. l. 2. c. 1.
Cassio. 3. epis.
Arist sect. 23. prob. 13. & 3. de gen. an. c. 11

loca velle consumere; quod spectaculum & in Calydonia, & in Insula, quæ Plinio Thyle appellatur: frigidissimis nempe locis communiter conspicitur. Quòd si terra aliqua adeò sulphuream naturam habet, vt ea vtantur incolæ pro lignis, quibus carent, aquæ etiam lutum combustibile alicubi habent: narrat quippe idem Olaus Magnus in campo quodam Gothiæ meridionalis, non procul ab vrbe Vessoniorum, lacum esse luto plenum, in quo si coctibilia quæpiam immergantur, momento temporis vel ambusta, vel cocta eijciuntur; plura in hanc rem congerit Castellius. Castel. pa 41.

4 Itaq; varij sunt modi, quibus erumpunt ignes: quippe sulphur per se solum non nisi tenues flammas potest edere, quæ tunc supra terram apparebunt, cum præ multitudine nequeant stare subtus: ex bituminum diuersis speciebus crassiores flammæ, ex combustibili terra carbones: cumq; magna datur ignescendi facultas, propter societatem aliorum combustibilium, ignescunt etiam lapides: singulis istorum, vel pluribus simul mistis adiunctū, salnitrum, *Recalcitrat* (vt ego in meis meteoris microcosmi dixi, & D Castellius libenter recipit) atq; *in sulphure intumescit, nec in eo includi patitur. Quapropter partem illam terræ, concutit vnde Vulcani erumpunt.* Atq; hęc de ignis subterranei causa materiali. Met. micr. l. 3. c. 1 Castel. pa. 44.

5 Causam efficientem posui radios solares, non tamen hanc perpetuam esse volo: quippe exhalationes sub terra commorari, & per cauernas eius impetu cieri, nec non etiam in mari multas reperiri, & tam has, quàm illas agitatione accēdi (quæ si oleosam materiam reperiant multiplicant incendium) nemini dubium esse potest. Cœterùm solares etiam radios vehementer terram, aquas vè percutientes posse in sulphur, bituminauè agere, incendendo illa, mihi non est creditu difficile; Nec valet, quòd Solis vis non penetrat longinquam profunditatem terręuè, marisuè: penetrat sinè dubio, nam metalla, quę in profundissimis locis gignuntur, Solis vi concurrente gigni, certissimum est; Deinde sulphur, & bitumen, & reliqua huiusmodi non in profundo valde gignuntur. Tandem nihil prohibet, exhalationes, quę non ita liberè, & violenter cientur, sub terra, quemadmodùm in aere, magis accendi à calore Solis, quàm à proprio motu, quem sub terra non possunt liberum habere: accensæ autem à Sole, quęrunt sibi nutrimentum: nam ea est natura ignis, qui est apud nos (de sphera ignis nunc non disputo) vt voracissimus sit, & semper ad suum pabulum feratur; Accenduntur ergo exhalationes alię post alias, donec accedunt ad combustibilia pinguia: nec est inconueniēs ferri ignita corpora deorsum: etenim hoc in aere accidit, imò & in hac inferiore regione, quippe quotiescumq; ligna subduntur igni, tendit ignis deorsum ad deuorandam suppositam materiam. Siquis autem quęrat, si Sol aptus est suis radijs excitare incendia, cur omni æstate non contingunt, respondeo, non semper exhalationes esse promptas, & tot, quę possint multiplicare ignem, nec semper combustibilia disposita. Cur in regionibus frigidissimis erumpunt Vulcani? An quia ibi fortior, quàm alibi est antiperisthasis?

6 Ignes superiores, cognitis inferioribus, facilè cognoscuntur: ideo pręcitatis ex libro de meteoris microcosmi verbis, in quibus erumpentis è terra ignis naturam, & causas declaraui, protinus addidi hęc verba: *Eodem modo, in suprema aeris regione, ignea accidunt meteora. Dari in aere sulphur, fatentur Peripatetici, vt videre est in Conimbricensi collegio: nec negare possent, si vellent: quandoquidem fulmina, quæ transeunt, sulphuris odorem relinquunt.* Huius rei testimonium extat apud Olaum Magnum, qui narrat homines mineralium montium habitatores, sępe dum aer tonat, aut fulgurat, aut fulminat, mirabiles inde effectus in se ipsis experiri: nimirum ob exhalationes tunc ex fodinis eleuatas; accenditur namq; crassus quidam vapor ex cauernis, & speluncis, exhalans, qui omnem circum obscurat aerem, & in montium summitatibus terribilem excitat fragorem, & fœtorem spargit intolerabilem. Hunc si aduena insuetus percipiat, insanabili faucium occlusione correptus moritur: ab ea tamen accolæ liberantur, assumentes subitò sizaram cum butyro, posteà validiora auxilia. Cœterùm potentis naturę, qua isti sunt prędíti, vi magis, quàm remedijs medicis suffocans isthęc affectio soluitur. Ol. Mag. lib. 6. c. 11.

7 Porrò si in aere sulphur generatur, pro ratione materiæ, ex qua exhalatio fuit eleuata, cur etiam materia nitrosa non suppeditabit exhalationes, ex

qui-

quibus generetur nitrum? Quòd si vtrumq; simul coeat, & nubes fient densæ, quę referunt colorem sulphuris, & ob intumescens sulphur tonitrua, & ob vtrumq; fulgura, & fulmina, ex minore quidem igne fulgura, sed fulmina ex maiore: quippe (vt Seneca, & Plinius aiunt) minor ignis ad fulgurandum, quàm ad fulminandum requiritur. Hanc minoris, & maioris ignis differentiam, maturationis nomine, in meteoris microcosmi designaui, inquiens: *Si verò aliquando materia nondum maturitatem adepta, non omnem suam vim, tyrannidemq; exercet, non fulmina, sed leues fulgurationes fiunt, & multoties nec tonitrua sentiuntur, sed nubes sinè sonitu rumpuntur.* Ex defectu etiam nitri potest ignis excitatus dici minor, hoc est, qui minorem vim habet: neq; enim ad tonandum, neq; ad fulminandum est satis. Hoc docet experientia, si vera est, quam à Cardano accipimus: quippe puluerem pyrium confici posse, ait, quem surdum appellant multi, & cum pauco strepitu, debiliter tamen, & non vltra duodecim passus impellit globum; Et sanè omne genus salis, aut nitri in ignem iniectum, & impetum facit, & strepitum concitat; eodem ergo absente, hęc duo cessant: ignis tamen accensus aliquam ex se vim habet. Alię sunt exhalationes siccę, nec tamen nitrosę, aut nimis sulphureæ, sed quę secum aliquam ignescendi facultatem habent: in aere, ignescunt motu, variasque edunt motiones, varias induunt figuras, vt sunt lanceę faces, capræ saltantes, dracones, Castor, & Pollux, & similes; Sunt etiam, quę stellę currentes appellantur, omnesq; vel à cursu, quem peragunt, vel à figura nomenclaturam accipiunt.

8 Postquàm vtriusq; ignis, subterranei scilicet, & aerei, quicquid ad pręsens institutum est, satis declarauimus, superest considerare, in potestate supremi opificis esse, causas naturales supernaturali vi impellere. Argumento esse possunt varia incendia, quibus non solùm homines singulos, sed ciuitates integras diuina vltio subuertit. Quinq; ciuitates Sodoma, Gomorrha, Adama, Seloim, Seghor igne, & sulphure fuerunt deuastatę. Cora cum CCL. viris igne fuit absumptus, mox etiam 14700. Israelitarum, qui contra Moysen insurrexerant; Nadab, & Abihu filij Aaronis, offerentes ignem alienum coram Domino, ab igne cœlitus immisso fuerunt concremati; Duo semicenturiones singuli cum L. militibus, Eliam prophetam comprehensuri, ignis vim passi fuerunt. Omitto profanas historias. Si ergo quemadmodùm mille anni in conspectu Domini sunt tamquàm hesterna dies, quæ pręterijt, ita totum vniuersum, in eiusdem potestate, tamquàm punctum indiuisibile est, rectè licebit in hac immensitate potentię argumentum à minore ad maius deducere, quod in limitata potentia non licet. Nam potuit Nero Romã incendere, neq; inde infertur, potuisse absumere totum terrarum orbem. At Dominus, *qui*, (vt ait Esaias) *appendit tribus digitis molem terræ*, potest vniuersam molem, sicut minimam eius partem deuastare, imò & in nihilum reducere: nec magis ad destruendum mundum requiritur diuinus impulsus, quàm ad leuem stipulam concremandam. Quapropter volens se Deus causis naturalibus accommodare, multiplicabit combustibilia subtus terram, augebit exhalationes, quas radijs solaribus fortiter ferientibus accendet, vnde innumeræ erumpent igneę voragines per vniuersam terram. Præterea terra sic disposita innumeras, & efferatas exhalationes ex se emittet, nec dum terra, sed etiam mare: hę multum sulphuris, multumq; picis, plurimum etiam salisnitri in se habentes, coruscationes efficient, quæ vsq; ad terram descendent, & sata, armenta, hominesq; deuorabunt: quin etiam fulmina frequentia mõtes percutient, nihilq; remanebit intactum ab igne; Et hoc forsan est, quod prædixit Christus dominus, *& stellæ cadent de cælo*. Sic fiet Vniuersi conflagratio; *Ista autem conflagratio* (ait D. Tho.) *nihil aliud est, quàm congregatio omnium causarum inferiorum, & superiorum, quæ ex natura sua habent vim igniendi: quæ quidem congregatio non naturali cursu rerum, sed virtute diuina fieri: & ex omnibus istis causis sic congregatis generabitur ignis, qui faciem huius mundi exaret.*

Gen. 34. Numer. 21. Leuit. 20. 4. Reg. 1.

Math. 24.

9 Cœterùm licet ignis, qui in vsu est, nunquam existit sinè pabulo, non iccirco est accidens in subiecto, sed substantia, quæ suum perse habet esse, tenuissimum tamen, & ferè ad accidentium naturam accedens; Cum igitur sit substantia, & ea quidem corporea (nam spiritualem quis sanę mentis dixerit?) ac subinde quanta, necessario locum occupat; Cum igitur occupauerit

Vni-

Vniuersum, quisnam locus alijs elementis, rebusq; mistis relinquetur? num dabitur anihilatio? an corporum penetratio? At neutrum istorum sinè miraculo nouo fiet: miracula autem multiplicare, nec ratio postulat, nec scientificum est, sed turpe quoddam asylum. Scotus existimat, debere aerem cōdensari, vt igni locum concedat: condensationem verò aeris fieri conuersione eius in aquas, ac proinde necessitatem inducit futuri diluuij aquarum simul cum incendio ignis. Hic modus ab Scoto allatus, cui ipsemet non videtur acquiescere, redarguitur: tum quia nemo vnquam ex his, qui prophetice Mundi extremum finem pertractarunt, huius diluuij aquarum futuri mentionem fecit: tum etiam, quoniam expurgationi, renouationiq; Vniuersi nō est conueniens instrumentum aqua, vt est sententia D. Thomæ dicentis, primam purgationem factam per diluuium aquarum respexisse duntaxat infectionem peccati, præcipuè concupiscentię, propterea conuenienter facta fuit per aquam, *Sed secunda purgatio* (ait ille) *respicit, & infectionem culpæ, & commistionis impuritatem, & quantum ad utrumq; conuenit magis, quod fiat per ignem, quàm per aquam: aqua enim non habet vim disgregandi, sed magis congregandi: vnde per aquam naturalis impuritas elementorum tolli non posset, sicut per ignem. Similiter etiam circa finem mundi regnabit vitium tepiditatis, quia vt dicitur Matth. 24. tunc refrigescet charitas multorum, vnde tunc conuenienter purgatio per ignem fiet: nec est aliquid, quod igne purgari non possit aliquo modo. Sed quædam sunt, quæ sinè corruptione per ignem non possunt purgari, sicut panni, & vasa lignea, & huiusmodi, & talia lex præcipit purgari per aquam, quæ tamen finaliter omnia corrumpentur per ignem.* Hęc D. Thomas: ex quibus percipitur, non conuenienter dici futurum in fine mundi diluuium aquarum.

Sco. in 4. dist. 47. q. 2.

D. Th. in suppl. ad 3. q. 74. art. 2. ad 2.

10 Magis consonum rationi videtur, ignem sua voracitate materiam absumpturum, materiam, inquam, elementorum, non omnem, sed eorum partem impuram: & hæc erit renouatio, quam sępius sacra pagina futuram vaticinatur; Occupabit ergo ignis locum harum impuritatum, quas absumet; qui licèt non sit valde magnus profunditate, est tamen extensione vniuersalis, & ita sufficit: quippe, vt diximus, ignis, ferè accidentibus corporeitate adęquatur. Quòd autem consumptio non debeat fieri totaliter elementorum, est opinio D. Thomæ, quam probat, quoniam ignis extremę conflagrationis *non aget, nisi vt instrumentum prouidentiæ, & virtutis diuinæ; vnde non agit in alia elementa vsq; ad eorum consumptionem, sed solùm vsq; ad purgationem; Nec oportet, quòd illud, quòd efficitur materia ignis, totaliter ab specie propria corrumpatur, sicut patet in ferro ignito, quod à loco ignitionis remotum, ex virtute speciei remanentis, ad proprium statum, & pristinum redit; & ita etiam erit de elementis per ignem purgatis.* Ex his habemus, ignem aliquid absumere, non tamen omnia: quare in locum absumpti succedet.

D. Th. vbi supra ar. 5. ad 3.

11 Remanere autem elementa purgata, ac renouata, non tamen sub alijs formis, sed cum pristinis, quas habebant, idem met sanctus Doctor tenet: opinionemq; eorum, qui, duo ex elementis proprias formas relictura esse, dixerunt, absurdam meritò appellat, & tum philosophiæ, tum etiam Theologiæ repugnare, affirmat: philosophiæ, quoniam, sic corpora inferiora essent in potentia ad formam cœli, quod à veritate est alienum: siquidem nec materiam habent communem, nec contrarietatem ad inuicem; Theologiæ autē, quoniam iuxtà illam opinionem non saluabitur perfectio Vniuersi cum integritate suarum partium, duobus nempe elementis sublatis. Quòd si dicitur in Apocalypsi, *Primum cœlum, & prima terra abijt,* in quo videtur significare, duo elementa, aerem (quem cœli nomine intelligit D. Augustinus) & terrā debere desinere, cœterùm illud *abijt* ita debet accipi, non vt cœli, & terrę mutatio substantialis fiat, sed quòd tam sphæræ cœlestes, quàm omnia elementa, quę nomine terrę comprehendi probat sanctus Doctor, maximè mutabuntur. Terrę nomine omnia elementa comprehendi, probat ex psalmo *Laudate dominum de terra,* & sequitur, *ignis, grando, nix, glacies, &c.* In mutationem maximam subituras sphæras cœlestes, probatur, quoniam non amplius mouebuntur, neq; aliquod in hæc inferiora imperium habebunt, quod nunc suis influxibus habent, quibus ad generationes, & corruptiones rerum omnium concurrunt: nec amplius diei, & noctis vicissitudinem facient, neque temporum, & partium anni afferent mutationes. Elementa verò mutatione

Ibidem in corpore.

Apocal. c. 21. Aug. li. 20. de ciuit. Dei c. 18

Ps. 148.

ne

ne maxima esse innouanda, patet: siquidem redibunt ad suam propriam naturam, a qua nunc, vt nostris vsibus inseruiant, valde sunt remota: neq; terra plantas, & animalia proteret, neq; mare pisces, imò adeò mare mutabitur, vt ibidem dictum sit, *& mare non erit amplius*; Quamuis autem D. Augustinus mare accipiat pro præsente seculo, nihilominùs ad literam explicat D. Thom. mare remansurum quidem quoad substantiam, non autem quoad salsedinem & commotiones fluctuum; adde, & quoad monstra marina, & excreta multa, quæ circa littora conspiciuntur. Aer etiam purissimus remanebit, neq; mutationes, quas à cœlo habere diximus, ampliùs patietur; Ignis amittet voracitatem suam, & sinè pabulo sustentabitur.

Aug. l. 20. de ciuit. Dei c. 16

12. Cœterùm quoniam aliquis dicit, immutanda esse duo, nempe ignem, & aquam, quia hæc qualitates habent maximè actiuas, videlicet calorem, & frigus, offert se in præsens difficultas, an qualitates primæ calor, frigus, humiditas, & siccitas debeant in mundo renouato permanere. Si quis priuatā meam opinionem, quam in meteoris microcosmi tenui, sequatur, nihil in hac controuersia laborabit: Abstuli qualitates primas, abstulisse simul censeor quæstionem, an debeant post mundi renouationem remanere. Hanc opinionem Satyrus Rechensis irrisor suo more irridet, sed suo etiam more nullam irrisionis rationem apponit: irridendus propterea: siquidem exlex est, & legislatorum more vult agere. Præstat nunc communem viam sequi, & quatuor qualitates primas admittere, calorem, frigus, humiditatem, siccitatem. Has D. Thomas, post vltimam conflagrationem permansuras, tenet: tum quia sunt effectus formarum substantialiū, nec possunt auferri, nisi violenter, & ad tempus, vt frigiditas, quæ remouetur ab aqua, & tamen aqua vi suæ speciei frigiditatem, iam prius actione ignis amissam, recuperat: tum etiā quia qualitates istæ sunt de perfectione elementorum, sicut propriæ passiones eorum, nec est probabile, aliquid naturalis perfectionis in illa finali consumptione amitti: Itaq; concludit mansura elementa quo ad eorum substātiam, & quoad qualitates proprias, sed purganda esse ab infectione, quam ex peccatis hominum contraxerunt, & ab impuritate, quæ per actionem, & passionem mutuam in eis accidit: quia iam cessante motu primi mobilis, in inferioribus elementis mutua actio, & passio esse non poterit. Et quoniam D. Augustinus contrarium velle videtur, inquiens, in illa conflagratione mundana elementorum corruptibilium qualitates, quæ corporibus nostris congruebant, ardendo, penitus esse interituras, & substantiam eas qualitates habituram, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniant, D. Thomas explicat hæc verba, quasi D. Augustinus appellet qualitates elementorum, innaturales dispositiones eorum, secundum quas corruptioni appropinquant.

D. Thom. Ibidem.

D. Aug. vbi supra.

13 Attamen in re admodum ambigua, & problematica licebit vnicuiq; suam mentem aperire: mihi in primis videtur, prædicta D. Agustini verba non posse pati eum sensum, in quem illa D. Thomas deducit: nam expresse dicitur, substantia eas qualitates habitura, quæ corporibus immortalibus mirabili mutatione conueniunt: at corporibus immortalibus nulla istarum primarum qualitatum conuenit. Deinde licet qualitates primæ sint effectus formarum substantialium elementorum, non pertinent ad integritatem illorum: neq; enim ignis, qui non combussit tres pueros, desinit esse ignis: quare licet in statu mundi præsente profluant ab elementorum formis, id fit, quoniam ita conuenit ordini Vniuersi, generationibus scilicet, & corruptionibus; In statu verò futuri seculi, si aliter se habeant elementa, hoc est, si ab eis non profluant huiusmodi qualitates, non propterea propriam substantiam mutabunt, & sicut nunc mutata qualitate in aqua, quæ ab igne incaluit, non mutatur forma, sic etiam erit in futuro seculo; Differentia solùm est in eo, quod nunc mutatio est violenta, vt pote præter ordinem præsentis status; tunc autem nulla aderit violentia, quia status illius seculi has qualitates non postulat. Nec verò propriæ passiones elementorum, quas D. Thomas ait, esse de secunda eorum perfectione, si desint, auferent aliquid de propria, & primaria perfectione: secunda enim perfectio, quę in passionibus consistit, solùm spectatur, vbi passiones istę adsunt: nam si non adest calefactio, nulla est imperfectio ex eo, quod desit calor: & cum passiones dicantur à patiendo,

vbi

vbi nõ datur pati nõ datur similiter passio, vbi nõ datur passio, nullũ est incõueniẽs, non dari qualitates eidẽ passioni inseruientes. Quare nõ tollitur naturalis perfectio in elementis ex defectu qualitatum, nisi, vt nunc. Quamuis enim post conflagrationem aliqua, quæ inutilia erunt, remanere debent ad ornatum, qualitates istæ, quę tunc si adsint nullo sensu percipi debent, nihil auferent ex mundi ornatu, si desinit. Prętereà vel qualitates istæ remanebunt in potentia duntaxat, vel etiam in actu: non quidem in potentia, quoniam status potentialis, status imperfectionis est: quippe potentia, ex Aristotele, perficitur per actum; Si remanebit in actu, vel erit actus primus, vel secundus: non secundus, quoniam hic importat secum actionem, & passionem; actio verò, et passio tunc nulla ab his qualitatibus elementarijs erit; Non etiam primus: nam primus dirigitur ad secundum: quomodò ergo potest dari actus, qui dirigatur ad alium, nec tunc præsentem, nec in æternum futurum? imò ad alium, quem in possibile est, esse; Quòd autem actus secundus in illo statu perfectionis, & incorruptibilitatis sit impossibilis, & inuoluat cõtradictionem, manifestè patet: siquidem qualitatum operatio, qualis supponitur in actu secundo, generationes, corruptionesq; molitur: erit ergo mundus, propter operationes qualitatum huiusmodi, in statu corruptibilitatis: erit & in statu incorruptibilitatis, quia talis supponitur esse status futuri seculi: ergo contradictio.

Ar. 9. metaph. c. 5.

§ 14 Sed cum purgatio vniuersalis futura sit per ignem, & ignis, (vt tenet Glossa recepta à D. Thoma) eò ascensurus est, quò ascendisse aquam in diluuio narratur, nempe quindecim cubitos super cacumina altissimorum montium, ignis omnem hanc inferam regionem occupabit; Quid ergo erit de illo post peractam conflagrationẽ, expurgationemq; & renouationem vniuersalem? Respondet optimè D. Thomas, occasionem fundamenti accipiens ex verbis psalmi, *Vox domini intercidentis flammam*; Eius ergo pars vrens, & crassior descendet ad locum damnatorum, ad puniendos eos æterna vstione: pars verò lucida, & subtilis remanebit superiùs ad gloriam electorum. Itaq; detrudentur ad inferos pruna, carbo & inutiles cineres: remanebit superiùs flamma splendens, & ad ornatum spectans. Dixi cineres inutiles, quoniam hominum corpora cum resoluenda sint in cineres, & iterum resurrectura, expostulant suos cineres, tamquàm omnino resurrectioni corporum necessarios; Cineres verò, qui ex alijs rebus post conflagrationem remanebunt, tamquàm fæces, simul cum prunis, & carbonibus, in immundo immundorum loco reponentur.

Gloss. sup. 2. ad Thessalon. c. 1.

D Thom. vbi sup. art. 9. in corpor.

Psl. 28.

De vtriusq; diluuij, tam aquei, quàm ignei præcognitione.

Articulus Sextus.

1 PRæcognitum fuit aquarum diluuium: præcognosci illud voluit Dominus, qui non semel delendum fore mortale genus admonuit; *Delebo, inquit, hominem, quem creaui à facie terræ, ab homine vsq; ad animantia, à reptili vsq; ad volucres*: & posteà, *Ego disperdam eos cum terra*; Iussitq; arcam, centum annis ante inundationem, (vt est communis opinio) fabricari. Vltimam etiam mundi conflagrationem Deus opt. max. præsciri vult: siquidem eam in cor hominum inspirauit. v. g. in psalmo, *Ignis in conspectu eius exardescet, & in circuitu eius tempestas valida*: & in alio psalmo, *Ignis ante ipsum præcedet, & inflammabit in circuitu inimicos eius. Alluxerunt fulgura eius orbi terræ, vidit, & commota est terra. Montes sicut cera fluxerunt à facie Domini, à facie domini omnis terra. Annunciauerunt cœli iustitiam eius, & viderunt omnes populi gloriam eius*; Et in Epistola D. Petri, *Cœli autem, qui nunc sunt, & terra eodem verbo repositi sunt igni reseruati in diem iudicij, & perditionis impiorum hominum*: & paulò infra, *Adueniet autem dies Domini, vt fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore soluentur, terra autem, & quæ in ipsa sunt opera, exurentur*: & inferiùs adhuc, *In aduentum diei Domini, per quem cœli ardentes soluentur, & elementa ignis ardore tabescent.* Ex his & compluribus alijs sancta Ecclesia dicendi occasionem accepit, *In die illa*

Gen. c. 6.

Psl. 49.

Psl. 96.

D. Petr. canõ. 2. c. 3.

tremenda, quando cœli mouendi sunt, & terra, dum veneris iudicare seculum per ignem.

2 Hæc omnia ostendunt quidem præcognitionem diuinitus sanctis hominibus, & Prophetis reuelatam, de qua non licet dubitare. Cæterum non defuerunt, qui naturaliter potuisse diluuium aquarum præuideri, posse etiam & futurum ignis, contendunt: & quoniam vnius, & alterius est eadem ratio, profectò qui existimāt ex astrorum aspectu potuisse anticipatam diluuij aquarum haberi notitiam, eodem iure etiam ex astris futuram conflagrationem vaticinabuntur. Itaq; Petrus Aliacus, tametsi confiteatur, diluuium, diuina reuelatione, à Noe fuisse præuisum, tenet tamen, potuisse astronomicis signis innotescere. Guilielmus Parisiensis putat, Moysen vocasse cataractas cœli, eas cœli partes, quæ sunt generatrices pluuiarum, & inundationum, qualia sunt signa aquatica, vt Cancer, Pisces, Pleiades, Hyades, Orion, & inter Planetas Venus, & Luna; Itaq; cœli cataractæ apertæ significant virtutes illas cœlestes, iussu Dei, ad pluuias inducendas quodammodò fuisse reseratas. Verùm quicquid sit de hac expositione (quam tamen violenter extortam existimo) non inde possumus colligere, Parisiensem existimasse, diluuium potuisse astrologicis duntaxat regulis præcognosci: nam tametsi astra concurrissent ad inundationem generandam, concursus ille foret extra ordinem ordinati eorum motus, atq; ita astra essent causæ naturales supernaturaliter concurrentes, quod nos in alijs etiam causis superius admisimus. Fuerunt tamen aliqui asserentes, Noe maximum fuisse astrologum, quem veteres nonnulli Atlantem appellarunt, Berosus Chaldæus Ianum, & ex astrorū influxu futurū diluuiū præcognouisse, atq; ideo arcam fabricasse: quæ opinio absurda est, & sacræ scripturæ repugnans, quippe arca iussu Dei, imo iuxtà ipsiusmet Dei documentum affabrè fuit facta, non autem ex proprio Noe consilio. Sed neq; poterat in stellarum dispositione consistere id, quod ad punitionem peccatorum spectat: dispositio enim stellarum necessario aduenit, peccata contingenter. Preterea duo philosophi magni Plato, & Aristoteles, ratione naturali ducti, non cognouerunt futurum Mundi finem: quippe alter illorum, nempe Plato, mundum diuina voluntate, quę potentior est omni natura, incorruptibilem esse dixit: Alter, hoc est Aristoteles, mundi partium corruptionem possibilem, totius verò impossibilem esse, statuit: Cum ergo magni hi philosophię antistites mundum periturum, non sint lumine naturali assequuti, magna hinc ducitur coniectura ad probandum, hanc naturalem cognitionem non dari. Quòd si aliquis afferat Heraclitum, qui omnia ex igne facta, in ignem iterum desitura esse, dixit, respondebo illum, & in mundi originem assignanda, & in eiusdem interitu predicendo, valde à vero recessisse: & de origine quidem, satis in schola peripatetica rephenditur: de interitu reprehendendus similiter est: nam si omnia in ignem sunt conuertenda, ignis tandem, qui prius pabulum uoracitate maxima absumebat, desinet esse vorax: hoc naturaliter fieri nequit: nec ualet argumentum sumptū ab sphęra ignis: quippe ignis ille in sua sphęra nunquàm fuit vorax hic autem, qui est apud nos, sinè pabulo non consistit naturaliter; Quòd si aliquis pro Heraclito dixerit, ignem à pabulo abstinere posse supernaturaliter, rogabo inuicem illum, vnde nam id didicit Heraclitus? non certè ex naturali ratione. An autem habuerit cognitionem supra naturam, iudicent alij. Poterit alius ex Suida nobis afferre Nannacum, seu secundùm quosdam, Noachum, qui ante Deucalionem regnauit, & futuræ inundationis fuit prescius; cui respondebo, Deucalionis diluuium prouinciale fuisse, & Thessaliam occupasse, sicut Ogygis diluuium Atticam regionem vastauit, incendium etiam quod poetę Phaetonti è curru Solis cadenti attribuunt, hęc omnia, licèt fabularum velamentis obducta narrantur, naturaliter tamen in quibusdam regionibus accidisse, naturaliter propterea precognita fuisse. At vniuersale diluuium neq; potuit ex solis causis naturalibus procedere, neq; naturali tantùm lumine presciri. Tandem duę illę columnę, ab Adami nepotibus erectę, quarum supra mentionem fecisse recordor, uidentur ostendere, vtramq; mundi cladem astrologię beneficio precognitam fuisse: quippe lateritia fuit vna, altera lapidea, vt si lateritiam deleri contingeret, lapidea superstes remaneret. Hoc narrat Iosephus, additq; suo adhuc tempore lapideam in terra Syria extitisse; In his autem columnis multa continebantur ad matemathicas disci-

plinas

Aliac. in quest. in Genes.
Guil. Paris.
Plat. in Tim.
Ar. in meteo.
Suidas.
Supr. sec. 2. q. 2 ar 4 sycoph 4 n 36. Iosep. 1. antiq

plinas facientia. Esto: & Adami filium Seth, eiusq; filium Enos & alios astrologiæ peritissimos fuisse, concedamus; Verùm enim verò, tametsi columnarum scriptio ad astrologiam spectaret, prouidentia illa, qua duas columnas fabricarunt propter duo diluuia futura, non fuit ex naturalibus causis orta, sed supernaturali lumine acquisita: hoc est, propter notitiam ab Adamo acceptam: addit namq; ipse Iosephus, Adamum generalem hominum interitum prædixisse, vnum incendio, diluuio alterum. Si quis autem interroget, quomodò presciuit Adam futurum vtrumq; interitum, num ex astrologia, quam sciebat optimè, vt pote scientia infusa exornatus, an diuina reuelatione, sciat, oportet, multa illi (vt est sanctorum Patrum sententia) dum in eum Dominus soporem immisit, fuisse reuelata, inter quæ potuerunt esse hæc duo excidia, quę sunt euentus magni momenti. Ex astrologia autem posse cognosci mundi interitum, & iudicium finale, absurdum est dicere, quoniam (vt animaduertit S. Tomas) cognitum esse tempus purgationis Vniuersi, ex consideratione motus cœli, repugnat sacris literis. Res autem in hunc modum procedit. Astrologi non solùm futuros euentus se, ex astrorum aspectibus, prędicere posse, iactantur, sed tempus etiam, quo euentus isti aderunt; Si ergo per sua signa mundum igne periturum agnouerint, agnoscent simul præcisum tempus, quo mundus peribit; Hanc autem notitiam non solùm acquirere nobis est impossibile, sed inquirere est nefas. Quare in Concilio Lateranensi sub Leone X. sic statutum est: *Tempus præfixum futurorum malorum, vel Antichristi aduentum, aut certum iudicij prædicare, vel asserere, nequaquam præsumant: &c.* Deinde adiungitur, *Si qui autem contra pręmissorum aliquid committere quicquam ausi fuerint, excommunicationis sententiam incurrant, à qua non nisi à Romano Pontifice absoluantur*. Et in Canonica D. Petri sępius citata, *Adueniet autem dies domini, vt fur*, nempe *vt fur*, qui latenter accedit: quod explicitè habetur in epistola D. Pauli his verbis: *De temporibus, & momentis fratres non indigetis, vt scribamus vobis: ipsi enim diligenter scitis, quia dies Domini, sicut fur in nocte, ita veniet. Cum enim dixerint pax, & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus, sicut dolor in vtero habentis, & non effugient*. Extat deniq; diuinum testimonium in actis Apostolorum, quo prædicta Concilij Lateranensis decisio fundatur: loquente enim Christo ad discipulos suos cum viuus se præbuit eis post passionem suam, *Qui conuenerant interrogabant eum dicentes, Domine si in tempore hoc restitues regnum Israel? Dixit autem eis, non est vestrum nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*: Vt autem in hoc inter microcosmum, & macrocosmũ fiat comparatio, erit incerta mundi interitus hora, sicut incerta est hora interitus hominis, de quo Ecclesiastes ait, *Nescit homo finem suum, sed sicut pisces capiuntur hamo, & aues laqueo in tempore malo, cum eis extemplo superuenerit*. Si quis autem dixerit, fuisse aliquibus denunciatum moriendi tempus, vt e.g. Moysi, cui dixit Dominus, *Ascende in montem istum Abarim, id est, transituum. In montem Nebo, qui est in terram Moab contra Iericho, & vide terram Chanaam, quam ego tradam filijs Israel, & morere in monte*; Et Ezechię, cui propheta Isaias Domini mandatum sic detulit, *Hęc dicit Dominus, dispone domui tuę, quia morieris tu, & non viues*, respondebo, etiam vniuersalem interitum, pręcessura esse signa: vnde apud Euangelistam, *Erunt signa in Sole, & Luna, & stellis*. Cœterùm, vt inquit D. Thomas, futuri iudicij *ignoratur determinatum tempus, quod per signa illa cognosci non poterit: quamuis etiam sub die iudicij comprehendi possint omnia illa manifestissima, quæ immediatè præcedent*. Eodem modo pręsignificatam fuisse alicui aduentantem mortis horam, non contradicit pręsenti sententię: è longinquo autem nunquam pręcisa hora mortis pręmonstrata fuit alicui. Vel possumus dicere, potuisse aliquos pręscire sui proprij interitus horam ex priuilegio, sicut ex priuilegio pręmonstratum fuit alicui, uidelicet Danieli tempus futuri seculi, cui tamen pręceptum impositum fuit, vt arcanum istud nemini reuelaret, sed librum clauderet vsq; ad tempus præsignatum: *Et in tempore illo saluabitur populus tuus omnis, qui inuentus fuerit scriptus in libro, & multi de his, qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper. Qui autem docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti: et qui ad iustitiam erudiunt multos, quasi stellæ in perpetuas æternitates. Tu autem Daniel claude sermones, & signa librum vsq; ad tempus statutum, plurimi pertransibunt, & multiplex erit scientia*.

vbi sup. art. 3. in corp.

Conci. Lateran. sess. 11.

Can. D. Petri 2 c. 3.

D Paul. 2. ad Thessalon. c. 5.

Eccl. c. 9.

Deut. c. 32.

Esai. c. 38.

Luc. 21.

Art. 1. ad 2.

IN alimento pharmacia optimum, in alimento pharmacia malum.

Secunda huius contextus expositio.

QVamuis verum sit, quod Fracantianus, circa secundam expositionem inquit, videlicet, si intelligamus verba contextus de cibarijs, quæ alterant, hanc, inquam, esse minùs propriam: quippe pharmaci nomine, vti diximus, Hippocrates purgans solet accipere: nihilominùs pauca quædam, circa alimentum simul alterans libet annotare. Primò ex Galeno medicamētum qualitate alterare, alimentum verò substantiæ corporis assimilari. Cæterùm cum nulla sit substantia, quæ qualitatibus non sit exornata, posset aliquis dicere, nullum esse alimentum, quod simul etiam non sit medicamentum. Respondet tamen huic obiectioni ipsemet alibi sic: *Quæ medij sunt temperamenti, nullaq; vincente qualitate sunt prædita, ea sola sunt alimenta, non etiam medicamenta, ventremq; nec soluunt, nec cohibent: stomacho nec robur, nec imbecillitatem inducunt, sicuti sudores, vrinamuè nec prouocant, nec coercent, nec aliam quamuis dispositionem calidam, frigidam, humidam, aut siccam in animantis corpore ingenerant, sed quale animantis, quod nutritur, corpus assumpserat, tale prorsus conseruant.* Hæc sunt, quę Galenus esse ait, alimenta, ita vt non sint simul medicamenta. Verumtamen idemmet ibidem fatetur, paucissima esse id genus edulia: quippe ea, quæ assumuntur, sæpissime agūt, non vt alimenta solùm, sed simul vt medicamenta.

G 3. simp. c. 3.

G 1 alim. fac. c. 1.

Porrò alimenta, quæ non solùm nos nutriunt, sed etiam alterant, dū agunt, vt alimenta, alterant quidem nos, sed insensibiliter, atq; vsu diuturno, vt medicamenta autem sensibiliter, & primo statim occursu. Hoc probat Galenus exēplo lactucæ, quæ priùs, quàm coquatur, & nutriat, corpus manifestè refrigerat, & humectat: vnde fit, vt ęstuantem ventriculum insigniter iuuet, refrigeratum, è contrario, maximè lędat. Nec aliunde accidit, vt sitim extinguat, cum sitis duplice habeat causam caloris copiam, & humoris inopiam. Similiter quoq; ad somnum conciliandum non parùm conducit: sunt enim, quæ somnum inducunt, aut frigida, aut humida, aut simul humida, & frigida: has omnes lactucę facultates in se ipso expertus est Galenus.

Gal. 3. de temp. c. 4.

G. 1. simp. c. 30.

Gal. 2. de alim. fac. c. 40.

Si gitur priùs, quàm nutriant, hęc efficiunt, sanè tunc vt medicamenta agunt, & proinde sensibiliter, & statim: vt alimenta verò non nisi postquàm iam concocta nutriunt: tunc nec sensibiliter, nec pręstò alterant, generando scilicet sanguinem, qui ipsius qualitates, nempe humidam, & frigidam sapiat, & ex tali sanguine tale temperamento in membris producendo.

Verùm vt alimenta magis patiuntur, quàm agant, magis quidem patiuntur: quod aduertere debemus, ne nos decipiant aliqui, existimantes, tam nutrimenta frigida, quàm calida innatum calorem similiter augere. v.g. lactuca, & eruca, illa quidem frigida est, hęc verò calida. Dicunt ergo isti, frigidum primo occursu refrigerare, calidum calefacere, sed postquàm in sanguinem versa sunt, iam tunc nihil agere, sed duntaxat pati, hoc est assimilari, ac proinde substantiam caloris tam hoc, quàm illud pariter augere. Hinc colligunt ex Galeno dicente, *Prius enim quàm in sanguinem sunt mutata, dum scilicet adhuc concoquuntur, medicamenta, mutata verò in sanguinem non vtiq; iam medicamenta, sed nutrimenta.* Cœterùm hæc Galeni verba ita intelligēda sunt (annotante Vallesio) quasi dicat, omnia alimenta, seu calida, seu frigida eodem modo sanguinem augere, nec propterea negandum est, nutrimenta in sanguinem mutata, alia magis, alia minus calorem augere, alioquin ex lactuca non gigneretur sanguis frigidior, quàm ex eruca, quod est absurdum.

Sed non videntur Galeni verba posse tolerare hunc sensum, quem Vallesius eis tribuit: siquidem Galenus vult, alimenta in sanguinem cōuersa non ampliùs agere, sed tantùm pati; Si ergo in sanguinem conuersa non agunt, non possumus dicere, hunc sanguinem magis, quàm illum excalefactoriam vim habere. Cœterùm Galenum amicè libet interpre-

tari, & cum ait, alimentum in sanguinem conuersum nihil agere, accipere debemus illud nihil, hoc est, valde parùm, & insensibiliter: aliàs non possent hęc alimenta corrigere intemperiem membrorum, quę sũt vltra iecur, cum tamen experientia doceat, partes corporis etiam longinquas alimentorum calidorum, frigidorumuè vsu calefieri, aut refrigerari. Deinde etiam lac, cuius materia est sanguis concoctus, non referret qualitates ciborum, cum tamen ab Hippocrate sit dictum, mulier, capra cucumerem asininum comedentes pueris purgatio.

Curatio ergo optima est per alimenta alterantia: vnde Hippocrates victum humidũ febricitantibus cõmendat. Sed quomodò potest esse vera altera pars contextus, nempe, *In alimento pharmacum malum?* nempe quia alimentum, vt alimentum, sẽper est bonum, quia semper reficit, vt medicamentosum potest esse bonum, si qualitates habeat proficuas, malum, si nocuas. Opposuit verò optimo malum, non pessimum, quia ei, qui affectu simplice laborat, alimentum conueniens optimum est, alimentum non cõueniens erit malum ex vna parte, hoc est, quia malum ex quocumq. defectu, non tamen ex omni parte, nã semper alendo iuuat; Si verò affectus sit compositus, alimentum alteri ex affectibus componentibus erit bonum, alteri verò malum. e.g. victus humidus laboranti febre, & hydrope, erit malus hydropi, bonus autem febri.

IN alimento pharmacia optimum, in alimento pharmacia malum.

Tertia eiusdem contextus expositio.

Hipp. 2. de vict. acut. tex. 12. tex. 33.

DVO in libro de victu acutorũ Hippocrates iubet: Vnum, vt protinus à purgante medicamento assumpto ptyssana exhibeatur, neq; insigniter minore, quàm assuetum est quantitate: alterum, vt purgatione in media sorbitio non detur, sed cum purgatio desierit, tunc sorbitio exhibeatur, attamẽ consueta minor. Hinc addiscitur, quando sit optimũ alimento pharmacum permiscere (hoc est in stomacho) quando etiã sit malum. Quare ex duobus illis præceptis præsens sententia videtur composita: *In alimento pharmacia optimum*, videlicet quando non dum medicamentum agere cœpit: *In alimento pharmacia malum*, hoc est, quando iam cœpit operari, aut in media operatione.

Sit igitur prima huius sententiæ pars, in alimento medicamentum tunc esse bonum, cum statim vnum post aliud assumptum in ventriculo coniunguntur; Ita tamen vt alimẽtum sit aliquid liquidum, & abstergendi facultate prędĩtum, vti est, ex Hippocratis sententia, ptyssana, & eius cremor: ex aliarum verò nationum consuetudine, vel serum, vel ius pulli, vel aliquid simile. Auicenna, & communiter Arabes exhibent aquam calidam cum saccharo, aut hydromel. Quòd autem statim post epotum medicamentum sorbitionẽ Hippocrates exhibuerit, *αὐτίκα* vox indicat, quæ significat *protinus*; Quãtitas verò debet esse non insigniter minor, quam consueta, vt scilicet non sit adeò exigua, quæ munus suũ efficere nequeat.

Vtilitates partim refert Galenus, partim etiam adiungi possunt, nempe prima est *abstergere*: medicamentum enim, dum transit, non qualitatem solùm prauam, sed substantiã in transitu relinquit, à qua ventriculus vehementer ląeditur (loqui Galenum de medicamentis, deleteriam qualitatem habentibus, ipsemet declarat, dum eis permiscet ea, quę boni sunt odoris, & malitiam possunt retundere) propterea veloce abstersione opus habent. Altera vtilitas, *ad fundum ventriculi trahere medicamentum*: quippe ibi sicut melior alimenti fit coctio, ita melior medicamenti ad actum reductio. Possumus his duobus commodis à Galeno allatis tertium adiungere, videlicet quoniã sorbitio ad iecur transit, aliquantula fit eius in sanguinem commutatio, vt propterea possit assumens medicamentum per plures horas, vt par est, sine cibo permanere. Non est omittẽdum, siquidem Galenus medicamentis immiscet non solùm eas, quę malitiam obtundunt, sed etiam

quæ

quę attenuant, & incidunt humores crassos, ac lentos, & vias aperiunt, conueniens esse, vt easdem qualitates sorbitio quoq;, quæ ilico post assumptum medicamentum exhibetur, habeat. Aliam etiam præstat sorbitio vtilitatem medicamẽtis assumptis in forma solida, vti sunt pillulę: nempe sic faciliùs medicamentum in ventriculo dissoluitur, & promptiùs ad actum reducitur. Siquis verò interroget, possit ne ptyssana medicamento permista corrumpi, & noxam inferre, respondebo, posse quidem noxam inferre, quæ tamen per se ipsam emendatur, dum ptyssana corrupta etiam à medicamento simul cum alijs humoribus corruptis expellitur: neq; noxa est valde considerabilis pro ratione vtilitatis, maximè cũ, ex Galeni sententia, *Nihil sit, quod magnificè prosit citra hoc, quod noceat.*

G. 11. meth. c. 12.

Hæc, quę dicta sunt, medicamentis deleterijs conueniunt: sunt autem ea, quæ si non euacuent, remanentia intra corpus, in venenum cõuertuntur; conueniunt etiam alijs secũdi ordinis, quæ quando intus remanent, in humorem, quem trahere debuerant, transmutantur. Cœterùm quoniam Galenus aliquando tertiã differentiam adiungit, nempe eorũ, quę, vt diximus, alere etiam possunt, quæsitu dignum est, an etiam ista expostulent sorbitionem ilico exhibitam. Solet communiter ita fieri, & manna exhibetur in iure pulli, & idem ius statim post cassiam assumptam bibendum datur. Verùm Galenus (quod maximè notandum est) dum prunis in melicrato coctis, ad aluum subducendam vtitur, conferre, inquit, post ipsas assumptas vinũ dulce bibere, quod videtur faciendum, vt purgatrix vis prunorum augeatur, vinum namq; dulce aluum soluere dixit Hippocrates. Quod verò attinet ad cibum, non quidem differendum existimat, donec purgatio desinat, sed nec statim propinandum, verùm interposita aliqua mora: inquit enim, *Temporisq; aliquid interponere, non autem statim post prandere.* Hoc tamen Galeni consilium ita accipiendum est, vt prandium licèt nõ statim assumatur, non tamen adeò differatur, vt iam purgatio incipiat: & hoc ne in solis prunis locum habere videatur, adiungit, *atq; etiam id omnibus, quæ aluum deijciunt commune, & memoria est tenendum*: nempe in alijs, quæ leniendo aluum deijciunt. Cur autem hoc ita fieri iubeat, rationem existimo esse, quoniam ex vna parte, si medicamentum alimentosum, simul cum cibo assumatur, eandem cum cibo sortem subibit, atque ita natura purgandi munus oblita, totam massam per alimenti vias deducet; ex altera verò parte, nisi exhibito cibo intra paucas horas succurramus, profectò natura, prę inopia, medicamentum conuertet in alimẽtum.

G. 3. simp. c. 24.

G. 2. alim. facul. c. 31.

Hinc etiã colligi potest, quid magis rationi sit consonum in dubitatione illa, quam communiter practicantes agitare solent, An pillulæ vna hora ante cœnam, an hora vna post cœnam sint exhibendæ. Et quidem vnum ex pręceptis in pharmaci exhibitione est, vt assumatur ventriculo existente vacuo, dũmodò ventriculus nõ sit valde famelicus: nam tunc non conuenit medicamentum exhibere: tum quia *Vbi fames laborandum non est*, tum etiam quia ventriculus famelicus, & subinde in retinendo auidus, vincit medicamenti vim, & exoluit facultatem illius; Iccirco Paulus, & Aetius affirmant, meliùs esse ante cibum catapotio ventrem vacuum purgare: aliter enim corrumpitur cibus, & exoluitur vis medicamenti, & propter corruptionem cibi, videtur medicamentum magis soluere; solumq; è medicamentis, quæ iuuant alterando, & corroborando, posse post cœnam propinari, non verò purgantia. Hanc opinionem sequuntur multi, imò eam magis communem esse video.

H. 2. aph. 16.

Paul. li. 7. c. 4.

Aet. tetr. 1. serm. 3. c. 24.

Verùm idem Paulus alibi videtur insinuare, aloen post cœnam esse assumendam, vnde sunt non pauci, qui, pillulas vna hora post cœnam exhibendas esse, censent. Huic ego sententiæ libentiùs adhæreo: nam si corruptio cibi timetur, magis timenda est ex superingesto cibo, quem ventriculus iam propter præassumptum medicamentum nauseans aduersatur, quàm si catapotia super ingerantur, quando iam ventriculus à cibo est corroboratus. Deinde si præceptum sequi debemus, vt cibus ieiuno ventriculo assumatur, præceptum etiam aliud stat pro contraria parte, vt non superingeratur post medi-

Paul. li. 1. c. 43.

medicamentum cibus. Itaq; magis aptum est medicamentum ad mittẽdos vapores in caput, si post cœnam assumatur, quàm si ante. Quod attinet ad corroborantia, longè vtilius exhibẽtur ante cœnam, quippe post cœnam quies conuenit, catapotia autem, quę assumuntur, non nisi post multas horas incipiunt perturbare: vnde qui post cœnam catapotia sumit, non nisi matutino tempore euacuatur.

Quod spectat ad alteram partem contextus, *In alimento pharmacia malum*; similiter corroboratur Hippocratis documento dicentis, *Purgatione in media sorbitionem dare non conducit*; addere etiam possumus nec incipiente purgatione: quare si detur sorbitio, dum purgatio fit, rectè quadrat dictum, *In alimento pharmacia malum*. Hoc consilium accepit Auicẽna ab Hippocrate, inquiens, *Oportet ergo ne medicinæ potator comedat, aut bibat, donec medicamentum suam perfecerit operationem*. Ergo exhibito cibo, dum purgatio fit, mali aliquid succedit: nempe infringitur vis medicamenti propter miscellam alimenti, distrahitur natura ab opere valde necessario, hoc est, ab expulsione prauorum humorum, ac tandem cibus corrũpitur, & per vomitum simul cum medicamento eijcitur. An. 4. 1. de purg.

TEXTVS XX.

M*Alum, & optimum ad aliquid.*

DVO in præcedente contextu contradictoria continebantur, *In alimento pharmacia optimum, in alimẽto pharmacia malum*. Hæc si simpliciter, & absolutè accipiantur, non possunt esse simul vera: Vt igitur veritatem contineant, addit in præsente, *malum, & optimum ad aliquid*: quasi dicat, malum, & bonum absolutè sunt suapte natura contraria, & sibi inuicem aduersantur, in subiecta autem materia referuntur ad aliquid, nempe ad diuersitatem temporis, & personæ. Porrò satis iã ostendimus, in aliquibus ægris optimum esse in alimento pharmaciam, in alijs verò non: Deinde etiam in vno tempore optimam fieri mistionem ex alimento, & medicamẽto, in alio verò malam. Quare cum omnia ad hanc rem facientia maneant explicata, nõ est, cur hic immoremur, sed ad alia accedamus.

TEXTVS XXI.

V*Lcus, crusta, sanguis, pus, sanies, lepra, furfur, vlcera capitis manantia, impetigo, vitiligo, lentigo, aliquando lædit, aliquando prodest: aliquãdo neq; lædit neq; prodest.*

SEntentiam præcedentem, nempe *malum, & optimum ad aliquid*, confirmat exemplis ab effectibus cutaneis petitis, qui possunt esse aliquando mali, aliquando verò boni: additq; insuper, posse aliquando esse nec malos, nec bonos. Hæc omnia accidunt respectu diuersorũ, vt mox explicabo, dummodò prius affectiones hic positas percurram. *Vlcus* græcè ἕλκος idest, solutio continui à causa interna, quæ omnibus membris, præter ossa, accidere potest. Sed dicet aliquis, Hippocratem omnem morbum vlcus appellasse: ita est: sed generali quadam acceptione, non ea secundùm quam communiter accipitur. *Crusta* græcè ἐσχάρα, seu ἴχωρ, quæ propriè ab ardente ferro, aut medicamento caustico inducta est: eius generatio, inquit Galenus, est ex subiectis, circumpositisq; corporibus semiustis: Quare non solùm ab arte, sed sua sponte etiam fit. *Sanguis* græcè αἷμα: hanc vocem, nescio cur Fracantianus omisit; cum in omnibus codicibus tam grecis, quàm latinis reperiatur. Est autem sanguinis notissima significatio, cuius nomine compositum ex quatuor humoribus, quod per venas ad nutriendum corpus defertur, comprehendi solet. *Pus* græcè πύον, fit maximè ex sanguine putrescente, à calore misto ex naturali, & præter naturam, actione partium spermaticarum, à quibus albedinem contrahit. Ichor grecè G. 5. meth. c. 3.

simi-

similiter ἰχὼρ: tenuis, & aquosa humiditas, siue in corpore adhuc contineatur, siue ab vlcere manet, siue etiam è cadauere profluat; Et quamuis vnusquisq; humor suum habeat ichorem naturaliter se habens, nihilominùs, vt plurimùm, ichoris nomine praua humiditas significatur. Vnde cùm Hippocrates de sanguine ichoroide mentionem faciat, Galenus ait, *Ichoroides itaq; sanguis vocatur in se prauam, ac tenuem humiditatem continens, non aqueam, & morsu carentem, sed mordacem, & erodentem. Dicente autem Platone, Ichor verò, sanguinis quidem serum, mitis: nigræ verò bilis, sed acidæ ferus, nobis declaratum est, quemadmodùm in lacte serosa quædam humiditas est, veluti colamentum, & circumfluitas crassiorem eius partem, eodem sanè modo in omnibus succis, & humoribus serosum quendam, ac tenuem liquorem reperiri.* Sic Plato: ex cuius verbis constat, ichorem siue serum, in quouis humore esse, in hoc mitem naturam habens, in illo feram, pro natura eius humoris, cuius est serum. *Lepra* græcè λέπρα. Iam superiùs diximus, lepram apud grecos esse aliam ab Arabum lepra differentem. Quare hic lepræ nomine non elephantiasin, sed scabiei speciem quandam oportet intelligere, qua veluti squamæ è corpore decidunt. *Furfur* grecè πίτυρον: cutanea affectio, qua laborantes, si se scalpunt, furfuribus similia è capite, aut è reliquo corpore exire faciunt. Prouenit teste Galeno ex vitiatis saniebus capitis. *Manantia vlcera* grecè ἀχῶρες: sunt autem tumores præter naturam in ipsa capitis cute ex tuberantes, tenuissimis foraminibus eam vlcerantes, & saniem viscosam, lentamq; effundentes. *Impetigo* grecè λειχὴν ita dicitur summæ cutis asperitas, cum leui pruritu. *Vitiligo* græcè ἀλφός: vitiosa materia, & fœda in corporis cute apparens, & ex malo corporis habitu excitata, sed sine manifesta cutis asperitate, sine squamis, sine vlceratione: *Lentigo* apud aliquos nomen grecum ephilis ἔφηλις retinens, est durities praui coloris à Sole, vt plurimùm contracta: quare ἀπὸ τοῦ ἡλίου hoc est à Sole, nomen habet. Hęc sunt vitia cutanea, quę in presente contextu recensetur.

Hip. Ga. 3 epid. sect. 2 & com. 38.

Gal. 1. de med. local. c. 6.

Aliquando lædit.

Cutanei affectus nonnunquam corrosione nocent, corrumpendo scilicet carnes cuti subiectas: quandoq; etiam pruritu inducendo vigilias: quandoque è cute ad internas partes prauos vapores transmittẽdo, vnde pessimæ superueniunt febres, & deliria.

Damnantur etiam abscessus, qui suppurari nequeunt, quoniam diuturnitate sua naturam tandẽ cogunt succumbere, & maximè si eueniant ægro iam debili existente, vnde in Coacis, *Hippochondrio diutiùs afflicto, & aluo grauiter dolente, abscessus ad aures interficit*: quippe materia in hypochondrijs retenta ibi moram trahit, demumq; corrumpitur, & per aluũ egrediens, graui odore signum pręsta corruptelæ. Hęc si ad aures abscedat, inde exhalat ad cerebrum, & vaporum putrilagine ad interitum ducit, maximè cum vires iam, ex longitudine morbi, sint infirmæ.

Tandem cùm epigenesis semper quidem praua sit (neque enim fieri potest, vt morbus ampliatus non sit se ipso deterior) potest materia praua ad cutem propagari, ac proinde maius erit malum, & subinde deterius. Hìc habet locum sententia Hippocratica, *In febribus abscessus, qui ad primas indicationes non soluuntur, longitudinem morbi significant*. Alij legunt *non soluunt*, nempe morbum. Galenus ferè hanc sententiam irridet: quippe adeò claram esse ait, vt Hippocrate autore non egeat: *Liquet enim, quòd eo ipso, quòd ad primas indicationes non soluuntur, huiuscemodi passiones sint diuturnæ.* Hipp. 4 aph. 51.

Aliquando prodest.

Ad cutem ex intimis partibus passiones conferri, conueniens esse, Galenus censet; Quando igitur vlcera, aut reliquę efflorescentię ad externã cutem transmittuntur, conuenit ista metastasis, ac propterea iuuat: est namq; cutis vnus ex locis conferentibus, per quos euacuationes fiunt, autore Galeno. Itaq; si ista metastasis decretoriè fiat, hoc est, à natura vincente, sinè dubio est vtilis: si fiat symptomatis ratione, hoc est, à natura G. 6. aph. 37. G. 1. aph. 21.

tura

tura molestata, licèt sit prauum signum, quippe ostendit afflictionem naturæ) esse tamen potest bona causa: nam si vires valde constant, cum in symptomaticis euacuationibus vtile, & inutile simul excernantur, vires non omnino prosternentur à perditione vtilis (siquidem iam supponimus eas constantes esse) ac propterea possunt damnum tolerare: ex altera parte euacuatione inutilis materię morbus fit minor, ac natura recreatur.

Quòd vlcera possint esse proficua, celebre documentum habemus in libro de morbo sacro in hunc modum: *Et quibuscumq; quidem pueris existentibus erumpunt vlcera in caput, & in aures, ac in reliquum corpus, & qui saliuosi fiunt, ac mucosi, hi ipsi progressu ætatis facillimè degunt: hic enim abit, ac purgatur pituita, quam in vtero purgari oportebat, & qui sic purgati fuerint, comitiali, siue sacro morbo ferè non apprehenduntur. Qui verò mundi sunt, & neq; vlcus vllum, neq; mucus, neq; saliua vlla prodit, neq; in vteris purgationem fecerunt, talibus periculum imminet, vt ab hoc morbo corripiantur.* H. de morbo sacro.

Aliquando neq; lædit, neq; prodest.

Prætereunt interpretes declarare, quomodò possint ea, quę ad cutem exeunt, neq; nocere, neq; iuuare. Causa dubitandi est, quia si hęc exeunt decretoriè, & tamen non iudicant, non iuuant, sed tamen nocent, dicente Hippocrate, *Decretoria non decernentia aut mortem, aut difficile iudicium polliceri*; Qua sententia docemur, si ea, quę iuuare debent, non iuuant, necessariò esse nocua. Coeterùm hęc sententia non offendit præsentem contextum: nam decretoria symptomata horrenda sunt, ad quę, si sequatur crisis, hoc est, morbi iudicatio, bona habenda sunt, si non iudicent, non possunt non sua feritate nocere. At ea, quę ad cutim paulatim exeunt (de quibus in præsens sermo est) possunt quidem praua, sed pauca esse, & sic sua paucitate nullũ afferre leuamen: Vnde aduenit, vt puncticulæ in febribus apparentes (relinquo, quòd prauum sint signũ) nihil apparitione nocent, nihil etiam iuuant, si sint paucæ; quare cogimur cucurbitulis, & alijs machinamentis eas proijcere. H. 2. epid.

Itaq; verba hæc *Neq; lædit, neq; prodest*, mihi reuocant in mentem id, quod de sudoribus scripsit Hippocrates: quippe sudores constituit optimos, & bonos, quibus opponit prauos, in medio collocat inutiles. *Sudores* (inquit ille) *optimi sunt per omnes acutos morbos, si per diem euenerint decretorium, & integrè sedent febrem. Boni etiam sunt, si ex toto corpore prodeat, faciantq; vt æger ferat faciliùs morbum; Si verò nihil tale efficiant, nequaquam vtiles sunt.* Aduertendum hìc est, paruam molestiam non venire in considerationem: sudores enim molestabunt, sed si nec afferant ea iuuamenta, quæ dicta sunt, nec nocumenta, quæ subdit, dicuntur inutiles: quippe non sunt boni, nec dici merentur praui: sunt enim praui, imò *pessimi, qui frigidi sunt, & qui circa caput* tantũmodò eueniunt, vultum, & ceruicẽ. Ergo, vt textui pręsenti inseruiamus, ea, quæ ad cutem veniunt, si leuia sunt, neq; iuuare possunt, neq; nocere. H. 1 prog. 26.

TEXTVS XXII.

Alimentum non alimentum. Si nutrire non potest, nomen est alimentum, non opus. Opus, & res est alimentum, non nomen.

Alimentum, quod alere non potest, dicitur illud, quod aliàs quidem alere esset aptum, nihilominùs propter aliquod impedimẽtum alere non potest, & tunc retinet alimenti nomen, non opus, hoc est, nõ effectum. Causas impedientes accipit Cardanus, quales sunt vel semper tales, vel ad tempus, vel ad occasionem; *Semper*, vt sunt cibi, quos aliquis ob qualitatem indiuidualem abhorret, aut saltem si non abhorret, non concoquit; *Ad tempus*, vt est infanti lactenti panis; *Ex occasione*, vt si quis omnino repletus, quicquid

acceperit, vomit. Verùm vniuersalior est sententia Hippocratis, quàm quę his comprehendi possit cancellis: nam tria isthęc impedimenta aliquibus, vel aliquando conueniunt, non omnibus, vel semper.

Sex causas proponit Fracantianus, quæ tamen omnes, si rectè considerentur, non auferunt prorsus alimēti rationem, sed eam reddunt deminutam. Prima est ex parte substantiæ, si videlicet sit valde solida. At cùm nos supponamus (quod Cardanus aduertit) hic non agere Hippocratem de ijs, quæ sunt extra rationē alimenti, vt ferrum, æs, testa, profectò id, quod alimentum esse posset, quantumuis sit solidum, semper tamen ex se aliquid succi extrahi patietur. Altera ex parte quantitatis: hęc etiam, quamuis sit tanta, quę in ventriculo retineri nequeat, & vomitu reijciatur, semper tamē aliquid remanet, quod natura sui muneris non oblita reponit. Tertia est qualitas: sed si qualitatis nomine primas duntaxat qualitates accipiamus, alimentum, quantumuis frigidum, aut calidum, dummodò non transeat in naturam veneni, alere aliquantum potest: si verò in venenum mutetur, iam nec nomine est alimentū. Quarta est ordo: iste etiam non euertit rationem alimenti, nam etsi præpostero ordine assumantur, nutrire quidē possunt; Quòd si aliquis dixerit, ex ordine non seruato in assumendis cibis posse corpus aliquid pati, sciat oportet, ex defectu ordinis, licèt concedatur, posse affectum aliquē præter naturam oriri, (quod mox disputabimus) non ex defectu, sed ex vitio: & sic cibus inordinatè sumptus alere quidem potest, licèt prauam efficiet nutritionē. Quinta est ex parte temporis: at tempus (vt de ordine diximus) non tollit vim nutriendi, eam forsitan deprauabit. Sexta, & vltima est impedimentum extraneū, vt aer ambiens: aer tamen ambiens nunquam efficiat, vt nutrimentum non nutriat, sed vt magis, aut minùs nutrire possit. Quare nec Cardani, nec Fracantiani expositio recipi debet.

Vallesius alia via incedit, & sanè meliori: existimat namq; Hippocratem non loqui de re, quæ alimentū est, & alere non potest, sed de ea, quę videtur esse alimentum, re autē non alit: talis est aqua, & quæ ad solam aquam pertinent: *Hæc enim verè non nutriunt, videntur tamen nutrire prohibentia corporum exolutionem: diutiùs namque potest aliquis aqua vtens inediam ferre, quàm hac quoq; priuatus.* Itaq; iuxtà hanc sententiam dicemus, ea, quæ nutritioni inseruiunt, non tamen alunt, posse dici *Nomine alimentum, re autem non.* Hæc expositio tolerari quidem posset, verumtamen aliquantulum violenta est, dum nomine alimentum appellat id, quod nec est, nec esse suapte natura alimentū potest. Nunquid, quia inseruit alitioni, erit nomine alimentum? hoc mihi durum videtur. Cœterùm quomodò aqua alitioni inseruiat, alere tamen nequeat, inferiùs disputabo.

Satyrus, alimentum non alimentum, dicit, esse aerem: eius hęc sunt verba: *Aer verò inspiratus, quia conseruat eandem viuentis substantiam, non quidem nutricatione conuersus in eius naturam, sed solùm temperando æstum caloris natiui, atq; ideo prohibendo, ne celeriter absumatur humidum, iure dicitur alimentū non alimentum, seu alimentum nomine tantùm, non re, atq; opere, ac omnino alimentum æquiuocè cum cibo, & potu.* Videris mihi velle, ò Satyre, aerem nobis sola qualitate conferre, non autē substantia: siquidem non alium vsum putas nobis præstare aerem, quàm attemperationem caloris, vt scilicet calor sic attemperatus non absumat celeriter humidum. At quis te miserum in has, quas non intelligis propositiones induxit? quæ, & Hippocrati, & Galeno, & vniuersæ scholę medicæ aduersantur. Adeò ne tua intumescit arrogātia, vt te plus omnibus sapere tibi persuadeas? Cœterùm vno, vel altero horum medicinæ procerum tibi ostendam, aere sua substantia nobis inseruire, reliqua, quæ circa hanc rem afferri possunt, in commodiorem occasionem remittam, nēpe ad expositionem verborum, *Principium alimenti spiritus, nares, os, guttur, pulmo, & reliqua respiratio:* & aliorum, quæ inferiùs habentur iuxtà huius libelli de alimento finem, vbi agens de respiratione adiungit, *Alimentum etiam spiritus est.* Nec verò dicas, in his locis alimentum dici nomine tenus: nam Hippocrates non ait, *alimentum dicitur*, sed asseueranter *alimentum est.* Si verò hanc doctrinam magis expressā

De his qui sine alim. l.2.c.13.

tex. 33. tex.

habere

G.de vtil. respir.c.3. habere cupis, consule Galenum, qui tibi in libro de vtilitate respirationis sæpissime dicit, spiritum animalem aere nutriri, præcipuè vbi hęc habet verba: *Necessarium igitur est, ex inspiratione per nares alimenti partem animali spiritui accedere*. Ecce tibi dat ex inspiratione, hoc est, ex aere inspirato, alimentum spirituum: & in eodem libro iuxtà finem, duos illos vsus, quos aerem prestare dixi, commemorat inquiens, *Relinquitur igitur, quod ob immoderatam caliditatem vita excedimus, atq; hæc quidem maxima est respirationis vtilitas; secunda verò est animalis spiritus nutritio*. Adeò frequens est hęc doctrina apud Galenum, vt superuacaneum videatur, plura in hanc rem loca congerere. Habes ergo, substantiam aliquam, nempe spirituosam, aere pro alimento vti. Est ergo aer in sui muneris ratione alimentum, quippe munus eius est reficere substantiam, quamuis verum sit in alendi modo ab alijs alimentis differre: quippe alia, vt nutriant, tres pertranseunt coctiones, aer non ita: modus verò est extrinsecus rei, eiusdem autem rei officium profluit ab essentia, ac propterea de essentia aeris est, reficere deperditam substantiam, per accidens verò, quod non concoquatur. Sapienter igitur Hippocrates semper ex aere nutrimentũ dixit. Quod si recentiores, aerem impropriè nutrire, dicunt, id fit quoniam modum habent nutriendi ab alijs nutrimentis diuersum: Malè ergo ais, aerem esse alimentum nomine duntaxat, non autem re.

De vtilit. respir.c.5.

Mihi videtur, posse hunc textum facilè explicari, si dicamus cibũ, antequàm coquatur, esse nomine alimentum, ideò Galenus librum de alimentorum, nempe de ciborũ facultatibus inscripsit: & ab Hippocrate appellatur (vt vidimus supra) futurum alimentum. Re autem nõ est alimentum, quia quod futurum est, non dum est: & cibus quidem, antequàm sit coctum, non dicitur obiectum potentiæ nutritiuæ, sed materia, circa quam versatur. Atq; ita patet, quomodò alimentum sit nomine, non re, videlicet alimentũ futurum.

DE ASSVMENDORVM ordine.

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

An plures cibi in vna eadem mensa conueniant.

Articulus Primus.

1 ME acturum, pollicitus sum, de ordine, qui in ciborum assumptione seruandus est: pertinet quæstio hæc ad prophylacten: & quoniam ordo est inter plura, priùs indagare oportet, an pluralitas eduliorum conueniat; in qua sanè habemus Hippocratem, qui eam damnat inquiens, *Est autem mala diæta hæc. Primùm quidem cum quis plures cibos, liquidos, aut siccos ingerit in corpus, quàm ipsum corpus ferre queat, neq; laborem aliquem ciborũm saltem multitudini parem adiungit. Deinde cum varios, & dissimiles inter se cibos assumit: seditionem enim mouent, quæ sunt inæqualia, aliqua citiùs, alia difficiliùs concoquuntur.* Sic ille, qui prauam diætam duobus nominibus appellat, vnam ex plurimo cibo, alteram ex diuersitate ciborum. Omitto priorem, quæ non est pręsentis loci, nempe de quantitate superflua, & conuertor ad alteram, quę huius instituti est propria, videlicet de multiplicitate: hanc, inquit, mouere in corpore seditionem, ex seditione autem humorum inter se, morbi oriuntur. Hi de flat. lib.

2 Erit tamen qui dicat, contrarium videri magis rationi consonum: nam cum humores sunt dissidentes, vnus alium emendare potest, ac proinde magis vtilitas, quàm damnum ex pluralitate ciborum comparatur.

3 Respondendum, reor, huic difficultati in hunc modum. Quamuis ratione contrarietatis possint varij humores, varij etiam cibi se inuicem corri-

gere, nihilominùs ob plures alias rationes poteſt euenire ex pluralitate malū. In primis, quia in hac contrariantium pugna, terribilia accidunt ſymptomata, quæ naturam valde moleſtant. Quemadmodùm namq; hemitriteus, qui componitur ex pituita, & bile, breuior quidem eſt, quàm quotidiana, ex ſolo pituitoſo humore conſtante, eſt tamen periculoſior: habet enim horrores inordinatos, quibus concutitur corpus, & vires non ſufficiunt, ſed tandem deficiunt: propterea Galenus agens de quotidianis, tertianis, & ſemitertianis, in ſolis ſemitertianis periculum exaggerat. Sic in cibis, ratione pugnantiæ, poteſt varietas iuuare, dummodò eius naturæ ſint edulia, vt vnum emendet malitiam alterius: nihilominùs quoniam eorum recta proportio difficulter ſeruari poteſt, inſurgit vnum ex his per antiperiſteſin excitatum, & ſymptomatum fit cauſa, vnde ex pugna dolores ventriculi, fluctuationeſq; accidunt. Deinde quoniam dum chylus fit in ventriculo, nihil ab eo exit (vt mox dicemus) in hac mora cibi difficiles coctu concoquuntur, faciles verò vruntur: hinc aciditas nidoroſa, & pleraq; corruptionis ſigna. Tertiò, aliud damnū exemplo à morbis ſumpto declaratur. Catochus, ex ſententia Pauli, & Aetij, eſt affectio media inter phrenitidem, & lethargum, & tamen Aetius catochon lethargo deteriorem facit: cauſa huius rei eſt, quoniam pituita lenta, & craſſa à commiſta bile impellitur, & in ſubſtantia cerebri magis immergitur, atq; infarcitur: in lethargo autem, ex Auicenna, pituita non permeat ſubſtātiam cerebri. Eodem modo ciborum aliqui craſſum, lentumq; ſuccum gignentes, alij tenuem, & acutum, hoc afferunt ſecum inconueniens, vt tenuiores in bilioſam naturam conuerſi, ſecum ducunt craſſiores, eiſq; penetrationem facilem tribuunt, vnde citiùs, quàm oportet, ex ſtomacho egrediuntur: poſtularent namq; ad ſui coctionem moram ampliorem. Hinc cæliaca, & magna ex parte lienteria: qui morbi propter admiſtam chylo eueniunt: facit enim bilioſus humor, vt chylus egreſſum anticipet.

G. lib. de typis c. 4.

Paul. li. 3. c. 6. Aet. tetrab. 2. ſerm. 2. c. 4.

Auic. 1. 3. tract. 3. c. 7.

4 Rectè igitur, ex magni Hippocratis decreto, multiplicitas ciborum venit damnanda, quod eleganter ſuis carminibus expreſſit Horatius:

Hor. l. 2. ſer. 2.

—— —— nam variæ res
Vt noceant homini, credis memor illius eſcæ,
Quæ ſimplex olim tibi ſederit, at ſimul aſſis
Miſcueris elixa, ſimul conchylia turdis:
Dulcia ſe in bilem vertent, ſtomachoq; tumultum
Lenta feret pituita, vides, vt pallidus omnis
Cœna deſurgat dubia, qui corpus onuſtum
Heſternis vitijs animum quoq; pregrauat vnà,
Atq; affigit humo diuinæ particulam auræ.

Nec ſolùm ob prędictas cauſas multiplicitas ciborum nocet, verùm quia ſēper ſecum affert exceſſum in quantitate: eſt enim varietas iſthæc magnum gulæ irritamentum. Cœterùm cum difficile ſit epulandi ſimplicitatem perſuadere, maximè nobilibus, qui opiparas menſas, veluti nobilitatis inſigne, parari iubent, ſaltem quomodò ſe circa hanc varietatem, quo minùs noceat, gerere debent, eſt inquirendum.

Opinio quorumdam, qui ordinem in aſſumendis cibis iubent ſeruari.

Articulus Secundus.

1 CVM ferè impoſſibile ſit, homines ad tantam frugalitatem reducere, vt vno tantùm cibo menſæ appoſito contenti viuant, ſaltem eos hortandos eſſe, putant aliqui vt ordine cibos ſumant, quippe ordo omnis ex multis quodammodò facit vnum: & hanc ſententiam ex Hippocratis officina deductam eſſe, contendunt: quippe Hippocrates ait, cibos laxantes, & pręcipuè fructus, ſi capiantur poſt alios cibos, ſummoperè nocere tam ægro, quàm valenti. Hinc apparet, Hippocratem in ea fuiſſe ſententia, vt obſeruari

Hipp. lib. de affectib.

ri voluerit ordinem in dapibus assumendis. Consonat huic sententiæ Gale- G. 3. sympt. caus.
nus, dicens, vitiari coctionem, si priùs abstergentia, deinde laxantia assumā- G. 2. alim. fac.
tur. Requirit etiam ordinem Galenus, dum ait, ea, quæ citiùs concoquun-
tur, priùs esse assumenda, quæ verò tardè posteriùs; Ratio ab eo ipso peten-
da est, qui, si secus ordo seruetur, ait, cum ea, quæ posteriùs assumuntur, ci-
tiùs coquantur, nec possint è ventriculo exire, fit, vt corrumpantur. Arabes
cum Galeno consentiunt in eo, quòd ordinem in cibis seruari iubent: dissen-
tiunt verò ab eodem, quoniam contrarium commendant ordinem ei, qui à
Galeno commendatur: quippe Galenus priore loco assumi iubet ea, quæ ci-
tiùs concoquuntur, Arabes autem initio statim assumunt ea, quę difficiliùs
coquuntur. Fundamentum eorum est, quoniam in fundo ventriculi meliùs
concoctio celebratur, quare si priùs ingerantur coctu difficilia, fundum ven-
triculi occupabunt, ac subinde meliùs concoquentur. Hæc sunt vtriusque
opinionis fundamenta. Cœterùm præferendi in hac re videntur Arabes Ga-
leno: siquidem in eiusdemmet Galeni doctrina, vt mox dicemus, ventriculi
os inferiùs, dum chylus fit, est clausum, neq; quicquam ab eo egreditur: qua-
re cibi faciliores posteriùs assumpti, si priùs absumerentur, non propterea ci-
tiùs è ventriculo exirent: quippe non patet exitus, nisi peracta chylificatione;
Quòd siquis dicat aperto post chylificationem pyloro, priùs exire eam partē,
quę inferiorem locum occupat, hoc non est considerabile, tum quia, cum
exitus cibi simultaneus fit, pauca est differentia temporis, qua commoratur
superior, aut inferior pars chyli; Deinde, vt dicemus, partes chyli superiores
cum inferioribus confunduntur.

Opinio aliorum, qui existimant, nullum ordinem esse seruandum.

Articulus Tertius.

1 TEnent alij, non requiri ordinem in assumendis cibis, qui duplice ni-
tuntur fundamento. In primis enim dicunt, alimenta in vnā chyli
formam permisceri, atque adeò priùs ingesta cum posterioribus coire: quod
probatur, quoniam caloris est homogenea congregare, segregare, ethero-
genea. Hoc ita contingere experimento est comprobatum. Siquis dissecue-
rit cadauer sex horis post acceptum cibum, reperiet ibi omnes cibos, quan-
tumuis varios, quos viuens sumpserat, in vnam massam redactos. Deinde
Galenus, facultatem ventriculi hoc diuinitus obtinuisse, ait, vt postquàm ci- G.4. vsup.c.7 & l.3.nat fac. c.4.& eleganter 2.cau. sympto.c.3.
bum totum confecerit, discernat vtilia ab inutilibus, & id, quod vtile est, mit-
tat ad iecur, quod inutile ad intestina. Affert exemplum sumptum ab eo, qui
discernit frumentum aptum ad conficiendum optimum panem, ab eo, quòd
est ineptum. Adiungit ampliùs, pylori munus esse, ventriculum clausum cō-
tinere, donec cibus sit concoctus, neq; aliquid permittat priùs egredi, quàm
obtineat formam chyli: haud aliter atq; vterus, qui tandiu fœtum conclu-
sum in se retinet, quandiu postulat necessitas. Ex hac Galeni doctrina col-
ligunt, posse alimenta confuso ordine assumi: siquidem nisi priùs omnia sint
concocta, & separata ab excrementis, non exeunt è ventriculo.

2 Ad Hippocratem autem respondent, eum, poma, & fructus arboreos
tam duri, quàm mollis corticis, dixisse, molestiora esse post cibum tum sanis
hominibus, tum imbecillis, quia tunc corpus solum humorem ab ipsis tra-
hit; Cœterùm non agere de fructibus sumptis in eadem mensa simùl cum
reliquis cibis, neq; aliud velle, nisi fructus illos tum saturato, tum ieiuno
stomacho prauos esse: quoniam ventriculus ab ipsis humores prauos, & pū-
tredini paratos trahit: iccirco dixit, molestiora esse *sano, & debili*, atq; addidit,
Si verò ieiunus quis edat plures: & paulò inferiùs, *Bona alimenta, tum per se sumpta,
tum cum alijs permista, & sanis, & ægrotis vtilia esse*. Est igitur eius mens, damnare
fructus quocumq; tempore sumantur, quod longè abest à proposito sermo-
ne. Galenum, & Arabes non recipiunt: siquidem siue facilia coctu priùs,
siue

fiue poſteriùs ſumãtur, idem eſt, cùm omnia ad vnam molem reducantur. Verùm vtraq; opinio, tam ea, quæ ordinem requirit, quàm quæ illum omnino tollit, ſi cum moderatione ſumatur, poteſt in vnam veram ſententiam conuenire, vnam veram efficere doctrinam.

Controuerſiæ vera deciſio.

Articulus Quartus.

1 IN primis diſtinguere oportet inter ſtatum ſanitatis, & ſtatum ægritudinis: in ſtatu ęgritudinis nulla eſt difficultas: quippe ægritudini eſt inſeruiendum, & in præmittendis his cibis, poſtponendis verò illis ordinem ſeruandum eſſe, prout poſtulat præſens morbus. v.g. cum refectio cita requiritur, vt in valde exhauſtis, aut quomodocumq; aliter virium defectu laborantibus, oua ſorbilia, aut ſorbitiones alias, poculentauè alimenta præaſſumenda ſunt, vt velox fiat reſtauratio, poſteà ſolidiora exhibentur: Vnde inferiùs dicet Hippocrates, *Et quicumq; veloci appoſitione opus habent, his humidum*, ideſt liquidum, *ad reficiendas vires medicamentum optimum; quicumq; uerò adhuc velociori indigent, per olfactum; qui autem tardiore appoſitione opus habent ſolido alimento vtantur.* Præterea in capitis affectibus cibi aſtringentes poſtponendi ſunt, vt ſua aſtrictione os ventriculi claudant, & aſcenſum vaporum prohibeant: è contrario aſtringentia priùs ſumpta proſunt iis, qui alui fluxu laborant: quippe fundum ventriculi claudunt, eundemq; aſtrictione corroborant, vt commodiùs ſuper ingerendos deinceps cibos ventriculus valeat retinere; In cuius rei confirmationem legendus omnino eſt Galenus, vbi iuxtà id, quod Protas ſibi accidiſſe narrauit, quid circa hoc ſentiendum ſit, elicit. Protas rhetor comeſtis fructibus auſteris, aluum fluidam ſibi fieri experiebatur. Galenus verò mutato horum fructuum ſumendorum ordine, ita vt ante alia edulia eos ſumeret, effecit, vt non ſolùm non vehementer, ſed ne mediocriter quidem aluus deijceret.

Tex. 54.

G. 2. alim. fac. c. 12.

2 In ſtatu ſanitatis adhuc oportet conſiderare, an ſtomachus ſit nimiùm famelicus: quòd ſi accidat, priùs concoctu facilia accipere oportet: venæ namq; meſaraicæ, præ inopia alimenti, id, quod ingeritur, velociter ſugentes, non præſtabunt eam moram, quam difficilia coctu, ad ſui coctionem exigunt: aliunde verò facilia tametſi nullam accipiant in ventriculo elaborationem, non propterea erunt iecori improportionata. Neq; verò obſtat Galenus, qui manifeſtè docet, fieri non poſſe, vt quicquam alat, niſi priùs in ventriculo fuerit præparatum, non, inquam, obſtat, nam alibi ſermonem habens de lacte, inquit, lacti ad hoc, ut alat, minimè neceſſariam eſſe præparationem in ſtomacho; Vnde conſtat, pręparationem dixiſſe neceſſariam in cibis duntaxat ſolidis: potiones enim, & ſorbitiones, nulla præcedente ventriculi actione, nutrire quidem poſſunt: quod adeò eſt receptum, vt infuſa per clyſteres nutrire, omnes fateantur: quippe in inteſtina meſaraicæ hiant, per quas ſuccus ante quàm ad ſtomachum accedere poſſit, ad iecur rapitur. In prędictis igitur caſibus ordo aliquis requiritur.

G. 4 de vſup. c. 5.

Li. 6. de Plac. c. 6. c. 8.

3 Cœterùm ſi hominem in ſtatu ſecundùm naturam conſideremus, hoc eſt, nec viribus fractis, nec ſtomacho famelico, qui etiam, ſolita cibandi hora, moderatam cibi quantitatem aſſumit, huic concedi poteſt, vt indifferenter, nullaq; ordinis ratione ſeruata, hos, aut illos præaſſumat cibos: quippe (vt iam ſępe, ex Galeni ſententia, inculcauimus) cibi, non niſi peracta chylificatione, exeunt è ventriculo. Aliqui ſunt, qui Galenum exponentes aiunt, eius mentem fuiſſe, nihil elabi è ventriculo, niſi perfectè coctum (dummodò non aliter, cogente morbo fiat) nec propterea negaſſe, vnam alimenti partem, quæ cocta iam eſt, poſſe egredi remanente alia, quæ adhuc coquitur. Hoc ſimilitudine ducta à ſuperfætatione declaratur: duo enim fœtus in vtero contenti, diuerſis tamen temporibus concepti, ita ſe gerunt, ut ei, qui priùs perfectionem accepit, vterus adytum aperiat, mox iterum claudatur, donec tempus adueniat emittendi in lucem alterum.

4 Non

4 Non est tamen negandum, cum alimentum aliquo notabili vitio est prę-ditum, indigere correctione, quę fit per cibum subsequentem: vnde ortum est tritum illud dicterium insinuans ordinem, *super pisces nuces, super carnes caseum manduces*, Iusta hoc etiam Auicenna in suis canticis, *Est autem humidum, & lubricum stiptico præponendum; est q; sapor dulcis acetoso vniendus, & siccum cum humido rectificandum, & frigidum cum calido, & è contrario. Quòd si timeatur defœdatio oleaginosi, vel eius, quod est malæ digestionis, ratione pinguedinis; addatur sal eis, aut aliquid acutum: nam hæc iuuant ad subtiliandum.* Sic Auicenna, cuius doctrina recipienda est, vt iam admonuimus, in alimentis, quorum vitium valde excedit, si verò vitium sit mediocre, non opus est hac correctione: eodem etiam modo intelligi debet, quoties ait, tenuia priùs esse assumenda, quod à Galeno accepit, & in hoc à reliquis Arabicę familię voluit recedere, qui Galeno aduersantur, vt superius à nobis est dictum. Quòd si aliquis gustui inseruiens, quędam alijs pręmittere velit, (dum non adsint conditiones ordinem postulantes, de quibus supra) sic quidem licebit: quippe in ventriculo fiet id, quod Epicurus (vt refert coquus apud Damoxenum comicum ex Athenæo) in olla fieri iubebat. Atq; ex his habemus, quando ordinem in assumendis cibis statuere oporteat, quando non oporteat.

Auic. in cant. 2. part. n. 19.

Au. 3. 1. doct. 2. c. 7. & 13. 3 tract 1. c. 5. & lib. de remouend. nocument. tract. 1. c. 2.

AN AQVA NVTRIAT.

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

1 QVoniam aquam reposuit Vallesius inter ea, quę non sunt alimentũ, quia tamen alitioni inseruiunt, nomine tantùm, non re alimenta dicuntur: & huius rei occasione acturum me, pollicitus sum, de quęstione à plerisq; agitata, vtrùm scilicet aqua nutriat; Hoc in pręsens libet ventilare: quod ego à Satyri ineptijs liber pręstare me posse, existimabam, nihilominùs in quam plurimas impegi, quas ille in suo magno Chaos accumulat, vbi Costęo contradicit, quem tamen (dum ei aduersatur) siue ad iactantiam, vt sub optimi professoris medici se militasse insinuet, siue ad peruicaciã, ne quempiam quantumuis de ipso benemeritum intactum relinquat, venerandum pręceptorem appellat. Sed heus tu, ò Satyre, cur pręceptorem appellasti, non herum illum, apud quem in famulitio fuisti, eiusq; pane victitasti? Sed te gratum esse, publicato discipuli nomine, exhibere voluisti, & te potiùs ingratum, seruili sorte dissimulata, monstrasti.

Aqua nusquam pura reperitur, quemadmodùm nec aliud quoduis elementum.

Articulus Primus.

1 COntendunt aliqui, elementa in sua sinceritate existere posse, idq; probant in primis, quoniam veteres philosophi de his agunt: si autem non existerent, vanus omnino de propria elementorum natura foret sermo. Deinde pręter naturæ, suauiter omnia disponentis, ordinem esset, præcipua corpora, quæ mundi machinam componunt, semper extra suum naturalem statum existentia violentiam pati, quam euitare minimè possunt. Tertiò, si vnum contrarium est in rerum natura, debet esse alterum: mistum verò corpus, & simplex sunt contraria, quare cum corpus mistum existat, (quod nemo negat) existere etiam debet eius oppositum, nempe simplex. Quartò, mistum fit ex non mistis, alioquin daretur progressus in infinitum: quippe si miscibilia semper sunt mista, semper dabuntur alia, ex quibus eorum mistio fiat: quòd si nunquam deueniatur ad vnum simplex, progressus sinè fine erit: si deueniatur, istud simplex est, quod quęritur. Quintò tandem, & vltimo,

nulla

nulla repugnantia, contradictio ve sequitur ex hoc, quod dicamus, corpora simplicia dari posse; Dicunt tamen aliqui, magnum sequi absurdum; nam si daretur corpus simplex, competeret ei qualitas in summo gradu adeò, vt nec per diuinam potentiam posset intensior fieri: sed hęc responsio ridicula est, tum quia summa qualitas, quę elemento simplici inesset, non diceretur summa respectu omnium, quas posset Deus creare, sed duntaxat respectu omniũ, quæ creatæ existunt: sic etiam Soli debetur summa luminis intensio, non tamen infinita: quippe intensiorem lucem potest Deus creare: tum etiam, quia tametsi qualitas illa, quam haberet corpus simplex, posset intendi, non propterea, dum non intenditur, quantum potest, habet aliam contrariam admistam: posset namq; (saltem per diuinam potentiam, de qua nunc agimus) intensio alicuius qualitatis remitti per ablationem nonnullorum graduum, absq; introductione contrariorum.

2 Alij potiùs dicendum putant, non dari elementum purum, atq; syncerum, sed omnia esse alterius substantię societate contaminata. Hanc sententiam amplexatus est Galenus, eamq; sępissime inculcauit: in primis enim in libro de elementis sic ait, *Vel cur est quæso, quòd tu à me velis, terram in corporibus animantium ostendi, quæ syncera sit, atq; impermista, cum eiuscemodi ne in Vniuerso quidem à te ostendi queat? quamcumq; enim illius particulam acceperis, ea statim erit alicuius caloris, ac humoris cuiusdam, aereæq; substantiæ particeps, cum tamen ea terra, quam etiam esse elementum opinamur, sit quammaximè densa, grauisq; & sicca, & præterea frigida.* Et paulò post adiungit hæc verba: *Quare si cupis, in animante terram intueri, eandem habes, qualem in Vniuerso: eam verò, quę sola sit, & cuiusq; misturæ expers, neq; in illo facile reperias, quemadmodùm neq; aquam puram, quæ aliorum nulli commista sit, nec ignem, nec aerem: sunt enim hæc omnia quasi adulterata, & alijs mista, quæ sunt diuersi generis, semperq; alterum alterius tum magis, tum minus particeps est.* Et in libro de simplicium medicamentorum facultatibus sic: *Igitur aqua, quæ absq; his omnibus est, vt ad naturam certè, ne ipsa quidem ad amussim syncera fuerit, sicut neq; vllum aliud ex quatuor elementis sensibilibus, sed vt ad sensum, & vsum syncera est.* Et libro de ptissana, postquàm describit aquam, quæ omnis penitus qualitatis sit expers, græci ἄποιον dicunt, adiungit, *Huiuscemodi igitur aqua vsu quidem valde est accommodata, natura tamen non est ita syncera, quemadmodùm ne vllum quidem aliud ex sensibilibus hisce elementis.* Hanc fuisse Hippocratis mentem, colligit Galenus in libro de natura humana: dixit quippe Hippocrates, *Omnia eadem necessitate constituta sunt, mutuoq; ab se aluntur.* Hęc verba Galenus de elementis intelligit, & tandem inquit, *Et ob id dixit, corpora, quæ in ipso elementaria sunt, ex se mutuò nutriri, cum exquisitum mente potius excogitari possit, quàm exigat.* Pręterea mutuò inter se elementa ali, non solum pręcitatus dixit Hippocrates, sed & Plato, & Aristoteles: cum verò alitio solis conueniat viuentibus, necesse est, nomine alitionis, quę elementis tribuitur, conuersionem vnius in alterum intelligere; Cum rursus agentia naturalia necessariò agant, quando patiens habent approximatum, sequitur, elementum quoduis agere in aliud sibi proximum, conuertendo illud in suam substantiam, ac proinde mutuò inter se permisceri. Imo magis manifeste tum Plato, tum Aristoteles hanc sententiam tuentur: quippe Plato sic ait: *Quare longè tutissimum est, de his censentes hoc modo dicere, vt id, quod semper alias aliud fieri videmus, velut ignem, non hunc, sed talem vbi vis ignem appellamus: neq; aquam hanc, sed talem semper: neq; aliud quicquam vnquam, velut quod firmitatem aliquam habeat, ex his, quæ ostendentes perditionem hoc, & illud barum vsu indicare, quid nos putamus:* & quę sequuntur; Quibus, elementa non dici, ostendit, hoc aliquid, sed tale quid, hoc est, vt explicat Vallesius, ignem non dici ignem, sed igneum, & aquam aqueum, & terram terreum, & aerem aereum, quę dictiones mistionem quandam denotant. Aristoteles autem sic: *Non est autem ignis, & aer, & vnumquodq; prædictorum simplex, sed mistum: simplicia autem talia quidem sunt, non tamen eadem, vt quod simile igni est igneum, non ignis, & quod aeri aereum, similiter autem, & in alijs.*

3 Duę istæ opiniones inter se contrariæ ad concordiam redigi possunt, si considerémus, non vno, & eodem semper modo impurum, mistumq; semper accipi. Aliquando mistum dicimus id, cuius forma substantialis eius est naturę, quę materię tribuit esse mistum, estq; principium primarium qualitatum secundùm gradus remissos naturaliter, quę qualitates secundùm intensiores

G.l. 1. de element. c. 5.

G.li. 1. simpl. c 5.

G.lib. de ptysana c. 2.

Hip. & Gale. 1. de na. hum. tex com 38.

Hip. vbi sup. Plato in Timæo Ar. 2. de gen. & corru. c. 8.

Plat. in Tim.

Vall. 4. mete. c. 1.
Ar. 2. de ortu, & interitu c. 3. tex. 20.

ſiores gradus eſſent contrarię. Hoc modo corpus verè, & propriè dicitur miſtum; Et hoc modo non eſt dubitandum, quatuor illa corpora ignem, aerem, aquam, terram eſſe corpora ſimplicia: habent enim formas, per quas materia non conſtituit in eſſe miſti; Quòd ſi vnicuiq; horum miſtio adueniat, id fiet, non ratione formæ, ſed alicuius exteriùs aduenientis. In hunc ſenſum intelligendus eſt Auicenna, quoties aliquod ex his quatuor corporibus definiens, incipit, *Eſt corpus ſimplex*: quaſi dicat, eſſe corpus, ratione ſuę proprię eſſentiæ, ſeu formæ, ſimplex, cui ex accidente conuenit eſſe miſtum: nempe vnoè duobus modis, vel enim fit miſtum, ſi eius exiguis partibus exiguæ partes alterius ſubſtantię adiungantur. e. g. cum aer propter continuas exhalationes, vaporeſq; aſcendentes fit miſtum: vel ſi qualitates extraneæ ei accedant: e. g. ſi propter cœli influxum, aut vicinorum corporum actionem, qualitates habeat non integras, vt poſtulat eius natura, ſed refractas.

2 Porrò corpus ſimplex, hoc eſt conſtans ex forma, quæ non importat neceſſariò miſtionem, non negare poſſunt tum veteres philoſophi, tum recentiores autores, qui perſępe corporum ſimplicium mentionem habentes intelligunt ea quatuor corpora, quę elementa appellantur; Sic Ariſtoteles aliquando quęrens; *Cur manus dextra, & pes dexter à ſuis ſiniſtris differunt, oculus, & auditus nulla diſcrimine diſtant?* reſpondet in hunc modum: *An quia immiſta, ſynceraq; elementa, ſuſq; deq; ſunt, diſcrimen verò ſituum in ijs eſt, quæ elementorum coitu conſtant? ſunt autem ſenſus iſti ſinceris illis, immiſtiſq; viſus ſcilicet ex igne, auditus ex aere.* Omitto hìc agere (nam extra rem eſt) an rectè Ariſtoteles ignem viſui accommodet, an potiùs ei conueniat aqua. Sed quod in præſente cõſiderari debet, eſt elementa, ignem ſcilicet, & aerem appellari elementa ſyncera, cum enim nec aer careat permiſtione halituum, neq; igni deſit, hìc apud nos, materia, ſeu alimentum, non ſunt ſyncera hoc eſt, expertia aliorũ corporum: ſunt tamen ſyncera, hoc eſt, naturaliter, & ſecundùm ſuam eſſẽtiam non expoſtulantia miſtionem. Declarat hanc doctrinam optimè Galenus; ſimpliciſſima corpora appellans quędam, quę particulas habent admiſtas, ſi non nobis, at ſaltem aquilę, aut lynci, aut homini, aut animali, viſus acumine pręſtanti, conſpicuas, alia verò ſimpliciſſima ſuapte natura, quę in alia non ampliùs diſſolui poſſunt, ſed in ſe ipſa. e. g. aqua ſimpliciſſima quoad ſenſum dicitur ea, quæ partes terreas, quas habere ſupponimus, adeò in exigua corpuſcula redactas habet, vt ne à lynce quidem conſpici poſſint: aqua verò ſimpliciſſima ſecundùm naturam dicitur eſſe, quia ratione ſuę formę, ſeu naturę non exigit miſtionem. Itaq; corpora quatuor, quæ ſimplicia appellantur, ſunt quidem ſimplicia quoad naturam: quippe natura. v.g. aquæ non expoſtulat miſtionem, ſed ea, quam habet, extrinſecùs aduenit.

Ariſ. 31. ſect. prob. 30.

G. 1. elem. c. 1.

3 Quæritur ergo, an ſimplicitas hæc ſecundùm naturam, ſicut his corporibus conuenit, poſſit etiam dari actu, adeò vt detur corpus omnis prorſus miſtionis expers, non ſolùm quoad ſenſum, ſed ex parte rei exiſtentis. Porrò ſpectato ordine Vniuerſi, non videtur poſſibile, hanc puritatem, ſimplicitatemuè actu dari: quapropter quandò Galenus ait, elementum exquiſitum mente ſola excogitari poſſe, exquiſitum à parte rei actu intelligit, non tamen ſecundùm conuenientiam: nam aliàs cur ſimpliciſsima appellat, quæ in alia diſſolui nequeunt? hęc quidem ſunt ſimplicia ſuapte natura, quę actu non dantur, ſed potentia. In alijs verò locis omnibus, in quibus puritatem elementorum negat, non hanc, ſed actualem negaſſe cenſendus eſt. Quando etiam Hippocrates ait, corpora hęc inter ſe mutuò nutriri, conſiderat ea ſpectato ordine Vniuerſi: quę conſideratio viro medico conueniens eſt: philoſophus conſiderat rerum naturas ſecundùm id, quòd eis conuenit: propterea veteres philoſophi ſimplicitatem elementorum ſunt contemplati, atq; ita ſatisfieri poteſt priori argumento ex ijs, quę ſimplicitatem perſuadere videbantur. Ad alterum dicemus, non pati violentiam elementa, licèt exteriùs aduenientem impuritatem ſecum habeant: tum quia non dicitur violentum id, quod res à ſua origine, vt inſeruiat gubernationi Vniuerſi, in ſe habet, tum etiam, quoniam corpus ſimplex, licèt ratione ſuę formę non expoſtulet miſtionem, non tamen ea exteriùs aduenientem reſpuit. Sed inſtabit aliquis dicens, maximam pati violentiam, ſi quidem elementa, quæ ſuapte natura incorruptibilia forent, ratione tamen huius extrinſecæ miſtionis, corruptibilia

Reſponſio ad primum.

Reſponſio ad ſecundum.

Ad inſtãtiam.

redduntur. Ad hoc respondeo, corruptibilitatem esse potentiam passiuam, cui responde e debet alia actiua: cum autem nulla detur potentia actiua, quę corrumpere possit vniuersam cuiuslibet elementi molem, non datur similiter potentia passiua, nempe corruptibilitas, ac proinde incorruptibilia quidē sunt secundum se tota; Non posse autem corrumpi vnum elementum secundum se totum, ostenditur, quia eius vastitas impedimento est: siquidem corruptio cum debeat fieri per partes, qualibet parte abeunte in corruptionem, adsunt complures aliæ, quæ huic damno mederi queant. Partes verò elementorum aliquando putrescere, vt aquam, aut aerem, non dicuntur, quia re vera non putrescunt propria putredine, sed aliena; quippe substantia, quę huiusmodi corporibus elementarijs est admista, corrumpitur putredine, & sic elementum putrescere dicitur. Quando verò Aristoteles ait, omnia putrescunt præter ignem, si quis contendat, dari sphæram ignis, hunc ignem ego admitterem, posse ab omni actuali mistione alienum existere, & propterea hoc priuilegium ei fuisse concessum, vt quemadmodùm mistionem nullam suscipit, sic ne ratione corporis sibi adhærentis putrescere dicatur. Verùm fabulosam esse hanc sphæram ignis, in libro de meteoris microcosmi demonstraui: in qua etiam sententia fuit, pręter alios, Cardanus, quem Iacobus Segarra immeritò à Ioanne Argenterio, & Iulio Cęsare Scaligero taxatū fuisse, perhibet. Ad tertium dicimus, si cogamus corpori misto dare in rerum natura contrarium, nempe corpus simplex, dabimus saltē sphæras cœlestes, quarū corpora simplicissima quidē sunt; Vel dicendum, satis esse, vt vni contrario existenti correspondeat aliud, quod, licèt propter impedimenta non existat actu, existit tamen in potentia: Sed dicet aliquis, frustra dari potentiam, quę non reducitur ad actum; Respondeo, reducendum fore, post vniuersalem purgationem, (de qua superiùs diffusè diximus) tunc enim elementa remanebunt in sua propria synceritate, non ampliùs exigente Vniuersi ordine hanc elementorum inter se ipsa permistionem, confusionemq;. Ad quartum. Non datur progressus in infinitum, nam elementa hæc, tunc cum fuerunt creata, existebant in ea synceritate, quæ eis secundùm naturam debetur, posteà verò, ex mutua cooperatione, vnumquodq; eorum à sua puritate naturali desciuit, & impuritatem, Vniuersi gubernationi congruam, accepit. Exemplum habemus in aqua maris, quæ creata simplex, & sinè externę substantię permistione, posteà permistis exhalationibus, simplicitatem amisit, acquisiuitq; permistionem, cuius index est salsedo & tum nauigationibus, tum piscium nutritioni facta fuit vtilior, quàm anteà. Ad quintum dicimus, dari repugnantiam in eo, quòd elementa prorsus simplicia existant, repugnantiam inquam, non ex parte cuiusuis elementi secundùm particularem eius naturam, sed spectatis simul omnibus quatuor constituentibus machinam Vniuersi: nam sic repugnat, plura agentia naturalia existere, inter se debitè approximata, & tamen non agere: quod si necessariò agunt, necessariò permiscentur: quippe agens naturale, non aliter agit, quàm conuertendo patiens in se ipsum, atq; in hac conuersione mistio necessariò datur.

Ar. 4 meteor. c. 2. & lib. de long. & breui. vitæ c. 3.

Segarr. in lib. 1. de nat. hum. com. cit.

Responsio ad tertium.

Ad instantiam

Responsio ad quartum.

Responsio ad quintum.

Responsio ad rationē ex Galeno susceptā.

3 Ad alterius partis fundamenta, quę tum ex Hippocratis, & Galeni, tum etiam Platonis, & Aristotelis autoritatibus fabricata sunt, satis respondisse videmur. Superest tamen, vt rationi, qua Galenus probat, impossibilem esse elementorum simplicitatem, respondeamus. Eius verba sic habent: *Porrò si aquam cogites exactè frigidam, & humidam esse, iam non permanebit vlteriùs aqua: quippe quæ mox concrescet, subsistetq;, nec ampliùs fluet. Terram quoq; pari pacto, si omnino siccam, & frigidam esse fingas, erit huiuscemodi corpus adamante durius. Quæ si præterea huiusmodi fiat, stirpium genitura desinet, qua desinente, animalibus alimenta deerunt: quod si fiat, nempe animalia interibunt: sed si per excellentiam intelligatur siccum, & frigidum elementum, terra, quæ vniuersitate continetur, corpus frigidum, & siccum dicitur, aqua humidum; Ignis quoq; aereæ cuiuspiam substantiæ particeps est, nec minùs etiam fumosæ, imò & humore, vt alatur, planè indiget, quod lucernæ flammæ ostendunt.* Sic Galenus. Cœterùm cum antea Hippocrati consentiens dixerit, *Corpora, quæ in ipso* (scilicet mundo) *elementaria sunt, ex se mutuò nutriri*, cum etiam hic repetat hæc verba, *Terra, quæ vniuersitate continetur*, clarè insinuat, se loqui de elementis, prout existunt in Vniuerso, atq; his, vt sic, impuritatem necessariam esse, fatemur. Objiciet tamen aliquis, si aqua in suo naturali

rali statu posita concresceret, & terra adamante esset durior, iam fateri tenemur, elementa per istam acquisitam mistionem speciem mutasse, ac proinde frustra à nobis esse dictum, hęc elementa non pati violentiam: quippe violentia est maxima, quę speciem rei mutare cogit. Respondeo elementa (vt dictum est) non posse in sua naturali dispositione existere, nisi mutato ordine Vniuersi, & tunc neq; necesse erit, vt aqua irriget terram, neq; vt terra aratro scindi se patiatur, vt producat plantas, ac nutriat animalia. Remanebũt ergo aquæ minùs fluidæ, quàm nunc sunt, & terra magis dura: magis autem, & minus (ex communi philosophorum axiomate) non variat speciem; Concretionem verò illam aquæ, velut gelu, & adamantinam terræ duritiem non admitto, nisi quasi quandam hyperbolem: Etenim aqua ex sua natura habet, quòd sit fluida, & terra, quòd sit friabilis: neq; habent has conditiones ex permistione elementorum sola, sed magna ex parte beneficio suæ naturę, quam in creatione mundi acceperunt, cum sit rationi consentaneum, rebus omnibus fuisse concessas naturas suis vsibus respondentes. Ad instantiam

4 Nec verò obstat (& sic omnibus, quæ in contrarium adducta sunt, erit satisfactum) quòd elementa, cum qualitates primas in summo habeant, necessarium erit, vt habeant etiam qualitates secundas in summo, vnde summa frigiditas summam efficiet concretionem, summa siccitas summam duritiẽ: non, inquã, obstat: nam qualitates, quę elementis conueniunt in summo gradu, non sunt in gradu illo summo, vltra quem non posset à Deo alius gradus intentior produci, sed summum appellamus, quo in rebus creatis non datur maior. v. g. frigiditas aquę tanta est, vt superet omnem alterius rei frigiditatẽ: hęc autem frigiditas, sicut conuenit naturæ aquæ, ita non potest aquæ conditiones, inter quas est fluxibilitas, destruere. Patet autem, summum rerum opificem qualitates summas in eo gradu creasse, qui competit naturæ elemẽti, cuius sunt qualitates, vt aquæ dedit frigiditatem vt octo, quamuis posset intensiorem dare; sed octo gradus sunt illi, cum quibus naturę aquę conseruatur. Argumentum ad hoc probandum sumi debet ex qualitatibus, quas eadem elementa citra summum habent. e. g. aqua habet frigiditatẽ vt octo, qui est summus gradus, habet humiditatem vt sex, qui est gradus citra summum: cur non habet humiditatem vt octo? num quia impeditur à qualitate contraria, nempe à siccitate, introducente ibi duos gradus? Minimè: nam tunc (vt è contrario argumentum supponebat) elementum quoduis tres haberet qualitates, duas naturales, & vnam extraneam, & sic esset suapte natura compositum, non simplex. Habet ergo sex tantùm gradus siccitatis, quia hos, non plures accepisse in sua prima creatione oportuit: quãuis enim in rebus iam creatis qualitas vna remitti nequeat, nisi actione, & introductione contrarię qualitatis, nihilominùs in prima creatione potuerũt accipere qualitates in eo gradu, qui conueniens est propriè naturę: fuit autem conueniens, vt vna qualitas esset in summo, altera propè summum; Sic enim cum Aristotele sentiendum esse, arbitror, quamuis in hac parte Galenum, vtramq; qualitatem summam in vno quoq; elemento tribuentem, deseram: quippe socios habeo medicos præstantissimos, inter quos sunt doctissimus Fernelius, Thoma de Garbo, & Conciliator: habeo & philosophos peripateticos quamplurimos: quare in hoc non laborabo; Vnum duntaxat proferam: eos, qui duas qualitates in summo gradu admittunt, id facere, quia timent, ne cogantur tres vnicuiq; elemento concedere qualitates: quem timorem iam eis abstuli; Et ex altera parte possent considerare, vnam naturam, quæ est forma elementi, duabus naturis specie differentibus non copulari æquè primò, sed altera primò, altera secundò: quippe in vnoquoq; genere non potest esse, nisi vnum maximè tale: at verò maximè tale, & primò tale sunt idem: vnde Aristoteles, *Vnumquodq; verò ipsum maximè aliorum est, secundùm quòd alijs vniuocatio inest, vt puta ignis calidissimus: etenim cæteris hic est caliditatis causa.*

Ar. 2. de gen. & cor. c 3 ex Arist. collig. 2 metaph. c 2. G. 1. de elem. c. 6. Fern. 2 path. c. 4. Th de Garbo in sũma tract. 1. q 2. & concil. differ. 12. Ar. 2. metaph. cit.

5 Sed redeo ad qualitates remissas, quas in elementis, absq; contrariarum qualitatum admistione, existere dixi: quod cum ex diuino decreto factum fuisse, dicebam, physicas causas videbar obliuisci: sed non ita est; Supernaturalem causam expressi, supposui naturalem. Non ne dixi superiùs, formã substantialem elementi esse formam simplicem? At forma simplex non est principium contrariorum: esset autem contrariarum qualitatum principiũ,

 sin

si in elemento contrariæ qualitates simul, vel in gradibus remissis, naturaliter continerentur. Non potest ergo in eodem elemento esse frigiditas v. g. citra summum, & simul caliditas, quæ impleat totam octo graduum dimensionem. Deinde in libro de ortu, & interitu ait Aristoteles, *Quæcumq; enim habent cognationem ad inuicem* (loquitur de elementis) *velox horum transmutatio est: quæcumq; autem non habent, tarda: quia facilius est vnum, quàm multa transmutare;* Ex quibus verbis colligere possumus, elementorum alia habere cognationem adinuicem, alia non habere. Verùm si daretur illa tertia qualitas ad supplementum latitudinis qualitatis remissæ, omnia elementa haberent cognationem adinuicem: quare frustra Philosophus diceret, vt ex igne aer, altero transmutato: illud enim erat calidum, & siccum, hoc calidum, & humidum: frustra, inquam, has combinationes quæreret: siquidem elementa tres qualitates haberent, ac proinde vnumquodq; eorum cum omnibus alijs tribus conueniret. Nec valet, si dicat aliquis, qualitatem illam, quæ est ad supplementum latitudinis, esse parùm intensam: nam esse quidem parùm intensam impediet, quominùs elementum ab ea denominetur tale: at semper secundùm illos gradus, quos habet, faciliorem efficiet transitum, quàm si non haberet.

Ar. 2. de ortu, & interitu c. 4 tex. 25.

6 Non verò obest prædictę doctrinę Galenus inquiens, *Contrariorum mistura summitates ipsas frangunt:* sic enim velle videtur, qualitates infringi à contrarijs. Hoc quidem illi concedimus in medicamentis, de quibus ibi, & in omnibus alijs mistis, quibus, si volumus excedentem aliquam qualitatem infringere, contrariam adhibemus. Verùm in elementis aliter se res habet; Cur verò ita sit, varij varia dicunt, mihi videtur dicendum, elementum, ob rationes iam superiùs dictas, cum non possit habere duas qualitates summas, illa, quam habet remissam, habet secum negationem vlterioris intensionis: negationem dico, quoniam cum naturæ elementi non conueniat vlterior intensio, non est illud elementum subiectum aptum habere talem intensionem; At corpus mistum potest habere qualitatem quomodolibet intensam, ac proinde si ei desit vlterior intensio, dicetur habere non negationem illius absolutè, sed priuationem, quæ est negatio in subiecto apto. Itaq; negatio rei non aduenit ex causa aliqua positiua: neq; enim saxo, vt sit non homo, accidit ex vi alicuius agentis: priuatio verò potest accidere ob aliquod impediens, quod quidem sit contrarium naturę rei, quę priuatur, vt si accidat cęcitas ex obstructione optici: potest & ob causæ absentiam, vt si absit corpus luminosum, fient tenebræ; porrò priore modo fiet priuatio ob actionem contrarij: posteriore autem ob actionem, quæ causæ contrariatur, vt est motus, qui Solem à nostro emisphęrio abire cogit.

G. 3. simp. c. 15

7 Non obest etiam ratio nonnullorum dicentium, si daretur qualitas remissa absq; adiuncto contrario, posse fieri alterationem in instante: siquidem successio motus prouenit è contrario. Respondet namq; huic obiectioni Toletus, quem sequuntur plurimi; Licèt qualitas remissa careat contrario admisto, intensionem vlterioris gradus non fieri in instante: quoniam in latitudine intensiua est resistentia extrinseca, quæ sumitur ex inferioribus gradibus: quippe quilibet gradus, v. g. caloris ex sua intrinseca ratione frigori resistit. Obijcitur tamen in oppositum, ex hac solutione sequi, productionem luminis esse successiuam, quia lumen suam habet intensionem; Et propter hanc obiectionem coguntur dicere, lumen produci quidem in tempore: cœterùm quoniam tempus, in quo producitur, est breuissimum, dicitur produci in instante. At hæc responsio in doctrina Aristotelis est falsa: nam apud eum hęc sunt verba: *Luminis quidem alia est ratio, per id enim, quod est esse aliquid, lumen est, sed non motus aliquis;* Et probatur ratione: nam lux, cum sit qualitas immaterialis, non ita diffunditur, vt eius vna pars in aliam transeat, sicut accidit rei locum mutanti, quæ vna, atq; eadem singulas partes spatij decurrit, eisq; secundùm se respondet: quare quòd luminis traiectio fiat in instante, nō accidit solùm ex eo, quòd contrarium non habet: ac proinde dicendum est, non rectè argumentum duci ab illuminatione ad alterationes, quæ fiunt qualitatibus materialibus. Quamuis autem lumen suam habeat intensionē, habet quidem eam ex parte illuminantis, magis, aut minùs approximati, aut ex parte medij, magis, aut minùs diaphani, non ex propria natura, quemadmodum

Ar. de sen. & sensil. c. 7. iuxta fin.

modùm habent qualitates materiales. Patet hoc, quia si recedat corpus illuminans, recedit simul totum omnino lumen: signum manifestum, quo ostenditur, intensionem illam, quam habebat, non inesse ei ex parte naturæ suę, sed ex parte illuminantis. At verò qualitates materiales, recedat licèt causa, quę eas imprimit, adhuc intensę manent in subiecto, non intensione causæ (hęc enim iam abijt) sed propria, & sibi connaturali.

8 Non vlteriùs obest, quod afferri solet, videlicet si non daretur qualitas, quę suppleat totum complementum, cum ignis mutatur in aerem, duo inconuenientia accidere; Primum, remanebit aer cum toto calore ignis, cum non sit frigus aliquod, à quo corrumpatur: alterum, idem aer, qui genitus est, non habebit summam humiditatem: quippe aer, qui ignem corrumpit, licèt habeat octo gradus humiditatis, corrumpet tamen sex gradus siccitatis, quos duntaxat habebit ignis, & tunc ignis non ampliùs manebit: siquidem non potest manere sinè vllo gradu: erit igitur aer, genitus ex igne, humidus in sexto gradu, cum tamen secundùm suam naturam deberet habere octo gradus humiditatis sibi debitos. Respondendum reor ad primum inconueniens, in opinione eorum, qui tenent, dari resolutionem vsq; ad materiam primam, aboleri calorem vt octo ad corruptionem ignis, & introduci cum forma aeris aduenientе calorem vt sex. In opinione verò aliorum, qui dicunt, remanere accidentia, dicemus, aduentante forma aeris extingui duos gradus caloris, quia sunt incompossibiles cum tali forma: quòd si hęc extinctio non fiat in instante, satis est, quòd fiat in breuissimo tempore. Ad aliud inconueniens respondendum est sic: post extinctos sex gradus siccitatis, quoniam ad corruptionem ignis generatur aer, ex vi formæ aeris resultant ingenito ex illis sex gradibus humiditatis duo alij, quos talis forma aduenient necessariò habere debet.

9 Non obest præterea, quod experimentum docet, nempe aerem magis calidum remitti à minùs calido, & hoc fieri non posse, nisi ibi adsint aliquot frigoris gradus; Ad quod respondemus in statu naturali non dari vnam partem aeris magis, aut minùs calidam, tametsi in statu pręter naturam possit contingere. Concludo tandem, hoc pronunciato, nulla ratio philosophica nos cogit, dicere, necessarium esse, vt vniuersa qualitatum latitudo impleatur.

In quo sensu dici possit, aquam nutrire, in quo non possit.

Articulus Secundus.

1 QVoniam aqua non vna simplici consideratione absoluitur, sed modò nunc pro simplici, & synceroelemento, nunc pro impuro corpore, nunc per se ipsam, nunc cum alijs corporibus mistam, nunc in mistione artefacta, nunc in mistione naturali, non possumus vna simplici responsione totam difficultatem exhaurire, sed pluribus adhibitis distinctè procedere.

Prima Conclusio.

1 A*Qua pura, secundùm sensum duntaxat, non nutrit, inseruit tamen nutritioni.* Hęc conclusio continet duas partes, quarum prima est, *non nutrit:* altera verò, *inseruit tamen nutritioni.* Quod attinet ad priorem, probatur: tum quia in prima huius operis quęstione satis demonstrauimus, nihil esse posse alimentum, quòd priùs vitam non habuerit: aqua autem non est huiusmodi, neq; quoduis aliud elementum, siue purum sit ea puritate, quam ratione formæ expostulat, siue ea synceritate, quam, cum Galeno, quoad sensum appellamus: tum etiam, quia vt nutriat, coctione opus habet: coctio autem est passio misti, quandoquidem quę coquuntur separationem partium eterogenearum

genarum patiuntur, vnde ad coctionem sequitur excrementorum expulsio. Tertiò generatio, & nutritio, quamuis ratione subiecti differant (est enim generatio in subiecto nōdum constante, nutritio in subiecto iam constante) nihilominus re conueniunt, siquidem vtriusq; actionis munus est conuertere substantiam alienam in substantiam propriam, quod in prima sectione satis probauimus. Cum ergo ex alimento cuilibet substantię approximato fiat mistio, non potest ex eodem simul fieri generatio, & subinde neq; aggeneratio, seu nutritio.

2 Hic obiter annotare libet, Satyrum hanc ineptitudinem aquę ad alendum rationibus ſępius repetitis adeò molestè pertractasse, vt viginti capitibus vix expleuerit ea, quæ paucissimis verbis absolui possunt; Exemplum afferam in prędicta ratione, quòd scilicet aqua coctionem non admittat; Hoc argumentum, quod apud plurimos reperijt, pluries plusquam septies repetijt, sicut etiam aliud, quod scilicet aqua cum sit elementum, non potest esse alimentum: & pleraq; alia satis vulgaria, ab eo tamen tamquàm inuentore confusè prolata, adeò vt se vltro lectoribus nauseam concitare velle videatur. De his qui fin. cibo a cap. 57 ad cap. 76. inclusiue

3 Accedo ad alteram conclusionis partem. Quatuor pręcipuas vtilitates aquam nutritioni conferre, norunt omnes pręter Satyrum, qui cum dicat aquę nullum esse alium vsum in animalibus, quàm deducere alimentum per venas ad instar vehiculi, hoc se à Galeno accepisse ait, Galenum verò ab Hippocrate; Celebre mendacium: nam Galenus in libro de vsu partium ita ait: *Vocat autem Hippocrates ipsam aquam,* ὄχημα τροφῆς, *hoc est vehiculum alimenti, simul cum appellatione vsum quoq; eius ostendens:* & de victu acutorum sic: *Nam humiditatem non modò Hippocrates, verùm quoq; & medicorum probatissimi ferè omnes, cibi vehiculum, non cibum censuerunt.* Alludit ad sententiam Hippocratis, qua clauditur pręsens opus de alimento per hęc verba: *Humiditas alimenti vehiculum est.* Ex his ne colligis, quod tu ais, aquæ nullum alium esse vsum in animalibus, nisi deducere alimentum per venas ad instar vehiculi? Eodem modo posses colligere ex eo, quòd mendacium est, sententias autorum mendaciter referre, nihil aliud esse mendacium pręter hoc. At sunt plura alia, in quibus te comprehendo, vt in toto huius operis decursu reperiet, quicumq; velit inquirere. Mendacium. G. de vsu par. lib. 4 c. 5. & 3. de vict. acut. com. 17. De his qui fin. alim l. 2. c. 58.

4 Sunt igitur plures vsus, quos circa nutritionem nobis pręstat aqua. Primus est, quoniam cum concoctio, quę fit in ventriculo, (Aristotele, & Galeno autoribus) elixatio sit, non potest absq; humido aqueo fieri, aliàs alimentorum combustio fieret, non coctio; Quare ex cibis, non posset nutriens elici substantia, hæc enim per humidum elicitur, non aliter quàm si ex amigdalis, & alijs seminibus oleum extrahant seplasiarij; Solent enim ad extrahenda huiusmodi olea prædictis seminibus sacculos impleere, eosq; aqua calente perfundere, posteà in torculari premere. Sic in ventriculo, vt ex cibis substantia nutriens extrahatur, cibos in eodem ventriculo perfundimus calente humiditate, hoc est, quæ ibi incalescit. Caue tamen, ne dicas, me hoc à tuis scriptis accepisse, qui ais, *Tertiò quia ex eodem Aristotele, homini plurimus vsus est humidi: nimirum ad meliùs subigendum, miscendumq; cibum in stomacho, ad coctionem cibi, quæ elixatio est in humido, ad extrahendum alimentarem succum è substantia cibi solidioris: quod enim artifices plurimi, potissimum autem chymici faciunt extracturi liquores, & essentias de substantia duriore, vt ex oleis, amigdalis, rheubarbaro, & id genus, primùm infundētes, ac macerantes materiam in aqua opportuna, deinde vi caloris vinculo aquæ alligatum succum extrahunt.* Sic tu, qui vlteriùs in hac comparatione progrederis, quam paucis poteras expedire. Sed heus tu memineris, pridem à te esse dictum, nullum alium esse vsum humidi in animalibus, nisi alimentum deducere; cur nunc alium nobis vsum præbes? dormitabas ne, quando isthęc scripsisti? Deinde hoc, quod à Thoma Roderico à Veiga surripuisti, non poteris dicere, à me tibi surreptum esse: magis ego tibi exprobabo, quod autori celeberrimo furtum feceris: siquidem eius plumis ornatus moues cornicula risum. Tandem coctionem, que in ventriculo fit, ab Aristotele, & Galeno didicisti, imò à multis, qui hoc ipsum ab his didicerunt; Non dum tamen didicisti à quonam omnes hoc acceperunt; Scito apud Hippocratem, hæc verba scripta esse: *Nempe ventriculus prater consuetudinem grauatur, supersic-* De his qui fin. alim. l. 2. c. 100 Cōtradictio. Tho. a Veig. in artem medicinalem c. 61. Ar. 4. meteor. G. 2. de victu acut. c. 21. Hip. ibidem.

cescere

cescere consuetus, non bis tumescere, neq; bis cibis coquere. Attamen vbi interpretes scribunt *coquere*, transferre deberent elixare: est enim in originali verbum ἑψεῖ, quod elixare significat, iccirco Galenus in commento sic ait: *Cœterùm quod circa dictionis finem ἕψει, idest coctionem, ἑψήσει elixationi similem esse oporteat, manifestè ostendit, tamquam à calido fiat, non sicco, squalentiq; cuiusmodi est febrilis, sed humido vaporoso, cuiusmodi est, qui in animalibus secundùm naturam existit*.

5 Secundus vsus est, esse vehiculum alimenti, hunc vsum omnes norunt, de quo iam supra aliquid diximus: sed nunquid, quia aqua est vehiculum, non potest simul esse nutrimentum? hoc tu affirmas, inquiens, *Aquam esse vehiculum alimenti, & propterea non alimentum*; Expungito, quæso, illud *propterea*: nam etsi aquam non sit alimentum, non ex eo non est alimentum, quòd sit vehiculum: quid enim prohiberet, esse vehiculum alimenti, & alios alere posse, nisi aliunde haberet, quod non posset alere? Non ne potest substantia alimentosa, & simul liquida, quatenus alimentosa alere, quatenus liquida deducere quoduis alimentum? Vinum ne oblitus es? Vinum, si nescis, nutrit, & tamen vehiculum alimenti est: quid ni? num quia coctione crassescit? at multas habet partes, quæ remanent liquidæ, tenues, serosę; Num quia crassius est, quàm aqua? at nihilominùs potentius vehiculum est, quàm aqua: nam tametsi aqua sit tenuior illo secundùm omnes simul partes, illud tenuius est illa, secundùm aliquas: quippe aliquas habet igneas, tenues, quibus aqua caret: vnde in ęstate ad refrigerandum assumitur largus aquæ cyathus pauco vino generoso admisto, quo tamquàm vehiculo aqua citiùs penetrat. Nec verò contra hanc doctrinam facit Aristoteles, qui ad quęsitum, *Cur magis crapulam sentiunt, qui dilutiusculum bibunt, quàm qui merum ex toto*, respondet sic: *Vtrum suæ tenuitatis causa vinum temperatum expeditiùs loca plura, angustioraq; subeat, intemperatum autem minùs facere id possit?* Quæ verba indicant, vinum merum minùs penetrare, quàm temperatum, ac proinde aquam maiore penetrandi vi, quàm vinum præditam esse. Verùm hoc problema, nisi explicetur, falsum omnino esse neoterici omnes exclamabunt, vt sapienter animaduertit doctissimus Septalius: certum enim est apud nos magis vinum meracũ ebrietatem producere, quàm dilutum. Recurrit ille in explicatione huius problematis ad veterum consuetudinem, qui (teste Liuio) vina aut sole, aut igne, & fumo adeò crassa reddebant, vt ne potari quidem per se ipsa possent, nisi aqua peruincerentur, atq; attenuarentur. Cœterùm ex eodem Septalio elicere possumus, & aquam sine mistone vini, & vinum sinè mistione aquę minùs penetrare, quam vtrumq; mistum; Nam aqua sua frigiditate, crassarũq; nonnullarum partium societate attenuatione eget, grauitatemq; habet, ob quam moratur in hypochondrijs, vt est doctrina Hippocratis. Hæc vitia corrigunt igneę vini partes: quapropter (vt diximus) aqua permistione vini faciliùs penetrat. Ex altera parte vinum terreas partes possidet, quæ crassæ cũ sint, tenui indigent aliqua substantia, quę eis pro vehiculo esse possit. Hinc est, quòd vinum lymphatum tenuius redditur, & penetrat faciliùs. Hęc omnia non impediunt vinum quoq; & poculenta alia, tametsi alant, posse simul sua fluxibilitate vehiculi officio fungi, quod intendebamus. Quando autẽ Galenus ait, *Humiditatem non modò Hippocrates, verùm quoq; & medicorum probatissimi ferè omnes cibi vehiculum, non cibum censuerunt*, non negat posse aliquid esse simul vehiculum, & cibum: sed humiditatis nomine aquam significans ait, eam nõ cibi, sed vehiculi officio fungi, quod nos vltra concedimus.

[Margin: vbi supra c. 72.]

[Margin: Ar. sect. 3. problem. 3.]

[Margin: Septalius.]

[Margin: Hipp. de victu acut.]

[Margin: G. 3. victu acut. com. 17.]

6 Sed tu ais, vehiculum debere esse tenuissimum, & nullius saporis: tenuissimum, vt penetret, nullius saporis, vt valeat ęquè trahi tamquàm ductor alimenti ab omnibus partibus. In vtroq; tamen requisito miserè laberis. Quod attinet ad tenuitatem, sufficit, quòd vehiculum sit liquidum, ac tenue, ea tenuitate, quę conferat, non verò tenuissimum: quippe tenuitas summa nocet, vel enim id, quod tenuissimum est, à calore in itinere euanescet, vel saltem superflua tenuitate citiùs alimentum deducet, quàm oportet: sic ex aqua tenuissima multę accidunt noxę: tenuissima enim frigidissima simul sit, oportet: quare ex ea conuulsiones, tremores, dysenteriæ fieri solent. Memento tamen, me non frigidam, & tenuem aquam damnare, sed frigidissimam, & tenuissimam, quod ab Hippocrate didici: siquidem, *Aquæ pluuiales*, inquit, *leuissimæ, & dulcissimæ, & tenuissimæ, ac splendidissimæ sunt*. Et tamen

men eædem, autore eodem, citisimè putrescunt.

7 Quod verò addis, vehiculum nullius saporis debere esse, vt valeat, æquè trahi tamquàm ductor alimenti ab omnibus partibus, dogma agnosco, tuum est, nempe ab omni ratione alienum: nam in primis, si insipidum æquè trahitur ab omnibus partibus, id, quod saporem habet, ab his, aut ab illis trahetur partibus inæqualiter, pro diuersitate saporis: atq; ita habebimus sensum gustus dispersum per vniuersum corpus, quemadmodùm sensum tactus: ignorabant hoc hactenus omnes, qui gustui, veluti odoratui, visui, auditui, suum peculiare assignabant organum. Abeant igitur cum suis falsis dogmatibus Aristoteles, & Galenus, qui instrumentum gustus linguam esse dixerunt, vel aliquid linguæ proportione respondens in animalibus, quæ lingua carent: præualeat tuum dogma verissimum, ac deinceps, te autore, in calcaneis dulcedinem mellis inquiramus. Deinde si insipidum æquè trahitur ab omnibus partibus, dulce trahetur duntaxat ab aliquibus, ac proinde non omnes partes alentur dulci, & sic iterum missos faciemus Aristotelem, & Galenum, qui id, quod nutrit, eatenus nutrire aiunt, quatenus dulce est. Vlterius si vehiculum, quia insipidum est, æquè trahitur ab omnibus partibus, idem accidet cibo insipido, eritq; longè meliùs attractus à membris, quàm cibus sapore iucundo pollens: quare quicumq; crassum habitum acquirere velit, insipidis vescatur. Tandem tuarum positionum ignarus incidis in contradictionem. Ain, vehiculum insipidum æquè trahi ab omnibus partibus? maximè: ergo quicquid saporem habet, trahetur inæqualiter iuxtà familiaritatẽ vniuscuiusq; saporis, cum vno quoq; membro. Si ergo sapor facit, vt trahatur ab hoc, vel ab illo membro, id, quod insipidum est, cum nullo membro habet familiaritatem saporis, & subinde à nullo membro attrahetur: quare in ista tua celebri doctrina insipidum, & ab omnibus æquè partibus attrahetur, vt tu dicis, & à nulla parte attrahetur, vt necessariò ex tuis dictis infertur. Ito nunc, & è somno experrectus hanc solue contradictionem.

Ar. 2. de hist. c. 11. lib. 2. de part ani. c. 17. & li. 4. eiusdé c. 11. 2. de ani. tex. 103. 9. Ar. 4. de gen. anim. c. 8. G. 4. simpl. c. 15. & c. 16.

8 Tertius vsus est, actionem calidi in humidum, quod officium aquæ tribuit Galenus inquiens, eos, qui aquam bibunt, magis durare, quàm alij, qui nihil assumunt: non quòd aqua nutriendi vim habeat, sed quia aquæ potu corporis ventriculi ariditas irrigatur. Ex hac doctrina elicimus, aquam tunicas ventriculi irrigando, efficere, vt velox calidi in humidum nutrimentale actio retardetur, & dum tenuis aquæ humiditas à calore consumitur, alia nutrimentalis, quæ crassior est, permanet aliquantulum, non aliter ac si in lucerna sal, vel aqua sub oleo collocetur, magis flamma durat, quàm si oleum dũtaxat affunderetur: igne scilicet humiditatem salis, aut aquæ absumente, & interim ab olei consumptione desistente. Hoc consilio natura multam aquæ copiam intra pericardion inclusit, vt vehementissimo cordis calori se ipsam opponens, natiuam illius nobilissimi visceris humiditatem tueatur, eamq; incolumem diu seruari sinat. Hac etiam ratione aquæ potatores pingues, longæuosq; esse, vt in me agnoscere potes, experimento constat. Exemplũ ab aqua, aut sale in lucerna sub oleo collocatis affert etiam Thomas à Veyga præceptor, quod tu ab illo surripuisti, & inuidè autorem dissimulasti. Sed siste quæso parumper. Non ne hic concedis, hoc exemplo lucernæ, aquam vim caloris hebetare, ac proinde fieri, vt vita diutiùs duret, faterisq; cum Aristotele, bibentes aquam diutiùs in vita perdurare, quàm nihil assumentes, & totus es in eo capite in persuadendo, aquæ potu actionem calidi in humidum retardari atq; propterea citiùs homines ex siti, quàm ex fame interire? cur ergo nuper in eodem libro negasti, calorem extingui ob humoris consumptionem? non ne extincto calore sequitur mors? profectò (siue in sensu causali, seu quomodocumq; velis) mors, apud Aristotelem est extinctio caloris; Si ergo ex actione calidi in humidum mors sequitur, eodem iure ex actione calidi in humidum sequitur extinctio caloris. Aut ergo falsum est, quod ais, impedita actione caloris in humidum, & subinde impedita humidi consumptione vitam prolongari: vel falsa, & contradictoriè negas, calorem extingui ob humoris consumptionem: nam si calor non extinguitur consumptione humoris, cur ad conseruandam permanentiam caloris in humido, hoc est, vitam, impedimus actionem caloris in humidum? Scio, quid respondeas: nempe mortem nõ aduenire ex defectu caloris: neq; enim calor extinguitur, sed

G. 3. acut. cõ. 19.

De his qui fin. ali. lib. 2. c. 75

ibid. c. 65.

sed consumpto humido euolat sursum: quippe ab humido, veluti vinculis continebatur: hoc supra satis est impugnatum, addam tamen vnum; Si ais, euolare calorem consumpto humido, & calorem accipis pro substantia, scito, calidi innati substantiam esse mixtã, & constare ex partibus terreis, aqueis, & aereis, igneisq;, quapropter ex vi suorum elementorum non prorsus euolabit; Si calorem accipis pro qualitate, & euolare inquis, dabis nobis qualitatem volantem, seu mauis accidens, quod transeat de subiecto in subiectum. Peripatoum te esse iactaris: pudeat ita sentire.

9 Quartus vsus est, famem concitare; Accipitur hic vsus ab Hippocrate dicente, *Aqua edax, vigilia edax*. Incidisti in hęc Hippocratis verba, & dixisti, aquam voracem appellari ab effectu, quem parit: illi enim, qui eius vnius potione vtuntur, voraces esse solent: rationem scilicet accipis ab experimento; Cur autem ita fiat, tu, qui philosophus es, non inquiris, solo rei euentu contentus. Poteras saltem lectorem remittere ad Galenum, qui in huius sententiæ commento causam reddit, cur aqua edax ab Hippocrate dicatur: eius verba sunt hęc: *Quæq; ventriculi tunicarum sanguinem in arctum constringentia appetentias augere, ac procreare: contra verò calefacientia, fundentiaq; sanguinem, deijcere, finireq; appetentias.* Addit aliam rationem Vallesius: *Ex aqua nihil vnquam alimenti accedere corpori, ex vino verò citissimè non omnino exiguum. Meritò ergo, qui vino vtitur, accipit aliorum ciborum minùs, quàm qui aqua.* Addo tertiam rationem, quia satietas euenit ex eo, quòd ventriculus multo cibo repletus grauatur, sentit verò grauamen eò ampliùs, quò magis exquisito sensu est preditus: cũ ergo aqua sua frigiditate hebetet ventriculi sensus, fit, vt qui aquam potat, tardiùs saturum se esse sentiat, quàm qui vinum. Sic expediui quatuor pręcipuas vtilitates, quas aqua nutritioni affert. Miror tamen, quòd eas fueris subodoratus, & tamen vnam solam commemorasti, nempe vehiculum esse alimenti. Confusè legis, confusè scribis.

H.6. epi. sect. 4. tex. 20.

Ibidẽ c. 78.

Vallesius.

Secunda Conclusio.

1 NON potest aqua corpori misto adiuncta, ab eo nutriendi facultatem accipere. Probatur hæc conclusio, quia aqua sic alteri corpori annexa, vel remanet adhuc aqua, vel mutauit se in naturam rei, cui annexa est; Si remanet aqua velut antea, non est ista connexio mistio perfecta, dicente Philosopho, *Mista esse quodammodò, & non esse, actu quidem existente alio generato ex ipsis: potentia autem quid vtriusq; eorum, quæ erant ante, quàm miscerentur.* Ex quibus verbis colligi potest, miscibilia non actu, sed potentia remanere in misto. Si ergo aqua remanet actu, non est mistio: si potentia tantum, mistio vera erit, sed tunc non dicetur aqua nutrire: quippe nihil nutrit, quod non est actu. Deinde tu, Satyre, ais, aquam mistam alijs cum rebus, nempe cum alimentis, nihil vetare, quominus nutriat; Iam ergo admittis, id, quod nutrit, denominari aquam, sed sic non erit mistum: nam, ex Aristotele, oportet, *Quod mistum est, similarium partium esse, & quemadmodum aquæ pars aqua, ita & temperati.* At cum dicimus, aquam simul cum alijs rebus nutrire (sicut tu dicis) iam dicimus partem aliquam, quę habeat denominationem diuersam à toto, nam totum illud non appellatur aqua. Erit igitur ex aqua, & alijs cibis, ex doctrina eiusdem, compositio, non mistio, siquidem habet parua saluata. Vlteriùs, qui fieri potest, vt arte pistoria ex farina, & aqua in fornace fiat vnum mistum, opere autem naturæ in ventriculo à calore naturali non fiat? Et tamen tu, panem mistum ex aqua, & farina esse admittis, in ventriculo autem tale mistum fieri posse, negas. Nec rationem adhibes: nam quòd aqua in pane non conspiciatur, ratio est peripatoo indigna: quippe peripateticorum princeps te redarguit inquiens: *Si autem secundùm parua compositio fuerit mistio, nihil continget horum, sed solum quidem mista ad sensum, & idem huic quidem mistum, si non inspexit quis acutè, lynci autem nihil mistum.* Vides, vt mistum quoad sensum colligat ex eo, quòd conspici nequit, non autem mistum re vera tale. Quod verò ais, in elixatione, siue quę fit extra, siue quę intra nos peragitur, aquam peruadere substantiam ciborum, non ita tamen, vt perfecta efficiatur mistio. Sed cur

Ar. 1. de gene. & corr. tex. 84

Lib. 4. c. 48.

Ar. tex. 86.

Vbi supra.

ita? nempe, ais tu, quia aqua deseruit cibo tamquàm vehiculum ad permeãdas arctiores venas. Ego verò iam tibi ostendi, posse esse simul vehiculum, & alimentum: nunc autem liberalior tecum factus supponam, verum esse, non posse, vehiculum subire rationem alimenti; Comedatur ergo panis per se solum absq; superiniecto aquę potu, vnde nam habebimus vehiculum, quo hic panis deferatur per venas? Profectò cogeris confugere ad aquam, qua panis fuit subactus. Itaq; oportet dicere aquam, dum denominatur aqua, non posse conuerti in alimentum, hoc autem perfectè explicabitur sequente conclusione.

Tertia Conclusio.

1 Q*Vamuis aqua, & similiter reliqua elementa mistum, quod nutrit, efficiant, non tamen propterea ipsa dicentur nutrire, nisi remotè, & valde impropriè.* Hæc conclusio supponit, veram esse sententiam, quę tenet, elementa non esse actu in mistis, quæ ad Aristotelis mentem manifestè est, qui ait, *Videntur enim ea, quæ miscentur, priùs ex separatis conuenientia, & possibilia separari rursus. Neq; permanent igitur actu, vt corpus, & album: neq; corrumpuntur, neque alterum, neq; ambo; saluatur enim virtus eorum, ideo hæc quidem relinquantur.* Et alibi; *Cum itaq; triplex sit compositio; prima statui potest ea, quæ ex primordijs conficitur ijs, quæ nonnulli elementa appellant, terram dico, aquam, aerem, ignem; Sed meliùs fortaßè dici potest, ex virtutibus confici elementorum, ijsq; non omnibus:* & cetara. Igitur, ille quasi se ipsum corrigens potiùs dicendum existimauit, mistum constare ex virtutibus elementorum, quàm ipsis met elementis. Igitur iuxtà hanc sententiam verissimum est, non posse dici, elementa nutrire, siquidem (vt iam diximus) actu non existunt.

Ar. 1. de gen. & corr. tex. 34

Ar. 2. de part. an. c. 1.

2 Cœterùm quoniam non est nostrum, decidere hìc longissimam quęstionem, nempe quomodò maneant elementa in misto, verùm quoniam iam ostendimus, elementa non nutrire, iuxtà opinionem eorum, qui dicunt, elementa non manere in misto: vt etiam contrariæ parti, quę quamplurimos habet defensores, faciamus satis; dicendum est, eos non posse negare vnam misti formam præter formas elementorum; Quoniam autem mistum, quatenus mistum est, nutrit; quoniam rursus mistum à sua forma habet, quod sit mistum, dicetur nutrire per suam formam propriam, non per alias, quæ elementorum sunt. Hoc videtur elici posse ex verbis Aristotelis, dum ait, *Omnia enim nutriuntur ex ijsdem, ex quibus sunt: omnia verò ex multis nutriuntur: etenim quæcumq; videntur vno solo nutriri, vt aqua plantæ, multis nutriuntur: mista est enim aqua terra: ideo agricolæ tentant, cum miscuerint, irrigare.* Quod dictum est à Philosopho, vt doceret, alimentum vnum esse, non tamen simplex: quippe plantæ nutriuntur quidem vno, sed vno non simplice, verum composito ex aqua, & terra. Non preteribo hìc, quod plantę nutriri dixit ex aqua, & terra; quæ duo duntaxat elementa cum sint, mistum conficiunt imperfectum: quare verum est, quod diximus, viuentia imperfecta imperfecto misto pro alimento vti: quod Satyrus non admittit, sed adhud in hac duorum elementorum mistione duo alia elementa proteruè agnoscit, quem tamen cum sua proteruia relinquam, & questioni finem imponam, dummodò aliqua, quæ obijci possint, diluam.

Ar. 2. gen. & cor. tex. 50.

aliqua

Aliqua argumenta, quibus posset persuaderi, aquam nutrire, soluuntur.

Articulus Tertius.

1 NON desunt argumenta, & autorum celebrium testimonia, quibus vtuntur aliqui persuadere conantes, aquam posse nutrire: quibus respondere oportet, non ea prolixitate, qua vtitur Satyrus, veriore tamen doctrina, vt vel Momus ipse, quem sæpe appellat iudicem, poterit iudicare. H. de diæt. Adsit ergo in primis Hippocratis autoritas, quæ nobis mille testes esse potest; Is in libro de diæta sic ait: *Ignis enim omnia per omnia mouere potest: aqua verò omnia per omnia nutrire.* Lib. 2. c. 68. Arrigat aures lector ad Satyri expositionem. Ignis, inquit ille, anima est, aqua verò corpus: animalia verò beneficio animæ moueri, à corpore verò obtinere, vt nutriantur. Hanc fuisse veterum sententiam, colligit ex Aristotele, quem asseruisse, ait, *Se à progenitoribus hoc speciatim accepisse de anima, vt esset causa, quare animalia moueantur. Iurarem* (addit Satyrus) Ar. 1. de ani. tex. 19. *Hippocratem potissimùm innuere, hoc in loco dicentem, ignis omnia, & per omnia mouere potest: namq; ab Hippocrate pronepotem legimus Nichomachum patrem Aristotelis.* Verùm, quicquid sit de hac consanguinitate, in alijs peierasti, Satyre: nam in primis Philosophus non dicit, se accepisse à progenitoribus, animam esse causam, cur animalia moueantur, sed ait, *Animatum igitur ab inanimato duobus maximè differre videtur: motu, & sensu. Accipimus autem & à progenitoribus ferè duo hæc de anima.* Satyr. peierat. Ita Aristoteles, quod est longè diuersum à tua positione. Deinde non est, cur iureiurando affirmes, progenitorum nomine Hippocratem intelligi: nam eos, qui dixerunt, animam esse ignem, ipse met Philosophus ibi nominat: nempe Democritum, & Leucippum: quare non tibi reliquit occasionem suspicandi, quanto magis iurandi? Tandem tu vis elicere ex Aristotele, animam esse ignem, corpus aquam, & Aristotelem citas, vbi de anima duntaxat loquitur.

2 Sed quando tibi admittam, animam ignis nomine significari, cur aquæ nomine significabitur corpus? Rationem reddis huiusmodi: quia nempe corpus *in prima sui constitutione in vtero est sub specie sanguinis, & genituræ.* Sed dic, quæso, cur sanguis, & genitura appellatur aqua? nempe, ais tu, quia Hippocrates ait alibi, *Sanguis enim non est natura calidus, neq; enim alia aqua, sed calefacit.* Hip. de corde. At semper in hoc peccas, quod duo probanda suscipis, vnum duntaxat prosequeris. Non ne ais, corpus in vtero esse sub sanguinis, & genituræ specie? cur nunc probas, sanguinem appellari aquam, genituram verò dissimulas? Scito ergo, aquam ab Hippocrate appellari omnem substantiam liquidam, quod ex multis Hippocraticæ doctrinæ sententijs colligi potest. Cœterùm sanguinem, & genituram, quæ sunt duo vitæ primordia, non aquæ magis, quàm terræ, aeris, & ignis participes esse, constat ex Galeno. Gal. de sanit. tuend. l. 1. c. 2. At cur per tot ambages es vagatus, si sanguinem volebas aquæ nomine intelligi? quorsum dixisti, aquam esse corpus, corpus sanguinem, sanguinem verò aquam. & sic cum sanguis nutriat, aqua dicitur nutrire? Non ne melius foret abstinere ab hac circumlatione, & dicere, sanguis appellatur, aqua, nec priùs, corporis mentione facta, te in his sophismatibus intricare? Tandem sententiæ autorum non sunt per se solas exponendæ, sed consideratione habita ad consequentia, & antecedentia: aliter poterimus, *Benè quidem, sed non erat hic locus.* Si ergo ad antecedentia, & consequentia te conferas, reperies, nihil ad rem esse mentionem factam de anima, & corpore. Antecedunt verba hæc: *Constituuntur quidem igitur tum animantia alia omnia, tum homo ipse ex duobus, differentibus quidem facultate, concordibus verò, & commodis vsu, igne, inquam, & aqua. Hæc autem ambo simul sufficientia tum alijs omnibus, tum mutuò sibi ipsis: vtrumuis verò seorsim, neq; sibi ipsi, neq; alteri sufficiens est. Vim igitur, ac facultatem vtrumq; eorum talem habet: ignis enim omnia per omnia mouere potest, aqua verò omnia per omnia nutrire.* Ex hac connexione cum antecedentibus cognosces, non posse hic sermonem intelligi de anima, & corpore: nam frustra dicitur, (maximè de homine, de quo Hippocrates loquitur) animam seorsim non esse sufficientem sibi ipsi:

frustra etiam dicitur, corpus seorsim non esse sufficiens alteri. Non ne corpus absq; anima sufficiens est, vt sit alimentum? At nos de alimento agimus, & dicimus, aquam (quæ à te corpus esse dicitur) omnia per omnia nutrire. Itaq; ex antecedentibus colliges, tuam expositionem non quadrare; Longè minùs quadrat ex consequentibus: sunt enim hæc: *Particulatim verò vtrumq; superat, & superatur, ad summum, ac minimum, quantum eius fieri potest. Neutrum enim superare penitus potest ob hanc sanè causam. Igni quidem, vbi ad extremitatem aquæ peruenerit, deficit alimentum: auertitur igitur eò, vnde nutriri potest; Aquæ verò, vbi ad extremum ignis peruenit, deficit motus*. Sic Hippocrates, qui multa in hanc rem prosequitur. Putasne, animam habere alimentum, vt hìc supponitur, corpus verò habere mouendi vim, quæ deficiat, vbi ignis ad extremum peruenerit? Sed dic sodes, cum Hippocrates dicat, ignem ad extremum peruenire, quomodo efficies, vt hoc animæ quadret? Reponatur igitur tua isthæc expositio cum reliquis tuis.

3 Facilè, & iuxtà subiectam materiam dicendum est, ibi Hippocratem de humano corpore loquentem, & se se ad sermonem de diæta insinuantem, initio agere voluisse de eo, cuius causa alimento est opus: nempe de calido innato, cuius substantia est duplex, calida scilicet, & humida; Calor igitur viuacitatem, agilitatemq; præstat, & subinde motum: humidum subijcitur calori, tamquàm pabulum. Hoc declarant antecedentia: quippe seorsim calor, aut humidum neq; sibi, neq; alijs sufficiunt; consonant etiam consequentia: nam neutrum superare potest, hoc est, nec calor humidum, nec humidum calorem. siquidem *Igni, vbi ad extremitatem aquæ peruenerit, deficit alimentum*; hoc est, cum humidum ad extremam inopiam accedit, calori alimentum deficit; Vt hinc etiam intelligas, humidum esse pabulum caloris, quod iam superiùs tibi demonstraui: rursus *vbi ad extremum ignis peruenit*, hoc est, vbi ignis iam extinguitur, superante humido, nempe suffocante, deficit motus. An hęc sit vera Hippocraticæ sententię expositio, an verò hac omissa, tuę technę sint recipiendæ, dicat tuus Momus.

Sect.3.q.2.

H.3. victu ac. tex.19. 4 Altera Hippocratis sententia se se offert, quæ etiam videtur persuadere, aquæ nutriendi facultatem inesse. videlicet, *Mulsa, quam aqua multò potentior est, sola epota, nisi aluum perturbet*. Tu ad grammaticos recurris, & ineptijs te, more solito, inuoluens ais, inualuisse morem, *comparatiuis nominibus vti ad libitum, etiam vbi comparandorum alterum nihil habeat eius, in quo sit comparatio*. Quis tibi hoc dixit? Respondes, Ciceronem te docuisse, qui Clodium appellat quadrupedum impurissimum, quare tribuit brutis vitium impuritatis, quamuis brutorum generi *nullum verè insit vitium*. At ò Satyre, brutis vitium formaliter non inest, non tamen propterea non inest eis id, quod in hominibus vitium appellatur, nempe impuritas; Ciceroni autem vitia Clodio exprobranti satis fuit dicere, eum non magis ab actionibus illis fædissimis abstinere, quàm abstineant bruta, quasi sibi liceret, id facere, quod bruta faciunt. Apage igitur cum tuis istis grammaticismis, & dicito cum sapientibus, Hippocratem minimam omnium nutriendi vim mulsæ tribuisse, quasi dicens, aquam tametsi non nutrit, proximè tamen accedere facultati nutriendi propter vtilitates, quas prestat: post aquam primum facultatis nutritiuę gradum obtinet mulsa, adeò vt vinum album, tenue, pauciferum, inodorum, quod valde parum nutrit, aliqua ex parte sit fortius, ex alia verò imbecillius, quàm ipsa mulsa. Addit verò Hippocrates, mulsam esse aqua fortiorem, *nisi aluum perturbet*: quia aqua, licèt non nutriat, vires tamen recreat, retardans humidi substantifici consumptionem: mulsa verò ex prauo melle facta, & aluum turbans, non solùm non nutrit, sed vires deijcit, & sic aquam, dicemus, hac mulsa fortiorem.

Cel.li.2.c.18. 5 Quid autem dicendum est ad Cornelium Celsum, qui aquam omnium potulentorum dixit imbecillimam? Videamus priùs quomodò Cornelium Cornelius alter explicet: nempe ait, id ab eo dictum, quasi vellet, aquam *tantùm vitæ custodiæ inseruire quoquo pacto*. Addit deinde aliam explicationē priore hac non contentus. non, inquam, contentus priore, quia vera est, adeò à veritate abhorret hoc genium; Ait ergo, *Vel etiam esse vehiculorum alimenti omnium imbecillimum maximè: vehendo namq; alimento solidiori omnia potulenta deseruiunt, etsi aliqua ipsorum iti nutriant*. Hìc in primis tuam grammaticam veneror, quod Lib. 8. c.16.

potu-

potulenta vocabulum à multis non receptum, nisi ad significandum ebriosum, vteris, cum posse faciliùs dicere poculenta: deinde *imbecillimum maximè* dicis, apponens scilicet illud *maximè* superlatiuo: tandem illa dictio *iti* nescio quid significet: doce me amabo. Sed ad grauiora accedo. Ne tu tui ipsius immemor valde es? Quomodo ais nunc, aliqua vehicula nutrire, tu, qui superiùs dixisti, *Insuper illud interest ex natura rei inter alimentum, & alimenti discriminis, quod alimentum in partium solidarum substantiam conuertendum crassitudinem habere oportet, mistum corpus esse necesse est, sapidumq; vt attrahi valeat ab alendis partibus, quæ nil nisi familiare, seu dulce, sibiq; suaue attrahunt. Contra vehiculum, quo possit alimentum crassius attenuare, ac deducere per angustissimis* (angustissimas deberes dicere) *& capillares venulas, tenuissimum esse decet: quò autem valeat æquè trahi, tamquàm ductor alimenti ab omnibus partibus, nullius saporis esse, necesse est.* Has ergo conditiones vehiculo, quę sunt contrarię conditionibus alimenti, nunc vis coniungere inquiens, vehicula aliqua nutrire: erunt ergo crassa simul, & tenuia: erunt insipida, & alicuius saporis. Heus tu, cum philosophaberis, deinceps ieiunus esto. Hoc si priùs pręstitisses, non tot dissonantias in explicatione verborum ex libro de morbis scriptas reliquisses, vbi illa verba, *Post quàm comedit, ac bibit homo*, explicas, quasi significent *peracta prima esculentorum, potulentorumq; in ventriculo coctione.* Non ne vides, aliud esse comedere, & bibere, aliud comestum, bibitumq; concoquere in ventriculo? Reliqua, quæ ibi habes, tua sunt: alij iudicent, nolo hìc ampliùs commorari.

Contradictio. c.69.

Lib. 2. c.69.

6 Pergamus vlteriùs, & accedamus ad Theophrastum; Is enim probat, aquam nutrire ex eo, quòd pisces aqua nutriuntur. Rondoletius, pisces ex aqua nutrimentum capere, fatetur, non autem animalia. Attamen substantia, quæ piscibus alimento est, non est aqua, sed quid aquæ admistum: aqua autem hæc mucilaginosa, seu limosa nō simpliciter aqua, sed aqua composita appellatur, teste Galeno. Vides aquam, qua pisces nutriuntur, esse non purā, sed compositam. Iccirco quemadmodùm aquę puteanę impuritatem corrigimus, iniectis in puteum lapillis, queis mucilago, & limositas aquæ adhęrescit, sic etiam alio remedio ad hoc ipsum solemus vti, videlicet pisces, & testudines illic asseruantes, vt pro alimento impuritatem aquæ assumant. Quod autem tu ais; piscibus, qui in vasis seruātur, oportere aquam immutare, alioquin moriuntur, quoniam his aqua incalescit, & ipsiscit, aquam enim, putas, sic calefactam non posse refrigerandi munus obire. Fatuum est: nam in vase aperto, quale tu supponis, quomodò potest aqua incalescere? Et profectò si caliditas noceret, non opus esset aquam mutare, sed vas sub dio exponere. Mutatur ergo aqua, quoniam pauca cum sit (semiplenum enim vas esse vis) facilè deperdit omnem impuritatem, qua piscis fuit nutritus, & sic pura remanens, non est apta conseruandis piscibus. Miror tamen, quòd hoc te latuit, cum sępe aquam puram non esse, quę pisces nutriat, sed limositatem, in aqua contentam dicas. Scribe igitur Pisas tuo compari, qui ad te pręclaras detulit instructiones, vt dicat Paolo Cerinio pharmacopæo, pisces illos, quos in vasis vitreis apertis, & aqua semiplenis seruabat, cum ob aquā non mutatam moriebantur, nō id accidisse, quia incalescebat aqua, sed quoniam purior, quàm oportebat, reddebatur. Sed cum scripseris, memento verbum *interpretor* esse deponens, & habere significationem actiuam, quod te ignorare comperio, siquidem non semel eo passiuè vteris. e. g. cum ais: *Illud tamen omittere nolumus, in Academia posse allatum dogma subtiliùs interpretari:* posses dicere *declarari*, & alibi etiam, *Quod præterea eodem ex Aristotele affertur, pisces, addo, & insecta potum assumere, non potus, sed cibi gratia, scitè interpretari potest ex ipso met Aristotele.* Cur non dixisti, scitè interpretari possumus? nempe ne quid scitè vel dicas, vel sentias.

Theophr. 1. de plant. Rondolet. de piscib. c.13.

G. 1. simp. c.9

Lib. 4. c.22.

Lib. 4. c.23. Lib. 2. c.67.

7 Galenus etiam negotium facescit: quippe dum ait, *Cibo igitur, quicquid siccioris substantiæ effluxit, restituimus: potione quicquid humidioris*, videtur velle, aquam, quę per antonomasiam potus appellatur, humidiorem substantiam in nobis restituere. Potionem ne, an potum dixerit, non curo: quippe vtrūq; vnum, & idem est, quicquid in contrarium velit Costæus, qui, potionem mediam esse, ait, inter potum, & sorbitionem, ita vt sit potu crassior, tenuior sorbitione. Hoc Hippocrati placere existimat, nescio tamen, vbi sic loquatur Hippocrates: scio ab Hippocrate dictum fuisse, *Facilius est impleri potu, quam cibo*,

G. 1. de sanit. tuend. c.2.

Costæus.

quibus

quibus verbis potus nomine intelligit cibos, qui per viam potus ingeruntur. Nec verò recta latini sermonis norma hanc distinctionem admittit: quippe apud Ciceronem, & alios exactè loquendi magistros, vnum pro alio sæpissime reperitur. Si quis autem medicamentum aliquod per viam potus exhibitum, potionem appellat, semper, cum addito potionem medicatam dicit. Tandem extat manifestissimum Galeni testimonium, quo omnis dubitatio tollitur: ait enim sic, *Quidam medici negant, id cibum esse appellandum, quod potus in sermone quotidiano cibo sit oppositus, qui potio etiam appellatur, vt cibus, esca, & edulium.* Sic Galenus, qui potionem, & potum synonima facit: siquidem cibus, esca, edulium synonima itidem sunt.

G.3. alim. facult. c.49.

8 Reuertor ad Galenum; Cum ergo dicat, potione quicquid humidioris substantię effluxit, restaurari, videtur velle, aquam, quæ simpliciter, & antonomasticè potio est, restaurandi aliquam substantiam nostri corporis vim habere. Satyrus respondet, Galenum potionis nomine vinum intelligere, non aquam. Sed quis tibi, o Satyre, hoc reuelauit? non ne poculenta omnia potus nomine appellanda esse didicit ab Hippocrate Galenus? Cur ergo sic ab Hippocrate instructus non diceret potum, hoc est, quicquid per viam potus accipitur, humidiora membra restaurare? Lac non ne poculentum est, & à Galeno aptissimum alimentum infantibus, humidissimas carnes habentibus esse traditur? Cur ergo magis vino, quàm qualibet alia potione nutriendi vim habente restaurari, dixit Galenus, quicquid humidioris substantię effluxit? Non ne cibus humidus, hoc est, liquidus, febricitantibus commendatur ab Hippocrate ad humiditatem inducendam, qua siccitas febrilis obtundatur? Non, quos humectare volumus, iurulentis nutrimus, quos exsiccare, pane biscocto, & alijs aridissimis edulijs? Quorsum confugisti ad vinum, tamquam ad tuum asylum?

Lib. 2. c.66.

G.1. san. tuend. c.7.

9 Vltimo loco potest obijci aerem, qui multo tenuior est, aqua, nutrire, vt constat ex Hippocrate dicente, *Principium alimenti spiritus, nares, os, guttur, pulmo, & reliqua respiratio.* Cui respondemus, aerem reficere in nobis aeream substantiam, hoc est spirituosam, quæ refectio, quamuis impropria nutritio dicatur, appellatur tamen à medicinæ parente nutritio, siquidem per eam aliqua substantia deperdita restauratur, non tamen omnino necessariò: nam nisi esset, quòd alia ratione, nimirum sua frigiditate, aer nos recreat, profectò restaurationi spirituum aliunde subsidium queri posset, ex tenui scilicet sanguinis parte, quæ tametsi sola non videatur sufficere, ac proinde natura aerem adiunxit, si mutato ordine naturæ, aer non abiret in materiam spirituum, fortiùs natura ageret in extrahenda hac materia ex sanguine. Hoc negat Satyrus, aitq; cor sinè inspirato aere non viuere, id tamen non ideo prouenire, quia cordi sit alimentum, sed quia sit refrigerium, ac medicamentum, quo eius æstus nimius temperetur. Sed cur quæso, falcem mittis in segetem, quam nescis colere? Quis vnquam tibi dixit, cor nutriri aere? Stulte, aere non cor, sed spiritus, qui in corde fiunt, nutriuntur. Sic Galeneus in pręcitata sententia, post quàm cibo solidam, potu humidiorem substantiam restaurari, dixit, adiungit, *Iam verò, & aereæ, igneæq; substãtiæ modum respiratu, & arteriarum motu tuemur.* Plura in hanc rem suo loco dicenda sunt: hęc modò pro pręsente quęstione sufficiant, & ad Hippocraticas sententias explicandas reuertamur.

Tex. 33.

Lib. 2. c. 116.

G.1. san. tuend. cit.

TEXTVS

TEXTVS XXIII.

IN pilos alimentum, & in vngues, & in extremam superficiem intrinsecùs peruenit; Forinsecùs alimentum ex extrema superficie ad intima peruenit. Confluxio vna, conspiratio vna, consentientia omnia.

DVplicem proponit alimenti viā, vnam, quæ ab interiore parte ad extimam aduenit: alteram, quę ab externa ad internam, & vt vtriusque facilitas innotescat, vtramq; refert ad communem consensum, quē omnia inter se habent. Porrò ab internis officinis ad extimas partes aduenit alimentum, nempe ad pilos, ad vnguem, ad extimam superficiē.

Ab externis verò ad interna quomodo alimentum confluat, difficiliùs cognoscitur. Fracantianus ait, alimentum, quod ab externis ad interna transmittitur, esse aërem, qui, transpiratione per arterias, in vniuersum corpus defertur, vt iā hinc constet, (id, quod sępe in hoc libro cogor repetere) Hippocratem alimenti nomine aliquando vti, aliquando etiam abuti. Cœterùm de hac trāspiratione inferiùs dabitur commodior agendi occasio.

Fracant.

Vallesius, verum alimentum per cutis poros ad interiora trahi posse, inculcat: neq; hoc est prętér rationē: quippe, iuxta optimam praxim, solent medici vmbilico, & reliquo vētri res nutrientes apponere: *Cur enim* (addit ille) *non possunt vtiles succi, & vapores illinc assumi, tum per arterias, tū etiam carnibus, sua facultate trahentibus, cum res multas, vt lanam, triticum, & alia legumina, succos ad se allicere aperte sentiamus.* Hanc Vallesij expositionem confirmant tum Hippocrates, tum Galenus; Ille, dum ait, *Carnes attractrices ex ventre, & extrinsecus*; Hic, dum hanc sententiam commentatur in hunc modum: *Incertum est autem, alimētum ne dicat, an aërem: possunt enim carnes, quemadmodum ex ventriculo alimentum hauriunt, sic & ab extimis partibus in profundum reuocare: potest, & aer per arterias, ad cutem pertinentes, ad carnes ferri ab ipsis attractus.* Sic Galenus, quibus verbis vtraq; expositio, tam Fracantiani, quàm Vallesij confirmatur.

Valles.

H. & G. 6. epid. sect. 6. tex. 1.

Confluxio vna, conspiratio vna, consentientia omnia. Id, quod superiùs dictum est, *Principium autem omnium vnum est, & finis omnium vnus, & idem finis est, atq; principium.* Et libro de locis in homine dum incipit, *Mihi quidem videtur principium corporis nullū esse, sed omnia similiter principium, & omnia finis: circulo enim scripto principiū non reperitur.* Omnia, inquam, hæc in vnum, & eundem sensum dicta videntur, vt scilicet declaretur, quomodò constitutum debet esse corpus, quod vnius animę seruitio est dicatum, & cui rursus vna anima toti inseruit. Oportet autem, vt sit vndiq; virtus peruia secundùm tres partes, ex quibus corpora nostra cōstare dixit Hippocrates; Eę sunt *continens*, hoc est, membra: *contentum*, nempē humores: *impetum faciens*, videlicet spiritus. Erit itaq; *confluxio vna*, si cōtentum, nempe humores per vniuersum corpus liberè confluant ad alimoniam totius: sanguinis enim nomine quatuor humores comprehēduntur; Erit *conspiratio vna*, si impetum faciens, seu spiritus conspiret, & spiret eo impetu, qui ad fouēdas omnes corporis regiones necessarius est; Erunt *consentientia omnia*, si continens, siue si membra inter se consentiant, & sibi mutuam opem prę stent: quippe necessaria est ad vitam cooperatio partium, secundùm quā temperamentum spectatur; Hinc per sympathiam fiunt morbi, si malum sit, quod ex vno in alterum mēbrum communicatur.

Sup. tex. 8

H. de loc. in hom.

Verùm hęc confluxio, hęc conspiratio, hic consensus maiorem, ex subsequētibus sententijs, claritatem accipient. Quod ad præsentis contextus explicationem interest, est scire virtutes naturales, tametsi vnicuiq; membro sint insitę, expectare nihilominus influentem calorem, à quo conseruentur; Confluit iste calor ad omnia membra: conspirant in vnum hunc calorem omnia membra, & ab istius caloris vnitate accidit, vt omnia membra inter se consentiant. Quando ergo attractrix

vnius

vnius partis, ad eam nutrimentum attrahit, cedunt illi vicinæ, & offerunt tractioni obiectum: in mediocri alimenti necessitate cedũt internæ externis, & sic alimonia trahitur ex officinis, quę in profundiore loco sunt, ad partes reliquas. In maiore autem inopia etiam externæ internis in subsidium adsunt. Occasione huius contextus tria se offerunt pertractanda. Primum (quoniam Hippocrates ait, *in pilos alimentum, & in vngues*) quæremus, an pili, & vngues sint partes viuentium, & subinde an nutriantur. Deinde (cum addat, *& in extremam superficiem*) quærendum itidem est, an extrema superficies, seu cuticula viuat. Tertiò (quia ait, *forinsecùs alimentum ex extrema superficie, ad intima peruenit*) quęrendũ, an exterius adhibita nutriant, &, si nutriunt, quomodò id fiat.

AN PILI, ET VNGVES SINT viuentium partes, & verè nutriantur.

QVÆSTIO DECIMA OCTAVA.

1 QVamuis Hippocrates in præsente contextu dicat, *In pilos alimentum, & in vngues*, vnde videtur, pilis, & vnguibus alimentum concedere; cum verò has partes alimento frui admittat, necessaria consequentia, easdem viuere, dicendum sit, aliqui ad nutritionem impropriam confugientes, (quam Hippocrates multoties nutritionem indistinctè appellat) huius contextus vim eludunt, adeò vt iam hinc non possimus elicere huius controuersię veritatem: quapropter aliunde quęrenda est.

Fundamenta eorum, qui, pilos, & vngues viuere, negant.

Articulus Primus.

Fernel. 2. physf c. 2. Vall. 2. cõtr. c. 5. Gal. art. med. c. 9.

2 INter plurimos, qui, pilos, & vngues partes viuentis censendas esse, nõ admittunt, sunt Fernelius, & Vallesius, queis etiam Galenus occasionem ita sentiendi dedisse videtur: quippe in arte medicinali quatuor membrorum differentias statuit: vna est eorum, quę principia aliorum sunt, vt cor, hepar, cerebrum: altera eorum, quę à primis originem habent, vt arteriæ, venæ, nerui, seminaria vasa: tertia eorum, quę à se ipsis gubernantur, vt sunt cartilago, os, ligamentum, membrana, adenes, adeps, simplex caro: quarta eorum, quæ, tametsi à se ipsis gubernentur, indigent tamen insuper arterijs, neruis, & venis. At in nulla harum quatuor differentiarum reponuntur pili, & vngues: nam si reponerentur, deberent pili reponi in tertia: siquidem à se ipsis gubernantur, & non recipiunt aliquid ab arterijs, venis, & neruis; Vngues verò in quarta: quoniam recipiunt aliquid ab omnibus prędictis vasis, quæ Galenus ad vngues accedere scriptum reliquit. Tantum verò abest, vt Galenus ita senserit, quin potiùs post enumeratas quatuor differentias adiungit, pilorum, & vnguium nec regimen vllum est, sed generatio tantùm. Vnde non videtur negasse, pilos, & vngues esse partes: negasse tamen eas nutrimentum accipere. Vt si veris principijs standum sit, oporteat dicere, eum, si negauit, pilos, & vngues nutriri, negasse etiam viuere; quòd si non viuunt: nec sunt veræ partes viuentis: quare eas apposuisse videtur, quasi sint veluti partes.

G de anat. admin. c. vlt.

3 Alterum argumentum, quo suam tuentur sententiam, est huiusmodi. Pilis, & vnguibus non contingit augmentatio secundùm omnem partem, sed duntaxat secundùm longitudinem, quod in vtrisq; est manifestum; Nam si linea sit, aut macula secundùm radicem vnguis, progressu temporis augescente vngue, non manet in eodem situ, sed magis distans ab vnguis radice; Sic etiam in pilis hoc experiuntur illi, qui canitiem simulant, & tinctis capil-

lis iuuenem mentiuntur: postquàm enim tinxerint, intra paucos dies ad radices pili albicant: quod indicat, eos à radicibus in longitudinem progrediendo augeri.

4 Tertium sumitur ex Aristotele dicente; *Crescunt etiam pili quibusdam in morbis, vt præcipuè in tabificis, Quin etiam in senectute, & defuncto augescunt, durioresq; redduntur, quod idem vnguibus quoq; euenit*: Sic ille. Cum ergo in mortuis non remaneat aliqua actio vitę, si pili, & vngues in cadauere augentur, manifestum est, eos non esse viuentes, & ex consequente nec viuentium partes, neq; etiam nutriri. Ar. lib. 3. de hist.an.c.11.

5 Quartum ex eodemmet Aristotele, qui ait: *Pili autem, & eorum cognata omnia, quandiu insunt, tandiu augentur, & magis cum corpora aut ægrotant, aut senescunt, atq; decrescunt*: & quæ sequuntur. Si ergo semper augentur, non habent prescriptum terminum suæ magnitudinis, quem tamen habere debuissent, si in viuentium numero repositi essent. Ar. 2. de gen. anim.c.4.

Fundamenta, quibus pars affirmatiua fulcitur.

Articulus Secundus.

1 EAdem Galeni verba, quæ contrariæ opinionis sectatores in sui fauorem afferebant, afferunt isti, qui partem affirmatiuam sequuntur, vt eam defendant; Nam Galenus, postquàm quatuor membrorum differentias recensuit, adiunxit: *Capillorum autem, aut vnguium neq; regimen vllum est, sed generatio tantummodò*. Vnde patet, quintum genus partium constituisse preter quatuor iam dicta, & hoc patet, quoniam alibi, capillos partem esse, asserit his verbis: *Contra fit in alopecia, & ophiasi, & ptilosi, item saluitie, in quibus amissio particulę est, quæ vtilis fuerat*. Imò in his morbis naturale aliquid amitti, ait: Quòd si capilli naturale aliquid dicuntur, naturæ, hoc est facultatis naturalis, participes esse censendi sunt. Deniq; dum ait, naturæ opus est, veluti in sinuosis vlceribus generatio carnis, itidem in capite, & palpebris productio pilorum, manifestè insinuat hanc veritatem: nam caro generatur per actionem vitæ: propterea simile de pilorum generatione statuere oportet. Mihi etiam videtur idem sentire, cum pilos, inquit, bibere materiam fuliginosam: quippe non aliter eam possunt bibere, nisi assumentes ipsam in alimentum. G.art. med.39. G. 14. meth. c. 18. c. 17. c. 18. G. 11. de vsu par.c.14.

2 Aristoteles non procul abest ab hac sententia, imò in eam coincidit: siquidem, pilos pennis auium, & squamis piscium proportione respondere, affirmat. Præterea idem alibi inquit, *Pili euulsi nasci denuó possunt, dum extra ætatis florem degitur, nec vlteriùs*. Si igitur non essent partes viuentis, nihil prohiberet, eos etiam vltra ætatis florem renasci, siquidem non haberent terminum suæ magnitudinis. Non dissentit Auerrous, qui, ope naturę, ait, pilos corpus circundare, vt lupini circundant segetem tritici, quippe exaurientes corporis fuliginem relinquunt dulciorem sanguinis massam; Vnde videtur sentire, pilos ali ex deteriore sanguinis parte. Rhasis (referente Auicenna) conferre, ait, visui tonsuram capitis: *Conferunt enim* (inquit Auicenna) *magis tonsi, quàm rasi, quatenus exsiccant attrahendo humiditates ad alimentum eorum*. Ar. 5. de gen. anim.c.3. Ar. 3. de hist. anim.c.2. Auerrous a colliget c. 8. Rhas.2.cõtin. Auic.c de opthalmia.

3 Hanc etiam doctrinam nobis persuadeat plica, morbus nuper apud Sarmatas, aliasq; gentes inuentus, in quo cirrhi complicantur, nodantur, & conglomerantur in fasciculos. Est insuper alia ratio, quæ hanc veritatem potest stabilire: nam pili ad constitutionem organi conferunt, quod ad partis rationem plurimùm facit: probatur hoc, quoniam pili palpebrarum visioni inseruiunt. Deniq; duo sunt, quæ hoc maximè persuadent: vnum est, quòd secundùm omnes partes candescunt, hoc autem non sic fieret, nisi secundùm omnes partes vno, & eodem alimento fruerentur: alterum, quòd in radice crassiores sunt, in extremitate autem extrinseca, hoc est in summitate, desinunt in cuspidem: hæc autem figura arguit, eos alimento ali.

4 Hęc, quę pilos viuere persuadent, similiter vngues vitę vegetatricis munere frui, probant. Addit Thomas Rodericus à Veiga, vnguium nutrimentum ex eo colligi posse, quòd in vnguibus fibræ appareant in longitudinem

porrectę, deferentes alimentum, vt in arborum frondibus: quamuis enim non ita conspicuę sint, vt frondium lineamenta, nihilominus conspiciuntur. Alia ratio potest afferri, scilicet vngues ad totius mutationem mutari: quippe in principijs accessionum, ex frigore liuescunt; imò in acutis, ex Hippocratis decreto, liuor iste vnguium signum est lethale; At hæc coloris mutatio non aduenit ex materia, ex qua reficiuntur: quippe mutatio momontanea est, refectio paulatina: non ex substracta carne: licèt enim in tabidis curui fiant vngues, propter substractę carnis defectum, caro substracta, quando vngues liuescunt, non est liuida. Prouenit ergo ex interno principio, quod est præter excrementorum rationem. Atq; hęc videtur potior sententia, eamq; iure optimo amplexamur.

H. 2. aph. 8.

Soluuntur prioris sententiæ argumenta.

Articulus Tertius.

1 QVicquid persuadebat, pilos, & vngues non viuere, non caret responsione. In primis ad Galenum in arte medicinali, qui pilos, & vngues non gubernari, sed generari, dixit, & tandem, postquàm illorum, simul cum alijs quatuor partium differentijs, mentionem fecit, quasi eos quintam differentiam efficere vellet, adiunxit, *hæ sunt partium differentiæ*, iam diximus hanc Galeni sententiam non impedire, quominùs (quod ille sæpius dixit) pili, & vngues partes censeantur: quòd si partes viuentes sunt, necessariò viuunt, neq; aliter Galenum censuisse, existimare debemus. Quòd si pilos, & vngues nec in tertia, neq; in quarta differentia reposuit, id efficit, quoniam partes autogenæ sunt, hoc est sui generis adeò, vt neq; etiam ij, qui has partes viuere nequeant, omnino in hac opinione acquiescant. Sed Argenterius, non ausus eas inter excrementa connumerare, voluit potiùs ad mediam quādam viam se recipere, protulitq; pilos, & vngues mediam naturam habere inter viuentia, & non viuenia, cuius generis corallus, fungus, spongiæ marinæ, & alia quædam esse, cognoscuntur. Fernelius autem, hoc vnum ex ijs esse, ait, in quibus non aliud, quàm mirari liceat Dei, & naturę prouidentiā. Si igitur hi autores, quorum interest probare pilos, & vngues ab omni vitæ munere prorsus abesse, in suo sensu non acquiescunt, sed alter eorum ad mediam quandam naturam inter viuentium, & non viuentium, alter ad Diuinę prouidentię arcanum refugit, quid mirum, si Galenus etiam partes corporis viuentis appellet, eis tamen nutricationis modum ab aliorum nutricatione partium differentem attribuat?

Argenter.

2 Secundum argumentum duo insinuat: vnum est, pilos, & vngues non augmentum sumere ab ea parte, quæ incisa est, sed semper à radice. Hoc nos etiam dentibus concedimus, quos tamen esse partes corporis autogenas, nemo negauit; Alterum, pilos, & vngues non augeri secundùm omnes dimensiones, sed duntaxat secundùm longitudinem: hoc penitus negamus: crescunt enim iuxtà destinatam sibi figuram, quę longitudinis plurimum, latitudinis habet parum: sin minùs, dicat mihi aliquis, vngues, cum augentur, angustiores ne sint, quàm pro sua propria figura? Profectò homo macilentus, & procerus non minùs dicitur secundùm omnes dimensiones augeri, quàm crassus pumilio.

3 Tertium argumentum cogit, nos inquirere, cur vita functis pili augeantur, & vngues. Et de pilis quidem Aristoteles ait: *Defunctis etiam pili augentur, sed nasci nequeunt*, & in loco superiùs citato idem confirmat, vnde tertium hoc argumentum suam vim habet: siquidem si augentur, à facultate aliqua viuentis habent, quòd augeantur. Verumtamen Aphrodiseus non esse verū augmentum, ait, respondet enim ad propositum problema, *An non augeri censendum, sed, carne macerata, consumptaq; partes imas, quæ ante opertæ latebant, detegi, atq; patere? Itaq; fallere, quasi per adiectionem auctum quicquam sit.* Verùm hāc responsionem diluunt aliqui: quoniam pili ex cute proueniunt, non autem ex carne; Quamuis ergo caro consumatur, cutis remanet inconsumpta. At

Ar. 2. gen. ani. c. 4. & 3. de hist. an. c. 11.

Alex. Aphro. l. 1. prob. 145.

verò hęc ratio non satisfacit: nam ad deminutionem carnis contrahitur cutis, vt apparet in cicatricibus relictis ex variolis, quę ideo profundiores sunt cętera cute. Nec etiam pili ex epidermide exeunt, sed ex cute, quæ membrana satis crassa est, ex seminis, & sanguinis permistione genita. Pręter hanc Aphrodisæi rationem duas alias affert Thomas Rodericus à Veiga: vna est: quia aliquandiu durat residua vis alens in illis partibus, sicut in ramis arborũ abscisis: altera, quoniam incrementum in pilis corporum defunctorum est improprium per solam fuliginis ad radicem suppeditationem; Nam in viuis non est sola suppeditatio, sed vis attractrix, quâ pili sugunt sibi alimentum: propterea diximus ex Auicenna, & Rhasi, optalmicis tonsionem esse vtilem, & ex Auerroo, pilos attrahere sibi deteriorem partem alimenti, vt residuum purum remaneat. Ita sentit Veiga; Verumtamen Galenus, cui Fernelius assentitur, non attractricis, sed expultricis in pilorum augmento facultatis mentionem facit: Videlicet *Ex crassiore, & fuliginosa humorum eluuie ortus ducitur, quæ per angusta cutis spiracula, tamquàm foràs propulsa, impacta hæret in transitu, vt non sponte vacuari possit, sed alia rursum è profundo sublata, hanc ferit, impellitq; tum hanc rursus alia, & multo tempore coniunctæ aliæ super alias impactæ, corpus quoddam reddunt, & conformant angustum ex transitus angustia stipatum; quod deniq; à sui simili eluuie vehementer ictum, foràs propellitur, iam veri pili formam adeptum*. Sunt Verba Fernelij ferè ex Galeno translata. Quare aliquis occasionem hinc arripiet dicendi, si expulsione fuliginum pili formantur, rectè sequi; pilos esse excrementa; Verùm non ita est: nam expulsa foràs excrementa, nullam seruant figuram, pili autem foràs producti figurantur: vt iam hinc appareat, eos afferre secum formatricis facultatis rudimenta solis viuentibus concessa.

Thom. a Veiga.

G. 2. de tẽper. c. 5. Fern. l. 1. c. 15.

4 Quartum argumentum, dum pilis negat terminum magnitudinis, negat simul, eos viuere: siquidem viuentium proprium est, pręscriptam sibi magnitudinem habere. Verùm huic argumento ex pręcedente fit satis: nam si expulsione materiæ augentur pili, cum expultrix vis sit terminata; nec poterit in infinitum fieri expulsio, nec pilorum accretio; Verba autem Aristotelis non important priuationem termini in augmento pilorum, sed continuitatem quandam aliquibus maiorem, alijs minorem pro quantitate fuliginum.

5 Quicquid autem de pilorum nutritione est dictum, de vnguibus similiter dictum putato. Aduertendum tamen est, Galenum vlterius in vnguibus processisse, eisq; non solùm vegetandi, sed sentiendi etiam vim admisisse: quandoquidem in radicem vnguium non modò neruum, sed etiam arteriã, venamq; porrigi, dixit, vnde sensum, vitam, & alimoniam, sicut reliquę partes, accipiunt. Thomas Rodericus à Veiga vegetandi facultate contentus, sentiendi vim non recipit. Vallesius, extremos vngues non viuere, ait, sed eos, qui radicibus sunt appositi. Verum ad Vallesium dicimus, vngues ab radicibus ad extremas vsq; partes esse vnam substantiam continuam, non contiguam: quare non possunt partim viuentium, partim non viuẽtium numero adscribi; Deinde cicatrix, aut signum aliquod in radici vnguis adnatum, tempore ad extremitatem accedit; Non videtur autem, illud accidens posse de subiecto in subiectum transire, sed semper in vno, & eodem permanere; Quare vnus, & idem est vnguis ab vna ad alteram extremitatem; Si autem in vna viuit, in altera, cur viuens non erit? Ad Galenum autem, non rectè probari posse, ex neruo substracto vim sentiendi vnguibus communicari, sed posse sensationem in neruo illo factam repræsentare specimen dolẽtis vnguis, quod etiam in dentibus, iuxtà communiorem sententiam, contingit, aut saltem si in dentibus ambiguum est, in vnguibus non debet esse certum.

G de anat administ. lib. 2, c. vlt. Thom. Rod. à Veiga. Vallesius.

6 Pro coronide adiungo, materiam alimenti vnguium valde terrenam esse, pilorum autem fuliginosam, vtramq; tamen ita excrementum esse, vt contineat in se partem alimentosam: fuliginosam, dico, quam etiam limosam possum, cum Galeno, appellare, aut viscosam cum Aristotele; vnde pili euulsi, si quid tangunt, ei adhærent.

G. 14. meth. Ar. 3. hist. c. 11

EXTREMA SVPERFICIES an viuat.

QVÆSTIO DECIMA NONA.

Quid cuticulæ, quid cutis nomine intelligatur.

Articulus Primus.

G.4.aph.77.

1 Cutis extimam superficiem apud Galenum, constat esse eam, quę cōmuniter à medicis cuticula nuncupatur: sic namq; ait: *Sicut enim cutis superficies, quam epidermida, id est, superiorem pelliculam nominant, in scabie, lepra, & lichenibus, tenue quiddam remittit, quale est, quod serpentum senectam nominamus: sic vbi in partibus interioribus ea, quæ est veluti cutis, tale aliquid patitur.* Diuidit ergo vniuersam cutem in superficiem cutis, & in id, quod est veluti cutis. Quando autem vtramq; partem vult comprehendere, non cutem simpliciter, sed cum addito cutim vniuersam nominat: vt cum ait, *Quippe in cauo vlcere non ipsa modò perijt cuticula, verùm etiam reliqua cutis natura vniuersa.* Sic ille, qui aliàs id, quod regigni nequit, sinè addito cutim vocat. Alibi etiam distinctionem inter hęc duo constituens inquit: *Quòd si crassior humor, acriorq; sit, summam cuticulam (Græci epidermida vocant) excoriat, spatioq; temporis ad profundum aliquando cutis exulceratio peruenit.* Nihilominùs communiter anatomici tria seorsim considerant, cuticulam, cutem, & membranam carnosam. Inter cuticulam, & cutem ichorositas reponitur, sicut inter cutem, & membranā carnosam mediat adeps.

G.3.meth.c.4 c.sequente.
G.14.met.c.2

2 Membranam igitur carnosam (vt ab internis, ad externa procedamus) sic appellarunt omnium primi Arabes, vt notat Vesalius: quoniam inter reliquas corporis membranas hæc sola propemodùm carnosa apparet: cuti autem copulatur, per quam plurimas venas, paucissimas, tenuissimasq; arterias, & neruorum propagines, hanc membranam pertranseuntes, & in cutem prærumpentes. Accedunt fibræ membranosæ, quibus validissimè membrana cuti connascitur, solumq; in collo, & fronte membrana isthæc deficit, nisi in aliquibus, quæ quasi monstra sunt.

Ar.2.gen.ani. c.4.
G.3.meth.

3 Cutis non est caro resiccata, vt aliqui putarunt, decepti Aristotelis verbis, qui ait, cutem fieri carne siccescente, ex Galeni dicentis, cutem ex carne produci. Verùm neuter de vera productione est intelligendus: quippe cum inter carnem, & cutem mediet tum adeps, tum membrana carnosa, non potest immediatè è carne produci cutis. Sed Aristoteles, carne siccescente fieri cutim, ait, hoc est, carnis materia sicciore effecta: nam cutis simul cum alijs membris formatur, vt ab Andrea Laurentio prudenter est animaduersum. Non est etiam cutis ex uasorum dilatatorum textura constans: nam cutis pars est similaris, neq; potest ex diuersæ naturæ partibus conflari. Neq; tandem fit ex carne, & neruo simul mistis: tum ob prædictam rationem, tum etiam, quia sic, ubi plures fuissent nerui (quæ est Andreæ ratio) durior fuisset cutis, quod tamen non accidit: quippe in uola plures sunt nerui, quàm in uertice, & uerticis cutis durior est quàm uolæ. Est ergo pars, ex semine, & sanguine mistis confecta, ideoq; neruus carnosus, aut caro neruosa potest appellari, quòd mediam inter carnem, & neruum naturam sit adepta: non enim planè exanguis est, vt neruus, neq; omnino sanguine abundans, vt caro: sed veluti sanguine præditus neruus. Hęc est opinio, quam nemo, quod sciam, hactenus refutauit.

And.Laur. anat.quæst.lib. 6.q.31.
And. Laur.

4 Ad cuticulam accedo, quæ, vt ex Galeno dixi, serpentum senectuti cōparatur, hoc est, spolio, quod serpentes singulis annis solent exuere. Comparatur etiam à Vesalio tenuioribus, pellucidissimisq; cęparum inuolucris. Hanc, Capiuaccius, fieri ex sanguine, ait, & proinde eius substantiam sanguineam esse, & propterea existimat, posse regenerari, secus ac contingit reliquæ cuti, quę ex sanguine semini permisto fit, vt constare ait ex Galeno, dicente,

Capiu. in meth. anatom.

Cutis

Cutis est veluti neruus sanguine præditus. Cœterùm quòd cutis fiat ex sanguine, & semine, iam superius receptum fuit ex Andreæ sententia: quòd autem cuticula fiat ex sanguine, neq; aliquis dixit, nec rationi videtur consonum: nam in primis si ex sanguine fieret, parenchyma esset, per venas nutriretur, ruborem præseferret. Deinde si isthęc cuticula carnosa foret, in morbis diuturnis absumeretur, vt absumuntur reliquæ partes carnosę: & tamen in his morbis potiùs augetur. G.1. tépe.vlt.

Controuersiæ resolutio.

Articulus Secundus.

1 SI vera foret sententia Capiuaccij, quam tamen meritò reiecimus, nil nobis laborandum esset in Hippocratis præsente sententia: cum enim dicat Hippocrates, alimentum in extimam superficiem aduenire, si extima superficies, hoc est, cuticula sanguine aleretur, manifestum remaneret, ad cuticulam non minùs, quàm ad reliquas partes sanguinem ad alimoniam peruenire. Attamen, quoniam communi omnium consensu, & irrefragabili ratione constat, cuticulam hanc nec viuere, nec nutriri, sed esse quoddã totius corporis emunctorium, alterum duorum oportet fateri, vel nomine extimæ superficiei intelligi vniuersam cutem, nempe profundiorem partem simul cum parte externa, vel alimenti nomine abusum in hac parte Hippocratem fuisse: iam enim diximus, & sæpe quoties dabitur occasio repetendũ est, sapientissimum Senem magis rerum, quàm verborum fuisse solicitum.

De cuticulæ nutrimento.

Appendix prima.

1 EXactè Piccolhominus materiam, ex qua fiat cuticula, mihi videtur pertractasse. Non fieri ex sanguine, ex supradictis patet: sed nec etiã ex semine: quoniam si ex semine fieret, non ita promptè renasceretur. Cum ergo ex neutro istorum principiorum fiat, reliquum est, vt eius materia sit renasceretur. Cum ergo ex neutro istorum principiorum fiat, reliquum est, vt eius materia sit excrementum: non quidem primę coctionis, quippe hoc per intestina secedit: non secundę, nam excrementa secundæ coctionis ad sua mittuntur receptacula; Ergo tertiæ; Sed excrementa tertię coctionis partim sunt halituosa: hęc non possunt cutem gignere, vtpote quę in speciem vaporis euanescunt: partim sunt aquosa: hæc etiam non possunt, siquidem veluti reliquiæ serosæ humiditatis bile tenui perfusę extra cuticulam exeunt: partim deniq; sunt crassiora: & hęc sunt, quę cutem gignere, & reficere possunt: quippe crassitudine adhærent: & iccirco fit facilis cuticulæ restauratio, non quòd ex sanguine fiat, vt malè existimauit Capiuaccius. Piccol.in ana.

2 Obstare tamen videtur, quòd cuticula in humano corpore totius pulchritudinis ornamentum est: quare non est rationi consonum, eam exordium coaceruatione gigni. Deinde etiam autor libri de carnibus ad occursum aeris generationem cuticulę referre videtur, dum ait, *Extremum corporis aeri expositum necessariò pelliculam contrahit.* Respondendum tamen est, pulchritudinem, quę ex cuticulę decore conciliatur, ostendere duntaxat, naturam in cuticulę generatione, restaurationeq; non abuti excrementis, sed sagacem, & à se ipsa edoctam eisdem rectè vti: quę est Andreæ Laurentij consideratio. Autor verò libri de carnibus non aliud voluisse videtur, quàm cuticulam aeri expositam indurare: hoc tamen non tollit, eam ab excrementosa materia gigni, & restaurari: neq; enim negandum est, fœtum ante, quàm aeri exponatur, cuticula esse contectum; Quòd si imperfectus adhuc sit fœtus, vt in aborsu videre est, cuticulam non habet: signum manifestum, quo ostendi- Lib. de carni. Andr. Laur.

tur,

tur, hanc non esse simul cum reliquis partibus efformatam: esse tamen efformatam ante, quàm aeri externo occurrat.

De vsu pilorum, vnguium, & cutis.

Appendix secunda.

1 NON omnes pili vsum aliquem in corpore habent: nam aliqui ad partium temperiem duntaxat sequuntur, vt qui in pudendis, in alis, & in corporis habitu nasci solent; Hi propterea pueris non adnascuntur. Sed dicet aliquis, barbam etiam pueris non adnasci, quæ tamen ad aliquem vsum est, videlicet ad ornatum. At ornatus, dicam ego, qui mores postulat à puerili, & à muliebri leuitate alienos, non ita pueros, & mulieres decet, vt homines. Cœterùm pili, qui in capite, in palpebris, & supercilijs sunt, partis quidem temperiem sequuntur, ad naturę tamen prouidentiam sunt referendi. In palpebris multas oculis afferunt vtilitates: in primis, instar valli, visiles spiritus, & radios ab oculis manantes dirigere dicuntur. Deinde simul cũ palpebris oculos contra occursantia animalcula, puluerem, & alias sordes, muniunt. Crebro nictu efficiunt, vt visus recreetur, & nequid impetu in oculos irruat. Quoniam etiam oculos oportuit esse ab iniurijs externis munitos, supercilia in hunc vsum sunt data, præcipuè vt ea, quæ è capite, & frõte defluentia possunt oculos offendere, propulsentur. Magnitudo eorum conuenientissima est: si enim pilos haberent longos, oculos obtegerent, sin breuiores non essent apti ad propulsanda prędicta offendicula. Est eorum insertio non recta, sed obliqua, vt omnia ab oculis faciliùs deflectant. In capite non solùm sunt vtiles ad tegumentum, sed etiam ad expurgationem excrementorum capitis, vt iam exemplo opthalmicorum ex Auicenna, & Rhasi comprobauimus. Porrò ornamentum ex pilis vario modo, apud varias nationes in vsu fuisse constat: apud Romanos quoties mœroris adesset occasio, barbam, quam rasam portabant, prominentem portare, moris erat. Apud Hebræos contra, barba prominens erat, quam in mœrore radebant. De Romanis extat Liuij testimonium: de Hebręis sacra pagina mentionem facit. Iam verò de ornatu, quem barba præbet, vltra multa, quæ congerit Pierius, fidem facit Lactantius his verbis: *Barbæ ratio incredibile est, quantum conferat ad dignoscendam corporum maturitatem, vel ad differentiam sexus, vel ad decorem virilitatis, & roboris, vt videlicet omnino non constatura totius corporis ratio, si quicquam, aliter esset factum.*

T.Liu. lib. 6. dec.1. leuit. 22. Pier. Valer. Lact. Firm.

2 Vngues etiam suum non parui momenti habent vsum: quippe digitorũ sunt fulcra, vt meliùs quidpiam possit apprehendi: etenim manus ad actionẽ apprehendendi sunt factę: *Genus vnguium* (Galenus ait) *gratia eius, quod est melius videtur factum esse, cum scilicet possent manus, absq; vnguibus apprehendere quidem, sed neq; moles omnes, neq; ita bene, vt cum illis. Monstratum est enim dura, & exigua corpora facilè eas effugere, nisi summitatibus digitorum aliqua subsistat durissima substantia, eius loci carnem firmatura.*

G. 1. de vsu p. c. 10.

3 Venio ad cutem, de qua Galenus sic ait: *Hæc enim (vt quæ nullam operationem habet, sed vsus tantùm gratia à natura instituta est) optima ratione partibus alijs, quæ aliquam habent operationem, imbecillior est facta.* In hoc se Satyrus suo more implicat: nam & fatetur, Galenum actionem cuti denegasse tam animalem, tam naturalem, & eam vsus tantùm gratia constructam esse. Obiter, ne discedat à se ipso, mentitur, asserens, Hippocratem dixisse, ossa stabilitatem, rectitudinem, ac speciem exhibere, sed actionem officialem nullam exercere: at Hippocrates vsus commemorat, actionem non negat. Sed si Galenus actionem omnem cuti negat, cur Laurentius actiones priuatas, & peculiares ei concedit? Citas Laurentium Galeno aduersantem, & perinde ac si nulla esset aduersatio, rem istam sicco pede pertransis, imò Laurentium erroneè citas: eius verba in fonte non legisti. Laurentius quidem, ex Galeni sententia, non ex sua propria ait, cutem vsum habere communem: quia vniuersum corpus tegit, fouet, colligat, sed, actionem nullam edere, creditur, officialẽ.

Gal. de caus. morb. c. 6. p. 166.

☞ Mendacium.

Secund. Saty. 1. anat q. 8. secundũ rei veritatẽ 6. anat. q. 4.

Deinde

Deinde ex propria sententia adiungit: *Ego tamen communem actionem, animalem scilicet, et tribuo*. Vides, vt Laurentius ex professo se Galeno opponat? quod tu non vidisti. Itaq; Laurentius preter actiones particulares attrahendi, retinendi, coquendi, expellendi, agnoscit etiam in cute actionem communem animalem, nimirum sensum. Capiuaccius, explicans Galenum, inquit, eum negasse cuti operationem, quę conferat toti animali. v. g. chylificationem, & similes, non autem particularem, videlicet proprij alimenti coctionem. Negat tamen idem Capiuaccius, cutem sentire: quippe, vt ipse existimat, cutem esse duntaxat medium sensationis. In hoc non recipiendus: nam sensationes perfectè fiunt in suis organis: organum verò tactus nullum aliud est preter cutem: iudicium autem sensationum ad sensum communem spectat. Horatius Augenius actiones communes appellat non eas, quę communes sunt toti, vt chylificatio, quæ est in commune bonum, sed eas, quę singularū sunt partium: quippe singulis membris commune est trahere, retinere, coquere, expellere; Itaq; eas, quæ apud alios sunt communes, apud eum particulares sunt: rursus quas alij particulares vocant, ille communes nuncupat. Itaq; ait, actiones, quæ communes sunt toti, non reperiri in cute, & hoc voluisse Galenum, quamuis operationes, quę cuti, vt pars quædam, inseruiunt, non potuisset negare: quippe cutis per venas nutritur, viuit, & sentit. Porrò licèt isti tres autores in dicendi modo varient, in eo conueniunt, quòd Galenus non neget cuti omnes actiones, sed eas, quę inseruiunt toti: & quòd pręterea cutis nomine vniuersam cutem comprehendat. Hoc solum diuersum in eis reperitur, quòd Capiuaccius, forsitan non sentire cutim, ideò dixit, quia sensibile supra sensum positum non facit sensationem. Verum responderi potest, hoc axioma non pertinere ad tactum, neq; etiam ad gustum, qui quidam est tactus.

Capi. de met. anatom. c.19.

Horat. Aug.l. 11.epist.36.

4 Verumtamen nunquàm mihi placere potuit isthęc interpretatio verborum Galeni: nam quorsum Galenus de cute speciatim diceret id, quòd ferè omnibus etiam partibus dicendum est? Paucæ profectò sunt partes, quę operationes toti inseruientes edant, proprias verò vnaquæq; exequitur. Non erat ergo, cur in cute hoc magis, quàm in alijs animaduerteret. Quapropter existimo, illum omnem actionem, tam communem, quàm particularem, siue in hoc, siue in illo sensu cuti denegasse: sed non intellexisse cutis nomine vniuersam cutem, verùm solam extimam, quæ vti diximus, cuticula solet dici. Vt ita sentiam, causa est, quoniam Galenus in eo capite, in quo negat actionem cuti, rationem reddit, cur est apta suscipere excrementa aliarum partium: videlicet, quoniam est debilis: debilitas autem cum ęqualitate temperamenti, quæ cuti internæ debetur, stare nequaquàm potest. Persuadeor insuper ad ita sentiendum, quia dixit, cutem solùm esse velamen, & amictum, cum tamen, si de interna cute loquamur, alios habet vsus, vt mox enarrabimus. Laurentius tamen pręuidens hanc rationem respondet, imbecillitatem non esse à temperie: nā cutis non est per se, & sua naturā debilis, sed ex euentu, ratione situs, & vasorum: maiora enim vasa in minima desinentia, quia propriùs absunt à fonte, sunt validiora: itaq; internarum partium facultas expultrix, cum sit potentior, facilè in externas superflua deponit, & sic imbecillior est cutis, ratione expultricis facultatis. Hæc tamen fuga nihil valet: eam namq; non tolerant Galeni verba; *Nam superfluus humor, vt qui à partibus omnibus robustioribus expellatur, ac nullibi consistere queat, tandem ad imbecillissimam omnium peruenit partem: hæc verò alia, atq; alia in diuersis corporibus existit, aut quia in prima animalis functione, eidem parti aliquis error obtigerit, aut postea aliquam susceperit noxam, aut talis natura esse debeat, quemadmodum cutis*. Hęc verba satis declarant, eum agere non de cute (siquidem ait, debere esse, quemadmodum est cutis) sed de cuticula.

Andr. Laur. vbi sup. q.2.

Vbi supra.

5 Non vnum tantùm vsum habet cuticula, sed plures. Primus, quoniā cutis subtus latens, propter vasorum extremitates illuc desinentes, inequalis est: eam tegit, & propterea quoddam corpori tegumentum est: quippe & est lęuis, & lęuigari etiam ab arte patitur. Alter à primo non valde distans, vt ea vasorum ora, quę ad cutem pertingunt, occludat. Tertius, quia interna cutis madet, quod molestum, & turpe est: & ni ab externa cuticula regeretur, in perpetuo foetore homo versaretur. Quartus, quia, ob neruos ad cutē

inter-

internam accedentes, pars illa acutissimo sensu pollet: quare necessaria fuit externa pellicula non sentiens, quæ sua tenuitate, non quidem impediret internæ sensationem, suo verò tegumento eandem moderaretur. Quintus ab aliquibus ponitur, vt scilicet sit medium, ne sensibile ponatur supra sensum. Ego tamen existimo (vt iam superiùs dixi) non esse inconueniens, in tactu, & gustu, rem aliter, ac in alijs sensibus, se habere. Potiùs alium vsum cuticulę tribuam, quem Laurentius vniuersæ cuti tribuit: videlicet vt sit emunctorium, & locus excrementis suscipiendis aptus: cumq; Galenum dicentem, cutem suscipere excrementa, de cuticula loquutum fuisse, arbitror, eodem iure non cuti, sed cuticulæ hunc adscribo vsum. (Andr. Laur.)

6 Cutis alij sunt vsus: quippe hæc sua viscididate effluxum substantiæ maiorem, quàm conueniat, prohibet: cum enim & ad expulsionem fuliginum, & ad ingressum aeris necessariò debeat corpus foraminibus patere, nisi foramina ita forent disposita, vt expellere possint, quod expellendum est, & retardare, quod retinendum, facilè corpus exhauriretur. Deinde pinguis eius natura duo pręstat, vnum, vt pabulum habeat calor, alterum, vt membra veluti puluinari molliter sustententur. Tertius vsus, & magis celeber, vt simul cum cuticula subiectarum partium tegumentum sit, & quasi indumentum. Quid ais nunc, Satyre? Videris ne adhuc, tibi met esse sapiens, qui putabas, cutem indistinctè tam internam, quàm externam, vnum duntaxat vsum habere, hoc est, tegumentum esse? Iam nunc plures vtriusq: agnosces vsus. p. 166.

7 Sed tu dicis, neminem somniasse, spiritus vsibus esse necessarios. Itane? At sunt necessarij actionibus. Instas inquiens, me non distinguere vsus ab actionibus: vnde nam colligis hoc? nempe, quia dixi in libro de asitia, *Ideo etiam animalia, quæ exercentur, quæ in varios vsus vitæ tempus distribuunt, spiritibus carebunt.* Prauus es coniector, ò Satyre. Ego te, qui à plantis ab homines argumentum ducis, arguebam: neq; enim quia plantę solo affixę carent spiritibus, cogemur etiam fateri, animalia, quæ exercentur, & in varios vsus vitæ tempus distribuunt, spiritibus carere. Non dixi, spiritus necessarios esse ad vsus, sed esse necessarios animalibus, qui exercentur, & in varios vsus vitæ tempus distribuunt. Sed esto: intellige tuo modo: & ego tibi obsecundare volo. Tu, qui distinguere nosti vsus ab actionibus, dic mihi, si vsus apud te non sunt aliud, quàm aptitudines ad agendum, quando ego dico, animalia in varios vsus vitæ tempus distribuere, intelligis ne, vitæ tempus distribuere in varias aptitudines? Si sic intelligis, tibi vices rependo, & assero, te nescire discernere inter aptitudinem, & actum. Verùm quoniam videntur tibi esse ignotæ aliæ vsuum appellationes medicis familiares, eas te breuiter docebo. Hoc Minadous iam pręstitit, sed deminutè, quare addenda sunt non pauca. (Minad. in suo Cupino c. 5.) Inprimis vsus accipitur pro necessitate, vnde vsum in pulsibus, medici, vnam ex causis continentibus esse, aiunt: quippe aucto vsu, augetur pulsus, nempe aucta necessitate: sed communiter vsum dicimus esse calorem, cuius augmẽto augetur pulsus, & decremento minuitur. Deinde vsus dicitur consuetudo, vt quando dicimus, aliquid in vsu esse. Sumitur etiam pro motu, iccirco in libro de consuetudinibus in contextu legitur, *Motus roborat:* in marginali autem correctione *vsus*. (G. de cõsuet. c. 4.) Maius tibi dicam, sumi etiam pro actione (vt iam tandem tua proteruia cesset) sic quando damnans prauam consuetudinem ait: (G. 11. meth. c. 15.) *In quibus id maximè intellixisti, quantum malum sit, vsui, qui alienus à ratione sit, insuescere: quippe hi, cum ex ijs, quæ ipsi met faciunt, phlegmonas semper excitent, id non animaduertunt, sed ijsdem semper erroribus implicantur.* Vides, vt appellet vsũ alienum à ratione, actionem erroneam, qua phlegmones excitantur. Profectò vsum ibi non accipit pro consuetudine: neq; enim rectè diceret, vsui insuescere, hoc est, consuetudini insuescere: nec pro aptitudine, nam aptitudini non insuescimus, sed eam posteà insuescendo acquirimus. Damnatur ergo erronea curatio, vt patet ex serie contextus. Sed quid ampliùs hìc moror? Accusas me, quòd actionem cum vsu confundam, Galenum accusato: quippe apud eum aliquando χρεία, & ἐνέργεια vna, & eadem res est: nempe vsus, & actio: vt cum ait, manuum duplicem vsum esse, apprehensionem, & tactũ: apprehensio est actio propria manuum, tactus actio communis vniuersi corporis, & tamen hanc duplicem actionem duplicem vsum appellauit. (G. 1. de tẽper. c. 9.) Nonne ipse librum suum de vsu partium inscripsit, in quo de vsibus, & actionibus promiscuè agit?

8 Sed

8 Sed vide, quàm inanis sit isthęc tua obiectio, qui ais, neminem somniasse, spiritus vsibus esse necessarios, & vsum dicis esse aptitudinem. Esto: sit vsus aptitudo; Putas ne sine spiritibus aptitudinem membris inesse? Dic quęso; si spiritus auferas ab oculo, remanebit ne aptitudo ad videndum? At ego putabam, ab Aristotele oculos mortui æquiuocè oculos dici, quia inepti sunt ad videndum, non aliter, quàm oculi lapidei; Hæc autem ineptitudo vndenam oculis aduenit, nisi ex spirituum defectu? Cœcus habet oculos, ineptos etiam ad visionem, & affectus, quem guttam serenam appellant autores barbari, est priuatio visionis ob impeditum transitum spirituum in neruis opticis: exemplum tibi attuli in oculis, amplifica tu in vniuersis alijs corporis partibus. Ain, non somniasse homines, aptitudinem ad actiones requirere spiritus? Ipsi autem te docebunt, cum nec somniant, & tamen dormiũt, non habere actiones, sed habere duntaxat aptitudines ad agendum: fac igitur vt inter dormiendum illis spiritus euanescant, remanebunt ne apti ad agendum? Forsitan tibi sic eueniet, cuius aptitudo spiritu caret, alijs non euenire certò scio; quippe Galeno autore, *Dormientes, aut alioquin in tenebris, & ocio degentes, aut discumbentes sæpe, neq; vlla corporis parte mouemur, neq; alicuius rei extrinsecæ sensum habemus: nihilominus tamen sani sumus*. Sic ille. Si igitur dormientes nihil agimus, & sani sumus, certè aptitudinem, non actionem habemus: Rursus si sani sumus, spiritus nobis insunt: iam ergo aptitudo est cum spiritibus, quos si auferas, iam non ampliùs sani erimus, imò nec viui, vt tibi aliàs demonstraui. Gal. de diff. morb. c. 2.

De humanæ cutis raritate.

Appendix Tertia.

1 ADijcere hoc loco libet raritatem humanæ cutis, vt amicus lector agnoscat, in quo sensu sunt accipienda verba hæc, quæ in libro de asitia scripsi: *At corpus nostrum tegumento caret: quippe rara est textura cutis*. Num his verbis expositione est opus? non esset quidem, nisi Satyrus adueniens è Recho ficulneo gladio manifestam veritatem adoriretur. Ait igitur, mihi, qui corpus nostrum tegumento carere, aio, non benè Hieronymum Fabricium ab Aquapendente, celeberrimum Patauini Lycei anatomicum, libellum suum *de totius animalis tegumentis* inscripsisse, in quo de cuticula, & ijs, quę supra cuticulam sunt, ex proposito agit. Hanc tuam obiectionem, ò Satyre, cum legisset vir quidam doctus, risu penè solutus rogauit, quęnam medicę reipublicę ruina accidisset, si Fabricius iste non benè libellum suum inscripsisset? Ego verò, benè quidem inscripsisse, inquio, si quidem agit de tegumento omnium animalium, deinde cutem, & cuticulam tegumentum quidem esse, verùm in homine non tale, quale ad defendendum corpus ab iniurijs sufficiat: vestimentum necessitas, vestimentorum autem varietatem luxus reperijt. Nec verò existimes, vestes fuisse inuentas, vt duntaxat verecundiæ, & honestati consuleretur (quamuis hęc etiam vna ex causis sit) sed etiam ad iniurias cœli propulsandas, quibus ob peccatum primi parẽtis obnoxij permanserunt. Audi Rupertum: *Nec enim solummodò ob libidinem turpia, vel pudenda, sed etiam ad patientiam frigoris infirma sunt nuda sexus vtriusq; corpora: Benè ergo non tantùm tunicas, sed tunicas pelliceas illis fecisse dicitur Dominus Deus: quia iuxta talia voluit illorum esse corpora, quæ non solùm tegi propter turpitudinem, sed etiã calefieri opus esset propter infirmitatem*. Iam ergo quando dixi, corpus nostrum tegumento carere, & rationem addidi, nempe *quia rara est textura cutis*, vnusquisq; sanæ mentis intelligit, me non tegumentum simpliciter denegasse (nam superiùs inter cutis vsus hunc numeraui) sed tegumentum aptum ad propulsandas per se ipsum iniurias, quas ob raritatem suam cutis propulsare nequit. Num tibi videtur res noua, & inaudita, cutem hominis esse raram? At si tot autores cumulasti ad probandum, cutem esse tegumentum, quod ita simpliciter dictum, nemo negat, cur inter eos non vidisti complures, qui raritatem cutis humanæ exaggerat? At ego in hoc nimius esse nolo: vnum

p. 121. Adagium. Ruper. Abb. lib. 3 de trin. & eius operibus c. 27.

Ee tantùm

tantum tibi locum ex Aristotele afferam, alterum ex Galeno, plures tu, si opus habes, per te ipsum indagato. Aristoteles sic ait, *Cutem etiam tenuissimam præ cæteris animalibus homo suapte natura pro magnitudine habet*. Imò idem ipse causam reddit, *Cur homo animalium vnus titilletur*, & inquit, *Et cutis tenuitas est, & quòd solus omnium animalium rideat*. Posterior hæc nihil ad præsentem rem, prior verò maximè conducit: At tu forsan, tenuem esse cutem, cum philosopho admittes, raram tamen negabis. Ego dupliciter tibi respondebo, primò tenuia esse facilè transmittentia, ac subinde rariora censeri: deinde mihi sufficere tenuitatem cutis, vt ostendam, eam per se solam non esse sufficiens tegumentum. Sed accedo ad Galenum: is tibi ait, *Cutem videlicet omnem in primo statim ortu sibi esse continuam, at temporis spatio perforari, ac plurima nancisci spiramenta ritu cribrorum*. Omitto hìc Hippocratem, quem inferiùs in hoc opere habeo, raritatem corporis commendantem. Vnum hìc risu dignum adnotabo, videlicet cum plurimos accumules autores, qui cutem tegumentum esse dixerunt, quos accumulare non erat opus, Columbi considerationem laudas, & meritò, qui triplicem vestem à natura datam comparat, cum triplice veste ab arte inuenta: videlicet membrana carnosa cum interula linea, pinguedinem cum tunica serica, & cutem cum laneo pallio. Sed non ne vidas, ò Satyre, hanc comparationem manifestè tuam detegere asinitatem? Si enim tot vestimenta à natura data non sufficiant, vt possit homo nudus incedere, iam hinc constat, cutem istam triplicatam non esse tegumentum sufficiens. Ridete iterum quotquot Satyricas nenias legitis; Cutem diuidit in tres partes, quas tribus vestimentis cum Columbo accommodat, & me arguit, quòd de sola cute mentionem habeam, ille cuticulam omittit. At scias, cutis nomine reliqua omnia comprehendi, vt supra iam ex Galeno tibi monstraui, tibi verò, partes singulas recensenti, vnam omittere, est nefas.

Ar. 5. de gen. ani c. 2. iuxta finem & 3. de histor. an. c. 11 & 3. de part. ani. c. 10.

G. 1. simpl. c. 12.

Tex. 31.

2 Vt probes densitatem cutis, Galenum citas, qui, animalium hyeme latentium cutem, ait, ita densari, vt per eam non pateat effluxus. Num ex eo, quòd accidit animalibus hyeme latentibus, vis argumentum ducere ad demonstrandum, quomodò se habeat humana cutis in suo statu naturali, quod est nostrum præsens institutum? Ais insuper, posse tegumentum esse raræ texturæ: siquidem vestis linea, & lanea, non propterea, quòd raræ texturæ sit, desinit esse tegumentum. Ego verò tibi admittam, retem esse tegumentum, sed quod interest, est scire, an sit conueniens tegumentum. Ais, cutem impedire, prohibereq; quominus foràs exeant è corpore spiritus, & sanguis ex osculis venularum, & arteriarum capillarium, quę ad cutim terminantur, non aliter, ac vitreum vas, & operculum prohibet effluxum aquæ vitę in aerem. Iam superius notaui tuam peruicaciam, qui exemplum ab aqua vitæ suscipis, me illud suscipere non pateris. Interim scito, & spiritus, & sanguinem, tametsi aliquantulum possint à cute detineri, non tamen omnino, nisi adesset naturæ id, quod sibi est vtile, & necessarium, retinendi potestas. *Si corium*, ais tu, *seu pellis, homini viuo detrahatur, breui morietur is effluxione spirituum, & sanguinis, extinctioneq; caloris naturalis ab externis iniurijs*. Externę quidem iniuriæ multum nocebunt homini, cui pellis fuerit detracta: siquidem pellis, si non omnino, saltem aliquantulum, ab huiusmodi iniurijs corpus tuetur, non ita tamen (quod iam dixi) vt per se solam sit satis. Verùm quod moriatur breui tempore ex effluxu spirituum, & sanguinis, ne talem errorem concipito, caue, ne ex dolore obire possit, ex sanguinis verò, & spirituum effusione nihil timeto. Fac tibi argumentum ex vno membro ad reliqua: quid nam sanguinis, quid spirituum exire cernis ex plaga cutanea? profectò nihil. Sed tu, qui vsus alios, seu vsum vnum duntaxat cuti tribuebas, vbi nam reperisti, cutem inseruire ad retinendum spiritum, & sanguinem? Profectò malè cum humano genere ageretur, si ad retinendum, & in carcere continendum, vt tu dicis, spiritum, & sanguinem, ei data fuisset cutis, quam & cribro, & nassę piscatorum Galenus comparat. Et tamen hanc tuam ineptiarum seriem concludis inquiens, *Manet igitur in suo vigore mea ratio*; Ego inuicem tibi aio, manet igitur immota tua stoliditas, quę nullis conuincitur rationibus.

Gal. aduers. Eras. c. 9.

AN DETVR NVTRITIO PER alimenta exteriùs apposita.

QVÆSTIO VIGESIMA.

1 Dissentiunt inter se autores medici, quibusdam negantibus, posse ea, quę exteriùs ventri applicantur, nutrire, alijs affirmantibus. Qui affirmant, habent pro se Hippocratem tum in præsente contextu dicentem, *Forinsecùs alimentum ex extima superficie ad intimam peruenit*: & alibi etiam, *Carnes attractrices ex ventre, & extrinsecùs significat sensus: quoniam expirabile, & inspirabile.* Qui negant, defensorem suæ opinionis habent Galenum, qui manifestè ait, neq; vinum, neq; panem, betam, aut mazam foris imposita nutrire, etiamsi per totum diem, ac noctem extrinsecùs super corpus sint imposita. Hęc Galeni verba Vallesium, qui contrariam partem sequitur, adeò conuincunt, vt non inuenerit, quid ad ea respondeat, nisi Galenum parùm exquisitè, & non exprofesso fuisse loquutum. Vrget tamen è contrario Segarra, & Vallesium debuisse, inquit, alium locum referre, in quo Galenus & exquisitè, & exprofesso loquatur. Ego verò pro Vallesio, qui iam vita functus non potuit Segarræ satisfacere, Galeni verba proferam, quibus videtur, nutritionem ex alimentis exteriùs appositis non omnino impossibilem censere. Nam in cõmento prędictę Hippocratis sententiæ ait, *Incertum est alimentum ne dicat, an aerem: possunt enim partes, quemadmodùm ex ventriculo alimentum hauriunt, sic & ab extimis partibus in profundum reuocare.* Cœterùm adhuc Segarra, & alij cum eo, habent, quid respondeant: nam in primis Hippocratis sententiam de aere, qui transpiratione attrahitur, explicant: sic Fracantianus, sic Cardanus. At Galenus extimas partes appellat non extra cutem, sed eas, quas subentaneas appellant medici: sunt enim extimę comparatione intimarum, nempe viscerũ. In has angustias detruduntur, qui solis autoritatibus certant.

Tex. 23. H.6.epid sect. 6.tex.1. G.3. de temp. c.2. Vall.8. cõtro. c.3. Segarra. G.6. epid. cit. Fracantianus Cardanus.

2 Adeò verò problematica est pręsens controuersia, vt quicquid pro vna parte affertur, ab altera, non sinè maxima probabilitate soluatur. Qui parti negatiuę adherent, hac præcipuè ratione nituntur. Si quid exteriùs appositum nutriret, effugeret ventriculi coctionem, & sic actio ventriculi non esset necessaria ad vitam, sed duntaxat ad benè esse: quod nequaquàm est admittendum, vt constat ex Galeno, qui de ventriculo agens, verba hęc apponit: *Promptuarium autem hoc, alimentum vniuersum excipiens, ceu diuinum, non humanum sit opificium, subit primum in cibarijs laborem, sinè quo hæc sunt inutilia, in nullamq; rem animali commoda.* Deinde, si vinum, quod facilè concoctu est, & nobis familiare, non potest (ex Galeni sententia superiùs citata) nutrire, nisi priùs in ventriculo, & iecinore mutationem suscipiat, quod nam erit alimentum, quod ab his coctionibus possit excusari? Vallesius è contra, Galenum, ait, voluisse, actionem ventriculi non esse necessariam ad vitam: quippe aliquãdo sic inquit: *Licèt ventriculus cibos omnino conterere non valeat, modò succos aliquos assumamus, vt multis in nationibus lac solent, viuere possumus: si sanguinis generatio tollatur, vitam quoq; tolli necesse est*, &c. Non deest Segarræ, quid respondeat: imò in sua opinione persistens, constare, inquit, ex Galeni dictionis serie, eum aduersùs Erasistratum ostendere, sanguinis generationem magis esse necessariam ad vitam, quàm ciborum coctionem, quam, putauit Erasistratus, solam esse attritionem. Hæc tamen Segarrę responsio non conuincit: quandoquidem, tametsi ibi Galenus contra Erasistratum argumentatur, eius nihilominùs argumentatio loco antecedentis simpliciter, & absolutè habet, si succos assumamus, posse nos citra ventriculi actionẽ viuere. Notat Vallesius, dictum fuisse à Galeno, posse nos absq; ventriculi actione viuere, non autem dixisse benè viuere, aut bono frui sanguine. Quare argumentum aduersùs Erasistratum quidem concludit, antecedente tamen non ad hominem, sed absolutè prolato.

G.4. de vsup. c.1. G.3. de temp. cit. G.6. de placit. c.6.

3 Neq; verò ea, quę Segarra adducit ex Galeno, perfectè probant, actionẽ ventriculi esse necessariam ad vitam: nam quando dicit, promptuarium suscipiens alimentum primum subire in cibarijs laborem, agit de cibarijs, quę

De vsup. cit.

De temp. cit. per ęsophagum in promptuarium hoc, nempe in ventriculum, descendunt, vt patet ex inscriptione, & serie totius capitis; Hoc autem non prohibet, aliam esse viam, per quam animal nutriatur. Quando autem dicit, vinum minimam subire in ventriculo alterationem, non erat ibi locus inquirendi, nisi vias, per quas toti corpori alimentum præstatur, quę est responsio Vallesij: & confirmatur, quoniam iniecta per clysteres nutriunt. Dicet tamen aliquis, iniecta per clysteres, ante quàm ad iecur perueniant, subire alterationem in intestinis, & in venis mesaraicis, quæ quidem alteratio supplet vicem actionis ventriculi. Cœterùm hoc parum refert: satis namq; est, posse aliquid alere absq; ventriculi actione, etenim aliàs etiam ea, quæ extrinsecùs apponuntur, ante quàm ad iecur accedant, alterationem in membris, & capacitate vasorum subeunt: quippe, quemadmodùm probabilius censeo cum Vallesio contra Segarram, posse aliquid alere sinè ventriculi actione, ita è conuerso existimo contra Vallesium cum Segarra, nihil posse alere, quin priùs in sanguinem conuertatur. Hanc fuisse mentem Galeni, coniecto ex ratione eiusdem allata aduersùs Erasistratum, vbi absq; vlla ambage declarat, si sanguinis generatio tollatur, vitam simul tolli. Nec video, quomodò nutritio possit fieri absq; eo, quòd alimentum in quatuor successiuè humiditates mutetur, quarum prima, quæ innominata dici solet, sanguis est, in osculis vasorum capillarium existens.

4 In hac difficili quęstione, in qua vnumquemq; suo modo posse sentire videtur, mihi pars affirmatiua magis placet. Non quidem ob illud experimentum, quod in vtero gerentibus fit, cum fœtum imbecillum per vmbilicum alimus: nam tunc agitur de fœtus, non de matris nutritione, fœtus autem in vtero quomodò nutriatur, inferiùs tractabimus, sed ob pręcitatas Hippocratis autoritates: quippe in pręsente contextu cum opponat alimentum forinsecùs adueniens alimento aduenienti ab internis partibus, videtur vtrobiq; de eodem genere alimenti agere; Si ergo ab interiore regione aduenięs est verum alimentum, necessariò tenemur fateri, adueniens ab exteriore verum esse, non improprium: & sic reijcitur expositio eorum, qui Hippocratis verba ad aerem referunt. Alteram vero autoritatem, in qua ait, *Carnes attractrices ex ventre, & extrinsecùs*, frustra interpretantur autores illud *extrinsecùs*, hoc est, ex partibus subcutaneis, quæ extrinsecæ possunt dici respectu internarum, frustra inquam, & gratis hoc dictum videtur: nam idemmet Hippocrates se explicans adytum interclusit huic interpretationi: adiungit enim, *Quoniam expirabile, & inspirabile*; At expiratio, & inspiratio commercium significant cum ambiente, & referuntur ad regionem extra cutem.

Infra.

5 Pręcipua autem ratio, quę me huic parti adhęrere cogit, est: quoniam aqua balnei per poros extimæ superficiei attrahitur, quare potest similiter attrahi succus ex re alimentosa. Scio, quid respondeat Segarra: nempe attrahi aquam ad duos vsus, humectationem siccarum partium, & serosi humoris reparationem: alimenti verò nullum esse vsum: quippe ex eo sola pars vaporosa attrahitur, quæ non est apta, nisi ad reficiendos spiritus. Verùm hoc vltimum non probat: nam si aqua attrahitur, cur non similiter attrahetur succus alimentosus? At experimento assequimur, hectica laborantes balneo, lactis, & vnguentis refrigerantibus, quę nutriendi vim habent, recreari: præcipuè quod nunquam exteriùs adhibitis alimentis nutrire tentat medicus, nisi cum maxima adest nutrimenti necessitas: tunc enim omnem vim, omnemq; conatum natura pro conseruatione viuentis adhibet, adeò vt libeat cum Horatio dicere,

Hor. epist. 1.

Naturam expellas furca licet, vsq; recurret.

Concludo animaduertens cum Vallesio, nutritionem istam, quę rebus exteriùs applicitis comparatur, minorem quidem esse, quàm quę acquiritur per enemata: Sufficit tamen, vt sit aliqua, quæ in vltimo exterminio opem ferat.

TEXTVS XXIV.

IVxtà totius quidem corporis naturam omnia, iuxtà partem verò partes vnaquaq; parte ad opus.

DIxit priùs, *consentia omnia*, nunc amplificat hanc sententiam. Duas habet partes præsens contextus: in prima explicatur, quomodò consentiant inter se simul omnia, nempe in vnam *naturam*: in altera, qualis sit consensus partium ad partes, videlicet *ad opus*. Porrò totum constat ex suis partibus simul sumptis: an verò sit idem reale cum ipsis, non est præsentis negotij: satis nunc est scire, integritatem naturæ postulare, vt partes omnes sint inter se continua (loquimur de toto physico, non de toto per aceruationem) deinde etiam in toto non spectari nisi naturam, quæ prędidet partibus.

In partibus verò spectari actiones, quippe hę sunt membrorum; Vt igitur partes omnes simul efficiunt corpus natura vnum; sic partes aliquæ similares efficiunt partem organicā aptam *ad opus*, hoc est, ad operandū. Iuxtà has duas præsentis contextus partes, duæ pertractandæ sunt quæstiones, quæ ex ijs emergunt. Prima, quoniam natura totius cum sit vna, constat ex diuersis partibus, an partes induantur forma totius, an suas habeant formas: altera, quoniam partes similares efficiunt organicas ad opus, an actiones debeantur his, an verò illis.

VTRVM MEMBRA NOSTRI corporis suas habeant formas præter formam totius.

QVÆSTIO VIGESIMA PRIMA.

1 TRes in hac quæstione opiniones reperio: vna est eorum, qui tenent, partes organicas (sunt hæ, vt inferiùs videbimus, ex similaribus cōflatæ) esse contiguas inter se; Altera aliorum, qui, continuas quidem esse, aiunt, nihilominùs tamen pręter formam totius suas particulares formas habere; Tertia verò, quę pluralitatem formarum in vno subiecto nequaquàm admittit.

Opinio eorum, qui partes nostri corporis organicas, dicunt, esse contiguas.

Articulus Primus.

2 NON desunt rationes, quibus contiguas inter se, non autem continuas partes organicas esse, aliqui nobis persuadere nituntur. Prima sumitur ab Aristotele, qui ita sensisse videtur: siquidem ait, *Nec verò excrementum est*, (loquitur de cerebro) *nec inter partes continuas enumerandum, sed sui generis est, & quidem ratione optima naturam eiusmodi sortium est. Nullam verò cum partibus, quæ vim obtinent sentiendi, continuitatem habere, cum intuitu pateat, tum vel maximè inde constat, quòd, cum tangitur, nullum sentit sensum; quemadmodùm nec sanguis, nec excrementum animalium vllum.* Ar. 2. de part. anim. c. 7.

3 Altera est, quam ex Tubingensi elicere possumus: is enim ἀνάσπασμα, dicit, esse morbum, in quo, parte similari non lęsa, instrumentalis disiungitur; tunc addit hæc verba, *Qua propter Galenus rectissimè auulsionem ad instrumentarias partes retulit, vt pote per quam earundem vnio soluitur, similarium vnitate illæsa-* Tubing. lib. 3. inst. sect. 1. c. 6. Gal. de const. art. c. 6.

befactata; Ut hinc iterum perspicuum euadat, instrumentalium vnionem verius contiguitatem dici.

4 Tertia, molle cum duro non continuatur, non ergo carnes mollissimæ cum durissimis ossibus possunt continuitatem habere. Corroboratur hæc ratio, quoniam ossa, & carnes intermediam habent tunicam, hæc autem cur potiùs ossea erit, quàm carnea?

Opinio aliorum, qui tenent, præter formam totius dari formas singulorum membrorum.

Articulus Secundus.

1 ALij, in quorum numero est Vallesius, non negantes continuitatem partium, neq; expungentes formam totius, proprias singularum partium formas introducere nituntur. Primò, quoniam ex vniuscuiusq; rei esse oritur eiusdem operari; Cum ergo membrorum diuersæ sint operationes, necessariò sequitur, diuersas eorumdem essentias esse. Deinde patet hoc in ijs viuentibus, quorum animæ sunt extensæ: pars enim formę est in vna parte materię, & altera pars formę in altera materiæ parte: cumq; partes formæ sint similes, non postulant diuersas dispositiones; Ergo partes, quæ habent diuersas dispositiones, requirunt diuersas specie formas partiales.

2 Pręterea hanc opinionem putat ille esse sacro textui conformem: Nam corpus illud, in quod inspirauit Deus spiraculum vitę, non fuit statua quædã lutea, & accessione spiritus fuit facta carnea, & ossea, sed erat corpus quoddam ex ossibus, neruis, carne, cute, non quidem aridis, sed floridis, ac virentibus, immobile tamen adhuc, ac sensus expers, motum autem, ac spiritum accepisse; Cui consonat etiam visio Ezechielis: cum enim voluisset ei Deus ostendere resurrectionem mortuorum, demisit eum in medium campi pleni aridis ossibus, quibus non statim accessit spiritus, qui vigorem, & reliqua omnia præstaret, sed primùm quidem accesserunt ossa ad ossa, vnumquodq; ad iuncturam suam, & super eam nerui, & caro ascenderunt, virescentibus scilicet iam partibus, & extensa est desuper cutis, & adhuc spiritum non habebant, vsq; dum ingressus est in ea spiritus, & reuixerunt, & steterunt super pedes suos. Ergo esse carnis, & ossis, & aliarum partium viror non præstatur ab spiritu, idest ab anima rationali, sed à formis corruptibilibus, & corporalibus, quæ ad animam habent rationem dispositionum materię, & ob id animę accesione non tolluntur, sed simul cum ea manent. Atq; hęc sunt, quæ pro hac opinione afferri solent.

Adstruitur tertia opinio, quæ formarum pluralitatem tollit, & respondetur argumentis duarum præcedentium.

Articulus Tertius.

1 VEra sententia est, & digna, quę recipiatur, vnam duntaxat esse formam totius, qua vestiuntur singulę partes: quippe ex Aristotele, quę differunt specie, non possunt inter se continuari; Si ergo membra inter se non continuarentur, specie differrent: non differunt specie, ergo sunt continua. Quòd sint continua non negant secundæ opinionis autores, & propterea negare non debent, omnia vnam, & eandem habere formam; Quòd si vnam totius habent, & hæc sufficiat, non est, cur aliæ requirantur; Quòd autem sufficiat, probatur, quoniam non repugnat ab vna, & eadem forma dari esse osis, & esse humani osis: sed humanum esse sumitur à forma totius, ergo

Ar. 1. physic. c. 3.

ergo & esse ossis ab eadem sumi debet. Deinde, si partes constarent sua peculiari forma diuersa à forma totius, separata manus, aut separatus oculus, & aliæ partes non essent æquiuocè tales: siquidem haberent idem esse, quod habebant prius, videlicet eandem formam. Esse autem partes separatas æquiuocè tales, probatur ex Aristotele pluribus in locis. Si quis autem dicat, partes separatas esse æquiuocè tales, non quia separatione aufertur eis anima totius, sed quia deperdunt etiam propriam animam, hæc obiectio refellitur ab Aristotele: quippe ait, *Si enim esset oculus animal, anima vtiq; ipsius visus esset: hic enim est substantia oculi, quæ secundùm rationem, oculus autem materia visus est, quo deficiente non est amplius oculus, nisi æquiuocè: sicut lapideus, aut depictus. Oportet igitur accipere, quod est in parte, in toto viuente corpore: proportionaliter namq; habet, sicut pars ad partem, totus sensus ad totum corpus sensitiuum, secundùm quod huiusmodi.* Sic Aristoteles, ex cuius verbis elicitur, formam cuiusq; organi esse facultatem, quæ est animæ totius. Itaq; hæc facultas est forma organicæ partis, non verò alia eiusdem partis anima, quam frustrà dari, contendunt formarum multiplicatores. Tandem facultas, seu anima vegetans totius, & singularũ partium vna, & eadem est. Si ergo hoc ita se habet in anima inferioris gradus, similiter se habere debet in anima superioris. Quòd autem vegetans totius, & partium sit vna, & eadem, vltra quàm sit notissimum, probari etiam potest, quia nutritionis instrumentum vnum, & idem est, deinde quia frustra fit per plura, quod per pauciora æquè commodè præstari potest. Nemo autem rationem aliquam assignabit, cur melius partiales formæ concurrentes agant, quàm vna totius. Plura sunt argumenta, quibus hæc pars stabiliri potest: præstat ea apud suos autores legere.

Ar. 4. meteor. c vlt. lib. 1. de gen. ani. c. 19. & 2. de part. ani. c. 1.

Ar. 2. de an. c. 1

2 Oportet autem ijs, quæ in oppositum adducta sunt, respondere. Aristoteles quidem dixit, cerebrum cum partibus, quæ vim habent sentiendi, nullam continuitatem habere. Augustinus Nyphus continuitatem explicat, hoc est, identitatem: quippe cerebrum non sentire, ait; verùm cum hoc non sit adhuc decisum, & alij cerebrum aliquam sentiendi vim habeat, adhuc inter autores non constet, melius, & securius erit respondere, cerebrum, tametsi cum partibus sentientibus non continuetur, continuari tamen cum alijs, & mediantibus his cum reliquis omnibus. Itaq; immediatè continuum est cum spinali medulla, mediatè verò cum alijs partibus.

Aug. Nyphus

3 Ad Tubingensem respondeo, Galenum non negare, in auulsione partium instrumentalium, partes quoq; similares pati, sed minus præcipuè, quippe instrumentaria parte dissoluta, simplices, quæ illi adhærent, nerui, arteriæ, venæ necessariò solutionem continui patiuntur. Ad tertium dicimus, verum esse, molle cum duro non facilè continuare; videlicet quando nos vtrumq; simul vnire volumus, non verò, quando ambo nutritionis beneficio coeunt. Ad confirmationem autem dicendum, superficiem mediam inter ossa, & carnem esse vtriusq; participem, neq; ex hoc aliquod sequitur inconueniens.

4 Ad rationem Vallesij, fatemur, membra diuersas habere dispositiones, diuersas etiam operationes, nihilominus affirmamus, formam vnam posse esse principium diuersarum operationum: nam quò forma est perfectior, eò est in virtute multiplicior, iccirco animalia perfecta plures exequuntur operationes, quàm imperfecta. Ad alteram respondendum, dispositiones arguere duntaxat diuersitatem accidentalem, ac proinde vbi nec diuersæ dispositiones sunt, nulla est diuersitas, nisi numeralis indiuidui ad indiuiduum, vbi verò adsunt, diuersitas quidem existit, sed accidentalis tantùm, quæ sumitur ex diuerso modo informandi. Ad id verò, quod affert de formatione primi hominis, dicendum, historicum diuinum narrasse in primo capite Geneseos creationem hominis, inquiens: *Et creauit Deus hominem ad imaginem, & similitudinem suam, masculum, & fœminam creauit eos;* Deinde verò in capite sequente docuisse modum creationis his verbis: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuentem.* Nec propterea colligi debet, quod Vallesius colligere conatur, membra, ante quàm acceperunt *spiraculum vitæ*, habuisse iam potentiam vegetandi, & solùm recepisse sentientem, intelligentemq; animam: etenim si iam prius vegetandi potentiam habuit, iam prius erat viuens: sed historia sacra narrat, per spiraculum vitæ posteà aduenientem factum fuisse Adamum

Gen. c. 1.

Gen. c. 2.

in animam viuentem. Vt tamen hanc redargutionem effugeret Vallesius, negat se Aristotelico modo velle appellare, ea tantùm, quę vegetantur, viuentia, sed more Stoico, qui communi omnium sensui propinquior est, ea sola viuentia vocat, quæ sentiunt, & mouentur. Sed hanc alteram forsitan non effugeret. Homo per animam rationalem est homo: cum igitur Deus formauit hominem è limo terrę, dicendum est, vel ex limo terrę fuisse hominem, antequàm habuisset spiraculum vitæ, quod est absurdum, vel simul fuisse inspirationem in faciem hominis, & eiusdem formationem ex limo terrę: & sic non pręcessisse membrorum facultate vegetandi præditorum cōpagem, quę est opinio Theologorum in eorum schola receptissima, cuius contraria, quam sequitur Vallesius, licèt aliquos habeat autores, nihilominùs iam prorsus aboleuit. Ad alteram autoritatem Ezechielis, visio quędā fuit celeberrima, & in sensu historico vera: cœterùm eius expositio tota in mystico sensu accipi debet. Patet autem, non habere locum sensum literalem: nam in primis prophetia est: quare sensus eius debet esse propheticus, ita vt omnes alios sensus absorbeat: deinde ex modo loquendi: quippe iubet Deus Ezechieli vt dicat, *Ossa arida audite verbum Domini*; At ossa illa disiuncta, quamuis ex opinione Vallesij haberent facultatem vegetandi, non habebant adhuc potentiam audiendi; Quare ad mysticum sensum recurrendum est, vbi literalis nullum habet locum. Atq; hęc de partium formis, & totius. Si quis verò quęrat, an partes differant inter se accidentaliter, an substantialiter, specificè, an indiuidualiter, id apud alios exactè pertractatum inueniet; Sed præter cœteros, apud Antonium Ruuium: quare ab huiusmodi controuersia supersedeo.

Ezechiel. c. 37

Ruuius in 2. de an. c. 3. q. 7 in secūda quæstionis parte.

AN ACTIONES DEBEANTVR membris simplicibus, an organicis.

QVÆSTIO VIGESIMASECVNDA.

1 IN hac etiam quęstione parùm immorabor: quippe ab alijs satis, superq; est ventilata: Dissimilares partes, vel immediatè ex similaribus constituuntur, vt digitus ex carne, neruo, cute, vnguibus: vel mediatè, vt manus ex digitis, vola, & parte externa, aut facies ex auribus, oculis, naribus, ore. Similares etiam partes in duplice sunt differentia: quædam enim constant ex partibus eiusdem appellationis, & naturæ cum toto, vt neruus, cuius quælibet pars & nerui naturam habet, & neruus dici potest, & similiter ossa: (de venis, & arterijs controuersia est, quæ non spectat ad hunc locū) alię retinent quidem eandem naturam, non tamen eandem appellationem: hę nimirum sunt, quæ propriam expostulant figuram: quippe tunicæ ventriculi eadem pars eandem naturam habet cum toto, non tamen eandem appellationem. Quare Aristoteles hoc agnoscens, in hunc modum scriptum reliquit: *Ordo enim similarium discrepat: quippe nomen partim commune toti cum parte seruet, vt venæ pars vena rectè appellatur: partim non seruet, vt in visceribus patet: figura enim diuersa est.* Porrò hęc similaria, quę, Aristoteles ait, peculiarem exigere figuram, memorię mandare oportet ad id, quod posteà dicetur.

Ar. 2. de part. an. c. 2.

2 Actiones omnes pręcipuè ab anima fiunt, tamquàm à causa principali: à temperamento autem, tamquàm ab instrumentali: nihilominùs illæ, quæ liberę sunt, sensus, inquam, & motus, cum animæ præstantiam referant, animales dicuntur: quæ verò libertate carent, & subinde necessariò agunt, magis à natura fieri dicuntur, proindeq; naturales appellantur. Principium verò elicitiuum, tàm harum, quàm illarum sunt membra: num similaria, an dissimilaria in controuersia est positum. Cum igitur nutritio fiat secundùm partes similares (de quo nemo vnquam dubitauit) secundùm easdem omnia, quæ nutritioni inseruiunt, fieri censenda sunt: propterea attractio, retentio, coctio, expulsio similarium sunt partium, sensum autem, & motum, quæ sunt actiones animales, organicarum partium esse, tenet Argenterius, Curtiumq;

Argenterius.

tiumq; reijcit, quæ omnes indistinctè actiones, ad similaria membra refert.

3 Probat itaq; Argenterius suam sententiam in primis ex Galeno: quippe similarium actiones quasdam statuit, alias instrumentalium, quę Galeni doctrina irrita esset, si omnes actiones à simplicibus, seu similaribus essent: quod magis expressè alibi dixit: nempe, *Duplex esse actionum genus, alterum primum, & maximè proprium, cum pariter omnes simplices partes agunt: alterum verò ex accidente, aut secundariò, vel non primò: quomodocumq; appellare libeat, totius est instrumenti:* & reliqua, quę in hanc sententiam ibi latissimè dicta sunt. Idem etiam alibi repetit inquiens; *Cum autem primarias actiones à similaribus partibus ostensum sit, ab instrumentarijs verò secundarias.* Aristoteles etiam Argenterio fauere videtur: quippe, *Constant igitur,* inquit, *animalia ex vtroq; membrorum genere; Verùm similaria dissimilarium gratia habentur: illorum enim officia sunt, & actiones, vt oculi, vt narium, & faciei totius, item digiti manus, & brachij totius,* & quę sequuntur, quæ benè, Philosophi mentem hanc esse, declarant. Imò alibi instrumentarijs tantùm agendi facultatem, tribuere videtur: inquit enim: *Item cum partium aliæ facultate, aliæ affectibus distinguantur, videlicet dissimilares, eò quòd efficere aliquid possint, vt lingua, vt manus: similares duritie, mollitie, & reliquis eiusmodi affectionibus.*

G.ar.med.c.8

Gal. de const. art.c.4.

Gal. de sang. miss.c.4.

Ar.2. de part. an.c.1.

Ar.1.gen. ani. c.18.

4 Rationem adiungit Argenterius: nam partes similares, vt similares sunt, nihil debent habere diuersum in actionibus: vt enim vna est illarum essentia, quę fit per temperiem, ità est vnum genus actionum, quod proficiscitur à tēperie; Sunt autem istæ actiones naturales quatuor iam dictæ: has edunt partes similares, vt similares sunt, & præter has nullas. Motus autem, & sensus fiunt, non à similaribus partibus, sed necessariò à dissimilaribus, quæ tantùm natura inter se differunt, quantùm sensus, & motus ipsi inter se discrepare cognoscuntur.

5 Aliorum opinio est, sensum fieri à partibus similaribus. v. g. visio ab humore cristallino, motum verò localem fieri per partes organicas, quod colligunt ex Aristotele dicente, simplicem esse partem, quatenus omnium capax sensibilium est, dissimilarem autem, quatenus mouens, & agens est.

Ar.2. de part. an.c.1.

6 Mihi tamen videtur, non posse rem hanc vno duntaxat pronunciato absolui. Sit igitur primum. Actiones vnicuiq; parti vtiles, ac necessariæ, à similaribus membris eduntur: Voco actiones vnicuiq; parti vtiles, & necessarias eas, quæ vniuscuiusq; particulæ vtilitati, necessitatiq; inseruiunt: tales sunt actiones, quæ ministrantes, seu ministræ dici solent: nempe quatuor iam dictę, attractio, retentio, coctio, expulsio.

1.pronũciatũ.

7 Secundum. Actiones ad commune bonum totius corporis eduntur à similaribus membris, non tamen omnibus, sed ijs, quæ, diximus, peculiarem figuram expostulare: sic chylificatio fit à ventriculo, sanguificatio à iecore, spirituum vitalium generatio à corde, animalium à cerebro, semen à testibus.

2.pronũciatũ.

8 Tertium. Actiones animales fiunt à partibus similaribus, perficiuntur verò ab instrumentalibus: de his intelligendus est Galenus, quando ait: *Instrumentum est, quod perfectam edere actionem potest.* Si verò quis quærat, quomodò partes dissimilares perficiunt actiones, Galenus id declarat: dum enim de membris instrumentalibus loquitur, sic ait: *In his aliquam omnino esse partem operationis causam, reliquas verò ad vsum aliquem subministrandum à natura, creata ostendimus.* Itaq; pars similaris actionem pręstat, instrumentalis verò vsum ad actionem. Cum autem iam superiùs dictum maneat, vsum vel esse ante actionem, videlicet commoditatem ad ipsam, vel post, hoc est, vtilitatem, quæ ad actionem consequitur, vsus, quem præstant partes organicæ, est ille, qui antecedit, seu qui confert ad actionem, quod eleganter expressit Galenus, vt videre est apud eum.

3. pronunciat. G.1.met. c. 6.

G. diff. morb. c.6.

G.1.& 2.meth. vtrobiq.c. 6.

9 Ratione autem sic probatur; Cum pars instrumentalis constet ex multis similaribus, vel actio procedit ab illis, vt à causis totalibus, vel vt à partialibus; Non primum, nam unus numero effectus non potest procedere à pluribus causis non subordinatis: non secundum, quia oporter declarare, quid sit id in actione, quod non possit fieri ab hac causa partiali, nisi fiat ab alia simul; Quòd si detur, quæram, quid sibi præstent hæ causæ inuicem; Non uim ad agendum, siquidem quæ uim præstant, eodem modo concur-

 runt:

runt: e. g. ad impellendam nauim omnes idem præstant, nempè impulsum: at hoc non ita accidit membris, ex quibus componitur pars instrumentalis: nam oculus v. g. constat ex humoribus, tunicis, musculis, neruis, palpebris, pilis palpebrarum; Manus, aut crus constat ossibus ligamentis, carne, musculo, neruo: hęc autem non possunt conuenire in pręstando vim: pręstant ergo vsum, ita ut hæc defendat, illa roboret, alia arceat impedimenta. Iam ergo hinc constat, ab instrumentalibus vsum pręstari ad actionem, à similaribus verò actionem.

10 Confirmatur à priore: quia ad illud pertinet agere, ad quod pertinet instrumentum ad agendum; Cum ergo instrumentum sit temperamentum, & hoc pertineat ad partem similarem, iam datur agens cum suo instrumento: quicquid verò vlteriùs addatur, ad perfectionem actionis, non ad actionē pręcisè pertinet.

11 Tandem, quod est Galeni argumentum, quando in vna parte instrumētali, inter similares, ex quibus componitur, est aliqua autogena, cui nulla alia in corpore est similis, huic peculiaris actio tribui debet: quicquid ulteriùs est, actionem perfectiorem reddit, non verò eam efficit. E. g. in oculo crystallinus humor, huic, qui nullum alium similem habet, debetur actio, cœteris, quibus oculus constat, vsus ad perfectionem actionis; Hoc exemplo vnusquisq; instructus poterit partem similarem, cuius est actio, in alijs indagare. His enunciatis, ea, quę in contrarium adducta sunt, manent soluta.

TEXTVS XXV.

Principium magnum ad extremam partem peruenit: ex extrema parte ad magnum principium peruenit. Vna natura esse, & non esse.

Demonstratio est prioris sententię, sed demonstratio quia, non verò propter quid: est enim ab effectu. Dixerat, consentientia cuncta: id demonstrat ex his, quę accidunt inter principium magnum, id est, cor, & extremam partem, quam medici tertiam corporis regionem appellant: si enim inter hęc duo foret aliqua moles interposita, quę nullis foraminibus esset peruia, neq; extremæ partes reciperent à corde vitalē influxum, neq; cor ab illis aerem ad caloris refrigerium.

Principium magnum est cor: tametsi enim cum peripateticis velit quispiam corporis humani gubernationem reducere ad monarchiā, adhuc alia membra minùs pręcipua, sed tamen præcipua fateri debet; Vnde inter principia, principium magnum cor habendum esse, apud eos constabit. In schola verò medica, quę iamdiu circa hanc controuersiam valde agitatam de membrorū principatu victoriam obtinuisse videtur, principalia membra sunt, cor, cerebrum, iecur, & (secundùm aliquos) testes. Nihilominùs inter hęc quatuor debet cor principium magnum appellari: cur ita? nempe quia tantò superat cordis dignitas cerebri dignitatem, quanto ęstimabilius est viuere, quàm benè viuere; Cor nāq; vitæ principium est, cerebrum nobilioris vitę. Cum ergo cerebrum, quod suo principatu fulget, vni duntaxat cordi cedere debeat, meritò cor principij magni appellatione designatur.

Ex hoc principio magno, in medio corporis sedem suam habente, spargitur vitalis vis vsq; ad partes extremas: hæ enim sine cordis influxu viuere haud quaquàm possunt. Porrò principium magnum ad extremā partem peruenit, non per se ipsum, sed per suę virtutis influxum, per spiritus vitales, qui in cordis officina fabricati, in arteriarum ductus sese insinuant, & in vniuersum corpus imperum faciunt. Vices cordi rependunt extremæ partes, quę eo motu arteriarum, quo spiritus à corde suscipiunt, aerem rursus cordi transmittunt, sine quo & illud principiū magnum, & reliquæ, quę ab ipso dependent, penitus conflagrarent.

Vna natura esse, & non esse. In hac vicissitudinaria vtilitate, quam diximus, consistit esse, hoc est, viuere, consistit, & non esse, hoc est, mori.

Con-

Consistit quidem viuere ob vtilitatē mutuam, & vitæ necessariam, consistit verò mori, si nimirum vsus conuertatur in abusum: quippe pro aere salubri potest ad cor transmitti aer venenatus, potest & à corde pro calore naturali, & conseruationi nostrę amico, mandari calor febrilis, putrefaciens, ex quo viceuersa putredinosi halitus ad cor redeunt, & intereunt. Quare *vna natura esse, & non esse*, non quia ita naturale sit non esse, vt est esse, sed quia vtrumq; accidit ex naturali constitutione, quā corpus in sua formatione est adeptū, nempe vt sint *consentientia cuncta*: Et ex hoc consensu vita, & mors oritur: quippe sæpe non potest vno ad vnū vti, quin eodem ad aliud abutatur.

AN VIVERE PROPRIE SIT ESSE, an etiam aliquid aliud.

QVÆSTIO VIGESIMA TERTIA.

1 SAtis, superq; de vita superius manet pertractatum: nunc autem, quoniam verba contextus, *Vna natura esse, & non esse*, ita explicabimus, vt velit Hippocrates dicere, *esse, & non esse*, hoc est, *viuere, & non viuere*, quæsitu dignum est, an hac sola acceptione viuere dicatur, an præter hanc habeat alias. Argenterius, animę pręsentiam, dicit, esse causam vitæ, & absentiam mortis: quod idem est, ac si dicamus, animam esse causam, vt res sit, aut non sit. Sed in hoc nihil nouum nos docet, nam certum est apud omnes, animā esse formam, & vnamquamq; formam dare esse rei, cuius est forma. Adiungit ille, operationes esse signa præsentię animæ, operationes, inquam, quas anima edit simul cum corpore: agnoscimus enim res viuere, quandiu operatur, & mortuas esse, quando ampliùs operari nequeunt. Porrò, ex Argenterij sententia, agnoscitur animal viuere, vt animal, ex sensu, & motu, vt corpus animatum, ex nutritione, vt homo, ex ratiocinatione. Sec. 1. q. 5. art. 14. nu. 8. Argent. com. in art. med.

2 Si ergo quæramus ab Argenterio, cum vitæ causam statuat pręsentiam animę, & huius pręsentiæ signum operationes, quid ergo est vita, respondet sic: *Viuere nihil aliud est in rebus animatis, quàm esse: dicuntur enim illa esse, & viuere, quæ animam habent, & quandiu habent: mortua verò tunc sunt, & dicuntur, quando ampliùs non sunt animata, ac tunc mori, quando anima à corpore recedit.* Aristotelem verò reijcit, quòd in libris de anima dixerit, viuere esse nutriri, augeri, sentire, moueri, ratiocinari: quippe hęc omnia non admittit, vitam esse, sed signa duntaxat, quibus agnoscimus, vitam adesse. Hæc Argenterij sententia est.

3 Sanè Aristoteles ait, viuere ipsum dicimus, vt intellectus, & sensus, & motus, & status secundùm locum: adhuc autem motus secundum alimentum, & augmentum, & decrementum. Sed licèt in hoc ab Aristotele recedat Argenterius, quòd hęc omnia non esse viuere, ait, vt Aristoteles vult, sed duntaxat vitæ signa, potuerat nihilominus Argenterius Aristotelem ibidem sibi conformem reperire. Quęnam est Argenterij mens? Ipse se ipsum declarat, *Viuere est esse*. Lege Aristotelem, & inuenies hęc verba: *Ipsum autem viuere viuentibus esse est, causa autem, & principium horum anima*. Ecce iam conueniunt Aristoteles, & Argenterius, sed disconueniunt in alio, quòd scilicet Aristoteles non solùm dicat, viuere est esse, sed pręterea alibi viuere, & operari confundat; Argenterius non, ita fieri, velit. Ar. 2. de ani. tex. 13. Ar. 2. de ani. tex. 37.

p. 114. 4 Satyrus, alia via incedens, non reijcit Aristotelem, sed eum explicans ita inquit; *Magister definiuit propriè esse τὸ viuentibus esse, licet latiore significatione vitæ vocabulum Philosophus extendat alibi tum ad operationes animæ, tum etiam ad moram, seu permanentiam animæ cum calore*. Omitto elegantiam horum verborum, & ad rem me confero. Vbi nam tibi dixit Philosophus, ô Satyre, se, quando vitam definit, per operationes, aut per moram latiore vti significatu? Sanè apud eum inuenio, multiplicer ipsum viuere dici: in hac multiplicitate, quid nam strictè, quid latè dicatur, nusquam explicatum reperio; Imò in definitione animę, eum exactè, & stricto modo loquutum fuisse, constat: ibi autē Ar. 2. de ani. tex. 13.

ait, animam esse actum corporis organici potentia vitam habentis: manifestum autem est, vitam tunc accipi pro operationibus vitalibus, quas posse exercere, est potentia vitam habere: neque enim ob aliud supponitur corpus, cuius actus est anima, esse organicum, nisi quia ad operationes edendas est aptum.

5 Sed nunquid si anima est viuentis esse, non potest simul anima dici ipsum operari? imò maximè: nam hęc duo se compatiuntur optimè, atq; connectuntur necessariò. Audi D. Thomam. Dicendum, quòd propria forma vniuscuiusq; faciens ipsum esse in actu, est principium operationis ipsius, & ideo viuere dicitur esse viuentium, ex eo, quòd viuentia per hoc, quod habent esse per suam formam, tali modo operantur. Ne autem ampliùs dubites, vitam in concreto dici ipsum esse viuentis, & ipsum operari. Idem te alibi docet inquiens: *Ad primum dicendum, quòd vita dicitur dupliciter, vno modo ipsum esse viuentis, & sic beatitudo non est vita, & alio modo dicitur vita ipsa operatio viuentis, secundùm quam principium vitæ in actum reducitur.*

D.Th. 2. 2. q. 179. art. 1. ad 1

D.Th. 1. 2. q. 3. art. 2. ad 1.

6 Appellatur tertio modo vita ab Aristotele mansio animę nutritiuę cum calore: eius verba sic habent: *Generatio igitur est prima participatio cum calido nutritiuæ animæ: vita autem mansio huius*: Tu verò id, quod Philosophus generationem appellat, appellas nexum: quippe ais: *Nexus est prima participatio animæ cum calore, & omnino viuentis generatio, vt ait Aristoteles*. At tu existimas, nexum tunc dumtaxat esse, cum res nectitur; hactenus putabant omnes, nexum esse, dum duę, vel plures res nexę perdurant. Itaq; tu nexum appellas actum nectendi, quem dicis esse generationem: ego verò nexum voco nodum, seu connectionem, qua anima cum calido, hoc est, cum corpore (calidum enim non est sine corpore) vnita perdurat. Recurre igitur ad grammaticam tu, qui grammaticè semper agis, & nihil scis minùs, quàm grammaticè agere: recurre inquam, & vide, num nexus sit ipsa nectendi actio, an potiùs sit connectio, quę per tempus durat. Si tua significatio tenet, rectè confundis nexum cum generatione, sin mea, reduc nexum ad vitam, & ne existimato, primam participationem, quę generatio est, esse nexum, alioquin nectaris oportet, sicut insanus.

Ar. de mor. & vit c. 14.

7 Sed ain tu, mansionem animæ cum calido esse vitam in latiore significatu? Ad libitum loqueris, mi Satyre: imò est propriissima, & valde stricta hęc vitę significatio; quin etiam nihil differt ab ea, qua viuere dicitur viuentium esse. Videretur forsan alicui, mansionem istam animę cum calore dici vitam in sensu causali, sicut ira est ebullitio sanguinis circa cor, & qui ita diceret, non dissentiret ab Argenterio. Argenterius namq; præsentiam animæ causam vitę statuit: pręsentia verò, permanentia, mansio vna, & eadem res sunt. At re vera si quis rem intimè speculabitur, inueniet mansionem istam non esse causam, quę effectum realem producat, sed ex illa vitam resultare: id autem, quod resultat, non differt realiter ab eo, à quo resultare dicitur. Itaq; ex vnione, seu nexu formę cum materia resultat compositum existens, seu (quod idem est) existentia compositi resultat inquam, non efficitur, quia mansio non est res, sed modus rei, qui nullam efficiendi vim habet. Hìc obiter aduerte, vitam dici à Philosopho mansionem, seu moram, vnde exclusa manet tua illa momentanea vita, quam superiùs satis exclusi.

8 Aduertendum tamen est, Deum esse substantiam viuentem, quod tu perperam negas: siquidem aliquando recipis ab Aristotele dictum illud, nempe *Quemadmodum verò, formas humanas Dijs tribuunt homines, sic etiam vitas*: Et adiungis, formas humanas, eodem Philosopho autore, Dijs tribui *æquiuocè admodùm, & fabulosè, ad multitudinis persuasionem, & ad legum, ac eius, quòd conferat opportunitatem: quippe Deus nullo modo habet formam humanam, vt supra in eodem volumine fusius demonstrauit Aristoteles*. Ex his præcipuè, & consequenter ex alijs, quę ibi scribis, colligitur manifestè, te velle, vt sicut forma humana ęquiuocè, & fabulosè Deo tribuitur, sic etiam eidem æquiuocè, & fabulosè, addam & ad vulgi persuasionem, vitam tribui. Igitur quando Iob inquit: *Scio enim, quòd redemptor meus viuit*, quando Iosue, *Scietis, quòd Dominus Deus viuens in medio vestri est*, quando Deus ipse de se ait, *Viuo ego, & implebitur gloria Domini vniuersa terra*, quando Scriptura sacra passim ait, *Viuit Dominus*, ubiq; hæc loquutio admodùm æquiuoca, & fabulosa est? Num ex penuria vocabulorum Deo

Ar. 1. polit. c. 1

Arist. 12. met. tex. 50.

Ar. 3. met. tex.

Lib. 1. de vita c. 10.

Iob c. 19.
Iosue c. 3.
numer. c. 14.

tribui-

tribuimus id, quod Dei non est, vt tu turpiter ais? Resipisce ergo, sin minus non impunè eris.

9 Receptissimum est inter theologos, vnum ex Dei attributis vitam esse, & Deum esse substantiam viuentem: quod substantia sit, non negabis, quod simul viuens sit, non poteris negare. Est ergo ita viuens, sicut & est substantia. Est quidem substantia non predicamentalis, sed supra substantiam, vt ait Areopagita: quippe substantia prædicamentalis finita est; eodem etiam modo est viuens, non quod serie prædicamentali collocatur: hoc enim habet supra se corpus, & sub se animatum: at corpus animatum non conuenit Deo: est ergo aliud viuens perfectius. Itaq; Deus, quamuis sit substantia, quæ est analogum ad substantiam prædicamentalem, non propterea est substantia impropriè, sed proprijssimè, & perfectissimè. Rursus, quamuis Deus sit viuens, quod est analogum ad viuens prædicamentale, non propterea viuens est improprio quodammodo, & (vt tu dicis) fabuloso, sed uero, reali, proprijssimo, perfectissimo, imò ex Dei uita, uitæ participes sunt homines: *In ipso enim viuimus, mouemur, & sumus.* Dionys. de diuinis nomin. c. 2.

10 Sed quęnam est Dei vita? nempe intellectualis: vnde Aristoteles ex eo, quod Deus sit substantia intellectualis, colligit, Deum viuere: adstipulatur D. Thomas, quia probat, Deum viuere, ex eo, quòd intelligit: nam intelligere inter operationes vitales semper solet Philosophus recensere. Quòd autem sit substantia intellectiua, probatur, quoniam spiritualis est: nulla enim substantia spiritualis est, quę non sit intellectiua: sic comprehendemus hic quoq; vitam Angelorum. Si verò aliquis dicat, hanc propositionem, *Omnis substantia spiritualis est intellectiua,* non esse sempiternę veritatis, quippe nullam implicat contradictionem, posse Deum creare substantiam spiritualem, quæ non sit intellectiua, respondeo, hoc ita quidem se habere, cœterùm substantia illa spiritualis careret perfectione: Deus autem substantia spiritualissima, & simul perfectissima est: Angeli suam habent perfectionem, qua supposita, intellectus, qui perfectio quædam est, necessariò poni debet. Quòd verò intellectus maximè conueniat Deo, pręter alia, quæ id docent, verbis Philosophi stabilitur, dicentis, *Ipsa verò intellectio, secundùm se eius est, quod secundùm se optimum est.* Ar. 12. meta. tex. 39. in fin. D. Tho. 1. p. q. 18. art. 3. Ar. vbi supra.

11 Verùm non libet amplius in re, apud theologos manifestissima theologizare; Omnem scholam tibi offero, vitam Deo tribuentem. Tu quid in contrarium affers? nempe Aristotelem, quem prorsus non intelligis. Nam quomodò poterat vitam Deo negare, qui latissimè Deum viuentem esse demonstrat, (vt ex predictis patet) & adeò benè demonstrat, vt D. Thomas (quod etiam iam diximus) ab eo modum demonstrandi accipiat? Quid ergo sibi vult Philosophus, in locis à te citatis? *Paucis, aduerte, docebo.* Ar. meta. cit.

12 In metaphysicis nihil prorsus de vita agit, sed duntaxat de Dei figura, quam uulgus Deo, sicut animalibus, tribuit. Illius hęc sunt verba: *Tradita autem sunt quædam à maioribus nostris, & admodum antiquis, ac in fabulæ figura posterioribus relicta, quòd hi Dij sunt, vniuersamq; naturam, diuinum contineat. Cætera verò fabulosè ad multitudinis persuasionem, & ad legum, ac eius, quod conferat, opportunitatē, iam allata sunt: hominiformes namq; ac aliorum animalium consimiles dicunt, ac alia consequentia, & similia his, quæ dicta sunt.* Sic Philosophus: quis autem sanę mētis suspicabitur, illum hic inter fabulas, quas de Deo vulgus fingit, vitam etiā reposuisse? At confers te ad alia verba, quæ in politicis scripta sunt: nempe, *Quemadmodùm formas humanas Dijs attribuunt homines, sic etiam vitas.* Tu autem sic infers: Homines formas humanas fabulosè Dijs attribuunt, ergo fabulosè etiam vitas. Sed tu Philosophi mentem non percipis, nec est tuum sic altè sapere. Non affirmat ille, vitas Deorum esse fabulosas, quemadmodùm sunt eorumdem humanę formę, sed reprobat variam plebis opinionem, existimātis, vitas Dijs ita fabulosè inesse, vt eis insunt formæ humanæ: quippe vulgares homines (vt patet ex antecedentibus Philosophi verbis) Deos ob hoc ipsum putant cuncti Regem habere, quoniam & ipsi partim nunc, partim antiquitus sub Regibus degebant. Sic ille. Prętereà quid magis fabulosum, quam quod vulgus putabant, nempe Deos nectaris potu sibi conciscere immortalitatem? Hęc sunt fabulosa: Deum autem substantiam viuentem intellectiuam esse, verissimum est. Quare malè, ex Aristotele, deduxisti, Deum Ar. polit. cit.

non

Ar.met.cit. nō habere vitam: longè meliùs ab eo acciperes hęc verba: *Dicimus itaq; Deum, sempiternum, optimumq; viuens esse.*

13 Vna tantùm remanet difficultas, à qua breuiter me expediam. Vita intellectualis, dicet quispiam, supponit sensitiuam, & sensitiua vegetatiuam: sed nec sensitiua, nec vegetatiua Deo, aut Angelis conueniunt: quare nec intellectualis. Responsio consistit in vitæ intellectualis explicatione; Supponendum ergo est, rationale ad intellectuale ita se habere, vt quicquid sit rationale, sit simul intellectuale: non tamen è contra quicquid est intellectuale, sit rationale: etenim ratione ex sensatis elicimus non sensata: & hoc fit per cooperationem, & ministrationem sensitiuæ; atq; ita rationalis pendet ex sensitiua, vt sensitiua à vegetatiua. At verò intellectualis non pendet à sensibus, sed est merè immaterialis, & subinde alterius ordinis; Quare Angelus, qui vno intuitu agnoscit antecedens, & consequens, Deus, qui cognoscit omnia simul, intellectuales substantię sunt, non tamen ideo dicuntur rationales: homo, qui intelligit discurrendo, ita intellectualis est, vt rationalis potiùs dicatur. Quare ad difficultatem dicimus, gradum quidem rationalis habere coniunctionem cum sensitiua vita, quia indiget sensibus, quod imperfectio quędam est: at intellectiuam ex se non continere istam imperfectionem, sed esse omnino à materia liberam, & secundùm se, tamquam quid merè spiritualem, quale re vera est, considerari.

TEXTVS XXVI.

MOrborum differẽtiæ, in alimento, in spiritu, in calore, in sanguine, in pituita, in bile, in humoribus, in carne, in pinguedine, in vena, in arteria, in neruo, musculo, pellicula, osse, cerebro, medulla spinali, ore, lingua, stomacho, siue gula, ventre, intestinis, septo transuerso, peritonæo, mẽbrana aluum, ac intestina amplectente, hepate, splene, renibus, vesica, vtero, cute. Hæc omnia, & singulatim, & particulatim.

EX qualibet causa, & qualibet parte affecta, morbi oriuntur, qui totum hominem affligũt, quod non fieret, nisi per omnium tum humorum, tum spirituum, tum membrorum conspirationem, tota moles, ex sibi inuicem compatientibus constaret. Quare hæc morborum enumeratio, adhuc etiam pertinet ad declarationem illius sententiæ, *Consentientia omnia.*

In alimento, in spiritu. Duplicem sensum tolerant hęc verba: in primis enim *in alimento* dicemus, hoc est, in alendi actione, Exempli gratia in morbo, qui atrophia dicitur, in leucophlegmatia, in marasmo, in vitijs coctionis. *In spiritu*, vt in vitijs respirationis; v. g. in aphnæa, in disphnæa, in orthophæa, in asthmate.

Aliter etiam possumus dicere *in alimento*, nempe communi, ex cuius vitio morbi communes oriuntur, vt est sententia Galeni: quippe ex annonæ caritate pestilentiam ortam vidit suo tempore, & ex eadem oriri posse epidemicos morbos, fatetur. *In spiritu*, nempe morbi, qui pro subiecto habent spiritum, vt est febris ephemera. Pro subiecto, inquam, non denominationis, quia tale debet esse viuens, sed inhesionis: & sic diuisio febris in ephemeram, humoralem, & hecticam dicitur diuisio accidentis in subiecta, hoc est, in subiecta, quibus inhæret præternaturalis calor, tametsi, vt morbus est, debet habere subiectum denominationis viuens: siquidem morbus est passio viuentis.

Lib.de succ. boni.et mal. in 2.de n. hum.& alibi.

In caliditate. Nomine caliditatis comprehendit omnes quatuor primas qualitates: neq; enim ex sola caliditate morbi proueniũt, sed etiã ex frigiditate, siccitate, humiditate: nominat autem (breuitatis gratia, quam

quàm amabat solam caliditatem, tamquàm præcipuam: sic per synecdochen accipimus ducē pro exercitu. Quare hoc nomine intelligimus omnes morbos ab intemperie.

In sanguine. Debemus hic intelligere morbos, qui fiunt ex sanguine, à propria forma non mutato. Excitanda hoc loco esset quæstio, an detur febris ex sanguine, quàm Auicēna falsò putauit, Galenum negasse. Cœterū, ne actum agere videamur, id, quod ab alijs decretum est, ingenuè admittimus: videlicet dari in doctrina Galeni febrem sanguinis, quæ synocha, hoc est, cōtinens (nullas habens præstituras exacerbationes) appellatur. Eius triplex genus agnosco: quędam ab initio semper augetur, & dicitur epagmastica, in qua plus putrescit, quàm dissipatur: alia semper decrescit, & appellatur paragmastica: in hac minùs putrescit, quàm dissipatur: tertia semper eundem seruat tenorem, & homotonos nuncupatur, in qua fera est putrescentis, & euanescentis materiæ quantitas.

In pituita. Ex hoc humore fit febris, quæ quotidiana appellatur, & sua habet signa, quibus à duplice tertiana, quotidiè etiam eueniente, discernitur. Rara est hæc febris, & non nisi pituitosis valde corporibus accidit. Cum autem quatuor sint pituitę species (pituitæ, inquā, preternaturam) quarum vna est dulcis, altera salsa, tertia acida, quarta, quam Praxagoras vitream appellauit, quāuis hæc ad acidam reduci potest, ab his omnibus quotidianam, seu amphimerinam oriri, Galeni sententia est. Si verò quotidiana fiat ex dulci, vel ex acida, quę tamen non eò accedat, vt vitrea dici possit, extremæ partes refrigerantur initio accessionum; Vbi salsa pituita hanc febrem excitat, horrent potiùs febricitantes accessionum initio. Ab acida vitrea febris fit, quæ epiala dicitur, in qua eodem tempore, quo febricitantes calorem per vniuersum corpus sentiunt, simul etiam per easdem partes sentiunt frigiditatem. Fit etiam ex pituita salsa aliquando causus, hoc est, febris ardens, non tamen exquisita; Fiunt & tumores pręter naturam, qualia sunt ędemata ex tenuiore pituita, ex crassiore autem schirri, & alia pleraq; secundùm quod humor pituitosus hunc, vel illum inducit substantię modum.

G. 2. diff. feb. c. 6.

4. de rat. vict. com. 23.

In bile. Sub nomine bilis tam flaua, quàm atra comprehenditur. Bilis flauę plures sunt gradus: pallida, & flaua naturales sunt: hęc vlterior, & magis cocta, illa citerior, & aquosior: illa ad cystin fellis transmittitur, hæc autem magis diluta cū sanguine per venas fertur, & in rufam mutatur, alitioniq; inseruit: si verò ibi flauescat, nō adhuc est pręter naturam, quamquàm non omnis flaua sit naturalis, sed ea solùm, quę tenuis, liquida, & fluida fuerit. Vitellina quoad colorem naturalis foret, sed præter naturam ex eo est, quòd crassa, & vitellis ouorum crassitudine similis euadit.

Itaq; octo sunt bilis species: tres naturales, pallida, rufa, flaua: quinque pręter naturam, vitellina, prassina, ęruginosa, cærulea, & isatidea. Ex bile putrescente fiunt febres tertianę. Cur autem flaua bilis tertio quoq; die repetitiones suas faciat, atra quarto quoq; die exacerbetur, pituita quotidie, sanguis semper, nō est huius loci discutere: satis id in meo de meteoris microcosmi libro pertractaui. Fiunt etiam ex bile febres ardentes, quę verè, & propriè causones appellantur; Fiunt & erysipelata proprijssima: licèt enim aliquando ex tenuiore parte sanguinis ea fieri, dixit Galenus, nihilominùs ex bile verum erysipelas fieri, alibi non semel idem testatur. Deniq; ex bile, & herpetum genera, & alij morbi generantur, vt aurigo mutato totius corporis colore in flauum.

G. 2. ad Glauc. c. 1.

Ex melancholia fiunt quartanę, fiunt & schyrri, & desipientię sinè febre. Quòd si hęc, aut bilis etiam flaua admodùm exuratur, humor omnium perniciosissimus euadit: nempe atra bilis, quę cadens in terram fermentatur, & muscas, & mures abigit.

In humoribus. Præter quatuor prędictos humores sunt etiam eorumdē ichores, qui si putrescant intra venas, ac proinde maiorem, quàm pro eorum natura, acrimoniam contraxerint, ex his etiam causones fiunt, vt docet Hippocrates expresse his verbis: *Causus, idest, febris ardens, fit, cum venulæ tempore æstiuo exsiccatæ, acres, & biliosos ichoras ad se traxerint*: Est enim sanguis ichoroides non simpliciter

4. acut. t. 8.

aquo-

G. 6. epid. sect. 2. co. 38. aquosus, sed (vt Galenus interpretatur) venenosa aliqua, & maligna qualitate præditus. Ex ichore etiam fiunt in cute prauę pustulæ, quales Hippocrates describit inquiens: *Et sub cute ichores creabantur, inclusi autem, calescebant, & pruritum excitabant, deinde pustulæ vt ambustis exurgebant, & sub cute vri se, putabant.* Hi. 2. epid. sect. 1.

Sect. 1. q. 8 per totam. *In carne*. De carne multa superiùs ex professo pertractaui, vbi carnis quatuor proposui differentias, iuxta quas varia genera morborum patitur. Nam quę est caro simplex, morbos ab intemperie subit: quatenus composita, morbos in continui solutione, vt cùm vulneratur: quatenus verò excrescit, morbos in compositione; Colliquatur etiam per febres siuè malignas, siue habituales: colliquatur, inquam, non tota, nam fibrę liquari nequeunt, sed eius id duntaxat, quod pingue commistum habet. Hoc Galenus docet exemplo carnis suillę, cum in craticulis assatur: *Quippe à feris suibus aut nihil omnino, aut planè minimum est; quod defluat, à cicuribus verò plurimum, quantoq; magis vel adipe, vel carne animal abundat, tantò profectò, quod ab ipsis carnibus, dum in craticulis torrentur, defluit, cernitur copiosius. Ad eundem itaq; modum in calidissimis febribus.* G. 10. met. c. vlt.

In pinguedine. Non hic differentiā facit inter crassam, & sicciorem pinguedinem, quæ adeps, & seuum dicitur, gręcis autem στέαρ, & aliam humidiorem, subtilioremuè, quę propriè est pinguedo, & græcè dicitur πιμελή. Quamuis autem ex sanguine fiat, inter partes exangues reponitur: densatur autem, & cogitur à diminuto calore, qui medicis pro rigore habetur: neq; aliter dici potest: siquidem à calido liquescit. Huius liquatio prior est, quàm carnis, posterior, quàm humorum, vt constat ex Galeno, iuxta cuius etiam doctrinam; si verè, & strictè loqui velimus, pinguedini dissolutę nomen colliquationis non dabimus: sunt enim verę colliquationes similes substantiæ, quę effluit, & exprimitur à carnibus non dum exsiccatis: pingues verò deiectiones sūt pinguedini colliquatæ similes; hæc autem colliquatio facillimè restituitur. G. 3. epid. sect. 3. ægr. 1.

In vena, in arteria. Solet Hippocrates venarum nomine arterias comprehendere: arterias apud eum rarò nominatas reperio: atq; hic vnus est locus, in quo venarum, & arteriarū seorsim mentionem facit: alter inferiùs, quando ait, *Radicatio arteriarum, cor, radicatio venarum hepar*. Venę igitur, & arterię in multis differunt inter se: vena (quia sanguini continēdo nullus, aut saltem exiguus impetus sufficit) tunicam habet valde tenuem: arteria (quia sanguinem multò spiritu turgentem continet) tunicam habet quadruplo crassiorem. Arteria rursus parem cum corde habet motum systoles, & diastoles: vena adeò exiguum, vt ferè sit imperceptibilis: nec omnino ordinatus, sed ab spiritu in sanguine contento aliqualis est. Vena tamen eam dignitatem, vt quantulacumq; sanguificandi vi sit prædita, arteria verò minimè. Tandem venis, & arterijs sui accidunt morbi, pręcipuè in continui solutione: sed vena coalescit facilè, arteria non nisi relicto aneurismate. Omitto arterias capillares, & venulas, quarum resarcitio infra tractabitur. Infra t. 34.

In neruo, musculo. Apud Galenum nerui solent dici exanguia, sinu carentia, licèt peculiariter in opticis cauitates agnouit, quas Vesalius, & cum Vesalio pleriq; alij negant. Ad neruos pertinet paralysis; Cum enim delatores sint facultatis animalis, his obstructis, sensus tollitur, & motus. An verò ablato sensu auferatur motus, & è contra, quęstio est alibi ex professo pertractanda. Hoc interim pro comperto esse potest, quamuis omnes nerui sentiendi, mouendiq; facultatem deferant, non omnes vtramq; corpori communicare, sed eos duntaxat motum tribuere, qui motionis instrumentis, hoc est musculis, inseruntur. Oriuntur autem, aliqui à cerebro, alij ab spinali medulla. Tandem motui duriores quidem sunt, sensui molliores.

Musculi sunt, quibus nerui inseruntur, vt sic mouendi instrumenta euadant; Cum ergo conuulsio sit symptoma facultatis animalis motiuę ex Galeno, quęritur, an sit passio neruorum deferentium hanc facultatem, an musculorum recipiētium eandem. Respondetur, verum instrumētum motionis voluntarię esse musculum, & propterea hanc motionem ob musculi culpam deprauari; Ideo Galenus dixit: *Singultus in* G. de diff. sympt. c. 3. G. 2. de caus. symp. c. 2.

in totum conuulsio non est, vt quæ solis accidit musculis. Obstare tamen videtur idem Galenus, qui multoties conuulsionem ad neruos refert. Hæc contradictio tollitur, si cōsideremus, musculum aliquādo propria passione laborare, aliquando communicata à suo neruo. Singultus verò fit in ventriculo: at ventriculus, & aliæ partes, quæ non sunt musculi, nō propriè patiuntur conuulsiones, licèt per similitudinem conuulsiuos motus eas affectiones appellent medici. Verùm inter conuulsiuos motus, & conuulsionem differentia est non parua: illos appellant aliqui cōuulsionem spuriam: alij neq; sic eos appellari admittunt, firmiter statuētes, non posse conuulsionem fieri, nisi in instrumento motus.

G.5.aph.2 & 1.de caus.symp.c. vlt.7.aph. 13.6.meth. c.4.

Pellicula, hoc est, membrana, omnino similaris est, spermatica, exactè sentiens, vt pote quę tactus instrumentum est, quę in varijs nostri corporis partibus varia præstat munia: nunc enim partes subiectas custodit; nunc vicinas disterminat, nunc diuisas colligit. Quoniam verò partem similarem esse, dixi, consequenter dicendum est, conuenire ei morbos ab intemperie.

Sed insurgit hìc periculum cōtradictionis in Galeni doctrina: quippe pleura membrana est, quę costas succingit, neq; vllus est, qui eam membranæ nomine dedignetur, & tamen abscessum aliquando patitur, vt in pleuritide apparet. Hæc difficultas facilè diluitur: in primis enim non est ab omnibus concessum, pleuritidem necessariò habere tumorē præter naturam, quod discutere non est huius loci. Nihilominùs hoc non facit ad responsionem: nam in primis, etsi non semper, & necessariò tumor adest, sufficit, quod adsit aliquando, vt maneat adhuc eadem dubitandi ratio. Quapropter dicendū est, quasdam esse in corpore mēbranas, vt peritonæum, epiploon, mediastinum, & pleuram, quę propter magnos vsus, ad quos fuerunt creatę, suscipiunt in sui compositione arterias, venas, neruosq; complures, ac iccirco similarium membrorum conditionem excedere.

Osse. Suos quoq; affectus præternaturam ossa patiuntur: & quamuis, ex Galeni sententia, ac manifesto experimento, sensu careant (ita fieri oportuit, alioquin, cum molem corporis sustentent, pondere grauata molestiam sentirent, & homo in cōtinua viueret querimonia) nihilominùs ossium dolorem corpus pati dicitur, qui dolor peculiari vocabulo ostocopos, idest, ossium labor, dicitur, qui, vt Galenus ait, magna ex parte, ab exercitationibus euenire solet, quamuis interdum vel à frigore, vel plenitudine gigni possit. At non ossa sunt, quæ dolent, sed (si Galenum consulimus) membranę, quę ossibus adiacent, dolores profundos efficiunt, in intimo corpore sensum excitantes, & ossium ipsorum veluti dolentium inducentes imaginem. Et de plenitudine quidem, cū eam ossa etiam patiantur (vt Archigeni, & Philippo videtur admittere Galenus) profectò si grauitatis sensus inest, is in membrana ossa cingente, quæ periostium appellatur, fit; Imò omnem dolorem intimum, siue fiat in tendonibus, siue in neruis, ὀστόκοπον græci, quasi ossium dolorem, appellant. A frigore autem, quando Hippocrates ait, *Frigidum inimicum ossibus*, propter periostium dictum censeri debet.

G.de cōst. art. c.8.

Gal. 2. de loc. affect. c. 7.

G. de plenit. c.4.

H. 5. aph. 18.

Ossa quoq; inflammari, Galenus tradit his verbis: *Uniuersaliter verò nihil inflammatæ parti secundùm naturam exactè se habere perseuerat, cum mora inflammationi est, sed omnia cum carne defluore fruuntur, vt nonnunquam ipsa quoq; ossa attingat, quemadmodùm ex ipsis promouetur interdum primò affectis*. Porrò affectiones ossium recenset alibi sic: *Totius corporis ossa patiuntur cariē, sphacelum, fracturam sine vulnere, vel cum vulnere, ecbyrsosin. Fracturarum differentiæ quinq; sunt; prima schidacedon facta per rectitudinem: altera per transuersum cauledon: tertia raphani in morem raphanedon: Quarta caryedon adest, in modum nucis: postremò alphitedon: hoc est, in speciem farinæ. Nigrescunt interim ossa in fracturis, interdum sine his. Articulis omnibus accidunt paragoge è sede propria motio, eluxatio, præter luxatio, colligatio, porosis, rheumatismi, distentio commissurarum*.

G de tum. præt. nat. c.2.

G.in introduct. c.17.

Conciliator tenet, non inflammari ossa per affluxum materię, per modum rheumatis: sic enim inflammātur partes molles, quæ raræ sunt, non ossa, quę valde sunt solida, ac duræ, nec vasa habent, per quæ fiant defluxus. Aliter inflammatio fit per quā-

Conc. diff. 97.

dam congestionem, & hæc impropriè inflammatio appellatur, quam pati possunt ossa. Verùm cum ossa omnia inflammatione pati possint, & symptomata preter naturam, præter dolorem, non est cur Conciliatori assentiamur dicenti, ossa impropriè inflammari. Præterea Galenus, rheumatismum ossibus accidere, ait, quare hac quoq; ratione inflammatio eis euenit. Tandem si dentium substantia, que omni osse solidior est, inflammatur, cur ossibus id denegabitur? Inflammari autem dentes, probatur autoritate Galeni, imò potius eiusdem experimento in se ipso: inquit enim: *Etenim cum ego aliquando dolerem, diligentem super me ipso animaduersionem habui, vt potequi iam audieram de hac dubitatione: percepi manifestè non dolentem modò, sed etiam pulsantem dentem, quemadmodùm carnosæ partes inflammatione vexatæ consueuerunt. Quare mirum mihi videbatur, quòd & hæc affectio, quam phlegmonem, siue inflammationem appellamus, in dente oriri posset, qui lapideam, & durám substantiam habet. Atqui cum etiam alio tempore dentem dolerem, manifestè sensi, non ipsius dentis, sed gingiuarum dolorem eum esse, inflammatis videlicet ipsis, vt etiam citra coarctationẽ dolerent, quin & ob vicinitatem dentium natura durorum aucto dolore ob coarctationem. Quapropter vtriusq; doloris sensum expertus, alium quidem in gingiuæ, alium in ipsius dentis substantia, esse claro scio, & id asserentibus testimonium præbeo, quòd ipsi aliquando dentes dolent*; & cœtera, quæ prosequitur.

Gal. lib. 5. local. c. 8.

Verùm si quis, dentes inflammari posse propria inflammatione, admittat, siquidem dolent, non tamen hoc conuenire ossibus, quippe quæ sensu carent: dolorem autem esse vnam ex conditionibus inflammationis, hęc enim à Galeno dicitur tumor cum dolore, rubore, & renitẽtia, respondeo, has conditiones à Galeno positas non tales esse, vt in eis consistat propria inflammationis ratio, quippe, ex medicorum sententia, allatę sunt, & de inflammatione carnosarum partium intelliguntur, earum verò defectus non tollit, quominus ossa inflammari dicantur, & inflammatio isthęc ossium, tametsi, comparatione inflammationis carnosarum partium, dicatur à Galeno similitudinem habere, nihilominùs simpliciter, & secundùm se vera est

G. de tum. pręt. nat. c.

inflammatio.

Cerebro. Multi sunt morbi, qui cerebrum solent apprehendere, quorum præcipuus magnitudine, & periculo, est apoplexia, quam, Hippocrates dixit impossibile esse soluere, si fortis sit, si debilis non facile. Eius fortitudinem cognoscere, docet Galenus, ex lęsione respirationis, ex qua accipit quatuor apoplexię gradus. Primus est, quando non apparet respiratio, addit Auicenna, neq; spuma circa os: si enim aer non ingreditur, vt permisceri possit cum humido, non fit spuma: hæc est fortissima. Secundus est, quando, licèt appareat respiratio, aer nihilominus cum violentia trahitur, & est etiam fortis. Tertius est minor (attamen etiam fortis) quando neq; intensa, neque violenta est respiratio, inęqualis tamen est, inordinata, atq; intermittens. Quartus est, quando respiratio aliquem seruat ordinem, tamen difficilis, & læsa est. Hanc quartam apoplexiam forsan curari posse, si rectè omnia peragantur, dixit Hippocrates. Cœterùm † an respiratio omnino tolli possit, seorsim tractabitur.

Hi. 2. aph. 42.

Auicen.

†

Omitto alios cerebri morbos, vt phrenitidem, lethargum, de quibus etiam seorsim quidpiam pertractare erit opportunum: quippe, cum ex cerebri morbo fiant, tum phrenitides, tum lethargi, tum alij soporosi affectus, quęrendum est, an morbus, ex quo huiusmodi symptomata oriuntur, nempe deliria, & sopor, sit in intemperie tantùm, an etiam in cõpositione: in cuius rei gratiam † quęrendum est, an cerebrum pati possit tumores pręter naturam.

†

Medulla spinali. Diuisa est spinalis medulla in duas partes, dextram, & sinistram: quare vnius partis, v. g. dextræ obstructione poterit eiusdem lateris motus, sensusq; impediri, fietq; paralysis, in qua neq; mens, neq; facies aliquid patiuntur, quoniam scilicet nulli ad mentis sedem, aut ad faciem mittuntur ex spinali medulla nerui: & hęc est differentia inter paralysim, quę fit vitio dimidietatis cerebri, & aliam, quę contingit ex læsa spinali medulla parte alterutra.

Ore. Constat os multis partibus, quarum singulę pluribus obnoxiæ sunt morbis, pręcipuè dentes, & labra. Affectus dentium, qui à medicis recensentur, sunt dolor, corrosio,

sio, defædatio, siue nigrities, mobilitas, hæmodia, fissura, nimium augmentum, fractio, stridor, vermes, tumores etiam pręter naturam, morbi temperamenti, sicut & solutę continuitatis. De dolore dentium iam aliquid superiùs perstrinximus, & ex Galeni sententia in eorum substantia dolorem fieri, diximus, licèt aliqui non ita, sed in neruo substracto potiùs constituant dolorem. Deniq; suppurationem his superuenire posse, ex Hippocrate constat, dicente: *Iuxtà tertium dentem suppurationes plures, quàm iuxtà alios omnes.* Aliqui, iuxtà dentem dixisse Hippocratem, aiunt, non in ipso dente. — H.4.ep.25

Lingua. Quamuis lingua sit pars oris, nihilominùs particulares habet morbos, vtpote: quæ pręcipua in actionibus tum masticandi, tum loquendi censetur. Quoad masticandum, *Lingua* (inquit Galenus) *ad actionem hanc confert non minimum, vt quæ instar manus cuiusdam cibos assiduè in ore transfert, deuoluit, quò pars ipsorum, & omnis itidem conteratur.* Est præterea lingua data ad percipiendos sapores: quare Aristoteles duos vsus in lingua agnoscit, nempe ad gustum, & ad loquutionem, inquiens, *tam enim ipsa natura, vt ad gustum, & loquutionem vtitur lingua, quorum gustus quidem necessarius est (quapropter pluribus inest) interpretatio verò est gratia boni.* — G. 11. de vsup.c.4. — Arist. 2. de an. tex.88.

Comparat Galenus symptomata linguę pertinentia ad gustum cum aliorum sensuum symptomatibus, quorum aliqua sunt in actione deperdita, alia in actione diminuta, alia deniq; in eadem deprauata: & quod attinet ad deprauatam sic ait: *Lingua verò vitiosè sapores sentire solet, cum extraneo humore est impleta, quo casu quæ gustantur omnia vel salsa sunt, vel amara, vel alia quapiam aliena qualitate dicibili, indicibiliq; infecta.* — Gal. 1. de sympt. caus.c.4.

Dicet tamen aliquis, non videri actionem hanc esse deprauatam, siquidem sentitur sapor propriùs eius humoris, quo lingua imbuta est: cui respondebo, tametsi hoc ita sit, nihilominùs, quia sensus iudicat, prauũ hunc saporem reperiri in eo, quod ab extra accedit, cum tamen non sit, nisi interiùs in ipsa lingua, prauam actionem censeri. Vnde Aristoteles exemplum affert ęgrotantium, *Quibus cuncta videntur amara: quia lingua sentiunt tali humiditate referta.* — Arist. 2. de an. tex. 104

Cœterùm animaduertendum est, non quemlibet humorem in lingua existentem posse efficere sibi similẽ saporem rei, quę extra accedit, sed necesse esse, vt sit validus: quę doctrina accipi potest ab Auerroo dicente: *Et aliquando accidit, quando iste sapor non erit multùm fortis, vt sentiat sapores quasi temperatos propter hunc malum saporem, quem habet; idem accidit etiam propter res extrinsecas, sicut accidit comedenti res amaras, & posteà bibit aquã, sentit eam quasi dulcem.* — Auerr. 3. col. c.35.

Patitur etiam lingua sua symptomata, prout est loquutionis instrumentum; Constat ex Aristotele, qui ait, loquutio non est, nisi vocis per linguam explanatio. Igitur in loquutione tres etiam vitiatę actionis modi reperiuntur: actio ablata est, quando quis omnino voce priuatur: diminuta, quando cum difficultate loquitur, qui affectus appellatur ab Aetio anziloglosis: inquit enim, *Anziloglosi quidam fiunt à natiuitate, quidam verò aliqua affectione: ex natiuitate fiunt, cum membranæ inferiores, quibus lingua innititur, duriores, & mutilæ à natura sunt productæ: ex affectione verò anziloglosis, id est incuruatio linguæ, contingit præcedente vlcere, & cicatrice dura sub lingua relicta: qui hoc modo affecti sunt difficulter loquuntur.* Sic Aetius. Est etiam in loquutione suo modo deprauatio, vt quãdo balbutiem habet coniunctam; Isthęc deprauatio tribus contingit modis: nam aut non potest statim proferri oratio, sed cogitur homo repetere aliquam syllabam, quod vitium titubantia appellatur, siue hęsitantia linguæ, ab alijs dicitur barbarismus, à Batario Zinetarum Rege, qui semper primam syllabam repetere cogebatur. Alter modus est, cum non potest homo totam dictionem proferre, aut exprimere, & appellatur blesitas: ita sentit Aristoteles: tradit enim ad litterarum etiam explanationem, & ad sermonis expressionẽ linguam mollem, latam, & absolutã accommodatiorem esse: quippe cõtrahere, producere, dilatare, deniq; afformare maximè possit: patet hoc in ijs, quibus non satis absoluta est: blesi siquidem balbi, & torti sunt, quod vitium litterarum defectus est. Tertius modus blesitatis est, cum nõ potest homo proferre vnam litterã, sed pro vna profert alteram, vt pro r. l. e. g. se velit dicere triticum dicit — Arist. 4. de hist.an.c.9 — Aet. tetra. 2. serm. 4. c. 36. — Arist. 2. de part.anim. c.17.

Ar. sect. 11 probl. 30. tliticum, & est propriè deprauatio. Aristoteles aliquādo de quibusdam horum dicit, hæsitantem alteram alteri syllabam iungere properè non posse.

pag. 135. Non præteribo hic ridiculam Satyri calumniam. Dixi ego in tractatu de asitia, *Ratiocinatrix anima, si in vtero adesset, profectò infans in vtero maximam vim pateretur, & extra vterum in primis esset ratiocinatio fatua, vt pote sinè experimento: deinde non posset exprimi sermone: quippe sermo addiscitur: voces enim, significant ex instituto*. Hic schurram agens ait, *Infantem habeo nunc trimum, qui loqui nondum perfectè nouit, & dum suas cupiditates mihi, balbutiem eius non intelligenti, conatur manifestare, me ad risum sæpissime mouet: qui si ego a te antehac didicissem, infantes maximam vim perpeti, dum sua cogitata nequeunt exprimere sermone, condoluissem dilectissimo filiolo maximam violentiam patienti*: & cętera.

Quid irrides, Satyre? nempe verba sapienter prolata, & non nisi à te damnanda. Si ratiocinatrix vis, inquio, puero in vtero existēti adesset, puer maximam vim pateretur. Quid ni? Non ne ratiocinatrix anima inclusa in illo ergastulo vim pateretur? Tunc addidi duo alia absurda pręter hoc: primum, ratiocinatio esset sinè experientia, & subinde fatua: alterū, non posset exprimere sua cogitata: quippe sermo addiscitur. Iam ergo vim pati, non cadit in hęc duo absurda, sed in illud prius, nempe de puero in vtero existente. Tu autem non ita accipis, sed pueros etiam bleso ore garrientes vim pati, dictum à me esse, proclamas, nec consideras, puerum in vtero non habere experientiam, non habere etiam doctrinam, quę sunt duo posteriora absurda, vim etiam passurum, si ratiocinandi haberet vim; E contrario puerum iam quoquo modo loquentem (qualem tu proponis esse eum, quem filium tuum existimas) hanc qualemcumque loquutionem habere, tum ob experientiam, tum ob doctrinam. An nescis filiolum istum ab infantia, hoc est, ab initio, cum loqui nesciret, addiscendo, & experiundo profecisse in dies ita, vt iam tibi bleso ore loquatur, mox multò meliùs cum addiscet, & experietur loquuturus? Desine ergo condolere filiolo huic vxoris tuę.

Stomacho, siu gul. Duæ partes sūt gula, & stomachus, sed continuatione sunt vna: quippe gula est, per quā descendit cibus ad os ventris, quod stomachus appellatur, sicut tota ventris cauitas ventriculus dicitur. Vnde Galenus, gulam, asserit, esse quandam partem, quæ inter fauces, & os ventriculi media est, quam veteres œsophagon nominabant; Auicenna partem ventriculo continuam appellat, & ex ijsdem tunicis constantem: Aristoteles, gulam, dici, ait, ab angustia, & longitudine. Cœterùm apud Homerum, vt scribit Pollux λαιμὸς i. gula, stomachum significat. G. lib. 5. de loc. aff. c. 1. Au. fen. 13. li. 3. tract. 1. c. 1. A. 1. de hist. ani. c. 16. Pollux.

Porrò collū pluribus constat partibus; inter alias autem præcipuæ sunt duo ductus, alter, qui trachea, siue aspera arteria appellatur, & tendit ad pulmonem: alter est guttur, seu gula, & ducit ad ventriculum. Horum duorum ductuum affectus, propter viciniā confunduntur, quod patet in angina, quam tamen aliqui diuersis nominibus, iuxtà diuersa loca, quę afficiuntur, distinguere solēt: quippe si interni gutturis, aut summitatis arterię asperę musculi inflamantur, dicitur cynanche: si externi paracynanche. Deinde si inflammatio corripiat internam faucium partem (sunt fauces spatium inter duo orificia) dicitur synanche, si externā parasynanche. Cœterùm verissimū est, quod Galenus ait, tum primum homines res ipsas neglexisse, cum nimio studo nomina quęrere cœperunt. Gal. 4. loc. aff. c. 5.

Quod in pręsens maioris momenti esse videtur, est, quæ signa in hoc affectu sint periculosiora. Existimo, respirationem sterrentem esse, quæ maiorem nobis incutit timorem: siquidem respirationis viam interclusam esse, significat; Cum ergo stertor iste ostendat respirationis difficultatem, cum rursus difficilis respiratio graue sit malum, meritò, vbi ita in angina contingit, valdę timetur de ęgrotantis vita. Verùm quidem est in omni angina vtrumq;, videlicet respirandi, & degluriendi sentiri difficultatem, nihilominùs, si inflāmatio est in æsophago, deglutiendi difficultas est maior, respirandi verò minor: si verò in aspera arteria, è cōtra. Cum verò Hippocrates narrās diuersas anginæ species dicat, *In summa, qui solùm deglutire non poterant, his valdè mites, & toleratu faciles erant*, quibus H. 6. epid. sect. 3. t. 1.

bus verbis videtur insinuare, posse deglutionem lędi nō lęsa respiratione, fatendum quidem est, mitissimā anginam degluttiendi actionem lædere, ita tamen, vt deglutiendo cōprimatur ductus asperę arteriæ, & subinde respiratio lædatur, non ob inflammationem in aspera arteria existentem, sed ob compressionem factam à dilatatione œsophagi. Hæc expositio est Auicennę dicentis, *Et differentia inter apostема malignum, quod non sanatur, & apostema, quod non est cum illa malitia, imò est in postremo lacerti meri, est quoniam videtur, quòd non constringatur anhelitus, nisi cum est deglutio*. Sic Auicenna; quem sequuntur communiter practicam scribentes. (Auic. c. 9.)

Ventre, idest ventriculo: quamuis enim in corpore multiplex sit cauitas, quæ gręcè κοιλία dicitur, in pręsente non vtitur Hippocrates hoc vocabulo, sed στομάχῳ, quod latinè ventriculus verti solet: nempe officina primæ coctionis. Huius etiam partis complures sunt affectiones: quasdam enim patitur, quatenus coquendi, alias, quatenus appetendi est instrumentum.

Symptomata, quæ pertinēt ad appetentiam, referenda sunt ad internam tunicam ventriculi, & maxima ad os, quod valdè sensile est propter amplissimos neruos sextæ coniugationis, illuc è cerebro accedentes. Symptomata verò ad coquendi facultatem spectantia, magis referuntur ad tunicam externam, quæ, si extenuetur, non potest tantum præstare caloris ventriculo, quanto opus habet. Hinc bradipepsia .i. tarda coctio: hinc dispepsia .i. difficilis coctio: hinc tandem apepsia, priuatio coctionis. Tametsi autem coctio ventriculi pendeat à forma (quippe in ventriculo hominis chylus fit aptus ad reficiendam non nisi hominis carnem, & sic cœterorum animalium) nihilominùs tamen calor est instrumentum necessarium, sinè quo pepsis, quæ elixatio quædam est, confici nequit. Iam verò vlcera, tubercula, & morbos in temperamento ventriculus, non vt officina, sed vt pars corporis, patitur. Non est tamen negandum, offenso eo, vt pars corporis est, actiones etiam, quas, vt communis officina peragit, necessariò lædi.

Colligitur ex dictis, ventriculum duas habere tunicas, quarum interna neruosa est, externa verò carnosa. Huius rei rationem reddit Auicenna inquiens, *Et natura quidem intrinsecam tunicam fecit neruosam, & extrinsecam carnosam: potest namq; digerentis operatio, ad id, quod digestum est in potentia sine occursu peruenire, sentiente verò id, quod sentitur non potest, sentire, nisi obuiando ei, sensu videlicet tactus*. Sic ille, qui facultatem tangendi, ait, non posse comunicari, nisi ab immediato tangente, hoc est, ab intrinseca tunica; Neq; verò nocet commune axioma, *Sensibile supra sensum non facit sensationem*: nam superius iam diximus, hoc non habere locum in sensu tactus, sed in alijs sensibus. (Auic.)

Intestinis. Dubitatio est non exigua circa intestinorum facultates: non loquor de iis, quas vnaquęq; pars propriæ nutritioni subministrantes habet (has omnis pars, vt pote quæ nutritur, habere debet) sed loquor de alijs, quarum actiones fiunt motu fibrarum: actiones enim aliquę priuatæ, peculiaresuè sunt, priuatę nutritioni inseruientes, & hæ omnibus particulis insunt, nulloq; fibrarum ministerio peraguntur: alię communes, seu officiales inseruiuntq; communi vtilitati, & fiunt per fibras, quarum trāsuersę sunt ad expellendum, oblongæ ad attrahendum, obliquæ ad retinendum.

Itaq; hac retentrice, omnes concedunt, intestina carere: coctricem omnes admittunt: similiter admittunt expultricem: de attractrice non conuenit apud omnes. Auicenna eam admittit: quippe reddens rationem, propter quam intestina constant duplice tunica, ait, *Propter diuersitatem duarum operationum in duabus tunicis*; Alibi etiam ita inquit: *Imò melius est, vt villi attrahendi, & retinendi sint simul, nisi in intestinis: non enim multa indigent retentione, sed attractione, & expulsione*. (Auic. l. 3. fen. 16. tr. 1. c. 1.) (Auic. 1. 1. doct. 5. c. 1)

Cœterùm hanc doctrinam non didicit à Galeno, qui aliter sentit, his verbis: *Quemadmodum igitur ventriculo, vtrosq; villos sortito, duabus opus fuit tunicis, contrario inter se modo habentibus, ita & intestinum quodq; vnam speciem motus cum habeat expultricem, vnam pariter tunicæ speciem in transuersos, & rotundos villos dissolutam obtinet*; Alibi sic: *At intestina, ut quibus neq; attrahere, neq; retinere erat necesse, sed contractis undiq; potiùs* (Gal. 4. de vsup. c. 17.) (G. 5. de vsup. c. 12.)

potiùs pellere, cum simplice egerent motu, simplices quoq; fibras habuerunt. Quoniam autem Auicennæ sectatores, iccirco, aiunt, attrahendi facultate pollere intestina, quia fibras habent oblongas, hoc præuidens Galenus, responsionem in scriptis reliquit: siquidem has fibras longas intestino recto duntaxat concedit, quas ibi appositas esse, ait, non ad tractionē, sed ad transuersarum tutelam: periculum namq; erat, ne orbiculares fibræ secederent, & mutuò auellerētur, nisi extrinsecùs à rectis, tamquā vinculo quodam, arctarentur. Gal. 4. de vsup.

Patitur igitur multis modis intestinorum excretrix: tum in dysenteria, quæ alias intestinorum difficultas appellatur: tum in lienteria, quæ eorumdem leuitas nuncupatur, tum in cœliaca, tum deniq; in quodam continuo excernēdi desiderio, quod tenesmus appellatur. A pituita etiā dolores patitur, quos passus est Galenus ab ea pituitę speciæ, quam vitreā Praxagoras appellauit: à flatu etiam dolores colici excitari solent, & voluulus, qui ablata est expultrix. In coctrice etiam prædicti affectus, lienteria, cœliaca, dysenteria, & diarrhæa, possunt dici affectiones: quippe inordinata, anticipataq; expulsio coctionem impedit. Verùm de his omnibus, non est hic locus agendi sigillatim: siquidem qui praxin scribunt, singulas affectiones seorsim, ordinateq; pertractarunt.

Septo transuerso. Musculus interiectus, veluti paries, diuidens membra spiritalia à naturalibus, septū transuersum solet appellari: septum ratione officij, transuersum ratione situs; Veteres φρένας vocarunt, quasi prudentię particeps: quippe φρὴν mens est. Hac appellatione vsus est Hippocrates, non quòd hæc pars ad sapientiam quicquam conferat (eos, qui sic credunt, irridet autor libri de morbo sacro) sed quoniam ex eius inflammatione cōtinuum delirium sequatur, tum tamen per aliarū consensum non soleat delirium continuum sed interpollatum fieri. Huius autem celebris consensus inter septū transuersum, seu diaphragma, & cerebrū multi causam quærendo hallucinantur: quidam existimant inflammato septo transuerso statim cerebrum inflammari: cum enim septum hoc sit liberę respirationis præcipuum instrumentum, eo inflammato, respiratio impeditur, & subinde calor augetur, sanguisq; attenuatur, & bilescit, sursumq; in cerebrū eleuatur, vnde oritur cerebri erysipelas, hoc est, phrenitis. Sed duo sunt, quæ hanc doctrinam euertunt: vnum, quòd pulmones, quorum alimentum sanguis arterialis est, cū in motu etiam sint, & cerebro propinquiores, quando in peripneumonia inflammantur, deberent quoq; idem efficere, & continuum deliriū comitem habere, & tamen non habent: alterum est, quòd inflammato cerebro iam delirium non esset sympathicum, sed idiopathicum.

Alij causam referunt ad gentilitatem, quę est inter substantiam cerebri, & substantiam septi. Attamen maior est consanguinitas inter ipsū cerebrum, & spinalem medullam, nec tamen ex spinali medulla delirium fit continuum.

Andreas Laurentius, duas simul causas concurrere, ait: vna est societas cum cerebro per insignes neruos, qui & calorem, & spiritum vaporosum cerebro communicant: & quoniam hęc sola causa non sufficeret, nam ventriculus etiam per neruos amplissimos cerebro alligatur, addit alteram, nempe cōtinuum motum, quo vapores ad cerebrum impelluntur, & veluti manu, flabelli instar, feruntur. Sed non adhuc videtur sufficienter assignata ratio: quamuis enim valde magnos neruos recipiat à cerebro, & in continuo sit motu, non iccirco plures vapores cerebrū ex septo inflammato recipiet, quàm recipit ex peripneumonia, & angina, ex quibus delirium continuum non fit. And. Lau.

Vallesius ad occultam quandam sympathiam, analogiamq; recurrit, quam nemo potest impugnare: nam qua poterit quispiam ratione probare, nō esse aliquid sensibus abditum, quod inter hæc duo membra affinitatem contrahat? Nihilominùs cum id, quod peruenit ad cerebrum ratione inflammationis aliarum partium, sit eiusdem conditionis cum eo, quod peruenit ex septo transuerso, eodem modo deberet noxa ex alijs partibus, & ex septo euenire in cerebro; Prætereà licèt affinitas sit inter septum, & cerebrum, fuligines putrescentis humoris in septo non pos- Valles.

possunt habere naturæ similitudinẽ cum cerebro.

Cœterùm quamuis nullum sit membrum, ex quo magis continuũ delirium cerebro communicetur, quàm septum, non video, cur cogamur fateri, delirium communicatũ à cerebro esse omnino, & necessario continuum: nam Galenus sic ait: *Sed quæ ob septi transuersi affectum accidunt deliria, non multum à phrenitide distant.* Sic ille: at hoc non est prorsus nihil à phrinitide distare; Et paulo infra addit hęc verba: *Ab aliarum verò partium nulla perpetuum delirium procedit, dempto solo septo transuerso, cuius vitio excitatum delirium, parum à continuo distat.* Ecce parum distare à cõtinuo ait, vnde rectè infertur, non esse continuum. Vallesius pro *parum* legit *nihil*, sed frustra correctionem contextus suo palato accommodat. Siquis autem dicat, Galenum prius dixisse, delirium à septo transuerso esse perpetuum, quare malè postea sibi contrarius dicit, parum distare à continuo, respondeo, dici quodammodo posse perpetuum id, quod parum distat à continuo: quippe parua distantia contemnitur à medico, & pro nulla habetur; Vnde Galenus, parum, & nihil alibi confundens sic ait, *Septum quidem transuersum delirium infert promptissimum.* Vocabulũ istud *promptissimum* ita videtur insinuare continuitatem, vt eam nõ omnimodam esse affirmet.

G. 5. loc. affec.c.3.

Vall.

G. 1. prog. 58.

Non prætéribo aliud symptoma ex læsione septi transuersi, nempe risum; quippe Aristoteles risum ex titillatu ideo fieri ait, quia motus ad septum transuersum citò peruenit, & leuiter calefacit, atq; aperit, & mentem mouet præter voluntatem. Narrat insuper, contigisse, vt quidã Vulneratus in prælio, propter precordia traiecta, in risum incidisse, ob calorem, quem vulnus mouet. Hoc non recipiunt multi. Cœterùm neque hic disputabo controuersiam, an risum pręcedat admiratio, quod Fracastorius inuenit, Vallesius recepit, Valleriola impugnabit:

Ar. 3. part. ani. c. 10.

Peritonæo, membrana aluum, ac intestina complectente. Textus græcus habet duntaxat peritonęo, cœtera ad huius vocabuli declarationem sunt addita: quippe peritoneum est membrana omnium membranarũ maxima, si carnosam excipiamus: vestit enim omnem cauitatem in superficie interna à septo transuerso ad ossa vsq; pubis, ilium, & coccygis, & insuper obuincit omnia, quę inibi continentur instrumenta: ventriculum, scilicet, iecur, cystim fellis, lienem, omentum, mesereon, intestina, renes, vesicam, plurima etiam alia ambit, vt nullum sit inter naturalia membra, quod ab hac membrana non recipiat vtilitatem. Potest pati solutionem continui, intemperiem, tumorem præter naturam, & quod sæpe solet contingere, more vtris, cuius effigiem refert, aquam hydropicorum in se continet.

Hepate. Vnum ex tribus membris principalibus est hepar, ex quo, per venarum tubos, alimentum in vniuersum corpus distribuitur. Varios pati solet morbos: fidem facit Galenus, qui huic parti, sicut & reliquis omnibus, duplex morborum genus accidere ait; vnum à sola intemperie, alterum, vbi vna cum intemperie humor quoq; infestat: considerat namq; iecur, & tamquam membrum similare, & tamquam organicum; Vt similare patitur hepaticã affectionem: hoc nomen peculiare est debilitatis huius visceris, propter quam sanguis veluti lotura carnis per sedem eijcitur; Vt membrum organicum patitur tumores præternaturam, inter quos sũt scirrhi, quibus iecoris substantiam maximè opportunam esse, dixit Galenus: *Vtpote quæ naturaliter lutosum quippiam continet.* Cœterùm dubitare posset aliquis cum ex hac Galeni doctrina colligatur, scirrhos esse proportionales iecori, cur ab eodem Galeno scirrhi iecoris dicuntur insanabiles? Dubitandi ansam præstat Hippocrates, inquiens: *In morbis minus periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tempori magis congruit morbus, quàm quibus secundum nihil istorum congruit.* At Galenus, *Scirrhum, inquit, hepatis, ab initio quidem sanauimus sæpius: vbi verò ad plures dies forte foret extensus, neq; ipse potui sanare, neq; alium vidi, qui posset.* His verbis ostendit, scirrhum in se ipso sanari quidem posse, tractu verò temporis, in membro præcipuo, & sanguinis officina debilitatem induxisse, & sic causa scirrhi iugiter fouetur; Et sic dubitationi fit satis: nam scirrhus, cum sit proportionalis iecori, sanari quidem

G. 5. loc. affec.c.6.

G. 13. med. th.c.16.

Gal. 2. ad Glauc.c.3

H. 2. aph. 34.

dem

dem potest, nisi aliunde fiat insanabilis: fit autem insanabilis propter contractam tractu temporis debilitatem. Vbi verò scirrhus non adest, [G. de cōst. art. c. 17.] obstructiones facilè in hoc viscere fiunt, dicente eodem, viscus hoc ob viarum angustiam, & ob copiam transeuntis substantiæ, assiduè obstructionibus arripi.

Splene. Quamuis splen, & hepar similes morbos pati soleant, quod [Gal. 6. loc. aff. c. 1.] Galenus in mentem reuocat, quandoquidem ait, ex ijs, quæ in iecore dicta sunt, facilè inueniri notas, quibus lienis affectus discernantur: nihilominùs multò faciliùs, quàm iecur [G. 13. meth. c. 16.] duris tumoribus afficitur; Cuius rei causam esse, ait alibi, nutrimentum, quo alitur: est enim crassus sanguis, & veluti purioris limus. Cœterùm [G. 4. vsu p. c. 15.] Galeno Galenum ipsum obijcere possumus: ait namq; in libris de vsu partium, *Splenis corpus cùm tantò rarius sit hepate, quantò crassius pulmone, meritò ex tenuiore parte sanguinis nutritur.* Respondeo, trahi quidem ad nutritionem lienis crassissimum alimentum, humorem scilicet melācholicum, cœterùm multitudine arteriarum, quæ ibi sunt, magnum adesse calorem, à quo succus iste attenuatur. Quoniam autem multæ remanent crassæ partes, facilè tumorē scirrhosum conficiunt.

Renibus, vesica. Attrahunt ad se renes serum, quod transcolatum mit- [Vallesius.] tunt in vesicam. Vallesius ait, iam [Duretus.] in renibus vrinam appellari. Duretus, non nisi postquàm in vesica stabulatur, vrinæ formā suscipere, vult. Tam renes, quàm vesica vlceribus possunt infestari, quorum signa in vno, & eodem exeunte proueniunt, diuersa tamen sunt: quippe è renibus [4. aph. 76.] filamenta proueniunt, vt Hippocra- [5. aph. 31.] tes nos docet: è vesica autem, eodem autore, squamulę. Tametsi autem in varijs corporis partibus lapides gignuntur, frequentiùs in renibus, & [Ar. 10. pro bl. 42.] vesica gignuntur. Vnde quęrens Aristoteles, *Cur ex animalibus solus homo calculo laborat*, de calculo renum, & vesicę duntaxat se loqui, declarat: siquidem inquit: *Homo vesicam habet, & ceruicem eius canali angusto, pro magnitudine, porrectam. Ergo quòd membrum id adest, quantum terreni humoris seuocatur, in vesicam contruditur, ex quo vasa quoq; vrinaria, id est matula eo ipso tinguntur. Loci autem calore efficitur, vt amplius concrescere, atq; crassescere possit. Retinetur verò, augeturq; propter canalis angustiam: cum enim terrena illa subsidentia prodire ex facili nequeat, reuersa cohærent inter sese, calculumq; ita conficiunt.* Occasionem pręstant pręd̄icta Aristotelis verba censendi, materiam lapidis esse substantiam crassam, terrestrem, causam efficientem esse calorem, conditionem verò sinè qua non, moram: neq; enim lapis concrescit nisi temporis diuturnitate: de causa materiali, & de conditione sinè qua non, nemo potest dubitare, de efficiente † dubitatio esse potest, quam seorsim discutiendam reponimus. †

Vtero. Si omnes vteri morbos prosequi vellem, plus nimio volumen cresceret: sufficiet summa capita attingere. Patitur ergo, vt pars similaris, morbos ab intemperie: vt pars organica, morbos in compositione, vt tumores pręter naturam, morbos etiam pertinentes ad vtrumq;, videlicet solutę continuitatis, vt sunt vlcera maligna, & cancrosa. Præcipua tamen affectio est, quæ vteri suffocatio appellatur, adeò vt quamuis hysterica affectio propriè omnem vteri morbum significet, nihilominùs, veluti per antonomasiam, strāgulationi vteri solet applicari; Vnde & mulieres hoc symptomate vexatas hystericas vocant medici. Est autem hęc suffocatio affectus plurimas habens reuersiones, in qua mulier instar mortuæ per plures horas iacet. † Cœterùm hunc etiam affectum seorsim tractare libet. †

Cute. Hic Hippocrates inter reliquos affectus pręter naturam, cutaneas etiam affectiones recēset, quod etiam Galeno placet in libris de morbo, & symptomate. Quicumq; ergo morbos cutaneos dixerit, ex horum autorum mente loquitur: qui negauerit, eis aduersatur. Miror ergo Thomam Minadoum, qui cutem [Minadous.] non morbos, sed dedecorationem dūtaxat pati contēdat, cumq; hoc sit inauditum, paradoxum illud veluti rem nulli dubitationi obnoxiam, proponit. Cœterùm licèt ille rem hanc magni momenti esse existimet, est tam, vt vnicuiq; patet, parum necessaria ad medicam auscultationē. Sed quodnam est eius fundamentū? nempe morbo actiones lædi: cutem autem nullam habere actionem, sed vsum duntaxat. Meminisse tamen debue-

debuerat id, quod nos iam anteà ex Galeno diximus, videlicet parum referre, vsum ne, an actionem dicamus. Satis ergo est, quòd cutanea vlcera sanitatis perfectioni aliqua saltem ex parte noceant, vt dicamus, vlcera cutanea tam esse affectiones prȩter naturam, quàm sunt vlcera interna: illa lȩdunt vsum, hȩc verò actionem.

Hæc omnia, & sigillatim, & particulatim. Amplectitur paucis ea, quæ multis dixerat, nimirum morbos posse euenire, quosdam quidem in singulis omnibus, nempe in intemperie, in compositione, in solutione continui, alios in quibusdam dũtaxat, vt vermes in intestinis, lapides in renibus, & vesica, coryza in naribus.

VTRVM ABLATA PRORSVS respiratione animal viuat.

QVÆSTIO VIGESIMAQVARTA.

Introductio ad quæstionem.

1 SVNT actiones quȩdam, quȩ non omnino vitæ tuendȩ inseruiunt, hoc est, sinè quibus vita potest constare: has propterea, natura, liberas esse, voluit, vt sunt motus omnes, qui musculorum opefiunt, & animales appellantur: nempe ab anima liberè profluentes. Aliæ verò sunt omnino ad vitam necessariȩ, & dicuntur naturales, sinè quibus natura nostra non constat: ad has reducitur (vt iam superiùs satis inculcauimus) ea, quam tertiam medici statuunt, & vitalem appellant, motum scilicet arteriarum. Itaq; inquirere, an respiratio sit omnino ad vitam necessaria, idem est, ac si quæramus, an sit actio libera, an verò sit ex alijs, quas naturales appellari diximus.

Examen opinionis, quæ tenet, respirationem esse actionem naturalem.

Articulus Primus.

1 NON leuem occasionem præstat Aristoteles delabendi in eam sententiam, quȩ tenet, respirationem esse actionem naturalem; In primis enim, dum pulmones follibus ferrarijs, qui attolluntur, & deprimuntur ad attrahendum aerem, comparat, iam insinuat, respirationem, cuius pulmones instrumenta sunt, naturalem, & sinè libertate fieri: res enim sic habet; Cor eximio calore pollens dilatatur: ad dilatationem autem cordis pulmones, qui cordi sunt alligati, simul dilatantur, ac proindè sinè prȩcognitione, sinè libertate fit motio pulmonum ad cordis motum: quare respiratio libertate caret. Ar. de morte, & vita in fine.

2 Deinde idemmet Aristoteles alibi, inesse, ait, animantibus aliquos motus naturales, secundùm quos, non per se ipsa mouentur, vt accretio, decretio, respiratio, quibus mouetur animalium quodq;, cum quiescit, & non mouetur secundùm eum motum, qui est à se ipso. Ecce Philosophus inter motus merè naturales, qualis est accretio, aut decretio, reponit respirationem: quare non magis huic, quàm illis libertas tribuenda est. Ar. 8. physic. tex. 51.

3 Ampliùs idemmet Aristoteles alibi non voluntarios motus appellat somnum, vigiliam, respirationem, & alios, quicumq; tales sunt: horum enim nullus phantasia, aut appetitio simpliciter est domina. Hȩc Philosophi verba manifestè declarant, respirationem vnam esse earum actionum, quæ non liberè, sed necessariò peraguntur. Ar. de cõmu. an. motu c. 8.

4 Galenum quoq; fautorem habere videntur autores huius sectæ: quippe ille, G. 8. de anato. administ. c. 2.

Hh

G. lib. de offi. medic. c. 36. ille, respirationem aliquando naturale opus esse, dicit: & alibi, motum cruris, & brachij in nobis esse, ait, thoracis verò, & membranarum non esse in nostra potestate.

Auerr. 2. coll. c. 19. 5 Auerrous eadem via incedit, & ex illa vulgari ratione, quod scilicet inter dormiendum respiramus, colligit, respirationem non esse actionem voluntariam: quippe voluntaria actio fit ex appetitu media cognitione obiecti, quæ tamen per somnum cessat. Addit aliam rationem sumptam ex eo, quod Hippocrates sepe respirationem ponit loco pulsus: tēpore scilicet, quo ægrotant membra, & etiam, quia respiratio denunciat temperamentum cordis, sicut denunciat pulsus. Præterea quia tussis est respiratio vehemens, & tamen non est voluntaria: posita enim causa, tussim incitante, non possumus tussim cohibere. Vlteriùs, quia in actionibus voluntarijs contingit lassitudo, si nimio vsu fiant, vt videre est in motu progressiuo: sed toto vitæ tempore non contingit ex respiratione fatigatio. Tandem quoniam fœtus in vtero materno non habet functiones voluntarias, vt Galenus ait, habet tamen respirationem. G. 12. de vsu p. c. 5.

6 Cœterùm considerare oportet, pluribus modis aliquid dici naturale, quos non oportet in præsente seorsim percurrere, sed potiùs, reducendo eos in pauciores, ostendere, respirationem (quod nostrum est intentum) quatuor modis naturalem posse appellari. Vno modo prout naturæ operi inseruit: G. de marasmo c. 2. quemadmodùm enim mors, & senectus dicuntur naturales, quia sequuntur ad naturæ opus, hoc est, ad actionem calidi in humidum, eodem modo respiratio naturalis appellatur, quoniam eidem actioni inseruit. Huic respirationi sic naturali opponitur ea, quæ est præter naturam: e. g. apnœa, hoc est, non respiratio. Secundo modo dicitur respiratio naturalis: quoniam naturale est id, quo natura constat: adeò autem natura respiratione constat, vt per eius contrarium, nempe per apnœam destruatur. Tertio modo naturale dicitur id, quod opponitur violento: sic mors ex morbo naturalis dicitur, prout opponitur morti ex vulnere, aut ex laqueo. Respiratio eodem modo dicetur, quæ (vt ostendemus infra) solo septo transuerso fit. Hanc ego appello respirationem facilem: quippe opponitur dispnœæ, nempe respirationi difficili: est igitur difficilis respiratio, ad quam plures musculi concurrunt. Præter hos tres modos, qui plures alios complectuntur, est quartus, qui ad præsentem rem facit, quo naturale dicitur id, quod à facultate fit naturali: cum enim tres sint facultates, vna animalis residens in cerebro, quæ libertatem in agendo secum habet, altera naturalis, cuius origo est iecur, sed quæ singulis membris insita naturaliter agit, tertia vitalis in corde, quæ, quoniā non agit liberè, solet ad naturales referri, quicquid naturalem facultatem sequitur, naturale opus appellatur.

7 Cœterùm vnaquæq; facultas sua habeat instrumenta, cuius facultatis vnaquæq; actio fit, possumus ex instrumentis aucupari. Vt igitur vitalis facultas arterias habet pro instrumento, naturalis fibris, seu villis pro instrumēto vtitur, sic animalis neruis vtitur, virtutem deferentibus, musculis verò motum exequentibus. Cum igitur respirationis naturaliter se habentis instrumentum sit musculus, nempe septum transuersum, non est actio vitalis, nec naturalis, sed animalis, ab animali facultate profluens.

8 Præstat ergo soluere ea, quæ in contrarium fuerunt adducta. Et quod attinet ad Aristotelem, cum illius sententia sit, (vt infra patebit) respirationem esse opus animale, non est credibile, cum sibimet contrarium discrepantia scripsisse. Quapropter quando pulmones follibus ferrarijs comparat, In lib. de mor. & vit cit. nihil detrahit libertati respirationis: nam pulmones non numerantur inter organa illa respirationis, quæ mouentia appellantur, sed inter excipientia: inseruiunt enim excipiendo aeri. Sunt organa mouentia musculi sexaginta quinq; thoracem distendentes, & contrahentes; neq; enim sinè thoracis motu aut aer recipitur, aut idem cum fuliginibus expellitur. Sunt alia organa, quę deducentia nuncupantur, quia aerem deducunt ad intus, & reducunt ad extra; nempe larynx, & aspera arteria; Sunt deniq; excipientia, vt pulmones. Ad libertatem igitur actionis faciunt duntaxat mouentia, quę cum musculi sunt, liberam esse respirationem, declarant.

8. physic. cit. 9 Quando autem idem inter motus naturales, nempe accretionem, & decre-

erectionem, recenset respirationem, non accipit motum naturalem, vt distinguitur à motu animali, sed motum naturalem intelligit, hoc est, secundùm naturam à principio interno efficiente, in quo conuenit respiratio cum accretione, & decretione. Intendebat ibi probare, nullum motum in animalibus esse æternum, neq; aliquem absolutè primum: & quia aliquis diceret, motum progressiuum esse, quo animalia à se ipsis mouentur, & à se ipsis incipiunt moueri, ostendit, esse alios motus animalibus à natura, id est, non violenter factos, quibus non mouetur per se, vt accretio, decretio, respiratio.

10 Quando alibi non voluntarios motus esse, ait, somnum, vigiliam, respirationem, aduertendum est, non voluntarium dupliciter dici: vno modo, quia fit contra voluntatis, rationisq; imperium, vt motus cordis in passionibus animi, & erectio penis in obiecto lasciuo. At hoc modo respiratio non est non voluntaria, respiratio, inquam, hominis naturaliter se habentis: quippe huiusmodi respiratio nullum habet imperium voluntatis, quod ei contrarietur, & sic non dicitur non voluntaria priore isto modo. Alius est modus, quo non voluntarium aliquid esse, dicimus: nempe quia voluntas, & appetitus nõ sunt domini illius simpliciter, nec fit præcedente istarum potentiarum actu, sed fit ob aliquod incitamentum, quod non est in potestate nostra. e.g. quando aliquis digitum comburit, excutit illum non præcedente actu voluntatis, & appetitus, aut si præcedat, non ille solus necessitat ad excussionem, sed cõbustio incitans, quæ non sinit, membrum combustum esse in nostra potestate. Hoc modo dicitur respiratio non voluntaria: fit quidem à principio voluntariè operante, nempe à facultate animali, sed habet simul adiunctam necessitatem refrigerandi cor, quę non sinit, nos respirationis actionem in nostra potestate habere, ac proinde dixit rectè Aristoteles, respirationem esse non voluntariam, hoc est, cogi ab aliquo ad operandum pro ratione exigentię. Memini, me superiùs dixisse, in huiusmodi actionibus non voluntarijs adesse quidem voluntatis imperium implicitũ, quod nunc meliùs declaratur: quippe id, quod non habet explicitum voluntatis imperium, dici potest suo modo non voluntarium: siquidem in tali actione magis respicimus ad causam cogentem, quàm ad voluntatem imperantem. — De com. ani. motu. cit. — Supra sect. 2. q. 1. cauill. 13.

11 Iam verò Galenus non dicit absolutè, respirationem esse opus naturale, sed *Quòd naturale esse putatur*: sunt enim in nobis plurimę actiones, quæ naturalium specimen referunt, quia inconsideratè eas elicimus, nec posteà earum recordamur. v.g. quando dormiens pedem mouet, aut ambulans cogitabũdus terminum propositum deambulationis pręterit, & similiter aliæ, quas cõmemorat Galenus, vbi inter omnes respirationem recenset. — De anat. adm. cit. — G. 2. de motu muscul. cit.

12 Quando autem ait, motum thoracis non esse in nostra potestate, idem est, ac si diceret, non posse nos ad nutum sistere illum cum volumus. Horum aliquos, adiungit ille, esse secundùm naturam, qualis est respiratio, alios pręter naturam, vt est tussis, sternutamentum, singultus. — Gal. de offic. medic. cit.

13 Oportet autem vltimo loco Auerroo subtilissimo autori satisfacere: & quod attinet ad primam rationem, sumptam ex eo, quòd per somnum respiramus, sat in pręcedentibus huic est responsum, sat etiam respondisse videtur Galenus.

14 Altera, quæ nititur Hippocratis autoritate, respirationem loco pulsuum constituentis, si quidem respiratio non minùs, quàm arteriarum pulsatio cordis denotat intemperiem, soluitur in hunc modum. Respiratio, & pulsus in fine conueniunt: vtraq; enim actio ad cordis refrigerium est ordinata, ac proptereà vtraq; similiter denotat sui finis maiorem, minoremuè necessitatem. At facultates, à quibus hę duę actiones procedunt, sunt diuersæ (neque ego vnquam respirationem in pulsum permutaui, vt per summum mendacium mihi Satyrus obijcit) pulsus scilicet à vitali pulsifica, respiratio ab animali motrice. Quapropter pulsus auctus, & respiratio aucta, visum, hoc est, calorem cordis auctum significant. Respiratio verò debilis debilitatem facultatis animalis, pulsus autem vitalis indicat: potestq; respiratio esse valdè oppressa, vt in apoplecticis, pulsus autem validus. Non est tamen negandum, si affectio duret, cum facultates sint vnius animæ, & inter se consensum habeãt, tandem ex debili respiratione deficere cordi refrigerium adeò, vt prorsus concidat. — G. 2. de motu muscu. cit. — p. 172. — ☞

15 Ad tertiam rationem, sumptam à tussi, dicere oportet, & tussim, & respirationem esse actiones animales, & tussim esse voluntariam eo modo, quo est respiratio: quippe vtraq; vt inseruiat necessitati, ob causam incitantem propria quiete priuatur. Differentia solùm in eo est, quòd respiratio cogitur à causa secundùm naturam, hoc est, à calore cordis, tussis à causa præter naturam, hoc est, ab humore asperam arteriam, aut pulmones stimulante.

16 Ad quartam respondeo, etiam respirando animal fatigari, sed longè minùs, quàm ambulando: quippe motus progressiuus totius corporis est, & plurimorum spirituum deperditione fit: verùm hoc alibi meliùs explicabitur.

G. de format foet. c.3.

17 Ad vltimam, quando Galenus negat, fœtum in vtero actiones voluntarias habere, intelligit in principio formationis: quod colligitur ex eodem libro de formatione fœtus. Atq; ita Auerroo manet satisfactum.

Examen opinionis, quæ tenet, respirationem esse actionem mistam.

Articulus Secundus.

1 NEmesius, respirationem τὸ ψυχικὸν τῷ φυσικῷ esse, dixit, hoc est, animę opus, cum naturæ munere coniunctum. Hęc opinio, vt video, multis placuit, licèt diuersimodè explicata: attamen, an vera sit, libet in pręsens perscrutari, & in primis oportet considerare, respirationem esse compositam ex duobus motibus inspirationis, & expirationis. Inspiratio fit dilatatione thoracis ad attrahendum aerem, expiratio constrictione eiusdem ad aeris partem superfluam, & fuligines expellendas, simile omnino ei, quod pulsui accidit: nam dilatatur arteria ad aeris attractionem, comprimitur ad expulsionem. Secundùm hos duos motus dicunt aliqui, respirationem esse actionem mistam ex voluntaria, & naturali: existimant enim, inspirationem esse actionem liberam, quippe à facultate animali fit, vt pote quæ habet musculos sibi dicatos: expirationem verò, quam musculorũ ope non fieri, aiunt, sed duntaxat per thoracis decidentiam, esse naturalem. Quòd autem hoc ita fiat, ex Galeni doctrina eliciunt; quippe apud eum respiratio naturalis, hoc est, non violenta, fit à solo septo transuerso. Sed obstant aliqui dicentes, Galenum non dixisse, septum transuersum inseruire in respiratione naturali, sed in paruis respirationibus, hoc est, in iis, quæ infra naturalem statum subsistunt. In his, aiunt, septum transuersum solum agere, at in respiratione nõ parua, sed quę iuxta naturę mensuram est, plura instrumenta requiri. Hanc tamen verborum Galeni expositionem damnat Auicenna inquiens, *Et illud non est verum absolutè: nam quamuis quandoq; sit ille, qui completur motu solius velaminis paruus, quandoq; tamen n. est ille æqualis.*

G. 8. de anat. adminift. c. 5.

Au. fen 10. li. 3. tract. 1. c. 7.

2 Itaq; cum Galeno tenere oportet, solo septo transuerso animal in paruis respirationibus vti: cum verò maioris respirationis vsus quidam ipsi oboritur, aut exercitio, aut febre, aut vehemente aeris calore, aut alio quodam affectu, necesse est, diaphragmatis functioni intercostales subuenire: sin autem magis vsus respirandi increuerit, etiam elatioribus musculis, actionem obit. Hoc frequenter repetit. Quare si suos pręceptores damnat, quòd in respiratione solius septi transuersi mentionem fecerint, nihil interim commemorantes de reliquis organis, non id facit, quòd existimet, respirationem secundùm naturã indigere alijs organis pręter septum transuersum, sed quia reliqua organa, quæ auctę respirationi inseruiunt, non erant prorsus contemnenda. Cum ergo respiratio hæc, quę in statu naturali fit, solo fiat septo transuerso, cum rursus septum transuersum sit musculus, quòd Galenus tradit; quippe non solùm substantia, sed vsu quoq; musculum esse affirmat, iam hinc habere possemus, respirationem esse actionem animalem. Verumtamen cum musculus iste non habeat musculum oppositum, non poterit duas respirationis partes exequi, inspirationem scilicet, & expirationem: quare vnam duntaxat

G. 8. de anat. adminis. cit. & sæpe in lib de cau. resp. & in lib. 2 de motu musc. c. 9. & l. 4. loc. aff c. 4. & c. 6. & quã pluribus alijs in locis.

G 8. de anat. adm. cit.

duntaxat exequetur, videlicet inspirationem: altera, ociante musculo, fiet, nempe expiratio, & sic erit naturalis, & sic tota respiratio actio mista euadit.

3 Porrò isti, qui mistam actionem esse, dicunt, sic suam defendunt opinionem. Respiratio secundùm naturam (vt manet dictū) fit à solo septo transuerso, & subinde à musculo: vnius musculi vnus duntaxat est motus (quę est Galeni sententia sæpius repetita) nempe motu contractionis: ita vt quando membrum relaxari debeat, id fiat oppositi musculi contractione; Quare cū septum transuersum non habeat musculum oppositum, si semel contrahatur inspirando, à quo nam deinde relaxabitur? Sunt, qui dicant, vt fæces expelluntur relaxato musculo, qui claudit intestinum rectum, & vrina excernitur relaxato musculo, qui claudit vesicę collum, vtrobiq; scilicet ociante musculo, quia non datur musculus oppositus, qui agat, ita similiter contingere respirationi, quippe septum transuersum musculo caret opposito. Quare ociante musculo, à quo fit inspiratio, per otium eius fit expiratio; Quòd autem septi transuersi musculus musculo ani, & vesicę sit similis, constat ex Galeno. Quòd verò expiratio sinè musculo fiat, potest etiam ex eodem demonstrari: quippe sic ait: *Expirationis nullus musculus omnino est opifex, sed hoc opus thoracis, aut potiùs affectus hic decidentiæ, à nobis antea nominatæ, est similis*. Decidētiam verò non fieri voluntariè, colligitur ex eodem, qui differentiam statuit inter reclinare, & decidere, & reclinare voluntariè fieri, ait, decidere verò nō sponte. Si igitur expiratio decidentię comparatur, manifestum relinquitur, quemadmodùm decidentia voluntaria non est, non esse itidem expirationē voluntariam, ac subinde nec à facultate animali, nec musculi ope fieri. Eandem sententiam, nempe in expiratione ociosos esse musculos, ex eodem Galeno pluribus in locis habemus, cui subscribit Auicenna inquiens: *Musculorum pectus, constringentum alij, sunt, qui pectus in latitudine constringunt, & est diaphragma, dum quiescit*. Hæc etiam est communis doctrina apud anatomicos. Atq; ita stabiliunt suam opinionem, existimantes, respirationem esse actionem mistam.

G. 2. de motu muscul. c. 7.
G. eodē l. c 9.
G. c. 7. li 1 de mot. musc.

G. 1. diff resp. c. 23. & lib. de vsu pulf c 7.
Aui. 1. 1. doc. 5. c. 26.

4 Verumtamen hanc sententiam falsam esse, demonstratur: nam motus respirationis est res positiua, cui positiua etiam debetur causa: ocium verò, & cessatio non sunt res positiuę, quare non possunt positiuum producere effectum. Huic argumentationi respondent ex aduerso aliqui, positiuam causam illius motus esse grauitatem, cessationem vero esse causam per accidens, & habere se, tamquam remouens prohibens; Hanc responsionem Galenum fautorem habere, aiunt: quippe quando ait, expirationem non esse actionem musculi, adiungit hęc verba: *Sufficit enim solùm, omnes musculos à tensione quiescere, permittentes grauitati corporis, quò vergat, ferri*. Huius etiam grauitatis mentionem alibi facit: sic illi respondent. Sed frustra ad grauitatem membri recurrunt: nam si grauitas esset autor decidentię istius, quæ dicitur expiratio, decidentia fieret deorsum (eò enim tendunt grauia) sed non ita res habet: fit namq; expiratio homine recto existente, versùs partem internam, non versùs infernam: imò in quocumq; situ corpus constituatur, semper compressio thoracis, hoc est, expiratio, fit ab eodem principio effectiuo. Fit ergo compressio versùs partem contrariam dilatationi: sed dilatatio non fit sursum, ergo nec compressio fit deorsum.

G. 1. de motu musc. c. 7.

Gal. 4. de loc. aff. c. 7.

5 Non deest, qui aliter argumentationi prędictæ respondeat: nempe expirationem fieri ab eodem septo transuerso, à quo fit inspiratio; inseruire autē vnum, & eundem musculum motibus contrarijs propter diuersitatem fibrarum. At quoniam opponere quis posset ex Galeno, nullum musculum (sicut cor) habere plures fibras propter diuersos motus, respondet, hoc non esse perpetuum: nam secundus musculus eorum, qui scapulam mouent, habet plures fibras: siquidem mouet illam sursum versùs occiput, & deorsum ad octauam thoracis costam, & ad latus versùs vetebrarum regionem, semper tamen vnus motus est illius, nempe contractio. Quoniam autem Galenus (vt vidimus) dixit, expirationis nullum esse musculum, explicat iste, nullum musculum septo transuerso oppositum. Verùm hęc etiam responsio falsitatem in se continet: nam si vnus, & idem musculus secundùm diuersas fibras efficit inspirationem, secundùm alias expirationem; cur magis expiratio dicitur ocium musculi, quàm inspiratio? Atque ita manet infirmata

Gal 6. de vsu part. c. 8.

firmata opinio isthęc, quę, respirationem mistam ex naturali, & animali esse, tradit.

Opinio, quæ tenet, respirationem esse actionem animalem, recipitur.

Articulus Tertius.

1 MAgis consentanea videtur sententia illorum, qui tenet, respirationem esse actionem animalem: tametsi enim musculus septi transuersi sit simili musculo claudenti anum, & musculo claudenti vesicam (omnes namq; non habent musculum oppositum,) & quemadmodùm excretio fęcum, & vrinę fiunt ociante musculo, sic excretio aeris, & fuliginum, nempe expiratio, fit ociante musculo septi transuersi, nihilominùs similes sunt in alio istę actiones: quippe quemadmodùm ad excretionem vrinæ, & fęcum concurrunt musculi abdominis, sic etiam iisdem musculis abdominis cõcurrentibus fit expiratio: atq; manet tota respiratio actio animalis, nempe inspiratio per musculum septi transuersi, expiratio verò per musculos abdominis.

G. 1. loc. aff. 2 Cœterùm offert se in præsens difficultas: siquidem Galenus dixit, vrinã excerni concurrente interdum musculorum abdominis auxilio; Si interdũ, ergo non semper, ac proinde saltem in respiratione naturali (de qua loquimur) non erunt necessarij musculi abdominis, quos tamen nos in ea requirimus. Respondemus, musculos abdominis semper concurrere leuiter, sed in tempore necessitatis (ideo dictum est interdum) concurrere maiore vi. Quòd si quis contendat, mentem Galeni fuisse, expirationem naturalem sinè vllo musculo etiam abdominis fieri, imò esse meram decidentiam, mihi magis placebit à Galeno discedere, quàm à rei veritate. Existimo autem verissimum, expirationem, quę suos peculiares vsus habet, fieri ex intentione naturę, ac proinde ab eadem natura habuisse sua instrumenta. Nam quamuis non daretur inspiratio, & aer posset aliunde attrahi, semper expiratio ad fuligines expellendas necessaria foret: quippe in corpore, vel sanissimo, fuligines accumulari est necesse: & sicut non datur vita sinè actione caloris, sic non datur actio caloris sinè fuliginum aceruatione.

3 Interrogabit tamen aliquis, an recipiendus sit Galenus, quando dicit, respirationem naturalem fieri à solo septo transuerso: nam si à solo septo transuerso fit respiratio, quæ inspiratione, & expiratione constat, non est, cur musculos abdominis adiungamus. Recipiam quidem Galenum, sed eum in hũc modum explicabo. Septum transuersum non habet musculum oppositum, quem si haberet, ambo musculi oppositi nomine septi transuersi significarentur. Quare musculus abdominis subit vicem musculi oppositi, & sic eodem iure potest septum transuersum nuncupari, hoc est, fungens officio musculi oppositi, qui si daretur, diceretur septum transuersum.

4 Pręstat tamen respondere tribus rationibus, quæ videntur obstare, quominùs tota respiratio dicatur actio facultatis animalis. Prima Musculus à Galeno dicitur partim animale, partim naturale organum: cum igitur respirationis organum sit musculus, erit respiratio partim naturalis, partim animalis actio. Respondeo, musculum, & ex instrumentis naturalibus, & ex animalibus componi, ita tamen, vt naturalia instrumenta nutritioni conferant, & robur etiam pręstent, animalia verò motum: quippe motricem per neruum accipit, cuius rei signum est, quòd si neruus, cui musculus inseruit, abscindatur, statim musculi actio perit. Nec est inconueniens, robur ad motum musculo aduenire ex fibris, quę sunt instrumenta naturalia: siquidem satis est, facultatem motricem aduenire musculo, vt musculus dicatur eius facultatis exequutor: cœtera, quę concurrunt, vt perfectior fiat actio, non dicuntur instrumenta. Sic è contrario expultrix naturalis est: licèt enim ferè semper sensum prærequirat, vt excitetur ad munus suum peragendum, hinc

G. 1. de motu muscul. c. 1.

non

non sequitur, actionem esse mistam.

5 Altera. Inter instrumenta respiratoria recensetur pulmo, qui nec musculus est, nec musculos habet. Huic iam superiùs responsum dedimus: videlicet, pulmonem non esse instrumentum efficiens respirationis, sed duntaxat recipiens: actiones autem iudicantur per efficientia. Efficitur ergo respiratio leuis (vt dictum est) à septo transuerso, & musculis abdominis: violenta à musculis intercostalibus; Quòd autem ad hunc motum sequatur motus pulmonis, & ad recipiendum aerem, & ad recipiendum vacuum; nihil efficit, vt inde possimus deducere, hanc actionem pulmoni esse attribuendã, & subinde non esse solùm animalem, sed mistam.

6 Tertia. Respiratio non magis facultati animali, quàm vitali videtur obedire: quippe fit non solùm ad nutum facultatis motricis, sed vitalis etiam: siquidem huius necessitati obedit, & iuxtà eandem mutatur. Respondendũ, iam superiùs cum Hippocrate dictum esse, *Consentientia cuncta.* Conspirant in vnum facultates variæ, quoniam vnius sunt animæ, & vni toti inseruiunt. Cum autem vitalis sit illa, cuius maiorem curam natura gerit (quippe hæc alijs vigorem subministrat) ei tam animalis, quàm naturalis vicem rependunt: naturalis namq; sanguinem, animalis aerem, vtrumq; nutrimentum vitalium spirituum, accommodat. Hæc tamen societas non tollit, quominùs quælibet facultas sua distincta habeat instrumenta: nempe pulsatio arterias, sanguificatio venas, animalis neruosum, musculosumq; genus. Quòd si respiratio inseruit facultati vitali, facultas isthæc vitalis non est efficiens respirationis, sed est finis, ad quem respiratio ordinatur. Iam autem diximus, facultatẽ cuiuslibet actionis cognosci ab instrumentis duntaxat efficientibus.

7 Maneat igitur stabilitum, respirationem esse actionem animalem, quæ est doctrina Aristotelis, & Galeni: quippe Aristoteles, *Percussio*, inquit, *respirati aeris ab anima, quæ est in his partibus, ad vocatam arteriam vox est.* Galenus etiam, respirationem, pluries dixit, esse motum voluntarium: at apud ipsum voluntarium, & animale dicuntur ad conuertentiam. G. de cau. res. & li. an anim. sit quod in vtero continetur c. 4. & magis exprofesso 2. de motu musc. c. 5.

Quomodò constare possit, respirationem esse actionem facultatis liberæ, hoc est, animalis, & simul esse necessariam.

Articulus Quartus.

1 QVoniam diximus, voluntarium, & animale in doctrina Galeni reciprocè dici, videtur difficile intellectu, qui fieri possit, vt respiratio, quæ cum sit actio facultatis animalis, ac subinde voluntaria, possit libertate carere: caret autem libertate, siquidem est necessaria ad vitam: etenim non dicimus liberam actionem eam, quæ sisti potest cum subiecti interitu: nam sic omnis actio viuentis diceretur libera; Sed liberum est id, quo carere possumus citra vitæ dispendium: nam seruus barbarus, de quo Galenus agit, qui cohibita respiratione mortem sibi consciuit, non ostendit, respirationem esse liberam; Ea sisti quidem potest, sed ita sisti, vt simul cum ea vitæ duratio sistat. Liberam appellabo ambulationem, quippe desinam sponte ambulare, nec propterea interitum mihi consciscam.

2 Accedo ad respirationem: Est ne ex illis, quas merè voluntarias appellamus? Galenus affirmat, affertq; quàmplurimas rationes, quasi, an satis firmæ sint, vnusquisq; poterit declarare: nos aliquas considerabimus. Interim dicam, hoc opus voluntarij specimen habere, quatenus respirationem augere, minuere, velociorem, tardiorem, aut crebriorem, & rariorem possumus efficere; Non tamen ausim merè voluntariam appellare, vt est ambulatio, loquutio: quoniam multa sunt, propter quæ voluntas respirandi, non simpliciter voluntas, sed coacta voluntas debet appellari. Multa, inquam, sunt, quæ persuadent, respirationem non esse ex ijs operationibus, quæ merè animales, & subinde merè voluntariæ dicuntur: quippe desunt eis plereq; conditiones

tiones ad subeundam hanc dignitatem; In primis merè voluntaria operatio non eget alicuius materię attractione: at respiratio & aerem attrahit, & expellit; Deinde voluntaria operatio non habet internum obiectum: sic ambulatio, & loquutio interno obiecto carent: respiratio habet, nempe calidum innatum. Merè voluntaria nec terminum, nec mensuram, nec tempus, nec ordinem sibi pręscribit: hę omnia respiratio præscripta habet. Facit etiam ad persuadendum, non esse respirationem merè voluntariam, quoniam non est in nostra potestate, eam incipere, aut ab ea prorsus desistere. In primis non incipit à voluntate: nam cum animal in vtero vitam accepit, simul cum vita accepit respirationem, nec tamen nouus vitæ hospes, simul ac fuit efformatus libertatem voluntatis potuisse habere mihi videtur: quippe vbi est libertas, electio esse debet: vbi electio, ibi distincta iudicij actio.

3 Nec etiam est in nostra voluntate, respirationem sistere. Hoc negat Galenus prędicto exemplo serui barbari; Verùm pręter quàm quòd (vt diximus) seruus ille, impedita omnino respiration,e non potuit in vita sustineri, aduertendum etiam est, actionem liberam debere per se ipsam cohiberi, non autem manibus instrumento eius appositis: etenim non ex eo, quòd possimus brachium fortiter tenere, infertur, motum eius esse voluntarium, sed quia sequitur imperium voluntatis.

4 Affert Andreas Laurentius exemplum sumptum à piscatore, qui in fundo maris sinè respiratione immoratur, & post aliquod spacium temporis alacer piscibus onustus emergit: vnde inferre vult, respirationem non esse omnino ad vitam necessariam, & similiter inferre posset, eandem ad libitum cessare posse, & posteà redire ad suum munus. Verùm non est negandum, sub aqua esse aerem, & pisces respirare: quam quęstionem (vt pote quę, Aristotele negante, affirmante verò Galeno, difficilis redditur) alibi affirmatiuè ex professo resoluenda est. Si ergo aer aliquis sub aqua commoratur, non mirum est, possę hominem aliquam sub aqua habere respirationem. Sed quęso, homo emergenes, potuit ne in aere vel exiguum temporis spatium sinè respiratione esse? minimè. Ergo licèt in fundo, propter frigiditatem, minore respiratione opus haberet, habuit tamen aliquam.

5 Nemo mihi mulieres hystericas obijciat, quæ vteri soffocatione detentę longo spacio sinè respiratione viuunt: nam in primis hoc controuersum est, & vtrumq; probabiliter dici posse, Galenus censet. Sed esto verum: sit, eas nec naribus respirare, nec ore: non deest tamen illis alia respiratio: sic enim Hippocrates (inferiùs hoc libro) transpirationem, quæ per corporis meatus fit, appellat: hęc autem transpiratio per spacium temporis, quo paroxismus durat, potest ad tuendam vitam sufficere, & insuper adest arteriarum pulsatio, quę non exiguum est respirationis supplementum; Cumq; mulier ob auram frigidam ab vtero ascendentem incidat in istud paroxismum, profectò in tanta refrigeratione exiguum est, quod requiritur, vt nouo aere corpus recreetur, vt etiam fuligines expellantur: nam refrigeratum ab aura illa cor pauca indiget refrigeratione, & rursus caloris paucitas paucas efficit fuligines. Quando igitur concedamus, respirationem in affectu matricis esse prorsus abolitam, non sunt tamen abolita respirationis succedanea.

G. vide infra q. 26. num. 12. infra. tex. 33.

6 Adhuc aliquis instabit dicens, posse nos absq; respiratione in vita permanere, eamq; deperditam iterum assumere, quod apparet in cogitabundis, siue in ijs, qui amore, aut stupore detinentur: quippe respirare obliuiscuntur, posteà verò vnica magna motione multarum defectum supplent: vnde respiratio magna, & rara, siue ex longis interuallis facta, mentis occupationem significat, & imminentis delirij signum est. Hippocrates, remedium oscitationis esse, ait, ex longis interuallis spiritum ducere, quasi insinuans, esse in nostra potestate spiritum cohibere, quod Plato similiter sensisse videtur: inquit enim, *Spiritum diu cohibendo, singultus cessat.*

Hippoc.

Plato.

7 Non est difficilis ad hanc obiectionem responsio: quippe, quod attinet ad remedium singultus, nos respirationem cohibemus manu naribus, & ori apposita: hoc autem, iam diximus, non efficere, vt respiratio possit voluntaria appellari. Quod verò spectat ad eos, qui in phrenitidis confinio, vel quouis alio modo mentem habent occupatam, hi potiùs respirationis necessitatem, quàm libertatem ostendunt: si quidem vna, vel altera respirationis motione

tione

tione impedita, insurgit statim natura, & maiore, quam solet, respiratione efficit, vt aucta hac actione vita, quæ in ipsa consistit, custodiatur. Quod verò mihi Satyrus obijcit, respirationem non esse mentis operationem, ac proinde malè à me esse dictum, mentem occupatam respirandi officij obliuisci, eius sapit inscitiam: nam supra satis ostensum est, mentis nomine, apud Hippocratem, & omnem medicam scholam, potentiam organicam comprehendi. Sed Satyrus instat inquiens, se in brutis animantibus plerisq; respirationem considerasse, bruta autem mente omnino carent: hęc est tua logicæ imperitia, & benè vetus. Syllogismum, seu potius enthymema sic teneris conficere. Bruta, quæ carent mente, respirationem habent: ergo homines, qui mente pollent, non possunt respirationem maiorem, minoremuè facere. At nos nō quęrimus num respiratio à mente fiat, sed num mens, aliò distracta, possit actiones liberas, vt respirationem, mictionem, potationem, deambulationem, vel omittere, vel saltem remorari. Potest quidem hoc facere: quia scilicet, dum aliò diuertitur, secum defert facultatem, à qua hę actiones procedunt. Sed esto: collige ex meis dictis, respirationem à mente fieri, hoc est, ab anima, quod idem est, ac si dicamus, à facultate animali: non ne facultas animalis, non ne etiam anima inest brutis? Tu verò respondebis, animam brutorum non appellari mentem: sed ego, dum mentem dixi, non de brutis, sed de homine agebam. Mens igitur est, quę facultatibus, tamquàm instrumentis operatur: ea si distrahitur, distrahuntur & ipsæ. Vnde mens ęgrotat ijs, qui dolorē non sentiunt, & distractione mētis, qui in prælio vulnerantur, non dolent ex vulnere. Satis igitur manet cōuicta tua impudens cauillatio: siquidē licèt bruta, vt tu ais, respirationē, non tamen mentē habēt, animā tamē habent, quę illis mens est; Rursus si hominis mens distracta potest respirandi muneris obliuisci, non propterea bruta poterunt idem facere. Distractā mentem, seu imaginationem occupatam posse facultatem aliquam à sua actione distrahere, iam tibi non semel demonstraui: imò cum tuum sit pronunciatum, agens vni operi occupatum alias operationes interrumpere, si mens, seu imaginatio est agens, quod vni operi occupatur, cur negas nunc, posse alias interrumpere actiones?

p. 247. (margin, line 3) — Sup. hac sect. q. 6. art. 4. — Error in log. — Supra sect. 1. pag. 43. Sect. 2. q. 3. art. 2. n. 9.

8 Tertiò adiungis sic. *Si quibus phrenitis imminet, ij raram, & magnam respirationem habent, quia tunc occupata mens obliuiscitur officij sui: planè iam quæcumq; animalia respirantia, nullum mentis vsum in somnis habentia, raram, & magnam respirationem habebunt necessariò, quod tamen experimento minimè respondet.* His tu animalibus, nempe brutis, dum dormiunt, negas respirationis vsum; Vel igitur eisdem subinde, dum vigilant, mentis vsum concedis (nam alias cur ais, nullum in somnis habere mentis vsum, si illo & in somnis, & in vigilia carent) & sic tibi contradicis, qui in primo argumento indistinctè dixisti, ea mente omnino carere; Vel tam dormientibus, quàm vigilantibus mentem adesse, negas: & sic non solùm illud *in somnis* redundat, sed etiam tertium istud argumentum manet idem cum primo, & inani vteris repetitione. Cœterùm siue hoc, siue illo modo intelligas, tertium istud argumentum, responsione ad secundum soluitur: diximus namq; non rectè duci argumentum à dormiētibus ad alios, qui imaginatione quapiam distrahuntur. Cœterùm bruta somniare, ac proinde potentijs internis in somnis vti, docet te piscator apud Theocritum inquiens, *Canis panem somniat, & ego piscem.* Contradictio. Theocritus.

9 Negas igitur, respirationem delirantium raram, & magnam esse, vbi videlicet spectris rerum occupata mens intenditur: posteà verò redeunte necessitate respirationis, multum spiritus semel trahit, semel excludit. Hoc, quod vniuersæ scholę medicæ placet, tibi displicet. Vnde nam tanta tibi audacia prouenit? nempe ex inscitia: quippe si saperes, notum tibi foret, hanc esse Galeni doctrinam ab eo dilucidè explanatam. Quid ergo in me inueheris, cum Galenum habeas, in quem inuehi debeas? Itaq; est vna conditio, propter quam dixi, respirationem voluntariam quidem esse, non tamen merè voluntariam: quippe aliquod necessitatis specimen præsefert: nempè quia nec à voluntate nostra incipit, nec ab eadem desinit. G. de difficul. resp. c. 12.

10 Altera conditio est, quoniam respiratio inter eas actiones recensetur à Galeno, quarum, post quàm editę sunt, obliuiscimur, neq; an à voluntate nostra fuerint imperatę, scimus dicere. Verba Galeni sunt hęc: *Nihil igitur mi-* G. 2. de motu musc. c. 6.

rum mihi certè videtur, si motu voluntario respirationem in somnis agente, postquàm expergefacti fuerimus, non possimus dicere, an secundùm voluntatem respiremus. Ita Galenus: sed tu fortasse dices, Galenum tam respirationem, quàm alios similes motus, quorum scilicet obliuiscimur, voluntarios appellasse; Hoc ita quidem est, neq; ego vnquàm negaui, hos motus esse voluntarios: siquidem à facultate voluntariè operante fiunt, & per instrumenta, quę voluntati obediunt. Cœterùm propter hoc, quod fiunt nobis, interim nihil circa eosdem motus considerantibus, appello non merè voluntarios, hoc est, necessitatis specimen pręseferentes. Differentia igitur in eo consistit, quod actionum, quę valida mentis impressione fiunt, recordamur, aliarum verò, quæ leuiter imprimuntur, obliuiscimur, & hęc obliuio secum portat quandam libertatis deminutionem. Porrò Conimoricenses mei non sunt recipiendi, dùm existimant, respirationem esse magis appellandam naturalem, quàm voluntariã, ea scilicet ratione ducti, quia citra omnem liberi arbitrij actionem est. In eorum tamen gratiam explicare libet, quomodò citra actionem liberi arbitrij possit respiratio esse voluntaria.

11 Voluntas nostra, quæ suapte natura libera est, potest aliquando simul esse necessaria: neq; repugnat liberè simul, & necessario operari. Hanc libertatis acceptionem apud Theologos vsitatam inuenio, vt patet ex D. Thoma, dum dicit, Deum liberè se amare. Liberum arbitrium est quidpiam magis limitatum, quàm sit voluntas: vtpote quod includit principium voluntarij actus, & addit libertatem ab omni necessitate exclusam. Eadem ergo voluntas, vt voluntas est duntaxat, potest fieri cum necessitate agendi: at vt liberi arbitrij voluntas est, non patitur necessitatem: quippe voluntas coacta ita est voluntas, vt non sit simul liberum arbitrium. Hinc colligitur, posse aliquãdo, vel ob causam stimulantem, vel ob assiduam consuetudinem facilitantẽ, voluntatem necessario operari, absq; liberi arbitrij, vt dicebam, operatione. Vt autem ad rem nostram accedamus, respirationem, tam causa stimulans, quam assuetudo facilitans, cogit, & sic habemus, eam esse liberam ex se, ex causa autem stimulante, aut facilitante necessariam. Sic solitus irasci habet ab assuetudine causam facilitantem ad iram: sic nictatio assuetudine ita redditur facilis, vt necessaria videatur: sic tussis ob causam stimulantem pulmonẽ, arteriamuè asperam, libera cum sit, euadit veluti necessaria. Respiratio itaq; & propter stimulum necessitatur, & propter assuetudinem facilitatur. Stimulus efficit, vt nunc sit maior, nunc minor: assuetudo verò efficit, vt nunquam respirando fatigemur: quippè (vt dici solet) ab assuetis non fit passio. Atq; hęc sunt, quæ de respirationis libertate, necessitateq; simul dicenda videbantur.

D. Th. de pot. q. 10. art. 2. ad 5.

AN CEREBRVM POSSIT PATI tumorem pręter naturam.

QVÆSTIO VIGESIMA QVINTA.

1 NEgat Serapio posse cerebrum inflammari: & rationem affert, quoniam durissimum, vt ossa & mollissimum, quale cerebrum, non possunt pati tumorem præter naturam: illud, quia duritie sua non recipit defluentem humorem istud, quia sua mollitie non retinet. Nihilominus Vallesius meritò, secundùm Galeni doctrinam, tenet, cerebrum omnem tumorem pręter naturam, dempto scirrho, posse pati; Quare potest in cerebro esse œdema, à quo fit lethargus. Hoc apertè declarat Galenus inquiens: *Quippe phrenitis non tantùm ex calidis ortum habet succis, sed supra id etiam phlegmone in cerebro exuberante.* Quòd si phlegmonem, qui ex materia tenuiore fit, in cerebro admittit, multò meliùs admisisse, censendus est, alios tumores ex materia crassiore genitos: imò idem met alibi, lethargũ ex ipso potiùs cerebro, phrenitidem pręcipuè ex tenui membrana, & septo transuerso admittit: & lethargum ex pituitoso succo gigni, manifestum est.

Serapio.

Vall. li. 5 cõtrou. c. 12.

Gal. 2. symp. caus. c. vlt.

G. 4. de caus. pulf. c. 14.

2 Se-

2 Serapioni facilè respondetur: nihil enim in corpore viuentis est adeò solidum, quod penetrari nequeat: quippe ad ossium meditullium penetrat alimentum, ac proinde potest illuc humor penetrare: exemplo nobis sint dentes, quos inflammationem pati posse, à Galeno iam anteà accepimus. Nihil rursus tam molle, & rarum, cui non possit materia aliqua adhęrere.

3 Cum verò Vallesius dicat, scirrhum in cerebro non posse gigni, meritò, hoc dictum, puto: si quidem humor melancholicus, terreus, nec visciditatē vllam habens, suo pondere elabitur, & defectu visciditatis nulla sui parte adhęret.

CAVSA SVFFOCATIONIS vteri quæ nam sit.

QVÆSTIO VIGESIMASEXTA.

1 Vteri suffocatio, & hysterica affectio non dicuntur ad conuertentiā: quippe hysterica affectio generale nomen est, plures vteri affectus significans: suffocatio verò, siuè strangulatio, ita dicitur ex peculiari symptomate, quia scilicet fœminę ita affectæ respirationem adeò oppressam habent, vt suffocari videantur. Thomas Rodericus à Veiga pręceptor meus aliter sensit: nam vteri pręfocationem accipit, non quasi nomen sit morbi vnius, aut symptomatis, sed multorum ab vna communi origine ortorum, nempe à praua in vtero, deleteriaq; qualitate. Sic dicitur pestis, morbus omnis ex ambientis deleteria affectione prodiens, siue sit vlcus, siue bubo, siue intemperies totius, aut partis; Sic morbus gallicus affectio omnis præter naturam ab occulta, & nocua iecoris infectione, mediatè, aut immediatè ex vsu veneris contracta. Similiter vteri strangulatus malorum congeries est ex deleteria vteri proprietate orta. Hæc præceptoris mei sententia: in qua valde decipitur: neq; verò Galenus ei occasionem ita sentiendi prębet: quippe candidus, se hanc appellationem à mulierculis accepisse, fatetur, vt videre, est apud eum. Tho. Rod. à Veig. Gal. 6. de loc. aff. c. 5.

2 Meliùs dicemus, cum communi medicorum consensu, hystericam affectionem, & strangulationem non dici ad conuertentiam, sed strangulationem, siue præfocationem ita esse appellatam à quodam peculiari symptomate, quo videtur patiens fœmina suffocari: hystericam verò affectionem generali nomine varios vteri affectus significare. Quapropter rectè Ludouicus Mercatus discernere docet, in quo conueniant, & in quo differant cum suffocatione alij affectus vterini: sunt autem ij syncope, apoplexia: epilepsia: qui cum vteri strangulati in eo conueniunt, quòd repentè in omnibus, laborantes obmutescunt, & se continere nequeunt. Cœterùm strangulatus dissidet à syncope in pulsu: siquidem in syncope pulsus aboletur, in suffocatione verò plerumq; manet, licèt exiguus, languidus, rarus. Item in syncope sudor frigidus, & color apparet plumbeus: at in suffocatione color aut non mutatur, aut parùm efficitur pallidus. Differunt quoq;, quoniam syncopem leuat gratus odor, suffocationem verò vel efficit, vel factam auget. Auicenna affirmat, suffocationem syncope esse grauiorem: quia syncope antecedit eā, sicut debilius antecedit fortius. Hoc tamen mihi videtur falsum: nam in suffocatione pulsus plerumq; (vt diximus) adest, qui in syncope semper deest: imò existimo tunc pulsum in suffocatione deesse, cum secum complicatam habet syncopem. Differt suffocatio à catalepsi, quòd mulier suffocatione laborans, nec habet partes frigidas, nec oculos apertos in eodem semper statu permanentes. Dissidet non minùs ab epilepsia: quia epilepsia coniunctos habet motus conuulsiuos: suffocatio vel conuulsione caret, vel eam habet factam, non verò sicut motiones epilepticorum. Item suffocatæ non omnino sensu priuantur, vt epilepticę: quippe recordantur plerumq; eorum, quæ dum suffocationem paterentur, audierunt. Demum differt suffocatio ab apoplexia: quoniam in apoplexia deest sensus, & adest stertor: in suffocatio- Lud. Mercat de morb. mul lib. 2. c. 3. Auic. 2. 1. 3. tr. 2. c. 16.

ne è contra deest stertor, & adest sensus.

3 Porrò non simpliciter dicitur suffocatio, sed cum addito, vteri suffocatio, grecè ἄπνοια, vel ὑστέρας ἢ ὑστερικὴ πνῖξ. Et differt à simplice suffocatione, quoniam in simplice suffocatione spuma est prauum signum, ex sententia Hippocratis: in vteri verò strangulatu minimè. Sed cum dicatur vteri strangulatus, significat ne aliquem vteri affectum, an solummodò causam in vtero esse, affectum verò in corde, & partibus respirationi inseruientibus? Eustachius Rudius existimat, suffocationem non esse vteri symptoma proprium, neq; etiam vteri morbum, sed vterum sola causa morbifica laborare. Hæc opinio in ea parte, qua tenet, non esse vteri symptoma, vera quidem est, nemo enim adeò ignarus esse potest, qui symptoma aliquod attribuat in actione læsa ei membro, quod talis actionis est incapax; Cum ergo suffocatio consistat in lęsa respirandi actione, vterusq; respirationi non inseruiat, non potest suffocatio dici symptoma proprium vteri. Ex alia verò parte, qua tenet, nō esse vteri morbum, hoc est, non sequi ad morbum vteri, sed in vtero esse causam morbi duntaxat, non solùm est opinio paradoxa (communis namq; medicorum schola tenet, pręfocationem vteri esse vteri affectum) sed rationi etiam aduersatur. Nam priùs causa morbi debet suum morbum producere in eo loco, in quo est, quàm in remoto. Dicet fortasse aliquis, nullibi esse morbum, sed ex causa præter naturam, quę ex vtero ducit originem, fieri symptoma in genere functionis ablatę, qualis est ἄπνοια. Hoc tamen non ita est: siquidem causa non lędit actiones immediatè, sed mediante morbo. Falsum quoq; est, quod Rudius addit, suffocationem fieri vitio cordis, quia est eius passio, ita vt suffocatio sit syncope hysterica. Verùm quis vnquam syncopen, siue fiat per consensum ab ore uentriculi, siue per essentiam in corde, appellauit suffocationem? Sic etiam nemo suffocationem factam propter consensum cum utero syncopen nuncupabit. Quod autem suffocati tamquàm syncopizantes non respirent, parum ad rem facit: quippe quòd patiens suffocari uideatur, non accidit uitio cordis. Iam uerò superiùs differentiam inter syncopen, & uteri suffocationem satis uidemur explicasse. Tandem quòd uteri sit morbus, patet ex denominatione: morbus namq; non à parte, in qua est causa, sed in qua ipse morbus est, solet denominari, quæ est Galeni doctrina; Dicimus igitur suffocationem uteri, seu hystericam, uterinamuè suffocationem, denominantes scilicet affectum ab ea parte, in qua ipse est. Verissimum ergo censetur, quod Galenus aliquando dixit, nempe à priscisam indè seculis optimo iure esse traditum, hysterica dicta symptomata ad uterum, tamquàm ad radicem pertinere.

4 Verùm qui morbus sit in vtero, à quo suffocatio exoritur, non dum cōstat. Sunt, qui existimant, morbum esse in situ. Hos duplice ratione Galenus refellit. Prima: Quando ventriculus cibo intumescit, septum transuersum comprimitur, & propterea crebra redditur respiratio, nullo tamen alio accidente animal infestatur; Idem ergo contingeret, si ab vtero sursum eleuato septum transuersum compressionem pateretur. Secunda: Vtero gerentibus adeò vterus distenditur, vt respiratio crebrescat: sed ne has quidem aliàs ledi videmus. Cœterùm de vteri assensu, & eiusdem varijs motionibus, alio locò pertractabimus.

5 Porrò quamuis vteri suffocatio aliquando cum vteri præuersione, aliquando citra præuersionem aliqui concedant, non propterea admittūt, præuersionem istam esse causam, propter quam suffocatio oritur. Ita tenent Donatus Antonius ab Altomari, Eustachius Rudius, Capiuaccius, Albertinus Botonnius, & Horatius Augenius, qui ait, vteri motum non esse causam cōtinentem hysterici affectus, quia non semper adest: si vero adsit, causæ potestatem adeò augere, vt perniciosissimum, maximumq; affectum procreet. Hoc autem an ita tenendum sit, inferiùs, postquàm alias opiniones refutabimus, nostram confirmando, dicemus.

6 Fuit opinio Donati Antonij, nimirum morbum vteri in suffocatione esse intemperiem frigidam: quod tamen redarguitur ea ratione, qua Galenus negat epilepsiam ab intemperie sicca posse fieri: videlicet, quoniam de repēte accidit, & citò terminatur. Deinde Galenus, curari, ait, suffocationem nullo remedio corpori vteri adhibito. Si autem ab intemperie frigida morbum

H. 2. aph. 43.
Eustach. Rud. vol. 2. c. 58.
G. 2. met. c. 2.
Gal. 6. loc. aff. c. 5.
Don. Ant. ab Altom. c. 110. Eus. Rud. vol. 2. c. 5. Capiu. l. 4. c vlt. Alb. Bott. l. 1. c. 41. Horat. Augé. l. 12. epist. 7.
Donat. Ant
Gal. 3. loc. aff. c. 7.
Gal. 6. loc. aff. c. 5.

bum

bum vterus pateretur, vtiq; calida expostularet auxilia. Tandem si intemperies frigida vteri efficeret suffocationẽ, id non posset aliter accidere, quàm dilatatione frigiditatis ab vtero vsq; ad membra respirationi inseruientia: nam in puero illo, qui se sentire aiebat veluti frigidam auram ascendentem à crure vsq; ad caput, Pelops Galeni preceptor alterum duorum suspicabatur, aut quòd qualitas quædam, alteratis per continuationem partibus, aut spiritalis quædam substantia transmitteretur. At in muliere hysterica si vterus qualitate, hoc est, intemperie frigida, laborat, non quidem substantia, sed qualitas alteratis per continuationem partibus transmitti debet. Vel igitur intemperies isthec ascendet ad cerebrum, vel ad cor, vel ad instrumenta respiratoria; Si ad cerebrum, non fiet suffocatio, sed catalepsis: si ad cor, non restituetur ad vitam mulier hysterico paroxysmo apprehensa: si ad instrumenta respiratoria, hæc præ frigore rigebunt, eritq; istorum membrorum spuria quędam conuulsio, quę quoniam spuria est conuulsiuos habebit motus: quia conuulsio, passio dolorifica erit. Sed contrarium fit: nam in suffocatione neq; sensus adest, neq; motus.

7 Aliorum opinio est, vterum pati morbum in via, hoc est, obstructionem. Cœterùm quid prohibet, substantiam seminis putrefactam, nulla acquisita crassitie, aut lentore (quæ duo, Galenus, ad obstructionem requiri, ait) posse suis tetris vaporibus præfocationem suscitare? Capiu. & Albert. Bot. G. 11. met. c. 13

8 Pereda aliam affert opinionem: nimirum, si suffocatio fiat à mensium suppressione, tot poterit habere morbos, quot habet mensium suppressio: si verò à semine retento, vel affert symptomata exigua, & tunc non habet rationem morbi, sed potiùs se continet intra limites sanitatis: si verò symptomata sint magna, morbus est in numero aucto: nam semen pars addita est præter naturam. Sic ille. Cœterùm semen inter hominis partes recensere, ridicula res est; nec verò magis semen corruptum, quàm sanum posset appellari pars addita: nam sextus digitus, etiam si sit inculpatus, pars addita censetur: neq; per corruptionem addi partem, dicimus. Pered. ad Pascal.

9 Carrerius, in vteri suffocatione, morbum, existimat, esse ex ijs, quos medici appellant secundùm totam substantiam: & adeò sibi in hoc complacet, vt quæratur, hanc sibi opinionem fuisse ab alijs raptam: mihi non videtur digna, quæ rapiatur. Nam ex vtero substantiam venenatam, & tota substantia deleteriam ad superna ascendere in vteri suffocatione, à Galeno, Fernelio, & alijs recipiendum est. Hanc autem substantiam à toto genere deleteriam efficere morbum secundùm substantiam in eà parte, in qua gignitur, hoc non admittam. Nam puer ille, cui aura venenata è digito pedis in cerebrũ ascendebat, vnde insultus epilepticus insurgebat, non laborabat morbo secundùm substantiam in pedis digito. Morbus est affectus præter naturam lædens per se primò sensibiliter operationes: at quænam operatio est lęsa in vtero, dum ibi morbus gignitur? Respondebit, esse læsam alterationem. Sciat tamen, venenum in vtero non confici vitio facultatis, sed materiæ, quæ apta est abire in venenum. Quòd si dicat, venenum factum fuisse per corruptionem, id ego concedam, dummodò concedat ille inuicem, corruptionem fieri à calore pręter naturam: atq; ita iam morbus non erit à tota substantia, sed ab intemperie, à calore scilicet intenso, hoc est, præter naturam, a quo semen, aut sanguis menstruus, aut alius quilibet humor corrumpitur. Carrer.

10 Mihi videtur aliquando, imò sæpe morbum, à quo suffocatio vterina procedit, esse morbum in situ. Sic tenent Paulus, Aetius, Gordonius, Rondeletius, & alij. Vterum mutare situm, admittit cum Hippocrate Galenus. Rationes verò, quas superiùs ex Galeno attulimus ad probandum, non esse retractionem vteri causam suffocationis, non sunt admodùm efficaces: quippe repletio ventriculi in satietate, & vteri distensio in grauidis sunt quodammodò opera naturę, aut saltem ad opera naturæ consequuntur: propterea, quoad fieri potest, suauiter fiunt; At retractio conuulsæ matricis affectio est præter naturam, et valde vehemens, quæ genus neruosum, musculosumq; trahit in consensum: maximus quippe est tum musculorum inter se, tum etiã neruorum consensus. Hinc in vteri affectus per lumbos spargitur rigor, & inde per vniuersum corpus. Hinc mingentes puncta ab acredine vrinæ vesica, trahi sentiunt partes omnes in vesicæ consensu, & horrore stimulari. Hinc

si pla-

si plagæ medicamentum acre, v. g. euforbium, aut piper inspergatur, compunguntur musculi ibi existentes; sensusque punctionis vniuersa occupat membra.

11 Non est tamen negandum, suffocationem vterinam procedere interdũ à morbo vteri in intemperie, non quidem nuda, sed cum materia; Ita videtur sensisse Soranus apud Aetium: siquidem ait, morbum hunc esse flatuosam refrigerationem. Isthęc autem refrigeratio non est frigiditatis intensio, sed caloris innati defectus; Possumus ergo dicere, non esse positiuam, sed priuatiuam. Porrò defectus caloris innati putrefactionis est comes: putrefactionis autem autor est calor pręter naturam; Ex materia putrefacta vapores vim frigidi veneni habentes eleuantur: nam tametsi id, quod putrescit, dum putrefit, calore præter naturam sit imbutum, nihilominùs postquàm est putrefactum, tum à calore naturali, tum ab eo, qui præter naturam est, deseritur; Ex hac caloris innati inopia flatus eleuantur, ex quibus fiunt ructus, quibus hystericæ mulieres in fine paroxysmi infestantur.

12 Sed cur vapor iste frigidus cor, & partes respirationi dicatas adeò refrigerat, vt vix cordis, arteriarumq; pulsatio, vix etiam respiratio sentiatur, & hęc omnia ad tantam deueniant paruitatem, vt (sicut mox dicemus) in controuersia sit positum, an omnino motiones istę in hystericis sint ablatę, alię verò partes inter cor, & vterum nihil molestantur? An quia in corde calidissimo, & thorace etiam valde calido antiperistasis potens est efficere, vt frigidior ibi, quàm alibi aura euadat? An quia vapores isti spiritibus immisti, eorum temperamentum dissoluunt, & ad hanc spirituum dissolutionem sequitur caloris innati deminutio? Vnde cor frigida intemperie sibi valde improportionata laborat, pauca propterea indiget respiratione, quam etiam paucam ei thorax potest pręstare: quippe thorax ad respirandum multis indiget spiritibus: habet autem tunc paucissimos, quippe hi debent esse animales è cerebro mandati: cerebrum autem non habet, vnde eos conficiat, siquidẽ materia ei deest, nempe spiritus vitales, qui animalium materia sunt.

13 Itaq; ex defectu spiritum vitalium, quos extinguit vapor venenatus ex vtero eleuatus, deficiunt spiritus animales, qui sensui, motuiq; inseruiunt. Cum autem plures requirantur ad motum, quàm ad sensum, incipiente eorum defectu, cadit mulier et ferè immota, defectu vlterius progrediente, etiam insensibilis. Respiratio autem, quę ad motum refertur, incipit etiam deficiente motu deficere; Cumq; ad loquendum plurima requiratur respiratio, cum hęc incipit minui, incipit simul adesse aphonia: progrediente defectu euanescit respiratio. Num verò omnino deficiat, an vero dumtaxat
Sup. q 24. art. 4. n. 5. quo ad sensum, quæsitum superiùs est, vbi vtrumq; in doctrina Galeni dici posse, obiter diximus, nunc idem ex professo affirmamus, verba Galeni transcribentes. Ait igitur semel in hunc modum: *Itaq; si omnes ita affectæ mulieres*
Gal. 6. loc. aff. c. 5. *interijssent, simplex esset quæstio: cum verò nonnullæ seruatæ videantur, geminã oriri quæstionem, necesse est, inuestigantibus nobis tum dispositionem, ob quam spirationis munus deperditur, tum vel magis quomodò viuere possint, quæ nihil omnino spirant: quippe in confesso est, & spirationem à vita, & vitam à spiratione separari non posse. Atq; hæc quæstio, quamquàm superiore difficilior videtur, non est tamen perinde difficilis: quippe latebris inclusa animalia, mortuis similia, spirationis nihil seruare videtur.* En tibi Galenus ambiguus: quippe non dicit, animalia nihil seruare respirationis, sed videri, quasi nihil seruent. Pergit ergo inquiens: *Hoc enim cognito, perspectisq; manifestè illis animalibus frigidis, atq; eo demonstrato, quòd maximus respirationis vsus est, vt intimus calor, & refrigeratione, & vẽtilatione, seruetur haud ita difficile fuerit perpendere, exiguum illum calorem in ipsis derelictum, arteriarum, cordisq; officio conseruari.* His verbis Galenus, vt manifestè constat, nobis tradit, perire omnino respirationem, remanente tamen cordis, arteriarumq; actione; *Quæ actio à quibusdam medicis*, ait ille, *transpiratio, veluti ea, quæ à thoracis, pulmonisque officio prodit, respiratio vocatur*; Imò, vt iam superiùs dixi, ab Hippocrate dicitur alia respiratio. Verumtamen Galenum sibimet contrarium reperio: siquidem respirationem omnino ablatam, cordis verò, & arteriarum
G. 1. de diffic. resp. c. 8. motum adhuc remanentem agnoscit, cum tamen alibi, neutrum omni deficere posse statuat his verbis: *Quemadmodum enim in alijs omnibus, sic etiam hac proportionem respiratio, & pulsus habere videntur: neutrum namq; in totum perire, possibile*

bile

bile est, donec superfuerit animal; attamen perisse putare, propter paruitatem, nihil mirum est. Neq; enim his solùm, sed & aliis omnibus extremè paruis commune est, quod sensum effugiant. Sic Galenus, qui priùs dissimilitudinem attulerat inter pulsum, & respirationem, quòd respiratio, viuente animali, aboleri possit, remanente pulsu, nunc vtrunq; necessariò perire: ait quòd si videtur alterutrum deficere, id accidit propter prauitatem, quæ sensum effugiat. Cæterùm vnum circa hoc mihi satis constat: Galenum nempe ancipitem fuisse, siquidem sententiam concludit: *Itaque pereunte ob uteri affectum spiratione: quoniam vniuersum corpus refrigeratur (id enim manifestè videtur) fieri potest, vt nulla prodeat ab ore spiratio, quamuis ea, quæ in arteriis fit, nequaquam intercipiatur: potest etiam adeò esse exigua, vt sensum omninò effugiat.* Ego in conciliando sibi ipsi Galenum non fatigabor, neq; eum ab ambiguitate sua liberabo, sed Satyri Rechensis stultitiam non silebo, qui rem, quæ Galenum anxit, tanquàm omnino explanatam recipit.

pa.15. 14 Sed neque hic eius desinit stupiditas: grammaticum aliquando agit, & in grammatica labitur: omnia illi ridicula vidētur: ridiculus nempe est, & quasi specillis colore aliquo tinctis, omnia illo colore infecta videt. Culpa in grammatica hæc est. Dixi ego *Mulier aliquando plures, quam duo habere sinus.* Irridet ipse inquiens: *An non tibi solœcizant, illi duo, sinus habent?* Ego verò inuicem quæro: An non te pudet ea ignorare, quæ non ignorant pueri, qui non adhuc manum ferulæ subduxerunt? An nescis accusandi casum *duos, vel duo* habere? Et tamen accusatiuus es, imò accusandus, ne dicam verberandus. Non ne Horatius ait, *Duo si discordia vexat inertes?* Non ne Virgilius, *Si duo prætereà tales Idæa tulisset Terra viros?* Non ne Cicero, *Præter duo nos loquitur isto modo nemo:* *& sępe alibi.* Adeste pueri, ludimagistrum vestibus exuite, & flagris percutite, ne iterum vos sua grammaticatione decipiat. Hor. l.2. serm. Virg. 11. Aen Cic. epist. 107

15 Quoniam autem dixi, in muliere duos loculos matricem habere, rident, inquit, omnes anatomici hęc legentes quicumquè vnquam viderunt vteri muliebris dissectionem. Omnes ne rident? Sed vide, ne aliqui eorum tuam rideant insaniam. Andreas quidem Laurentius, vnicum sinum esse, vnicam cauitatem, inquit, quæ in dextram, & sinistram diuidi solet. Has partes, ait, nullo septo discretas esse, sed linea tantùm distingui. Hoc itidem alij affirmant fateor: Sed nunquid propterea ita sensisse omnes, dicet aliquis? Non certè, nisi tui sit ssimilis. Vbi nam reliquisti Mundinum non ignotū anatomicum, qui has cellulas admittit? Ego non septo aliquo diuisas esse cellulas istas, dixi, discretas linea, admittunt omnes. Tu omnes ridere ais. Ridebit ne Vesalius anatomicorum princeps, qui ait, sinus duos vteri sutura quadam, & veluti eminenti linea, neque septo alio? Ridebit sanè, nimirum te, qui hoc ignoras. Ridebit ne serius Hippocrates, cuius hęc sunt verba? *Porrò gemini vno congressu hunc in modum procreantur, vteri sinus multos, variosquè, alios pudendo viciniores habent.* Et alibi de geminis verba faciens, seu de causa geminorum ita inquit: *Necesse est, diuidi in vtrumque sinum similiter,* nempe semen. Vesal. l. 5. c. 15 H. de nat. pue. H. de diæt. l. 1

16 Prętereà putas, me deceptum fuisse verbis libelli de anatomia parua, Galeno falsò adscripto. Ea tamen est ingenij tui præuersitas, vt fugienda quęras, quærenda fugias. Confugis ad libellum spurium, putasquè me tui similem esse, qui ex sordido hoc puteo doctrinam hauserim. Cur non interrogasti aliquē, quid in libris genuinis Galenus circa hoc scriptum reliquit? Nō ne in epidemijs sic ait? *Duos quidem sinus habente vtero per ceruicē ambobus cōmunem copulatos: mares sanè plerumquè in dextero, fœminas verò in altero concipi, deprehenduntur.* Et alibi, nempe in aphorismis atquè etiam in libris de vsu partiū, vbi hoc longa enarratione prosequitur, in eo capite, quod de vteri sinibus inscribitur. Iam ergo nō me decepit spurius Galeni liber, sed potiùs manuduxit eius doctrina in pręcipuis eius operibus scripta. Irride, precor, irride, vt cognoscaris, quàm stultitia tua sinè risu est cognita; Eā cognosceret Auicēna, qui de utero agēs, ait, in hominibus duas concauitates, & in alijs cōcauitates secundùm numerum papillarum mammillarum. G 1. epid. sect 2 com. 44. G 5. aph. 48. l. 14. de vsup. c. 4. Aui. fen. 21. l. 3 tract. 1. c. 1.

17 Quid plura? Tu, qui te peripateticum esse iactas, irrides me Aristoteli sentientem. Aut ergo ignorasti, hāc doctrinam esse Aristotelicam, aut infideliter à tuo duce rebellasti. Quęrit Philosophus, *Cur animantium alia pariu su-* Arist sect. 10. probl. 16.

uumnt

merosiore, vt sus, canis, lepus, alia non, vt homo? Respondet: *An quod alia cellulas, siue vteros continent multos, totidemq; formandi loculamenta, quibus impleri cupiũt, quibusq; semen genitale diuidendum, inserendumq; est: alia contra se habent?* Et alibi. *Vteri omnium bipartiti sunt, vt testes gemini omnibus maribus habentur, sed alijs iuxtà genitale, vt mulieribus, & omnibus, quæ animal non solùm foras, sed etiam intra se generãt.* Alibi etiam: *Habent omnes, qui iuxta genitale continentur, sinus geminos, alterum in latere dextro, alterum in sinistro.* Rides ne adhuc, an irrideris?

Ar l.1. de gen. an. c.3.
Ar l.3. de hist. anim. c.1.

QVAENAM SIT EFFICIENS causa lapidis.

QVÆSTIO VIGESIMASEPTIMA.

Fern. Pathol. l.6. c.13.

1 QVamuis, in varijs vniuersi corporis partibus lapides innasci, solent, in renibus tamen, & vesica frequentiùs innascuntur: imò Fernelius, omnem calculum in vesica conclusum rudimẽtum quoddam è renibus traxisse, existimat; è renibus autem per nephriticum dolorem excidere, atq; si grandiusculus est, aliquandiu in vesica hærere, ac plerumq; persistere, illicq; allatarum sordium adhæsu coagmentari, dum verus, confirmatusq; lapis fiat. Cœterùm quemadmodùm concedimus, hoc aliquando ita fieri posse, sic perpetuum esse (quod Fernelius vult) omnino negamus. Nam & materia, & efficiens, quæ possunt lapidem è renibus decisum, in vesica augere, poterat eundem in eadem à primo fundamento procreare. Diximus iam, materiã lapidis esse crassam, viscosamq;, non sinè mora in lapidem abire idoneam. Quænam autem sit causa efficiens, non admodùm constat. Id in hunc locũ inquirendum reseruauimus.

Andr. Cæsal. l.2. q. med. q. 24.
Ar. l.4. meteo. c.7.

2 Andreas Cæsalpinus, calorem, & frigiditatem lapidis efficientes causas esse, ait; Concurrit enim (vt ille putat) calor adurens quicquid in humoribus inest adustibile, sed non eò vsq;, vt redigantur in cinerem, sed glutine quodam remanente: refrigeratio autem, qua gluten illud condensetur. Fundamentum huius opinionis, quam ille latissimè probat, est, quia teste Aristotele, quæ frigore concreta sunt, dissoluuntur à calore: quę à calore concrescunt, à frigore dissoluuntur: quæ verò à neutro istorum dissolui possunt, ab vtroq; concretionem patiuntur. Cœterùm calculi qui in renibus, & vesica nascuntur, nec à frigore, nec à calore dissoluuntur, vt patet ab vtroq; ergo concrescere, est necessarium. Itaq; hic autor, duas causas concurrere, existimat: quæ licèt partiales sint, non tamen se inuicem adiuuant, sed vnaqueq; suo fungitur munere: quippe calor, cuius est perfectionem misto tribuere, formam lapidi tribuit, frigiditas, cui proprium est, concretionem facere, duritiem confert; Propterea inquit ille, autores non meminerunt frigiditatis, sed solius caloris.

3 Hęc tamen opinio ab omni ratione videtur aliena; Nam impossibile est contingere, vt à calore simul, & frigiditate fiat lapis: neq; enim hoc fieri potest in eadem parte, neq; eodem tempore. Non quidem in eadem parte: quia non potest calefieri, & infrigidari simul vna, & eadem pars, quę habet qualitates primas in certa mediocritate implentes totam latitudinem: licèt enim corpus expers vtriusq; qualitatis modo dicto possit simul vtrumq; illum motum pati, aliud non potest, vt est communis philosophantium doctrina. Neq, in diuersis partibus: quippe non est opus lapidis materiam ab vna parte in aliam mutari, vt partim à frigore, partim à calore concretionem patiatur. Prætereà chymęra quędam esse videtur lapis à calore formam accipiens, à frigore concretionem: nam calor, dum formam tribuit, cur non potest tribuere concretionem. Num quia calor non potest concretionem efficere? At Aristoteles, aliqua à calore concrescere, ait: Si autem respondeat, materiã, ex qua fit lapis, non esse aptam, vt concrescat à calore, dicam ego, ergo concrescet à frigore, & subinde dissoluitur à calore, iuxtà doctrinam Aristotelis: atq; ita lapis & à calore soluetur, & à frigore concrescet, nunquamq; iccirco

veram obtinebit concretionem. Fatuum profectò est dicere, aliquid conferre formam, & destruere dispositiones ad talem formam. Si ergo concretio est dispositio ad formam lapidis, cur calor, qui formam lapidis confert, dispositionem istam destruit?

4 Cœterùm Cœsalpinus ait, ideo concurrere calorem, & frigus ad lapidis concretionem, quia (ex Aristotele) id, quod ab vtroq; concrescit, à neutro dissoluitur. Cum ergo lapis à neutro dissoluatur, ab vtroq; concrescit. Omitto, quòd sententia Aristotelis non est perpetuę veritatis, sed addo, verum quidem esse, quod concrescit ab vtroq;, à neutro dissolui; Sed tu non mihi das lapidem ab vtroq; concrescentem, sed à solo frigore, ais, concretionem accipere, à calore formam, perfectionem vè; Quare Aristotelis doctrina nihil tibi fauere potest.

5 Aliorum opinio est, tametsi lapis concrescat à calore, posse interdum etiam concrescere à frigiditate per se solam, non cum auxilio caloris. Iccirco Auicenna, qui hanc opinionem sequitur, inter causas lapidis varias vnam esse, ait, *Frigus concrescens*: ita sentiunt Hollerius, Cardanus, Vallesius, qui ait: *Est uerò hic morbus lithiasis, seu lapidum in renibus congestio, quæ quidem fit ex succis crassis, calore, aut frigore intra renes duratis*. Hanc sententiam, quam nemo ratione aliqua fulcitam tradit, id vel maximè reddit improbabilem, quod Pereda aduersùs Vallesium affert: nimirum, *Viuente animali, non posse tantum frigiditatem intendi, ut ex ea aliquid concrescat in duritiem*.

Au. fen. 18. li. 3. tr. 2. c. 16 Holl. in schol. c. 55. Card. 4. aph. 79. Vall. 6. epid sect. 1. com. 5. Pere. in Pasc. pag. 136.

6 Communis sententia, ex Hippocratis, & Galeni fontibus hausta, est, calorem esse lapidis causam efficientem, neq; meliùs probari potest, quàm ex supradictis: cum enim, ex Aristotele, duæ sint concretionis causę, calor, & frigiditas: cum rursus in viuente animali tanta frigiditas reperiri nequeat, quæ concretionem faciat, rectè sequitur, concretionem fieri à calore. Hippocrates ita sentire videtur, quando ait, *Post motum concretio puerulis magis: num quoniam calidiores?* Nec verò aliquem disturbet, quòd hìc dubitanter loquitur: nā alibi loquitur affirmanter in hunc modum: *Cum uerò aluus feruida fuerit, necesse est, & uesicam idem pati: cum enim magis, quàm pro natura fuerit calefacta, inflammatur ipsius stomachus: cum uerò hæc patitur, urinam non dimittit, sed in se ipsa concoquit, & adurit: & quod tenuissimum est in ipsa, excernitur, & quod purissimū est, transit, & emingitur, quòd verò crassissimum, & turbidissimum est, congregatur, & concrescit, primò quidem parum, deinde maius fit*.

Ga. 3. aph. 27. & l. 10. local. c. 2. & l. 3. fac. alim. G. 17. & alibi. H. 6. epi. sect. 3. c. 15. H. de aere, aquis & loc.

7 Si quis verò aliquam contrarietatem in his duabus Hippocratis sentētijs reperiat, eam facilè dissoluet. Contrarietas videtur esse, quia dixit, concretiones magis pueris fieri, forsan quia sunt calidiores: at cum pueri, nonnisi innato calore, calidiores sint, videtur insinuare, calorem innatum esse eum, qui lapidis est causa effectrix. In posteriore verò sententia, dum ait, *Cum verò aluus feruida fuerit, necesse est, vesicam idem pati*, videtur velle, calorem, à quo concretio fit, esse eum, qui igneus, & pręter naturam appellatur. Respōsionem ex Galeno possumus elicere: quippe considerare oportet, in priore sententia Hippocratem loqui de concretione, quæ pueris accidit: pueri autem crassimas vrinas reddunt: tales autem dispositionem valde magnam habent ad efficiendam concretionem: vbi verò abundat passi dispositio, agens, quātumuis debile, sufficit ad producendum effectum. Satis ergo est in pueris, in quibus valde magnam supponimus dispositionem, calor mediocris, qualis est calor innatus: Vnde Galenus, *Caliditas* (inquit) *etiam mediocris, ad huiusmodi materiam spissandam satis est*. At in posteriore sentētia generatim loquitur de calculi generatione in omni ætate: calculus ergo calorem generatim sumptū expostulat, qui pręter naturam operetur, vel ratione intensionis, vel ratione passi. In pueris calor, tametsi naturalis, ratione passi, hoc est, crassissimæ vrinæ, præter naturaliter se gerit: in alijs, qui materiam habent dispositam quidem, sed minùs, quàm pueri, requiritur calor intensus. Hanc doctrinam Matthæo de Gradi prudentissimo medico acceptam refero: quippe ait: *Causa autē efficiens (ut dicebat Auicenna) est caliditas egressa ab æqualitate (supple) uel in se ad intensionem, quia intensior caliditas naturali, & conueniente operationibus, uel egressa (supple) excessiua facta (supple) ad agendum: quoniam non semper requiritur caliditas intensior caliditate ęquali*. & quæ sequuntur. Hanc mediocritatem caloris in materia valde disposita ostēdit Galenus, exemplo sumpto ab aquis thermalibus,

Matth. de Grad. c. proprio.

in quibus, etsi moderatis tepidiores sint, tophi apparent. Itaq; concludit ipse inquiens, *Verùm non ipsa præcipuè* (nempe caliditas) *sed materiæ, ex qua fit lapis, qualitas ipsius compactionis causa existit*. Dixit, qualitatem materiæ esse concretionis causam, nempe dispositiuam, non autem efficientem. Miror tamen Septalium, qui putat, Galenum lapidis causam efficientem facere non potissimum calorem, sed potiùs materiæ in vesica collectæ crassitudinem, & viscitatem: quamuis etiam caliditatem conferre velit, tamquàm efficientem causam. At Galenus, materiæ qualitatem causam esse, dixit, efficientem verò esse, non expressit: neq; enim conueniens est, vt qualitas per quam materia redditur apta ad recipiendum efficientis influxum, causa efficiens censeatur. Porrò de efficiente lapidis ita sentio, quod iam pluribus ab hinc annis in meo de meteoris microcosmi opere satis declaraui, vbi nonnulla scitu digna circa lapidis generationem, & eius materialem causam curiosus lector reperiet.

Sept. in lib. de aer aquis, & loc. pag. 237.

De meteo. microcosm. lib. 4 cap. 16.

TEXTVS XXVII.

Magnitudo ipsorum magna, & non magna.

VErborum delectu non delectatur Hippocrates, sed sententiarum pondus amat: quod aduertendum est ad confusionem eorum, qui in tradendis disciplinis magis Vallā, & Cantalitium, quàm principes eius scientiæ, quam profitentur, sequi ambiunt. Porrò morbis magnitudinem attribuit: cœterùm, vt ait Galenus, *In propriè quidem quantitas in qualitate dicitur, quamquàm dicatur tamen, vt febris magna, & parua*. Non tamen est, cur hunc nobis scrupulū iniiciat: siquidem & apud ipsum, & apud bonorum omnium in arte medica autorem Hippocratem, frequētissimum est morbi magnitudinem, & morbum magnum appellare, potestq; consuetudo cuilibet vocabulo improprietatem auferre: quippe ad vsum pręcipuè recurrere debemus, *Quem penès arbitrium est, & norma loquendi*, vt Horatius ait.

G. de comp. med. per gen. lib. 3. c. 2.

Horat. in arte poetica

Morbi magnitudo aliquando excedit, aliquando deficit: iccirco dicitur ab Hippocrate, *Magna, & non magna*. Hoc summoperè inseruit medicinam facientibus, vt scilicet agnoscant, quando remedijs magnis vti oportet: quippe vnus, & idem morbus potest interdum magnus esse, interdum non magnus: videlicet pro totius morbi temporum varietate; Nam, vt Hippocrates ait, *Circa initia, & fines omnia imbecilliora, circa vigores verò fortiora*. Atq; hoc ita contingit in vno morbo in indiuiduo. In vno autem in specie, potest ex plenitudine magna morbus fieri magnus, expostulans magnum remedium: nempe sanguinis missionē, quę, ex Galeno, vnum ex duobus remedijs maioribus est; Potest & fieri paruus, quem Galenus solis frictionibus curauit. In morbis autem specie diuersis diuersitas magnitudinis adest, de qua aliquid dicere, erit operæ pretium.

H. 2. aph. 30.

G. 2. aph. 29.

G. 4. meth. cap. 6.

MORBI MAGNITVDO quotupliciter dicatur.

QVÆSTIO VIGESIMA OCTAVA.

1 QVAMVIS Galenus libro quarto methodi diuersas magni morbi acceptiones tradere videatur, ab ijs, quæ septimo eiusdem operis libro tradit, nihilominùs, nullam eius doctrina contrarietatem in se continet: quandoquidem, & vtrobiq; tres esse, ait, & vtrobiq; si rectè intelligatur, sunt eædem.

4. Meth. c. 6. 7. Met. c. 12.

2 Prima acceptio quarto methodi est, qua morbus dicitur magnus, *Propter affectæ partis præstantiam*: in septimo verò libro dicitur, *Quæ læsæ actionis præstantia spectatur*.

spectatur. Verùm cum ex lęsa actione pars affecta cognoscatur, cùm rursus prę-stantissimę parti præstantissima debeatur actio, nihil inter hęc duo discriminis inesse, censendum est.

3 Secunda acceptio in libro quarto est, *Propter affectus magnitudinem*: in septimo verò, *Ex propria affectus essentia*. At hę etiam duæ in vnam, & eandem commocidunt: nam essentia affectus, quoad magnitudinem, de qua agimus, & affectus magnitudo idem sunt.

4 Tertia acceptio in libro quarto est, *Propterea quod sunt cacoethæ* .i. mali moris: in septimo autem, *Quæ ex facultate læsum corpus gubernante æstimatur*. Hìc etiam nullum reperitur discrimen: siquidem proprium malignitatis est, facultates nostrum corpus gubernantes lacescere. Præstat tamen, singulas ex his tribus morbi magni differentijs pertractare.

5 Præstantia læsę partis, lęsæuè actionis adeò spectabilis est, vt licèt alia magnitudinis signa non adsint, magni ponderis morbus est; Vnde, apud Hippocratem, vulnus capitis nullum est contemnendum: quantumuis enim exiguum, & expers symptomatum sit, nihilominus præstantia partis, nempe capitis, facit, vt magnam diligentiam in curatione eius, & custodia adhibeatur. Secundùm hanc acceptionem dicitur ab autore definitionum medicarum, *Morbus re, vel effectu magnus*: addit namq; hæc verba quasi pro exemplo: *vt punctura in neruo, vel musculo, quæ parua visu apparet, vi autem est magna*. Nerui igitur, & musculi præstans est actio, nempe sensus, motusq; arbitrarius: quàre eius lęsio, tametsi exigua, magnum facit morbum.

Hippocr.

Autor definition.

6 Iuxtà secundam speciem: essentia affectus, seu magnitudo affectus, est id, quod prædictus autor morbum imagine magnum appellat: *Vt vulnus in carnosis locis multum spatij occupans*. Dicemus secundùm hanc etiam morbū magnū, quem maiorem quoq; dici posse, Galenus ait, vt pote qui, *Supra nostras vires fuerit*; Sic etiam dicemus magnum, idest, vehementem: nā in hoc sensu intelligendus est Galenus, quando nihil referre inquit siue vehementiam, siue magnitudinē dicamus: & similiter alibi magnitudinē morbi, cū efficacia cōfūdit.

G. de tot. mor. temp. c. 5.
G. 3. cris. c. 4.
G aduers. Lycum. c. vlt.

7 Iuxtà tertiam: cacoethia morbi, siue facultatū nostrū corpus gubernantium vitiū, tunc maximè elucescit, quando symptomata graue periculū minantur. In hac autē malignitas, & magnitudo confundi inter se videntur, quāuis aliàs autor definitionū inter magnū, & malignū differentiā constituit, eam nempe, quę inest inter id, quod potestate, & id, quod actu tale est: inquit enim: *Malignus morbus magnus, grauisq; est potestate, specie verò imbecillis*. Verumtamen in vera doctrina nō solùm antequàm morbus suis symptomatibus se prodat, malignus appellatur, sed etiā posteà, quando sunt praua, & facultates præcipuas oppugnantia symptomata sunt omnino manifesta. Idcirco Galenus morbos κακοήθεις, id est malignos, definiens, sic ait: *Malignos morbos appellamus, quicumq; periculū minantes, spem salutis non adimunt*: nempe denotans, symptomata iam, quę periculum minantur, manifestissima esse. Sunt igitur in hac tertia acceptione, seu specie, seu differentia morbi magni, qui etiā maligni dicuntur: siquidem, vt Galenus ait, in cacoethia consistunt. Hi sunt morbi, quorum magnitudinē ex symptomatibus cognosci, dicit alibi Galenus. Hi etiam grauissimi, acutissimi, cum periculo coniuncti à Galeno dicuntur, & ab Hippocrate lethales.

G. in pror. sect. 1. com. 14.

Gal. de const. art. c. 16. & c. 18.

8 Iure optimo Hippocratem Galenus laudat, qui ingeniosè quidem & sapienter omnes prædictas tres acceptiones fuit complexus, quando in libro de vlceribus morbi magnitudinem ad purgandum considerat: nempe *In vulneribus, quæ in capite sunt accepta; Item quæ in ventre, & articulis: Ad hæc ijs, in quibus ossi caries impendet. Prætereà quæ suuntur, & quæ exceduntur*. Porrò magnitudo ob partis præstantiam apparet in vulneribus capitis, & ventris: ob magnum spatium, quod morbus occupat, ostenditur, quando ait, *Quæ suuntur, & quę exceduntur*: nam quę sunt magna, suturis & ligaturis indigent. Articulorum autem vulnera statim maligna fiunt: siquidem vbi tendines, & nerui, & loca carne vacua, atq; ossea sunt, hìc doloris, vigiliarum, conuulsionis, & delirij periculum instat. Hoc loco pro coronide animaduerto, Hippocratem his verbis magnitudinē morbi inquirere ad purgandum: in libro autem de victu acutorum magnitudinem morbi requirere ad mittendum sanguinem: quare hęc duo remedia, sanguinis missio, & purgatio, vt pote quę magna à Galeno dicuntur, non nisi magnis morbis conueniunt.

H. & G. 1. epi. sect. 3. tex. 3.
G. 4. meth. c. 6.

H. 4. acut. tex. 19.

TEXTVS XXVIII.

SIgna titillatio, dolor, ruptura, mens, sudor, vrinarum subsidentia, quies, iactatio, visus, imaginationes, morbus arquatus, singultus, morbus comitialis, sanguis integer, somnus, & ex his, & ex alijs naturalibus, et quæcumq; alia huiusmodi ad detrimentum, & vtilitatem procedunt.

REcensuit morbos, nunc recenset morborum signa, quorum plurima sunt symptomata. Omne autem symptoma signum est morbi, ad quem sequitur, licèt non omne signum sit symptoma.

Titillatio. Exponit Vallesius titillationem, hoc est, instabilitatem: quippe ait, titillationem esse motitationem particulę, siue fiat palpitatione, siue tremore, siue affectu quodã rigori simili, siue conuulsiuo motu. In hunc sensum scriptum, dicit, esse in prognosticis, *Oculi instabiles, & eminentes*. Cœterùm hęc vox γαργαλισμὸς id est, titillatio, nec in prognosticis, nec alibi in eo significatu, quem Vallesius vult, accipitur: imò potiùs (vt refert Erotianus citatus à Foesio) γάργαλον, & γαργάλην ἱμερὸν dici scriptũ reliquit, dictione ducta à mulieribus, libidine prurientibus.

Erotianus, Foesius.

Iuxtà hanc sententiam possumus titillationem pro pruritu accipere: quippe pruritus titillatio quædam est, vel saltem titillationi valde similis, & in eo solùm differre videntur, quòd titillatio strictè sumpta, vt Galenus ait, est motus ille, qui digitorum leni quadam applicatione fit, pruritus verò ab specie quadam humoris fit, dicente eodem alibi, *Tenuis, falsus, immotusq; succus in ijs est, qui pruriunt.* Porrò huius succi signum est pruritus, quem forsitan Hippocrates hic titillationem appellat.

G. in frag.

G. 2. symp. caus. c. 6.

Fracantianus nihil hoc loco declarat: inquit enim, commotionem, irritationem leuem, vel titillationem per locum, in quo reperitur, signum esse loci affecti, & affectus: quippe prouenire ait à materia vaporosa leuiter commouente, sic ille. Cœterùm vir græcè satis doctus debuerat considerare differentiam, quæ est inter verbum γαργαλίζω, & verbum κνησιᾶν, quorum illud titillare, istud prurire significat, ac proinde explicare, cur irritationem leuem, quæ quidem pruritus est, & titillationem, vnam, & eandem rem esse, dicat. Deinde leuis ista irritatio, hoc est, pruritus, non fit à materia commota, sed, ex Galeni sententia, ex immota.

Cardanus titillationis significatũ latissimè, plus quàm par est, extendit: quippe inquit, posse bifariam intelligi, vel pro vellicatione leni, vel etiam pro quodam desiderio, vt in ventre: quare titillationem signum esse, vult, vaporis, aut puris, aut excrementi moderati. Cœterùm hoc non est, mentem autoris ex verbis contextus aucupari, sed ad libitum doctrinam tradere.

Minus rectè etiam autor libri de oculis, ait, cum tactus minuitur; titillationem dici, quasi torpor titillatio quędam sit, quo nihil magis impropriè dici potest.

De ocul. c. 5.

Si quis ergo (vt diximus) pro titillatione, pruritum accipere velit, similitudine quidem affectus id ita potest facere: cœterùm sciat oportet, neq; in Galeni, neq; in Hippocratis doctrina hanc acceptionem reperiri, solamq; Erotiani autoritatem huic expositioni occasionem prętare.

Sed quoniam diximus, ex Galeni doctrina, titillationem fieri applicatione digitorum, quæsitu dignum est, an possit etiam exquisita titillatio citra digitorum applicationem, nempe ab interna causa fieri. Hippocrates *Desipientiæ*, inquit, *quæ cum risu fiunt, securiores, quæ verò cum studio periculosiores*. Galenus in commento de risu ne verbum quidem, sed conuertitur ad considerandos diuersos adustionis gradus in bile, vt hinc maiorem, aut minorem furorem fieri dicat. Reliqui expositores ferè omnes, desipientiam cum risu eam esse, dicunt, in qua æger gaudet, & sperat, & quicquid delirando dicit, aut facit, de bono aliquo præsente, vel futuro

H. 6. aph. 53.

turo est. Cœterùm risum, qui contineri nequit, qualis accidit Sileno, non esse in despientia salubri, hoc est, dementia è sanguine, quippe Silenus ex morbo illo obijt, est manifestum. Quare Vallesius suspicatur, risum istū ex calore circa hypochondrium, & septum transuersum fuisse ortum.

Vall. in epid.

Attamen risum sic excitatum, nēpe à causa titillante, Valleriola, & Nicolus Florentinus, verum risum esse, negant, sed motum risui similē, quos tamen Vallesius meritò non recipit: neq; est impossibile, ex calore modico, aut quauis alia titillare potente causa, posse interiùs titillando, dummodò pars exquisiti sit sensus (quale est septum transuersum) risus excitari. Quod agnouit Aristoteles, siquidem ait: *Icta etiam traiecta præcordia in prælijs risum attulisse proditū est*. Mihi contigit puellam videre, quę hystericis paroxymis corripi solita, quoties malum ingruebat, adeò profusè irridebat, vt ilia ei ferè rumperentur. An verò omnis risus admirationem habeat adiunctam, quęstio est, quæ non spectat ad hunc locum. Fracastorius affirmat, Valleriola negat, Vallesius stat pro Fracastorio.

Valler. Nic. Flor.

Vall. 5. cō tr. 9.

Fracastor.

Dolor. Cum dolor sit symptoma in eo loco, in quo est, indicat morbum, ad quem sequitur, nempe secundùm aliquos, intemperiem, iuxtà alios solutionem continui, iuxtà alios vtrumq;. Circa hoc satis, superq; ab alijs est disputatum, mihi non videtur, posse dolorē fieri absq; contini solutione. Porrò & causam doloris, & essentiam inferiùs expro-fesso, sed breuiter tractabo.

†

Ruptura. Sicut dolor continuitatis solutionem ostendit, ita continuitatis solutio, quæ rupturæ nomine designatur, ostendit alios morbos: e. g. *Vlcus, siue antea extitit, siue existat, in morbo, considerandum est: si enim moriturus æger est, ante mortem, aut liuidum, & siccum, aut pallidum, & siccum erit*. In vulneribus etiam signa inquiruntur: vt *Ex quacumq; causâ malè affligente, qui atram bilem vomuerit, moritur, qui vulnus habet:* & quamplurimia alia, quæ Hippocratica doctrina nobis offert. Verùm deruptura, hoc est, de continui solutione, plura inferiùs dicenda sunt in quęstione de dolore.

H. 1. prog. 22.

H. de loc. in homin.

Infr. q. 29. art 4.

Mens. Non parui momenti signa sunt ea, quæ à mente accipi possunt: siue enim mens constet, siue non constet, semper aliquid significat. Si constet, bonum est omen, dicente magno magistro, *In quouis morbo mente constare, & bene sehabere ad ea, quæ offeruntur, bonum*. Si verò mens non constet, mali ominis est: ideo addit in eodem aphorismo, *Contrarium verò malum*: quippe (vt Galenus in cōmento tradit) *Quę ad cerebrum attinēt, atq; eius membranas, & spinalem medullam, nec non & septum transuersum, & omnino partes neruosas, ac præsertim, quæ sunt iuxtà cerebrum, sana esse omnia significantur, ex mentis constantia*. Est ergo apud medicos mens, & ratio, græcè γνώμη, potentia interna, quam rectricem solent appellare. Hoc non intellexit, nec mirors, Satyrus Rechēsis: satis autem iam illi superiùs remanet exprobatum.

H. 2. aph. 33.

p. 232. Sup. in hac sect. q. 6. arti. 4. n. 2.

Sudor. Quamuis sudor in statu sanitatis euacuatio naturalis censeatur, nihilominùs in morbis inter excretiones præter naturam à Galeno reponitur, qui opinionem Dioclis, tametsi probabiliter confirmatam, duram tamen appellat. Ex sudore in morbis multa signa assumuntur, mihi instar omnium erit, id duntaxat, quod ab Hippocrate accipitur, vbi quatuor sudoris gradus in hunc modum constituit: *Sudores autem optimi sunt per omnes morbos, si per diem euenerit decretorium, & integrè sedant febrem*. Hic primus est gradus: deinde ait, *Boni autem sunt, si ex toto corpore prodeant, faciuntq;, vt æger faciliùs ferat morbum*. Ecce secundus gradus; Pergit vlteriùs inquiens: *Si verò nihil tale efficiat, nequaquā vtiles sunt*: Et est tertius gradus; Concludit tandem: *Pessimi verò, qui frigidi sunt, & qui circa caput tantummodò eueniunt, vultum, & ceruicem: hi enim cum acuta febre mortem, cum mitiore, morbi longitudinem indicant, & qui per totum corpus fiunt similiter significāt hi, vt qui circa caput*. Est quartus gradus. Prosequitur hinc differentias alias sudorum, qui tamen vltra hos gradus nequaquam sunt: quippe miliformes, quos malos appellat, ad pessimos reducendi sunt. Sed cur etiam boni non reducuntur ad optimos? nempe, quia tametsi boni, & optimi in plurimis conditionibus cōueniant, in vna tamen, quæ maximi momenti est, differunt: hoc est, optimi integrè sedant morbum, boni autem

G. de diff. symp. c. 6.

H. 1. prog. 26.

tem

tem non, sed duntaxat faciunt, vt ęger faciliùs morbum ferat. Mali verò nihil habent, in quo pessimis malitia cedant.

Vrinarum subsidentia. Communiter subsidentia vrinarum appellari solet, quæ ex duplice constituitur substantia: etenim pars succorum est in venis contentorum, nempe sanitatis tempore inculpatorum, per febres autem prauorum, hoc est, febrem facientium. Est insuper pars succi crudi, quę in ventriculo non fuit perfectè pręparata, & quæ in sanguificatione, facta in iecore, refugit, magna ex parte, naturę actionem. Verumtamen hęc cruditas nō significat opificiorum defectum (nam sic subsidentia hæc non indicaret naturę victoriam) sed ostendit copiam duntaxat, quam, multitudinis ratione, naturalis calor nequit superare: eo argumento, quòd in pueris ferè omnibus, & in agentibus ętatem perfectā qui tamen vitam agunt desidem, aut quouis alio modo pleni sunt, satis multam vrinę habet subsidentiam, quoniam, (vt Galenus ait) in his omnibus plus est de inconfecto, & crudo humore, quàm in alijs: nempe maioribus natu propter desidem vitam; pueris ob satietatem, quia voraces sunt, atq; etiam, quia vna ventriculi actio nō potest duobus simul officijs sufficere alitioni scilicet, atq; augmentationi.

Cœterùm hæc subsidentia signū est, non symptoma: quando autem renum, aut vesicę morbos sequitur, symptoma est in excretis. De hac subsidentia, quę excretum præter naturam est, extant plures aphorismi, quos vnusquisq; consulere potest. H. 4. aph. 76. 77. 79.

Quies. Num illa, quæ fit morbo inducias prębente, aut natura, parta iam victoria, quiescente? Hæc quidem signum bonum est, sed inartificiosum, symptoma autem neutiquā. Quies autem, quæ fit propter naturę impotentiam, symptoma quidem est in genere deminutę functionis, estq; quies deceptoria, quoniam aliquando, vel etiam in moribundis, veræ quietis specimen prębet, sed statim cum magno ęgrotantis malo deceptio detegitur. Accidit autem isthæc falsa quies, non (vt cum Conciliatore aliqui volunt) quia natura territur, & perterrita non audet humorem morbificum aggredi, sed se ad sua munia obeunda colligit. Non, inquam, ob hanc causam: nam posse desistere à pugna, quando libet, agentis est liberi: natura autem non cognitione, subinde nec libertate ducitur. Deinde non potest fugere humorem, nisi lęsa: si læsa, ergo molestata, si molestata, non potest non molestię sensum patienti inferre, quę cum infert, non sinit, ægrotum in quiete permanere. Quies ergo, quę accidit morituris, est, quia natura iam tunc valde impotens sufficit ad commouendos humores: hi autem quiescentes minùs molestant, quàm moti; Porrò naturæ languescentis status, gangręnę statum repræsentat. Discernitur autem quies vera à falsa: quoniam falsa præter rationem aduenit: propterea non esse ei habēdam fidem, magnus Dictator præcipit. Conc. diff. 94.

Iactatio. Opponitur iactatio quieti, quippe anxietudinem significat, anxium verò dicimus eum (iuxtà Galeni doctrinam) qui accubitum vnum non ferens in alium mutatur: quia scilicet præsens semper aggrauat eum, similitudine ducta à corpore sano: quippe homo sanus ab vno negotio, non longo tempore, ad alterum transit. Huius anxietudinis signum esse iactationem, docet Hippocrates sic: *Si verò nudos habeat pedes, nec admodùm calidos, ac manus, collum, & crura inequaliter iactet, malum est: significat enim inquietationem*. Pedes calidos mutare nihil malum est: nam etiam bruta animalia contraria ijs, à quibus offenduntur, natura duce, quærunt. At si calidi non sunt, & hac, illac iactati deteguntur, anxietatis signum exhibent. G. 1. aph. 56.

Fit autem anxietas vitio oris ventriculi, cuius rei argumentum sumi potest ex Hippocrate: quippe vbi ait, eos, qui pransi supercœnauerint ἀσώδεις, id est, leuitatem intestinorū pati iuxtà alios codices, (vt Galenus nobis tradit) legitur ἄσην, *Vt eo vocabulo* ῥιπτασμόν, *id est, proiectationem intelligamus corporis hominis huius, qui ita cibatus est, corporis, inquam, ob cibi multitudinem*, ἀσώμενος, *id est, grauiter, molestèq; habentis, atq; implacidi, inquietiq; dum in lecto iacet, & sese permutantis*. Sic Galenus. Cœterùm si ventriculus cibo grauatus inquietum reddit hominem, quanto magis id efficiet prauo H. 2. acut. tex. 21.

prauo humore molestatus?

Contingit etiam iactatio ob viriũ debilitatem, ob quam facultas pondus membrorum sustinere nequit. Aut etiam ob internum incendium, quod inplaciditatem secum affert, adeò vt multoties ægri propè mortem lectũ sibi mutari iubeant. Quod si, vt fieri solet, æger delicatus, de re minima querulus, & impatiens sit, non est iactatio magnifacienda.

Visus. Dicuntur visus, seu visa ea, quę Auicenna imaginationes appellat: nempe apparitiones propter vaporem contentum ante humorem crystallinum: *Sunt colores*, ait ille, *qui sentiuntur coram visu, ac si ipsi sint misti in aere*. Apparent ergo ante oculos simulachra quædam, representãtia muscas, cimices, pulices, capillos, catenulas, & alia quamplurima, suffusis similia, dico similia, quia licèt in suffusionibus etiam eadem simulachra appareant, non apparent eodem modo: siquidem in suffusionibus semper firma manent, in hoc autẽ affectu, qui ad suffusionem via esse solet, videntur in aere volitare. Quomodò autem hoc ita fieri contingat, inferiùs tradetur.

Auic. fen. 3. li. 3. tract. 4. c. 9.

Imaginationes. Si visus, & imaginationes, apud Auicennã, & alios, vna, & eadem res sunt, cur Hippocrates verborum parcissimus vtrorumquè seorsim meminit? Certè si synonima sunt, ab Hippocratica loquutione abhorrent. At quamuis hęc duo vocabula synonima esse possint, possunt etiam aliquando diuersas vnum ab alio significationes habere; & sic visus dicemus has imagines suffusorum similes, imaginationes autem appellabimus, imagines alias, quæ nullo vitio in oculo existẽte ex imaginatricis duntaxat facultatis errore contingunt. Quare visus, seu visa oculis repræsentantur, pertinetq; ad videndi potentiam, imaginationes non pendent à sensu externo, & nõ solùm obiecta falsa circa visum, sed circa auditum etiam offerunt. Circa visum deceptionem istam, & errorẽ imaginatricis facultatis passus est Galenus, vt potè qui aliquando, dum ægrotaret, festucas, & floccos euellere tentabat, vnus autem ex amicis, qui aderant, dicebat ad socios, videtis ne hunc, & paleas euellere, & festucas colligere? Cui Galenus, rectè, inquit, dicis, proindè ne me phrenesis arripiat, auxilium esto. Circa auditum imaginabatur falsò Teophilus medicus, qui tibicines ab angulo cubiculi auferri iubebat, cum tamẽ tibicines ibi nulli essent. Circa olfactum sunt etiam imaginationes, quarum meminit Galenus. Itaq; hæ delirantium imaginationes erroneæ nullo in sensorijs vitio existente fiũt.

Gal. 4. loc. aff. c. 1.

G. de sym. diff. c. 3.

Gal. in 1. prorrh. sect. 1. cõ. 27

Sed aliquæ hic se offerunt difficultates, quas soluere, est necessarium. Prima. Si istæ imaginationes sunt delirantium, iam videtur superiùs, sub mentis nomine, comprehensę: quare superfluum est, eas rursus hìc repetere. An quia tametsi mentis nomine omnes tres potentię rectrices intelligi possint, nihilominùs frequẽter cogitatricem, seu rationatricem intelligimus? Propterea dictum superiùs est, mens, & ratio idem sunt: Isthęc ergo deceptio, cogitatrice illesa existẽte, potest in imaginatrice reperiri: ideo Teophilus rectè quidem ratiocinabatur: nam si tibicines adessent in cubiculo, eijciendi forent: non rectè tamen imaginabatur: nulli enim aderant tibicines; Et Galenus rectè ratiocinabatur: nam remedijs phrenitidẽ propulsantibus vtendum esse, non sinè ratiocinandi actu agnoscebat: non rectè autem imaginabatur, si quidem floccos, qui non aderant, euellere tentabat.

Sed si Galenus non erat adhuc phrenesi correptus, & tamen iam floccos euellebat, cur inter signa valde exitialia recensetur ab Hippocrate hęc actio? Inquit enim: *Qui in febribus acutis, aut phrenitidibus, aut pulmonijs, aut capitis doloribus, manus ob vultum fert, aut frustra venatur muscas, aut colligit festucas, aut de veste euellit pilos, aut de pariete stipulas carpit, id omne malum, exitialeq; est*. Hęc est sententia Hippocratis; Cœterùm Galenus, floccos, & paleas colligebat, & euellere tentabat, & tamen non exitialiter ægrotabat.

H. 1. prog. 23.

Dicendum reor: Lethale signum (vt Galenus animaduertit) licèt sæpe ab Hippocrate de ijs, qui ex necessitate sunt morituri, proferatur, sæpe etiam proferri de ijs, qui magna ex parte. Quapropter Galenus tunc lethaliter quidem ęgrotabat, cœterùm non ex necessitate erat moriturus: quare non mirum, si ab hoc morbo euasit. Habuit quidem signum valde lethale, nempe istiusmodi gesticulatio-

Ga. 6. aph. 18.

lationes, quæ significant malum adeo esse adauctum, vt quidem iam interioris potentiæ error, per epigenesim, vsq; ad exteriorem sensum propagetur: nihilominùs propagatio posset esse deterior, nimirum si imaginatricis læsio ad aliam potentiam interiorem, quæ superior est, hoc est, ad cogitatricem esset propagata, quod tamen non erat, referente Galeno, sibi mentem adhuc in eo statu constare, quippe in eo rationalis facultas adhuc non vacillabat.

Itaq; cũ gesticulationes istę phreniticæ sint, hoc est, phrenitidis signa, iure optimo dicuntur exitiales: quippe (vt Galenus ait) omne genus phrenitidis est perniciosum. Porrò in pulmonijs, in capitis doloribus, in febribus acutis floccos colligere phrenitidem significat, hoc est, malum propagari versùs cerebrum: in phrenitidibus autem significat malum propagari ita, vt iam sẽsus exteriores arripiat: quòd si arripiat etiam præter imaginationem, rationalis animę facultatem, hoc est, cogitatricem, extremum malorum est: ad quod non dum Galenus ęgrotans deuenerat. Quòd autem in pulmonia sint mala ea signa, quę phrenitidem portendunt, Hippocrates nos docet, inquiens, *A pulmonis inflammatione phrenitis, malum*.

H. 7. aph. 12.

Sed si isti, qui manus admouent ad euellendos, colligẽdosq; floccos, & paleas, hoc patiuntur, quoniam malum sensui externo est communicatum, cur alij, qui imagines habent ante oculos propter visum sensus externi, non admouent similiter manus? Neq; valet, siquis respondeat, læsionem esse in organo, in quo visio fit, non in cerebro, ad quod pertinet iudicare: non, inquam, valet, nam licèt visio fiat in oculo, potest nihilominùs decipere potentias internas: quemadmodùm enim nihil est in intellectu quin priùs fuerit in sensu interno, sic nihil est in sensu interno, quin priùs fuerit in externo: & sicut intellectus potest decipi à phantasmatibus, sic imaginatio à visionibus. Respondeo ad hanc dubitationem, falsum esse dicere, nihil esse in sensu interno quin priùs fuerit in externo: nam somniantes, multa cogitant, quę nunquam eis vidisse contigit. Deinde etiam, quamuis verum esset hoc, nihilominùs quemadmodùm intellectus potest corrigere errores phantasiæ, sic phantasia potest emendare falsitates sensuum externorum. Confirmat hoc, quia homo à cane rabido morsus, & hydrophorbia apprehensus, potest imaginatricem habere lęsam, quę illi canis imaginem repręsentat, cogitatricem autem sanam, quæ imaginatricis errorem corrigit. Sic refert Aetius philosophum quendam morsũ à rabioso cane, & generoso, atq; constanti animo affectioni obsistentem, & subinde ratum, canem in balneo apparere, (apparebat enim ipsi dicit Aetius) ratiocinatum fuisse, & sic secum loquutum: *Quid cani cum balneo?* & affectionem vicisse, & sanatũ fuisse. Huius interrogationis, (vt obiter hoc dicam) quę iam in paræmiam abijt, veram explicationem non intellexit Erasmus in suis chiliadibus: nec mirum, quippe non viderat hanc historiam apud Aetium. Potest ergo potentia superior corrigere errores inferioris, ac propterea licèt visio, etiam ad sensum communem delata representet culices, muscas, paleas, & floccos, potest imaginatrix, quę superior est, & non est lęsa, hunc errorem emendare: quare patiens non cogitur ad admouendas manus, vt imagines illas, aut res per eas reprẽsentatas colligat, vel euellat. Sed de his satis.

Aet. tetr. 1. ser. 2. c. 24.

Morbus arquatus. Multis nominibus hic affectus solet appellari. Dicitur *arquatus, seu arcuatus*, quia laborantis oculi varietate colorum iridem, seu arcum cœlestem imitantur. Dicitur *aurigo*: quoniam in hoc morbo vniuersum corpus aureum colorem refert. Marcus Varro morbum regium appellauit: quia, vt aliqui dicunt, mulso, quod genus potionis in Regum delicijs erat, curabatur. Grecè dicitur ἴκτερος vel ab aue, quę sic grecè appellatur, latinè galbula, quę dicitur sanare hunc morbum, si ab ęgrotante spectetur, & auis sanato malo emoritur, vel quia ἴκτερος latinis miluus: oculi enim laborantium hoc morbo miluinis oculis sũt similes. Potest etiam dici à mustela siluestri, quę grecè dicitur ἴκτις: hęc namq; etiam oculos aurei coloris habet.

Marc. Var.

Est symptoma in qualitate mutata: quippe nulla est pars corporis, quę ob effusam bilem non flauescat, si inte-

intestina excipiamus, quæ aliquando ab hac infectione preseruantur.

Fit interdum propter obstructionẽ cystis fellis, propter quam bilis in suo receptaculo non recipitur. Apparet precipuè in oculis, in quibus, ob eorum candorem, pallor est magis cõspicuus. Fit etiam ob intemperiem totius corporis calidam, & siccam, ob quam tanta gignitur bilis, vt eam receptaculũ non capiat. Galenus ex morsu viperę quẽdã ictericum, ait: Auenzoar narrat, Aizir Benhali, ob venenum epotum, in icteritiam incidisse. Porrò omnes causæ calorem, & siccitatem in corpore producentes icteritiam faciunt: vnde icteritia hanc significabit intemperiem.

Ga.5.loc. aff.c.3.

Auenzoar lib.1.c.13.

Singultus. Inter motus illegitimos, qui à facultate irritata fiunt, reponit Galenus singultũ à facultate inquã, ex* eodẽ, expultrice. Si quis verò dicat, eundẽ Galenũ hunc motũ ad retentricem etiam retulisse, quãdo dixit: *Retentricis quidem, quòd venter, cũ singultit, praue, & non naturaliter cibos complectitur: expultricis, propterea quòd primùm eius est ipse motus prauus, dum, scilicet cupit, quod contristat, reijcere*, respondemus, singultum primariò esse facultatis expultricis, secundariò verò retentricis, quod Galenus, quasi se ipsum explicans, ait sic: *Estq; is singultus primùm expultricis virtutis motus quidem non legitimus, secundo loco retentiuæ complectentis:* quia enim ex motu illo prouenit, alimentum non retineri, vt oportet. Dixit, rentricis esse symptoma: verùm non per se, & ex natura symptomatis.

G.2.symp. caus.c.1.

* c.6.

3.de symp. caus.c.2.

Ibid.paul. infra.

Est singultus vehementior motus, quàm vomitus, cuius rei rationem Galenus reddit, *Nam stomachus appetens eorum aliquid, quę in ipso continentur, expellere, ad duos mouetur casus, vehemẽtiorẽ quidẽ in singultibus, mediocrẽ illo in vomitibus: siquidẽ in vomitibus appetit ea tãtùm, quæ in ventris spatio latiore cõtinentur, expellere: in singultibus autem ea, quæ sunt in ipso ventriculi ore, penitiora*.

G. 6. aph. 39.

Aduertere hoc loco oportet, Galenum multis in locis singultum cõuulsionem appellasse: imò se ita sentire secundùm Hippocratis doctrinã profitetur inquiens: *Quòd autem & singultus conulsio fit stomachi, secundùm Hippocratem, nos vtiq; nouimus.* Cœterùm ita conuulsionem esse fatetur, vt conuulsionem impropriam intelligat: vnde aliquando sic ait: *Singultus verò concedatur conuulsio stomachi nominari, quando aliud fuerit sermonis propositum; Quando verò hoc solum studuerimus, vt singultus substantiam cognoscamus, melius fortassis fuerit, non conuulsionem ipsum nominare, sed quendam motum eiusdem quidem generis cum vomitu, intensiorem autem, & illo vehementiorem:* & alibi: *Verbi gratia ventriculi motus, qui veluti conuulsiuus est, qui singultiendo accidit, conuulsio quidem, in totum, non est, (vt pote quæ in solis accidit musculis, ventriculus autem nec ipse musculus est, nec os eius) sed veluti conuulsio quædam*, &c. Neq; etiam ex Hippocrate possumus colligere, conuulsionem esse, sed conuulsioni similem: quandoquidẽ postquàm dixit, conuulsionem fieri ex inanitione, & repletione, addit, *Ita verò & singultus*: quasi singultus per additamentum sit allatus. De causis verò singultus agere, differimus in alium locum.

G.2.symp. cau.c 2.de diff. symp. c.4.7. aph. 3.

G. 3. caus. sympt.c.2.

Morbus comitialis: Hoc quoq; malum plura habet nomina: omnia eius horribilem vim, & incursiones detestandas significantia. Nuncupatur in primis epilepsia ἀπὸ τοῦ ἐπιλαμβάνειν, quasi superioris partis, id est, capitis, apprehensio. Ab Hippocrate puerorum morbus dicitur, quoniam pueris est valde familiaris: iccirco à Lucretio dicitur primus morbus, quòd mox natis primò accidat. Ab Auicenna mater puerorũ, quia eos tãquàm mater castigat, & terret: dicerẽ potiùs nouercam, vtpote quæ pueros nouercali insequitur odio.

Nuncupatur etiam morbus Herculeus, siue quia, vt ait Aristoteles, Hercules hoc morbo fuit infestatus, siue, ex Galeno, quoniam hoc nomine sęuities, & magnitudo morbi commodè exprimitur: aut etiã, quoniam herculeæ requiruntur vires ad hoc monstrum expugnandum.

Ar. sect. 3. probl.1.

G.6. epid. sect.6.cõ.7

Appellari etiam solet morbus caducus, eo quòd cadere facit: cõuulsis namq; totius corporis neruis, & musculis, tota corporis machina stare nequit, sed violenter corruit: vnde multoties grauissima, ex casu, cõtingunt mala: Dubitauerim, an Ricinus ille comicus, quem, Marcellus Donatus, se curasse, narrat, epilepticus dici posset: quippe ei paroxysmus statim cessabat, neq; eo durante cadebat, sed per pilas magnas vento plenas ambulare sibi videbatur: mẽtis non omnino erat compos, sed im-

Marcellus Donatus.

imminens malum præsentiebat.

Veteres igitur malum, de quo agimus, morbum comitialem appellabant: quia cum Kalendis Ianuarij magistratus creabatur, siquis tunc hoc malo apprehenderetur, comitia soluebantur, quod Quintus Serenus suis carminibus expressit. Q.Seren.

Dicitur etiam morbus sacer, ea sanè ratione, qua à Vergilio appellatur *Auri sacra fames*, hoc est, execranda; Sic sacerrimus homo dicitur à Plauto, & ab Horatio *intestabilis, & sacer est*: sacer namq; dicebatur ab antiquis, teste Macrobio, *Qui diras execrationes pestis, alteriusuè calamitatis expiandi gratia alicui Deorum immolabatur*. Adeò autem execrandus est hic morbus, vt eum Plautus nominet *Morbum, qui spuitur*. Hinc Plinius ait, morbum hunc despui consuetum; mos, qui fuit priscis, qui etiam hodie viget, vt cum aliquid detestandũ auditur, in terram sputatur. Ideo etiam hic idem morbus *sonticus* à Iureconsultis nuncupatur, vt refertur in legibus duodecim tabularũ. Alij dicunt, sonticum dici, quia nocet: & hoc nomen ei optimè quadrat: nullus enim terribilius nocet: quare Areteus antiquissimus autor, *Triste medius fidius, ait, est huius inuasionis spectaculum, turpis & eius desinentia, cum stercore, & lotio, & spontina veneris solutione*. Addere possumus spumam oris, oculorum distorsionem, adeò vt laborates à dæmone vexari vulgò credantur.

Virgil. 3. Aen.
Plaut.
Horat. l. 2. ser. 6.
Macro. 3. Saturn.
Plaut.
Plin.

Itaq; sacer dicitur etiam per antiphrasim, quasi minimè sacer. Multi multas alias excogitarunt rationes, cur dicatur sacer. In primis, vt significetur, aliquid huic morbo diuinum inesse: propterea solis expirationibus, & incantamentis curabatur. Vel sacer, quasi diuinus, propter admirationem, quam ingerit. Vtramq; appellationis rationem autor libelli de morbo sacro damnat, inquiens: *Nulla re, videtur mihi, alijs diuinior esse morbis, neq; sacratior: verùm naturam habet, quam etiam reliqui morbi*: & post pauca adiungit: *Qui primi, hunc morbum sacrum esse, pronunciauerunt, tales homines mihi fuisse videntur, quales etiam nunc sunt Magi, & expiatores, & circulatores, & quidam arrogantes, qui se vehementer pios esse simulant*: & cœtera, quæ in hanc sententiam sequuntur.

Aut libelli de morbo sacro.

Sacer etiam dicitur (vt alijs placet) quia magnus est: sacra enim vocantur, quæ magna; more grecorũ, apud quos ἱερὸν non modo sacrum, sed magnum quoq; significat. Sic sacra anchora, sacrum mare: & Tragicus, quem refert Cœlius Aurelianus, sacram appellauit noctem: sic medici magnum quoddam os, sacrum appellant. Hinc etiam Cornelius Celsus, *Comitialis, inquit, vel maior vocatur*: & Hippocrates: *A quartana correpti magno morbo non corripiuntur*: pro magno intelligitur epilepsia, autore Galeno, tametsi hoc non admodum liquet: siquidem alibi idem Galenus, quartanam, ait, à magnis morbis liberare, non epilepsiam solum, sed & alios morbos plurali numero comprehendi vult. Mihi sanè non placet, epilepsiam magnum morbum, quasi antonomasticè, aut maiorem dici: quandoquidẽ alij maiores dantur, vt apoplexia.

Cœl. Aurelian. li. 1 c. 4.
Cor. Cels. lib. 3. c. 23.
H. 6. epid sect. 6. 2. 1.
G. 3. epid. sect. 1.

Lunaris etiam morbus à nonnullis nuncupatur: quia in hunc morbũ maxima lunæ potentia deprehenditur. Nonnullorum opinio est, fœtum in interlunio conceptum, aut editum hoc morbo tentari; vnde Q. Serenus. Q.Seren.

Ipse Deus memorat, dubiæ per tempora lunæ
Conceptum talis, quem sæpe ruina profudit.

Iam verò paroxysmos epilepticos, & in nouilunijs, & in plenilunijs accidere, experimento satis compertum est. Causam huius rei (si eam ad manifestas reducere velimus) dicemus esse, in nouilunio absentiam luminis, ob quam imprimitur frigiditas: in plenilunio autem eiusdem luminis præsentiam, qua pituita dissoluitur, lumen enim lunæ ad dissoluendum sufficit, non ad desiccandum. Plinius, ideo, inquit, molliore, & imperfecta vi soluere tantùm humorem, atq; augere etiam, quem Solis radij absumant. Pl. l. 2. c. 9.

Si autem ad peculiares mutationes, quas efficit Luna in signis oppositis magis id referre, placet, non est ratio contemnenda. Cardanus lunarem morbum, non epilepticum, sed melancholicum vocat. Verùm vtriq; malo hæc appellatio potest accommodari: quoniam vtrumq; summoperè lunę mutationes in suis reuersionibus sequitur, & adeò hi duo Cardanus.

mor-

morbi inter se conueniunt, vt sæpissimè vnius ad alterum fiat transitus, dicente Hippocrate: *Melancholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur: & è contra morbo comitiali laborantes efficiuntur melancholici: atq; horum vtrumlibet magis accidit, prout vel in hanc, vel in illam partem infirmitas repit: si enim in corpus, epileptici: si in mentem, melancholici redduntur.*

H. 6. epid. sect. 1. prope finem.

Porrò hæc verba Galenus exponens considerat in primis illud *magna ex parte*: nam non semper epilepsia in melancholiam transit, sed quando ex melencholico fit succo, quando autem ex pituitoso, in alios transit affectus. Deinde quòd ait, malo in corpus mutato fieri epilepsiam, in animam verò melancholiam, ita explicat: *Cum in anima sit, aut temperamentum actiuarum qualitatum, aut ab ipsarum temperamento alteretur, bilem, cum cerebro, veluti parti instrumentali nocet, ad cerebri corpus conuerti, ait, id, quod in obstructionibus fieri constat: cum verò temperamentum mutando, ei, vt similari, nocet, ad mentem eam repere, dicit.* Sic Galenus. Cœterùm hæc expositio violenta admodùm est, nobisq;, quibus constat, animam non esse temperamentum, nec ex temperamento solo eius actiones mutari, sed & à partium constructione, & à figura, & à continuitate, prorsus erronea censetur.

Gal. 3. loc. aff. c. 7.

Alij, inter quos est Mercurialis, quasi in idem cum Galeno coincidentes inquiunt, quando humor cerebri ventriculos occupat, fieri epilepsiam: cum verò cerebri corpus, melancholiam. Ducuntur autoritate Galeni dicentis; *In sopore, & morbo comitiali ventres magis cerebri, corpus minùs, in apoplexia verò corpus magis affici solet.* Hæc doctrina falsa omninò est: nam, atris humoribus ventriculos cerebri occupantibus, melancholica symptomata accidunt: & re vera melancholici actionibus potentiarum rectricum errant, & hę potentię in cerebri ventriculis sedem habent. Itaq; non est isthęc distinctio recta, quæ sumitur ex eo, quòd epilepsia cerebri sinus, melancholia cerebri corpus occupet: imò huic distinctioni contraria est consona veritati: quippe epilepticus paroxysmus fit cerebri substantia se se concutiente, ac proinde in se mali causam habente, melancholica verò phantasmata ventriculis cerebri, nigro, vel vapore, vel humore scatentibus. Galenus verò, cerebri vētriculos in epilepsia affici, dixit, facta comparatione ad apoplexiam, non autem ad melancholiam. Tandem, si, vt isti aiūt, in melancholia magis afficitur cerebri corpus, quomodò hoc quadrare potest cum autoritate Hippocratis, quam explicant, nempe in corpus vergente malo, epilepticos fieri, in mentem autem, melancholicos?

Mercurialis.

Gal. 4. loc. aff. c. 2.

Vallesius, malum vergere, ait, ad corpus in conuulsionibus, quia symptomata corporalia sunt: ad animā in delirijs, quæ sunt magis animalia. Vallesiū refellit Pereda, magis ęstro cōtradicendi, quàm ratione ductus, nullam siquidem adhibet rationem.

Valles.

Pereda.

Porrò vera Hippocraticę sententię expositio in hunc modum habere videtur. Agit ille de læsionibus actionum, quæ in vtroq; horum affectuum contingunt: cum ergo cerebrum motus, & sensus origo sit, cum rursus sensationes magis ad mentem referantur, dicendum est, eam affectionem magis ad mentem referri, quæ læsas habet sensationes, aliam verò magis ad corpus, quę motiones habet lęsas. Cœterùm quāuis vterq; istorum affectuum læsas habeat tum sensationes, tum motiones, quippe & melācholicus motiones habet incompositas, & epilepticus deperditā sensationem, nihilominus in epilepsia magis inclinat malum ad corporeum affectum, hoc est, ad læsionem motus, in melancholico magis ad affectum mentis, hoc est, ad internas sensationes, hoc est, ad actiones potentię rectricis.

Considero tandem, non dici, corpus simpliciter affici in epilepsia, mētem in melancholia, sed cum conditione *magis*: quasi dicat, vtrobiq; lęditur mens, hoc est, ratio, & vtrobiq; corpus, hoc est, motio membrorū, sed in epilepsia motio magis, in melancholia magis ratio.

Siquis quęrat epilepsię descriptionem, eam apud Galenum reperiet: siquidem eam in hunc modum describit. Est conuulsio omnium corporis partium, non perpetua, vt in emprosthotano, & epistothono, atq; tetano, sed quę ex temporum accidit interuallis: neq; solum hac re, sed mentis quoq; ac sensuum oblęsione, à iam dictis cōuulsionum generibus differt. Vnde cōstat in supremis cor-

Gal. 3. loc. aff. c. 7.

poris partibus hunc affectum generari. Hęc est descriptio à Galeno tradita, ex qua colligimus, hunc affectũ esse signum cerebri malè affecti.

Vtrùm verò, ex eodem possimus signum capere futurę paraplegiæ? nõ admodùm constat; Nam Galenus in locis affectis negat, epilepsiam in paraplegiam terminari: in commentario autem de victu acutorum, conuulsiones in toto corpore fieri, ait, ex materia, quę cum in aliqua ex nõ præcipuis impacta fuerit, paraplexiã facit, in quo sibi contrarius est.

G.4. acut. com. 27.

Si quis tamen à me quęrat, quęnã istarum opinionum mihi verior videatur, ingenuè fatebor, me, qui medicinam faciendo consenui, nunquã vidisse epilepticum, qui desineret in paraplecticum, neq; hoc apud aliquẽ legisse, neq; à quopiam audiuisse. Ratio etiam suffragatur: nam materia, quę in vnoquoq; paroxysmo mouetur, pauca est, & facilè dissipabilis: quamuis enim ex materia crassa fieri dicatur, eius pars tenuior est, quę in vnoquoq; paroxysmo negotium facescit. Instabit adhuc, in vnoquoq; paroxysmo pituitam vitream per os excerni. Respondebo, hanc non esse, quę ventriculos cerebri concutit, sed quæ concutione proijcitur, quẽadmodùm etiam, & stercus, & vrina, & semen, & sanguis. Sed de epilepsia sufficit, ad præsentis contextus notitiam scire, eam inter signa reponi, quippe signum est affecti cerebri.

Sanguis integer. Sanguinem syncerum vertit Fracantianus: Vallesius vocabulum græcum relinquit non translatum in latinum sermonem: cœterùm in commentario explicat sanguinem manifestum. Cardanus conuenit cum Fracantiano, & legit sanguinem syncerum. Cœterùm si vocabulũ græcum consulimus αἷμα ὁλοχερὶς est sanguis integer: integrũ autem dixerim eum, qui perfectus est, cui scilicet omnes humores debita portione misti existunt, nec suũ serum deest. Sic ὁλοχερὶς, & ἀκρήτος differũt: quippe ὁλοχερὶς est perfectus, perfectio autem sanguinis cõsistit in eo, quòd ex quatuor humoribus, iustam proportionem inter se seruantibus, & ex suo sero constat: ἀκρήτος autem, id est, syncerus, est ille, qui etiam à suo sero, ne dum ab alijs humoribus, est separatus: iccirco deiectiones synceræ ab Hippocrate damnantur: quippe magni incendij, serositatem absumentis, sunt indices. Sic etiam malum signũ reputatur apud Hippocratem sanguinis synceri stilla è naribus profluens; Quod si Galenus syncerum interpretatur, hoc est, nigrum, rectè facit: nam vt sanguis multa serositate dilutus colorem habet à rubro in albedinem declinantem, sic sanguis sinè sero ad nigredinem, propter adustionem, tendit. Sed de stilla sanguinis non est hic agendi locus. Duntaxat superest inquirere, cur Hippocrates nunc inter signa, magis voluit reponere sanguinem perfectum, quàm imperfectum, cum tamen ex imperfecto, & corrupto suo signa, & valde efficacia capiantur. Videtur dicendum, in omni genere id, quod est optimum, esse regulam cœterorum. Non igitur, sumuntur maiora signa ex sanguine integro, quàm ex non integro, sed cognita sanguinis perfecti substantia, cognoscemus meliùs quot gradibus corruptionis infectus sit ille, qui aliquam præsefert corruptionem.

Fracant. Valles.

Cardanus.

G. 1. epid. sect. 3. cō. 1.

Somnus. Ex somno tum naturali, tum pręter naturam valida signa elici possunt. At in pręsente cum signa morborum duntaxat inquirat, somnum pręter naturam debemus intelligere. Sed cur non meminit etiam vigilię? Non ne in aphorismis, *Somnus, atq; vigilia, vtraq; si modum excesserint, malum*? Ita est: sed vigilia, quę solùm in breuitate, & longitudine peccare solet, satis per somnum explicatur: neq; enim vigilia est breuis, nisi simul somnus sit longus: rursus nec est longa, nisi somno existente breui. Cœterùm somnus pręter naturam non solùm longus, aut breuis est, sed alias propemodum infinitas species habet, vti sunt lethargus, caros, catoche, seu catalepsis, coma, seu cataphora. Sed de somno posteà.

H. 2. aph. 3.

Et ex his, & ex alijs naturalibus, & quæcumq; alia huiusmodi ad detrimentum, & vtilitatem procedunt. Significat, se non omnia signa, ex professo recensere, sed quędam duntaxat. Omnia tamen, tum quæ scribit, tũ quę pręterit, *ad detrimentum, & vtilitatem procedunt*, hoc est, quæcumq; accidunt (nam verbum procedo, accidere etiã significat) in boni, vel mali significatum: nam frequenter Hippocrates bonum, aut malum appellat id, quod bonum, aut malum significat.

Sunt

Sunt autem signa, (inter alias signum distinctiones) quędam pathognomica, quæ propria quarto modo, logicè loquendo, possumus appellare: quippe conueniunt omni, soli, ac semper: quædam epiphenomena, seu superuenientia dicuntur: hęc morbis superuenire possunt, sed possunt etiam cum ijs inuadere, significantq; morbum vel longum, vel breuem fore, vel secundi, vel sinistri iudicij futurum: alia vocantur epigenomina, hæc autem superueniunt quidem, sed semper ad malũ; quippe aucti morbi significationem exhibent, fitq; per sympathiam perpetuò: siquidem non accedit post extinctum priorem morbum: nam sic esset metastasis, quę fit per deuteropathian, seu isteropathiã, sed priore adhuc permanente, eius augmentum significat.

DE DOLORE.

QVÆSTIO VIGESIMA NONA.

In quo consistat doloris essentia.

Articulus Primus.

1 ID, quod maximè controuersum est, tamquàm receptissimum agnoscit Satyrus: quippe sentes, ei viam impedientes, neq; nouit, neque si nouisset, auferendi artem tenet. Dolorem, dicit, ex Galeni sententia, tristem quandam sensationem esse: hoc ita admittimus: an verò alia sit verior sententia, oportuerat inquirere, quod nos paulo infra pręstabimus. Nunc oportet monstrare, eum, dum ex Galeni sententia loquitur, Galenum perperam explicare: siquidem adiungit quasi interpres: *Nempe functio læsa, sensus tactus*. At, ò Satyre, tu Galenum interpretari studes, Galenumq; corrumpis; Nam quamuis ab eo sit dictum, *Dolor est tristis, molestauè sensatio*, nunquàm dixit dolorẽ ad sensum tactus duntaxat spectare: vnde, sit licèt dolor symptoma læsæ functionis, non est peculiariter lęsio sensus tactus, sed generaliter ad omnes sensus se extendens. Vis ne, vt te manuducam ad Galenum, qui te admonebit, tuam mentem ab eius doctrina valde aberrare? Adire oportet librum de symptomatum differentijs, vbi reperies hæc verba. *Porrò tactus egregium, præter cæteros sensus, in actione sua symptoma possidet, dolorem: qui etiam reliquis sensibus, sed tamen ab externis proprijs sensibilibus incidit, huic verò non solùm ab externis, sed etiam multò magis ab affectibus, qui intra corpus consistunt, isq; subinde tam vehemens, vt nonnulli cruciatu victi, sibi ipsis mortem consciscant.* Ecce tibi Galenus dolorem offert in omnibus sensibus; Cur ergo, dum profiteris, te ex Galeni sententia loqui, Galenum extra Galeni sententiam, explicas?

p. 246.

Gal. 1. sympt. cau. c. 6. & li. 7 de plac. c. 6. & 2. de loc. aff. c. 2.

Ga. de sympt. diff. c. 3.

2 Sed vlteriùs tua ignorantia pergit: nam dum læsam tactus functionem esse, ais, ignoras læsæ actionis triplicem esse differentiam: quippe vna est deminuta, altera ablata, tertia deprauata; Cur ergo hoc indecisum relinquis? nempe quia non dum tibi isthæc læsarum actionum diuisio tibi innotuit. Forsitan diceres interrogatus, te actionem deprauatam intelligere, siquidem ais, læsam esse functionem: *Non quidem quia facultas non benè iudicat obiectum molestum, sed quia functio, quæ perficere deberet sensum, cum sit actus secundus, ipsum non perficit, sed malè afficit*. Sed tu, qui philosophaster es, sic impropriè loqueris, vt videaris res omnes confusè inter se permiscere. An nescis, functionem non esse actum secundum, sed per functionem agens, quod priùs erat in actu primo, constitui in actu secundo? Itaq; adeò balbutis in philosophia, vt actionem, & actum vnam, & eandem rem facias, cum tamen actio aliquid adhuc potentię participet, actus verò contra potentiam omnino destinguatur. Tandem dum actionem, dicis, esse actum, eodem iure motum nullo modo à suo termino distingui, putas: cum actus sit terminus actionis, quæ motus quidam est, aut saltem non sinè motu. Expuunt ergo tibi in faciem philosophi omnes cum Aristotele: nam motum à suo termino nemo est, qui non distingui sentiat.

Ar. 3. phys. t. 4

sentiat, tametsi in distinctionis modo aliqui inter se dissentiant.

H.2.aph.6.

3 Egregiam verò Hippocratice sententię apponis, potius imponis, explicationem: sententia est: *Quicumq; dolentes parte aliqua corporis, omnino dolorem non sentiunt; his mens ægrotat.* Accedis ergo, aisq; *Dicit igitur Hippocrates optimè* (sanè Hippocrates tua hac laudatione indigebat) *ijs mentem, hoc est, sensum communem ægrotare, quicumq; dolentes re vera in sensu tactus partis alicuius, non sentiunt, se dolere, hoc est, non animaduertunt, se in ea parte sentire molestum obiectum tangibile, sensum tactus excrucians.* Qui habet aures audiendi audiat tot fatuitates, quot verba. Explicas mentem, hoc est, sensum communem: sed qua, rogo, autoritate id facis? Quis te docuit, hoc ita posse accipi? Mens dicitur, hoc est, ratio, seu ratiocinandi potentia, quam medici cogitatiuā, philosophi æstimatiuā nuncupant. Num tibi licitum est, significata vocabulis tuo modo tradere? nempe linguam nouam instituis. Prætereà dicis, eos, qui dolorem non sentiunt, esse *dolentes re uera in sensu tactus partis alicuius*; Ita ne? At si dolent re vera, habent re vera molestam sensationem: (sic definis, cum Galeno, dolorem) si in sensu tactus re vera est sensatio molesta, dic mihi, cur eam molestam vocas? sanè quia molestat: at quomodò potest molestare eum, qui non animaduertit. Tu verò supponis, sensationem in sensu tactus esse molestam, & non aduertis, molestiam non posse aduenire, nisi ex interno sensu aduertente: quippe aduertere reflexionem quandam importat, quam sensus externus non potest facere; Quomodò ergo in eo potest esse re vera molesta sensatio, si molestia non percipitur? Dicis, esse molestam in potentia: at molesta sensatio in potentia, non est re vera dolor. Stultè ergo à te dicuntur dolentes re vera in sensu tactus. Porrò dolor non in externo, sed in interno sensu sentitur; internus est, qui externorum actiones agnoscit: quippe externi suas apprehensiones non agnoscunt, vt pote qui potentiæ organicæ cum sint, supra suam actionem reflectere nequeunt, ac proinde non possunt discernere delectabile ne, an molestum sit eorum obiectum; Nam delectatio, & dolor non sunt sensibilia propria, nec communia, quæ duo solùm sub sensuum externorum notitiam cadunt. Quorsus ergo ais, in sensu tactus, qui sensus externus est, re verà dolorem esse?

4 Adiungis hæc verba: *Alioqui fatuum esset dicere, ijs mentem ægrotare, qui retinentes in aliqua parte causam dolorificam, doloris tamen adhuc non effectricem, non sentiunt dolorem, aut causam doloris effectiuam non dum ipsum efficientem.* Et quæ sequūtur omnia, vt vnicuiq; videre libet, valde confusa. Quid ergo tibi vis? nempè fatuum esse dicere, eos, qui dolorem non sentiunt, habere in sensu causam doloris, cum re uera dolorem habeant. Cur tibi hoc fatuum videtur? nempè quia meum esse putas: quippe sic ego in tractatu de asitia scripsi. At tu fatuus magis es, qui nescis, hoc ex Galeni, ex Cornelij Celsi, ex complurium medicinæ procerum authoritate esse dictum. Hos duos saltem referam; Galenus in commento aphorismi sic ait: *Dolores (hoc est πόνοι) solet nominare* (nēpe Hippocrates) *dispositiones, in quibus dolemus: in quem sensum dicebat, in libro epidemion, quod in Cranone antiqui dolores, frigidi, noui autem calidi; haud quaquam dolores calidos, frigidosue; sed dispositiones, ex quibus fiant, ita nominans.* Hæc Galenus. Fatuum ne existimas. quod ita senserit? Accedat Cornelius Celsus, qui aphorismum transfert in hunc modum: *Quibus causa doloris, neq; sensus eius est, his mens labat.* Alios per otium, quod tibi magis, quàm mihi suppetit, quærito, cum ijs litigato. Ego, fatuum esse, censeo, cum fatuo de hac re amplius litigare.

Cornel. Cels. lib.2.c.7.

5 Ad susceptum iter reuertor. Dolorem esse symptoma, nemo dubitat: quodnam verò sit symptoma, ambiguum est: hęc tamen ambiguitas meritò parui momenti à viris doctissimis reputatur: siue enim deprauata sit actio, siue quartum symptomatum genus statuatur, in quo collocandus sit, parum interest, & valde problematicum est. Ex vna parte, qui quartum symptoma statuunt, Galeni loca sibi fauentia proferunt. In primis, aliquando sensuum noxas enarrans, ablationem, dimminutionem, deprauationem, quarto loco adiungit egregium, præter cœteros sensus, tactui symptoma accidere, nempè dolorem; Sed magis expressè in arte medicinali, vbi notas tradit sensibilium operationum, quibus corpora ęgrotantia cognoscuntur, & separatim, à corrupta, & ablata, & valde imbecilli operatione, dolorem recenset; Item

G. de diff. sym pt. c.3.
G. ar. med. c.8

in

in eodem libro internos affectus ex quadruplici signorum genere explorans ait, *Ex operationum læsionibus, aut ex his, quæ excernuntur, aut doloribus, aut tumoribus præter naturam.* Ecce ibi læsiones operationum, & dolores seorsim, vt potè duas res inter se distantes nominat. Addunt ex eodem Galeno, functionis deprauationem esse ipsius in alteram speciem mutatio, v. g. quando visus in obiecto iudicando decipitur, aut appetentia res appetit non appetendas, seu non comestibiles, sicut accidit in morbo, qui dicitur pica, quo præsertim grauidæ mulieres vexantur. Tandem si doloris priuatio, vt in paralysi, symptoma est ablatæ actionis, quomodo potest dolor esse actio deprauata? Si sic esset, quando aliquis ex vehemente causa non doleret, si postea sanatus doleat, diceretur non sanitatem, sed deprauatæ actionis symptoma acquisiuisse. Gal. art. med. c. 75.

6 Ex altera parte, qui dicunt, esse sensationem deprauatam, suas adhibent rationes: nam sensationes, vt debitè fiant, debent omnis perturbationis, & ingentis molestiæ immunes esse: at in dolore sentiens facultas perturbatur, & impensè molestatur. Deinde ex Galeni doctrina elicitur, motus illegitimos (sic ille eos vocat, quos vitiosos appellare licet) fieri à causa præternaturam, quæ facultatem irritat, vt sternutatio, tussis, oscitatio, pandiculatio: sed dolor est actio, (omnis actio aut est motus, aut cum motu) & fit à causa præternaturam irritante facultatem: est ergo actio, seu motus illegitimus, & subinde vitiosus, seu deprauatus. Vtraq; pars sustineri potest, neq; ex alterutra absurdum aliquod sequitur.

7 Itaq; dolor ad actionem, non imbecillam, non ablatam, sed vel deprauatam, vel alio modo læsam referri debet. Sed ad cuius facultatis actionem? Sentientis, vt Galenus sensit, appellans dolorem, tristem, molestamuè sensationem. Hoc ita didicit Satyrus, nec vlterius est progressus; Verumtamen philosophaster cum sit, debuerat altiùs philosophari: quòd si sciret, forsitan ei non displicuisset, quod philosophantibus placet; sed eo est ingenio, vt quedam ignorat nescius, alia contemnit imprudens. Sunt igitur, qui dolorem ad appetitum referunt: quippe non obiecti molestantis sensatio, sed quę ad hanc consequitur affectio, dolor est: & sic non dicetur dolor tristis sensatio, sed potiùs tristitia ex sensatione.

8 Hoc triplice ratione demonstratur, quarum prima sumitur ex obiecto, altera ex ipsamet actione, tertia ex sibi contraria. Prima; Obiectum doloris, voluptatisq; est malum, & bonum: sed malum, & bonum spectat ad appetitum; Cum ergo actiones, facultatesq; distinguantur per obiecta, etiam per obiecta cognoscuntur: quare ex obiecto doloris, quod est malum, cognoscimus, doloris facultatem esse appetentem. Altera: Dolor vna duntaxat, & simplex affectio est; sentire, & tristari duæ sunt actiones, ad duas facultates genere distantes pertinentes: quare eligenda est vna istarum actionum, ad quam dolor referatur; Non ad sensationem: quia sic, vbi fit sensatio, fieret dolor, nempe in sensu externo, ergo ad tristitiam, quę in interno fit. Iam autem satis probauimus, dolorem in interno sensu fieri. Tertia: Voluptas non pertinet ad sensum: ergo, ex contrariorum lege, neq; dolor. Hæc contrariorum lex seruatur in animi passionibus: quippe voluptas, & dolor non sunt ipsamet boni, aut mali æstimatio, sed affectio consequens eam, ac proinde concupiscibilis, siue voluntatis passio; Sic ergo in corporeis passionibus res se habet, vt scilicet dolor sit sensationem consequens affectio. Atq; hęc de doloris essentia.

De doloris causa. Examen opinionis Auerrois.

Articulus Secundus.

1 Certamen est inter autores circa doloris causam. Auerroes, solam intemperiem, putat, esse, quæ dolorem efficit. Hęc sententia sua habet fulcimenta. Primum: Dolor non oritur, nisi quando sensibilia propria valde excedunt: sed propria sensibilia tactus sunt qualitates primæ, quę si excedant, intemperiem efficiunt, conciitantq; dolorem. Alterum: Delectatio Auerr. 3 coll. c. 31.

in

in quolibet sensu à sensibili temperato oritur: dolor ergo ex intemperato.

2 At leuia sunt hęc: nam, quod ad primum attinet, pręter quatuor qualitates primas, quinq; sunt, ex Aristotele, tangibilium contrarietates: graue, & leue, durum, & molle, viscosum, & aridum, asperum, & lene, crassum, & tenue. Et quamuis hæ omnes coniugationes non sunt propria tactus sensibilia, at saltem graue, & leue, durum, & molle propria tactus esse, nemo sane mentis negabit: quandoquidem nullo alio sensu, pręterquam tactu, percipiuntur. Similiter in eiusdem Philosophi doctrina, quilibet aliorum sensus, vnius contrarietatis esse videtur, soli tactui conuenit, plures habere contrarietates. Quod siquis dicat, aliis etiam sensibus, pręter tactum, plures inesse contrarietates, respondet Philosophus sic: *Verùm quidnam sit unum obiectum tactui, sicut vnum est auditui sonus, non esse manifestum, videtur*; Quasi dicat, omnes contrarietates audibilium conueniunt in sono, tangibilium non ita: non enim in aliquo vno conueniunt. Igitur, ad rem nostram, si propria tactus sensibilia, dummodo excedant, dolorem inferunt, profectò durum, & molle, graue, & leue eum inferre dicuntur: at si inferunt, non aliter id faciunt, quā continuum soluendo, hoc est, distrahendo, ac diuidendo.

Ar. 2. de ortu & interitu c. 2

Ar. 2. de ani. tex. 107.

3 Sed non ne etiam communia sensibilia, vt asperum, aut acutum, dolorem inferre possunt? Quis sensu capax hoc negabit? Non negat sanè ipsemet Auerrous, sed ait, sensibilia communia non sentiri, nisi interuentu propriorum. Hoc quidem non est vniuersim verum, sed in iis sensibilibus, quę per speciem sentiuntur, e. g. acutum conspicitur per colorem; subinde per speciem: Si enim colore caruisset, non posset obiectum esse visionis: sed tactui non se offert per speciem: quare tactu non percipitur mediante sensibili proprio.

4 Imò verò etiamsi admitteremus, communia semper propriorum interuentu sentiri, adhuc oporteret fateri, communia esse, quę dolorem efficiunt. E. g. rotam conspicimus vehementer sese voluentem: conspicimus quidem per proprium sensibile, nempe per colorem; adest & sensibile commune, videlicet motus: quid est, quod offendit? nimirum motus ille in gyrum.

5 Alterum etiam argumentum facilè corruit; Nam voluptas à solo quidem sensibili temperato oritur, non tamen à sola temperie primarum qualitatum, sed omni alia causa, quæ moderatione sua muleeat sensum, vt sunt molles frictiones, vnctiones, excretiones, siue per aluum, siue per vrinam, & præcipuè seminis excretio, sic etiam titillationes.

An sola continui solutio doloris sit causa.

Articulus Tertius.

1 ALiorum opinio est, solam continui solutionem doloris causam esse. Hi autem, Galenum sibi fautorem habere, videntur: quippe in libro de fracturis, quamuis, tum à continui solutione, tum ab intemperie dolorem fieri, dicat, nihilominus se ipsum declarans addit: *Sed immoderato intemperamento, vbi subita mutatio accidat, aliquam fieri continui solutionem, in opere de simplicium medicamentorum facultate demonstrauimus*. Et hoc quidem ita est: nam in opere de simpl. med. facult. tum calidum, tum frigidum, mordax esse, ait, diuersa tamen ratione: nam calidum exedendo, & secando, frigidum contrahendo, condensandoq; partes, eas à continuis diuidunt. Idem etiam Galenus de inequali intemperie ferè eandem sententiam repetit his verbis: *Immodicus verò calor, ac frigus proximè accedunt, vt continuitatem soluant: plurimus quidem calor, dum segregat, ac incidit substantię continuitatem: summum verò frigus tum stipando, tum introrsus pariter trudendo, quędam exprimit, quędam quaßat*. Imò verò hanc etiam opinionem videtur Galenus ad Hippocratem autorem referre: quippe in libro de fracturis, omnem morbum, Hippocrates, vlcus esse, dixit: at vlcus, ex Galeno, vnitatis solutio est.

G. 3. de fract. com. 34.

G. 4. simp. c. 2

G de inæqual. intemper. c. 6.

H. 3. de fract. citato.

2 Cœterum, quoniam contrarius sibi esset Galenus, qui sepe, & solutioni continuitatis, & intemperiei dolorem tribuit, eum sibi concordem reddunt

ij, qui, solam continui solutionem causam esse, autumant, aiuntq; , Galenũ, dum solam continui solutionem causam doloris statuit, philosophum agere, dum autem intemperiem commemorat medicè loqui: siquidem omnis intemperies, precipuè, quæ dolorem facit (hęc non nisi magna, & confertim ingruens esse debet) sensibus percipitur: solutio continui non omnis sub sẽsum cadit, nam solam eam, quę à secante, aut tundente externo fit, sensu agnoscimus, quę ab intemperie accidit, ratione percipitur.

3 Aliter alij Galenum excusant, quasi mens eius non fuerit velle, vt dolor semper ab vnitatis solutione fieret; sed cum vnitatis solutione. Hanc expositionem amplecti videtur Vallesius: quamuis enim non nisi ab intemperie dolorem fieri censeat, eum non nisi ab intemperie continuum soluente fieri admittit: ita vt continui solutio terminus sit, ad quem magnitudo intemperiei inferentis debet accedere. Vallef. lib. 5. contr.c.5.

4 Verum si necessariò ad producendum dolorem & intemperies, & continui solutio simul adesse debent, quis poterit discernere, num ab hac, an ab illa fiat causa? Quare excusatio, quam bonus Auenzoar excogitauit, nihil iuuat: inquit enim, dolorem esse quidem sensum contrariæ qualitatis, qui, cum perseuerauerit, solutionem continui affert. Sic ille, sed frustra: nam solutio continui dolorem inferens, sepe antecedit intemperiem, vt in vulneribus. Meliùs Rabi Moyses, Galenum, ait, opinionem mutasse, priùs q; censuisse, intemperiem solam esse causam, posteà verò etiam malam qualitatem. Auenzoar. Rabi Moyses.

5 Sunt alij, quibus, Galenum Galeno concordem reddere, inanis videtur labor; quippe in multiloquio, & multorum librorum scriptione potuit vir, alioquin acerrimus aliorum insectator, aliquando à se ipso desciscere: quod aliquibus occasionem præbuit conscribendi libros de locis manifestè apud eum pugnantibus. Mihi certissimum est, multò plura * esse in eius libris loca, in quibus tenet & ab intemperie, & à continui solutione, ab vtraq; simul, vel ab vna quaq; seorsim posse dolorem oriri, quàm sint ea, in quibus aliter sentire videtur. In eadem sunt sententia quamplurimi alij, vt Aetius, Paulus, Alexander Trallianus, Rhasi, Auicenna. Sed omnium præcipuè Hippocrates in libello de locis in homine, ita inquiens: *Dolor fit & propter calidum, & propter frigidum, & propter plus valde, & propter minus: in refrigeratis quidem corporis partibus, ob nimium calorem dolor oritur, in calidis natura, propter frigus, & in siccis quidem natura, dum humectantur, in humidis verò natura, dum resiccantur: quibuscumq; enim immutatur natura, & corrumpitur, dolores fiunt.* * Li. de inæquali intẽp. c.3. li. 2. meth. c.7. li. art. med. c.80. l.2. loc. aff. c.5 & l 4. eiusdem operis c.7. & li 6. c.2. lib. 1. epid. sect. 1. & 10. li. 2 de vict acu. i princ. Aet. tetrab 2. ser. 1. c.100 & tetra. 2 ser 2. c.40. Paul l.3 c.4. Ale Tral. l.1 c.10 Rhas. 25 cõtin. c.6. Aui. fen. 2. l 1. doct. 2. sum 2. c.19. & fen. 1. l 3. tract 2. c.1 Hip. de locis in homine.

6 Hinc facilè colligi potest, mentem magni Senis fuisse, dolores fieri propter calidum, & propter frigidum, dum ad intemperiem acceditur: propter minus, & propter plus valde, dum continuitas soluitur. Plato in Philebo, & in Timæo eandem sequitur viam, à quo eius discipulus non minor magistro Aristoteles non dissentit; quippe aliquando, dolorem fieri, ait, cum tactus à re contraria alteratur. Plato in Phil. & Timæo. In ethicis.

7 Sed deposita magnorum virorum autoritate, si rationem consulamus, ea nos ad huius opinionis confirmationem manu ducet. Dolor animantibus est datus, quasi quoddam incitamentum ad fugienda ea, quę naturam corrumpunt: imò Hippocrates hæc verba scripta reliquit: *Iis, quibus natura alteratur, & corrumpitur, dolores fiunt:* natura autem nostra constat temperamento, & partium continuitate: Igitur in his rebus consistit dolor. Hip de loc. in homine.

8 Si quis verò dicat, naturam consistere etiam in figura, cuius morbi dicũtur esse in compositione, sciat oportet, morbos in intemperie pertinere ad partes similares: morbos in compositione, ad organicas: morbos in continuitatis solutione, ad vtrasq; Sensus autem tactus spectat ad similares immediatè, & per has ad organicas: icicco in morbis, qui fiunt in compositione, dolor in similaribus, ex quibus componuntur organicæ, accidit.

9 Deinde omnis reductio ad naturalem statum, siue temperies euersa, siue continuitas recuperetur, delectationem parturit: quare eodem iure recessus à naturali statu siue fiat per intemperiem, siue per solutionem continui, dolorem gignere est aptus.

10 Præterea, iam diximus, tactus obiectum non esse solas primas qualitates, sed alia etiam sensibilia; Cum ergo (vti etiam iam diximus) à suo violento

lento obiecto dolorem sentiat vnusquisq; sensus, necessario tactus ex omni suo sensibili, si eccedat,& violenter ingruat, dolorem reportabit; Ergo non ex solis primis qualitatibus, ac proinde non ex sola intemperie; At præter intemperiem nihil aliud est, quod dolorem afferat, nisi continui solutio.

11 Autores, qui solam continui solutionis doloris causam esse volunt, sic argumentantur. Alia sensoria dolent à suis obiectis, si violenter offerantur, neq; tunc aliter fit dolor, quàm continui solutione, nam intemperies primarum qualitatum, non nisi ad tactum pertinet: ergo si in alijs sensibus à sola continuitatis solutione dolor accidit, idem accidere debet tactui. Verùm isti suo met argumento conuincuntur. Non ne fatentur, intemperiem primarum qualitatum ad solum tactum pertinere? Ita sanè; Ergo in solo tactu potest intemperies efficere dolorem: & hoc est ei proprium: potest & solutio continui: & hoc est commune tactui cum reliquis. Non dolent ergo reliqua sensoria ab intemperie, nisi quatenus eis inest sensus tactus: dolent tamen à continui solutione, quia continuum esse, tam eis conuenit, quàm tactui; E.g. oculus dolet ex ingente luce, quia ei continuitatem rumpit; dolet ex inflammatione, quia sensu tactus preditus est.

12 Addunt, obiectum dolorificum debere confertim ingruere, intemperiem verò pedetentim insinuari, vt est sententia Galeni. Quid ni? Non ne potest calor, aut frigus confertim gigni? Hoc non negauit Galenus; sed solùm negauit repentinum apoplexię, epilepsiæq; aggressum, aut discussionē posse à nuda intemperie fieri: inquit enim agens de his duobus affectibus, *Proinde horum symptomatum, tam generatio, quàm solutio subitanea est: id, quod per corporum intemperiem fieri haud quaquàm potest.* Quasi dicat, non posse in corpore viuente tantam subitò introduci intemperiem, quanta requiritur ad generandos effectus adeò magnos: minores tamen efficere posse, quod ipse met declarat adiungens, *At modica offendicula, ac veluti torpores tum rationis, tum memoriæ, ob minorem eueniunt refrigerationem, aut frigidum aliquod medicamentum vel corpori ingestum, vel corpori adhibitum.* Quibus verbis non negat, minores has passiones fieri posse ab intemperie; Sic etiam de eorundem affectuum solutione dicendum est: quippe adeò valida impressio, qualis requiritur ad morbos vehementissimos, non potest de repente solui.

G.2.cau.sympt.c.vlt.

13 Tandem dicunt, in febribus ardentibus intemperiem ęqualem in toto corpore vigere, nec tamen febricitantem dolere. Respondendum, imò maximè & dolent, & queruntur, & sola febris hectica, vt pote quæ intemperiem habet factam, & in habitum naturæ nostrę conuersam, indolens est. Reliquę febres inter morbos illos reponimus, quos Hippocrates vlcera appellauit, hoc est, vnitatis solutiones.

De continui solutione.

Articulus Quartus.

1 POlliciti sumus superiùs, agere de ruptura, hoc est, de continui solutione, quoniam commodior huic rei præsens tractatio esse videtur. Particulares igitur rupturę particularia nomina sortiuntur: nam vniuersim dicitur κάταγμα, quę in osse est caries: in omni carnoso genere aut vulnus, gręcè τραῦμα, aut vlcus, græcè ἕλκος, aut ruptio, græcè ῥῆγμα. In neruoso genere conuulsio græcè σπάσμα: in ligamentis græcum vocabulum retinent latini, videlicet ἀπόσπασμα ex Galeno, qui tamen alibi, hoc vocabulo appellari, ait, omnem organicarum partium solutionem: in vasis,& musculis ῥῆγμα, & θλάσμα.

Sup. in expos. huius textus.

G.4.meth.c.1
G de cōst.art. c.6.

2 Fiunt autem istæ continui solutiones incisione, fractione, tensione, contusione: rursus vel eueniunt à causis externis, vel ab internis: externę cuilibet sunt obuiæ. Vbi verò nihil nobis extrinsecùs triste appropinquat, necesse est (vt Galenus ait) aliquam talem causam in corpore quęrere: ruptio namq; ex tensione aduenit, contusio ex re grauante, erosio ex mordente; Quando igitur nihil extrinsecùs sit, quod vel distendat, vel grauet, vel erodat, sed ex se

G.2. meth.c.7

ipso

ipso horum aliquod corpus sentiat, neminem latere potest, distentionem ab aliqua substantia, quæ extrinsecùs corpus distendat, prouenire. Contusio ecchymosin facit; Galenus autem ecchymosin diuidit in ruptionem, & eã, quę ex vasorum ruptione anastomosis appellatur, & aliam, quæ est resudatio, græcè διαπήδησις.

3 Paccius contendit, anastomosin, & diapedesin non esse continui solutiones; Et quoniam Galenus inquit, *Fit autem aliquando, & ex oris vasorum apertione, quam anastomosin vocant, & ex ea, quæ à nonnullis diapedesis dicitur, aliud vtiq; tunc solutæ continuitatis genus*, Paccius Linacrum increpat, quòd malè hęc vltima verba trãstulerit: nam cum in græco sit ἕτερον λύσεως, non, *alterum solutæ continuitatis genus*, legendum fore, ait, sed *alterum à solutione continuitatis genus*; Idq; probat communi gręcę loquutionis vsu. Huius sententiæ comitem habet Comitem Montanum, & Galeni mentem venatur ex Galeno ipso, vbi hæc verba habet: *Quoniam autem & per anastomosin, & per diapesin (vt mox dicemus) profluuia huiusmodi fiunt, non alienum fit (propterea quòd curationem communem habent) etiam hoc loco de his meminisse, tametsi ex alio esse morborum genere videantur.* Fab. Paccius. G.l.1.met.c.4 Com. Mõtan. G.5.meth.12.

4 Nihilominùs, quoniam Galenus non firmiter, quid sentiat, exponit, sed videri, ait, hæc duo ex alio morborum genere, crediderim ea separasse, non quòd non sint continui solutiones, sed quòd ita fiant à causa interna, vt ab externa fieri nequeant. Aliæ solutiones ab interna, & ab externa causa fiunt: iccirco has ab illis separasse.

5 Siquis verò ad Galeni verba (quoniam ambigua sunt) respicere nolit, sed naturam consulat, quod in omni difficultate enodanda tutissimum est, non poterit non fateri, has etiam esse continui solutiones: quippe si sanguis exit præter naturam, & non per canales alicui euacuationi dicatos, profectò necessarium est, vt habeat viam aliquam insolitam: hęc autem apertione debet fieri. Hoc indicant ipsa met vocabula: nam anastomosis est venarum apertio: diapedesis resudatio facta per poros rarefactione dilatatos. Hæ duę viarum commoditates quid aliud sunt, quàm continui solutiones? Quòd si proprijssimè non sunt continui solutiones, erunt tamen continui separationes; quę ad continui solutiones reduci debent. Iccirco Galenus, has affectiones communem curationem, aut, vt legit Paccius, communia remedia habere, dixit. Cum ergo solutiones continui agglutinatione curentur, & hæ similiter agglutinationem expostulent, nullus in medicina committetur error, si has inter solutiones continui numeremus: quod meritò Fernelium, Argenterium, Gorrhęum, & alios fecisse, scio; Et sic difficultas isthæc quodammodò ad quæstionem de nomine reducitur.

De intemperantijs, quæ dolorem faciunt.

Articulus Quintus.

1 CEleritatem, & magnitudinem, existimo, esse conditionem, sinè qua causa non potest dolorem imprimere; idq; accipio à Galeno, qui cũ ex Platone illud dogma attulisset, *Violenta passio, quæ præter naturam est, cum simul multa, & celeriter fit, dolorem affert, quod autem sensim, & paulatim fit, sensum latet*, subdit hæc verba: *Hippocrates verò antiquiorijs, inquit, quibus natura alteratur, & corrumpitur, celeritatem simul, ac magnitudinem mutationis indicat*: Sic Galenus; Cum igitur, vt idem ibidem ait, ex frigidi, & calidi violento contactu accidant tactui violentę alterationes, istas duas qualitates, calorem nempe, & frigus, dolorem inducere, non est ambiguum: iccirco idemmet alibi inter excitantia dolorem, calidum, & frigidum recenset; nullam interim humidi, ac sicci mentionem faciens: quippe ex eiusmet doctrina, humidum, & siccum (si absint calefactio, & refrigeratio) citra violentiam corpus cõtingunt. Gal. 2. symp. caus c.6. G.12.met.c.2 Ga. de sympt. caus. citato.

2 Sed cur à siccitate moderatos dolores fieri, ait Galenus? Videlicet quoniam siccitas potest continuum soluere: quippe exsiccata corpora fatiscunt, & à se se mutuò distrahuntur. Quare siccitas, non vt intemperies, sed vt cõtinuum soluens, dolorem infert, cœterùm moderatum: nempe quia solutio G.2.local.c.2

continui facta à siccitate, nec valdè magna est, nec valdè violenta: quam ergo magnitudinem, & violentiam ad inferendum dolorem, eandem etiam efficaciam habet.

G.2.loc cit. Ar. 2. de ani. tex.103.

3 De humiditate aliter sentire oportet, Galeno teste, *Ad humiditatem nullus sequitur dolor* At quoniam humiditas nunquam est sinè corpore, adeò potest excrescere multitudo, vt aucta dolorem secum afferat, qui magis ad quãtitatem, quàm ad qualitatem referendus est.

Conditiones quinq;, quæ requiruntur, vt fiat dolor.

Articulus Sextus.

1 VIolentiam, & magnitudinem causæ esse conditionem, quę requiritur, vt fiat dolor, iam dixi: huic quatuor alias adiungo. Sit ergo secunda in ordine, vt passio, quę fit, accidat corpori preter naturam: ea enim alteratio, qua corpus ad statum naturalem reducitur, potiùs voluptuosa, quã dolorosa est appellanda. Nec nos seducere potest exemplum, qui vehementer refrigerati accedunt ad ignem, vt calefiant: nam isti violenta calefacientis impressione vltra statum naturalem transcendunt: quare non quia calefiunt, dolent. sed quia plus nimio calefiunt: quippe igneus calor de repente penetrat, & aliquas particulas, licèt insensiles, adurit. Sit tertia conditio, vt alteratio fiat, hoc est (vt in scholis philosophi loqui solent) sit in fieri: facta enim intemperies, nec mutatio, nec alteratio dici potest. Hinc est quod Hippocrates, ait, *Dum alteratur, & corrumpitur natura, dolores fiunt*. Hoc Plato in Timæo recepit: inquit enim, doloris semper generationem esse, essentiam verò nunquam: nec est, cur Platonem in hoc Aristoteles reprehendat. Itaq; hectica febris sinè dolore est: quia calorem habet factum. neq; inter corporis particulas, hæc agit, illa patitur, sed omnes vnam habent absolutam intẽperiem. Quamuis autem in vulneratis aliter accidere videatur propterea quòd dolent etiam post susceptum vulnus, scire oportet, dolorem istum vel ex inflammatione, vel ex mordacis humoris influxu fieri. Quarta conditio est, vt passio accidat membris suapte natura sensibilibus; In hanc sententiam citat Galenus verba Platonis, dicentis, non satis esse ad voluptatis, dolorisq; creationem, vt vel lenis, vel aspera in corpore motio efficiatur, sed necesse esse, vt vtrisq; his agitationibus sensus accedat. Qua doctrina imbutus Galenus, id, quod dolet, ait, debere esse duorum, hoc est, & sensus, & alterationis capax. Quinta conditio, vt nihil sit, quod sensationem impediat: impeditur autem vel ex parte potentię cognoscentis, vt accidit vulneratis in prelio, & ijs, quibus mens ęgrotat, vel ex parte membri, vt si sphacelo, aut paralysi correptum non recipiat sentiendi facultatem. Sed ad alia libet transire, quãdo præcipuę, quæ se offerunt de dolore difficultates, satis remanẽt explanatę.

Pla. in Timæo. Ar. 10. de Nichomachum. G.6. de placi. c.7. G.1. de elem. c.2.

DE IMAGINIBVS, QVAE ANTE oculos versantur.

QVÆSTIO TRIGESIMA.

1 QVæro de imaginibus quæ ante oculos versantur, quomodò scilicet hoc accidat, potiùs tamen quærendum foret de imaginibus, quæ ante oculos versari videntur; Fiunt enim per hallucinationem, nec sunt veræ imagines rerum in aere volitantium, hoc est, vaporum tenuissimorum ex oculo egredientium, quę fuit opinio præceptoris mei Thomę Roderici à Veiga, iam priùs à me in mea syntaxi prædictionum medicarum refutata: vbi etiam Mercurialis sententiam reieci: quippe existimauit, radios, qui ad oculos speciebus visibilibus imbuti redeunt, sicut secum ferunt species illu-

stra-

stratas, ita illustrare eas, quas in albugineo inueniunt.

2 Porrò absq; aliarum opinionum examine existimo, visionem vnam positiuam esse, qua scilicet positiuè obiectum oculis oblatum conspicitur: altera, quę priuatiua dici potest: nempe quapropter impedimentum in oculo existens non conspicitur totum obiectum integrum, sed deficiens in ea quãtitate, & figura, quam habet impedimento, hoc est, quam habet humor existens in oculo. Quare imagines, quæ conspiciuntur, nihil aliud sunt, quàm partes illę rerum externarum, quę non conspiciuntur; Quemadmodum dixerunt aliqui, maculas in orbe lunæ apparentes esse partes lunæ, quæ non videntur. Et quoniam impedimentum istud est humor crassus, qui innatans in albugineo mouetur, imagines istę se se mouentes repræsentantur. Sed cur videntur esse in aere, nempe quia species obiecti visibiles ab extra proueniũt ad albugineum, ab albugineo repræsentantur crystallino: quare ante quàm ad crystallinum accedant, in albugineo impeditæ secantur: & quoniam impediens causa mouetur, species istę etiam in motu sunt. Plura in hanc rem, alibi ex professo pertractata, in præsens non libet repetere.

DE CAVSIS SINGVLTVS.

QVÆSTIO TRIGESIMAPRIMA.

1 PRæter duas causas, quas singultus habet, dum cum conuulsione cõuenit, ab Hippocrate commemoratas, quando ait, *Conuulsio fit vel ex repletione, vel inanitione, ita verò & singultus*, duas alias recenset Galenus in opere localium: vna est *Acribus humoribus, aut serosis, & medicatis stomachum mordentibus*: dixit *serosis, & medicatis*, cœterùm grçca dictio iuxtà correctionem marginalem, habet, ἰχώρων φαρμακωδῶν. Sic legisse, refert, antiquum interpretem, neq; adhuc hoc modo claram esse loqutionem. Vt vt sit, sufficit acres, serososq; humores in ore ventriculi esse causam singultus. Altera causa ab eodem ibidem allata, est, quoniam *Quidam etiam ex rigore oris ventriculi singultiunt*. Porrò ij, qui ex acribus, serosisq; humoribus singultu vexantur, vomitu statim liberantur, vt Galenus est testis; Ad hoc genus reuocantur illi, qui *Deuorato pharmaco ex tribus piperis generibus constante, si vinum superbibant, omnino singultiunt*: ex quorum numero seipsum esse, Galenus fatetur. Ad hoc etiã genus reuocantur, *Qui cibo in mordacem qualitatem corrupto singultiunt*. Ob vtrãq; causam, nempe humorum corruptorum in ore ventris stabulationẽ, & eiusdem partis rigorem, seu frigiditatem frequenter contingit, pueros singultire: quippe his alimentum in ventriculo ob ciborum copiam corrumpitur, & partis illius frigiditatem patiuntur. Cœterùm ex vtraq; causa singultientibus medelam prętò adesse, Galenus nos admonet: nimirum ijs, qui corruptorum humorum mordacitate laborant, vomitus medetur: quippe cum primùm vomitu humores istos reiecerint, statim liberantur: ijs verò, qui ex frigiditate singultiunt, caliditas remedium est. Hactenus quatuor singultus causas ex Galeno collegimus: repletionem, & inanitionem (quas ab Hippocrate accipit) & insuper mordacitatem, ac frigiditatem, quas pueris frequenter accidere, ait: harum verò eam, quę mordacitas est, sibi familiarem agnoscit. H.6.aph.39. G.8.local.c.5

2 Verumtamen has quatuor causas ita recipit, vt inter eas illa, quæ inanitio dicitur, sub dubio sit relinquenda: quippe adiungit: *An verò & ob nimiam euacuationem fiat singultus, veluti etiam conuulsio, dignum consideratione est*; Cur autem consideratione sit dignum, non exponit: libet tamen illi aliqua in memoriam reuocare, quibus contradictionis reus, apud ingenua ingenia constituatur. Vnde nam tibi, ô Galene, hęc noua consideratio? Non ne priùs in eodem capite, ita recepisti duas causas, repletionem, & inanitionem, vt prætet has duas in conuulsione nullas reperias, in singultu alias duas iam superius enarratas? Non ne aphorismum recipis, dum ais, *Hippocrates quidem igitur conuulsionem fieri dixit ex repletione, & euacuatione, & additum est ad aphorismum ferme in omnibus exemplaribus, sic autem & singultus?* At oportuerat subiungere hoc additum tibi displicere. Non ne tu idemmet in commentario in lib. G.4.ac.cõ.69

acu-

acutorum habes hęc verba, λύγγα, & λύγγες, *id est, singultus appellare consueuerunt: sunt autem motiones quædam stomachi conuulsoriæ, quas quidem fieri, aiunt, propter immoderatam vel inanitionem, vel repletionem. Quæ si propter inanitionem fiant, ferè sanationem non recipiunt: si verò ob repletionem fuerint, ab ijs, quæ infarcta secant, absterguntq;, sanantur medicamentis?* Dices ne, te ex aliorum opinione loqui? At eam non reijcis, imò quodammodò confirmas, dum de curatione tamquàm in vtraq; causa expertus, agis. Videris tamen mihi, hanc inanitionem consideratione dignam statuere, quoniam rarior est, quàm repletio: quippe

G.6.aph.13. aliquando ais, in hunc scilicet modum: *Eos verò* (loquitur de singultu) *qui ex inanitione fiunt, qui rariores superueniunt, non sanat sternutatio.* Forsitan igitur,

H.6.aph.39. quia rariores ex inanitione facti singultus sunt, ideo consideratione dignos appellas. Cœterùm Hippocrates nulla adhibita consideratione, hoc est nihil

H.5.aph.3. dubitans, sępe ex inanitione fieri singultum, dixit: non solùm enim hoc absolutè affirmat in aphorismo supra citato, sed in alio etiam inquiens, *Vbi sanguis multus fluxerit, singultus, aut conuulsio superueniens, malum;* In hac sententia (vt hoc obiter dicam) singultum à conuulsione differre censet: siquidem vtrumq; seorsim nominat. In Coacis similiter ex sanguinis fluxu singultum admittit: & hoc quidem rationabiliter: nam venæ copioso sanguinis fluxu exsiccatæ, à partibus, queis alimentum præstabant, subsidium petunt, easq; cogunt conuulsiuo modo contrahi, vnde & in musculis, neruosisq; partibus vera conuulsio, & in ventriculi tunica, conuulsioni similis singultus.

G.6.aph 13. 3 Porrò Galenus, cum repletionem, & inanitionem causas singultus, inanitionem verò rariorem esse, ait, his duabus causis contentus acquiescit: quãdoquipem de mordicatione ne verbum quidem facit, frigiditatem verò ad repletionem reducit inquiens, *Algor autem, & frigiditas omnis, eò quòd omnia neruosa corpora efficiant ad difflandum difficilia, sunt causæ, vt hæc repleantur, atq; ideo in ipsis singultiunt.* Sic Galenus; In eo autem sibi conciliando, laborent alij; neq; hunc laborem damnabo, sed vtilioribus mentem rebus adhibere magis libet.

4 Vtile ergo ad curationem esse, autumo, accipere cautè, & cum animaduersione documentum Galeni laudantis medelam singultus à mordacitate facti, si quis eam per vomitum moliatur: quippe si ab humoribus vel in ventriculo indigenis, vel aliunde aduenis vapores suscitentur, citra alicuius visceris ventriculo circumuicini inflammationem, ab hac quidem causa potest singultus sinè periculo per vomitum sedari. Secus autem si inflammatio vi-

H.7.aph.17.& Gal. ibi. & 5. aph.58. cina causam præstet: nam tunc ab Hippocrate damnatus dicente; *In hepatis inflammatione singultus, malum.* Annotauit ibi Galenus, inflammationi hepatis singultum non semper superuenire, neq; quomodolibet hepate patiente, *Sed quando ad magnitudinem attollitur feruente inflammatione, in quo feruore stomachus ad compassionem trahitur, nonnunquàm communium neruorum ratione.* Est itaq; singultus epigenemon symptoma inflammationis hepatis: quandoquidem epigenomena aucti admodùm mali sunt consectaria. Porrò bilis calida, & multa in iecoris inflammatione genita, confluxit ad intestinorum principium, & inde ad ventriculum refluit, vnde os eius mordetur, & singultit.

G.7.aph.17. 5 Demum est alia causa singultus, quam Galenus ex aliorum opinione refert, nec eam reprobat, nec iure reprobare posset, si vellet: nempe si magnitudo inflammationis vẽtriculum premat, & ex compressione fiat singultus: nam spiritu exitum non habente, excutit partem illam, vt eam, si posset, ab illo malo liberet, sed inaniter tentat: quippe adest causa stabilis, hoc est, in-

G.3.aph.13. flammatio. Potest quidem (vt Galenus ait) vbi singultus à repletione fit, sternutamento tamquàm vecte, humiditas, quæ est singultiendi causa, difflari, & euacuari. Ab hac causa videtur singultus, quèm Aristophanes patiebatur: quippe nec spiritum cohibendo, nec bibendo sedabatur, sed ex præscripto Erisymachi medici excitata sternutatione, singultiendi finem fecit; Forsitan hanc sedandi singultum rationem didicit ab Hippocrate, qui ait, *A singultu habito, sternutatio superueniens liberat.* Quamuis autem dicatur *superueniens*, in quo videtur censeri sternutationẽ, quæ liberat à singultu debere esse non arte excitatam, sed naturæ iussu superuenientem, nihilominus vtrùm aliquid fiat ab arte, an à natura solùm inseruit ad consideranda signa: quippe aliud significat euentus à natura, aliud ab arte. Ad considerationem autem

causa

causarum idem est, si à natura, ac si ab arte fiat: singultus autem sedatur ab sternutatione tamquam à causa facultatem habendi sedandi illum.

6 Concludo igitur, febrem quandam esse, quæ λυγγώδης, hoc est, singultuosa appellatur, valde damnabilem, vt pote quæ, vel ab inflammatione grauiter aucta, vel à malignis vaporibus, ortum ducit. Est autem singultuosa appellata quia continuus singultus eam comitatur. Est & aliud considerandum: videlicet si febricitanti singultus adueniat, eandem sortem ferè subire, quam subit conuulsio: nempe deterrimum esse signum. Cum enim conuulsio ideo febri superueniens sit mala, quia supponit siccitatem, & subinde inanitionem, ita & singultus, quem ab inanitione factum sanari nō posse, dixit Galenus, vt ex superiùs dictis constat.

DE SOMNO.

QVÆSTIO TRIGESIMASECVNDA.

Sit ne somnus actio, an passio.

Articulus Primus.

1 NON facile est, somni naturam indagare: Galenus hoc indecisum relinquit, cum dixit, *Siue somnus naturæ sit opus, siue actio, id, quod inuestigare non facile est*: Quęnam autem inter opus, & actionem differentia existat, alibi ostendit, inquiens, singula opera procedere ab actione: ameriti autem aliquando seu opus, seu actionem dicamus, nihil referre admonet, nihilominùs id ita in ea occasione, in qua erat, accepit, neq; tamquàm sempiternum dogma pronunciauit: ait enim, *Seu opus, seu actionem inter loquendum dicam, in præsentia saltem non refert*: quasi dicat in proposito sermone hæc duo confundi posse, quæ aliàs distincta sunt. Ergo videtur Galenus dubitare, an somnus sit actio, an res per actionem producta. Nescio, cur Thomas Rodericus à Veiga ex his Galeni verbis colligit, eum dubitasse, num somnus sit actio, an passio, cum re vera non dubitet, nisi an sit actio, an opus. Sed quicquid sit de Galeno, prędictus Thomas, somnum actionem naturalem esse, putat, somnum verò pręter naturam passionem, afferitq; Auerrois verba, dicentis, somnum ad animam agentem referendum esse. G. de instrum. odorat c. 5. Gal 1. de nat. facul c 4. G 3 meth. c. 5 Thom. Rod. à Veiga. Auer. 2. collig. c. 21.

2 Cœterùm mihi nec actio, nec res per actionem producta somnus esse videtur, sed passio, quam sententiam ad Aristotelem autorem refero, inquit enim, *Non est somnus impotentia quædam primi sensitiui, sed ex euaporatione circa alimentum passio fit hæc*. Quòd si somnus ab eodem dicitur *Primi sensorij vinculum*, & sic videtur velle, somnum agere, ligando scilicet primum sensorium, aduertere oportet, vinculum istud ex parte nectentis, hoc est, causæ somnum facientis, esse actionem: ex parte nexi, hoc est, primi sensorij, quod per somnum nectitur, esse passionem. Denum cum somnus per priuationem definiatur, priuatio non actionem, sed passionem importat: quippe oculus priuatione visionis patitur cœcitatem. Ari. de somn. & vigil. c. 4.

3 Tria tamen se se offerunt dubia. Sit ergo *Prima dubitatio*. Cum somnus, & vigilia sint duo contraria, contrarias debent habere naturas: cur ergo Aristoteles ait, somnum, & vigiliam esse passiones primi sensorij? Respondeo, contraria esse sub eodem genere: passio ergo vice generis est ad somnum, & vigiliam: quippe somnus est passio, vt pote quo primum sensorium ligatur: vigilia est passio, quippe vigilantes sentiunt: sentire autem est quoddam pati. Tunc sic conueniunt in genere, quia sunt passiones: differunt inter se, quia somno ligatur primum sensorium, vigilia verò defatigatur. *Altera dubitatio*. Si, somnum per priuationem definiri, dixi, cur Aristoteles ait, somnum non esse impotentiam? Respondeo, Philosophum non negasse, somnum esse impotentiam, sed cum dicat, *Non est somnus impotentia quædam aplius sensitiui, sed ex euaporatione circa alimentum passio hæc fit*, insinuasse non omnem impotentiam Ar. ibid. c. 3.

tiam esse somnum (nam animi deliquium, & dementia impotentiæ quędã sunt) sed esse eam, quę fit propter vapores, aut propter aliam causam: de hoc autem infra agemus. Quòd si alibi Aristoteles reprehendit eos, qui somnum per impotentiam definiunt, quia somnus non inest sensui, respondeo, Aristotelem ibi damnare definitiones factas per ea subiecta, quę non sunt susceptiua earum rerum, quæ definiuntur. Cum ergo sensus externi non sint subiecta, quæ primò afficiuntur somno, non rectè dicitur somnus impotentia sensus, rectè tamen dicitur impotentia primi sensorij: hoc enim est, quòd primò per somnum redditur impotens, & à quo externi sensus impotentiam accipiunt. *Tertia dubitatio.* Si somnus est impotentia sensuum, & eorundem priuatio, cur ab Aristotele, & Galeno, dormientes sentire, & arbitrario motu moueri, dicuntur? Nempe quia priuatio non accipitur, quasi omnimoda sit, & auferat omnem influxum facultatis animalis. Quare licèt Aristoteles velit, somnum ad animę partem sensitiuam, pertinere eiusq; priuationem esse, hoc ita accipiendum est, non vt omnium sensuum sit priuatio, sed omnium, hoc est, cuiuslibet indistinctè.

Ar.6.topi.c.3

4 Fracastorius negotium facescit, qui sic ait: *Videtur igitur, quòd somnus sit cessatio animæ interioris ab exercitatione membrorum, in sensu, & motu, non per impotentiam, sed ob id solùm facta, quòd melius, & suauius iudicat cessare, quàm mouere.* Sic ille, qui mihi videtur loqui de applicatione ad somnum, quæ tunc contingit, cum anima iudicat vtile, imò, & necessarium esse, ociari ab actione. Videtur hoc à Galeno accepisse, qui sic ait: *Cerebrum vbi requiescere à multa actione vult, naturalem somnum animali inducit.* Sic Galenus. Cœterùm illud *vult* non debet accipi, vt accipit Argenterius arguens Galenum, quasi dicentem in libertate nostra esse, somnum capere, sed quia appetitu naturali fertur ad somnum, tamquam ad rem sibi necessariam; Et alibi sic: *Nam cum indigeat, simulq; desideret naturalis animalium calor copiosam humiditatem, ideoq; in viscera conueniat, & ventrem, fit somnus.* Ecce calorem, dixit, desiderare, sicut dicere solemus, terrã appetere pluuias.

G.1.cau.sympt.c.vlt.

G.3.cau.puls.c.10.

5 Hæc tamen applicatio non est immediata somni ratio, sed impotentia, quæ ad hanc applicationem consequitur. Hanc autem impotentiam dari in cerebro somni tempore, est manifestum: quippe non potest spiritum animalem organis sensuum tribuere. Si autem hæc impotentia non adesset, posset animal, se ipso quouis tempore à somno excitari. Est etiam impotentia ex parte membrorum: cum enim membra per somnum non recipiant à cerebro spiritus, qui ad actiones sufficiant, redduntur impotentia ad edendas illas, alioquin quomodò cogerentur cessare?

6 Itaq; somnus siue naturalis, siue præter naturam, essentiam suam in passione habet: quòd si aliqua ad inducendum somnum requiritur actio, hoc non facit ad essentiam rei: quippe per actionem inducitur passio, & inductione speciei, quæ est actio, fit sensatio, quę passio est. Sic transmissione vaporum, quæ actio est, fit ligatio sensorij primi, quæ est passio, in qua formaliter consistit somnus, qui, cum fiat priuatione, cũ rursus priuatio sit passio (nunquam enim membrum magis patitur, quàm cum re sibi debita priuatur) manifestum est, somnum esse passionem, & pertinere ad secundam speciem qualitatis, non quòd priuatio sit qualitas, sed quòd qualitas isthæc ex priuatione resultat.

An dici possit, facultatem aliquam per somnum feriari.

Articulus Secundus.

Sup.sect.1.q.4 ar.4.n.3.n.4

1 TVM in superiore articulo, tum in prima huius operis sectione diximus, facultatem animalem per somnum non omnino cessare. Cœterùm quoniam hoc leuiter est tactum, ne videamur sinè demonstratione loqui, libet ex professo agere, precipuè quoniam Satyrus feriarum maximus

praco,

præco facultati motrici, ac sensitrici per somnum ferias indixit, quas si somniauit, iam non sunt feriæ per somnum; si vigilans publicauit, per vigiliam somniauit. Ait itaq; *Interim feriantibus motrice, ac sensitrice facultate, spirituum vtraq; suis in functionibus obeundis larga dispensatrice.* Sic Satyrus, qui tamen sui oblitus infra contrariatur sibi, inquiens: *Quia in somno, qui est vinculum sensus communis, etsi sensus exterior aliquando fungatur suo munere propria sentiens obiecta, vt de noctambulis olim dixit Aristoteles, & nos de cœteris etiam demonstrauimus in opere nostro de vita, quam sententiam confirmat Galenus, cui non sensus expertes penitus sunt dormientes, sed difficulter sentientes: nam vocantes audiunt, & lumine importato exurgunt, & tangentes sentiunt.* At dic tu, Satyre, audire, tangere, exurgere, ambulare, sunt ne facultatis sensitricis, motricisq; actiones, & opera? Quomodò ergo hę duæ facultates per somnum feriantur? Putabant hactenus linguæ latinæ periti, feriari, & agere esse verba opposita, tibi sunt synonima.

p. 112. p. 246.

Ar.5.gen ani. c.1.& de sóno & vigil.c.3.

2 Porrò non solùm prędicta Aristotelis loca, sed multa alia apud ipsos sunt, in quibus hi autores, per somnum facultatem animalem agere, demonstrāt: Imò Galenus in se ipso testimonium perhibet: quippe narrat, sibi contigisse, vt fermè stadium integrum dormiendo, & somnia videndo peregerit, nec priùs fuerit expergefactus, quàm in lapidem impegit. Multus ibi est in ostendendo, dormientes non penitus omnes musculos ociosos habere: neq; hic sunt omnia transcribenda: sufficit, te ab illo temeritatis nota affici: quandoquidem ait, temerariam sententiam esse, quę asserit, animam dormientium quiescere, *Nisi cessationem hanc non perfectam quietem, sed quasi intermissionem quādam vigoris.*

G.2. de motu musc.c.4.

3 Forsitan tu hanc fugam vis accipere, & dicere, tuas ferias non omnino esse ferias sed esse intermissionem vigoris sensationum, & motionum. Oportebat tamen distinctè loqui, nec enim rectè hanc vigoris intermissionem ferias licet appellare. Pręterea dum ad introducendas ferias Aristotelem inuocas, qui somnum comparat habitui, non exeunti in actum, & alibi *Somnus,* inquit, *passio sensitiuæ particulæ est vinculum, & immobilitas quędam,* certè Philosophus his verbis non te finit, confugere ad intermissionem vigoris sensuum, sed cogit fateri, somnum esse cessationem.

A.2.de an t.5. Ar. de somno & vigil.c.1.

4 In angustijs te maximis positum video: nam ex vna parte Aristotelem habes autorem, cuius doctrina imbutus dicis, dormientibus accidere sensus, non modò, quæ somnia vocantur, sed etiam pręter somnia; Ex altera idem Aristoteles te cogit vt tuas ferias possis publicare: siquidem somnum comparat habitui non exeunti in actum. Dum hæc ita opposita diuersis in locis, ais, scio te tibi contrarium esse: nunquid & Aristoteles etiam sibi est contrarius? Hoc debueras speculari, ac proinde tu à contradictione Philosophum liberares: tu quoq; philosophaster remaneres liberatus. Conciliandi Aristotelis sententias, quæ oppositę inter se videntur, modum superiùs tetigi, nunc magis expressè declarabo.

Ar.de gen.an. lib.5.c.1.

5 Scias, oportet, rectè ab Aristotele somnum habitui non exeunti in actū comparari. rectè etiam dici, sensuum vinculum, immobilitatemq; sensuum, inquam, non omnium, sed quorundam indeterminatè; Vnde contingit inter dormiendum, quosdam sensus ligari, alios verò minimè. Huius rei causa est, non quam affert Fracastorius inquiens, hoc euenire, quia neq; sunt eędem species obiectorum, neq; eædem viæ, per quas spiritus ad organa sensus descendunt, neq; idem spiritus: non, inquam, hęc est causa, licet enim vera sit, non tamen facit satis: nam si somnus fit per passionem cerebri, & inde pendet sensuum externorum ligatio, & instrumentorum motus, vnde nam contingit id, quod quærimus? Respondeo, corpus cerebri habere partes quantas, & extensas. nerui verò, qui inseruntur in organa particularia, procedunt ex diuersis partibus secundum rectitudinem: fieri autem potest, vt causa, quę impedit descensum spiritus, aut virtutis, intercipiatur magis in vnam partem, quàm in aliam, & in aliquam nullo modo, licet rarò. Ita potest operatio vnius sensus externi fieri, & non alterius, aut simpliciter, aut minùs perfectè; Vnde Galenus optimè dixit, plus, vel minus agere sensus in somno pro quantitate influentis virtutis.

Fraca. in dial. de intellectione.

Galen.

6 Itaq; quando Galenus ait, sensus non posse in somno adeò agere, vt benè sentiant, nihil aliud vult, quàm sensus non necessariò, & omnino omnes

G.de instrum. odor.c.5.

G. 1. de cauf. symp.c vlt.
G. 2. de motu musc.c.6.
Ar. 5. de gen. ani.c.1.
Ga. 3. de cauf. pulf.c.9.

ligari, sed aliquos, alios verò si sentiunt, obtusè sentiunt, quod alibi apertiùs declarat inquiens, *Liquet autem non secus, & quòd in somno aut ferientur sensus, aut exiliter, & obscurè agant*: hoc est, aliqui ferientur, aliqui exiliter, & obscurè agant; Et alibi, *Quid igitur mirum est, in somnis etiam obscurè agente anima obscuras etiam imaginationes fieri: ideoq; nec stabiles?* Hoc significat Aristoteles appellans, somnum *Viuendi, & non viuendi interluminium: Et neq; omnino sit, qui dormit, neq; non sit*. Quibus verbis insinuat, hanc, quam dormientibus accidere, diximus, sentiendi exilitatem, quod tu non intellexisti. Magis etiam tibi fauere posset Galenus, qui, dormientibus, ait, in sola alimenti confectione cum viuentibus conuenire. Cœterùm tibi hęc Galeni sententia displicet: quoniam ex ea potest elici, tuos dormientes non habere ferias altricis animæ, quas tu bacchans publicasti. Concludo tandem, tam feriari altricem animam in viuente, quàm sensitiuam in dormiente. p. 112.

Quomodò somnus vinculum dicatur.

Articulus Tertius.

Arif. de somn. & vig. c. 1.

1 Siue impotentiam, siue comprehensionem, siue priuationem, seu nexum, aut vinculum, somnum appellemus, nihil refert: cuius nam potentię sit, cognoscere, hoc opus, hic labor est. Præfari tamen libet, non esse hoc loco agitandam celebrem controuersiam inter Aristotelem, & Galenum de membrorum principatu, sed pro hypothesi statuendum, veram esse Galeni sententiam, quam recentiores philosophi, relicto Aristotele, veritatis stimulis agitati amplectuntur; Videlicet facultatis vitalis originem esse in corde, naturalis in iecore, animalis in cerebro; Animalem vocant medici eam, quę in sensitiuam, & arbitrario motu motiuam diuiditur. Quare recipimus quidem ab Aristotele, somnum ad partem sensitiuam pertinere, hanc tamen cum Galeno in cerebro, non cum Aristotele, collocamus. Cœterùm dum sensitiuam dicimus, eam intelligimus, quam animalem appellant medici: quippe in somno tam motus, quàm sensus suo modo cessant, suo, inquam, modo, quoniam ferias illas, à Satyro inductas, iam superius improbaui. Quod si mihi aliquis pro Satyro dicat, somnum esse perfectum, in quo feriæ illæ datur, imperfectum autem aliquantulum sensationis habens, respondebo, eum, qui ita censerit, nullibi perfectum somnum reperturum; Nam in primis quod attinet ad motum, saltem motus tonicus actio est, nemo tamen est, vel etiam profundè dormiens, qui in motu tonico constitutus non sit, habeatq; vel crura, vel brachia paululum reducta, vel collum parum inflexum, vel manus aut clausas, aut apertas, clausas etiam oculorum palpebras. Hæc autem omnia musculorum sunt opera, non ocium. Quod attinet ad sensus externos, profectò qui dormiens pungentem acum non sentiret, somno pręter naturam comprehensum iudicarem. Si internas potentias consideremus, somnia (quæ quodammodò sensamenta ab Aristotele dicuntur) vexant dormientes, rarumq; est somnum absq; insomnio accidere: adeò vt Plutarchus, tamquam rem admirabilem duos commemoret, suo tempore Cleonē Dauliensem, ex antiquioribus verò Trasymeden Hereensem, quorum neutri in somnijs vnquam species fuit obuersata. Quod si mihi somnum aliquis obijciat, in quo solito grauiora, aut plura somnia contingunt, aut ea etiam, quæ conspicua ab Hippocrate dicuntur, in quibus patiens adhuc post somnum detinetur, profectò hæc ad præternaturales somnos relegabo, quędam etiam ex his mentis perturbatæ, & instantis phrenitidis signa esse, dicam. Sed non interest, vlterius digressionem facere.

Ari. de somno & vig. c. 3. Plut. de orac. defectu iuxta finem.

Conimb. de somno, & vig. c. 2. Arif. de somn. & vig. c. 3. De somn. & vig. c. 2.

2 Somnum dicunt Conimbricenses vinculum sensuum externorum, aut omnium, aut saltem aliquorum. Cœterùm vinculum istud est secundariū: quippe (vt ipsimet testantur) Aristoteles somnum appellat vinculum primi sensorij. Nec dubitare quispiam potest, prius ligari primum sensorium, vt hinc externis sensibus nexus adueniat, Nã cum principale aliorũ omniũ sensoriorũ, & ad quod tēdūt alia, patitur, aliquid cōpati, necesse est, & reliqua omnia

Hoc

Hoc primum sensorium sensus communis dici solet, cui duo munera tribuit Philosophus, quę externi sensus prestare nequeunt: vnum est reflectere supra sensationes: neq; enim oculus videt, se videre, neq; auris audire, sed superior sensus est, cui hoc posse, est datum; Alterum discernere, & iudicare supra sensationes aliorum sensuum: quippe in lacte gustus agnoscit dulcedinem, albedinem visus, sensus communis vtrumq;. Huius sensus communis ligamen somnum esse, voluit Aristoteles, qui suos habet sectatores, & huic doctrinæ acquiescit Satyrus, ignarus, aliam esse, quam plausibiliorem Ruuius appellat, nempe à recentioribus receptam, commendatam. Ruu.lib.3. de anim.c.3. q.8. n. 40.

3 Dicunt igitur neoterici, prӕter antiquiorum mentem, sensum communem non esse distinctum à reliquis potentijs internis: sed neq; potentias ipsas inter se distingui, nisi ratione duntaxat: quippe secundùm diuersa officia diuersimodè considerantur, diuersimodè etiam appellantur. Quamuis autem Galeno admittamus, posse lædi vnam ex his, alijs illæsis permanentibus, id accidere dicemus, quoniam euertitur temperamentum, quod magis huic, quàm illi officio inseruit. Itaq; hęc potentia rectrix, quam vnam solam esse, volunt, est, quam primum, seu principale sensorium appellant: vt pote quod sentiendi vim sensibus externis communicat; quod officium non habet sensus ille communis Aristotelicus: quippe sola prędicta duo (reflectere supra sensationes externorum, & de ijs iudicare) habet: hoc autem tertium (communicare vim sensitiuam) alterius potentiæ negotium est.

4 Hinc colligitur, somnum ligamentum esse primi sensorij sic accepti, non verò accepti iuxta Aristotelicam doctrinam: quod facili ratione fit manifestū: nam si impedito, ligatouè sensu interno, ligantur externi, sanè ille internus, qui ligatur, debet esse, qui communicat vim sentiendi; At vim sentiendi non communicat sensus communis ab Aristotele prolatus, sed vis sentiens in omnibus cerebri ventriculis residens, potiùs vis animalis, quæ sensuū, motumq; siue per spiritus, siue per irradiationem (de hoc in pręsens non disputo) transmittit: sensus enim communis est, ad quem alij tendunt, non qui ad alios tendit.

5 Adesto nunc, mi Satyre, & tuas proferto nęnias. Hippocratem, ais, mentis nomine sensum communem intellexisse. At vnde nam colliges, sensum istum communem, ab Aristotele inuectum, ab Hippocrate fuisse cognitum? p. 246. Ais pręterea, *Vim morbi organum sensus communis labefactari, quod communiter somno ligari consueuit.* Pulchrè medius fidius, ais, *organum sensus communis*, quasi sensus iste sit potentia organica: at sic alię etiam internæ potentię organicæ tibi erunt; Quis vnquam, præter te, hoc dicere fuit ausus? In morbis, dicis, labefactari sensum communem, quem nomine mentis intelligis; Sed dic mihi, in pestilentia, quæ Thucydidis tempore viguit, ęgrotantes obliuione capti, sensus communis labefactationem patiebantur? Ita sanè, si sensus communis est, qui vi morbi labefactatur. Ille alius phreniticus, qui vasa è fenestra proijciebat, & alter, qui tibicines è cubiculo eijci, iubebat, erant ne omnes labefacto sensu communi? At sic coincides cum opinione, quam ignoras, eorum, qui primum sensorium omnes internas potentias ad vnam redactas esse, censebant.

6 Sed quando sensum communem ligatum in morbis, & in somno esse, ais, comparationem facere videris inter morbum, & somnum: quam stultitiam tibi exprobat Aristoteles. *Manifestum autem est (inquit ille) ex pluribus, quòd non in ipso sensus ociosos esse: & non vti ipsis somnus est, neq; in non posse sentire.* Cœterùm admitto tibi comparationem inter somnum, & morbum: admitto sensum communem esse, qui mentis nomine ab Hippocrate designatur, non alias potentias superiores, non intellectum; Per me igitur liceat tibi sic ineptire, cum hoc tamen, vt concedas, in morbis, & in somno reliquas potentias, præter sensum communem, liberas remanere. Si renuis, cur me accusasti, qui mentis laborantis nomine has potentias intellexi? Si annuis, & potentię rectrices, quę sunt supra sensum communem, in somno, & in morbis liberas esse, admittis, fac, vt dormiens, cui potentias has liberas esse, dicis, liberè quid velit, cogitet: fac, vt delirans potentias has sano modo exerceat. Vides ne, in quę absurda te ipsum deducas?

7 Relicto igitur Satyro ad pensum redeo, & quoniam in primo sensorio

somnum fieri ex dictis colligitur, in primo, inquam, sensorio, iuxtà neotericorum placitũ, hoc est, in sede sensitiuę animę, diluenda sunt aliqua argumẽta, quę Argenterius excogitauit. Primum est. In somno facultas sensitiua nihil patitur, sed somnus, & vigilia fiunt propter pręsentiam, & absentiam calidi influentis: nam tametsi in somno facultas sensitiua ocietur, & in vigilia operetur, hoc non contingit ob aliquam eius affectionẽ, sed quia nunc adest calor, cum quò agere potest, nunc abest. Cœterùm concedendum est Argenterio, somnum non esse affectionem facultatis sensitiuę: est tamen affectio spiritus animalis, vel impediti, vel detenti: cuius rei euidens ratio est, quòd in somno (loquor de somno naturali) facilis est expergefactio, quod non contingit in morbis facultatis sensitricis: & hęc est vna ex rationibus, cur nõ debeat fieri comparatio inter somnum, & morbum. Alterum argumentum. Quamuis concedatur, somnum esse affectionem sensus communis, seu primi sensorij, non inde potest colligere Galenus, somnum fieri in cerebro, neq; Aristoteles in corde: nam aliud est, aliquid ab aliquo oriri, aliud ab eo fieri. V. g. omnia, quæ in sublunari hac régione fiunt, à cœlo oriuntur, nec tamẽ in cœlo fiunt, sed in aqua, in aere, in terra; Vnde Aristoteles in topicis reprehendit eos, qui, somnum, dicunt, esse passionem sensuum. At nos iam superiùs diximus, reprehendi ab Aristotele in topicis eos, qui somnum per impotentiam sensuum, definiunt, non quòd somnus non spectet ad sentiendi facultatem, sed quia somnus non sensuum externorum, sed primi sensorij impotentia dici debet: quippe sensorium istud est, quod primariò afficitur, sensus externi secundariò. Imò hæc Philosophi autoritas facit contra Argenterium: nam si somnus non est impotentia sensuum externorum, sed primi sensorij, ad primum sensorium recurrere oportet, dum quærimus sedem somni. Cœterùm Argenterius in primo sensorio causam somni, licèt præcariò, admittit, sedem verò non nisi in toto: nam totum animal dormire dicitur, non autem cor, aut cerebrum. Dupliciter tamen ei possumus satisfacere: primò quia ab ea parte, vbi origo affectionis est, totum effici dicitur: Sic lætitia è corde prouenit, totum animal lętatur: febris subiectum est cor. & tamen morbus vniuersalis nuncupatur. Itaq; sedes affectionis, cum sit membrum aliquod princeps, potest affectionem denominare totius. Aliter etiã respondere possumus: Verum quidem esse, nõ esse idem procedere ab aliquo, & fieri in aliquo, quia fieri in aliquo non importat vim causæ efficientis. At verò si contingat, aliquid procedere ab alio, & subiectari in eodem (quod nullam implicat contradictionem) benè possumus vnum, & eundem locum, & processui, & existentię tribuere: quod in præsente casu datur: nam somnus & procedit à primo sensorio, & subiectatur in eodem: quippe primum sensorium primò nexum accipit, & ab illo vis sentiens per totum dispersa. Hoc manifestè appaſet in modo, quo obrepit somnus: quippe incipit à capitis quadam grauitate, ob quam palpebræ concidere coguntur. Tertium argumentum est ad hominem: videlicet aduersùs Galenum, qui ex eo, quod ad somnum inducendum remedia capiti apponuntur, probat in capite esse causam somni. Contra hoc sic insurgit Argenterius. Si hęc Galeni ratio admittatur, non solùm in cerebro, sed aliquando, in corde, venis, & ventriculo, debent poni remedia: quando ob calorem cordis in febribus ardentibus vigilia nascitur, refrigerantia, quæ cordi adhibentur, conciliabunt somnum. Preterea cum quis frigidum venenum sumpsit, ad tollendum soporem, stuporemuè, prosunt magis calefacientia cordi apposita, quàm cerebro: quando ob inediam fit somnus, cibus vigiliam parit non verò remedium capiti adhibitum: quando vniuersi corporis venæ sunt refrigeratæ, tunc cessante caloris motu somnus fit, & tunc conferunt remedia totum corpus calefacientia: quando ex labore fit somnus, frustra illum amouere tentamus remedijs capiti adhibitis: Solùm autẽ in soporosis affectibus remedia capiti apponuntur: quia tunc adest, aut ventriculorum cerebri obstructio, vel compresſio, vel frigus condensans. Sic colligit Argenterius, non in omni somno, in omniq; vigilia remedia esse capiti apponenda. Verùm enim verò non est difficile, Galenum ab his cauillis defendere: nam Galenus ad probandum facultatem animalem in cerebro residere, assumit pro fundamento, ab aduersarijs concesso, remedia in soporosis affectibus rectè capiti adhiberi: si enim adhibenda sunt parti laborantì,

qui

Marginal notes: 1. arg. Argẽt. — Solutio. — 2. arg. Argẽt. — Ar. 6. topi. — Solutio. — 3. arg. Argẽt. — Solutio.

qui ea capiti adhibet in soporosis affectibus, iam fatetur, caput esse, quod soporosis affectibus laborat. At vel laborat per idiopathiam, hoc est, per propriam partis affectionem, vel per sympathiam; Si per idiopathiam, tunc capitis duntaxat cura habetur: si per sympathiam, tunc habetur ratio membri primariò laborantis, non tamen sine aliqua capitis prouidentia; Vnde vigilantes ob febres ardentes refrigerantibus curamus, per os assumptis, non tamen omittimus oxirhodina capiti applicita, quippe refrigerantibus mulcetur humorum caliditas, ex qua vapores acres ad cerebrum eleuati pungunt mẽbranas, neq; sinunt somnum illabi; Oxirhodina autem apocrustica repercutiunt vapores à capite, & quicquid calidæ, & siccæ intemperiei in cerebro est factum corrigunt. Qui ex labore fatigati dormiunt, somnum ex dissipatione spirituum ortum eorumdem refectione curamus, sed simul caput præ inopia spirituum imbecille recreamus; & sic in cœteris. Vnde constat verè esse dictum, somnum esse vinculum primi sensorij, quod tamen duplice animaduersione accipiendum esse, ex dictis constat: Vna est, vt non sit vinculũ necessariò omnino ligans: altera, primum sensorium sit ea pars animę, quę animalis à medicis solet appellari.

De causis somni naturalis.

Articulus Quartus.

1 DVM causa somni naturalis inquirimus, iam videmur supponere, somnum aliquem esse naturalem, de quo tamen aliquis dubitaret: siquidem inter res non naturales recensetur. Cœterùm cum res non naturales in tres classes Galenus diuidat, nempe in eas, quę fiunt, quæ assumuntur, quę excernuntur, & hæ omnes eius sint conditionis, vt si eis rectè vtamur, prosint, sin abutamur, noceant, profectò somnus sic consideratus vna ex rebus non naturalibus dici potest; Si verò consideretur secundùm aliquas acceptiones, ex multis, secundùm quas res aliqua potest naturalis appellari, hæ acceptiones, cum somni causæ manifestentur, remanebunt manifestæ. Interim sciendum est, somnium naturalem appellare non esse doctrinam à Galeni doctrina abhorrentem: siquidem ille somni naturalis non semel mentionem facit. G.l.1.de caus. sympt.c.8.l.3. de cau pul.c 9

2 Sit igitur prima causa, (plures possunt esse) quam affert Aristoteles, nẽpe euaporatio circa alimentum: iccirco maximè somnum fieri, ait, à cibo: *Nam repente tunc multa humiditas, & corpulenta sursumfertur*; Et alibi sic: *Cum enim sanguinis alentis effluentia refrigeratur à cerebro, aut etiam ob alias causas similes caput grauatur, & quidem sopiti ea corporis parte solent tentari*; Et alibi: *Ad somnum creandum calidum adesse humorem, opus est: hic enim concoqui expeditè potest.* Dixi, hanc esse vnam causam ex pluribus, quoniam, præter has, dari alias existimo; Vnde Argenterius non reijcit hanc, vt falsam, sed, vt insufficientem, & non omnes omnino in se ipsa causas comprehendentem: quoniam exercitio defatigati in somnum dilabuntur. Respondet Septalius pro Aristotele, somnũ ab exercitio etiam fieri ob vapores eleuatos, quod Aristoteles met cognouit: siquidem inquit: *Amplius autem ex laboribus quibusdam: nam labor quidem colliquat, colliquamentum verò fit, quemadmodùm nutrimentum inconcoctum.* Quoniam autem Argenterius Aristotelem sugillare vult, ostendens multis argumentis, non quemcumq; laborem, & in quocumq; corpore colliquamentum facere posse, intelligens nomine colliquamenti pessimam illam affectionem, quę in ardentissimis, & perniciosis febribus solet accidere, doctissimè Septalius hoc redarguit, & ex ipsius met Aristotelis verbis demonstrat; eum colliquamenti nomine intelligere indigestum, & crudum alimentum, si calidum fuerit: frigidum namq; condensatum colliquationi haud quaquàm aptum, & commodùm esse, censuit. Ar. de somn. & vig. c. 4 & lib.2. de part. ani. c. 7. & 3. sect. probl. 25. Sept. in prob. c.4.cit.

3 Iam ergò ex hac priore causa colligere possumus vnum ex modis, quo potest somnus dici naturalis, videlicet quia sequitur ad opera naturæ: quemadmodùm enim senectus, & mors dicuntur naturales, quia, vt Galenus ait, sequun- G.de marcore

sequuntur ad opus naturæ, hoc est, ad actionem caloris naturalis agentis in substantiam nostri corporis, sic somnus factus ab euaporatione, quam facultas concoquens molitur, naturalis dicitur.

Gal. 1. sympt. caus. c. vlt. 4 Cœterùm Galenus, somnum ab exercitio fieri, tradit, quoniam ijs, qui liberaliùs se exercuerunt, vires, cum laborarent, à principio defluxerunt: Vnde videtur velle, somnum defatigatis accidere ob spirituum dissipationem. Auer. l. 2. collig c. 21. Auerrous non dissentit ab hac opinione: inquit enim: *Et somnus non aduenit multum animalibus post laborem, nisi propterea quia animalia, quando mouentur, & laborant, spargitur calor suus naturalis, & deminuitur quantitas sua; & refrigeratur.* Hæc opinio causam statuit diuersam ab eleuatione vaporum, non tamen illam euertit, imò Galenus alibi sæpe non negat, cerebrũ vaporibus plenum somnum inducere, sed vult etiam, (quod multi volunt) ex retractione spirituum ad suos fontes remanere organa sensuum inepta ad eliciendas sensationes; G. 1. de caus. sympt. c. 8. & lib. 3. de caus. pulf. c. 10. Licèt re vera Galenus magis naturalem somnum esse, vult eum, qui fit ex retractione, quàm qui fit ex oppletione: his enim verbis suam mentem declarat: c. 10. de caus. pulf. cit. *somnus incidit, cum natiuus calor, aut ex fatigatione & nimia siccitate ad alimentum se conuertat* (hic somnus est ex retractione caloris) *aut ob immodicam humiditatem foràs nequeat progredi:* (ecce somnus ex oppletione) tunc adiungit, *quorum est salubris primus, & naturalis, alter, quem memorauimus, veluti somnus, qui est in comatibus, & lethargis.*

5 Hæc etiam causa, somnum naturalem esse, arguit: retractio namq; caloris ad concoquendos cibos fit naturæ instinctu, & sic ad hoc opus, quod naturæ necessariò tribuendum est, sequitur somnus, qui, ratione operis naturæ, naturalis appellatur. Libet tamen hic aliquot dubia, quæ se se offerunt, breuiter soluere. 1. dub. Queret aliquis, si sensationes impediuntur ob defectum spirituum, quænam est differentia inter somnum, & syncopen, aut lipothomiam? Huius quęsiti iam superiùs responsionem insinuauimus: hic tamen magis ex professo est adducenda. Per animi deliquia desunt spiritus in suis officinis ob causam præter naturam, & subinde violenter operantem: quare recursus repentinus, violentusq;, & maior, quàm oportet, fit adhibente natura omnes suos conatus. Porrò cessante influxu, concidunt vires, ideoq; remedia cordi, aut cerebro applicamus, vt restauratis ibi spiritibus, influxus membris restituatur. At in somno (vt satis iam dictum est) non omnino deficiunt spiritus in sua origine: quippe antequam penitus exhauriantur, virtus cerebri, & cordis attrahit alios vndequaq;, vt scilicet virtus ista in suo vigore conseruetur, & alios rursus possit regignere, quos ad sensuum organa transmittat. Iraq; cum sufficiens eorum copia est regenerata, & subinde transmissa, non potest non dormiens expergifieri. Fit igitur retractio à facultate naturali, ac proinde naturaliter, & ex consequente suauiter operante. Retrahuntur autem spiritus, quoniam doctrina quadam innata membra principalia attrahunt ex non principalibus id, quo indigent: iccirco quæ principalia sunt, validiore attractrice, quàm alia, possident, quod de corde nobis indigitat Galenus. G. de marcore Sed cur membra non retinent suos spiritus? Retinerent quidem, si possent: sed (vt diximus) attractrix membrorum principalium valida superat retentricem aliorum.

6 Sed si cerebrum trahit spiritus ex omnibus sensorijs, cur sensationes internæ non sunt, tempore somni, validiores, quàm tempore vigilię? quia quando necessitas cogit reuocare spiritus ad suam originem, adeò pauci sunt, vt non adequent quantitatem eorum, qui vigilandi tempore in cerebro continebantur. Cur ergo lactuca, & res frigidæ somnos inducunt? An quia vapores è rebus frigidis eleuati, licèt quatenus vapores, caliditatem possident, aliàs non ascenderent, seruant tamen rerum, è quibus fiunt, naturam frigidam, ob quam facilè concrescunt, sic in aere nubes condensantur? Sed cur ęstatis tempore in parte diei calidiore somnus obrepit? An quia tunc pituita, cuius cerebrum metropolis ab Hippocrate nuncupatur, liquatur, & irrigat ventriculos cerebri, non aliter ac concretus vapor? Nisi meliùs ad antiperistasin velimus recurrere, tunc ob ambientis caliditatem ventriculos cerebri fieri frigidiores, ac subinde ad condensandos vapores magis aptos, sicut è cõtrario ventres hyeme, & vere calidissimos, dixit Hippocrates? Itaq; siue calor, vt diximus, ad concoquendos cibos retrahatur, siue propter sensationes

in

in vigilia spiritus consumantur, vtrumq; naturæ est opus, ad quod consequēs somnus naturalis dici potest.

7 Dici etiam potest naturalis ob finem: quippe ad finem à natura intentū fit somnus, hoc est, ad vtilitatem animalis, quod expressit Galenus: quippe *Toto eo tempore videtur animalis vis quiescere, naturalis autem vehementiùs operari: id autem inde adeò conijciet quis, simul quòd fatigata priùs, postquàm dormitum est, vires recipit, potissimum vbi post mediocrem cibum est dormitum: simul quòd dormientibus nobis, nutrimentum non in uentre modò, sed etiam in tota animalis mole optimè concoquitur. Est etiam alioquin consentaneum, illud quoq; animalis membrum aliquando quiescere, in quo rationalis animæ principium residet: quippe cor breuibus intermissionibus videtur hoc facere, ita vt multo tempore ad requiem non indigeat: cerebrum autem non ita, sed in vigilijs semper exercetur, in somnis quiescit.* Hactenus Galenus, qui, quoniam *Quod caret alterna requie, durabile non est*, natura durationis animalium solicita ei alternam, somni, vigiliæq; vicissitudine, requiem tribuit, cordi quidem breuibus interuallis, cerebro, quoniam aliter fieri non potuit, longioribus. Non silebo hic elegans somni encomium à Paulo allatum, vt plura alia sileam; *Somnus itaq; (ait ille) vt breuiter dicam, facultatum quies est, bona humiditate cerebrum irrigante contingens. Quòd si rectè admittatur multa bona facere potest: nam & cibos concoquit, & humores excoquit, & dolorem mitigat, lassitudinesq; lenit, & distentorum laxitatem efficit: sed & animalium affectionum obliuionem inducere potest, & emotam mentis rationem corrigere.* Sic Paulus. Quis ergo dubitabit, ratione tot vtilitatum, quas somnus naturę affert, eum naturalem appellare?

G. 1. de caus. sympt. c. 80.

Paul l. 1. c. 96

De causis somni præter naturam.

Articulus Quintus.

1 QVI præter naturam est somnus, causas præter naturam habeat, necesse est; Hoc tamen ita intelligi debet, vt causę remotæ omnino præter naturam sint, proximę verò cum naturalibus specie conueniant, magnitudine tamen, duratione, vtilitate, & expergefactionis, seu discussionis difficultate discrepent. Causa remota somni naturalis, vna est alimentum bonum, à calore naturali apprehensum: altera leuis spirituum per vigiliam dissipatio. Causa somni pręter naturam, vna est sanguinis putrescentis à calore ebullitio, quę æquipollet coctioni alimenti: siquidem hęc dicitur coctio in iuuatiuo, illa in nocitiuo: altera est lancinatio spirituum facta ob humoris malignitatem, quę spirituum dissipationi, per vigiliam factę, correspondet. Quare si ad causas proximas proximè accedamus, in vtroq; somno tam naturali, quàm præter naturam datur aut oppletio à vaporibus, & retractio spirituum ob eorum dissipationem. Verùm quoniam diximus, has causas proximas in vno, & in altero somno differre quatuor conditionibus, magnitudine, duratione, vtilitate, & discussionis difficultate, singulę seorsim percurrendæ sunt.

2 Magnitudo vnius causę consistit in multitudine vaporum, alterius verò in magnitudine dissipationis spirituum; Vtraq; in somno naturali moderata est: vnde Galenus inter somni naturalis conditiones, exigit, vt *à moderatis causis procedat*, & vapores quidem, quos ex alimento laudabili laudabilis calor eleuat, moderati sint: ij verò, quos calor febrilis suscitat, immoderati. Argumento huius rei esse possunt effluxus, qui sanitatis tempore à calore naturali fiunt, longè tamen copiosiores in corpore febricitantium. Si quis tamen ex Galeno oppositionem eliciat, quippe, iuxta eius sententiam, vapores febricitantium sunt acres, & subinde magis apti ad inducendam vigiliā mordendo, quàm somnum grauando, sciat oportet, vapores ex crudis humoribus eleuari, caput grauantes: quòd si alij simul acres eleuentur, accidit, vt comatosi, id est, somnolenti nullam habeant in somno quietem, quos meritò Galenus ebrijs comparauit.

G. 2. aph. 3.

G. 1. aph. 14.

G. de comat. c. 4.

3 Spirituum verò dissipatio, quę in homine sano, tempore vigiliæ, fit, ea est, quę breui tempore potest à sola natura per quietem resarciri: longè maior

est illa, quę vi morbi contingit: vnde illi, qui extrema debilitate oppressi iacent, somnolenti fiunt: medicorum vulgus impotentiam vigilandi vocat: at impotentia somnus ab Aristotele dicitur; Isthęc tamen impotentia maiorem causam præsefert, quàm illa, quę vicissitudinarios somnos comitatur: vicissitudinarios appello, quos, facta restauratione spirituum, iterum vigilia excipit, eadem ad inopiam reducta protinus reuertuntur.

4 Altera conditio est duratio: quippe somnus naturalis tandiu durat (si à vaporibus fiat) quandiù durat coctio: cum autem finitur, & euapores euanescunt, fit expergefactio; Iccirco Aristoteles, *Animalia*, inquit, *dormiunt, vt coctio perfecta quieuit*: & alibi tradens causam, cur vicissim insint somnus, & vigilia, ait, *Non simul omnis vacans materiæ coquitur, sed vbi pars aliqua est concocta, leuatum iam animal expergiscitur*. Si verò fiat retractione spirituum, vbi restauratio est facta, somnus desinit; Vnde Galenus, *Sic & somno modum ipsa natura præfinit his, qui optimam corporis constitutionem sunt sortiti, & tunc à somno excitantur, cum corpus ampliore quiete non eget*.

A. de somn.& vig. sect. 10. prob. 33.

Gal. art. med. c. 85.

5 Somnus verò præter naturam, si ab euaporatione fiat, in ijs, qui per paroxysmos infestantur, durare solet toto paroxysmi tempore: tunc enim materia in foco putrescens, fumos è se educi sinit: in principijs verò accessionū, (quæ annotationes vocantur) multo magis: quoniam tunc naturalis calor, & humores in corporis profundum retrahuntur, &, vt Galenus ait, hoc præsertim fit, vbi vel horror, vel rigor, vel partium exteriorum refrigeratio contigerit. Sunt pręterea alię febres, quę *κωματώδεις* à comate, seu delatione in somnum dicuntur: aliæ *καρώδεις* propter adiunctum carum, somnum scilicet profundissimum: & hę, vt plurimùm, internas inflammationes sequuntur, affectumq; habent per idiopathian in cerebro, in quo etiam lethargus fit, ob multitudinem vaporum ex materia frigida ibi putrescente, & abscessum faciente, genitus: cui opponitur phrenisis, in qua vapores ob acredinem vigilias inducunt. Ab vtroq; affectu tiphomania fit, affectus nempe compositus. Sed non est huius loci omnes affectus soporosos percurrere: sufficit durationis causam demonstrasse: quæ breuiter dicta, in somno præter naturā tanta est, quanta etiam est affectus curatio: in somno verò naturali, quantam corpora benè affecta sibi ipsis pręscribunt: quippe natura (vt Galenus dicere consueuit) sibi ipsi est regula. In reliquis verò magna ex parte octo, vel ad summum nouem horarum spatio finitur, ac circumscribitur, quod Galenus statuit.

G. 2 aph. 1.

G. 6. san. tuēd. c. 5.

6 Somnus etiam ex defectu spirituum in eo, qui pręter naturam est, longiori spatio terminatur, quàm somnus naturalis: imò verò multoties durat vsq; ad interitum: Vnde Galenus, agens de affectu comatoso, adiungit hæc verba: *Quin etiam propter infirmitatem virium talis affectus fit, adeò iam emorientium, vt apertas palpebras seruare non valeant*: & quæ sequuntur.

G. 3. epi. sect. 1. com. 7.

7 Tertia conditio est vtilitas; Cœterùm quam vtilitatem somnus afferat naturalis iam diximus. Damna somnus præter naturam affert non exigua: cum enim, vt plurimùm (sicut iam supra dictum est) ob inflammationem internam accidat, eam auget: quippe ad locum inflammatum, hoc est, ad partem internam, calorem conuocat. Tandem ex eo, quod diximus, somnum pręter naturam esse longum, necessariò fateri tenemur esse simul prauū ex summi Dictatoris sententia, dicentis, *Somnus, atq; vigilia, vtraq; si modum excesserint, malum*: non solùm ratione signi, sed etiam ratione causæ: quippe longitudine somni facultas animalibus opprimitur, & consequenter lęditur vitalis laborantibus scilicet instrumentis respiratorijs, quod optimè notauit Christophorus Vega. Nonnullos refert Galenus, qui, nullum somnū posse esse longum, dicebant: quippe si longus sit, iam non somnus est, sed sopor, quod quidem nostram confirmat sententiam: nam diximus, somnum longū esse pręter naturam, somnum autem præter naturam, & soporem idem esse, norunt omnes. Verùm iure optimo Galenus eos reprehendit, nec nos eis simpliciter, & absolutè assentimus: licèt enim somno præter naturam attribuimus durationem; non tamen eam solam, dicimus, esse, sed simul cum alijs conditionibus, de quibus nunc agimus: quod agnouit Brasauolus, qui, somnū longū differre, ait, à comate, seu sopore, seu somno pręter naturā, quia simul cū lōgitudine coma difficilē habet expergefactionē, de qua nō dicemus.

H. 2. aph. 3.

8. Est

8 Est itaq; quarta conditio facilis, aut difficilis expergefactio, in somno scilicet naturali facilis, in eo, qui præter naturam est, difficilis; Vnde Galeno teste, *Non priùs coma nominatur, quàm difficilem habeat expergefactionem.* G. 2. aph. 3.

De somno critico.

Articulus Sextus.

1 QVædam somni species est, quæ nec naturalis dicitur, nec præter naturam: quidam somnum neutrum appellant: quia neq; huius, neq; illius omnino naturam refert, vtrinsq; tamen aliquo modo. Distat à somno naturali, quoniam valde longior, diuturniorq; est, quàm naturalis, & non facilem expergefactionem habet; Differt à somno præter naturam, quia vtilis est. Alij criticum appellant: quia per eum solent febres iudicari. Rectè igitur Hippocrates in prorrhiticis dubitanter dixit, *Sopor an vbiq; malus*; licèt eandem sententiam sinè dubitatione repetit in coacis. Nihilominùs dubitationem affert somnus longus, & profundus, dum, an criticus sit, an præter naturam, ignoramus. Vtilitas autem huius longi somni sic à Galeno enarratur: *Vidimus enim in ægris quibusdam, qui tribus, vel quatuor diebus vigiles permanserant, difficilem excitatu somnum superuenientem, qui prorsus noctu, diuq; perseuerans magnum attulit auxilium. Sæpius quoq; & in infantibus somnum ejusmodi superuenientē non vno die solùm, verùm quoq; & duobus, & ordine tribus magno ipsis fuiße commodo, conspexi.* H. in prorrh. Gal 1 prorrh. sect. 2. com. 29

2 Obijciet tamen aliquis, Galenum dixisse, somnum hunc fuisse longum, & difficilem excitatu: quare ex duabus his conditionibus ad somnum præter naturam esse referendum. Nam si media esset species, profectò cum vtroq; extremo conuenire deberet, si non in alio, saltem cum naturali, quia sicut naturalis facilem habere debet expergefactionem, cum præter naturam autē, quia vterq; est diuturnus. Respondeo: Quod attinet ad diuturnitatem, medio modo se habere, siquidem nec adeò est longus, vt sopor, nec ita breuis, vt somnus: quod verò ad difficultatem expergiscendi spectat, scire expedit, somnum difficilem excitatu dupliciter posse intelligi, vel quia non nisi validis clamoribus æger excitatur, & sic somnus naturalis, & somnus neuter possunt dici difficilis expergefactionis, cum sint profundi, & non nisi adhibita vi excutiantur: vel quia semel expergefactus æger iterum ad somnum redit, adeò vt vix possint adstantes eum vigilem conseruare, quin statim somno immergatur: & hoc secundo modo dicitur somnus præter naturam difficilis expergefactionis.

3 Rectè igitur (vt ad contextus explicationem necessarium aliquid adiungamus) somnus inter signa reponitur: quamuis enim, & vt causa, & vt signū possit esse vel bonus, vel malus, nihilominùs non consideratur somnus in sua propria ratione, hoc est, vt priuatio, quippe sic nullius rei potest esse causa; consideratur iuxtà ea, quæ cum somno concurrunt, & tunc causa per accidēs est. E. g. si ex spirituum retractione augetur coctio, si ex aucta respiratione fatigatur vis animalis, si ex retrocessu spirituum ad partem internam inflammatam, inflammatio fit deterior, si ex multitudine vaporum stupor mentis oritur. Hæc omnia à somno fieri dicuntur: fiunt tamen re vera ab ijs, quæ illum vel antecedunt, vel consequuntur. At signa possunt accipi à somno, ipso per se: e. g. si priuatio sensuum sit profunda, & diuturna, causam arguit tantò deteriorem, quantò hæc signa maiora se offerunt. Rursus si vinculum istud, seu impotentia sit placida, & tranquilla, signum est benè habentis cerebri: si passio hęc, quę somnus propriè est, fit cum turbulentia, prauum est signum: si ad quietem non sequatur leuamen, quod speratur, sed potiùs detrimentum, lethale est, & pleraq; in prædictionibus, & prognosticis ab Hippocrate sapienter considerata.

TEXTVS XXIX.

Labores totius, & partis, & magnitudinis signa, alterius ad maius, alterius ad minus, & ab vtrisq; ad maius, & ab vtrisq; ad minus.

VOX græca πόνος, hoc est, labor, triplex habet significatum: in primis pro exercitio accipitur non semel ab Hippocrate, vt cum ait, *Labores cibos* præcedant. Sed hanc acceptionem in præsente non curamus, remanent duæ aliæ, quarum vna est, quando dolorem laboris nomine significamus: altera, cum quamcumq; molestiam exprimere volumus. Vnde Galenus, ad aphorismum, *Quibus febres longæ, ijs turbercula, vel labores in articulis fiunt*, in commento sic ait, *Sin autem per labores dolores intellexerimus, siue læsionem, vterq; intellectus habet rationem*. Alibi non semel idem repetit, neq; circa has duas laboris significationes potest esse dubitatio. Nos autem in præsente vtrãq; recipimus.

H. 2. aph. 44.

Labores totius, & partis. Dolor, siue fatigatio, si est totius, omnia membra comprehendit: neq; excipimus ossa: quamuis enim non sentiunt, ac proptercà doloris sunt incapacia, tamen ratione tunicæ, qua teguntur (periostion vocatur) dolere dicuntur, fitq; doloris quædam species, quam Galenus ostocopon, id est, ossium dolorem frequenter appellat, eumq; ad lassitudinem phlegmonoden refert. Venæ etiam, licèt non sentiant, saltē tunicæ communis ratione, sensum habere dicuntur. Itaq; nulla est pars corporis, cui non accidat molestia, siue ex propria, siue ex proxima sensatione. Febris etiam, cum morbus vniuersalis sit, labor vniuersalis est.

G. 2. caus. symp. c 4. 3. san. tuē. c. 5. 2. loc. aff. c. 7.

Porrò nisi attendamus ad partis principatum (tunc enim non labor est, qui nocet, sed partis dignitas) manifestum est, vniuersalem dolorem particulari esse grauiorem. Nam cū membrum laborans doctrina quadā innata contrahatur, vt in se colligat sanguinem, & spiritus, quibus possit causæ lędenti obsistere, si dolor, aut labor in vniuerso corpore viget, vniuersum corpus contrahitur, neq; pars vna alteri subsidium afferre potest; Hinc est, quòd ij, qui in summa miseria constituti, in se ipsos contrahūtur, quasi in circularem figuram, quę est valde incapax. Hinc habemus, magnitudinem, & paruitatem, doloris cognosci ex eò, quod dolor sit *totius, & partis*, hoc est, vniuersalis, & particularis.

Alterius ad maius, alterius ad minus: Hoc est, vniuersalis quidem magnitudinem, particularis paruitatem significat.

Et ab vtrisq; ad maius, & ab vtrisq; ad minus. In vtroq; dolore tam vniuersali, quàm particulari cognoscitur magnitudo, & paruitas; Hoc est, cōparato vno vniuersali cum altero vniuersali, & vno particulari cum altero particulari. E. g. febris mitis (dummodò nō sit maligna, quod ex suis signis addiscimus) labores habet totius, est enim morbus vniuersalis; cœterùm si comparetur cum alio morbō vniuersali, v. g. cum febre ardente, minores habet labores; atq; ita ab vtroq; hoc malo vniuersali, facta scilicet inter vtrumq; comparatione, magnitudinem, paruitatemuè laboris dijudicamus. Prętereà qui lassitudines patitur spontaneas, dolores habet totius: at cum lassitudines istæ spontaneæ non sint morbi, sed morbos prænuncient, minores dolores secum habent, quàm habeant morbi ipsi, qui ad eas consequuntur.

Sed ad partium labores accedamus, pro quibus legendus omnino est Galenus in secundo libro de locis affectis, vbi totus est in discernendis differentijs dolorum, qui vnamquamq; partē afficiunt. Si dolor pulsatorius sit, significat partem inflammatione affici, quę simul & sentit, & arterias habet: nam si pars sensu caret, & intra membranas continetur, dolor est, qui grauatiuus appellatur: si sentit, & arterijs caret, pars inflammata tenditur, & dolor est tensiuus. Sic etiam dolor pruriginosus ad extimā superficiem pertinet, non tamen primariò (sic Galenus ait) sed per accidens, eo quòd densior subiectis sibi partibus cutis est. Vlcerosus dolor non solùm ad cutem, sed ad intimas quoq; partes extenditur, ex quo fit, pruriginosus dolor vlcerosum antecedat, ad vlceris verò sanationem sequatur prurigo. Fixus, & punctorius

rius in causa differunt: fixus dolor est, per quem palus videtur infixus, punctorius, per quem pars terebro videtur perforari: vtriusq; proprium subiectum est crassum intestinum: differunt tamen magnitudine causæ: quippe punctorium fortiores faciut causę, fixum debiliores. Multę aliæ sunt doloris differentię, quę diuersis membris conueniunt; Vnde patet, rectè Galenum inter notas, quibus pars affecta cognoscitur, doloris proprietatem recensere. Rectè etiã Hippocrates in pręsente cõtextu, dolores partium significare, ait, maius aut minus detrimentum. Omitto, quòd ex vtrisq; dixit, comparatione scilicet facta inter partem nobilem, & ignobilem.

QVAENAM PARS IN NOSTRO corpore vehementiùs dolet.

QVÆSTIO TRIGESIMATERTIA.

1 ALiqui, capitis dolorem omnium vehementissimum esse, dicunt: si quidem ex fortissima cephalalgia aliquando patiens incidit in apoplexiam. Verùm hoc magis accidit ratione facultatis animalis in cerebro residentis, quàm ob solius doloris grauitatem. Aurium etiam, & oculorum dolores vehementissimi sunt, ad quos insanię, & conuulsiones sequuntur: sed hoc similiter ob vicinitatem cum cerebro fit. Cardialgia, quamuis ex vi nominis cordis dolorem significet, dolorem tamen ventriculi significare solet, ob periculosa symptomata, quæ secum affert: Vnde Galenus, sępe veteres os ventriculi cor appellasse, refert. Dolor itaq; stomachi vehementissimus censetur: quippe hęc pars amplissimum habet neruum ex sexta coniugatione. propter quem exactissimè sentit: *Neq; enim absurdum est*, Galenus ait, *vt quosdam ob sensus exuperantiam dolor infestet, quemadmodùm in ore ventriculi accidit.* Attamen ipsemet Galenus, hunc exactum sensum non omnibus inesse affirmat: adiungit namq;: *Sunt enim nonnulli, in quibus id tam exactè sentit, vt neq; acre acetum, neq; synapi, neq; aliud huiusmodi ferat. Alij verò contra ipsum penè insensibile habent: quippe videntur aliqui vel ructare, vel vomere quædam, vsq; adeò vitiosa qualitate infecta, vt nos ne odorem quidem sustinere possimus, cum tamen ipsi intereà nullam alicuius momenti mordacitatem sentiant.* Quamuis autem Galenus ita dicat, non est tamen negandum, os ventriculi inter reliquas partes esse vnam ex his, quæ exactum habent sensum, sic instituente natura, & neruum amplissimum tribuente, ad sentiendi munus dicatum, quo exquisitè animal cibi indigentiam (quòd maximè necessarium est) sentiat.

2 Est tamen oris ventriculi quantumuis validus, & certè diuturnus dolor, vtpote qui sinè vitę dispendio toleratur, nisi aliquando ob vicinitatem trahat in consensum cor. Cœterùm omnium fortissimus dolor nephriticus censeri debet: ab eo namq; absq; vlla circumstantia absq; vllo vicinitatis cum membro principali periculo, vires resoluuntur, adeò vt sola doloris atrocitate, mors intra spacium paucorum dierum accidat. Est autem causa, cur renes ita fortiter doleant, eorum solida, densaq; substantia, cuius integritas, continuitasuè non sinè maxima violentia potest solui.

Finis Tertiæ Sectionis.

INDEX QVÆSTIONVM QVAE IN HAC TERTIA Sectione continentur.



Opi-

FINIS.

INDEX

INDEX RERVM QVAE IN HOC VOLVMINE CONTINENTVR.

In quo signatas reperiet lector quæstiones quasdam, quæ obiter inter disputandum occurrunt.



† Ani-

FINIS.

Quoniam Auctor morte pręuentus extremam nequiuit in hoc tertio Volumine manum imponere, satis multi subrepserunt errores, quos tibi, Amice Lector, corrigendos relinquimus. Interea Satyri scurrili futilitate ineptientes, ac stulta phrenesi furentes dirumpantur inuidia, & ad coracas abeant.

AD EVNDEM

D. NICOLAVM CINIVM

PATRITIVM FLORENTINVM,
MORVM PROBITATE PRAESTANTEM;
literarum fautorem, ac literatorum Mœcenatem.

Franciscus Castrensis, Stephani fil. post obitum patris.

EIVSDEM AVTORIS

ELEGIA IN DISCESSV EX PATRIA VRBE VLYSSIPPONE.



Ndarum pater Oceane, exundantia latè
Littora, quà tellus vltima sistit aquas:
Tu Tage, quem Lunæ mons prospicit, aurifer olim
Amnis, at Indarum nuncquoq; diues opum:
Arces littoreæ, ratibusq; onerate superbis
Qui fluis ad metas, qui refluisq; sinus:
Aereæ turres, erecta palatia cœlo,
Aurea templa, sacræ relligionis opus:
Fons antique, facit quem regia lympha salubrem:
Hortorum in plures ordo resecte vias:
Et circumpositæ diuerso tramite villæ,
Multa vbi Palladijs frondet oliua comis:
Vrbs ingens, Ithacus primum cui nomen Vlysses,
Posteritasq; mari ponere iura dedit:
Omnia grata oculis, sed alumno ingrata, valete:
Mens hilaris ducit, non trahit, ire libet.
Ossa relicta patrum retinete in pignus amoris,
Ossa mea in patriam commoritura, feram.
In patriam ne feram, patrios qui linquo penates?
At patriam reperit mens, vbicumq; valet.
Me (quamuis miserum) fortem patientia fecit,
Et patria est forti (si sapit) omne solum.

Dum procul à patria, dumosa in rupe sederem,
Externis tentans reddere verba modis,
Tollebam palmas, vocemq; ac sidera solus,
Consolaretur qui mala, nullus erat.
Audiuit, placida sceptrum qui fronte gubernat,
Et rogat, vnde mihi tanta querela venit.
Primò splendorem, maiestatemq; verendam
Pertimui, facilis mox mihi aperta via est.
Sumo animos, & chara mihi mandata facesso;
Numinis ad nutum quis grauis esse velit?
Incipio, & dubiæ refero primordia vitæ,
Historiamq; domus, & monumenta meæ.
Diue, nec Heroem iure, indigetemq; negabo,
Cuius non hominem vox veneranda sonat:
Annales si forte meos audire vacabit,
Cynthia Phœbæos ante fugabit equos.
Ordine deinde sequor, patrias quid linquere sedes
Compulit, & prisci soluere iura laris.
Narro, quis ille fuit, qui me commouit in ira,
Et quam multa prius, non toleranda, tuli.
Vtq; lacessitus vindictam comminus egi,
Quam grauis hostili scripsit in ore manus.
Vt coniuratos tulit alta iniuria fratres
Inÿcere ardentes in mea tecta faces.
Tunc Princeps mœstum solatur, & omine dextro
Macte, ait, esto animo, iam modò noster eris.
Ex illo fluere in melius, quæcumq; mouebam,
Et res in tuto se posuere meæ.
Vera fuit rerum facies, sed somnia rebar:
Talis ego, Princeps dum loqueretur, eram.
Postmodò respicio vitæ ad documenta prioris,
Quàm fugiant celere, & sinè fruge dies.
Quam subitò aura volans, & inutilis vmbra recedit,
Quàm properè in vitæ limine limes adest.
Hæc, & plura animo voluenti vilia sordent,
Surgit, & æternæ magna cupido domus.
Ecce columbinas video mihi crescere pennas,
Anguino prudens exuo more cutem.

Nec nimis elatus, nec iners traducor in æuum;
 Nunc volito alternans, nunc requiesco, vices.
Tempora consumens, consumor & ipse, diei
 Hesternæ exuuias lux hodierna rapit.
Exhaustam affligunt transacta pericula mentem,
 Pœnituisse iuuat, non puduisse pudet.
Te serò (mecum ipse) decus pulcherrime noui:
 Heu quas frustra egi, sustinuiq; moras?
Contemplor, quæ sunt, memini, quæcumq; fuerunt,
 Hinc exempla mihi dant mare, terra, Polus.
Dat mare, nimbiferis quod percutit Æolus Austris,
 Vndaq; rapta, vno nescia stare loco;
Terraq; vere nouo frondes induta comantes,
 Quæ citò veste, citò fit spoliata comis;
Et cœlum, vnde almo Phœbi, Phœbesq; nitore
 Alternant solitas noxq; diesq; vices.
Tunc aio: Assiduis agitatur motibus orbis
 Magnus, sic magni paruus ad instar erit.
At montes imitabor: erit mihi firma voluntas,
 Et fluuios, retro quos via nulla trahit.
Stant montes, quorum alta tenet radiatus horiZon;
 Vltra hos it varijs terra habitata locis.
Cuncta patent, obstat nullum nemus ire volenti,
 Cor imbelle fugit, forte pericla fugat.
Non timeo, armatosuè Getas, Hunnosq; rapaces,
 Non dente armatas, non metuo vngue feras.
Inuidiamq; odiumq; odi, tristesq; tumultus,
 Et detestati iurgia rauca fori.
Me placidæ inuitant auræ, & sinè nubibus aer,
 Verus amicitiæ candor amica fides.
Ascendam ad geminas laudatus Apollinis arces,
 Pulsaboq; tuas, sacra Minerua, fores.
Aggrediar duro ferratos cardine postes,
 Queis vigil inuigilat nocte, dieq; Draco.
Præstat ibi insomnes meditando ducere noctes,
 Fert vbi luxurians aurea poma frutex.
Non libet in tenui suspendere nablia ramo,
 Dum meus in toto splendeat orbe labor.

Æternum Sophiæ dedam me. Rector Olympi
Faxit, ut in studijs me premat atra dies.
Vnum ætate grauis precor hoc, vt me Itala tellus
Amplexu accipiat, sustineatq; suo.
Desinat hinc animus, vel ferrea vincla timoris,
Vel desiderij regna superba pati.
Hic mea posteritas (cui semper honoris ad aras
Mens sit, mente pia sacrificare) manet.
Etruscæ viuens, moriensq; erit incola terræ
Hanc sibi seu ædificet, seu tumuletur, habet.
Non infructiferam fortasse habuisse, iuuabit,
Improba qui mortis spicula fregit, auum.
Fregit Apollinea morbis virtute medendo,
Fregit, cui mortem ludere scripta dabunt.
Tu memor esto nepos, & auito hæc scribe sepulcro,
Quæ legat, & miserans inde viator eat.
Vita erat in pretio, pretium fuit illa quietis,
Hic iaceo: Heu quanti stat semel empta quies!

LAVS DEO.

Videat Adm. R.P.F. Antonius Frācifcus Emporienfis, an inretrofcriptis Libris 3. & 4. Commentariorum in Librum Hippocratis contineatur quod Pietati Chriftianæ, bonifue Moribus aduerfum, & referat. D. die 9. Iunij 1634.

Vincentius Rabatta Vic. Flor.

Diligentia, qua potui maiore, maioreq; attentione, qua valui, Sectione Tertiã, & 4. in Hippocratē de Alimento, Excell. Medici D. Stephani de Caftro, vidi, confideraui, atq; perpendi, vt verbatim confideraffe teftari valeam. In quarum reuifione ea hic iure repetere poffem, quæ in approbatione Sectionis Primæ, & Secundę ex mandato Reuer. & Inq. fubfcripfi, nempè nihil contra Orthodoxã fidem, Pietatem Chriftianam, aut bonos mores continere, fed Authore fe verè demonftraffe eruditiff. Philofophum, Excell. Medicum, & Clariff. Theologum. Addam hic tria, quæ tanti Doctoris profeffioni precipuè Agnomini, & Nomini refpondent. Primum quòd cum precipuè Medicum agat, adhibuit medicamenta cathartica, & anachatartica, vt videatur fe totum purgaffe Satyrica quadam ipfi adiuncta infirmitate, cum femper verè fanus extiterit; Ob id purgamenta cathartica, hoc eft purgantia per inferiora, in Satyrum quemdam coniecta, cum femper in Satyri contineantur metaphora, contra bonos cenfui non peccare mores. Secundum eft, quod cum de Caftro fit, Caftrum vndequaq; munitum, & humanis, & Sacris litteris fupra Hippocraticum montem apparet. Tertium, quod Stephanus cum nomine fit, Stephanus, id eft coronatus, & laureatus humanis, Sacrifq; lauris mihi eft, eritq; omnibus purgatis oculis, has Quatuor Sectiones afpicientibus. In quorum fidem propria manu fubfcripfi in Conuentu Omnium Sanctorum Florentiæ hac die octaua Affumptionis Deiparæ 1634.

Ego F. Antonius Francifcus Caballius ab Emporio Minorum de Obferuantia S. Theologiæ Generalis Lector.

Attenta relatione predicta, facultatem impertimur, quòd Presēs opus typis imprimi poffit, feruatis feruari folitis. D. die 25. Augufti 1634.

Vincentius Rabatta Vic. Flor.

Imprimatur die 26. Augufti 1634.

F. Clem. Egidius Inq. Generalis Florentię.

Sebaftianus Cellefius.

RE.

REGISTRVM.

✱ A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z.

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr.

Omnes sunt duerni præter Oo.



FLORENTIAE,

Ex Typographia Pignonium. 1638.

Superiorum permissu.

COMMENTARII IN LIBRVM HIPPOCRATIS COI DE ALIMENTO

AVTHORE D. STEPHANO RODERICO CASTRENSI Lusitano, Serenissimi Magni AEtruriæ Ducis Medico, & Medicinam in Pisano Gymnasio, supraordinario loco docente.

SECTIO QVARTA.

Modò in lucem edita

A Francisco de Castro eius filio.



FLORENTIÆ

Typis nouis Amatoris Massæ, & Soc. M. DC. XXXIX.

SVPERIORVM PERMISSV.



SERENISSIMO

FERDINANDO II

Magno Etruriæ Duci V.





POLLO, Serenissime Princeps, quem suis sedibus pulsum, cum Musis omnibus in tua Regia domicilium collocasse, vel ipsi Aedium parietes loquuntur, quia Delphini specie naufragos iuuerat, aras habuit delphinis insculptas, ac Delphinij cognomine dicitur esse delectatus. Nimirum delphini sunt, si Aristoteli credimus, sinè felle pisces, quorum est ingenium in homines adeò mite, atq; humanum, vt tempestate iactatos benignè excipiant, incolumesquè ad litus perducant. Scio te, Ferdinande Dux Magnorum Maxime, Apollineo fermè oris habitu iam indè à prima adolescentia, non Etrusco solùm, verùm etiam toti Christiano orbi ita illuxisse, vt quicunq; in tuis virtutibus Solem non videt, Solem ille non videat. Neq; enim seni, quos medius illustras, tui stemmatis Orbes, neq; nostro hoc cælo disiectæ pestilentiæ nubes, neque exacti bellorum turbines, alium te, nisi Solem prædicant. Sed Solis luce potior benignitas, sinè felle excelsus animus, ærumnoso nauigantium salo portus, atq; perfugium, Delphinij quoque cognomentum tibi possunt asciscere. Quod ego dum cogito, diuquè iactatam maleuolentiæ fluctibus Parentis mei nauiculam regiæ istius dexteræ benignitate totius subleuatam esse, recordor, audeo & ego fluctibus rerum aduersarum penè obrutus, tamquam Delphinium ad Apolli-

nem, supplices ad te manus tendere, tuam implorare opem, hasquè paternas lucubrationes, quasi voto, tuæ Celsitudini sacras offerre. Quòd si Solis est non minùs humiles, abiectasquè casas, quam præcelsas, ac editas turres suo lumine peruadere, non dubito, quin deuotissimi tibi viri vterque partus iucundissima tui patrocinij luce sit fruiturus.

Serenissimæ Celsitudinis tuæ

Humillimus Seruus

Franciscus de Castro Stephani filius.

Fran-

Franciſcus de Caſtro Beneuolo Lectori, aut ſaltem Neutro. S.



ENITORIS, heu, quondam mei, dum in laborioſo huius vitæ ergaſtulo ſtadium perageret, tanta fuit apud inſignes viros acclamatio, vt *Ad faſtigium honoris non ambitio popularis, ſed ſpectata inter bonos moderatio, eumdem prouexerit*. Maximam eius gloriæ partem, Sereniſſimis Ætruriæ Principibus, qui meritò, diſciplinarum omnium Encyclopediæ fautores, ac veri Mæcenates habentur, (vt, & ipſe non ſemel litteris, & voce propalauit) perpetuò acceptam retulit. Quicumq; etiam, non diſſimili ſtudio, ſub improbo indefeſſæ mentis labore ſudantes, & algentes, ad optatum gloriæ culmen ſibi ſtruxerunt iter, cum animi æquitate, & conſcientia, Dei timorem nectentes (quippe, niſi hic præueniat, irrita omnia fiunt) dilectiſſimi patris mei nomen, quaſi pro numine habuerunt. Surrexit, vnanimem hunc conſenſum perturbatura, *Quolibet monſtruo monſtruoſior Inuidia (hæc enim, virtutis comes, bonos plerumq; inſectatur)*; Contempſit tamen ille, & deſpectui habuit, tum quia *Præſtat inuidioſum eſſe, quàm miſerabilem*, tum quia, hoc genus hominum, *ante Occaſum Solis, in tenebris ambulans*, bona à prauis non diſcernens, æquè bona, ac mala obliquo dente depaſcit, perpetuò alienis laudibus obſtrepens; Et quare non contemneret? Verùm enimuerò perſonæ ſunt, vel intra proprios lares, *Nullius coloris* participes, à quibus indecôrum eſt laudari; Ingenui, doctiq; Viri ſubire cenſuram, expetibilius: quod tamen admodùm rarò alicui promeruiſſe contigit, ſicuti rarus eſt clariſſimorũ hominum prouentus, & inopia ſumma. Sed, vt quidem exiſtimo, ceſ-

Iuſt. hiſtoric. l. 1. in initio.


Alan. de complanct. naturæ Cicer. 4. ad Herenn.

Heſiodus.

Prouerb.

Prouerb.

Ouid. 3. de Pont. Prouerb. sabunt iam inuidi maledicere: etenim *Pascitur in viuis liuor, post fata quiescit: Cum mortuis, non nisi laruæ luctantur*, & qui mortuorum iniquus æstimator est, cum Deo O. M. pugnam construit, cuius iratam faciem substinere non valens, in propria tandem malitia sepelietur. Caueat sibi vnusquisq;: mortuus est enim huius operis autor, sed eius defensor vitæ Autor existit. Qui sapit, virtutem æstimet, ignarus omnium, in obscura caligine volutatus, ignorantiam, suæ perditionis causam, incusare non desinat. Plura verò apud me seruantur, charissimi Parentis monumenta, ad Cleanthis lucernam elaborata, quæ, non sinè ingenti studiosorum fructu, promulgabo, si vita sit superstes, & tibi hæc priora non displicuisse, cognouero. Tu interim vale, & his fruere.



Stephanus Rodericus de Castro, Medicæ artis laude præstantissimus, inuidentium conatus doctrina franget.

Epigramma

Gasparis de Simeonibus

SOluere qui morbis properas liuentibus artus,
Nec tuus implacido pectore liuor abest,
Parce Lycambeis Rodericum inceßere chartis:
Cuspide te, victor, mox potiore premet;
Ipse suum Mysten iaculis Latonius armat,
Ipsa suum clypeo Pallas Hygia tegit.
Si sapis, ingenium mitis venerare: salutem
Instruit, infensas & parat inde minas,
Quasq; alius iactat mutas inglorius artes,
Eloquio præstans, non siluisse dabit.

V. Cl. Stephano Roderico à Castro

Francisci Rogerij Epigramma.

FAti consilio si dantur nomina, cur Tu,
A Castris nomen, pacis amator, habes?
An quia morborumq; agmen, Pestemq; rebellem,
Vipereamq; stylo confodis Inuidiam?
Præferat Herculeis Te Lusitania factis,
Eoi victrix illa superba maris;
Tres Hydræ cecidere tua, Vir maxime, dextra,
Nil est facundo fortius ingenio.

In Stephani Roderici de Castro Lusitani Medici, Philosophi, & Poetæ Clarissimi Opera.

DVM colis Asclepi sacram sublimius artem,
Currit in amplexus quàm benè Musa tuos!
Si fluit ex animi morbis nam corporis angor,
Credere Cecropiæ nè fugiamus Api,
Illa graues artus, offensaq; pectora curat,
Hæc tristi mentes obsidione leuat.
Iamq; adeò magnus nihil est te maior Apollo,
Ille pater Medicis, Vatibus ille pater;
Ne tamen vlteriùs nobis, Roderice, salutem
Inuide, & ingenij pignora trade tui.
Cum te laudabit tellus extrema bilinguem,
Nec Phœbus cupiat plus meruiße sibi.

Bartholomæi Tortoletti.

STEPHANO DE CASTRO,

Viro claritudinis inclytissimæ,

Qui

Celeberrima Artis medicæ præstantia, penitissima diuinarum, humanarumq; rerum cognitione, singulari Eloquentiæ suauitate, amœnitate Carminum iucundissima, Præstantissimorum gloriam aut æquauit, aut excessit.

Quem

Pisæ bonarum Artium altrices, dum saluberrimis eius in re medica præceptis, & institutis feliciter fruuntur, & uberrime recreantur, summa cum veneratione suspiciunt, summisq; honoribus prosequuntur.

Cuius

Fama, immortalitate dignissima, dum Virtuti locus erit, nequit unquam consenescere.

Qui denique

Cum omnem plane laudem, quæ debetur sapientibus, abunde obtinuerit,

Obtinere numquam poterit,

Vt breui verborum ambitu satis pro dignitate Laudari possit.

Iacobus Philippus Camola

Perenni, ac præclarissima tanti Viri gloria nuper excitatus, Et arcanis beneuolentiæ vinculis adstrictus, Suæ monumentum ingenuitatis, & amoris expressit.

COMMENTARII IN LIBRVM HIPPOCRATIS COI DE ALIMENTO

AVTORE D. STEPHANO RODERICO CASTRENSI Lusitano Serenissimi Magni Etruriæ Ducis Medico, & Medicinam in Pisano Gymnasio Supraordinario loco docente.

SECTIO QVARTA

TEXTVS XXX.

DVlce non dulce: dulce ad potentiam, velut aqua: dulce ad gustum, velut mel. Signa vtrorumq; vlcera, oculi, & gustus: & in his magis, et minus. Dulce ad visum, & in coloribus, & in alijs mixturis. Dulce magis, et minus.

COMMENT.

DIgressus fuit autor ab alimentis ad morbos, à morbis ad eorum symptomata, & signa: reuertitur nunc ad institutum, & agere rursus incipit de alimento. Quamuis autem (vt pluries diximus) alimenti ratio non in qualitate, sed in substantia consistit, tamen operæ pretium ei visum fuit, qualitatem quandam, quæ est è numero secundarum, in medium afferre, nempe dulcedinem: quippe hæc in alitione conditio sinè qua non (vt ita dicam) censeri debet; *Omnia enim*, teste Aristotele, *nutriuntur dulci, vel simpliciter, vel mistim*: cui subscribit Galenus inquiens, *Quicquid nutrit de genere est dulcium*: & alibi, *Omnium, quæ nutriunt, communis dulcedo est*: & paulo post, *Quæ solùm dulcia sunt, omnia nutriunt*. Causa huius rei est, quoniam (vt supra remanet demonstratum) dulcia ab optima coctione fiunt, & moderatum habent calorem: quapropter (ex sententia Isach) celeriter à membris attrahuntur, & parum de substantia excrementitia de illis superest. Hæc tamen velox tractio ex accidente nocet: Vnde Auicennę opinione, *Res dulces ad obstructiones faciendas sunt veloces: quoniam natura eas trahit ante, quàm coquantur*. Accedit, quòd vt plurimùm crassitiem habent coctione acquisitam, atq; ita in angustissimis venis mesaraicis commorantur, & nutrimento viam intercludunt.

Ar. 2. de sensu & sensil. c. 4.

G. 4. simpl. c. 10. c. 15.

Itaq; dulcedo seu manifesta, seu latens, alimento est necessaria: & hoc significant verba Aristotelis superiùs relata, *Dulce vel simpliciter, vel mistim*: nempe simpliciter, quando dulcedo est exquisita, vt in melle, saccharo, & lacte, mistim, quando non omninò est manifesta, sed satis est, quòd res non sit exactè amara, qualis est mera bilis: hæc enim nutrire nequit; Vnde Auicenna, quod purè amarum est, animalia non nutrit. Auic.

Cum ergo autor dicat *Dulce non dulce*, non est accipiendum non dulce,

hoc est,

hoc est, amarum: etenim, vt in coloribus duo sunt extremi, albus, & niger, sic in saporibus dulcis, & amarus; Sed non accipimus negatione vnius extremi alterum extremum: si quis enim dicat non album, non propterea intelligit nigrum, sed colores omnes præter album. Eodem modo non dulce medios sapores comprehendit, qui, cum aliquid extremorum participent, aliquid dulcedinis habent, & aliquam etiam nutriendi vim possident, non sicut amarus, quem omnino natura refugit. Hinc est, quod fructus acidi nutrire aliquantulum possunt, ea verò, quæ acria sunt, si coniunctam habeant humiditatem, & subinde dulcedinem quandam, tametsi obscuram, admistam, esui sunt apta, vt Galenus testatur: Sin minus inepta, ob excellentem caliditatem, qua potius exulcerant membra, quàm in substantiam eorum conuertantur. Porrò *Dulce non dulce alimentum est*. *Dulce* quidem, cuius paucæ partes abeunt in excrementum: *Non dulce*, cuius paucæ partes abeunt in alimentum. Gal.

Prima igitur diuisio fit: dulce aliud est exquisitum, & dicitur simpliciter dulce, aliud est permistum, & dicitur non dulce, hoc est, dulce imperceptibile. Altera diuisio: dulce aliud est in potentia, quod scilicet nondum est dulce, sed aptum est, vt fiat, aliud est iam dulce actu, hoc est, vt appellat autor, *Dulce ad gustum*. Pro dulci in potentia exemplum est aqua; pro dulci in actu, seu ad gustum, mel, & similia.

Non tamen facilè est cognoscere, quomodò aqua sit potestate dulcis: nam quod potestate dulce est, potestate etiam nutriendi vim habet, aquæ verò nullam nutriendi vim inesse, iam superius manet satis demonstratum. Dicitur autem potestate dulcis, quia, cum liquor omnis saporis expers sit, potest aliarum sapore exornari, & sicut tunc impropriè est dulcis, impropriè nutrire dicitur: quasi dicamus potestate est dulcis, & potestate nutrit, quia potens est substantiam dulcem, & Sup. sect. 3. q.17.

substantiam nutritiuam secum accipere, eamq; per membra deducere. Vinum autem non potest dici potestate tale; nam actu habet & saporem, & vim nutriendi.

Dulce ad gustum, vt mel. Exemplum dulcis actu ex melle sumpsit; namq; mellis nomine omnis dulcedinis perfectio significatur: sic apud Ciceronem, *Ex Nestoris lingua melle dulcior fluebat oratio*: & alibi, *Xenophon, cuius sermo est melle dulcior*: & apud Horat. *Poetica mella*. Tandem apud Plautum, *Mel meum blandientis vox est*. Itaq; in sacris literis mel dulcedinis nomine, quasi per antonomasiam designatur; Sic in suo ænigmate Sanson, *De forte exiuit dulcedo*, vt significaret examen apum, & fauum mellis inuentum in ore mortui leonis. Tribuatur ergo melli primus locus inter dulcia, cùm tamen non desint aliqua dulcissima: v. g. lac, de quo Galenus, *Si gustari*, inquit, *posset vbi in ventre, & per venas concoctum est, ipso etiam melle dulcius inueniretur*. Sed crediderim, melle dulcius dictum esse, quasi per hyperbolem: mel enim in promptu habemus, vbi dulcedinem alicuius rei volumus exaggerare. At Psalmographus, iudicia domini ob suauitatem commendans, ait, dulciora super mel, & fauum: quasi non reperiens dulcedinem, cuius nomine dulcedinem illā exponeret, nisi in melle. Quòd si in Canticis videatur mel lacti æquiparari, cum dicitur, *Comedi fauum cum melle meo, bibi vinum cum lacte meo*: & clariùs, cum ait, *Fauus destillans labia tua sponsa, mel, & lac sub lingua tua*: Scire expedit, librum Canticorum totum esse allegoricum, imò totum vnam allegoriam; Quare ibi mel, & lac ponitur, non vt vtrumq; ad dulcedinem referatur, sed mel ad dulcedinem, lac ad vtilitatem: sic exponit Theodoretus, qui ait, per labia sponsæ hoc loco significari ænigmaticè doctores ecclesiæ, qui doctrinam pietatis commodè tradunt tàm perfectioribus, quàm imperfectioribus, id est, vnicuiq; pro sua facul- Cic. de senect. Cic. orat. Hor. epist. 1. Plaut. ...n. Iudic. c. 13. Gal. 4. simpl. c. 17. Ps. 18. Cant. c. 5. Cant. c. 4. Theodoret.

facultate: nempe mel perfectis, lac autem imperfectis, & quasi pueris lacte indigentibus, vt nutriantur in rebus fidei. Sed valde sublimia sunt hæc; libet tamen aliquando pro rei dignitate theologizare.

Saccharum etiam inter dulcissima reponi potest: illud melle inferius in
G.7. simpl. c. de melle. dulcedine esse, sensisse videatur. Cognitum fuisse antiquis, non est dubitandum: quippe eius mentionem fa-
G.8. met. c.4 cit his verbis, *Sacchar, vt vocant, quod ex India, atq; fœlice Arabia conuehitur, in calamis, vt aiunt, concrescit*: sic ille. Verùm non plenam sacchari notitiam habere videtur: quãdoquidem addit, & ipsum mellis est species. In eo sanè laudandus, quod in numero eorum, quæ non sunt valde calida, quæq; propter vim detergendi febribus conueniunt, recenset saccharum.
Quercet. Quare non est recipiendus Quercetanus, qui saccharum, tamquam rem perniciosam damnat. Nec similiter
Manard. Fuchsius. recipiendi sunt Manardus, & Fuchsius, qui, saccharum veteribus ignotũ fuis-
Amat. Lusi. in Dioscor. se, aiunt, cum Amato Lusitano modũ extrahendi ex arundinibus succum non innotuisse antiquis; sed solùm habuisse eum liquorem, qui ex arundinum medulla (neq; enim fistulosæ sunt) destillabat, & hunc ad varia loca in vtribus inclusum deferebant. Cognouit saccharum Dioscorides, & ante illum Varro, vt idem Amatus refert.

Signa vtrorumq; vlcera, oculi, & gustus. Legit Cardanus vlcera oculi, quasi vlcera oculorum: cæterùm quamuis mox addat, *dulce ad visum*, nihilominùs *oculi* in genitiuo casu non conuenit cum græco codice, vbi habetur, σημεῖα ἑκατέρων ὀφθαλμοί, καὶ γεύσιες. Mihi videntur hæc verba interpretationem habere diuersam ab eis, quas hactenus apud alios reperij: cum enim dulce vel propriè, vel metaphoricè dicatur, propria dulcedo est, quæ pertinet ad gustum, impropria latissimè sumitur, & tàm ad omnes sensus, quàm ad animum etiam extenditur; sic è contrario amaritudo. Voluit igitur autor non solùm propriæ, sed impropriæ etiam dulcedinis exempla nobis in his tribus afferre, hoc est, in dulcedine, quæ spectat ad gustum, in ea, quæ spectat ad alios sensus, & in alia, quæ ad animum refertur. Dulcedo ad gustum, vt iam diximus in potentia, ad aquam refertur, in melle ad actum: tunc addit, *Signa vtrorumq;* hoc est, ad potentiam, & ad actum, *Vlcera, oculi, & gustus*.

Vlcera, quæ pertinent ad tactũ: tactus autẽ nomine reliqui sensus cõprehendũtur: quippe hic est, & magis vniuersalis, & magis necessarius, quã alij omnes externi sẽsus. Ergo vlcera possunt obiectum, & potentia, & actu dulce habere: e. g. serum vlceribus potentia est dulce, quippe sinè mordacitate abstergens proficuum est: non tamen est actu dulce, hoc est, non est anodynum, quemadmodùm est, quando simul cum alijs lactis partibus adhibetur: tunc enim totum lac anodynum est, ac proinde cum dolorem mulceat, dulce metaphoricè appellatur.

Oculi. Hoc nomine exemplificatur dulcedo animi: quippe gestit animus, quandò oculi lucem intuentur, & sic obiectum est dulce actu: erat autem dulce in potentia, quandò oculi eo modo, quo tenebras videre dicuntur, eas videbant: satis enim erat, vt animus illius, qui in tenebris est, potẽtiam liberam habeat, qua lucem, cum adsit, videre possit.

Et gustus. De dulci in potentia, & in actu, prout spectat ad gustum, satis superq; in superioribus est traditum, nec est, cur idem nunc repetatur.

Dulce ad visum, & in coloribus. Non solùm visus, vt est fenestra animi, dulcedinem affert, vt diximus, sed vt est corporale sensorium: in coloribus enim dulcedo reperitur tàm potentia, quàm actu. Nam album, quod disgregat visum, & nigrum, quod cõgregat, nullam visui dulcedinem præstat: imò vterq; color, si valde excedat, nocere potest; Signum, milites Cyri per loca

niuosa iter agentes, & ij, quos Dionysius ex carcere obscuro in lucem apertam subitò deduci, iubebat: niger licèt à Galeno opthalmicis vtilis dicatur, hoc intelligi debet, vt notat Mercurialis, qui iam visus propter opthalmiam patitur disgregationem, & sic aggregatio est ad naturalem statum reductio. Cæterùm hi duo extremi colores, non nisi potentia, dulces sunt, hoc est, quatenus ex his medij colores cōponi possunt, qui medij visum recreāt.

Et in alijs misturis: hoc est, in aliorum sensuum obiectis, quæ iuxtà mistionem, quam suscipiunt, actu dulcia efficiuntur. In auditu vocum mistio concentum efficit, ac subinde dulcedinem actu: quare vnaquæq; vox per se dulcis erat in potentia, quatenus ex mistione cum alijs euadere poterat actu dulcis. In odoratu sunt quædam, quæ propter vehementem odorem sensus iste respuit: dici tamen possunt potestate dulcia, quatenus ex mistione cum alijs temperantur, & fiunt sensui iucunda actu. Et sic manet explicata præsens sententia, quæ Delio natatore indigere videatur.

TEXTVS XXXI.

RAritas corporis ad perspirationem, quibus amplius aufertur, saniores sunt. Densitas corporis ad perspirationem, quibus minus aufertur, morbidiores. Qui probè perspirant, debiliores, & saniores sunt, et à morbis facilè reconualescunt. Qui malè perspirant, priùs quàm ægrotent, fortiores sunt: vbi autem ægrotarunt, difficiliùs à morbis reconualescunt. Hæc autem & toti, & parti.

COMMENT.

SOlet Hippocrates, pręcipuè in hoc libro, veræ membrorum alitioni subiūgere alitionē spirituum: ita nunc postquàm egit de dulcedine, quę ad verā nutritionē requiritur, agit de pororum raritate, quæ exigitur ad alitionē spiritualis substantiæ: quippe hæc ab aere fit: aer autem per poros ingreditur. Quamuis autem ad vtramq; nutritionem pori necessarij sint, hoc est, ad veram, vt alimentum possit particulis nostri corporis, in poros diuisis, apponi: ad alteram, vt possit aere intra corpus per poros attractos suscipi: ad vtramq; simul, vt fuligines expellantur, nihilominùs hìc non agit de appositione alimēti porosis partibus: siquidem non poros simpliciter nominat, sed agit de ingressu aeris, & effluxu vaporosæ substantiæ: ad quæ duo non pori simpliciter, sed eorum amplitudo, hoc est, raritas confert; Nam raritatis nomine non quæcumq; inanitas, sed inanitatis excessus (vt Galenus notat) significatur. Gal. 3. meth. c. 12.

Omittam hìc physicas quæstiones, v. g. Vtrum rarefactione acquiratur noua quantitas, & raritas sit qualitas secunda, & an adueniat per motum localem, an per alterationem, & reliqua. Cum autem hìc solùm *raritas corporis* nominetur, de ea duntaxat agam, quæ in corpore nostro consideratur, & spectat ad rem medicam.

Raritas corporis. Propriè quidem rarum accipimus, quod meatus, quos græci πόρους vocant, magnos per totum obtinet: è diuerso densum, quòd eosdem paruos. At per metaphoram, siue abusum, siue quocumq; alio genere appellare libet, de laxo, coactoq; hęc ipsa vocabula dici audias. Hactenus est rarefactionis explicatio tradita à Galeno. G. 2. de sanit. tuend. c. 5.

Si verò aliquis quærat, num pori isti, & meatus, quibus vniuersum corpus perforatum esse oportuit, inanitates quædam sint, respondebo, sic eos

à Ga-

G. simpl. li. c. 13. à Galeno appellari: ita tamen, vt inane dicatur, nō quod omnino est vacuum, (hoc enim in rerum natura dari nequit) sed quod aere est plenum: quippe ille se ipsum explicans ait, *Voco sane vacuum cuius partes spatÿs inanibus interceptę sunt, intelligentibus videlicet nobis, ac semper recordantibus, quo pacto dicatur spatium inane ab ÿs, qui vnicam eße dicunt substantiam, nō quemadmodùm Epicuro, & Asclepiadi est visioni: imò aere plenum est in raris corporibus spatium inane.* Sic Galenus.

Arist. 4. meteor. c. 9. Cum autem Aristoteles dicat, *Premuntur quæcumq; meatus habent vacuos cognati corporis*, non est contrarius Galeno, sed vacuum appellat, more veterum, id, quod aere est plenum: hoc ab eo addiscere possumus, quippe de auditu agens habet hæc verba, *Vacuum autem rectè dicitur audiendi dominus: videtur enim esse vacuum aer.* Ar. de anim. li. 2. tex. 81. Opponet tamen aliquis, si meatus isti aere sunt pleni, non sunt apti ad perspiratum: nam aer inexistens impediet noui aeris ingressum, & egressum fuliginum: & hoc experimento addisci potest; Sit domus ergo vacua, & solo aere plena, fenestram habeat adapertam, per quam ventus ingrediatur, tunc profectò si aliunde non habet aer exitū, sic ventus ingredi nequit, & lucerna, quæ sit in ea domo accensa, non extinguitur, quæ tamen, si aer alium sibi exitum habuerit, protinus ibi extinguetur.

Respondeo, aerem, qui in poris consideratur, non in eis commorari, sed perpetuò tenuis, & aereæ substantiæ influxu, & effluxu poros occupari: quod nobis ostendit sudor, quem diaphoreticum appellant medici, fitquè exolutione partium solidarum, quæ in vapores conuersæ, & in poris detentæ concrescunt in aqueam substantiam. Non est igitur quòd imaginemur substantiam aeream in poris detētam, sed quemadmodùm inspirationis, & expirationis continua est vicissitudo, sic systoles, & diastoles arteriarum, quæ per totum corpus sunt sparsæ, iugis est alternatio.

Quibus amplius aufertur, saniores sunt. Præcipua sanitatis causa est libera transpiratio. *Semper enim* (Galenus ait) *animalium corpora difflantur, idq; duplici modo, effusis ad exteriora vaporosis, atq; fuliginosis superfluitatibus, ac rursus intro attracta refrigerante, ac ventilante natiuum calorem aerea substantia;* sic Galenus. G. 1. diff. feb. c. 3. Quòd si tanti momenti est hæc difflatio, profectò ea impedita, maximum sanitati nocumentum aduenit. Vnde ipsemet inter c. 4. optimæ sanitatis conditiones hanc collocat, inquiens, *Adsint præter hęc bona, libera in omnibus spiratio meatibus, cum obstructionibus, atq; adstrictionibus careant.* Adeòq; liberæ perspirationi in studio sanitatis fidem habuit Galenus, vt etiam in præseruatione à peste meatuum apertionem procurabat: Ibidem. & quamuis Auicenna inter corpora pesti obnoxia recenseat ea, quæ sunt dilatatorum pororum, nihilominùs si virtus constet, quicquid infectum per poros ingreditur, per eosdem rursus egreditur. At difflatio impedita, putredini occasionem præstās, efficit, vt quicquid prauum intus recipiatur, putrefactionis ignem facilè accendat.

Sed cur dicit, *Quibus amplius aufertur*, considerans magis egressum fuliginosi excrementi, quàm ingressū aeris? Nempe quia ex his duobus magis premit expulsio fuliginum, quàm susceptio noui aeris: quippe aer quātumuis paucus sufficere potest ad calorem ventilandum, fuligines autem, si aliquæ intus remaneant, caloris suffocationem, ac subinde naturæ nostrę laborem præstant: iccirco Galenus ad G. 4. loc. aff. c. 4. magnitudinem caloris cognoscēdam considerare iubet expirationem, per quam fuligines expelluntur, potiùs quàm inspirationem, per quam attrahitur aer; Cuius rei doctissimus Thomas à Veiga rationem reddens ait, Multò magis periclitari, ne extinguatur innatus calor à retentis fuliginibus, quā à frigidi aeris inopia: ideo præfocati, quàm primùm possunt, expirant.

pirant. Poteſt tamen aliquis dicere ex communi, & magis recepta opinione, vitam expiratione terminari; ex quo conſtat, non defuiſſe viuenti vltimam fuliginum expulſionem, quæ fit expirando; defuiſſe tamen aeris attractionem, quæ inſpiratione peragitur: & ſic maior neceſſitas ad vitam videtur eſſe in attractione aeris, quàm in fuliginum expulſione. Reſpondeo, expirationem eſſe actionem minùs laborioſam, quàm ſit inſpiratio: propterea non ſufficientibus in vltimo exterminio viribus ad laborioſam functionē, deſinit in minus laborioſa: ſic ſupinum decubitum, in quo æger parùm fatigatur, amant debiles. Adeò autem verum eſt, expirationem eſſe minùs laborioſam, vt eam non actionem eſſe, ſed ſolam muſculorum decidentiam, exiſtiment multi. Verùm hoc in ſpiratione ita accidit, in perſpiratione autem, quoniam hæc arteriarū motu adiuuatur; arteriæ autem, & reſpiratoria inſtrumenta non conueniunt in motu: exemplo ſit phrēneſis, in qua reſpiratio eſt tarda, & magna; pulſus velox, & frequens; ergo diſparem habent rithmum.

Ex his colligo, rectè Hippocratem potiùs effluxuum, qui fiunt in perſpiratione, mentionem feciſſe, quàm attractionis aeris: quare febris ob denſitatem cutis eueniens, præcipuè retento effluxui tribuitur à Galeno, cum ait, *Quæ autem ex denſitate cutis accēditur febris, qualis maximè frigefactis, atq; adſtrictis corporibus ſolet accidere, morboſo effluxu in corpore aceruato contingit.* Habemus igitur, cur ij, *Quibus ampliùs aufertur, ſaniores ſunt:* quoniam ſcilicet à morboſo effluxu valdè expurgati, ſanam vitam agunt. Cæterùm damna ex retentione fuliginum Galenus refert.

G. 1. diff. feb. c. 3.

Gal. de cauſ morb. c. 2. e 3.

Denſitas corporis ad perſpirationem. Opponit raritati ſuum contrarium, nempe denſitatem. Aduertendum hoc loco eſt, denſitatis nomine non intelligi corpus omnino denſum, & meatibus carens, tale enim, ſicut adamas, vt Galenus ait, aut quiduis id genus foret. Iam in ſecunda ſectione dixi, ineptè Satyrum putaſſe, corpus aliquando poſſe omni prorſus effluxu carere: illuc lectorem remitto. Itaq; denſitas conſideranda eſt, vel in anguſtia pororum, vel in eorumdem obſtructione: vtroq; modo ad perſpirationem eſt inepta.

Gal. 1. ſan. tuend. c. 4.

Supra ſect. 2. queſt. 1. cauil. 3 n. 1.

Quibus minùs aufertur, morbidiores. Iam diximus, febres ex denſitate cutis ad paucitatem effluxuum, hoc eſt, ad retentionem eorum, qui effluere debuerant, referri. Addo, non ſolùm ægritudines ita fieri, ſed valetudinariam quandam conſtitutionem, de qua autor hìc loquitur, quando ait, *morbidiores*: nam quid accidat, cum ægrotarint, mox dicet.

Sunt ergo ij, quibus non omnino libera eſt perſpiratio: hoc ſignificat inquiens, *Quibus minùs aufertur*, hoc eſt, qui effluxus quidem habent, ſed minores, quàm oportet, ſunt, inquam, morbidiores, hoc eſt, minùs proſpera fruuntur valetudine, quàm qui rarum corporis habitum habent, *Quibus ampliùs aufertur*. Nec præter rationem eſt, eos, qui diminutè tranſpirant, diminutam habere ſanitatem, quandoquidem, vt diximus, in tranſpirationis perfectione perfectio ſanitatis conſiſtit.

Qui probè perſpirant debiliores, & ſaniores ſunt. Cum virium defectu magis proſperam adeſſe ſanitatem, quàm cum earundem robore, videtur ab omni ratione alienum: nihilominùs defectus virium hìc non ſumitur is, qui operationibus nocet, ſed qui comparatiuè ad alium defectus quidem, ſed non ſimpliciter dici poteſt: iccircò nominibus comparatiuis *debiliores*, & *ſaniores* vtitur autor; Eſt enim tum roboris virium, tum etiam ſanitatis latitudo quędam. Sunt quidem debiliores, qui probè ſpirāt, quia eis *ampliùs aufertur*, hoc eſt, quia copioſiores habent effluxus, à calore naturali ſemper agente factos: ſunt autem hi tum ſubſtantiæ membrorum noſtrorum,

tum

tum substantiæ spirituosæ. Et quod attinet ad substantiam membrorum, huius effluxus fundamentum est necessitatis alimenti, estq; vnum ex damnis ineuitabilibus, de quo Galenus sic: *Altera est* (agit de duobus ineuitabilibus, quorum primum, dixit, esse interitus connatam necessitatem) *altera*, inquam, *est, quæ etiam in animalibus præcipuè cernitur, totius substantiæ fluor, quem insitus calor excitat.* Cum ergo Galenus hinc colligat necessitatem alimenti, insinuat simul, hinc prouenire debilitatem: quippe ex fluore substantiæ sequitur restaurationis necessitas, cui, si non occurratur, corpus absumitur: quando verò effluxus sunt copiosi, vt in his, qui probè spirant, debilitas necessariò adest, nam alimentũ, si multum sit iuxtà proportionem fluoris, calorem opprimet: si citra consistat, vires quidem sustinebit, sed semper debiles, quippe id, quod acquiritur, vltra quàm quòd qualitate est deperdito deterius, quantitate etiam, vbi deperditio est multa, est minus. Quod verò attinet ad spirituosæ substantiæ effluxum, hic certissimus est: siquidem spiritus, quos impetum facientes vocat Hippocrates, sibi exitum per poros aliquantulum dilatatos quærunt: hinc est, quòd æstate, quando corpus est valde perspirabile, defectu spirituum vires deficiunt. Tandem verissima est Galeni sententia dicentis, *Si totum corpus transmutatum in immodicam raritudinem sit, facilè spirituum substantia digeritur, quòd & ipsa tenuium partium sit, & corpus eam continere nequit.*

G. 12. meth. c. 5.

Accedit alia raritatis causa, nempe laxitas: vtpote quæ efficit, vt calor noster non sit admodùm vnitus, virtus autem vnita fortior est seipsa dispersa; Debilitatem autem in laxitate cognouit Galenus, qui ait, *Quæ enim immoderatè laxant, soluunt robur, quare & membri vigorem.* Hinc est, quòd infantes recèns natos fascijs diligenter deligari iubet Galenus, *Priùs toti sale modicè insperso, quo cutis eius densior, solidiorq; ijs, quæ intus sunt, partibus reddatur.* Galeno consentit Auicenna, licèt ei magis placeat aqua salsa, quàm sal, ne scilicet sal mordicãdo dolorem excitet; Sale inspergendos infantes tenet Cardanus, recipit etiam Cœlius Rhodiginus.

G. 1. de art. cur. ad glau. c. 14.

Au. 3. 1. doct. 1. c. 1.

Card. 1. san. tuend. cap. 4.

Cœl. li. 6. c. 2.

Si quis autem ex hoc documento elicere velit, densitatem raritate potiorem esse, & sic destrui præsentis doctrinæ, ab Hippocratis traditæ, veritatem, respondebo, Galenum accipere puerum, *cuius corporis constitutio omni nota vacat*, constitutio, inquam, quę illi ætati debetur: ea autem est rara: nam ex Galeni sententia, *Pueris raritas naturalis est, senibus autem violenta*; est etiam mollis, & humida, quæ præcipua resolutionis virium causa à Galeno censetur. Si simul ista duo raritas, & mollities adsint in puero, qui plurimum habet calidi innati, pluribus effluxibus vexabitur, quos non poterit sustinere: iccirco barbaris non barbara erat consuetudo, quam refert Poeta his verbis,

Gal. de opt. sect. c. 26.

Gal. de rat. vict. acut. 2. sect. 1. com.

—— natosq; gelu duramus, & vndis.

Aduertendum ergo est, raritatem, & mollitiem, quæ duo pueris secundùm naturam sunt, præsente calidi innati, & humidi abundantia, posse quidem remedijs cohiberi, ne fiant nocuæ, omnino verò auferri non posse: quare rectè pueris hæc astringentia adhibentur, quæ grãdioribus periculosa fiunt: vnde eis ex immersione in aquis salsis, aut aluminosis ob densatam cutem, eueniunt febres.

Colligere ergo vela libet, & ex dictis supponere, raras corporis constitutiones debiles esse, ita tamen debiles, vt moderatis functionibus non sint ineptæ: esse simul saniores, quippe, vt iam satis explicatum est, facilis, & libera perspiratio sanitatis totius fundamentum est.

Et à morbis facilè reconualescunt. Dummodò perseueret adhuc in morbo raritas: nam si hæc per morbum euertatur, morbus erit improportionalis, arguens magnam causam, & subinde

inde difficilè sanabitur. Si verò adhuc in ægritudine habitus corporis sit rarus, calor rectè ventilabitur, & euacuatio, quæ per transpirationem fit, iuuabit. Accedit etiam, quòd rarò corporis habitu præditi facilè sudant, quę euacuatio in febribus vtilissima censetur.

Qui malè perspirant, priùs quàm ægrotent, fortiores sunt. Ex contrariorum lege si probè perspirantes sunt debiliores, malè perspirantes fortiores esse debent. Si quis autem quærat, quomodò possint simul esse malè perspirare, & nondum ægrotare, recurrendum esse, dicam, ad latitudinem sanitatis, priùs à me commemoratam. Memor tamen esse debet, quòd si priùs raritatem, & densitatem excessus quosdam, ex Galeni sentētia, esse, dixi, nunc etiam ex eodem dicendum est, in excessu mediocritatem esse; Sic enim, agens de raritate, & dēsitate, ait: *Quòd si in vtroq; excessu mediocritatem seruauerint, quantum vtiq; eorum operationibus fuerit maximè opportunum, tunc vtiq; supremum sanitatis gradū obtinere dicentur.* Ecce in eccessu mediocritas, quæ potest etiam magis, aut minùs à perfecta mediocritate recedere.

Gal. 12. met. c. 12.

Gal. de diff. morb. c. 4.

Vbi autem ęgrotarunt, difficiliùs à morbis reconualescunt. Habent siquidem impedimentum, nempe caloris naturalis (qui ea natura est, quæ morbis medetur) diminutam ventilationem: habent & diminutam excrementorum tertiæ coctionis euacuationem: habent & fuliginosæ materiæ per vniuersum corpus coaceruationem, quæ vniuersalis cacochimiæ est aut causa, aut saltem occasio.

Hæc autem, & toti, & parti. Quælibet pars, quæ non probè perspiratur, ea damna subit, quibus obnoxium est non probè transpiratum corpus vniuersum. Neq; vlla assignabitur ratio, cur raritas, & densitas non parturiat in parte eosdem effectus, quos in toto, solaq; est differentia maioris, aut minoris damni.

TEXTVS XXXII.

PVlmo contrarium corpori alimentum trahit, reliqua vero omnia idem.

COMMENT.

VIdetur hic textus, obscuritate, quam primo intuitu præsefert, interpretes excitasse ad excogitandas subtilissimas expositiones. Fracantianus, omissa pulmonis tractrice, qua proprium sibi alimentum trahit, alia trahendi facultate existimat aerem trahere, aerem autem esse corpori contrarium: siquidem illud alterat, & exsiccat. Alia verò membra trahere simile, quod in aliqua idem est cum attrahente: vel trahere idem specie, quemadmodùm dicimus, exercitum totum eodem cibo, eodem potu vti. Et quoniam posset aliquis ei obijcere, arterias etiam aerem trahere, adiūgit cum dicitur, *Reliqua verò omnia idem*, ita debere intelligi, ac si dicamus reliqua omnia exceptis arterijs. Crediderim, Fracantianum non sibi omnino in hac expositione complacuisse: quippe concludit his verbis, *Sed hæc sententia maximè difficilis, & dubia esse videtur.* Cæterùm mihi non tam sententia dubia, quàm expositio dura esse videtur.

Fracantian.

Cardanus post multas ambages ità colligit huius sententiæ sensum. *Pulmo trahit contrarium naturæ suæ, cum trahit aerem, nec tamen corrumpitur ab illo: quia semper laborat intemperie simili naturali, seu præter naturam. Alia autem membra trahunt sibi simile substantia, & qualitate, & ordine præcedente proximo, aut altero, quod est potestate simile, & quantò similius, tantò libentius ipsum trahunt.* Hæc sunt, quæ faciunt ad explicationem contextus: nam, quod addit de triplice attractione cordis, & arteriarum, præter rem est. Tota igitur interpretationis vis in

Cardanus.

hoc cardine versatur: nempe pulmonem trahere aerem, qui est contrarius naturæ suæ: alia membra trahere simile: quare videtur dicere sic, *Pulmo sibi contrarium attrahit*, non verò *Pulmo contrarium attrahit sibi*;& tunc addi, *Reliqua membra idem*, accipiens *idem*, hoc est, simile. Hæc doctrina tametsi vera sit, dum tamen textum exponit, ei violentiam infert.

Vallesius. Vallesius alia via incedit: supponit enim, aerem, qui frigidus est, spiritui esse contrarium: quare *Pulmo contrarium corpori (corpori scilicet, quòd augetur aere, hoc est, spiritu) alimentum trahit, alia omnia idem, id est, simile sibi. In hanc sententiam dicitur ab autore libelli de carnibus, alimentum calido frigidum est*. Hæc expositio vnum duntaxat habet difficile, cætera leniter fluunt: videlicet quòd ait, aerem esse corpori, id est, spiritui: hoc mihi displicet: tum quia spiritui minùs, quàm alijs partibus, ex quibus constamus, nomen corporis conuenit: tum quia aerem, qui cum spiritibus magnum hebet symbolum, spiritibus contrarium esse, dicit; Num propter frigiditatem? At hanc quamuis aeri concedamus, illam tamen amittit ante, quàm cordi accedat.

Hæc tres expositiones in vno conueniunt, quod scilicet id contrarium, quod pulmo trahit, sit aer. Dissentiunt autem, quia Fracantianus dicit, esse contrarium corpori, quia membra corporis alterat,& exsiccat: Cardanus dicit, esse contrarium ipsi pulmoni: Vallesius contrarium spiritui. Ego verò in eo ab illis dissentio, in quo illi inter se conueniunt, & pulmonis tractionem eam intelligo, quam hoc mẽbrum, velut alia membra, habet: proprij scilicet alimenti ad sui ipsius nutritionem; Sic mihi facilis redditur pręsentis contextus explicatio, in cuius gratiam duas statuo hypotheses.

Prima hypothesis.

Solus pulmo sanguine arteriali nutritur: nam quòd aliqui cor etiam sanguine arteriali nutriri dicunt, & Galeno, & rationi repugnat: Galeno, qui, venas cor inuoluentes cordis nutritioni inseruire, ait: rationi verò, quam idemmet Galenus scriptam reliquit, hoc modo: *Quòd verò corpus ipsius cordis crassum erat, ac densum, ciboq; egebat crassiore, ob id sanguinem ducit à vena caua, quo nutriatur prius, quàm ad cor immigret: eò enim cum peruenisset, calidus, tenuis, ac vaporosus erat, quod nonnullis videtur absurdum, maximè omnium rationi congruere, est putandum, vt cor scilicet pulmoni praparet alimentum, sibi autem ipsi minimè: ille enim sanguinem postulabat tennẽ, hoc autem nequaquam*: & quæ prosequitur in hanc sententiam. Ex quibus patet, immeritò recentiores aliquos à Galeno recessisse, quem tamen amplectitur Andreas Laurentius. *G. 7. anato. administr. c. 10.3 nat.facul c.15.6.de vsu par.c.16* *Andr. Laur. lib.9. q.13.*

Altera hypothesis.

Sanguis venalis iure optimo sanguis alens nuncupatur, ad differentiam sanguinis arterialis, qui alitioni non solùm est ineptus, sed omnino contrarius. Cur autem alens appelletur ille, explicat optimè Galenus, qui cor non esse principium sanguinis alentis, probare contendens, se ipsum in hunc modum explicat: *Alentis dico, propterea quia, vt alibi ostendi, alterius cuiusdam sunguinis, qui alium animalibus vsum exhibet, generationem cor esse, non negauerim*. Ex his verbis colligo,& causam, cur sanguis venalis dicatur alens, & vsum sanguinis arterialis non esse alitionem, sed alium. Imò verò probare intendo, arterialem sanguinem, si nutritioni inseruiret, contrarium corpori alimentum exhibiturum. Notissimum est in Galeni doctrina, sanguinem nutrientem ex quatuor humoribus esse compositum, vt ex eo quodlibet membrum portionẽ sibi similem (siquidem ex simili fit nutritio) attrahat. Inter hos quatuor humores ea seruatur proportio, vt san- *Ga.6.de plac.c.6.*

guinis, qui est quartus humor, optimamq; sortitur temperiem, maior sit quantitas, quia plurima sunt membra, quę temperiem moderatam obtinent. Secundo loco est pituita: quippe non pauca etiam membra existunt, pituitosum sanguinem ad sui alimoniam expostulantia. Si ergo sanguis arterialis calidissimus ad hæc membra accederet, contrarium eorum naturæ alimentum præberet. Deinde sanguis ad alendum crassitiem habere debet, membra autem, quæ talem sanguinē, vt eo nutriantur, expectant, si tenuissimum arterialem recipiant, contrarium sibi alimentum recipere dicētur. Tandem nutritio moram requirit, sanguis verò arterialis multo spiritu turgens velociter per membra transiens, ea alimento defraudabit. Si ergo, pro mora, quam expostulat id, quod nutritur, adsit transeuntis alimēti velocitas, rectè dicetur alimentum contrarium.

Vera expositio.

Mihi ex his præmissis adeò manifesta manet præsens sententia, & facilis, vt nulla in hoc libello facilior reperiatur. Vult ergo Hippocrates, omnia membra vnum, & idem trahere nutrimentum, nempe corporis nutritionis aptum, præter pulmonem, qui trahit alimentum, & nutritioni corporis ineptum, & membris alendis contrarium.

Trahunt igitur reliqua membra, prẹter pulmonem, vnum, & idem alimentum, nempe sanguinem venalem, qui, (vt constat ex secunda hypothesi) sanguis alens appellatur: trahit pulmo solus (vt constat ex prima hypothesi) ad sui alimentum sanguinem arterialem, quem in secunda hypothesi contrarium alitioni esse, diximus.

Siquis autem quærat, cur sanguis arterialis, qui ob igneam naturam cōtrarium alimentum aliorum membrorum esse dicitur, solius pulmonis sit accommodatum alimentum, respondebo, quatuor esse rationes, ob quas hoc ita esse conueniens sit. Prima est substantia huius visceris spongiosa, & tāquàm spuma concreta: iccirco consentaneum est, vt ab spumoso sanguine nutrimentum accipiat. Altera, quia pulmo contiuuo affluxu à capite humiditatem suscipit, qua sanguinis arterialis ignea vis hebetatur. Tertia, quia iugis frigidi aeris rèceptio calorem excedentem attemperat. Quarta tandem, quia in alijs membris sanguis arterialis spirituosus citò transit, in pulmone non habet, quò vlteriùs transgrediatur. Videat nunc Satyrus, an suam expositionem in hunc textum præferat huic nostræ: eius autem verba, quoniam cum sequente textu coniuncta sunt, illic castigabimus.

De his qui sine alimento lib. 2. c. 17. ☞

TEXTVS XXXIII.

PRincipium alimenti spiritus, nares, os, guttur, pulmo, & reliqua respiratio: principium alimenti humidi, & sicci, os, gula, venter: verùm antiquius, et primordiale alimentum per abdomen vmbilicus.

COMMENT.

QVicquid ad ingressum alimenti, aut veluti alimenti pertinet, his paucis verbis sapiētissimus autor est amplexus. Animali in lucem edito verum alimentum, humidum, & siccum, hoc est, liquidum, & solidum ingreditur per os, gulam, ventrem: id verò, quod est veluti alimentum, nempe aer (quem Hippocrates alimentū spiritus appellat) ingreditur per nares, per os, per guttur, per pulmonem, & per transpirationem, de qua in antecedente textu egit. Animali

non

non dum in lucem edito vtrumq; alimentum, hoc, & illud ingreditur per abdomen, & vmbilicum.

Dixi, spirituum esse veluti nutritionem, hoc est, impropriam, quia per eam vires etiam reficiuntur: sed de hac nutritione spirituum in superioribus est actum: sufficiat nunc scire, omnem refectionem nutritionis nomine posse designari, quandoquidem Aristoteles, ignem etiam nutriri, dixit.

2. gen. animal. c. 8.

Principium alimenti spiritus. Cum principium multipliciter dicatur, non hic accipitur pro causa, non pro prima rei parte, non pro prima actione: sed principium hic dicitur prior locus, quem occupat alimentum, quando ingreditur corpus, &, vt ita dicam, ingressus alimenti in corpus nostrum. Galenus, hæc verba considerans, principium hic accipi vult pro instrumento, & quidem congruè: nam si rectè consideramus, partes, quas vocat autor principium alimenti, sunt organa, per quæ alimentum ingressum habet.

G. 2. de placit. c. vlt.

Cæterùm dum aërem attractum vocat alimentum spiritus, alimentum partiale debet intelligi: nam pars aliqua materiæ, ex qua spiritus generantur, est sanguis tenuis, vaporosus. Porrò quoad vitales spiritus, id fatetur Galenus his verbis: *Sicut verò vitalis spiritus, & in arterijs, & in corde gignitur; materia generationis ex inspiratione, & humorum exhalatione sumpta:* quoad verò spiritus animales, remotè ex sanguinis vapore fieri partialiter dicuntur: siquidem fiunt, non solùm ex aere per nares inspiratione attracto, sed etiam ex vitalibus, quos ex sanguinis vapore fieri, diximus. Hoc etiam Galenus agnouit, qui sic ait: *Ergo animalis spiritus cerebrum veluti fontem esse, ostendimus, qui partim ex inspirando; partim ex eo, quod reticularis spiritus suppeditat, irrigatur.* Sunt ergo aër, & sãguinis vapor causæ partiales; ita tamen, vt vna sinè altera non esset materia sufficiens.

G. 7. de placit. c. 3.

G. 12. meth. c. 5.

Sunt animales, & vitales inter se diuersi: de naturalibus nihil in præsens statuo. Vtrùm verò hi duo diuersi sint specie, an perfectione duntaxat, controuersum est. Mihi verisimilius videtur, vitales, quando in animales transeunt, non mutare speciem: sed cum priùs facultati vitali inseruirent, fieri posteà actione cerebri apta instrumenta animalis facultatis: ita tamen, vt priorem dignitatem non exuant, sed posteriore superinduantur. Facti ergo animalis facultatis ministri his actionibus inseruiunt, quæ, quoniã sunt actiones viuentis, vitali quoq; ornamento spiritus condecoratos expostulant, quibus pro instrumentis vtantur.

Nares. Triplicem vsum nares habent: vnum valde necessarium, duos non admodùm: necessarius est vsus, vt per nares educatur ab anterioribus cerebri ventriculis excremẽtum, quod si non educeretur, frequenter homo in apoplexiam incideret. Duo alij in cerebrum aliquid intromittunt: nempe, quatenus nares odoratui inseruiũt, vaporosam substantiam transmittunt interiùs: hic vsus non magis necessarius est, quàm sit necessarius olfactus. Vltimus vsus, cuius in præsentia Hippocrates meminit, est aëris ingressus, cum tamen aliæ sint viæ, vt ex præsente textu apparet, per quas aër introducitur: si hæc intercludatur, non iccirco periclitatur animal; An verò odores nutriant, infra ex professo tractabimus. Infra q. 22.

Os, guttur, pulmo. Tres has vias possumus ad vnam redigere: quippe aer per os ingrediens transit per guttur, & accedit ad pulmones, vbi præparationem recipit, quam Galenus coctionem appellat. Est guttur caput asperę arterię, quod etiam larynx appellatur. Hac via aër per os acceptus ducitur ad pulmonem, qui dilatatus aerem in se recipit, contractus exprimit in cor per arteriam venalem: verùm de motu pulmonis pauca infra dicemus. Ga. 6 loc. aff. c. 15.

Et reliqua respiratio. Siue transpirationem, siue perspirationem, siue per flatum, sensum latentem, eam, quę per cutim fit, fuliginum expulsionem, &

aëris attractionem, dicamus, nulla inter hæc vocabula differentia existit: vocabulo tamen inusitato hanc eandem Hippocrates hic *reliquam respirationem* appellat. Itaq; fuliginum expulsio compressione arteriarum fit, vt multis in locis scribit Galenus, qui omnino videndus est, ne in Pneuticorum errorem, contrarium sentientium, incidamus. Dilatatione earumdem trahi aërem, ab eo quoq; est inculcatum, neq; ab Hippocrate omissum. Adeoq; solicita est natura in ea attractione, quę per cutis meatus fit, vt non aërem modò, sed quamlibet etiam tenuem substantiam, v. g. piper, ad exactissimum pollinem redactum, simul cum aëre attrahi, Galenus affirmet.

G.7. de vsu p. c.9.8. de placit. c. 8. De vsu puls. c.15

G. 8. de placitis. c. 8.3. fac nat. c. 14 1. de diff. feb. c. 4. de vsu pul. c.5. Hip. 6 epid sect.7 tex.1.

G. 1. simpl. c.12.

Principium alimenti humidi, & sicci. Initio huius operis diximus, alimenti humidi nomine liquidum, sicci, solidum intelligi.

Os, gula, venter. Ingressus communis aeri, & cibo os est: verùm ibi duo sunt canales, vnus est guttur, hoc est, asperæ arteriæ, aut tracheæ caput, qua fertur aër: alter gula, & per gulam æsophagus vsq; ad ventriculum, ad quem alimentum defertur. Prouidit tamen natura, ne cibus per asperam arteriam deduceretur, ei operculum tribuens, membranam scilicet, quæ epiglottis appellatur: hæc recta quidem omni alio tempore, quo animal spirat, stat, cum autem cibum transglutit animal, laryngi incumbit, vt Galenus est autor. Fit deglutitio naturalibus, & animalibus instrumentis: quippe opus maximè necessarium, hoc est, alimenti ingressus, non debuit vni duntaxat facultati committi: eadem etiam magna necessitas est in excrementorũ egressu; quapropter ibi etiam duplex facultas adsistit: ergo & in intestino recto, præter fibras, musculus adest ianitor, & in gula, pręter villos deglutioni inseruientes, dantur etiam musculi, quos tametsi Leonicenus non vidit, Falloppius tamen eleganter describit.

Ga.7. de vsu part. c.16.

Leonicenus

Falloppius.

Porrò supposita alimenti necessitate, ex qua Galenus necessitatem excrementorum colligit, conueniens fuit, vt tàm assumptioni ciborum, quàm expulsioni excrementorum duplex præesset facultas. Nam si sola naturalis ageret, importunè quidem homo ad naturalia isthæc opera distraheretur, fieretq; amuseos, vt Galeni vtar vocabulo: si autem sola ageret vis animalis, contingeret aliquando non recordari cum maximo corporis detrimento: quare rectè vtriq; facultati vtrũq; hoc munus est commissum.

Gal. 1. sanit. tuend. c.3.

Recipitur tandem cibus in ventriculo, quem oportuit esse membranosum, vt facilè dilatari ad excipiendos cibos, & constringi ad eosdem comprehendendos posset: quippe, nisi eos complecteretur, fluctuarent cum sonitu, qui κλύδων dicitur: vt fluctuare quidem solent, quãdo ob causam præter naturam non eos venter amplectitur.

In ventriculo fit coctio, quam tum Galenus, tum Aristoteles elixationem appellant, quod à magno præceptore Hippocrate didicerunt, qui ventriculi coctionem πέψιν vocat, hoc est, elixationem. Agere autem ventriculum primò in suam propriam vtilitatem, deinde in bonum totius, conueniens est: sic enim agentia naturalia agunt, alioquin diceremus, ventriculum duci intellectu; Quare magis mihi placet opinio eorum, qui tenent, ventriculum chylo nutriri, quæ, quoniam ab alijs satis, superq; est agitata, prætermittenda nunc est.

Verùm antiquius, & primordiale alimentum. Sic appellat infantis in vtero commorantis nutrimentũ: quippe & statim genitum animal nutriri postulat, qui non nisi per interitum à nutritione cessabit, rumpatur licèt Satyrus cum suis ferijs bacchanalibus.

Per abdomen, vmbilicus. Hoc est, alimentum infantis in vtero existentis trahitur per vmbilicum, qui in abdomine situm habet. Hæc est via, per quã fœtus nutritur, communiter recepta, quam Satyro cæcutienti monstrare conabor.

DE

DE PVLMONIS MOTV.

QVAESTIO PRIMA.

Existimat Auerrous, quem sequuntur aliqui, pulmonem moueri motu sibi inhærente naturali, non ad motum alterius: thoracem etiam moueri non à pulmone, sed virtute in ipso existente. Itaq; pulmonem, & thoracem proprios vnumquemq; motus habere, ita ad inuicem subordinatos, vt vnus sinè alio non fiat: non tamen, quòd motus vnius sit veluti causa, aut conditio motus alterius.

Auer.

2 Si Auerrous dixisset harum duarum partium motus ita esse subordinatos, vt vterq: successiuè vno, & eodem fiat modo, id vtiq; concedi posset: cum autem dicat, ita esse subordinatos, vt vnus sinè altero non fiat, rem nobis proponit nullo modo admittendam: quippe si vnus ex istis motibus sinè altero non fit, vnus ab altero necessariò dependet: & sic ille coincidit nolens in opinionem, quam reprobat.

3 Realdus Columbus arbitratur, pulmonem moueri, & ad eius motum moueri thoracem: sed non explicat à quo principio moueatur pulmo. Posset quidem huic opinioni adaptari autoritas Aristotelis, cuius hæc sunt verba: *Attollitur maius factum, illo autem elato, circumiectam eam partem attolli, necesse est*, id est, pectus.

Realdus.

Ar. de mort. & vita, in fin.

4 Hæc opinio, licèt priore sit conuenientior, siquidem vnam partē moueri ad motum alterius nobis inculcat, nihilominùs dum ait, thoracem esse, qui ad motum pulmonis mouetur, præposterè Columbus sentit: nam alioquin, quorsum in thorace fabricauit natura instrumenta motui inseruientia, si proprium motum non habet? Quod autem hæc instrumenta habeat, demonstratur: quoniam sectis neruis, qui in musculos thoracis, & in septum transuersum inseruntur, cessat istarum partium motus: & quod attinet ad Aristotelem, ille non de pulmone, sed de corde loquitur, vbi communiter expositores existimant, pulmonem moueri à corde, non quidem virtute deriuata ab ipso, tamquàm à primo influente, sed per colligantiam: quia est cordi colligatus, & ita mouetur ad motum eius.

5 Cæterùm posset aliquis dicere, cor, in Aristotelis doctrina, esse omnium facultatum principium, ac subinde facultatis motricis: quare si Aristoteles dixit, pulmonem moueri à corde, intellexit moueri virtute motiua, à corde communicata, quod idemmet alibi clariùs nobis tradidit, inquiens, pulmonem originem sui motus accipere à corde. Verùm si motus esset à facultate, esset per musculos neruis insertos, vt sunt motus reliquarum partium, qui fiunt à facultate motrice: sed in pulmone neq; nerui, neq; musculi reperiuntur, quare eius motus non ad facultatem, sed ad colligantiam cum corde referri, etiam in via Aristotelis, debet.

Arist. 3. part. anim. c. 6.

6 Preposteram appellaui istam Columbi opinionem, quia opinio vera contrario prorsus modo se habet: quippe verissimum est, & demonstratione manifesta confirmatum, pulmonem moueri ad motum thoracis; Nam cum in eo, quòd vnum ad motum alterius moueatur, Columbus à nobis non dissentiat: cum rursus in thorace sint motus instrumenta, nempe musculi, quibus pulmo, vt diximus, caret, necessarium est, thoracem, qui instrumenta facultatis motricis habet, moueri à facultate: pulmònem verò, qui est sinè instrumento motus, non à facultate moueri, sed ad motum alterius, hoc est, thoracis. Dilatatus ergo thorax beneficio musculorum necessitatem importat pulmoni mouendi se. Vnde nam isthæc necessitas? Videlicet quia aliàs daretur vacuum, à quo natura summoperè abhorret. Porrò hæc est doctrina * Galeni sæpius repitita, vt cum ait, pulmonis dilatationem, & compressionem à thorace gubernari: & alibi pulmonem, motus expertem, à thorace moueri conuenienter.

* *G. de caus. respir. 6. de vsu part. c. 10. & c. 17. et eiusd. oper. lib. 7. c. 9 & 2. de plac. c. 4. & lib 4. de anatom. administ c. 2 & de vti, respir. c. 5.*

7 Si

7 Si verò aliquis dicat, moueri quidem pulmonem ad motum thoracis, cæterùm non ad replendum vacuum, sed quia pulmo thoraci est alligatus, non aliter ac mouebitur lapis ad motum brachij, cui alligatur: sciat in primis, Galenum experimento optimo demonstrare, motum pulmonis esse, vt vacuum impleatur. Pulmo in viuente animali thoraci propinquus est, post mortem ab eo distat: hoc non aliunde prouenit, nisi quia spiritus, qui prius in pulmone continebatur, moriente animali in spatium, quod est inter thoracem, & pulmonem, educitur. Alibi alio argumento idem probat sic: Cum aliquid trahit successione ad id, quod euacuatur, hoc est, ad implendum vacuum, prius leue, quàm graue sequitur: cum igitur ad dilatationem pulmonis id, quod leuissimum est, nempe aër sequatur, manifestè colligitur, dilatari pulmonem ad repletionem vacui: idem probat sæpè alibi, vt videre est in varijs eius doctrinæ locis.

Ga. 8. de anat. administ. c. 10

G. 7. de vsu p. c. 9.

G. 7. de vsu p. c. 4. & lib. 5. de loc. aff. c. 3.

8 Duo insuper sunt experimenta, quæ hoc idem demonstrant, Auerroo quidem nota, sed quibus frustra respondere conatur. Primum sumitur ex vulnere, quo thorax perforatur: nam tunc per foramen aër ingreditur, thoracisq; capacitas impletur, & protinus cessat motus pulmonis, quia iam non dari potest vacuum, cui occurrendum sit. Respondet ille, cessare quidem pulmonis motum perforato thorace, sed id fieri, quoniam aër, qui per foramen ingreditur, frigidus cum sit, pulmonem refrigerat: pulmo autem, etiam si propriam virtutem motiuam habeat, refrigeratus eam non exercet. Sed responsio isthæc inanis est, nam pulmo statim post vulnus quiescit: at si post aliquot horas, quando iam pulmo magis est refrigeratus, digito foramen occludamus, pulmo mouetur.

9 Alterum experimentum. Sectis musculis thoracis non potest thorax moueri, ac proinde capacitas, quæ est inter thoracem, & pulmonem, nec amplior fit, nec angustior. Quid tunc facit pulmo? Quiescit, velut thorax: quiescit, inquam, quoniam, inanitate illa in eodem statu semper permanente, nullum vacui periculum est. Respondet ille, thoracem sectione musculorum pati, & tunc pulmonem per colligantiam affici: dari autem morbos per colligantiam, Galenus admittit. Hæc quoq; responsio contemnenda est: nam secto neruo, cui inseruntur musculi, sectis etiam musculis, thorax per colligantiam patitur, pulmo autem tunc nil patitur per consensum, ni velimus ad verba Hippocratis, in hoc libello scripta, confugere, *Consentientia cuncta*: & tunc non magis cessabit pulmo, quàm cor, quàm cerebrum.

10 Adhuc Auerrous suæ opinioni adhærens ait, motum ad replendum vacuum esse violentum; Accusanda ergo natura foret, quòd aliquid tota vita violentiam pati, permitteret. At non est violentum id, quod à prima formatione est: quamuis autem sit per accidens, hoc est, motus ad motum alterius; Compensatur istud incommodum commodo totius, quod ex hac functione animal reportat.

Lud. Merc.

11 Ludouicus Mercatus, non moueri, inquit, pulmonem ad implendum vacuū ex intentione naturæ, sed dilatatur, vt aërem recipiat, & plurimùm dilatatur, vbi plurimo aëre est opus: tunc plus, minusuè impletur quantitate maiore, aut minore aëris, quem thorax sua dilatatione attraxit; Hinc consequenter contingit, cauitatem thoracis pulmone dilatato impleri, & sic vacuum impediri. Hoc si ita Mercato admittamus, nullum sequitur inconueniens: satis enim nobis est, pulmonem moueri ad motum thoracis, & hac motione pulmonis vacuum siue ex primaria, siue ex secundaria naturæ intentione impediri. Motum autem pulmonis ad thoracis motum sequi, tum ex superiùs dictis constat, tum ex differentia, quæ est inter vtrumq;: siquidem thorax motionis instrumenta, nempe musculos, in se habet, ac proinde habet facultatem motiuam: pulmo verò vnde nam habebit, vt motu proprio moueri possit? Num à facultate naturali? At fibris caret, & filamentis, quæ illi robur, motui necessarium, præstent. Num à vitali? At non eundem

dem rithmum cum corde, & arterijs seruat. Num à facultate animali? Sed vbi nam habet neruum, aut musculos, per quos illi hæc facultas communicetur? Non erit igitur motus ei proximus, sed aliunde, videlicet è thorace proueniens, quod non sinè demonstratione manet ratum.

DE NVTRITIONE FOETVS IN VTERO.

QVAESTIO SECVNDA.

IN examine librorum, qui sub Hippocratis nomine circumferuntur, a Ludouico Lemosio, & Hieronymo Mercuriali, qui hanc curam susceperunt, liber περὶ ἀρχῶν, de principijs, seu περὶ σαρκῶν, de carnibus (vtroq; enim modo inscribi solet, quem etiam Iulius Cęsar Scaliger, sed immeritò, de membrorum constitutione inscribit, Hippocrate autore indignus censetur, propter multa absurda, quæ in eo continentur, quorum vnum esse, aiunt, de fœtus nutrimento intra matris vterum: quippe autor illius libelli, fœtum in vtero per os ali, dicit, cuius verba inferiùs singulatim examinabo. Sufficiat nunc scire, adeò absurdam hanc sententiam esse, vt potuerit & librum, & libri autorem infamare. Ex altera parte sententia huic opposita, nēpè quam in nostro hoc libello de alimento, imò in præsente contextu Hippocrates promulgauit, adeò recepta est, vt ob eam Andreas Laurentius hunc libellum aureum, & ænigmaticum esse, dicat, & sententiam ipsam oraculum appellet: est autem ea, *Antiquius, & primordiale alimentum per abdomen vmbilicus.* Hæc est doctrina communiter recepta, quam amplectuntur expositores Fracantianus, Cardanus, Vallesius, & quam idemmet Hippocrates in libello de natura pueri, & de octimestri partu expressissimis verbis scriptam reliquit.

Lemosius. Mercurialis.

Andr. Laur.

Hip. de natura pueri, & de octimestri partu.

Quid Satyrus effutiat.

Articulus Primus.

EXpositionem præcedentis contextus à Satyro allatam, sciens, in hunc locum reseruaui: quippe ille ex his duobus vnum composuit. Ait ergo, contrarium corpori alimentum esse aërem *Sub ratione frigidi ad temperandum natiui caloris æstum.* Sed vbi nam reliquisti, ò Satyre, alterum aëris vsum, nempe materiam præstare spirituum refectioni? Hoc poteras addiscere ex Hippocrate in pluribus suæ doctrinæ locis, ex Galeno etiam non semel. Non ergo aër trahitur ratione frigidi duntaxat, sed simul ratione substantiæ nutrituræ spiritualem substantiam. Sed ne longiùs progrediamur, dic mihi, non ne in hoc ipso textu, in cuius expositione versaris, dicit Hippocrates, *Principium alimenti spiritus, nares?* At per nares non ingreditur aër ad refrigerandum cerebrum, quippe cerebrum non indiget refrigeratione: ingreditur ergo, vt Hippocrates vult, sub ratione *alimenti spirituum.*

De his qui sine alimento lib. 2. c.17.

2 Addis, reliqua membra trahere *Alimentum idem, non corpori contrarium: quia scilicet cibum, ac potum attrahunt, qui cum vertendus sit in substantiam corporis, sunt ipsum idem corpus in potentia.* Siccine renuis appellare alimentum corpori contrarium, cum tamen Aristoteles alimentum initio contrarium esse dicat? Sed tu differentiam facis inter cibum, & aërem, quia cibus est potentia idem cum corpore alendo, aër non vertitur in corporis naturam. At satis est, vt vertatur

tur in naturam spirituum adhuc, vt dici nequeat contrarius corpori: si enim spirituum natura non est contraria naturæ corporis, neq; spirituum nutrimentum est naturæ corporis contrarium; Nutriri autem spiritus ex aëre, Hippocratica doctrina est, à Galeno recepta, à nemine repudiata, de qua iam satis à nobis est actum.

3 His peractis accedis ad præsentem contextum, recipisq; sententiam Hippocratis: quippe ais: *Aliud est antiquius instrumentum à primordijs generationis animalibus alimentum subministrans in aluo materna vmbilicus.* Cæterùm si ita sentis, cur in tuis bacchanalibus contrarium tenes, & hippocraticè te loqui putas, dum libri de principijs, seu de carnibus, verba recipis? Nempe ad ea, quæ in libro de ortu animæ scripsisti lectorem remittis. Horret animus, libellum aperire, in quo quamplurima parum religiosè sentis, & ne videar tibi falsò aliquid imponere, permitte, vt lucubrationem hanc finè interruptione absoluam; in fine tibi aliqua, per capita, indigitabo. Accedamus ergo ad præsens institutum. In primis risum, tuo more, lectori moues, inquiens, *Etsi primis quadraginta diebus à conceptione, fœtus humanus, veluti massa carnis indistincta, & informis non possit, nisi per venas, more partium similarium, sibi alimentum trahere, ac nutriri per tertiam coctionem tantummodò.* O' lepidum dictum, & dignum parasito Plautino! Nempe primis quadraginta diebus, dum adhuc fœtus non habet membra effigiata, & subinde non habet os, non potest per os nutriri; Sanè huic tuæ positioni nemo erit, qui opponi queat, sicut neq: huic, dum adhuc vitulus non habet cornua, non potest cornibus vulnus infligere. Reliqua, quæ tum ibi, tum alibi affers, eò tendunt, vt declarent, tuam mentem esse, fœtum in vtero duplice via nutrimentũ capere, videlicet per os, & per vmbilicum. Atq; propterea rationes eorum, qui tenent, fœtum nutriri per os, soluere contendis asserens, per vmbilicum etiam nutriri; Verùm alijs, qui dicunt, nutriri per vmbilicum, aduersaris, contendens, nutriri quoq; per os. Cæterùm vtramq; viam accipis, ne errare possis, & tunc magis erras: nam si animali extra vterum vna sola via sufficit, cur in vtero non sufficiet? Tu met inquis, *Dum tamen procedente tempore in ipso* (scilicet fœtu) *iam grandiore membra, & organa omnia humanæ naturæ necessaria efformata fuerint, atq; ideo tum vberiore, tum elaborato magis refrigerio, & alimento ipsi opus fuerit, quàm id sit, quod per vmbilicum trahit; rationi consentaneum videtur, fœtum per os etiam sibi & spiritum, & pabulum attrahere: atq; ita tunc primam etiam coctionem obire, nedum secundam, & tertiam.* Ita esto: fœtui in vtero, quoniam grandior est, non sufficit vna alimenti, & respirationis via: quando ergo extra vterum, maiorem valde molem corporis habet, cur ei vna tantùm via sufficiet? Non ne tu hanc tuam sententiam confirmas autoritate Hippocratis, dicentis, corporibus calidioribus, copiosiora alimenta esse adhibenda? Ita sanè: at Hippocrates de nato iam puero, non verò de fœtu in vtero commorante loquitur. Liceat ergo nobis, te monstrante viam, pueros in lucem editos per vmbilicum alere, eruntq; increpandæ mulierculæ, hoc est, obstetrices, quæ statim, ac exijt infans, vmbilicum ligant, tamquàm non ampliùs nutriendo fœtui necessarium, simulq; os ipsius diducunt, vt alius alimenti sumendi vsus monstretur. Sed non oportet, plura in hanc rem congerere: satis est, hanc per vmbilicum deductam viam, testimonio Hippocratico, esse solam, vt sic à quærendis duabus desistas. Hippocrates in libello de octimestri partu, iuxtà optimorum interpretum translationem, sic habet: Vmbilicus, per quem alimenti, & aëris fœtui alendo via est, & ingressus solus è reliquo corpore, matri adhæret.

4 Scio, te hanc duplicem viam potuisse reperire apud Galenum, qui tametsi in pluribus suæ doctrinæ locis solius vmbilici mentionem faciat, nihilominùs in libello, qui inscribitur, *An animal sit id, quod in vtero est*, habet hæc verba: *Non enim ab ea*

Marginalia: Contradictio. ☞ — pag. 5o — de ortu animæ lib. 1. c. 44. & lib. 3. c. 2. — 1. 1. aph. 15.

ab ea solùm, quæ per vmbilicum ad portas in iecur, è secundis fertur, materia nutriri putatur: etenim per has quoq; vias alitur, maximè verò per eas, quæ perfectiores sunt, ac per quascumq; defertur, nutrimento fruitur. Neq; enim putabis, Hippocratem dicentem, quòd antiquius est nutrimentum per abdomen, qua vmbilicus est, in ea hi ignoraſſe, num id ore nutrimentum sumat, etenim de hac quoq; via loquutus est, vt ante propositum est. Sic scriptum potueras inuenire: quod aut ignorasti, aut cautè dissimulasti, ne tibi maiorem hinc ignorantiam possem exprobare: qui non cognouisti librum hunc non recipi ab autoribus; sed respui tamquàm spurium: talis enim existimatur, vt constat ex censura, quam fronti habet præfixam.

Quid tenendum sit iuxta veram doctrinam.

Articulus Secundus.

APpello veram doctrinam eam, quæ ab Hippocrate tradita, à Galeno recepta, ab omnibus ferè eligitur, celebratur. Ab Hippocrate, inquam, est tradita: quippe autorem libri de principijs, in quo contraria sententia habetur, iam dixi, nec Hippocraticum esse, neq; Hippocratico nomine dignum. A Galeno est recepta: quippe sæpe cum Hippocrate in ea conuenit: vbi verò sententiam prędictam libri de principijs recipitur, non est genuinus Galeni partus, sed spurius. Adiungam hìc Auicennam, qui vnam tantùm viam, nempe per vmbilicum, recipit; Ex neotericis hac etiam via incedunt Fernelius, Realdus Columbus, Vallesius, Andreas Laurentius, imò neminem, præter vnum Ferdinandum Menam, mihi vidisse contigit, qui aliter sentiat: forsitan aliquis alius erit, sed parui nominis, & qui rationes parùm efficaces proferat: quippe vltra eas, quæ autor libri de principijs attulit, non progrediuntur. Omnes porrò ad duas reducuntur. Vna est: *Pueri nascuntur, stercus in intestinis habentes, & vbi nati fuerint celerrimè ventrem, tum homines, tum pecora exonerant: atqui non haberent stercus, nisi in vtero suxißent.* Altera, quam statim adiungit inquiens, *Imò neq; mammam statim, vt natum est, sugere noßet, si non vtero suxisset.*

Fern. de hom. procr. l. 7. c. 11
Columb.
Vall.

2 Ad primam istarum rationem. Excrementa, quæ fœtus recens natus per aluum emittit, primæ coctionis, & chyloseos non sunt recrementa, ac proptereà fæces, & stercora non debent appellari, sed impurioris, & crassioris sanguinis excretiones, quas per spleneticum, & mesentericum ramum à liene in intestina amandantur, ibiq; mora, & calore resiccantur: seu, vt Fernelius vult, *Recens in lucem editis ex aluo elabitur quippiam simile craßo, nigro, & lutulento sanguini; quod iecoris recrementum est, ex cuius cauis in intestina exciderat, in quibus cumulatum seruabatur in pariendi tempus.* Quòd autem istud, quod excernit infans, statim ac in lucem editus est, non sint fæces, ex eo ostendi potest, quòd non habet fætorem, sicut aliæ fęces habere solent. Accumulantur autem toto gestationis tempore, quia paucæ sunt: neq; enim multæ ex sanguine, qui attrahitur, possunt aceruari, & quia parùm stimulant, & sic seruantur, vsq; quo infans ex vtero expellatur. Huius excrementi (vt hoc obiter dicam) sic mentionem factam reperio apud Aristotelem, qui hoc excrementum pluris, quàm pro infantis magnitudine esse ait, papauerculumq; à mulierculis appellari.

Ar. 7. de hist. anim. c. 10.

3 Ad alteram. Puer, statim ac ortus est, lac ex mammis sugit: non tamen hinc colligitur, eum intra vterum eodem officio fuisse functum: neq; enim hoc contingit propter consuetudinem anteactam, neq; propter recordationem voluptatis captæ ex suctione, sed propter naturæ instinctum: vnde Galenus, *Videtur*, inquit, *non modo nutrimentum id* (lac) *natura infantibus præparaße, verùm etiam facul-*

G. 1. de sanit. tuend. c. 7.

tates quasdam naturales, quibus conantur ab initio, protinus contulisse: quando si modò natis papillam statim in os inseras, & sugunt lac ipsum, & deglutiunt promptissimè. Sic Galenus, ex cuius verbis colligere licet, eum non admisisse infanti in vtero nutritionem per os, sed solùm per vmbilicum: alioquin quid mirum esset, infantem recenter natum per os lac suxisse, si id etiam præstiterat anteà, dum in vtero commorabatur? Cæterùm naturalis instinctus, quo ductus infans, ore alimentum recèns natus accipere nouit, potest addisci ex alijs effectibus, in quibus eiusdem instinctus signa manifestissima apparent. E. g. pullus equi, cum primum ex vtero matris egreditur, incipit calcitrare: auis ab ouo excussa implumis adhuc, tentat volare: mordere canis vix natus, & adhuc edentulus; Multò magis ergo ad cibi sumptionem, vitæ necessariam, stimulus à natura fuit datus.

4 Prædictis duobus argumentis solutis, soluenda sunt aliqua à Satyro allata. *Certum est*, inquit iste, *quadragesima die ab actu conceptionis, formata esse membra, tum cætera omnia, tum stomachum, quem vsq; ad nonum mensem, quo tempore nascimur, ociosum à suis muneribus feriari, non est rationi consentaneum. At verò actio ventriculi propria est transmutatio materiæ assumptæ per os in chylum.* Rem magnam nos doces, Satyre: nam sic multa alia addiscemus, agere fœtum in vtero, quæ homines putabant omnino tunc cessare. Oculi ergo intra quadraginta dies formati, ne sint ociosi, videndi actionem fœtui præstabunt, aures ei tribuent auditum, ne ociosæ sint: & quod maius est, mamillæ, fœtui intra vterum efformatæ, non erunt ociosæ. Debueras consulere Hippocratem, qui te doceret, fœtum non solùm in vtero, sed neq; extra vterum in primo quadragenario, audire, aut titillationem sentire.

5 Forsitan te iterum seduxit liber ille Galeno falsò adscriptus, in quo legere potuisti hæc verba: *Scimus in vteris sæpe fœtus emori, cum vitium per os adhibiti nutrimenti, auersantes renuunt.* Possumus tamen huic dicere, quod dici solet; *Dato vno absurdo, cætera accidunt.* Nam ex eo, quòd dixit, fœtum per os nutriri, accidit addere hanc opinandi temeritatem: temerarium enim est, id tamquàm manifestum affirmare, cuius veritas nequaquam cognosci potest. Quamuis ergo concedamus, fœtum aliquando in vtero mori, non tamen hoc fieri ob causam hìc traditam, constat: neq; ille autor hoc probat, neq; probare in æternum posset.

6 Altera tua ratio valde tua est: quòd existimas, *fœtum grandiorem factum assuefieri in vtero aliquid per os attrahere, & stomacho digerere: quia naturæ consuetum est, semper gradatim progredi à facilioribus ad ea, quæ cum maiore difficultate fiunt.* Heus tu, putas ne, facilius esse, alimentum sumere per os simul, & per vmbilicum, quàm per vmbilicum duntaxat? At ego non solùm vnam actionem putabam minùs laboriosam esse, quàm duas, sed etiam arbitrabar, attractionem per vmbilicum, merè naturalis cum sit, non esse laboriosam, eam verò, quæ fit per os, cum sit animalis, laborem coniunctum habere: siquidem motiones animales solent animal fatigare, naturales verò nequaquam.

7 Verùm dum medicinæ proceres commemoro, quibus placet, fœtum, cum in vtero est, per vmbilicum nutriri, videbor, Aristotelis philosophiæ principis obliuisci, in cuius doctrina nihil frequentius reperitur, cui tu, ne tanto viro, quem aliquando iniuriosè tractasti, nunc quoq; iniuriam facere videaris, ita assentiris, vt eum inuitum, quò ire non vult, trahere frustra labores: quippe cum eo fateris, fœtum ali per vmbilicum, nec tamen eundem negasse, ais, fœtum etiam per os nutriri. Sed vnde nam hoc colligis? Reuelauit ne tibi hoc ob magnam amicitiam, quam tecum habet? Nihil minùs: garuulum appellasti, nisi garrulum esse, virtutem quandam existimes. Aristoteles profectò nunquam somniauit id, quod tu de illo somnias.

Arist. 2. gen. anim. c. 4.

8 *Aristotelis argumenta*, ais tu, *Democriti opinionem confutant, qui statuit,*

fœtum

fœtum in vtero ita ali per cor, quod nihil per cor, quod nihil per vmbilicum trahat: id, quod ex eo satis apertum est, quia ipse opinatur (referente Aristotele) fœtum in vtero permanere, non vt nutriatur, quoniam cum in vtero id ore præstet sugendo carunculam quandam, sic posset, & extra vterum nutriri sugendo mamillas, sed vt in eo formentur membra. At verò nobis asserentibus, fœtum in vtero ali quidem per vmbilicum, sed aliquid etiam alimenti per os aßumere, non intendit refragari Aristoteles in loco citato. Libet hìc falsitatem detegere, qua verum obrumbare conaris. Verum quidem est, Democritum, & Epicurum (vt refert Plutarchus) existimasse, fœtum per os alimentum trahere, sed non est verum, Aristotelem in loco citato aduersùs Democritum circa hoc argumenta afferre. Dixit obiter, *Venę autem, quasi radices contingunt ad vterum, per quas alimentum haurit fœtus: eius enim rei gratia animal in vtero manet, non, vt Democritus ait, vt membra formentur secundùm membra parentis.* Vide tuam inscitiam, tuam potiùs malignitatem: non dixit Democritus, animal manere in vtero, vt simpliciter formentur membra, sed vt, cum addito, *formentur secundùm membra parentis*. Cur dissimulasti hæc verba? Latrocinium est. Cæterùm Aristoteles, qui hoc, quasi aliud agens, protulit, neq; illic mens cierat cum Democrito aliam litem suscipere, pergit ex alijs in alia, mouetq; quæstionem non priùs tactam, & satis curiosam inquiens: *Sed dubitaueris, cum primum cor oriatur sanguine prędítum, sanguis autem sit alimentum, quod extrinsecùs venit, vnde nam primum alimentum subierit.* En quàm procul à Democrito iam abit! Respondet igitur quæsito: *An id verum non dicitur, alimentum omne esse extrinsecùs, sed protinus, vt in plantarum seminibus inest aliquid tale primum, quod lacteum vocatur, sic in animalium materia excrementum constitutionis alimentum est?* Itaq; comparans fœtum cum plantis, ait, sicut in semine plantarum inest quidpiam lacteum, quod primum alimentum esse potest, sic in fœtu potest ex formatione ipsius superesse aliquid, quod sit animali primum alimentum, nec deest alimentum, vt incipiat nutritio, alimẽtum inquam, non extrinsecùs adueniens. At post principium nutritionis sequitur incrementum, hoc autem extrinsecùs aduenit, videlicet per vmbilicum, in cuius rei fidem sequuntur ibi apud Aristotelem hæc verba: *Incrementum igitur fœtui per vmbilicum contingit, eodem, quo plantis, modò per radices.* Nihil hìc Aristoteles dicit, quo Democritum impugnet; Nam etsi vera esset opinio Democriti, videlicet fœtum per os ali, adhuc Aristoteles habebat intentum, videlicet incremẽtum fœtus extrinsecùs venire. Vtinam mea hæc scriptio lectorem inueniat, qui attentè consideret, quæ à me dicta sunt, vt tuam fraudem detegens te exibilet, & omnibus exibilandum offerat. Plutar. lib. 5. de placit.

9 Cæterùm, Aristoteles capite sequente rationem adhibet huius modi: *Qui infantes ali in vtero, aiunt, sugentes carunculam quandam, non rectè dicunt: idem enim & cæteris animalibus eueniret, quod tamen nusquam videmus.* Tu, rationem hanc facere contra Democritum, non diffiteris: quippe Democritus dicebat, fœtum nutriri solummodò per os, non verò contra te, qui, per vmbilicum, & per os alimentum fœtui aduenire, contendis. Putas ne, hac fuga te euadere posse? At nequicquam vincula rumpere conaris. *Consequentiam* (ais tu) *non potest Democritus negare, existimans, fœtum in vtero ali per os tantummodo: quippe vsus, atq; actio partium, quibus communicamus nos cum cæteris animantibus, cum ijsdem nobis etiam communis esse debet: quare si os nobis commune est cum alijs animalibus, siq; in nobis eius vsus pręcipuus est, vt eo cibum hauriamus, tum in vtero, tum extra vterum, is quoq; vsus tribuendus est ori cęterorum animalium.* Hìc tua Logica splendescit: Opinatur Democritus, fœtum in vtero trahere alimentum per os, seu (quod idem est) oris vsum esse, vt per illud fœtus trahat alimentum in vtero: Tu impugnans ais, non debere fœtum in vtero trahere ali- 2. gen. anim. c. 5. Petit principium error in logica.

mentum per os, seu non esse vsum oris trahere alimentum in vtero: quia scilicet non est oris vsus trahere alimentum in vtero. At hoc est, de quo dubitatur.

10 Addis, hanc consequentiam, quam Democritus negare nequit, posse te negare. Cur ita? Quia opinaris, *Hunc vsum, qui est alimentum trahere in nobis in vtero degentibus, maximè quidem esse ipsius vmbilici: sed quia non satis est id, quod per vmbilicum trahimus, ad nostri nutritionem, ideo aliquid alimenti per os etiam sugimus, propter rationes allatas in superioribus. Cum autem eædem rationes locum non habeant in cæteris animalibus, quibus propterea sufficit alimentum, quod attrahunt per vmbilicum*: & cætera, quæ diffusè, imò prolixè prosequeris: ea apud te vnusquisq; legere potest. Mihi, ne in hoc ampliùs immorer, satis est, te nullas vsquam rationes attulisse, nec afferre posse, quibus probes, humano fœtui non sufficere alimentum, quod trahitur per vmbilicum, sufficere autem bestijs, quod quidem solis bestijs poteris persuadere. Quod verò addis, te Aristoteli cócedere, *In vmbilico fœtus reperiri alimentum multoties, in ore verò, atq; in ventriculo non ita frequenter: quia longè maius est, quod per vmbilicum trahitur* (maius pro magis dixit tua grammaticatio) *quàm alimentum, quod ore ingeritur à fœtu, dum in vtero est*. Nec verum est, quod dicis, non semper ventriculum scatere alimento etiam in natis, quia sæpe in anatome ventriculum vidisti omni alimento vacuum. Non rectè ventriculum es contemplatus: nam in eo semper, aliquid reperitur, quod in alimentum verti possit, siue reliquiæ ex cibo, siue cruditates, quas alere posse, iam tibi superiùs demonstraui.

Error in grammatica.

11 Ad aliud, quod ex Aristotele elicis, fœtum non nutriri per os, quia circundatur membranis quibusdam tenuibus, quæ impedimento sunt, quominùs à corpore matris pertranseat tantus humor ad os fœtus, quantus sat esse valeat pro nutritione illius, tu hæc verba tuo modo refers: quippe Philosophus ait, *Tum volucres, tum aquatiles, tum pedestres pari modo membranæ tenues ambiunt separantes ab vtero, & humoribus admissis, sed nec in ijs ipsis tale quicquam inesse videmus: neq; fieri potest, vt per eorum aliquod alimentum hauriant*. Sic Aristoteles: vbi considero illud *pari modo*: si ergo membranæ fœtum tam hominum, quàm bestiarum, *pari modo* se habent, cur tu differentiam excogitas, & humano fœtui tribuis membranam magis porosam, quàm alijs? Cur etiam in brutorum vtero non est conspiratio illa, quam tu in vtero humano solùm consideras? Num quia brutis vna sola via sufficit, per quam in vtero nutriantur? At hoc probare debueras, quod tamen nunquam obtinebis.

12 Ad alterum argumentum, quo sensu vel ipso, vt tu ais, fœtum ad se trahere alimentum per vmbilicum, probatur, existimas, debere Democratem obmutescere, velut piscem, tibi autem non nocere, quippe non negas, fœtum sibi trahere alimentum per vmbilicum, sed cum hoc admittis, aliquid humoris, ac pabuli per os trahere, & sic putas, te non contrariari Aristotelicæ opinioni. Verùm enimverò si remanebit mutus, sicut piscis, tu cum tua garrulitate, si ad id, quod tibi obijci potest, animaduertas, conuertendus es in ranam Seriphiam. In primis prior argumentatio ducta fuit ex anatome, ac proinde ex sensu, neq: Aristoteles diuisit argumétum ex anatome, & argumentum ex sensu: neq; aliquis sensu pollens hanc diuisionem illic reperiet. Deinde quid ostendit sensus? nempe nutritionem in vtero fieri per vmbilicum. Ostendit ne sensus, fieri etiam per os? minimè. Quomodò ergo vis concors esse cum Aristotele, qui ita, nutritionem fieri per vmbilicum, reperijt, vt eam, quam tu per os factam putas, impossibilem iudicat? Nec dicas, iudicare impossibilem in brutis, non in humano fœtu: hæc enim excusatio fatua est: quippe vbi Aristoteles similitudinem reperit inter bruta, & hominem (ideo enim à brutis ad homines argumentatur) tu dissimilitudinem quæris. Si adhuc non obmutescis, non miror: ille solùm obmutescit, quem, conuictum se videre, pudet.

Adagium.

13 Ra-

13 Rationes ergo, quæ veritatis amatores persuadebunt, nutritionem hanc, de qua loquimur, fieri per vmbilicum, non per os, veritatis amatoribus proponendæ sunt. Earum prima est. Nulla vasa ex vtero ad os feruntur, neq; cum hoc habet aliquam simphysim, nisi per vasa, quæ in vmbilicum desinunt: non est ergo alia via ad altionem fœtus, nisi ea, quæ per vmbilicum ducit alimentum. Inane quippe est dicere, per porositates membranæ, & per occultos meatus alimentum ferri ad os. Altera. Sicut ad seruanda duo excrementa pueri in vtero existentis exdantur duæ membranæ, videlicet ad sudorem ea, quæ amnios appellatur, ad excipiendam autem vrinam alia, quæ dicitur allantoides, oporteret aliquam constitui (quam tamen nullus anatomicus adhuc reperit) ad continendas fæces: imò Galenus aliam, præter illas, negat. Neq; verò permisceri possent fæces cum sudore, ita vt hæc duo excrementa in vna, & eadem tunica seruarentur: quippe fæces, hoc est, excrementa primæ coctionis fætorem habent, & sic ex diuturna ibi mora putredinem, grauiaq; symptomata concitarent. Tertia. Tunica amnios, quæ fœtus est immediata, ipsum ambit, nec foramen habet ea parte, quæ ori correspondet. Hic tu ad Hippocratem confugis, qui in hoc libello de alimento ait, conspirabilia esse cuncta, ac propter conspirationem istam putas, non esse impossibilem transitum alimenti ad os, quamuis via manifesta nulla detur. Poteras etiã in auxilium vocare Galenum, qui non vult sibi obijci hoc impedimentum tunicæ non perforatæ, aitq;: *Nemo id obijciat ideo fœtum ore ali non posse, quia amneam membranam sibi appositam habet: natura enim idonea est, quę per foramina facultatem, viamq; ad id, quod conuenit, aptam prębeat.* Sed vellem à Galeno sciscitari, si oportebat fœtum ali per os, cur natura membranam hanc non perforauit, aut viam machinata est commodiorem? Porrò Galeno in hac re non est fides habenda, tum quia alibi recipit sententiam Hippocratis in hoc libro de alimento, & præsente contextu expressam, vbi ait, antiquius alimentum fœtui esse per vmbilicum: tum etiam, quoniam cum ipsemet, cum vniuersę scholæ medicæ consensu, teneat, in hac membrana amnea seruari sudorem, si ex eadem nutrimentum sugeret, traheret simul sudorem cum maximo suo damno. Cæterum cum Galenus, vbi per hanc membranam trahi alimentum dicit, nil aliud intendat, nisi probare fœtum in vtero actiones facultatis exercere, rectè poterat, omissa hac via, ostendere, per quamcumq; aliam, per quam fœtus alimentum trahat, id facere per actionem naturalem attractricis, nempe facultatis.

Gal. de form. fœt. c. 15.

G. in li. Hipp. de alimen.

14 Itaq; nutriri fœtum per vmbilicum, non potest Galenus negare: nam pręter quàm quòd id fatetur in commentario ad Hippocratem de alimento citato, sæpe alibi comparat venas vmbilicares radicibus plantarum, quoniam sicut plantæ per radices, sic fœtus per has venas trahit alimentum. Maneat igitur stabilitum, quod recentiores recipiunt, Galenus fatetur, Aristoteles probat, Hippocrates docet, videlicet iuxtà verba nostri contextus, *Antiquius, & primordiale alimentum per abdomen vmbilicus*; Iuxtà verba libelli de octimestri partu: *At verò vmbilicus, per quẽ alimenti, ac spiritus ingressus pueris contingunt solus, matri adhæret*; Iuxtà verba libelli de natura pueri; *Iuxtà mediam autem carnem vmbilicus distat, per quem spirat, & alimentum, ac incrementum capit.* Ex his duobus vltimis locis colligitur, fœtum in vtero non solùm nutriri (quod alibi dixerat, & est præsentis instituti) sed etiam spirare, quod in libello illo de natura pueri frequenter repetitum reperies. Non tamen est hic locus agendi de spiratione fœtus, sicut nec de alimẽto, quo in vtero vtitur, sed duntaxat de via, per quam alimentum suscipit, & aërem, qui suo etiam modo alimentum reputatur.

Gal. lib. 1. de sem. c. 8. e 9. & lib. de format. fœt.

TEXT. XXXIV.

RAdicatio venarum hepar : radicatio arteriarum cor : ex his aberrant in omnia sanguis, & spiritus, & calor per hæc meat.

COMMENT.

SÆpe Galenus nos admonet, veteres communi venarum nomine & venas, & arterias intellexisse : sic Plato, sic Aristoteles loquuti sunt : sic ante illos Hippocrates, qui frequenter venę nomine, nempe τῆς φλεβὸς arteriam significat, vt apparet ex quamplurimis locis, quos diligenter Foesius in sua æconomia collegit. Cæterùm in præsente placuit ei venas, & arterias distinctis nominibus exprimere, nec fortè alibi ita fuit loquutus; Nam vbi arteriam simpliciter nominat, eam intelligit, quæ etiam, cũ addito, τραχεῖα ἀρτηρία solet dici, hoc est aspera arteria.

Foesius in œcon.

Porrò vtrorumq; vasorum, venarum, inquam, & arteriarum ῥίζωσιν, hoc est, radicationem nobis tradit. Rectè radicationem dixit : quippe arteriæ à corde, venæ à iecore, non originis, sed officij ratione procedunt : neq; enim vasa, quæ membra spermatica sunt, possent originem accipere à membris carnosis, qualia sunt ea, quę parenchymata dicuntur, inter quæ recensentur cor, & iecur.

Duo hinc documenta colligimus : primum vasa hæc, quæ priscis communitate nominum confundebantur, valde inter se diuersa esse : alterum diuersitatem ortus eorum nos posse manu ducere, ne in Aristotelis errorem incidamus, vni duntaxat cordi omniũ originem, hoc est, tàm neruorum, quàm venarum, quàm etiam arteriarum tribuentis.

Quod attinet ad diuersitatem ratione processus; patet ex præsente contextu : quippe *Radicatio venarum hepar : radicatio arteriarum cor.* Et quamcumq; dubitationem circa hoc Peripatetici habere possent, eam autopsia eis aufert. Habet enim cor annexa sibi quatuor vasa, (ea sunt vena caua, vena arteriosa, arteria magna, & arteria venosa) hæc suis orificijs in cor subeunt, ita tamen, vt in ijs valuulas quasdam habeant (quas epiphyses Galenus vocat) quarum structura ostendit aliquid per arterias è corde illabi, aliquid per venas in cor fluere. Si igitur vena in cor materiam deducit, manifestum est, eam aliũde procedere : rursus si arteria aliquid è corde transmittit, eius processus è corde est. Itaq; hæ valuulæ in eum vsum fuerunt comparatæ, ne quid in cor intromissum, possit forâs refluere, nequid etiã forâs effusum, iterum ad cor remeare queat. Arteria magna, quæ sanguinem arterialem in vniuersum corpus, & arteria venalis, quæ eundem in pulmonem deducit, vnaquæq; tres habet valuulas intus apertas, foris clausas, & sic impediũt, ne sanguis egressus remeet, quod pulsante corde posset accidere. Vena caua, & vena arterialis, quarum illa sanguinem venalem, hæc aërem in cor introducit, opposito modo constructas habent valuulas, hoc est, intus clausas, foris hiantes : sic autem fit, vt semel in cor introducta materia egredi rursus nequeat. Libet hîc admirari naturæ prouidentiam, quæ cum in tribus istorum vasorum, arterię, inquam, magnæ, arteriæ venalis, & venę cauæ, tres vnicuiq; præfixerit epiphysis, vt prorsus claudãtur, venæ arteriali duas tantùm tribuit, vtpote quam non omnino claudi oportebat, sed semiapertam relinqui, vt post aëris introductionem egredientibus fuliginibus via patens esset.

Radicationem autem venarum iecur esse, demonstratur ex eo, quòd vena caua, & vena porta duæ sunt venæ, ex quibus reliquæ omnes diuaricantur; Hę nihil inter se commune habent:

habent; siquidem caua ex gibbis hepatis procedit, porta ex eiusdem hepatis cauis emergit. Cæterum si Peripatetici decepti, quia vident cauam ad cor accedere, putant, eam è corde germinare, quid possunt dicere de vena porta, cui nullus ad cor est accessus, & tamen in ventriculum, lienem, intestina, epiploon tota diffunditur, & his partibus alendis sanguinem defert? Nunquid dicent, nutrimentum harum partium non esse à corde? At sic iam cor non erit vniuersale principium, & prętereà non est, cur quasdam partes vni principio alenti, alias alteri tribuamus. Nec poterunt dicere, cauam, & portam esse vnam, & eandem: quippe in iecore vna in aliam non hiat, sed seiunctos habent hiatus. Deniq; cor, viscus calidissimum, calidissimo sanguini arteriali generando aptissimum, quem multitudine spirituum turgere facit, flauescere, insinuari, quomodò potest simul in sua officina alium sanguinem, nempe venalem, rubrum, crassiorem, paucis spiritibus prçditum conficere, imò nullos per seipsum spiritus habentem (neq; sentio cum iis, qui spiritum naturalem concedunt) eosq; ab arterijs, quas plerisq; in locis subtractas habent, acceptis?

Quod autem spectat ad diuersitatem in constrictione, venæ duplice tunica constant, altera propria, communi altera. Non quidem (vt putarunt aliqui) duas has tunicas semper habent: communem namq; à locis, per quæ transeunt, recipiunt, nempe in thorace à pleura, in ventre inferiore à peritonæo, & hoc fit, vt vicinis partibus adhæreant, & firmentur. Dum autem venę per viscus aliquod sparguntur communi tunica destituuntur. Propria tunica non est omnino simplex, vt est tunica peritonæi, & pleuræ, & periostij: sunt enim hæ omnes simplices: at tunica venarum composita est, & dissimilaris, constans ex villis, & ex carne. Arteria, vt tradit Herophilus, sextuplo densiorem, quàm vena, habet tunicam, & meritò: quoniam sic oportebat esse receptaculum illius sanguinis, cuius iam tenuitatem, spirituositatemq; (vt sic dicam) superius inculcaui; Est prętereà necessaria densitas hæc tunicæ in arteria, quæ cum continuis pulsationibus agitetur, si venalis tunicæ densitatem non valde superaret, multoties, irremediabili malo, disrumperetur.

Quod attinet ad officium, seu vsum, tametsi Hippocrates in præsente promiscuè arteriarum, & venarum vsum nobis tradat, dum ait, *Ex his aberrant in omnia sanguis, & spiritus, & calor per hæc meat*, nihilominùs, inter se necessariò sunt distinguendi. Etenim ab Hippocrate, primo artis medicæ fundatore, neq; distinctiones exactæ, neq; exquisita vocabula expectanda sunt. Vnde Fracantianus, cum hìc dicat Hippocrates *ex his aberrant in omnia sanguis, & spiritus*, aberrandi verbum non recipit: quippe ea, quę ordinatis, & determinatis vijs incedunt (vt sunt sanguis, & spiritus) non dicuntur aberrare. *Fracant.*

Nominis etymon vniuscuiusq; istorum vsum nobis declarat: arteria dicitur vel παρὰ τὸ τὸν ἀέρα τηρεῖν, hoc est, aërē deducere, vel παρὰ τὸ αἴρεσθαι, quod est attollere: dilatando enim se se attollit. Vena autem appellatur φλέψ à verbo φλεβάζω, quod est scaturio, vel ex Suida à verbo φλέω, quod est fœcundus sum, abundo: Hinc colligo, arteriæ munus esse dilatatione aërem attrahere, & compressione fuligines expellere: venę, autem vsum, sanguine ad alenda membra abūdare.

Pulsant arteriæ, proinde eas Hippocrates φλέβας τε̃ σφύζουσας, venas micantes appellat: pulsant, inquam, facultate à corde sibi impertita, de qua posteà: venę autem vix perceptibilem pulsationem habent, quam chirurgi, vt venas inconspicuas inueniant, quas secare volunt, tactu explorant. Cęterùm pulsatio isthæc venarum, non, vt artercarum, à facultate aliqua prouenit, quippe hac omnino carent, sed sola sanguinis quadam ebullitione.

Vtrùm verò ex pulsu signum aliquod acceperit Hippocrates, suo loco ventilabitur.

Infra ad tex. 50. Sanguis & per arterias, & per venas fertur: sed per illas calori inducendo aptus, alimoniæ ineptus: per has aptissimus alendo, calori verò inducendo, non nisi mutuatis arterijs spiritibus: etenim mutua est inter vtrasque anastomosis, præcipuè in partibus extimis, vbi venarum, & arteriarum oscula conniuendo in se mutuò hiant, quod Hippocrates non siluit: inquit *Hip. de locis in homine.* enim, *Communicant autem omnes venæ, & confluunt inter se mutuò, & aliæ quidem sibi ipsis per se committuntur, ac coincidunt, aliæ verò per venulas à venis extentas.* Dixit, venas inter se communicare, & confluere, venarum nomine tàm arterias, quàm venas cõprehendens. Recipiunt ergo arteriæ à venis sanguinem venalem, quo & ipsæ arteriæ nutriuntur, & arterialem suum sanguinem restaurant: recipiunt venæ ab arterijs spiritus, quibus venali suo sanguini viuacitatem augent.

AN ARTERIAE MOVEANTVR simul cum corde.

QVAESTIO TERTIA.

INter Erasistratum, & Galenum contentio in medium afferenda est, & vtriusq; partis fundamenta ingenuè sunt proferenda: his iactis, nemo adeò vecors est, qui, quænam vera sit opinio, non agnoscat. Erasistratus (vt Galenus refert) *G.4.diff. puls. c.2.* existimauit, motum arteriarum motui cordis esse oppositum, ita vt quando arteriæ constringuntur, cor dilatetur: Galenus oppositum tenet, videlicet arterias simul cum corde & dilatari, & constringi.

Argumenta pro Erasistrati opinione.

Articulus Primus.

2 EXistimauit Erasistratus, cor, cum distenditur repleri, arterias, cum replentur, distendi: aliud enim est distendi aliquid, vt impleatur, vt folles fabrorum, qui, vt repleantur, distenduntur: aliud repleri, vt distendantur, vt vtres, & similia, quæ, vt impleantur, distenduntur. Itaq; cor, iuxtà hanc sententiam, dilatatione sua suscipit ab arterijs aërem, quo arteriæ priùs repletæ se se dilatauerant, & sic dilatationi arteriarum succedit dilatatio cordis, neq; est vtraq; simul. Auicennam, existimant aliqui, huius etiam fuisse sententiæ; siquidem ait, vitalem *Auic.p.p. doct.6.c.4* facultatem simul constringere, & dilatare, quod sectatores eius ad Erasistrati sectam deduxit. Nec verò autoritati desunt rationes.

3 Prima. In diastole trahit cor sanguinẽ per venam cauam in dextrum sinum & aërem per arteriam venalem in sinistrum: ergo tunc temporis cor impletur, vasa inaniuntur. E' contrario in systole transmittit cor vitalem spiritum in arterias: ergo tunc temporis vacuatur cor, & implentur arteriæ. Sed dum implentur arteriæ, distenduntur, dum vacuantur, concidunt; Distento igitur corde, contrahuntur arteriæ, & eodem contracto, distenduntur.

4 Altera. Si cor, & arteriæ simul mouerentur, cur valuulas orificijs vasorum cordis affixit natura? Neq; enim erat necessarium aliquod foraminum claudi, siquidem dilatatione ex omnibus partibus tractio fit, & compressione in omnes expulsio. Dicendum igitur est, cor, & arterias vicissim moueri, & quo tempore

in

in contractione, duo orificia clauduntur, necesse est, alia duo aperiri, & è conuerso.

5 Tertia. Si cor, & arteriæ mouentur simul, nunquam poterunt arteriæ repleri: non quando in contractione inaniuntur, non tempore quietum (ad repletioné enim requiritur motus dilatationis arteriæ) neq; etiam tempore dilatationis, cum eo tempore cor potiùs trahat ab arterijs, cum validiùs operetur, quàm arteriæ ab eo: ergo nunquam replebuntur.

6 Quarta. Si cordis, & arteriarum motus esset idem, responderet respiratio semper pulsui, quod tamen falsum esse, omnes norunt. Ratio huius rei est, quoniam distento corde, pulmo parte aëris inanitus subsidet, & propter pulmonem thorax: ergo si corde distento, distendantur simul arteriæ, arteriarum motus respondebit motui respirationis.

7 Quinta. Si cor, & arteriæ simul mouerentur, sequerentur duo absurda. Primum: Si comprimerentur partes arteriarum ad expulsionem, ad eandem expulsionem ora arteriarum deberent dilatari; atq; ita non poterunt partes omnes cordis, & arteriarum simul dilatari, aut simul constringi. Alterum: quia maiores arteriæ, cum maius spatium peragrare teneantur, velociùs mouebuntur: quare non poterunt eodem tempore vnà cum corde ad eundem terminum peruenire, neq; ab eodem progredi.

8 Sexta accipi potest ex verbis Galeni: sunt autem huiusmodi: *Itaq; interdum etiam similis erit moderato pulsus arteriarum, quod ad magnitudinem, & celeritatem attinet, cum cordis pulsus minor, & tardior sit.* Colligitur ergo hinc, saltem *interdum*, hoc est, in hectica pestilente, in cuius consideratione illic versatur, dispares esse arteriarum, & cordis passiones. *Ga. de præsag. ex puls. l. 3. c. 4.*

9 Septima tandem. Auicenna considerat diuersam laterum temperaturam, & in hac diuersitate contingere posse, existimat, diuersas illarum partium pulsationes: vnde contractio, & distentio, non cordis contractionem, & distentionem sequuntur, sed naturam arteriarum. Hoc autem in praxi sæpe occurrit, nempe arteriam in carpo dextro, aut sinistro velociùs pulsare, quàm in opposito. *Au. 2. 1. doct. 2. c. 8.*

Galeni sententia, quam infallibili experimento veram esse, constat, suis etiam rationibus stabilitur.
Articulus Secundus.

SI quis altera manu (& est experimentum à Galeno allatum) cordi, altera alicui arteriæ imposita, vtriusq; motum contempletur, vtrumq; simul fieri cóperiet. Hoc idem in viuorum animalium motionibus obseruant Anatomici. Accedunt experimento rationes, numero quidem pauciores, quàm illę, quas pro Erasistrato produximus, efficacia verò longè validiores. *Gal. 3. præsag. ex puls. c. 3.*

2 Prima. Cor trahit aërem ab arterijs, quod apud omnes in confesso est, & probatur: quippe in hysterico paroxysmo, in quo silet respiratio, neq; tunc à pulmone accedit aër, pulsat cor, pulsant & arteriæ: pulsat, inquam, cor ad spirituum refectionem, spirituum refectio non fit sinè aëre: hoc iam satis est comprobatum; trahit ergo cor aëré ab arterijs: non ab arterijs contractis, ná contractæ expellũt fuligines: ergo à dilatatis; Cum ergo cor dilatando se trahat aërem ab arterijs dilatatis, rectè concluditur, eundem esse & cordis, & arteriarum motum.

3 Altera. Si idem non esset cordis, & arteriarum motus, oporteret, arterias à corde vim contrahendi se accipere tunc, cum cor dilatatur, quo nullum maius absurdum esse potest: nam facultas pulsatilis vna est, non plures; Quæ igitur dilatationem operatur in corde, non potest simul cóstrictionem communicare arterijs; alioquin idem, quatenus idem, per se, & primò, posset duos motus contrarios producere.

4 Tertia. Ex hypothesi moueatur cor motu dilatationis, & arteria motu constrictionis, & vterq; motus sit simul, quod eueniet? Nempe cor dilatatione aërem ab arteria accipiet, ac subinde arteriæ foramen erit apertum: tunc autem arteria fuligines expellet, quæ, cum foramen inueniant apertum, remeabunt in cor. Itaq; vno, & eodem tempore accipiet cor refrigerium ex aëre, & molestiam ex fuliginibus, præter quàm quòd frustra fuligines expelluntur, protinus reuersuræ.

5 Quarta. Conuenit inter omnes, quietem externam minorem esse quiete interna: conuenit item, initia motuum in idem tempus coincidere in corde, & in arterijs; Si igitur inciperent arteriæ dilatari, quando cor incipit constringi, cum cor incipiat constringi paulò post dilatationem suam, (est enim quies externa breuis) ergo arteriæ incipient dilatari paulò post contrictionem suam (vt initia motuum sint eadem): ergo quies arteriarum interna non erit maior, quàm externa, contra id, quod apud omnes receptum esse, diximus. Et hæc vltima ratio Erasistrati opinionem penitus conuellit.

Respondetur argumentis, pro Erisastri opinione allatis, Articulus tertius.

VT fiat Erasistrati sectatoribus satis, eorum argumenta, quæ primo intuitu aliquam vim præseferunt, respondere erit operæ pretium. Primum nos eò deducebat, vt fateri cogeremur, arterias, vt impleantur, dilatari, quo tempore cor, vt arterias impleat, constringitur; Cui, vt respondeamus, aduertere oportet, arterias, cum constringuntur, non adeò constringi, vt suam amittant cauitatem, ac propterea posse, etiam tempore constrictionis, aliquid recipere: & sic nihil impedit, quominùs cor, constringens se, possit, in tempore constrictionis arteriarum, in eas aliquid immittere: quippe arteriæ (quod nemo hactenus meminit) vel considerantur respectu cordis, vel respectu aliarum partium: si respectu cordis, recipiunt quidem arteria aorta, & vena arterialis sanguinem à corde, & ideo valuulas suas aperiunt, cum cor constringitur ad expellendum, fiuntq; sicut volucrum pulli, qui aperto ore expectant à matre cibum: recipiunt, inquam, in suis cauitatibus, quas habent, licèt non dilatentur; Cum autem cor dilatatur, valuulæ istæ sunt clausæ, ac propterea neq; ad cor remittunt, neq; à corde recipiunt. Itaq; possent respectu cordis neq; dilatari, neq; constringi: quia neq; dilatantur, vt accipiant, neq; constriguntur, vt remittant. Si verò considerentur respectu mébrorum, tunc dilatantur, vt attrahant aërem, constringuntur, vt expellant fuligines.

2 Obijciet tamen aliquis, potiùs interrogabit: Quorsum simul cum corde dilatantur, & constringuntur, si respectu cordis nec dilatatio, nec constrictio est necessaria, sed sufficit cauitatem apertam esse? Duplicem hoc quæsitum habet responsionem. Prima est ex parte virtutis, quæ, quoniam à corde communicatur, oportet, vt sit eadem cum virtute cordis: iam enim supra in secundo argumento pro Galeni opinione diximus, fieri non posse, vt vna, & eadem facultas simul & dilatationem efficiat, & constrictionem. At habere arterias à corde pulsandi vim, postmodò demonstrabimus. Altera responsio sumitur ex parte vsus: cum enim in cordis constrictione arteria aorta, & vena arterialis habeant, vt diximus, apertas valuulas, si tunc hæc vasa dilatarentur, attraherent à corde sanguinem, & simul aërem externum reciperent, atq: ita confusio fieret maxima; E' contrario in cordis dilatatione, in qua arteria venalis habet aperta ostiola, si tunc vas istud constringeretur, simul attraheret à pulmonibus in cor aërem, & expelleret fuligines: & hoc facto, cum adhuc maneat cauitas, daretur vacuum: nihil .n. tunc esset, quod cauitatem impleret iam tũc ab aëre, & à fuliginibus vacuã. His ita consideratis, argumentũ amittit suã vim: siquidem & arterię sinè dilatatione possũt recipere à corde,

& earum

& earum dilatatio non tam fit propter id, quod à corde possunt trahere, quàm propter id, quod à venis, & vicinis partibus sugunt.

3 Ad secundum. Optimo naturæ consilio factæ fuerunt in corde valuulæ, vt cum cor dilatatur, nihil ad aortam, & venam arterialem remigraret, dum constringitur nihil in arteriam venalem, & venam cauam reflueret: neq; ex eo, quòd arteriæ moueantur simul cum corde, huius artificij dignitas minuitur, quod ex iam dictis patet. Si quis autem harum valuularum artificiosam valde constructionem ex professo considerare cupit, adeat Anatomicos.

4 Tertium. Non reperit tempus, in quo arteriæ repleri queant: Sed eligant Erasistratei, quodcumq; tempus velint, omne quidem est aptum: etenim arteriæ respectu cordis non dilatantur, vt repleantur, sed replentur, quia dilatantur: ac proinde, sicut in motu, & in quiete cauitates, vt dictum est, habent, vtroq; tempore repleri possunt. Deinde arteriæ, quando dilatantur, replentur secundùm ora continente aëre, secundùm mediam partem sanguine venali, interno autem ore ad cor terminato spiritu, & sanguine arteriali: pauxillum enim eius à corde trahetur. Dicet tamen aliquis, arterias, cum dilatantur non posse quicquam trahere, quia simul dilatatur cor, quod validiùs trahit, quàm arterię. Respondeo, valuulas aortæ, quæ in dilatatione clauduntur, prohibere tractum ad cor, non tractum à corde: ac proinde cor non potest trahere ab illa, potest tamen illa trahere à corde. Tandem cor facili dilatatione repletur plurimo aëre, & valde vicino, nempe contento in pulmone, per arteriam venosam tunc patentem: cum ergo repletione vacui semper id, quod tenuius est, trahatur, fit, vt non trahat sanguinem ab aorta clausa: quippe anticipat repleri aëre ab arteria venali aperta.

5 Quartum nos deducit ad concedendum id, quod falsum est, nempe motum arteriarum respondere motui respirationis: at non potest nos cogere, vt hoc admittamus: multa namq; sunt, quæ hanc paritatem impediunt. Pulmo, distento corde, paulatim inanitur, quare pulmo inanitus subsidet, & septum sibi contiguũ, qui eum sequitur, ad superiora trahit, vt in suffocationibus apparet: vnde & venter exterior subsidet: nam pectus in respiratione naturali non distenditur. Prætereà in contractione arteriarum occupat circundantem locum fuligo, spiritus, & sanguis, hæc omnia emissa ab arteria: sequente verò dilatatione ita premuntur, vt cogantur subire membrorum meatus ad commodam nutritionem. Sic in contractione cordis locus intercedens repletur aëre rarefacto, sicut in dilatatione rursus condensato. Itaq; tot sunt, quæ supplent aëris defectum: siquidem partes vacuæ aut distenduntur, aut aëre rarefacto replentur, ac propterea motus thoracis motui arteriarum non respondet.

6 Quintum duo absurda proponit, vtrumq; frustra. Ad primum, videlicet sequi, vt os arterię dilatetur, medium comprimatur, iam diximus, os dilatari ad tractionem aëris externi, medium ad attractionem sanguinis venalis, qui per venarum oscula accipitur, vltimum cordi propinquum, ad receptionem spirituum, & sanguinis arterialis. Ad secundum dicimus, arterias maiores velociùs moueri, quàm minores, non tamen velociùs, quàm cor: minores autem quamuis minùs velociter, quàm maiores moueantur, tamen breuitate spatij compensant velocitatis defectum.

7 Sextum nititur verbis Galeni dicentis, in frigida cordis intemperie pulsus fieri moderato similes quoad magnitudinem, & celeritatem, cum tamen cordis pulsatio minor sit, & tardior. Cæterùm hæc verba non obstant, quominùs in corde, & in arterijs pulsationis principium vnum, & idem sit: si enim pulsatio cordis erit tardior, pulsatio arteriarum erit rarior, quia arteriæ quiete aliquantulum maiore expectabunt, donec cordis motus incipiat. Itaq; possunt differre inter se cordis, & arteriarum pulsationes in aliquibus differentijs, dummodò conueniant

in motionis initio. Sic quando Galenus iubet, vnam manum arterijs carpi imponi, alteram verò cordi, non considerat, vtrùm arteriæ, & cor pari passu moueantur, sed vtrùm vtrobiq; sit idem motionis initium: eius verba sunt hæc: *Quod dico clarè intelliges, si altera manu eodem tempore cor, altera aliquam arteriam tangas: principia enim motuum animaduertes vnà fieri, sed dissidebunt magnitudine, celeritate, & vehementia.*

8 Septimum depromptum ex Auicenna dicente, si varia fuerit laterum temperatura, varios quoq; esse pulsus, eandem cum præcedente responsionem habet: possunt quidem pulsus variari, ita tamen, vt semper pulsationis arteriarum, & cordis initium, seu promotio vtriusq; non differat. Manet ergo stabilita Galeni opinio, & contraria labefactata, quã Andreas Laurentius immeritò Fernelio viro laudatissimo attribuit, cuius tamen verba contrarium nobis declarant: quippe ait, *Vis enim, quæ à corde initium ducens per arteriarum tunicas demittitur, & influit, illas quidem eodem modo, atq; eodem tempore, atq; cor, attollit, & summittit*: Eandem notam inurit Cardano, qui tamen indignus est, cui hæc fiat iniuria. Verùm (vt loquar Ciceronis ore) parum firmamenti, & parum virium falsitas habet: quippe Cardani verba eum vindicant ab hac culpa; *Melius igitur* (inquit ille) *erit, vt existimemus, arterias etiam reliquas omnes, cum Galeno idem habere distentionis principium: quòd si reliqui cogitassent, non in tam absurdum errorem deuenissent.*

Fernel. Patholg. lib. 6. c. 17.

Card. lib. 2. tract. 2. contradic. 12.

9 Pro coronide adiungo, fuisse aliquos, qui, tametsi fassi sunt, arterias pulmonis simul cum corde pulsare, nihilominùs reliquas omnes contrario motu agi, sunt arbitrati, sed absq; fundamento: cum enim vniuersos pulmones tria vasa in plures surculos disseminata permeent, aspera nempe arteria, vena arterialis, & arteria venalis, nulli istorum pulsatio conuenit, nec si conueniret, aliam facultatem ab arteriarum cæterarum facultate diuersam haberet.

VNDENAM ARTERIIS PVLSANDI vis accidat.

QVAESTIO QVARTA.

AD præcedentis quæstionis complementum deest adhuc scire, qua vi cieantur arteriæ: quod non esse cognitu facile, colligitur ex opinantium circa hoc varietate: quippe tum apud veteres, tum etiam apud neotericos, vnusquisq; videtur suo modo sensisse. Quamuis autem plures istæ opiniones in tria capita reduci possint, nempe eorum, qui facultatem pulsandi omnino negabant, eorum, qui eam aliqua saltem ex parte admittebant, & aliorum, qui arterias facultate à corde accepta pulsare, dicunt, nihilominùs clarioris doctrinæ gratia, singula autorum dicta libet peculiariter examinare.

Opinio eorum, qui facultatem pulsandi omnino negarunt.

Articulus Primus.

2 ADeò firmum, ratumq; erat apud Galenum, pulsationem arteriarum, non sinè facultate aliqua fieri, vt Praxagoram, & Philotimum, contra-

trarium sentientes, ab euidentia errasse exclamet: quandoquidem palpitationem à pulsu distinguere non potuerunt, quod tamen facilè discernitur: nam (vt ampliorem tractationem de palpitatione omittam, quam in libello de complexu morborum ex professo tractaui) hoc vnum manifestè constat, palpitationem nimirum esse affectum præter naturam, vt constat ex Galeno, sic palpitationem definiente, *Est motus inconsultò, & non spontè factus, elatis palpitantium, atq; delatis partibus*: & alibi, *Est eleuatio, & depressio præter naturam*. Imò verò cum aliquando illegitimos motus diuidat in eos, qui fiunt à facultate irritata, vt sunt sternutatio, tussis, & alia: & in alios, qui fiunt à natura simul, & morbo, in quorum genere sunt, stupor, tremor: & tandem in eos, qui fiunt à solo morbo, natura ad eorum generationem suppetias minimè ferente, de his ait, *Vnius morbi sunt opera palpitatio, & conuulsio*. Si igitur palpitatio (relinquo eam, quæ in alijs partibus fit) in corde fit à solo morbo: si rursus σφυγμὸς, hoc est, pulsus fit à natura, manifestam habent hi duo motus in vno, & eodem membro dignotionem: quippe id, quod à morbo fit, molestiam affert, quod à natura vtilitatem. G. de tremore rigore etc. c. 4 c. 5.

3 Cæterùm dicet aliquis, non fieri motum pulsationis à facultate: quippe in corde nulli sunt nerui, nulli musculi, qui neruis inserantur: quare cum desint facultatis instrumenta, facultatem etiam deesse, censendum est. At hæc ratio solùm probat, non esse motum arbitrarium. Sed adhuc nec videtur motus esse naturalis: quippe naturalis motus sequitur naturam elementi prædominantis. Respondeo cum Vallesio, esse hoc genus actionum vitalium, *Quod multis rationibus medium tenet, inter priora* (hoc est inter animales, & naturales) *& perfectione* (*nam vitales actiones quantum superantur perfectione ab animalibus, tantum naturales superant*) *& motu, quem pulsum appellamus: est enim animalis motus liber à natura sua ex voluntate profectus: est etiam quidam motus naturalis secundùm locum, in his instrumentis, quæ fibris operantur: sed qui neq; ex voluntate fit, neq; pro ratione vsus, sed vt operationes merè naturales solent pro ratione efficientis, & instrumenti ad resistentiam. Vitalis motus medius est, qui quamquàm non pro voluntate, tamen pro ratione indigentiæ fit*. Hactenus Vallesius, qui pulsationem exactissimè nobis circumscribit: cum enim non sit motus animalis, nec naturalis, & longissimè absit à motu præter naturam, reliquum est, vt sit motus quidem autogenus, hoc est, sui generis, omnino tamen vitę nostræ necessarius; Vnde tametsi reliquę operationes viuentium sint, hæc sola tamquàm antonomasticè vitalis appellatur. Inaniter ergo duo illi viri Praxagoras, & Philotimus, (magnos fuisse testatur) pulsandi actionem quodammodò fortuitum esse, aiunt, existimantes, arterias ex se ipsis pulsare, hoc est, ex sua naturali constitutione, & ignorantes, omne id, quod mouetur, moueri ab alio, quod ab Aristotele, tamquàm verum axioma, recipiunt omnes. Vallesi. lib. 2. contr. c. 15. Ar. 7. physic. tex. 5.

4 Non me latet, aliquos, cum Auerroe, hanc actionem ad vegetabilem animam refferre: Ludouicum Mercatum ad sentientem, quod iam superiùs me tractasse, memini. Illud tamen in præsente firmiter tenendum est, eam à facultate aliqua cordi insita, arterijs communicata procedere.

5 Forsitan autem duo isti magni viri non omnino negarunt, pulsationem fieri à facultate, sed tamen hanc facultatem, voluerunt, arterijs esse inditam, neq; eam à corde expectare, non aliter ac facultas naturalis singulis membris indita est, neq; influit aliunde. Profectò si ita existimarunt (vt credibile est existimasse) non increpandi sunt eo modo, quo eos increpat Galenus, quòd scilicet voluerint, arterias ita se in pulsatione sua habere, *Ac si quis carnem ab animalis corpore recisam humi palpitantem deposuerit, perspicuè ibi arteriarum motum animaduerti posse*. Non quidem ita censuerunt, neq; reprehensione rigida, qua in eos Galenus inuehitur castigandi, quasi *Palpitationem à pulsu distinguere non valuerint*, *qui sanè*

sicut

sicut hoc cognoscere, ita illud quoq; debent non ignorare. Non ignorant quidem, palpitationem fieri à morbo, pulsationem à natura, hoc est, ab indita sibi facultate.

6 Cæterùm Galenus obseruatione facili ostendit, facultatem istam pulsificam influere à corde; nam si arteria scindatur, pars, quæ continua cordi manet, adhuc pulsat, quæ verò à corde seiungitur, pulsandi actione omnino caret. Possent tamen adhuc viri hi magni respondere, arteriæ partem, quæ est vltra sectionem, non pulsare quidem, non quòd ei desit influxus à corde, sed quòd rumpitur continuitas cum suo principio, & absq; continuitate, quæ est conditio, sine qua membra agere nequeunt, non posse arteriam pulsare. Verùm non est meum tantorum virorum protectionem suscipere, præcipuè cum pro indubitato teneam, facultatem, quæ vitalis à medicis appellatur, per arterias influente corde communicari; neq; enim exangui, & membranosæ substantiæ, ac subinde ignobili, natura adeò nobilem facultatem debuit committere: & tamen notissimum est, hanc facultatem per arteriæ corpus permeare: quippe, vt iam superiùs ex Galeno demonstrauimus, si, calamo intra cauitatem arteriæ immisso, arteriam ligabimus, perit omnis pulsandi vis.

sup. sect. 1. q. 3 art. 13. n. 6.

7 Si verò aliquis quærat, cur, si facultas naturalis singulis membris est insita, neq; aliunde influxum expectat, vitalis, quæ magis necessaria est, & quam cum Auerroo multi ad naturalem, hoc est, ad vegetabilem referunt, non etiam indita erit? præcipuè cum ex influxu periculum deperditionis ex via occlusa immineat. Respondebo, vitalem facultatem quoad calorem, quem præstat, adeò à natura custodiri, vt non solùm calorem influentem, sed etiam vnicuiq; parti inditum præstat: pulsandi verò actionem, quoniam hęc cordi inseruit, à corde imperari: aliter ex diuersitate imperantium oriretur confusio.

8 Porrò Praxagoræ, & Philotami opinio sic explicata, quamuis neget facultatis vitalis influxum, quia tamen non negat, vim pulsandi arterijs ipsis inesse, toleranda est; Aristotelis verò sententia (quæ tamen Turisanum sectatorem inuenit) omnino intolerabilis. Pulsationem, ait, esse similem ebullitioni, quæ fit in tuberculis, in quibus dolor percipitur, propterea quòd præter naturam est sanguini permutatio in pus: fit autem vsq; quò suppurauerit concoctus. Igitur cum sit passio ebullitioni similis, ebullitio autem fiat, cum inflatur humidum à calido (releuatur enim, quoniam amplior fit moles) eodem modo in corde semper accedentis humidi ex alimento per caliditatem, tumefactio facit pulsum releuantis vltimam tunicam cordis, & hæc continuò fit, quia semper humidum affluit, ex quo fit sanguis.

9 Dilatationem itaq; à calore, in spiritus humidum resoluente, fieri vult: constrictionem autem accidere, quia spiritus genitus expirat, vel feruor à frigido obtunditur, non aliter atq; aqua bulliens, si expirauerit spiritus, aut frigidum aliquid fuerit superinfusum, concidet. Quod si spiritus ebullire faciens sanguinem nullo modo expiraret, aut obtunderetur, remaneret arteria dilatata, & propter intumescentiam rumperetur, quemadmodùm in feruore musti rumpitur cadus, si spiraculum rectè claudatur, vt nihil expirare possit.

10 Auerrous non ausus suo Aristoteli penitus contradicere, hanc ebullitionem, tamquàm causam iuuantem admittit. Auicenna non multùm ab Aristotele recedit, qui, spiritum vitalem pulsationem fieri, ait. Asclepiades sentit, arterias ex aëre inflari. Hi omnes in eo conueniunt, quòd cor, & arterias, quòd intumescant, & impleantur, pulsare, dicunt, & non ob aliam facultatem.

11 Nec verò rationes huic opinioni desunt, sed ex quamplurimis paucas, sed præcipua, libet adducere. Prima est Turisani dicentis, semen, cum primum effunditur in vterum, incipere pulsare, donec fœtus compleatur: at dum fœtus non completur, non adsunt arteriæ: non ergo pulsatio ab arterijs. Altera. Attractio

sanguinis non fit, sicut attractio nutrimenti in substantiam membri, sed propter vacuum, quod inducitur, vt scilicet repleatur, ad replendum autem vacuum nulla opus est facultate. Tertia. Si facultas est, vel est animalis, vel naturalis: non animalis, tum quia non arbitraria, tum quia absquè cognitione, & sensu fit: non naturalis, quia non vnus continuus est motus, sed interruptus, compositus, & ad opposita.

12 Sed vbi nam est, Galene, tua illa ad contradicendum Aristoteli propensio, atque libertas? Hæc, hęc est opinio, quæ palpitationem à pulsatione non discriminat. Hæc, quæ actionem naturæ congruentem, vitæ necessariam, affectioni præter naturam æquiparat. Forsitan quia isthæc sententia calorem dilatationis causam facit, ideo enim Aristoteles, iuniores senioribus maiores habere pulsus, dixit? At Aristoteles calorem constituit, tamquàm causam efficientem, quod declarat Lucani carmine Turisanus:

Dum mouet hæc calidus spirantia pectora sanguis.

Sed quid habet commune causa efficiens, cum finali? Quamuis enim ex libro de placitis recipiamus, à calore motum arteriarum esse, à calore motum recipimus, vt à fine ad quem pulsatio ordinetur: quippe aër attractus per arterias calido nutrimentum est, fuliginum verò per easdem expulsio efficit, ne calor suffocetur, extinguatur. Profectò infallibilis ordo, quo arteriæ mouentur, ostendit, motum hunc à facultate esse: nequè enim aliter perpetuus rithmus posset seruari. Deinde si sanguinis ebullitio pulsationem facit, cur non pulsant febricitantium venæ, in quibus ebulliens continetur sanguis? Tandem si (vt docet obseruatio Galeni) calamo immisso per cauitatem arteriæ, & ligato eiusdem arteriæ corpore, cessat pulsatio, manifestum est, non ebullitionem sanguinis, qui in cauitate continetur, esse pulsationis causam, sed facultatem à corde per arteriæ corpus diffusam. G. 8. de placet. c. 7.

13 Argumenta pro Aristotile inualida sunt. Ad primum, quod expulsatione seminis, antequàm arteriæ adsint, accipitur, respondetur, semen iniectum palpitare, non pulsare: pulsatio namque variatur ab vsu, & à facultate, seminis motus semper est idem. Ad secundum. Non admittimus pulsationem fieri ad replendum vacuum: quorsum enim natura vacuum continuè efficeret non ad alium finem, nisi, vt continuè etiam dilatatione repleretur? Fit dilatatio propter attractionem, attractio propter refrigerium caloris, qui (vt cum sapientissimo Hippocrate repetere libet) à frigido nutritur. Ad tertium. Iam superiùs explicuimus, motum istum arteriarum esse medium inter animalem, & naturalem, diciq; motum autogenum; Nec verò ex ea parte, qua motionis naturalis conditionem participat, inconuenit ei, esse motum interruptum: nam non est vnus interruptus, sed duo per se distincti, duabus quietibus ordinatim diuisi. An verò duo isti motus ad tantam crebritatem deuenire possint, vt amissa vtraque quiete fiat vnus circularis, aut amissa altera earum fiat vnus continuus, non est nostrum hìc disputare; Satis est scire, licèt fieret vnus continuus, & ad opposita, non inde absurdum aliquod sequi: est namquè actio facultatis, ab anima non distinctæ realiter, ac proinde nil mirum, si anima imperante, & vsu postulante, quoquò versum fiat motio, vt contingit alimento, cui, vt corpus nutriat, conuenit in omnem partem moueri.

14 Iam putarem cum omnibus, qui facultatem pulsandi negant, satis disputatum esse, nisi se mihi offerret Erasistratus. Hunc Galenus laudat, quòd, arterias à corde motum habere, dixit: increpat tamen, quoniam *non rectè postea motionis ortum exposuit:* neque enim, vtris instar inflati, à corde spiritum exprimente replentur arteriæ. At ego nec in eo, quòd arterias à corde motum habere dixit (recipiatur quantumuis à Galeno) eum recipiam, neque laudabo; Nam aliud est, arterias motum habere à corde, aliud à facultate cordi communicata. G. 6. de placet. c. 7.

Moueri

Moueri, dixit Erasistratus, arterias, quia à corde exprimente spiritum, recipiunt impulsum: at certè qui ita sensit, facultatem pulsandi arterijs communicatam denegauit: quod, an rectè sit dictum, satis ex superiùs dictis constat.

Opinio eorum, qui ex vna parte facultatem pulsandi admittebant, & altera negabant.

Articulus Secundus.

ALiqui dicuntur existimasse, constringi arterias, non vt expellant, sed vt attrahant, non aliter ac labiorum compressione aliquid attrahimus, ac proptereà facultatis opus esse constrictionem, dilatationem autem fieri, quia replentur: imò fieri dilatationem à propria arteriarum natura: cuius rei argumētum est, quòd in mortuis arteriæ reperiuntur dilatatæ. Forsitan huius opinionis fuerunt Pneumatici, qui, referente Galeno, in contractione putabant attrahi, in distentione excerni. An verò distentionem à facultate fieri dixerint, non nobis innotescit. Herophilum autem vnum ex ijs esse, constat, qui solam constrictionem facultati tribuebant: cæterùm non sinè errore: nam si contractione fieret attractio, per excercitia, quando propter auctum calorem maior trahendi aëris frigidi necessitas vrget, maior esset constrictio, quàm dilatatio: & tamen videmus, dilatationem esse valdè maiorem; E contrario in febrium principijs, quando propter cruditates, multæ adsunt fuligines, maior esset expellendi necessitas, maiorq; constrictio dilatatione: cuius oppositum experimento comprehenditur. Quòd autem in mortuis dilatatæ reperiantur arteriæ, nihil conuincit: nam arteriæ in cadaueribus iacent in situ medio: non adeò patentes, vt in dilatatione: medius autem situs est eis naturalis.

G. de diff. puls. lib. 4. c. 2.

2 Alij fuerunt, qui è contrario solam dilatationem à facultate fieri dicebant: (existimo, Asclepiadem, mutata priore opinione, in hanc animum conuertisse) existimabant nempe, attolli quidem à facultate parietes tum cordis, tum arteriarum, atq; ita fieri diastolem: concidere verò à propria grauitate, atq; ita fieri systolem. Verùm hi quoq; errarent: nam istiusmodi motus tremor esset, nempe vnus ex his, quos, Galenus superiùs citatus dixit, esse factos à natura simul, & morbo: quippe ex facultate attollente, & membri grauitate deprimente resultat tremor. Esset autem natura accusanda, quòd rem maximè necessariam (vt iam satis manet inculcatum) nempe pulsationem, in qua vitæ custodiam consistere manifestum est, commiserit motui tremulo, naturam infestanti.

Galeni opinio, quæ vera est, recipitur.

Articulus Tertius.

NON semel Galenus arteriarum pulsationem à corde accepta facultate obiter dicit: id autem ex professo in libro de vsu pulsuum rationibus confirmarum reliquit; Ait ergo in primis in opere de vsu partium: *Nerui quidem à cerebro animalem virtutem; arteriæ à corde pulsatilem, venæ autem ab hepate vegetalem accipiunt.* Hic intelligere oportet, non omnes eodem modo: quippe vegetalis, non influxu communicatur, (vt meliùs sentientium cum Galeno opinio est) sed iecori vegetabilis facultatis principatus tribuitur, quia est principium, & officina,

G. l. 1. de vsu par. c. 16.

cina, in qua sanguis fabricatur, & vnde per venas, in vniuersum corpus mandatur. Est itaq; colligendum ex hoc loco (quod ad rem nostram attinet) facultatem pulsatilem arterias à corde habere.

2 Similia verba reperiuntur apud eundem in libro de semine, vbi sic ait: *Quemadmodùm sentiendi, ac mouendi facultas à cerebro in neruos, pulsandi à corde in arterias diffunditur, ita quoq; à testibus, in totum corpus vim quandam dispergi, dicamus.* Omitto hìc quærere, quænam sit isthæc vis, quæ à testibus in vniuersum corpus dispergitur: non sunt omnia vbiq; tractanda. Quod in præsens negotium facessit, est, à Galeno alibi esse dictum, differre naturalia ab animalibus: *Siquidem naturalibus cognatū actionis vim esse, animalibus verò instrumentis à principio (veluti lumen à sole) ipsam defluere, iam ostensum est.* Hìc naturales facultates mēbris cognatas agnoscit, animales verò influentes. Cæterùm vbi nam reliquit vitales? At non erat ibi occasio exactæ mentionis omnium facultatum: satis tamen se explicat mox inferiùs, dum ait: *Ergo, vt magneti lapidi vis inest, qua ferrū attrahere potest, ita naturalia quoq; instrumenta omnia facultatem habent, qua actionē suam perficiunt; Proinde si permanens esset ipsorū essentia, neq; arterijs, neq; venis indigerent: verū quia nutrimento egent, seruareq; oportet innati caloris symmetriā, hanc ob causam, & venis indigēt, & arterijs.* Hìc rectè colligimus, venas necessarias esse ad deferendū nutrimentū, arterias ad dispergendum calorem. Quare, (quod superiùs dicebamus) iecur est principiū communicans materiā, cor cōmunicans vitam, quæ in calore consistit. De facultate pulsandi non erat, cur ibi ageret: certū tamen est, eam in modo cōmunicandi se æquipari animali. Quare sicut præciso neruo, aut aliter impedito, pars vlterior aut sensum, aut motū, aut vtrumq; amittit, ita præcisa ligataue arteria, pars, quæ vltra sectionē, ligaturamuè est, pulsare desinet. In facultate autem naturali, ob venæ interceptionem, deerit quidē nutrimentum, hoc est, sanguis: non deerit facultas: quippe hęc singulis membris inest, nec aliunde expectatur. Ad hoc probandum celebris est locus apud Auicennam ex correctione Bellunensis: quippe vbi legitur, *Sed debet credere, quòd hæc virtus ad ipsū non profluit, nisi ab hepate: nā si intereà via clauderetur, & os nutrimentum aptum haberet, eius actio destrueretur, quemadmodùm fit in sensu, & motu.* Qui hanc lectionem recipiunt, necessariò tenentur, Auicennam Galeno contrarium efficere: quippe Galenus vult, instrumenta naturalia differre ab animalibus, quoniā naturalia non læduntur, nisi affectio sit in ipsis: animalia verò lædi posse per consensum, hoc est, nullo in ipsis affectu existente: Auicenna, vt vidimus, oppositum tenet. Bellunensis hanc litem componit: transfert enim in hunc modum: *Hæc virtus ad ipsum non profluit ab hepate, taliter quòd si clauderetur via, &c.* Et iuxtà alium; *sed debet credere, illam virtutem non esse nunc eis influxam, ab hepate, ita ut si clauderetur via, inter ipsa, & alimentum, & paratum esset apud ea, tunc eius actio deseretur.* Iuxtà hanc translationem benè conuenit Auicenna cum Galeno: eam autem esse veram, ostendunt sequentia verba nimirum: *Virtus verò illa ossi naturalis facta est, dum eius permanserit complexio.* Hoc quid aliud est, quàm dicere, facultatem naturalem esse insitam membris? Hæc verba coegerunt Foroliuiensem, vt quamuis priorem lectionem sequatur, secundùm quam putat, virtutem naturalem influere, dicat, virtutem naturalem hepatis, & animalem partim conuenire, partim verò non; conuenire quidem, quia, sicut impedito hepatis influxu, deperditur actio naturalis membri, sic impedito influxu cerebri destruitur actio animalis: differre autem, quia spiritus naturalis ab hepate transmissus intrinsicatur adeò, vt à membro nequeat reuocari: spiritus autem animalis semper persistit per modum influentis; Secundo differunt, quia magis necessarius est influxus spiritus naturalis, quàm animalis; Tertio, quia actio animalis non posset produci sensibili tempore sinè influxu cerebri: actio verò naturalis posset.

G. lib. 1. de semine c. 16.

G. lib. 1. de loc. affect. c. 7.

Auic. 1. 1 doctr. 5. c. 1.

Bellunensis.

Iacob. Foroli.

F Verùm

Verùm hoc liberè dictum est: nam cur spiritus naturalis magis fiet membris intrinsecus, quàm animalis,& vitalis? Sed valde digressi sumus, non tamen inutiliter.

G. de vsu puls. c.6.

3 Accedere oportet ad Galenum, qui in libro de vsu pulsuum, cordis in arterias influxum euidentibus rationibus concludit: ad quas ante quàm accedam, mirari eum subit, qui abstinet à comparatione inter pulsum, & respirationem, quam libenter faceret, *Si eiusdem vsus causa respiratio, & pulsus animalibus essent dati: atq; ab ijsdem facultatibus manarent*. Tunc adiungit: *At quoniam pulsuum vitalis vis, quæ à corde manat, effectrix est, respirationis (vt indicauimus) animalis, quæ prodit à cerebro, vtiq; nihil ex ijs, quæ de illa sunt inuenta, ad proposita nobis conducat*. Sic ille. At cum dicat, respirationem, & pulsum nec in facultate, nec in vsu inter se conuenire, cur posteà differentiam facultatum affert, differentiam vsuum silet. Vtiq; sui ipsius immemor, qui paulo ante dixerat, *Cuiusmodi enim instrumentis spiritus res est, inspiratio eiusmodi arterijs est dilatatio: & cuiusmodi est illis spiritus emissio, & cuiusmodi arterijs est cõtractio*; Imò paulò supra similitudinem in vsu inter respirationem, & pulsum nobis assignauerat: nam post multa addidit: *Ergo cum hoc quoq; demonstratum iam sit nihilq; iam aduersari videatur, quominùs vnus respirationis, & pulsuum vsus sit*: & quæ sequuntur. Sed multò meliùs hoc idem habet: *Alijs partibus duplex eius custodia est, & pulsus, qui veluti quædam respiratio est, & quod ex abundãtiore natura gratia accedit, quod à corde influit*. Et alibi: *Communis autem est pulsuum ratio ad respirationem: primùm quidem, quod de omni motu in vniuersum est dictum: deinde verò parùm abest, quin omnis respiratio ad pulsuum proportionem proprietatem habeat: composita enim ex contrarijs motibus per cessationes distinctis, atq; eiusdem vtilitatis gratia fit*: &c. Quod pluriès alibi repetijt, neq; oporteret tot apud eum testimonia quærere, quibus contradictionis reus euadit, nisi esset, quòd optima ratio ad probandum, facultatem pulsandi esse à corde, est illa, quam ille contemnit, nempe quæ sumitur à comparatione inter pulsum, & respirationem.

c.4. c.3. c.2. G. de difficult. respirat. lib.1 c.5. Gal. de differ. puls. lib.4.c.5 lib. 4. de præsag. ex puls. c.2.

4 Itaq; cum duplex vsus respirationis sit, attrahere aërem, & expellere fuligines, duplexq; actio, nempe dilatatio arteriarum, quæ inspirationi respondet, & earundem constrictio, quæ respondet expirationi, si vana est opinio eorum, qui expirationem putabant fieri absq; facultate, concidentibus duntaxat musculis respiratorijs, vana quoq; erit sententia, quæ tenet, constrictionem arteriarum non fieri à facultate. Si autem verè dicunt (vt hìc supponendum est) illi, qui, vtrumq; respirationis motum, aiunt, fieri à facultate animali, verè etiam dicendum est, vtrumq; motum pulsationis à facultate vitali fieri. Sin minùs, ostendant nobis, cur alterutrum ex his vsibus contemnit facultas vitalis, non contemnit animalis: cum tamen multò magis cura vtriusq; vtilitatis incumbit vitali, quæ agit propter se, quàm animali, quæ propter aliud.

5 Altera ratio ex Galeno. Diastole arteriarum sub virium robore magna fit, sicut è diuerso sub imbecillis viribus parua: hoc autem ostendit, pulsationem opus facultatis esse: nam si dilatatio (vt quidam malè arbitrantur) sit reditus ad suam amplitudinem naturalem, oportebat dilatationis mensuram semper vnam, & eandem esse, & non magis in robustis, quàm in imbecillis arterias dilatari.

6 Præterea in laboribus, qui crisim optimam antecedunt, maximi, altissimiq; fiunt pulsus, & tunc non sunt vires imbecillæ, sed robustæ, quippe morbus paulò post terminabitur: non potest autem benè terminari per debilitatem, alioquin diceremus, malè terminari, hoc est, ad mortem per virium robur. Iam ergo constat, pulsus istos fieri à facultate, quæ, cum robusta sit, & molestata, potest vtiq; molestiæ, pulsuum augmento occurrere.

7 Vlteriùs: Vehementia alijs pulsibus maior est, alijs minor: hoc non aliunde prouenit, quàm quòd actio intenditur, ac remittitur: quod non faceret, nisi id

à fa-

à facultate haberet. Quòd si tamquàm spiritus expulsio, sic diastole actionis esset remissio, vtiq; nec intensio in ea, nec remissio, sicuti nec in spiritus emissione cernerentur, nec omnino robur, & vehementia ictus. Quare dicendum est, diastolem non actionis cessationem, sed actionem esse. Concludit tamen finem capitis contra id, quod initio eiusdem insinuauerat: seruariq; hactenus pulsuum cum respiratione similitudo potest. Ita concluditur, veram esse opinionem, qua statuitur, pulsationem arteriarum à facultate cordis oriri: quòd si aliquid in contrarium adduci potest, ex superiùs dictis satis manet exclusum.

TEXTVS XXXV.

Vis vna, & non vna, qua omnia hæc, & alia gubernantur: alia quidem ad vitam totius, & partis, alia ad sensum totius, & partis.

COMMENT.

Ga. 2. aph. 16. & in com. de ali. Exponit Galenus hæc verba, *Vis vna, & non vna*, quasi Hippocrates significare voluerit, genere quidem vnam esse potentiam, species verò plures habere, ac proinde siue numero singulari potentiam dixerimus, siue plurali potentias, nihil referre, ait. Verumtamen Hippocrates, qui nihil vulgare solitus erat dicere, maximè in hoc libello, in quo exprofesso exquisitam sapientiam ostendit, aliquid altius sub his verbis occultare voluisse, suspicandum est.

Porrò quemadmodùm ex quatuor primis qualitatibus elementorum (quod tamen non est quinta alia qualitas, quam aliqui perperam inuehere conati sunt, sed compositum quidpiã ex omnibus) ita ex omnibus facultatibus, quæ ad corporis nostri gubernationem spectant, componitur vna, quam barbari regitiuam appellant. Hæc illa est, quæ animæ vniuersi respondet: sicut enim datur in macrocosmo natura quædam vniuersalis, quæ in rerum singulis speciebus affulget, cunctaq; in armonia conseruat, sic datur vis quædam vna, quia vnius est animæ, quæ, vniuersas facultates perpetuum concentum, consensumq; seruare, iubet. Superiùs per hunc consensum satis discurrimus: neq: enim sinè nutritione viuitur, neq; sinè vita nutritio fit, neq; sensus, & motus adest non viuenti, neq; viuens sensu, motuq; penitùs caret.

Vis vna, & non vna. Nempe vna, quia vnius est animę, quæ plures facultates in consensum trahens, facit, vt perinde se habeant, ac si vna duntaxat foret. Ex altera parte non vna: quoniam si vna duntaxat foret, non esset animæ necessaria: quippe anima per se ipsam ad vnum efficiendum esset apta; Habet ergo facultates, per quas determinatur ad plura. Atq; ita possumus dicere, animæ vnitatem efficere, vt facultas sit vna, hoc est, vt conueniat, quasi in vnam: & eandem animæ vnitatem efficere, vt facultates sint plures, hoc est, vt animam ad plura officia determinent.

Alia quidem ad vitam totius, & partis. Facultatis vitalis instrumentum calor innatus (vt superiùs diximus) & est influens in vniuersum corpus, & est insitus vnicuiq; parti, ac proinde rectè dicitur facultas, nempe vitalis, ad vitam totius, & partis.

Alia ad sensum totius, & partis. Sẽsum totius possumus appellare omnes sensus internos, quos potentias rectrices appellant medici: sensus partis sensus externos, qui sua peculiaria habent organa. Possumus etiam sensum totius dicere sensum tactus, qui per corpus diffusus est, & hic ad vitam necessarius cum sit, dicetur ad vitam, & sensum totius: alij verò dicentur ad vitam, & ad sensum partis: quippe his

partes determinatæ exercent actiones viuentis.

TEXT. XXXVI.

LAC nutrimentum, quibus videlicet secundùm naturam alimentum est, alijs verò non. Alijs vero vinum alimentum est, & quibusdam non alimentum: et carnes, & aliæ multæ alimenti species, et iuxtà regionem, & iuxtà consuetudinem alunt, partim ad augmentum, & ad esse, partim ad esse solùm, vt in senibus. Quædam vero supra hæc etiam ad robur.

COMMENT.

TAM lac, quàm vinum, quàm carnes, & alias plurimas alimēti species, dicit, esse quibusdam, non omnibus alimentum. Fracantianus hoc dictum putat, quia sunt hominum nonnulli indiuiduali (vt vocant medici) qualitate ab aliquo cibo abhorrētes, & ob hanc aliquos cibos aliquibus hominibus alimentum non esse. Cardanus ab hac expositione non abhorret. Cæterùm non est verisimile, Hippocraticam doctrinam ex ijs confici, quæ rarissima sunt: qualitates autem indiuiduales raro eueniunt. Vallesius hìc non de quocumq; cibo, vtcumq; nutriente loqui, ait, sed de idoneo: nam lac, & vinum, & carnes omnibus hominibus sunt alimenta, non tamen omnibus idonea. Iuxtà hanc expositionem idem est dicere, lac, aut vinum, aut carnes quibusdam sunt alimētum, alijs verò non: ac si dicamus hæc omnia non esse alimentum idoneum, nisi ijs, quibus ratione regionis, aut consuetudis conueniunt. Neq; profectò aliter meliùs hæc sententia constare potest, vt colligitur ex verbis adiunctis, *& iuxtà regionem, & iuxtà consuetudinem.*

Lac alimentum, quibus alimentum est. Diximus alimentum idoneum esse *iuxtà regionem, & iuxtà consuetudinem:* addimus nunc, supponenda, ante hæc duo, sunt alia duo maioris momenti, hoc est, iuxtà temperamentum, & iuxtà ætatem, quamuis hæc duo in præsenti, ad vnum reduci possint, vt scilicet dicamus iuxtà temperamentum ętatis: iccirco lac adeò idoneum alimentum est infantibus, qui ob id lactentes dici solet, vt eis à natura sit præparatum, & secundùm illius ætatis temperamentum, non vtile modò, sed necessarium. Vnde Galenus, *Videtur autem non modo nutrimentum id natura infantibus præparasse, verùm etiam facultates quasdam, quibus eo vtuntur, ab initio contulisse:* nempe sugendi ore, & deglutiendi palato, quas in vtero non habebat. Sed de hoc infantum nutrimento, ne de vna re, multis in locis, interruptè, sparsimq; dicamus, inferiùs dabitur commodior agendi occasio. *G. 1. sanit. tuend.* *Infra tex. 40.*

Alijs vinum alimentum est. Hoc negat Mercurialis, cum quo, tamquàm cum erroneæ opinionis autore, & defensore, ex professo locus erit controuersandi.

Quibusdam non alimentum. Scimus esse aliquos, qui indiuiduali quadam qualitate impediti, à vino abstinent. His vinum non est alimentum, sed venenum: eo namq; sumpto in ore, aut naribus ad moto turbantur, vomunt, syncopizant. Aliquibus istorum qualitatem hanc temporariam esse contingit: quippe paulatina assuefactione, similes sunt ijs, quos veneno assuefieri posse, diximus.

Alij abstinent à vino, sanctitatis ergo, vti sunt patres in heremo, solitariā agentes vitam, & frequenter in cænobijs. Erant apud Hebræos segregati qui-

quidam (Nazaræi, hoc est, separati appellabantur) qui inter alia, quibus *numer.c.6* se Deo vouebant, & consecrabant, vnum fuit à vino abstinentia, imò & ab omni re, quæ possit inebriare, vt latè sacra pagina nos dicet.

Alij vini vsum non habẽt, quoniam vites non sunt apud eos: horum aliqui aduentitium habent, sed magnis sumptibus, quos plebs non tolerat: iccirco ad siceram conuertuntur, potionem ex hordeo, vel tritico, & lupulis factã, quæ, an fuerit illa, de qua sacra pagina loquitur, de qua etiam autor libri de natura humana, non adhuc mihi constat. Scio tamen, Germanos, Anglos, Flandros, & plerosque alios Septentrionales populos hoc potu oblectari, cuius vices apud Cantabros supplet cidria ex succo pomorum siluestrium facta, quam in delicijs habẽt. Aliæ autem sunt regiones, quæ nec aduenam, neq; indigenam vinum habẽt: tales erant Indi occidentales antequàm Hispanorum classis ad eos peruenisset, tales interioris Æthiopię habitatores.

Athen., in gymnosophista li.2 Athenæus, Iberos quõdam, tametsi valdè diuites, aquam bibisse, narrat, & apud Locrenses Zephyrios vinum bibere lege capitali fuisse cautum. *Iul. Alex. sal. li. vlt. c.vlt.* Iulius Alexandrinus ait, veteres in castris vini potu non fuisse vsos, quod hodie apud aliquas nationes obseruatur. Deniq; à vino maiorem orbis partem abstinere, manifestum est. Saraceni ante Mahometis tempora non bibebant vinum: accessit eorum legislator Mahometes, & hanc illis consuetudinem lege sanciuit, quam Mahometani obseruant, cum tamen aliqui legis contemptores, huius liquoris suauitate deliniti, furtim inebrientur, qui in delicto comprehensi plectuntur. Itaq; Asiæ, Africæq; pars magna, & in Europa Thracia, & Græcia ferè tota vinis quondam, perinde ac viris, nobilis, fœcundaq;, nunc aquam bibit.

Pl.lib.14. c.13. Quòd si priscorum mores inquirimus, narrat Plinius, non licuisse Romæ fœminis vinum bibere. Multa scitu digna in hanc rem congerit Delecampius optimus Plinij scholiastes. Verùm receptui canendum est.

Vinum quibusdam non alimentum dicimus, hoc est, non alimentum in vsu, vt sunt ij, de quibus hactenus actum est. *Vel non necessarium alimentum*; Vnde cum Plinius dicat, duos liquores esse corpori humano gratissimos, nẽpe vinum, & oleum, adiungit, *Sed oleum necessarium*: in quo tamen decipitur: sunt namq; prouinciæ non paucæ, quæ sinè oleo viuunt, sunt & homines, qui qualitate indiuiduali ab oleo abhorrent. Instar multorum nobis exemplo erit Emmanuel decimusquartus Rex Lusitanorum, numquam sinè magno encomio nominandus, qui, vt eius narrat historia, vinum, & oleum gustauit nunquam. *Vel non idoneum alimentum*: quippe aliquibus nocere potest: nempe capitis affectu aliquo laborantibus, articulari morbo vexatis, vlcera, aut luxationes patientibus: febricitantibus, ratione febris, licèt ratione virium aliquando, sed coactè possit exhiberi.

Attamen vinum febricitantibus nocuum est, non omne, sed illud, quod calidi temperamenti est: aliud verò reperitur, quod refrigerandi vim habet. Vinumnè vim refrigerandi? imò maximè. Hic insurgit quidam, de quo dici possit illud Horatianum, *O matre pulchra filia pulchrior*: quidam inquam, magistro malo discipulus peior, & euaginat verba Galeni: *Omne vinum calidum est*. Hæc ne Galeni sunt verba? Vbi nam apud Galenum ea reperisti? Citas librum spurium, suppostitium, falsum: Inter agnum, & anguem nescis discernere. *Adagium.* Poteras saltem inter germana Galeni opera aliquid inquirere, & reperisse, vbi de ebrijs agens hæc verba habet: *Solet autem facilè eos replere vinum, vt quod calidam habeat temperaturam*. *G.5.aph.5* Sed non ne vina alba, vina sunt? At Galenus ipse tibi maxillas confringit inquiens: *Neq, enim inuenias, ex albo* *G.12.met. c.4.*

vinorum genere calidum vllum. Tu te ad tuum asylum recipis, aisq; vinum album non esse calidum comparatiuè, hoc est, respectu ad rubrum. Esto: & dum aut frigidum, aut calidum dicit, respectiuè intelligatur. Cæterùm si alibi dicat, vinum aliquod refrigerare, iam hoc aliud est, quàm frigidum esse: nam refrigeratio est actio positiua, cuius manifestè existit, manifestè dicam vinum refrigerare, quod Galenus sensibiliter refrigerare dixit: imò verò tibi omnem spem adimit confugiendi ad comparatiuam loquutionem: siquidem in alijs alimentis, non posse considerari, ait, cõtrarias qualitates in vna ciborum specie: *Neq; enim lentem, aut brassicam reperias, quæ humectet, sed aliam quidem alia siccãtem minùs, quæ verò humectet, nullam: longeq; adhuc minùs cęparum genus aliquod, aut porri, aut allij reperias, quod refrigeret, sed magis, minusq; cuncta calefaciunt: neq; etiam lactucam, quæ calefaciat, aut atriplicem, aut blitum, aut maluam: neq; tamen magis, minusq; in his permagno discrimine distant; At in vinis vetustissimum, quod Romani, sicut diximus, cecubum vocant, ab albo, & austero, & nouello crassoq; vino tantum distat, vt alterum vehementissimè calefaciat, alterum sensibiliter refrigeret*. Hactenus Galenus: Abi igitur, & ne deinceps mihi tuo isto comparatiuo modo aures obtundito. Interim scias velim, acerbum, & austerum sapores frigiditatis esse indices, quod Galenus passim te docebit; Scias vlteriùs, vina esse acerbo, austeroq; sapore prædita, quæ frigida esse, Galenus passim proclamat. Si etiam scire cupis, quibus in locis hæc vina proueniant, & febricitantibus dari soleant, Amatus Lusitanus autor valde notus te manu ducet. Quare te malo asino in hac tua cantilena vectum, diceret Suidas.

Gal. de cib. bõ. & mal. succ. c. 12.

Ama. Lus. cẽt. 1. cur. 28. in sch. Adagium.

Et carnes, & alia multa alimenti species. Carnium vsus nec fuit, nec est apud omnes. Non fuit apud Pythagoreos, non est apud Cartusianos, quibus nec instante obitu carnibus vescilicet: quam consuetudinem, Arnaldus Villanouanus, etiam intra medicos confines, vtilem esse, contendit: quo iure, alij viderint. Cæterùm de esu carnium legendus omnino est Plutarchus, qui multa pulchra circa hoc scripta reliquit. Legendus etiam Benedictus Pereira, qui, vtrùm ante diluuiũ licitus fuerit homini esus carnium, diffusè, & diligenter (vt solet) pertractat. *Alia multa alimenti species*, sunt, quæ varijs in regionibus variæ habentur: quippe verissimum est illud Virgilianum:

Plu. de esu carnium.

Bened. Perer. in gen. tom. 2. lib. 4. disp. 1.

Virgil. 2. georg.

Nec verò terra ferre omnes omnia possunt:

Imò multa sunt alimenta, quæ in vna regione præstantiora sunt, quàm in alia: multi etiam homines, qui ab hoc, vel ab illo alimento abhorrent, ita vt Horatius sic conqueratur:

Tres mihi conuiuæ prope dissentire videntur,
Poscentes vario multum diuersa palato:

Innumera possem afferre exempla eorum, quos diuersimodè Orexis trahit, quos etiam diuersimodè qualitates alimentorum afficiunt, ita vt verum sit, vnam, & eandem rem quibusdam esse alimentum, quibusdam non.

Et iuxtà regionem, & consuetudinem. Si ad regiones attendimus, tanta est diuersitas in alimentorum facultatibus, vt maior esse nequeat; Exemplo sint persica poma, quæ in Persia lethalia, & venenosa erant, in AEgypto posteà mitia facta, & suauissima, qualia nunc videmus. In quibusdam locis suilla, in alijs hædina, tamquàm optimum nutrimentum ægrotis conceditur, in alijs non ita.

Si respicimus ad consuetudinem, magnam esse consuetudinis vim iam superiùs diximus, adeò vt altera natura à Galeno appelletur. Cæterùm aliud est assuetudine cibos fieri vtiles, aliud fieri gratos. Nam quod attinet ad vtilitatem, si ea, quæ deleteriam habent qualitatem, possunt assuetudine talia effici, vt nihil noceant, quantò magis

magis fient cibi, qui ex sua natura vtiles esse possunt assuetudine vtiliores. Potest etiam argumentum sumi, ad confirmandum hoc, ex labore: nam H. 2. aph. 49. & 50 *Qui consueti solitos labores ferre, etsi fuerint imbecilles, & senes, non consuetis fortibus, atq; iuuenibus faciliùs ferunt. Quæ ex longo tempore consueta sunt, etsi deteriora insuetis minùs molestare solent.* Tunc sic: Si labores minùs molesti sunt imbecillis, & senibus assuetis, quàm iuuenibus, & fortibus non assuetis, rectè sequitur, ea, quę assueta sunt, licèt deteriora, minùs esse molesta. Vnde nam hoc prouenit? Nempe quia molestia ex passione resultat: ab assuetis verò passio non fit: ergo neq; molestia.

Quo ad iucunditatem contrarium accidit: nam consuetudine deperditur delectatio, non paruo argumento vanitatis delectabilium. Hoc in alimentis, in quibus nunc versamur, magis elucescit, quàm in rebus alijs: neq; enim aliud quotidie videmus, quàm homines anorexia laborantes, semper ab inusitatis tum cibis, tum obsonijs appetitus irritamenta quærere. Ratio huius rei est, quia quemadmodùm ab assuetis, quæ molestare solent, non sentitur molestia, sic ab assuetis, quæ delectare solent, non sentitur delectatio: vtrobiq; enim passio datur: vtrobiq; ergo ab assuetis passio non fit. Præterea insolita alimenta appetimus, quando solita displicent: at quando displicere incipiunt solita alimenta, incipit ventriculus ab statu naturali ad præter naturam delabi: signum manifestum, quo demonstratur, appetitum alimenti insueti non esse secundùm naturam, ac proinde non durabilem: appetitum verò assueti tandiu durare, quandiu durat sanitas. Itaq; præsentibus molestari, & noua, insuetaq; conquirere, anxietatis est.

Partim ad augmentum, & ad esse. Quamuis dictum sit, facultatem augmentatricem, & nutritricē non differre, differunt tamen ratione: actiones igitur ratione diuersæ, augmentatio, & nutritio, ita se habent, vt illa sit ad benè esse, hæc ad esse. Augmentari hominem, vsq; ad ætatem consistendi, & debitā acquirere membrorum molem, ad benè esse spectat. Vnde cum gibbosis, & pomilionibus non benè se gessit natura: viuunt tamen isti, & sunt quāuis ludibria quædam naturæ. Nutriri pertinet ad esse: neq; enim feriæ illæ altricis animæ, bacchanalium tempore publicatæ, apud homines serios recipi debent: imò hoc Hippocratis edicto fustibus in exilium sunt emandandæ: quid enim magis expresè dici potest, quàm alimenta alia inseruire augmento, & nutritioni, alia nutritioni duntaxat? Hoc ergo est, quod ait autor, *partim ad augmentum, & ad esse, partim ad esse solum:* Quod confirmat adiungens, *vt in senibus,* in quibus videlicet alimentū *ad esse solum* inseruit.

Quędam verò supra hæc etiam ad robur. Possumus dicere, alimentum in adolescentia inseruire augmentationi, in senectute ad nutritionē tantùm, in iuuentute ad robur: nempe pueri, & adolescentes nutriuntur, & crescunt, senes nutriuntur solùm, iuuenes nutriuntur, & roborantur; Vel quædam etiam ad robur, hoc est, sunt quędam, quæ magis robur conferunt, quàm alia. Sed de his initio huius operis satis multa dicta sunt.

Vtrùm Vinum nutriat.

QVAESTIO QVARTA.

PLacuit Hieronymo Mercuriali, viro tum doctissimo, tum etiam modestissimo, sententiam à veteribus traditam, à posterioribus receptam, experimento comprobatam, à nemine vnquam impugnatam, leuibus quibusdam telis oppetere:

tere:

tere; quæ tamen hoc loco infringere necessarium est: quippe præsens sententia *vinum alimentum esse*, posset falsa videri alicui, qui Mercurialis rationibus seducere se sineret. Ne tamen controuersia in longum protrahatur, præstat singula fundamenta, à Mercuriali pro sua illa opinione iacta, particulariter euertere, vt sic totum corruat ædificium.

1. Argument. 2 Persuadere itaq; vult, vinum nutriendi facultate carere; Præcipuum verò eius fundamentum est, quoniam, vt ille ait, vinum nec lentorem, nec crassitiem habet: quæ duo in alimento necessaria quidem sunt: crassities, vt possit in membrorum substantiam conuerti; lentor, vt inhærendo nutriat. *Responsio.* Quòd autem lentoris sit expers, probat ex eo, quòd effluit è manibus: at sic sensum iudicem facit: sed huiusmodi iudicatio non est valde efficax: quippe sensus nostri non descendunt ad minima exquisitè. Potest ergo minima quæpiam pars inhærere, quam forsan aliquis valde exquisito sensu præditus potest percipere. Hoc inde vel maximè colligi potest, quòd rebus nomina, ob aliquas proprietates sensu repertas, sunt edita. *2. Argum.* Potuit ergo aliquis exactè sentiens hanc assequi crassitiem, & hinc vina aliqua magis crassa, alia magis tenuia cæperunt appellari: Autorum etiam placita non desunt, quæ vino, saltem dulci, lentorem attribuunt: sic Aristoteles, sic Galenus. *Ar. 3. probl. 13. & meteo. 4. c. G. 1. alim. fac. c. 1.*

3 Vino tamen dulci, Mercurialis prædictis autoribus lentorem inesse, admittit, attamen vinum dulce vinum esse, negat, idq; se ab Aristotele didicisse gloriatur: quippe Philosophus, *Dulce*, ait, *nomine vinum, opere non amplius: non enim vinosus sapor ei inest: quapropter non inebriat.* *4. meteor.* Et alibi quærens, cur vini dulcis, quod suauius est, ebriosum nullum arbitramur, respondet, *An quia vinum dulce nullum saporem obtinet proprium vini, sed potius alienum penitus reddit?* *3. probl. 28.* Quòd autem vinum dulce non inebriet, à Galeno, se accipere, ait, dicente, *Vina dulcia, quò magis à caliditate absunt, eò minùs tum caput grauare, tum mentem lædere.* *Gal. 3. acut. com. 2. Responsio.* Cęterùm Aristoteles hyperbolicè forsan voluit significare, quantum distet vinũ dulce à non dulci; Quòd si quis hoc ita accipere nolit, saltẽ fatebitur, Aristotelem, qui, dum vinum dulce non ebriare existimat, fuit deceptus, fuisse etiam deceptũ, dum vinũ dulce è vinorũ numero excludit: in quo & Hippocrati, & rationi refragatur; Hippocrati quidẽ, qui sæpissime inter vina, vinum dulce recenset; Rationi, quia ab omni ratione alienũ est, vnum, & eundem fructum in specie succos ex se emittere specie differentes: quin & idem numero vinum, si antiquitate fiat dulce, speciem mutare. Quòd tamen vina dulcia non inebrient, contra experientiam dictum est. Galeni autem verba faciunt contra producentem: quippe si vina dulcia minùs inebriant, manifestum est, ea aliquantulum inebriare. Quare, si, vt inquit Galenus, vina dulcia, quò magis à caliditate absunt, eò magis tum caput grauant, tum mentem lædunt, cum nunquam omnino à caliditate absint, nunquam omnino caput grauant, & mentem lædunt. Attamen Mercurialis à caliditate, inquit, ebritas non prouenit, quandoquidem aromata summè calida, tametsi caput tentent (vt inquit Hippocrates) non inebriant. *H. 5. aph. 28.* At, ò Mercurialis, caput tentare principium quoddam inebriandi est? Deinde aromata exhalationes siccas ad caput mittunt, hæ autem non obstruunt, ac proinde non inebriant: vapores autem humidi, quales ex quolibet vino eleuantur, maximè.

3 Arg. 4 Quoniam autem læntorem in vino posset aliquis demonstrare, ex eo, quòd, sicut oleum, & pinguia omnia, cum maculant linteamina, maculas relinquunt indelebiles, sic etiam accidet fieri ex vino. Contra hoc ait, vinum ob suam tenuitatem, omnes partes, licèt minimas, penetrare, maximè si sit lymphatum: quoniam, propter aquam longiùs penetrat, & difficiliùs educitur. *Responsio.* Cæterùm hæc ratio indigna est viro docto; Nam si maculæ sunt indelebiles ob tenuitatem vini, cur vinum nigrum crassum magis indelebiles relinquit maculas? Neq; admitti debet,

debet, quod addit, ex vino lymphato maculas esse magis indelebiles: imò verò siquando vini cyathus in mantilia, mappasuè effunditur, superinfusa statim aqua eas reddimus facilè delebiles. Porrò si ob aquæ permistionem vinum magis penetrat, ob crassitiem, lentoremq; magis adhæret. Penetrare autem adherendo non est præter hoc in alimento per corpus disperso: nam ab aqua, quæ illi vehiculum est, penetrationem habet, lentorem verò à seipso, sinè quo (vt diximus) particulis nostri corporis non posset agglutinari, & sinè agglutinatione non posset subsequi assimilatio, nutritioq;.

5 Probat ille, quod proposuit: nempe, vinum lymphatum ob aquę permistionem maculas indelebiles relinquere, & ad probandum hoc, affert Theophrastum, qui, carbones, ait, citiùs extingui à vino, & aceto, quàm ab aqua: quia vinum, & acetum intimiùs omnes partes penetrat. At non vidit, vir alioquin satis benè oculatus, eum sibimet contrariari. Dixerat, vinum lymphatum magis penetrare propter aquæ permistionem, posteà verò ex Theophrasto inquit, vinũ, & acetum citiùs extinguere carbones, quàm aquam: quoniam vinum intimiùs penetrat. Quod verò addit ex Aristotele, vinum dilutum propter tenuitatem suam in plures locos penetrare, difficiliusq; educi posse, quod in vestibus contingit, experimento, vt diximus, contrariatur. Sed neq; hoc, si ei admittatur, quicquam ad rem facit: quippe vt pateat, vinum, ob crassitiem, & lentorem, maculas relinquere indelebiles, satis est scire, vinum secundùm aliquas partes esse tenuius, quàm aqua, tametsi aqua secundùm se totam est tenuior, quàm vinum. Igitur vinum propter suas partes tenues valenter penetrabit; Quòd si velit, valentiùs penetrare propter aquæ admistionem, id facilè ei concedemus, dummodò concedat ille inuicem nobis, vinum propter crassiores partes, quas habet, adhærere, & sic coniunctus lentorem vini agnoscere cogetur.

4. Arg. Theophrast. de igne.

Responsio.

Arist. 3. probl. 14.

6 Cum hactenus egisset de lentore, & crassitie, quam actu vino inesse parùm feliciter negauit, pergit non magis feliciter ostendere, vinum nec potestate etiam esse crassum, ac lentum; Crassities in potentia, inquit ille, reducitur ad actum vel extra, vel intra corpus. Extra corpus non crassescit vinum, vt constat testimonio illarum gentium, apud quas coquendi vinum consuetudo inualuit: quippe, aiunt, nunquam vinum coctione euadere crassius. Siquis autem dicat ex musto fieri sapam, replicat ille, mustum non esse vinum. Sed quæso, vt mihi dicat, quando gentes illæ vinum concoquunt? Num quando adhuc feruet? At tunc mustum est: neq; enim ebullire desijt. Si postquàm iam ebullijt, hoc experimentum vnusquisq; domi suæ potest facere, quod qui fecerit, reperiet, gentes illarum regionũ esse mendaces. Sed profectò gentes illæ vinum, non nisi ante quàm ebulliat, leni coctione concoquunt. Quare Mercurialis frustra exemplum à musto ductum non recipiens, exemplum à musto ductum nobis affert.

5. Arg.

Responsio.

7 Quòd autem neq; intra corpus crassescere vinum potest, probari posse contendit ex philosophię principijs: quippe Aristoteles, quæcumq; euaporant, aquã esse, dixit, quæcumq; autem non, aut sunt terrra, aut communia terræ, & aquæ. Hoc autem iccirco contingit: quoniam euanescente aqua per vapores, remanent partes crassiores, quę non sunt aqua; Si igitur probabitur, vinum esse speciem aquæ, sicut vrinam, & serum, probatum manebit, illud non incrassari. At hoc ex Aristotele patet: quippe vinum vocat speciem aquæ, sicut vrinam, & serum. Galenus etiam, vinum breuissimam in ligno vitis habuisse transmutationem, & paucissimam terræ permistionem, dixit. Hactenus progressa est Mercurialis argumentatio, cui respondendum est, Aristotelem non negasse, vinum incrassari posse, sed cum ageret de ijs, quæ citò incrassantur, vinum, vrinam, & serum, species aquæ esse, dixit, quippe paruam habent subsistentiam. Cæterùm in eo loco, quem Mercurialis citat, adeò manifestè Aristoteles ait, vinum incrassari, vt necessariò

6. Arg. Ar. 4. meteor. sum. 4. c. 1.

Ar. 4. meteor. sum. 2. c. 2. Gal. 3. acut. Responsio.

dicen-

dicendum sit, Mercurialem, vel non legisse totum caput, vel verba, quæ aduersùs eum faciunt, malignanter suppressisse: Sunt autem hæc. *Dubitabit aliquis de vino humidorum, hoc autem euaporabit vtiq;, & incrassabitur, sicut nouum. Causa est, quia non vna specie dicitur vinum, & quia aliud aliter: nouum enim magis terræ habet, quàm antiquum: quapropter incrassatur maximè calido, & crassescit minùs frigido.* Itaq; iam non est, cur Aristotelem pro se afferat, quem sibi aduersantem habet. Neq; Galenus illi fauet: cum enim dicat, vinum breuissimam in ligno vitis mutationem subijsse, & paucissimam terræ permistionem, non propterea aliquam mutationem, aliquamq; terræ permistionem negat. Neq; Empedocles, apud Plutarchum, illum quicquam suo carmine iuuare potest,

Vinum est putrescens vitis sub cortice lympha.

Est quidem putrescens lympha, sed simul cum terræ permistione: Imò verò cum ibi putrescere significet concoqui, & coctionis sit proprium incrassare, ex hoc carmine potest elici, crassitiem inesse vino. Quòd autem putrescere, eo loco idem sit ac concoqui, patet, quia non acquiritur putredine substãtia perfectior, & odor bonus, qualis in vino est, sed euadit substantia per putredinem praua, & fætida. Quòd si vera putredine afficitur aqua sub cortice vitis, quando fit vinum, cur etiam pluuialis aqua, quæ putrescit, non benè olens euadit? Cæterùm siquis putrescendi verbum improprium ad significandam coctionem esse, dicat, sciat illud poeticè esse dictum, poeticam autem libertatem nemo est, qui ignoret.

7. arg. G. 3. de alim. facult. 8 Animaduertit præterea Mercurialis Galenum, dum alimenta ab animalibus, & plantis sumpta recenset, nullam vini mentionem fecisse: & hinc etiam occasionem accipit persistendi in sua opinione. Num quia ex hoc loco putat, Galenum non cognouisse in vino vim nutriendi? At non erat hic locus recensendi

Responsio. omnia, & singula, à quibus nutrimentum capimus. Cæterùm si ibi Galenus vinum siluit, quia inter nutrimenta non esse numerandum censuit, cur centum alijs in locis, vinum alere, dixit? Itaq; dabis mihi Galenus, qui semel non negauit quidem vino nutriendi vim, sed eam, quia non ex professo agebat, siluit, dabo

G. 3. de alim. facul. c. 40. inuicem tibi plura eiusdem Galeni loca, in quibus te à tua opinione deterrere licet quando sic ait: *Vinum ex eorum esse numero, quæ nostrum corpus alunt, omnes fatentur; modo, si quicquid alit, cibus est, vinum etiam in genere ciborum est, ponendum. Quidam tamen medici negant, cibum esse appellandum, quòd potiùs in sermone quotidiano, sit cibo oppositus, qui potio etiam appellatur, vt cibus, esca, edulia, ob eamq; causam vinum volunt vocari alimentum, quamquam alere ipsum, non diffiteantur*, Sic Galenus. Nunquid qui adeò manifestè vinum inter alimenta reponit, potuit illum ex alimentorum cathalogo consultò delere? Obiter etiam hic animaduerto, eos, qui à Galeno reprehenduntur, quia vinum cibi nomine non appellabant, non denegasse vino alendi vim, quare magis reprehendendus venit Mercurialis, qui non solùm cum illis vino alimenti nomen denegat, sed vlterius progressus facultatem etiam ei conatur adimere.

Gal. de causis morb. c. 3. Alibi idem Galenus, *Vinum*, ait, *modicè haustum, vt quod maximè propriè alimentum sit, naturalem calorem adauget.* Vide, an tibi fauere possit, qui non solùm alimentum esse, dixit, sed cum addito *maximè propriè.*

G. 2. aph. 18. Alibi vinum *Celerrimè nutriens* esse, dixit:

G. 2. aph. 11. et in lib. de bon. & malo suc. c. 11. & alibi, vina alba, aquosa *vrinas* inquit, *cient, & minimum nutriunt: quæ verò crassa sunt, & colore rubra omnium vinorum maximè nutriunt.* Absurdè igitur Mercurialis Galeni authoritate subfultus in hunc agonem descendit.

8. arg. G. 3. nat. facult. in fine. 9 Nihilominùs quoniam aliquando Galenus, quicquid bibitur, per vrinam excerni, dixit, nisi aliqua pars per sudorem, aut insensilem transpirationem exeat, putat ille, hinc elici posse, vinum non nutrire: nam vinum bibitur. Si verò quicquid bibitur, excernitur, nihil eius manet in corpore, ex quo nutritio fiat.

At si hæc est verborum Galeni vera expositio, etiam iura, quæ bibuntur, non nutrient: quandoquidem sub illorum, quæ bibuntur, regula generali, etiam mulsa, & carnium iuscula comprehendi possunt. Attamen, ò Mercurialis, scripta Galeni, *Non ita erant animo percipienda tuo*. Argumentabatur aduersus Lycum, qui putabat, renes non trahere ad se humores serosos ex alijs partibus, sed eos ibi generare ratione nutritionis ipsorum renum. Tunc inquit, ò Lyce, quicquid bibitur, per renes excernitur, hoc est, omne id, quod bibitur, secundùm eam partem, qua potus, non alimentum dicitur, per vrinam expellitur: ea enim est differentia inter esculenta, & poculenta, quod esculentorum magna pars nutrit, minimum ad aluum defertur, poculentorum verò minor pars nutrit, maior ad renes transmittitur: cum hac etiam permista abit pars serosa esculentorum, ac deniq; quicquid serosum est (serosum verò est ferè totum, quod bibitur, & aliqua pars eius, quod comeditur) per emulgentes ad renes, per vreteras ad vesicam transcolatur. Vnde Lyci opinio vana est, qui, nutrimenti duntaxat renum excrementum vrinam esse, arbitrabatur. *Responsio.*

10 In precibus ad Deum effusis (inquit Mercurialis) quibus victum à Deo expostulamus, panem, non vinum solemus nominare: nam panis communissimũ nutrimentum est. Cæterùm si hinc argumentum ducit, ad probandum, vino facultatem nutriendi non inesse, eodem iure poterit probare, nec carnes, nec fructus, nec acetaria, nec pleraq; alia nutrire, quorum tamen nobis quotidianus est vsus, & in Dominica oratione non sunt expressa. *9. arg.* *Responsio.*

11 Addit, eos, qui abstinentiæ ergo herbis victitant, quamplurimos esse, nullus tamen dicitur vnquam solo vino victitasse. At profectò qui abstinentię ergo in solitudine delitescentes herbas sibi in facilem victum quærunt, si vinum potiùs eligerent, in primis multa cum diligentia vinum custodirent, culturæ se darent, sumptos facerent non exiguos, à mente ebrij disturbarentur, & quod peius est, dum abstinentiam colerent, Venerem celebrarent: quippe Baccho est amica Venus. Sed ridicula sunt hæc, & prorsus contemnenda. Hinc manet exclusum Mercurialis paradoxum, cui infelicitas cõtigit maxima, quòd neminem vel priùs inuentorem, vel posteriùs habuit sectatorem. Cæterùm longè infeliciùs se gerit Satyrus, qui vinum per se solum sine pane, aut alio consimili solido nutrimento, diu alere non posse, ait, quia solidæ partes, quæ plures in animali sunt, in cibo solido habent succum sibi proportionatum, in vino solo non est tantum succi, quantum requiritur ad partes solidiores alendas; Et tamen in eodem capite superiùs dixerat, *Lac substantiæ fluidæ, vt vinum, nihilo crassioris, alit tamen infantes biennio*. Quin etiam præter infantes, narrat historias plurium, qui, nisi lac, per totam vitam assumpserunt. Nonne sibi iste in hoc, sicut in alijs contradicit? Sed per me liceat deinceps illi ineptire, & duntaxat, quando in me agit, eius deliramenta castigabo. Nam tot eius libris, quot apud salsamentarios reperiuntur, errores inquirere, error foret maximus. *10. arg.* *Responsio.* *Contradictio.* *De his qui sine alim. lib. 2. cap. 19.*

TEXT. XXXVII.

Dispositio athletica non est à natura. Habitus sanus melior in omnibus.

COMMENT.

EXpositores, qui in superiore contextu robur ad athletas retulerunt, inquiunt, superiùs dictum fuisse, ad robur simpliciter, cõprehensumq; robur tàm naturale, quàm non naturale: in præsente verò distingui vnum ab alio, & ostendi, quodnam sit naturale, nempe robur athletarum. Mihi videtur dicẽdum, superiùs explicatum fuisse alimenti effectum iuxtà ætatem: nunc explicari iuxtà corporis habitũ, vt scilicet & naturalis habitus alimento conseruetur, & eodem alimento acquisitus alter adueniat.

Dispositio athletica. ἕξις, idest, habitus, & διάθεσις, hoc est, dispositio, inter se distinguntur: quoniam habitus difficulter eradicatur à subiecto, dispositio verò facilè. In præsente præponitur habitus dispositioni: quippe habitus est optimus, si sanus: at dispositio, etsi sit optima, vt est athletarum, non est à natura, ac proinde neutiquam laudabilis. Plura hìc diligente speculatione digna latent, quæ propalare oportet.

H. 1. aph. 3. In primis: Cur hìc athletarum vocat dispositionem, quam in aphorismo habitum appellauit? Nec dicendum est, hìc habuisse rationem vocabuli, in aphorismo autem non; quippe hoc erit liberè loqui. Nec dicendum etiam, in aphorismo loquutum fuisse Hippocratem de quomodocumq; exercitatis, hìc verò de solis athletis: nam, vt inquit Philoteus, tametsi in aphorismo vsus est vocabulo vniuersali dicens ἐν γυμναστικοῖσιν, idest habitus exercitatorum, tamen specialiter est intelligenda sententia, nempe de habitu athletarum, quem damnat, etsi eum appellet εὐεξίην, id est, bonum habitum, quem tamen statim soluendum esse, ait. Vnde Galenus, semper ab Hippocrate athletarum euexiam (bonum habitum) damnari, affirmat: imò alibi, referens athletarum incommoda, adiungit, athletas dici, quasi ἄθλοι, id est, miseri, vel ab athliote, hoc est, miseria; Quare non est, cur confugiamus ad differentiam vocabuli, sed tam illic, quàm hìc intelligamus athletas, quorum habitus, illic dixit, esse periculosos, hìc appellat dispositiones, quæ non sunt à natura. G. de bono corpor. habitu. Gal. de exhort. ad artes.

Vt autem cognoscamus, cur diuersis in locis diuersis vsus sit vocabulis, cognoscere priùs oportet, habitum multiplices habere significationes, præter iam dictam, qua inter habitum, & dispositionem differentia statuitur, quia habitus habet causas difficiliter educibiles à subiecto, dispositio verò eas, quæ facilè educuntur. Ad hanc differentiam non respexisse Hippocratem, arbitror, vtpote quæ magis logica est, quàm, vt Hippocraticæ doctrinæ, hoc est, medicæ inquisitioni, conueniat.

Dicitur etiam habitus, Galeno autore, de ijs maximè partibus, quæ primæ intuentibus obijciuntur, cuiusmodi sunt musculi cingentes omnia ossa, & simplice, primaq; carne, & fibris, quas ipsa vestit constantes: quod quidem non est aliud, quàm corporis constitutio, cui propriè competit raritas, & densitas, gracilitas, & obesitas. Hic tamen aduertere oportet, cum Galenus dicat, habitum dici de his maximè partibus, non excludere alias, quæ licèt oculis non obijciantur, tamen habitus nomine comprehenduntur, vt interna viscera, cor, pulmones, ventriculus, iecur, & deniq; quæcumq; continentia ab Hippocrate appellantur; Nam alioquin, si sola externa corporis regio nomine habitus intelligatur, quando medici, aiunt, febriũ intermittentium focum esse in habitu corporis, falsum dogma afferrent: quippe minera harum febrium in visceri- G. art. medicin.

ceribus sita est, nempe in ventriculo, iecore, liene, mesentereo, & eo, quod pancreas appellatur. Verùm si iuxtà hanc significationem loquamur, dicendum est, in aphorismo habitus nomine Hippocratem intellexisse partē externam, & iuxtà hoc significatum aphorismo vsus est Celsus, quando ait, *Qui crassior, & nitidior solito est, suspecta bona sua habere debet*. In hoc autem nostro contextu comprehendisse partes etiàm internas: quippe hæ in athletis plenitudine, (quæ affectio præter naturam est, licèt non adhuc morbus) laborare solent. Atq; ita habitus dicitur in aphorismo, hoc est, refulgens externarum partium constitutio: dispositio hìc, nempe internarum partium plethorica affectio. De habitu verò sano mox dicemus.

Corn. Cels.

Vel dicendum est, aliter habitum dici qualitatem per multiplices actus acquisitam, dispositionem verò citò aduenientem. In hoc sensu dicuntur in aphorismo athletę bonum habitum acquisiuisse, longo studio, quod in acquisitionem huius habitudinis impendunt. Hunc autem habitum in athletis esse vitiosum: quippe athletæ cibis multis, multumq; nutrientibus molē corporis, & robur, quo aduersarios superent in palestra, sibi parant, non autem in alijs, vt sunt remigātes, agricolæ, & similes: hoc enim vitæ institutum laudat Galenus ad sanitatem. Itaq; in aphorismo consideratur habitus athletarum, qui tot actibus inducitur, vt ad summum bonitatis accedat, quæ summa bonitas non bonitas est, siquidem cum periculo, adeò vt statim solui debeat. Hic dispositionem vocat athleticam, non quatenus ad summum accessit, sed quatenus prauis medijs, & sanitati nocuis acquiritur. Quare ex aphorismo quicquid acquisiuit athleta, malum est, quia cum periculo, & sic rectè dicitur habitus, hìc quicquid acquiritur, malum est, quia cum naturæ violentia, & ideo dicitur dispositio, quæ præter naturam quidem est, siquidem naturam, plusquàm oportet, onerat.

G. ad Trasybul.

Tandem siquis simpliciorem expositionem sequi velit, dicat, in aphorismo habitum athletarum assumi nomine generico, vt comprehendit habitū propriè dictum, & dispositionē: quippe athleta, & habet habitum multis habitibus acquisitum, & habet dispositionem ad morbum, quæ ex hoc habitu pendet. At in præsente dicitur dispositio, hoc est, vel morbus, vel saltem propensio ad morbum: & iccirco est pręter naturam: dicitur habitus secundùm naturam, hoc est, sanitas: hæc enim habitus est, sicut morbus dispositio.

Non est à natura. Ex iam dictis patet: quippe arte athleticus habitus acquiritur. Siue autem, cum ad summū bonitatis peruenerit, consideretur, naturæ est inimicus: quoniam *Omne nimis*, vt sapientissimus Hippocrates ait, est naturæ inimicum: siue ante summum, & tunc etiam in acquisitione sui habitus naturæ indicunt pugnā. Nam quod attinet ad exercitium, hoc illi violento vtuntur, quod ipsi κατασκευὴν vocant. *Verùm qui tantùm tuendæ bonæ valetudinis causa*, vt Galenus ait, *exercitantur, ijs nec necessum, nec vtile planè est immodicos labores adire: itaq; his nullus instat lassitudinis metus*. Ex his verbis & exercitium valde violentum athletis conuenire, & eosdem lassitudinis metum premere, colligitur. Quod verò attinet ad cibandi rationem, hæc quoq; violenta est: siquidem eis coacta comestione, & prauis cibis tùm in qualitate, tum in quātitate, periculum est, ne, dum exercentur, obstruāt potiùs meatus, quàm expurgent, quod Galenus meritò timet. Demum omnis benè instituta Respublica (teste Galenó) hoc genus artis odit, ac detestatur, quæ omne vitæ robur, vimq; prosternat, haud in bonam affectionem corpora traducens. Legendus ibi omnino est: probat enim, athletas prauo vitæ instituto ad omnes actiones fieri ineptos.

H. aph.

G. 3. sanit. tuend. c. 2.

Ga. ibidem

G. ad Trasyb. c. 46.

Habitus sanus melior in omnibus. Vide-

Videtur habitum sanum appellare illud, quod, in Galeni doctrina, est salubre simpliciter: quippe apud eum *Salubre simpliciter corpus est, quod ab ipso naturæ ortu bonam habet temperaturam in simplicibus, & primis particulis, tum in his, quæ ex illis componuntur instrumentis, est commensuratum*. Crediderim, ex præsente Hippocratis contextu accepisse Galenum differentiam, quam constituit inter salubre simpliciter, & salubre vt nunc: etenim quod hic dicitur *Dispositio athletica non est à natura*, intelligi potest corpus salubre vt nunc, de quo Galenus: *Salubre verò nunc est corpus, quod in præsente est sanum: est verò, & hoc, eo tempore, quo sanum existit, bonam habens temperaturam, & commensurationem, non tamen optimam*. Sic Galenus, qui mihi videtur describere corpus, quod eo tempore sanum est, quo se exercet. Posteà verò adiungens, *Ipsius verò salubris simpliciter corpus tale est semper id, quod optima est temperantia præditum, ac maximè est commensuratum*. Videtur ostendere salubrem statum, de quo in præsentia hæc verba habentur: *Habitus sanus melior in omnibus*. Maneat ergo, athletas non naturæ, sed artis vi sibi consulere: eis verò, qui simpliciter, hoc est, à primo exortu sani sunt, omnes optima sorte frui.

G. art. medic. c. 4.

Ibidem.

TEXT. XXXVIII.

MAgna res est quantitas ad vires solerti ratiocinatione adaptata.

COMMENT.

EXponit Galenus hæc verba, quasi dixerit Hippocrates, quòd magni momenti sit, si quantitas bona coniectura viribus accommodetur. Porrò (vt idemmet Galenus alibi ait) *Nihil æquè artem medicam in agendo coniecturalem efficit, vtì cuiusq; remedij quantitas*. Neq; solùm de medicamentis loquitur, sed præcipuè de alimento, vt declarant verba, quæ sequuntur: *Etenim eum frequenter compertum habeamus, tempus instare exhibendi aut cibi, aut potus, eiusq; aut calidi, aut frigidi: quantum tamen dandum sit, certò haud nouimus. Idem vsu venit in purgantibus medicinis*: & quæ sequuntur.

Gal. 1. ad Glauc. c. 1.

G. de sang. mis. c. 12.

Magna res est quantitas. Hoc est, magna quædam, & per difficilis, magni etiam momenti res est, exhibendorum quantitatem agnoscere, quantitatem, inquam, non quæ in indiuisibili consistit: hanc enim attingere nec possibile est, nec necessarium: quippe sufficit ad illud proximè accedere, vt sinè periculo curatio fiat, indiuisibilia autem puncta, quis adeò perspicax est, vt agnoscat? Attamen ab hoc puncto recessus, vt moderatus sit, & intra limites securitatis positus, circũspecto medico est opus. Nam aliqui rustica quadam timiditate absterriti, citra consistunt, alij temeritate impulsi, vltra progrediuntur, quorum illi omittendo, isti committendo valdè perniciosè peccant.

Vtrùm verò maius peccatum sit in excessu, quàm in defectu, controuersum est. Nam ex vna parte Hippocrates adiectionem ciborum damnat inquiens, *Ciborum autem adiectioni intendendum multò minùs: nam subtrahere omnino sæpenumero expedit, vbi æger sufficere possit, donec morbi vigor maturuerit*. Ex altera parte idemmet Hippocrates contrarium videtur sentire in aphorismo, vbi ait, *In tenui victu ægri delinquunt magis*. At hæc aphorismi doctrina magis ad rem est, quippe comprehendit tàm ægros, quàm sanos: ægri enim, qui in victus tenuitate peccant, difficiliùs sanantur, quàm qui in eiusdem adiectione. Sani etiam tenui victui assueti, si in alia qualibet re committant errores, eos difficiliùs ferunt. Vnde in aphorismo addit Hippocrates, *Propterea*

Hipp. 2 de vict. acut. tex. 37.

Hipp. 1. aph. 5.

rè etiam sanis periculosus existit valdè tenuis, & constitutus, & exquisitus victus. De solerti ratiocinatione, qua cognosci debet ciborum quantitas, pauca adiungere, videtur necessarium.

QVANTVM CONIECTVRÆ sit tribuendum.

QVAESTIO QVINTA.

1 VErba huius contextus proximè explicati, quoniam varias patiuntur expositiones, varias quoq; subeunt translationes. Vallesius, qui quantitatem intelligi vult molem corporis, quam cum facultate quadrare debere ex Platonis officina, ingeniosè admodùm depromit, ita legendum arbitratur: *Magnum est quantitas aptè cum facultate quadrans.* Cardanus, cui placet intelligere habitum salubrem, consistere in moderatione quantitatis ad alimenti virtutem comparati, sic vertit: *Magnum quantitas bona coniectura ad virtutem adaptata.* Fracantianus, qui ferè eandem viam cum Cardano inire videtur, transfert: *Magnum quantitas bona coniectura ad virtutem adaptata.* Non recedit Caluus ab hac versione: inquit enim. *Magnum quid est quantitas ad vires accommodata.* Foesius sic: *Quantitatem aptè ad vires accommodatam recta coniecturà consequi, ardua res est.* Marinellus, Mercurialis, Cornarius, quem sequi soleo, omnes transferunt: *Magna res est quantitas ad vires solerti ratiocinatione adaptata.* Verba quidem græca omnibus his translationibus occasionem præstant translatoribus, nec minus etiam præstant expositoribus ansam dispergendi se in varias expositiones, omnes quidem optimas. Verùm nos, qui arduum, & perdifficile esse, ex hac sententia recipimus, quantitatem agnoscere, qua nec natura ob magnitudinem grauetur, neq; ob exiguitatem frustretur, existimamus, simul hanc quantitatem, seu alimentorum, seu medicamentorum, naturæ, seu viribus solerti ratiocinatione adaptare; Quòd autem dicimus *solerti ratiocinatione*, dicunt alij *bona, vel recta* coniectura, & hi quidem magis græco vocabulo adhærent: est enim Ξυντεκμαίρεσθαι, quod Erotianus significare ait, *certo signo coniÿcere*, quo verbo multis in locis vtitur Hippocrates, vt annotat Bartholomæus Eustachius. Cæterùm an pro coniectura, solertem ratiocinationem translatio à nobis recepta rectè posuerit, in præsens inquirendum est.

Argumenta, quæ ostendunt coniecturæ incertitudinem.

Articulus Primus.

QVamplurimi medicorum arti suæ plus nimio detrahentes, eam coniecturalem, subindeq; incertam appellant, quod nonnullis, saltem apparentibus, rationibus probari potest.

Prima quarum est. Quemadmodùm demonstratio gignit scientiam, ita coniectura opinionem: sed scire, & opinari non possunt esse simul, quare qui opinatur haud scit, & priuatione scientiæ dubius, incertusq; manet: procedens igitur medicus per coniecturas (quod præterquàm quòd manifestum est, Galeni authoritate confirmatur) in dubio semper versare censetur.

2 Altera. Quatuor hæc, dubium, opinio, scientia, fides inter se differunt: nam

nam qui dubitat, in alterutram partem æquè versatur: qui opinatur, ad alterum quidem oppositorum potiùs inclinat, sed non sinè timore partis oppositæ: scientia verò (vtpote quæ demonstratione acquiritur) vni extra controuersiam adhæret: fides in vno, sola autoritate persistit; Cum igitur primò dubitare cæpissent homines, hoc est, in alterutram partem æquè versari, ijs, in quibus prima principia, vera, immediata, notissima inuenerunt, scientiam compararunt: de alijs per coniecturas procedentes non potuerunt aliud acquirere, quàm opinionem: at opinio habet coniunctum timorem partis oppositæ: habet ergo secum perpetuam solicitudinem, incertitudinemquè. Cum igitur res medicæ sint è numero earum rerum, in quibus coniectura versatur, quid in earum cognitioue habere potest, nisi incertitudinem, animiq; suspensionem?

3 Tertia. Coniecturalis status apud rhetores dicitur, cum de facto disputatur, vbi, nulla testium fide oculata, veritas constare potest. E. g. Inuenit Vlysses cadauer Aiacis sui æmuli, à se ipso interemti, gladium cruentum eduxit: Taucer accessit, vidit inimicum fratris sui iuxtà cadauer gladium cruentatum manu tenentem, eum capitis arcessit. Hæc coniectura est, quæ contrarium vero ostendit: ergo ostendit falsum: ergo falsitas in coniectura est, quæ incertitudinem superat. Medicam artem ita se habere, ex eo vel maximè patet, quòd dogmata quidem medica non sunt perpetuæ veritatis, imò idemmet Galenus sententias Hippocratis, tamquàm vt plurimùm, non tamen semper veras accipiendas esse, nos admonet.

4 Quarta. Ea coniectura, quæ præstantissima est, & à Galeno artificiosa coniectura appellatur, ab eodem etiam dicitur, *Quæ inter exactam notitiam, & omnifariam ignorantiam media quodammodò putatur.* Cum ergo sit media, particeps erit vtriusq; extremi, hoc est, & exactæ notitiæ, & ignorantiæ: & vtraq; hæc extrema, tamquàm causæ partiales, concurrent ad efficiendum hoc medium, videlicet coniecturam: cumq; effectus semper sequatur deteriorem partem suæ causæ; coniectura magis ad ignorantiam, quàm ad exactam notitiam verget, & ab ignorantia denominationem accipiet. Accedit Aristotelicum axioma, *Bonum ex integra causa, malum ex quocumq; defectu.* Cum igitur defectus in coniectura reperiatur, hoc est, ignorantiæ participatio, coniectura malum quidpiam debet censeri.

G. 1. loc. aff. c. 1

In medicina fieri demonstrationes.

Articulus Secundus.

SIcut de vna, & eadem re non potest simul esse demonstratio, & coniectura, ita è contrario in vna, & eadem scientia potest de diuersis rebus haberi de hac coniectura, de illa demonstratio, seu, quod idem est, de vna opinio, de alia verò sententia. Hinc intelligere possumus, medicam artem, siue scientiam (de hoc nunc non disputo) immeritò, quasi per contemptum, coniecturalem appellari, cum tamen in ea multæ fiant demonstrationes; Imò verò tota ea artis pars, quæ terapeutica est, ad quam reliquæ duæ diagnostica, & prognostica referuntur, tota, inquam, hæc terapeutica, siue curatiua, scientifica à Galeno censetur, nempe demonstratione nitens; *Quod enim artis* (inquit ille) *coniecturale est, id maximè in affectionum cognitione consistit: quæ vbi inuentæ fuerint, curationem, non coniecturaliter, sed scientificè indicant.* Est autem res valde nota apud omnes, principiū in arte medica ab Hippocrate prolatum, à Galeno sæpe inculcatum, *Esse contraria contrarijs curari.* Iam ergo ex hac præmissa summoperè necessaria, immediatè

G. 2. local. & de plenitud. c. vlt.

H. lib. de flat.

colli-

colligitur, curationem fieri per ea, quæ morbo contraria sunt, & sic fit demonstratio, ob quam scientificus habitus in curatione oritur. Scientificus etiam est habitus ad remediorum inuentionem, adeò vt in ea etiam possit, (Galeno sic censente) demonstratio vincere experientiam: eius verba sic habent: *Igitur per artis exercitationem comperi, eam remediorum inuentionem, quæ ex vera indicatione procedit, in ijs, quæ raro accidunt, empiricæ cognitioni præstare.* *Gal. 3. loc. aff. c. 2.*

2 Sed quid moror in demonstrando, demonstrationes in arte medica posse fieri, quando Galenus duplex demonstrationis genus admittens, vnum, cuius principia sunt à sensu, aliud, quod principia assumit à notione euidenti, vtroq; se posse, vti, affirmat? Hinc manent conuicti illi, qui rationem, cur ars medica incerta sit, afferunt, quia eius notitia à sensu petita est. Nemo autem mihi dicat, à sensu non posse accipi certitudinem, siquidem sensus circa proprium sensibile decipi potest: nam hoc duntaxat admittitur, cum adsunt impedimenta, siue ex parte organi, siue ex parte medij, siue ex parte obiecti: aliàs si impedimenta absint, adest certitudo, quod notarunt optimè, inter reliquos, Themistius, Simplicius, Iandunus. Itaq; stultum esse, sensum relinquere ob aliam euidentiam, nos admonuit Aristoteles. *G. 1. alim. fac. c. 1.* *Themist. Simpl. Iandun. Ar.*

3 Itaq; iam ex his liberatur medicina ab eorum calumnia, qui, medicam contemplationem coniecturalem esse, dicunt: nam licèt in ea suas partes coniectura agat, agit tamen suas demonstratio, imò si mihi liceret ampliùs, & diffusiùs rem istam prosequi, nullam esse scientiam, ostenderem, in qua opinatiuus habitus, nempe per coniecturam genitus, non habet locum, idq; saltem ex defectu intellectus nostri, dum extra patriam peregrinamur: quippe dum in huius vitæ nocte intellectus caliginem patitur, plura opinamur, quàm scimus: opinamur, inquam, intellectu: quippe existimatio est actus intellectus comprehendens scientiam, prudentiam, opinionem, cui inferior est imaginatio, vt latè, & optimè probat Aristoteles. Quòd si quis dicat, plures in medicina, quàm in alijs scientijs fieri coniecturas, hoc non negabo, dummodò tamen eas, quæ in hac arte fiunt, præstantissimas esse, concedatur, quod mox inferiùs meliùs apparebit; Sufficiat nunc, statuisse, & demonstrationes propter quid à præmissis primis, & immediatis, causisq; conclusionis, & demonstrationes quia, nempe vel ab effectu, vel à causa remota sumptas, & coniecturas exactissimas, hæc, inquam, tria esse, ex quibus hæc ars constat. *Ar. 2. de anima tex. 153.*

4 Altera calumnia, videlicet medicam artem incertitudinis defectu laborare, tunc delebitur, cum constabit, coniecturas, quibus medicus in suis theorijs vtitur, magis certitudinis, quàm incertitudinis habere.

Coniecturæ sua adest dignitas.

Articulus Tertius.

QVamuis autem opinio sit inferior scientia, ac proinde coniectura inferior demonstratione, nihilominùs demonstrationes medicæ euidentiores sunt, quàm aliarum scientiarum. Nam humana cognitio à sensu incipit, vnde per sensum accipit, claritatem, & certitudinem: quò ergo fuerit cognitio de rebus sensui magis proximis, eò erit magis certa: talis autem est medicina. Si verò aliquis dicat, eam ratione subiecti esse incertam, quippe quod mutabile est, Aristoteles autem, modum procedendi mathematicæ accuratissimum, certissimumq; esse dixit quia à materia, & mutatione abstrahit, à qua non abstrahit medicina, respondebo, *A. 2. metaph. tex. 16.*

mihi non esse animum comparare medicinam cum mathematicis, aut quibusuis alijs, quæ abstrahunt à materia, sed cum ijs, quæ materiam considerant, vt est philosophia. Quòd si philosophia corpora cœlestia, & alia entia immutabiliora, quàm sit humanum corpus, pertractat, at certè humanum corpus, dum non descendimus ad indiuidua, non cognoscitur adeò mutabile, vt non sit potior ratio ad confirmandam certitudinem sensus ea, quæ sumitur ex modo procedendi, videlicet ab euidentia sensus. In ea verò parte, quæ indiuidua pertractat, nec meretur scientiæ nomen, neq; artis, nisi vtentis.

2 Sit ergo prima coniecturæ præstantia, quòd hæc à sensu sumitur, & ab eo tum euidentiam, tum certitudinem intellectui nostro præstat. Est autem hæc coniectura, quam Galenus artificiosam appellat: neq; enim cuiuslibet est artificiosè conijcere, sed, vt illemet ait, eius viri, *Qui vires omnium, quæ in arte sunt, didicerit, memoriæ mandauerit, atq; diligentia omni adhibita, se se in operibus artis exercuerit: paucosq; tales existere*, affirmat. Hinc colligitur, non posse non attingere verum scopum artificem illum, qui tot circunstantijs venerit stipatus. *G.2. acut.37.*

3 Altera coniecturæ dignitas est, quòd licèt à Diuo Thoma cognitio imperfecta dicatur, quod intelligi debet comparatione ad demonstrationem, quæ est euidentissima, & certissima, nihilominùs parturit opinionem, ad quam sequitur fides, vt constat ex Aristotele dicente, *Opinionem quidem sequitur fides: non enim contingit opinantem ijs, quæ videntur, non credere*. Si verò obijciat aliquis, opinionē, quæ, vt diximus, habet secum timorem partis oppositæ, non posse fidem gignere, dicemus, fidem hìc accipi iuxtà assensum præmissarum: credimus enim conclusionem, iuxtà assensum, quem tribuimus præmissis; Cum autem præmissis demonstrationis assensum certissimum tribuamus (sunt enim præmissæ illæ principia vera) & omnino nota fides, quæ sequitur ad conclusionem, est omnino indubitata. At præmissæ topicæ nec assensum infallibilem merentur, nec ex eis conclusio infallibilem fidem gignit: gignit tamen fidem maiorem, aut minorem pro maiore, aut minore coniecturæ efficacia: plures enim coniecturæ species esse, dixit Galenus, qui potiùs dixisset plures gradus coniecturæ; Potest ergo accedere ad eum gradum, vt præmissas efficiat adeò certas, vt dicat Galenus, coniecturam artificiosam propè ad veritatem accedere. Quòd si mihi aliquis afferat eundem Galenum dicentem, omnes artificiosas coniecturas aliquando in actionibus errare, respondebo, eundem ibi remedium erroris inuenisse: quippe cum Hippocrates, ex conferentia bonitatem euacuationis cognoscere, doceat, si hæc coniectura decipiat, aliam adiunxit ex tolerantia, vt scilicet ex duabus simul iunctis omnis error auferatur. Atq; hinc addiscimus, multùm ad certitudinem conferre posse, si pluribus coniecturis simul ad vnam veritatem inueniendam vtamur. *D.Tho.1.2.q.112.art.5. Ar. 2. de ani. tex.157. G.3.local. G.1. Cris.9. G.4. aph. 2.*

4 Tertia dignitas ex eodem Aristotele ibidem accipi potest. Nam ad coniecturam sequitur opinio, ad opinionem fides, ad fidem persuasio, ad persuasionem ratio: ita vt rationis fundamentum sit coniectura. Dicet aliquis, à nobis esse adiunctam in hac serie coniecturam: etenim Philosophus ab opinione incipit, coniecturam omisit. Ita est: omisit quidem, sed non negauit, neq; negare posset, si vellet: nam quid est, quod opinionem gignit? Profectò dubium. Nunquid omnino dubium? At hoc opinione inferius est, id autem, quod est dubio superius, opinione inferius, coniectatio dici debet. *Ar. ibidem.*

5 Quarta, & vltima dignitas, propter quam tota hæc quæstio fuit agitata, est, quòd coniectura ratiocinando fit: ex quo concluditur id, quod initio dictum fuit, videlicet cum iuxtà græcum codicem sit, *bona coniectura*, rectè potuisse transferri *solerti ratiocinatione*. Quòd autem coniectura comitem ratiocinationem habeat, Aristides rhetor nos docet: quippe ait: *Omnes, qui coniecturis vtuntur, ratione vtiq; vtentes conijciunt: neq; enim sinè ratione quisquam* *Aristides.*

potest coniicere, cum ratio potius coniecturam efficiat. Itaq; qui ad ea, quæ longè cernuntur, collimant, ij natura duce, ni fallor, collimant, & hac vtuntur ratione: & quæ sequuntur. Cæterùm quamuis Aristoteles dicat, ad persuasionem sequi rationem, Aristides verò ex ratione coniecturam, nulla inter illos est contradictio: quandoquidem ratiocinatio, quæ est in phantasia, est illa, quæ coniecturam deducit ad intellectum: quippe intelligens speculatur phantasmata, deinde ex coniectura concipit intellectus opinionem: ex opinione oritur fides, ad fidem in eodem intellectu sequitur ratio, quæ alterius ordinis longè præstantioris est, quàm prior.

Soluuntur argumenta initio proposita.

Articulus quarus.

AD primam rationem initio adductam facilè respondetur, non posse simul stare opinionem, & scientiam de vna, & eadem re: posse tamen, vt dictum manet, fieri demonstrationes, & syllogismos probabiles in vna, & eadem scientia de diuersis rebus. Potest etiam habitus opinatiuus tractu temporis fieri scientificus, crescente lumine intellectus, aut aucta rei euidentia.

2 Ad secundam. Quamuis opinio habeat secum timorem partis oppositæ, tamen hoc suam latitudinem habet, adeò vt si artificiosa sit coniectura, ac proinde admodùm veritati accedens, gignet opinionem quandam, scientiæ proximã, qua intellectus sententiam fert de vero, ea ferè securitate, qua eam fert per demonstrationem; Quare dubium, quod adhuc hanc opinionem validis coniecturis stabilitam comitatur, vincitur à certitudine, quæ maior est.

3 Ad tertiam. Hæc ratio potiùs ostendit coniecturæ vim, quàm minuit: siquidem quando disputatur de facto, vehemens coniectura facit, vt animus in falso, perindè ac si verum fuisset, quiescat. Sequi autem ex coniectura aliquando falsum, ostendit, notitiam coniecturalem non esse penitus infallibilem, vt est notitia scientifica. Dogmata autem medica non sunt perpetuæ veritatis in ea parte, quæ est circa indiuiduum: in hac autem iam superiùs diximus, medicinam non esse scientiam, nec nisi vtentem artem.

4 Ad quartam. Medium vel dicitur per extremorum participationem, vel per vtrorumq; negationem. Est igitur coniectura media inter exactam notitiam, & omnifariam ignorantiam per vtriusq; medij negationem: Nam nec est exacta notitia, siquidem non monstrat infallibilem veritatem, neq; omnifaria ignorantia, quandoquidem per eam scientia, si non propter quid, saltem quia, acquiri potest. Aristoteles autem cum dicit, effectum sequi deteriorem partem suæ causæ, & similiter malum esse ex quocumq; defectu, sic intelligi debet, vt bonitatis nomine perfectio intelligatur, ac proinde concurrentibus duabus causis, quarum vna perfectionem, altera imperfectionem secùm habeat, effectus erit imperfectus: sic etiam bonum, hoc est, perfectum, ex integra causa, hoc est, ex perfecto proc dit; malum, hoc est, imperfectum, ex quacumq; imperfectione existẽte in causa fit. Deniq; coniecturalis quidem cognitio si cum scientifica perfectissima conferatur, imperfectionis notam subire debet: cæterùm imbecillitati intellectus nostri adeò subuenire est potens, vt ferè omnis tum speculandi actio, tum agendorum ratio, atq; prudentia ad eam recurrat. Imò Galenus in medicina non solùm curationem, sed etiam præuenientes ipsam notiones, quasdam scientifica notitia, quasdam artificiosa coniectura se inuestigasse, atq; eas magna ex parte rectas (cuiusmodi est artificiosæ coniecturæ uis) repetisse, ac proinde vsq; ad senectutem curando, aut præsagiendo calumniam subijsse, gloriatur. *Gal.3.loc.aff. c.3.*

TEXT. XXXIX.

LAC, & sanguis alimenti sunt redundantia.

COMMENT.

DVpliciter exponit hæc verba Fracantianus. Primò, quoniam humores ad vtile geniti sunt, veluti superfluitates partis generantis, possumus dicere, lac esse redundantiam alimenti, quo aluntur mammæ, & sanguinem redundantiam alimenti, quo alitur iecur.

Altera expositio. Per sanguinem non quemcumq; sanguinem intelligi, sed eum, quem singulis mensibus, per periodos natura euacuat: & hoc genus sanguinis dicitur redundantia alimenti, sicut lac: corpus enim, in quo est, nutrire non potest. Sanguis verò, qui in iecore genitus, & bonum est, & futurum alimentum. Ex his duabus ipsemet priorem præfert, & eam tenendam esse, censet.

Vallesius posteriorem sequitur, vtpote cui statutum erat, sententias huius libri ad alimentum fœtus in vtero reuocare. Cardanus priori fermè adhæret, in eo duntaxat differens, quòd sanguinem non appellat iecoris alimenti redundantiam, sed redundantiam alimenti membrorum: quia scilicet ideo in venis copiosus cõtinetur, quia redundat ex eo, quem sibi membra assumpserunt.

Vnaquæq; harum expositionum optimè quadrat: ego priorem, quam Fracantianus præfert, similiter præfero. Quare libet respondere Cardano, qui non admittit, sanguinem esse iecoris redundantiam, ea ratione fretus, quòd si iecoris redundantia dicitur sanguis, quia iecur, accepta in suam propriam nutritionem portione, reliquam transmittit, cur non idem dicemus de ventriculo, qui etiam chyli portione nutritur, reliquum transfert ad iecur? Cur non idem de semine, cuius aliqua parte nutriuntur testes, reliquum ad generationem reponitur?

Facilè tamen vtrique quæsito fieri satis potest; Nam quod attinet ad chylum, Hippocrates breuiloquus nomine sanguinis etiam chylum comprehendit: quippe Galenus humido liquori percocto quidem iam, & priùs elaborato, indigenti autem adhuc perfectiore coctione, chylum, qui ex ventriculo, per venas, sursum fertur, assimilat. Itaq; chylum, possumus dicere, esse sanguinem in potentia, qui in iecore, imò priùs in venis mesaraicis, reducitur ad actum. Quare cum dicitur sanguis redundantia alimenti, potest intelligi sanguis tàm potestate, quàm actu. Præterea nutriri ventriculum chylo, non est apud omnes indubitatum, imò à multis non receptum. Et sic immeritò Cardanus, qui se iactat, quòd nũquam dubijs certa permiscet, hoc argumentum, sumptum ab ea lite, quæ adhuc est sub iudice, adducit. *G. 4. de v. sup. c. 3.*

Quod attinet ad semen, Hippocrates hìc loquitur de redundantia alimenti, quæ rursus alimento inseruit: seminis autem, quod redundat à nutritione testium, nõ abit in alimentum alterius partis. Dicet Cardanus, non reponi quidem ad nutritionem, reponi tamen ad generationem, quæ est quædam nutritio, & solùm differt, quia nutritio est in corpore iam constante, generatio autem in corpore non constante. Verùm hæc responsio non satisfacit: nam semen non reponitur ad vtilitatem eius corporis, cuius est semen, sed ad generationem, alitionemuè cuiusdam tertij.

TEXTVS XXXX.

Circuitus ad multa consoni sunt, ad fœtum, eiusq; alimentum, rursus autem sursum repit in lac, & in alimentum, & ad infantem.

COMMENT.

Quemadmodùm muliebres purgationes, menstruas appellamus, quia singulis mensibus adueniunt, sic eas circuitus appellare possumus, quoniam per circuitus reuertuntur. Cum ergo circuitus possint appellari tertianarum periodi, possint & ita dici articularium dolorũ repetitiones, & similiter nephriticorum, epilepticorumq; aggressus, possunt & circuitus appellari luminarium reuersiones, & quæcumq; per suas vices & accedunt, & recedunt, consentaneum est, vt secundùm subiectam materiam, huius nominis significatum accipiamus. Agitur hic de conceptu in vtero, de nutrimento eius, de lactis fabrica, quæ omnia pro fundamento habent sanguinem, quo singulis mensibus purgantur mulieres: meritò ergo circuitus in præsente pro menstruarum purgationum reuersionibus accipi debent: sunt autem, vt ex præsente contextu apparet, ad multa multùm necessarij.

Circuitus. Quæsitu dignum est, cũ aliæ euacuationes, quibus corpus expurgatur, quotidie eueniant, hanc voluerit natura in singulos menses reseruare. Respondent plurimi, hoc fieri à natura propter necessitatem generationis, & vsum Veneris; si enim quotidie sanguis ab vtero excerneretur, fædus esset concubitus, & subinde vulua continuis humiditatibus scatẽs, semen corrumperet: namq;, ex sententia Hippocratis, *Quæ præhumidos habent vteros, non concipiunt: extinguitur enim in eis genitura*: & Aristoteles *Respuit semen genitale, si humidus est*, nempe vterus. (H. 5. aph. 62.) (A. 7. hist. ani. c. 2.)

Hæc ratio, licèt optima sit, est tamen finalis, quæ nobis non aufert laborem inquirendi efficientem, si reperiri possit. Videtur ergo efficiens huius rei causa irritationis modus ad expulsionem: cum enim in alijs excrementis irritatio magna sit, tum propter eorum mordacitatem, tum propter partium, in quibus aggregantur, exquisitum sensum, quotidie ad expulsionem prouocat. At verò sanguis nec mordax est, nec in parte valdè sentiente accumulatur; propterea nõ irritat, nisi iam, cum ad tantam peruenerit quantitatem, quanta tolerari ampliùs nequeat.

Est itaq; sanguis excrementum tertiæ coctionis: quippe postquam carnes sunt ex suo alimento saturæ, id, quod superfluit, tamquàm inutile, ad venas maiores iterum remittunt. Accumulatur verò in fœminis, non propter maiorem calorem (licèt in libro de morbis mulierum, mulier calidior viro dicatur, quod librum illum suspectum apud multos facit) sed propter caloris debilitatem, ob quam reliquiæ discuti nequeunt: & propter minorem transpirationem (licèt enim carnes habeant molliores, habent tamen habitum corporis densiorem, vnde pilis carent, & frigoris magis, quàm viri tolerantes sunt: nec obstat Hippocrates, vt infra dicemus) & propter vitam sedentariam, vnde viragines fœminæ, & campestres, quæ valde exercentur, menstrua vel non habent, vel diminuta habent; & sic ratione materiæ parua adest irritatio. (Infra q. 8. art. 3, n. 2.)

Adest etiam parua, ratione partis, in qua aceruatur; est autem ea pars, venarum numerus, quæ vtero sunt proximæ; Venas autem vel nihil, nisi ratione tunicæ ambientis, vel saltem parùm sentire, alibi ostensum est. Ergo cum nullum, aut obtusum habeant sensum, sanguisq; in ijs cõtentus mordacitate careat, non quælibet eius quan-

quantitas irritat ad expulsionem, sed quæ per triginta dierum spatium colligi potest. Cum dies triginta dico, parum plus, minusuè intelligo; Sic naturalis est euacuatio, hoc est, consueta: quæ verò ab hoc spatio longè distat, præter naturam censetur.

Si quis verò in hoc sanguine menstruo mordacitatem arguat ex eo, quòd venenosam habet qualitatem, quam multi agnoscunt, quibus libens assentior, sciat oportet, venenositatem nõ secum afferre mordacitatem: quod ostendit Galenus, dum admittit, seruari posse intra corpus venenum per longum tempus non nocens: ostendunt etiam hoc illi, qui à cane rabido morsi, per plures menses veneno latitante, nihil inde mali sentiunt. Præterea cum admittimus aliquid venenosum in sanguine menstruo, quòd non est negandum, maiore ex parte laudabilis substantia est, ex qua fœtus formatur, nutritur. Quare venenum est, quod mulieri non potest nocere, nisi vltra præstitutum tempus, quippe dum commoratur, vincente praua qualitate, putredo oritur, & ea mala patitur mulier, quæ ad menstruorum suppressionem consequi medici norunt. *Gal. 6. loc. aff. c. 5.*

Ad multa consoni sunt. Circuitus isti, si fiant, consonant cum natura particulari mulieris, cuius conseruationi, sanitatiq; incumbit; Si retineantur non à causa præter naturam, consonant cum natura vniuersali, quæ specierum conseruationem tuetur, & sic inseruit propagationi speciei, præstans materiam producendo fœtui, alimento producto in vtero, & aliquandiu extra vterum.

Ad fœtum, nempe ad generationem fœtus: quippe partem materiæ, ex qua gignitur fœtus, præstat. Cur partem materiæ? quia præter sanguinem menstruum, etiam semen non solùm efficientiam, sed materiam etiam, partialiter confert: semen, inquam, tàm maternum, quàm paternum. Hic duæ includuntur quæstiones, dissentiones potius inter Galenum, & Aristotelem in posteros deriuatæ. Vna est, *An præter sanguinem menstruum conferant fœminæ etiam semen*. † Altera, *An semen virile non solùm tamquàm efficiens, generationis opus ingrediatur, sed etiam tamquàm causa materialis*. †

Eiusq. alimentum. Consentaneum est, vt ab eo, à quo nutritur semen, nutriatur etiam fœtus ex semine factus: nam κύημα & ἔμβρυον, licèt maioris, minorisuè perfectionis ratione differant (vt ex Galeno licet colligere) non differunt ratione alimenti, nisi quòd magis, minusuè nutrimenti accipiunt: quippe *Primis duobus mensibus parum sanguinis in fœtum attrahitur, vtpote adhuc minimum, cum scilicet quod in vtero est hoc tempore, nec embryon græcè vocetur, sed tyema adhuc, id est, vteri gestatio*. Nutriri autem semen, phrasis est Galeno vsitata, vt suo loco dicam. Vsitata etiã eidẽ loquutio est, eãdem materiam & formationi, & nutritioni fœtus inseruire: siquidem ferè semper, cum ait, materiam præstare sanguinem *ad formationem* fœtus, solet adiungere, *& ad nutritionem*. *Gal. 1. de caus. symp. c. 7.*

Sanguine igitur, dum in vtero gestamur, ali nos, constat: quod Galenus sæpe inculcat, præcipuè in libro de sanitate tuenda. Hinc est, quòd Hippocrates ait: *Si mulieri vtero gerenti purgationes eant, impossibile est, fœtum esse sanum*. Nihilq; magis hanc veritatem persuadet, quàm id, quod scriptum reliquit, nempe, *Mulier vtero gerens, sanguine misso ex vena, abortit, & magis si fœtus sit maior*: quippe, vt in commento ait Galenus, *Ex defectu alimenti fœtus destruitur*. *G. 1. sanit. tuend. c. 7.* *H. 5. aph. 60.* *H. 5. aph. 31.*

Porrò meritò author in presente ait, sanguinem, qui per circuitus fœminis accidit, tum ad fœtum, hoc est, ad formationem eius, tum ad eiusdem alimentum asseruari. Ideo vtero gerentibus non fluunt menses, aut si fluunt, in primis mensibus pauci quidem sunt, & veluti quædam vteri purgamenta; Quòd si fluant multi, & multo tempore, debilitatis fœtus & signum sunt, &

causa:

causa: signum, quia indicant fœtum minus alimenti absumere, quàm alioquin, si viribus constaret, absumeret: causa, quoniam quicquid ex vtero tūc temporis egreditur, fœtui eripitur.

Sicut autem retentio huius euacuationis, quæ propter obstructiones, aut alias causas præter naturam contingit, symptoma est in genere retentorum immodicè, ac proinde est res prę ter naturam, sic è contrario retentio, quæ conceptus gratia fit, cum sequatur ad opera naturæ, naturalis dici debet. Sed ad cuiusnam naturæ opera consequitur? Naturæ, inquam, vniuersalis, sub cuius tutela natura particularis est: quippe natura particularis dirigitur à natura vniuersali, quæ aliàs anima mundi appellatur: natura autem isthæc vniuersalis dirigitur ab alia superiore, quam naturam naturantem appellant, & essentia illa infinita incomprehensibili, apud quam sunt rerum creatarum communes ideæ, quæ naturæ communi impressæ, diffundūt ideales radios in particulares naturas, quę finem non agnoscentes, vix vnquam, (nisi impediantur, errant ab scopo. Hoc ordine vsuuenit, vt retentio illa, quæ præter naturam foret, si absq; fine accideret, ex directione ad finem, est quidem naturalis.

Rursus autem sursum repit in lac. Postquàm dixit, quæ vtilitas sequatur ex sanguine fluente ad vterum, considerat vtilitates, quæ accidunt eodem refluente ex vtero. In primis oportuit ex eodem nutrimento, quo alitur fœtus in vtero, ali extra vterum: quaproter ex materia, qua fœtus in vtero sustentabatur, egressuro in lucem alimentum præparauit; Vnde Galenus, *Sanguine quidem*, ait, *dum adhuc in vtero gestamur, ali nos constat: ex sanguine verò lac gignitur, exiguam in mamillis mutationem adepto.* Et ob hanc alimenti similitudinem, affirmat ille, lac maternum (dummodò mater bono sit prædita temperamento) vtilius esse infanti, quàm lac alterius nutricis. *G. 1. sanit. tuend. c. 7.*

Tria tamen hìc obijci possunt. *Primum.* Si lac dicitur à Galeno genitum *Ex sanguine exiguam in mamillis mutationem adepto*, cur alibi dicitur, *Lac cibus exactè confectus? Alterumq́.* Quę nam maior potest esse mutatio, quàm ea, in qua forma substantialis deperditur? At lac differt specie, subinde substantiali forma à sanguine; Igitur mutationem adipiscitur non exiguā, sed maximam. *Tertium.* Mutatio ista totius substantiæ, vel est in deterius, vel in melius: non debet esse in deterius, nam sic fieret corruptio putredinosa, quæ operi naturali, qualis est lactis confectio, non conuenit: est ergo in melius; Sed si est in melius, est per coctionem: si per coctionem, ergo calidius sanguine, ex quo fit, euadet, cum tamen sanguine frigidius à Galeno constituatur: *Gal. 7. de vsup. c. 22* *G. 5. simpl. c. 21.*

Facilè tamen hi tres nodi soluuntur. *Ad primum.* Lac fit ex sanguine exiguam mutationem adepto: quippe vnū ex altero immediatè gignitur: non quidem vt sanguis fit ex cibo, mediante chylo, sed ex sanguine lac absq; vlla substantia intermedia. Quare cum lac, dicitur, exiguam mutationē accepisse, exiguam pro facili accipere oportet. *Ad alterum.* Differunt specie, & subinde forma substantiali lac, & sanguis: sed inter species diuersas, inter diuersas etiam formas, maior, aut minor propinquitas dari potest ob similitudinem dispositionum, maior etiam, aut minor procliuitas ad transmutationem vnius ad alterum: sic pituita in sanguinem, flaua bilis in atram facillimè transmutantur, & tamen diuersę sunt substantiæ, specie, & subinde forma inter se distantes. *Ad tertium.* Euadit lac ex sanguine per coctionem, non tamen iccirco calidius est sanguine: neq; enim semper verum est, coctum calidius euadere, quàm anteà: quippe possunt partes acres alicuius rei coctione deperdi, atq; ita coctū remanere minùs calidum. E. g. allia, & cepe cocta quidem minùs acria redduntur, ac propterea minùs calida.

G. 5. aph. 38.39. calida. Præterea Galenus ait, sanguinem ad mammas delatum ab adenibus, quæ ibi sunt, in lac transmutari; Cum ergo sint exangues, ac frigidæ, si lac ab eis cōficitur, & similitudinem accipit, oportet, vt frigiditatis sit particeps. Si quis tamen dixerit ex altera parte, mammas iuxtà cor collocatas esse (eodem Galeno teste) vt facillimè simul, & citissimè lactis copia perfectè elaborari possit consistere, dicam ego, posse lac confici ab eccedente calore, & tamen frigidum euadere: non enim est inconueniens, aliquid à calore agente productum, in fine suæ productionis frigidum obtinere temperamentum: sic melācholicus succus, qui frigidus, & siccus est, elemento terræ correspondens, à calore plusquā mediocri fit, vt colligitur ex Galeno dicente; *Sanguinem quidem ex mediocri calore fieri, reliquos verò succos ex eodem immodico*. Sic ille: qui cum dicat, reliquos succos, pituitam quidem non intelligit: nam quis, nisi Mutillensis, pituitam à calore ortam, dabit? Ergo vtramq; bilem.

G. de vsu par. cit.

Gal. 2. nat. facult. c. 8.

de sero lact. pag. 17

Demum est, quòd miremur naturæ prouidentiam in lactis procreatione: cum enim vterum, & mammas ad vnum opus obeundum comparasset, hæc duo membra, per communia vasa, coniunxit (vt est consideratio Galeni sæpius ab eo repetita) vnde nec menstrua abundanter fluere possunt ijs, quibus lac in mammis colligitur, nec abundans lac esse, vbi menses abūdanter prodeunt. Hæc venarum cōmunitas inter vterum, & mammas, facit, vt aliquando, citra grauidationem, ob solum mensium defectum, præter naturam lac in mammis colligatur. Quare Hippocrates, *Si mulier*, inquit, *quæ neq; grauida est, neq; concepit, lac habet, ei menstrua defecerunt*. Hoc rarum esse, aduertit Galenus in commento: rarum quidem est, nam menstrua præter naturam retenta, nō facilè apprehendunt eam viam, quæ tendit ad mammas; Quòd si accidat, tunc, vt notat Andreas Laurentius, lac imperfectum quidem est: quippe longè differunt opera, quæ fiunt à natura, ab alijs, quæ violenter accidunt.

Gal. 14. de vsu par. c. 8. 5. simpl. c. 22. de ven. & arter. sect. c. 8. 6. epid. sect. 5. cō. 18. 5. aph. 37. 52.

H. 5. aph. 39.

Andr. Laur. lib. 9. q. 2.

Vltimis gestationis mensibus magis turgent vbera: tum quia tractu temporis auctus fuit sanguis in mammarum anfractuosis plexibus, tum etiam, quia tumens vterus, præ fœtus magnitudine comprimit mesentereum, & ex hac compressione sanguis maiore impetu ad mammas regurgitat: quippe *Ventris totius mole* (vt Galenus ait) *quę propter conceptum ipsis* (scilicet mammis) *incidit, ac premit, ad locum cedentem propellit. Ita igitur lac menstruo germanum esse, ait Hippocrates.*

G. 14. de vsu par. c. 8

H. 2. epid. sect. 3. prope finem.

Contingit ergo, vt fœtui intra vterum aucto non sufficiat alimentum, quod in vtero præsens est: propterea valenter trahit, & tractu sanguinem, qui iam in mammis ferè in lactis naturam erat conuersus, accipit in nutrimentum. Sic duplex sequitur vtilitas: vna per se, videlicet alimenti suggestio: altera per accidens, nempe alimenti aliquantula mutatio, propter quam infans incipit assuefieri futuro alimento, quo intra paucos dies, editus in lucem, fruiturus est. Quare nullum commodius alimentum puero in lucem edito excogitari potest, quàm lac, quod duas habet conditiones laudabilis alimenti: vnam, quia temperamentum habet temperamento nutriti simile: alteram, quòd eo iam anteà, cum in vtero latebat, assueuerat. Vtramq; vtilitatem complexus est Galenus his verbis: *Quare qui matris lacte pueri aluntur, ij iam non solùm consueto, verùm etiam maximè proprio vtuntur*. Dixit autem *matris lacte*, non quòd lac nutricum non habeat prædictas duas conditiones, sed quòd maternum eas præcipuè (vt iam diximus) habet.

G. 1. sanit. tuend. c. 7.

Repit igitur sursum ex vtero ad mammas per communia vasa sanguis, in hac opportunè conuertendus, quod indicant presentia Hippocratis verba: *Rursus autem sursum repit in lac*, nimirum sanguis. Quæsitu hoc loco dignum

gnum est, cur naturæ non placuit, vt infans extra vterum sanguine nutriretur, qui tamen, dum in vtero erat, sanguine pro alimento vtebatur, sed ei iam in lucem edito, aliud alimentum præparauerit, nempe lac, quod quamuis ex sanguine fiat, aliam tamen substantiam, aliud temperamentum, aliũ habet colorem.

Huic quæsito in meo tractatu de Asitia responsum dedi, vt vnusquisq; potest considerare, satis congruum: *Videlicet. quia assueti ab infantia humanum sanguinem ore exhaurire, ferinam acciperent naturam.* Insurgit Satyrus, & in primis grammaticum agens taxat, quòd dixerim *exhaurire*: nam *Qui bibunt*, ait iste, *ij liquorem hauriunt ore, non exhauriunt*. Siccine ais? At hoc falsum est: nam qui exhauriunt, ore hauriunt. Dic mihi, cum tu vini meri largissimum cyathũ exhauris, quis nam est, qui illum haurit? Nonne tu ipse, qui exhauris? Addis deinde sic: *Actio siquidem exhauriendi respicit locum, & vas, è quo ducitur liquor, non os, quo sugitur*. Inuenisti ne apud aliquem grammatices magistrum hãc pulchram doctrinam? Nunquid tu, qui Satyrus es, ignoras, discrimen inter actiuum, & passiuum? *Exhaurio*, bone Satyre, verbum actiuum est, ac proinde actio exhauriendi respicit os bibentis, seu potiùs respicit agentem: sic quando exhauris vinum, verbum hoc os tuum respicit. Verte nunc te in passiuum: cum passiuè dicimus *exhauritur*, respicimus vas, non bibentis os.

pag. 50. ☞

Hìc etiam simul cum pulchra grammatica pulchram philosophiã inuoluis: nam qui exhaurit, in actione est, locus autem, aut vas in passione: tu verò actionem exhauriendi tribuis ei, quod patitur, nempe loco, aut vasi, ex quo liquor educitur.

Itaq; exhaurire dixi, & ad os infantis respexi, quia infans lac è papillis, & haurit, & exhaurit: haurit, quia sugit, exhaurit, quia sugendo auidè perseuerat, donec mammas prorsus euacuat: quis enim infantis voracitati præfiget terminum?

Agnoscis ne iam tuæ censuræ vanitatem? Miror: nam dum pocula exhauris, ad poculum, non ad te ipsum respicis: ad te si respiceres, resiperes. Magis tamen tibi placent Abydenorum mores, quos tibi Pausanias, Suidasq; meritò assignarent, verùm magno tuo infortunio: quoniam semper subuentanea parturis. *Pausanias Suidas.* *Adagium.*

Cæterùm sparge nuces, & ad seria accedito: videbis quàm benè (sed ne interruptè agamus, expecta parumper, donec textus expositionem expediã, mox quæsito, cur infans extra vterum lacte, non, sicut in vtero sanguine, nutriatur) ex professo satisfaciam. †

Et in alimentum, & ad infantem. Si lac in mammis fit ad alimentum infantis, cur ait autor, *& in alimentum, & ad infantem*? Sufficeret dicere *ad infantem duntaxat*. At scire oportet, agentia naturalia in suam propriam vtilitatem primò, ac per se agere: deinde ex superioris naturæ directione, actionem illam in aliorum vtile redũdare, licèt de ventriculo dubitent aliqui, an priùs nutriatur chylo, quem conficit, residuum transmittat ad iecur: de iecore, quòd priùs sanguine nutriatur, nemo dubitat: sic etiam, quòd testes semine, quòd lacte mammæ. Fit igitur lac ad nutrimentum priùs mammarum, posteà, ex naturæ decreto, infantis.

AN PRAETER SANGVINEM MENstruum conferant etiam fœminæ suum semen.

QVAESTIO SEXTA.

DIssentit Galenus ab Aristotele in generationis nostræ principijs. Hæc dissentio posteris controuersias excitandi præstitit occasionem: nos aliquas in Meteoris microcosmi, prout illius operis stylus exigebat, tractauimus. Cæterùm quoniam post transactos vndecim annos, aliqua denuò potuerunt excogitari, tolerante etiam hac scribendi norma, quam suscepi, libet paululùm in ijsdem ventilandis commorari.

Rationes, quæ semen fœmineum excludere videntur.

Articulus Primus.

2 ARistotelis opinio fuit, non dari semen muliebre: cuius præcipuum fundamentum est, quoniam non videtur necessarium, vt natura, quę non abundat in superfluis, duas conferat ad generationem fœtus substantias, sanguinem menstrum, & semen: inquit enim, *Sed cum menstrua sint, quod fœminis fiat, perinde vt maribus genitura, nec fieri possit, vt duæ simul secretiones seminales agantur, ideò semen à fœmina non conferri ad generationem, apertum est: nam si semen esset, menstrua non essent: nunc ideo illud deest, quia hæc sunt: sed menstrua esse excrementum, vt semen, explicatum iam est.*

Ari. 1. de gen. ani. c. 19.

3 Altera ratio, quam pro Aristotele adducunt aliqui, est, quoniam si fœminæ conferrent semen, vel aliqua effectrice vi præditum foret, vel nulla: si nulla, quorsum est? Nam ad præstandam materiam sanguis menstruus est satis: sanguis, inquam, menstruus, quem Aristoteles seminis nomine significat, quod multos decepit, existimantes ab Aristotele non fuisse muliebre semen negatum, sed solùm vim effectricem illi neutiquam concessam. Quòd autem menstrua semen appellet, constat: vt quando ait, *Fœminis purgatio menstruorum seminis exitus est, cum menstrua non nisi semen sint inconcoctum.* Et alibi *Fœmina, quasi mas læsus est, & menstrua semen sunt, quamquàm non purum*: Itaq; quoties apud Aristotelem fœminarum semen reperitur, menstrua oportet intelligere, quæ cum materiam præstent, non est, cur aliunde seminalem materiam debeamus emendicare. Si verò semen fœmineum (addunt illi) effectricem vim habet, poterit mulier intra se, absq; viri consortio, concipere, quod nequaquam est admittendum: nam sinè maris concursu, nec ouipara prolem gignunt, sed ex abundantia materiæ oua quædam zephyria, vel subuentanea appellata, quæ inepta sunt, vt ex his pulli excutiantur. Imò adeò necessaria est marium facultas, vt molas, quæ non animalia, sed frustum carnis informe sunt, sinè viro gigni non posse, magna autorum pars teneat.

Arist. 4. gen. ani. c. 5. 2. gen. anim. c. 3.

4 Tertia pro Aristotele ratio est. Magnum signum nobis indicans, fœminas semen non emittere, esse, quòd accidat eis sinè voluptate concipere. Nam tametsi delectatio fiat absq; seminis emissione, ex solo confluxu spirituum, nũquam seminis effusio fit sinè delectatione. Quòd delectatio sinè seminis effusione fiat, Aristoteles affirmat his verbis, *Voluptas autem, quæ per coitum sentitur, non solùm semine exeunte accidit, sed etiam spiritu, ex quo consistente semen emittitur:*

Arist. 1. gen. anim. c. 20.

quod patet tum in adolescentulis, qui non dum emittere queunt, propeq; ætate sunt, tum in viris genituræ expertibus: voluptas enim ijs omnibus scalpendo excitatur. Sic ille. Iam ergo constat, si sinè semine voluptas adest, posse fœminas delectari, & semine carere. Ex altera parte si semen emittunt, delectari necessariò debent: quare siquando eis contingat concipere, & non delectari, oportet fateri, cum delectatio desit, deesse simul & semen: concipere autem sinè delectatione, experimento compertum est, & Aristotelis testimonio constat dicentis, *At sinè ea voluptate quæ fœminis per coitum euenire solet, concipitur, si locus turget, & vulua descendit propiùs: veruntamen magna ex parte sic accidit, vt cum profusione fœminæ agatur, quoniam os vteri se comprimat, cum profunditur: in qua quidem profusione voluptas & mari, & fœminæ contingere solet:* Ex quibus verbis aliquando, licèt raro, contingere, vt fœminę absq; voluptate concipiant; Quare hinc patet, conceptum posse fieri absq; semine: quòd si potest, frustra semen muliebre datur, vt pote quod non est necessarium generationi, sed superfluum: natura autem non abundat in superfluis. Hæc sunt præcipua, & magis efficacia, quæ in doctrina Aristotelis semen muliebre excludunt. Ar.2. de gen. ani. c.4.

5 Multæ pro Galeno asserente, semen fœmineum dari, stant rationes: verùm, meo quidem iudicio, duæ sunt præcipuę, & quæ reliquas omnes absorbent; Vna sumpta ex similitudine filiorum ad matres: altera ex similitudine vasorum seminis generationi, eiaculationiq; inseruientium, quæ communia sunt & maribus, & fœminis. Vtraq; tamen harum rationum responsionibus aduersantium adeò submergitur, vt vix, & non nisi labore maximo caput queat extollere; Nos singulas seorsim pro virili adiuuabimus.

Primum fundamentum sententiæ Galeni, semen fœmineum constituentis, eiusq; ab aduersariorum impugnationibus defensio.

Articulus Secundus.

1 FAtentur omnes, neq; quispiam negare posset, si vellet, fœtum multoties, vel in omnibus, vel in aliquibus similē esse matri; Hoc non aliunde prouenire potest, quàm ex vi formatrice, quæ in semine est. Cum ergo vis formatrix, assimilans membra matri, paterno semini inesse nequeat, necessariò admittendum est, fœmineum semen hac facultate præditum. *Nam formantis officium esse* (Galenus ait) *alterutro ex parentibus similem, vel dissimilem fœtum reddere, nemo est, qui nesciat.* Confugiunt aduersarij ad ingentes mutationes, quas alimentum in corpore efficit, inter quas poterit etiam esse isthæc, scilicet, vt matri, alimentum præstanti, fœtus similis euadat. Gal.2. de sem. c.1.

2 Hæc responsio iam ante Galeni tempora vigebat: eam ille nō patitur: quippe alimentum non mutat speciem, quod iam superiùs dixi, dum à calumnijs Satyri liberaui, quod dixeram alimento mutari substantiam, & explicaui, substantiam communiter apud medicos appellari non formam substantialem; vt apud philosophos, sed constitutionem ex peculiari elementorum mistione. In præsente autem, quæ philosophica est quæstio, dicimus, alimentum non mutare speciem; quod exemplis confirmatur; Si quidem persica arbor in AEgyptum translata speciem non mutauit, sed fructum, qui priùs esui non erat idoneus, produxit idoneum; Oues, quę pabulo vtuntur, quo vtebantur capræ, non mutantur in capras: neq; capræ ex ouium nutrimento fiunt oues. Iam ergo, ò Satyre, tu, tuiq; canes, Sect. 2. q. 2. art.2.n.11.

& feles, potestis vno, & eodem alimento victitare: neq; enim canes, & feles induent humanam naturam, neq; tu satyricam depones.

3 Reuertor ad iter. In sanguine menstruo nulla efficiendi vis inest: non ergo sanguis iste efficiet membra matri similia; Sed miror Galenum, qui cum ita sentiat, tamen paulò inferiùs, nescio quo malo genio ductus, sanguini huic vim efficiendi non omnino negat: inquit enim: *Nam neq; semen facultas tantùm est, sed materia etiam quædam: neq; menstruum materia solùm, sed etiam facultas*. Crediderim, posse illum ad concordiam reduci: quoniam priùs voluit probare, præter sanguinem menstruum, dari etiam semen fœmineum, ac proptereà denegasse menstruo facultatem omnem effectricem, & subinde inducendi similitudinem vim. At postquàm hoc se probasse vidit, & semen fœmineum introduxit, iam non loquitur de sanguine menstruo per se solū, sed simul cum muliebri semine. Atq; hunc sanguinem menstruum muliebri semine stipatum, ait, esse præditum aliqua efficiendi vi, non tamen ita præcipua, vt est illa, quæ semini masculino inest. Cæterùm omisso Galeno, quem omnes in hac parte vellicant, nec nos possumus, saltem ex eo, quòd non se satis explicauerit, à culpa releuare, quid respondendum erit eis, qui similitudinem fœtui ex alimento à matre dato prouenire posse autumant?

Sect. 2. q. 2. citata n. 4. 4 Profectò si recurrendum est ad ea, quæ superiùs in secunda sectione de mutatione, quæ nobis ex alimento accidit, dicta sunt, ibi, figuræ mutationem ex alimento fieri, diximus. Hoc si absolutè accipiatur, validam efficiet responsionem istorum, qui Galeni fundamentum, sumptum ex similitudine natorum ad matres, retundere conantur; Nam si alimentum, quo homines vtuntur diu, potest faciem, & aliorum membrorum figuram mutare, longè meliùs ex materia, ex qua formatur fœtus, & ex qua adhuc tener nutritur, figura mutabitur, & fœtus alimento euadet similis, alimento, inquam, hoc est, matri alimentum præstanti.

5 Cæterùm differentia est maxima: nam ibi mutationem faciei, hoc est, deformitatem acquisitam vel à morbo, vel ab alia causa violenta, concessimus: mutationem verò in similitudinem alimenti omnino negauimus. Præsens sermo est non de faciei mutatione à causa aliqua primam faciem deformante, sed de inductione similitudinis ad effigiem parentum. Ista ne similitudo induci potest ex alimēto? Hoc, si tu Satyre, probabis, esto mihi magnus Apollo: sin minùs, esto Marsia. Porrò hæc similitudo ex alimento in vtero, hoc est, ex menstruo sanguine acquiri non potest. Hoc demonstro, quoniam, licèt tibi concedam, aliquam similitudinem effigiei maternæ sanguini menstruo esse impressam (quod tamen falsum est) hæc similitudo à quonam reducetur de potentia ad actum? Non quidem sanguis à se solo reducetur: nam ea, quæ à se ipsis reducuntur de potentia ad actum, sunt illa, quæ in statu præter naturam violenter retinentur, vt aqua calida. At sanguis, cum habeat matris effigiem impressam, non patitur violentiam, ac proinde non est, cur per se ipsam illa effigies ad actum reducatur. Deinde, vt illa figura fœtui tribuatur, debet tribui operante facultate formatrice: facultas formatrix non est in sanguine, non est ergo sanguis, qui effigiem istam reducit ad actum. Reducetur ergo à semine: non à semine maris, nam semen est agens naturale, quod sibi, non alteri effectum similem reddere conatur. Igitur si nec sanguis à se ipso reducit effigiem ad actum, nec semen paternum id præstare potest, necesse est, vt detur semen fœmineum, à quo hęc similitudo proueniat: ac proinde manet stabilita sententia, quæ, semen fœmineum dari, tuetur.

Alterum

Alterum fundamentum sententiæ Galeni, quæ fœmineum semen admittit.

Articulus Tertius.

1 HAbet fœmina, veluti mas, vasa seminis procreando, excoquendo, eiaculandoq; apta, quæ tamen fœminis frustra concessa fuisse, non est dicendum: sunt ergo ad suos vsus, nempe ad seminis productionem, eiaculationemq;. Vnde colligitur, fœminas non carere semine. Hic Peripatetici varia quærunt subterfugia. Athenæus, relatus à Galeno, inquit: sicut maribus papillas, ita fœminis seminalia vasa fuisse constituta, vt sola similitudo, ac conuenientia in prima membrorum formatione, non item functio seruata fuerit. Hanc responsionem facilè Galenus redarguit; Nam maribus, preter paucos quosdam, non sunt in papillis glandulosa corpora, quę tamen in fœminis maxima conspiciuntur. Deinde fœminis plena semine, non seminaria tantùm vasa reperiuntur, sed etiam testes. Vnde fit, vt paucissimi sint mares, quibus turgescunt mammæ, neq; eæ admodùm multum: fœminis verò omnibus in seminarijs meatibus semen contineri videamus. An fœminæ excernant, quærendum non est. *Gal. 2. de sem. c. 1.*

2 Auerrous in suo Colliget leuiter difficultatem hanc, quætamen leuis non est, attingit, & ferè adhæret Athenæo: quippe opponens, si aliquis velit dicere, vasa muliebris esse frustra, respondet, neq; in hominibus mãmillas habere aliquã inuentionem in generatione, & tamen habent illas: posset tamen aliquid dicere ad redargutionem, qua Galenus Athenæum conuincit, sed hoc silentio præterijt. In paraphrasi autem ad librum de generatione animalium, ex professo, contra Galenum argumentatur, aitq; rerum inter se distinctiones ab operatione, non à figura sumendas esse. Quare licèt concedamus, membra mulierum membris virorum esse similia, non propterea hinc sequitur, operationes esse easdem. Tunc exemplum à mammis acceptum retorquet in Galenum: quippe Galenus met fatetur, mammas in fœminis esse propter generationem lactis, in viris propter alios vsus. Alio etiam exemplo sumpto à Galeno suam hanc positionem confirmat. Galenus, inquit ille, fatetur oculos talpæ habere omnes tunicas oculo requisitas, præter araneam telam, qua fit visus; Si ergo hæc ita se habent, non est inconueniens, quòd eadem sit proportio testium mulieris ad testes viriles, quæ est ab oculo muris terræ, ad oculum animalis visiui. *Auerr. 2. colliget c. 10. & in paraphras. lib. 1. de generat. anim. c. 20*

3 Verùm nec priore, nec posteriore exemplo Auerrous feliciter est vsus: non priore: nam animaduertere debuerat, Galenum non in sola membrorum figura vim suæ rationis posuisse; sed in eo, quòd vasa muliebria multo semine turgida conspiciantur, mammæ verò virorum lac non habeant. Quòd si aliquibus viris contigit, lac in mãmillis gignere, hoc rarum est, & tamquàm portentum habetur, nec à Galeno fuit omissum. Quod attinet ad alterum exemplum, talpis saltem defectus illius telæ araneæ visum adimit: in vasis autẽ muliebribus nihil est, quod conficiendi seminis commoditatem auferat; Fatetur tamen Galenus, vim seminis confectricem in mulieribus debiliorem esse, quàm in viris: quare fœminarum semen & debilius, & aquosius euadit. Cæterùm hæc differentia non tanti est, vt cogat negare, verum semen esse substantiam illam, quam mulieres in coitu cum delectatione emittunt: quæ, si corrumpatur, grauissima inducit symptomata: hęc sedare solent obstetrices, digitis vteri partes titillando, & huius substantiæ effusionem procurando, ad quam sequitur sanitas. Verùm omnem controuersiam circa hoc exemplum dirimere possumus, si negabimus, talpas habere oculos: occasionẽ nobis Aristoteles præbet, qui, talpam, ait, oculos modo quodam habere, omnino *Ar. 1. de hist. an. c. 9.*

tamen

tamen habere negat: quippe cum omnino quidem nec videat, nec perspicuos habeat oculos. Tandem concedamus Auerroo, talpę oculos in figuræ similitudine cum oculis videntium conuenire, talpæ autem oculos nullum habere vsum: hinc non potest fieri argumentum ad vasa seminalia mulierum, quæ non solùm in figura cum virilibus conueniunt, sed aliquem habent vsum, videlicet fœminas ad libidinem promouere: nam, si auferantur, aufertur fœminis coeundi cupiditas: hoc in suum fœminis docet experientia: postquàm enim castrantur, non ampliùs congressum masculorum quærunt.

Costæus quæst. phisiolog. pag. apud me 376. & 377.

4 Costæus hanc similitudinem figuræ, quam Auerrous quasi precariò admiserat, admitti non vult: imò ex dissimilitudine argumentum conficit ad negandum semen fœmineum: quippe *Testes maribus extimi sunt, & grandes, & spongiosa, & molli substantia, qua pressa semen exprimitur. Ad eos feruntur seminales meatus, & multo plexu ijs annectuntur, & in eos per euidentem sinum semen ferunt.* His dictis opponit masculorum vasis vasa fœminea, quæ longè diuersa esse existimat: quod tamen, multorum iudicio, non obtinuit: nam in primis extimis virorum testibus opponit intimos fœminarum: sed hoc arguit minorem fœminei sexus calorem: calore namq; abundante vasa dilatantur, deficiente comprimuntur. Num propterea quòd testes intus sunt collocati, impedimento esse possunt ad seminis procreationem? Minimè. Opponit deinde spongiosæ, ac molli testium virilium substantiæ substantiam testium muliebrium duram: opponit magnitudini virilium paruitatem muliebrium. Verùm durities non tanta est, quæ expressionem penitus prohibeat: neq; testes muliebres sunt adeò exigui, vt non capiant seminis necessariã quantitatem. Quod verò addit, ex testium muliebrium compressione aqueum, tenuemq; humorem exire, si comparatione seminis virilis loquatur, id nos ei libenter concedimus, si verò tenue absolutè esse dicat, non assentimur: nam fœminæ præter tenuem, & aqueam substantiam, quam in coitu excernunt, ab Aristotele concessam, excernunt insuper aliam crassiorem, quæ semen appellari debet. Hanc vident obstrectrices, quando (vt diximus) ad curationem hystericarum passionum, titillatione vtuntur: quippe quod tunc excernitur, est ea substantia, quæ passionem inducit: nempe semen, quod minùs crassum est, quàm virile, non tamen penitus crassitudine carens. Tandem quod ait, in fœminis, non sicut in maribus, esse coniunctos seminarios meatus, sed tanto interuallo disiunctos, quod dimidij digiti crassitudinem æquet, falsum esse conuincitur oculatis testibus, quales sunt celebres Anatomistæ, qui eos coniunctos esse, veluti in viris, plana fide testantur.

5 Porrò cum Auerrous, ex similitudine figuræ non esse sumendum argumentum, censeat, eodem iure possumus in Costæum dicere, nec ex dissimilitudine etiã argumentum ductum conuincere. In mammis suæ opinionis fundamentum reperit: *Quæ enim in fœminis ad gignendũ lac turgidæ, ac benè enutritæ obtigerunt, eæ maribus illo munere carituris, simulacra potiùs mammarum sunt, quàm mammæ, non alium fortaßè, quàm decoris, ac thoracis tutelæ vsum præbentes.* Sic ille. Cæterùm oportebat, vt persistens in hac ratiocinatione ostenderet, vasa etiam seminaria in fœminis simulacra potiùs vasorum, quàm vera esse vasa. Deinde nec mammæ etiam decorem præstare possunt, nec, si præstarent, possemus idem etiam de vasis seminarijs, quæ intus latent, pronunciare: internæ namq; partes nihil faciunt ad decorem. Quòd si mammæ sunt ad thoracis tutelam, vasis seminarijs nulla illius regionis, in qua sunt, tutela commissa est. Nec verò omnium virorum mammæ ineptæ sunt ad conficiendum lac: Galenus namq; paucissimos, non tamen nullos, inueniri dixit, quibus mammæ turgeant. Sufficiebat illi, fœminas omnes semen gignere, mares autem lac, non nisi raros. Viriles mammas non esse prorsus ineptas ad gignendum lac, historia à Cardano narrata nobis persuadet. Mulier in VVormatia Vangiorum vrbe fuit virilibus mammis, quæ tamen adeò pro-

Card. de variet. l. 8. c. 45.

lifica erat, vt etiam quandoq; vno partu geminos ederet. Ego plena fide testari possum, in Lusitania nobilissimam matronam D. Guiomar Enriquez vxorem clarissimi viri Emmanuelis de Melo Præfecti Regiæ venationis, viriles mammas habuisse, quæ fœcunda fuit, & in puerperij tempore, lac illi per vniuersum thoracem dispergebatur: quippe mammæ nõ poterant in muliebrium mammarum morem turgescere: quare minorem lactis copiam recipiebant, quàm erat illa, quæ tunc accumulabatur; Si ergo mulieres, quæ viriles habent mammas, lac gignere possunt, posse etiam viros lac gignere, impossibile non est: Neq; Aristoteles hoc negat: quippe ait, *In maribus etiam lac fieri potest, verùm caro ijs spissa, mulieribus fungosa, foraminulentaq; est*. Hoc etiam alibi in hunc modum manifestè magis scriptum reliquit: *Maribus magna ex parte nec bestijs, nec hominibus gignitur lac, fieri tamen potest, vt aliquibus interdum gignatur: nam & in Lemno insula capro ex mammis, quas geminas iuxtà genitale gerit, tantum lactis emulgebatur, vt colostra inde conficerent: quod idem etiam proli masculæ capri illius euenisse accepimus. Sed hæc ostentis annumeranda potiùs ducunt: nam & Lemnio illi pecoris domino consulenti, Deus amplius incrementum peculij futurum respondit. Viris post pubem exiguum nonnullis exprimitur: verumtamen per suctum frequentiorem, vel multum prodijsse aliquibus traditum est*. Hactenus Aristoteles. Vesalius in huius rei confirmationem, se non semel id, quod ab Aristotele narratur, vidisse, affirmat. Itaq; non omnibus viris, lac creare posse, contingit, sed ijs, quibus mammæ sunt conspectiores, & crassiores, humidiores, & fusci coloris potiùs, quàm albidiores. Quare poterunt in vna regione potiùs, quàm in alia viri has partes, ex propria constitutione, laxiores obtinere: vnde apud eos non erit adeò rarum, viros lac gignere, vt apud Indos habetur. Iccirco non est deneganda historiographis fides, qui circa hoc admirabilia quædam narrant. Scribit Renuardus, apud Cumucaiaram Brasilianorum gentem, viros adeò amplis mammis esse præditos, vt infantibus lactandis, alendisq; sufficiant: mulieribus eorum paruas contra, virilesq; mammas habentibus: Narrant ij, qui nouum orbem lustrarunt, viros penè omnes maximam lactis copiam in vberibus gerere, quod Andreas Laurentius narrat. Atq; hæc sunt præcipuà duo fundamenta, quæ Galenus posuit ad constituendam suam sententiam de lacte muliebre, quod frustra peripateticorum aliqui, plus nimio præceptori suo adhærentes, excludunt. Hæc insuper responsa in contrarium, quibus satisfecisse videmur.

Arist. 1. hist. ani. c. 12.

Arist. 3. hist. anim c. 20.

Ves. l. 5. c. 18

Renuard. Cysatus de instit. Iap. &c. germanice.

Soluuntur duo priora argumenta ex tribus pro Aristotelica opinione allatis.

Articulus quartus.

1 DVO excrementa, sanguinem menstruum, & semen, fœminam ad generationem prolis conferre, superfluum videtur Aristoteli. Si quis autem ab eo quærat, cur non possit fœmina vtrumq; præstare, videtur rationem reddere, quoniam ea materia, quæ in sanguineum excrementum abit, causa est, cur deficiat materia semini. Hoc probat similitudine eius, quod euenit in pinguedine: *Pinguia enim minus seminis habent, quàm macilenta, cuius rei causa est, quod & pinguedo excrementum, vt semen, & sanguis concoctus est: quamquàm non eodem modo, quo semen. Itaq; ratione optima fit, vt cum materia superuacua consumpta in pinguedinem sit, deficiat genitura*. Sic Philosophus: quasi dicat, cũ sanguis menstruus, semen, & pinguedo excrementa sint, vnum deficit exabundantia

tia alterius. Sicut ergo, si abundat pinguedo, deficit genitura, similiter eadem genitura deficit, vbi abundat menstruus sanguis. Cæterùm hæc ratio probat quidem, mulieres minorem, quàm viros seminis quantitatem emittere, sed quòd nullum semen emittant, non probat.

2 Non ex eo, quòd sanguis abundat, seminalis materia omnino aufertur: quod probari potest, quia testes fœminarum substantiam habent eandem, ac testes viriles: (quòd durior aliquantulum sit, parum interest) substantia similis simile requirit alimentum. Testes virorum seminali substantia nutriuntur: necesse igitur est, vt in fœminis ad testium nutritionem seminalis fiat substantia: minor quidem, quàm in viris, quia testes minores sunt, tanta tamen quæ redundet, vt emitti possit: alioquin vasa iaculatoria, quibus fœminæ non carent, frustra essent à natura data.

3 Secundum argumentum aduersarios ad absurdum deducere contendit: nam interrogat, num semen istud fœmineum habeat vim effectricem, an non habeat; Quòd eam non habeat, probat, quia frustra esset, siquidem ad materiam præstandam satis, superq; sunt menstrua. Hoc aduersarij libenter concedunt: quippe in Galeni doctrina, sua etiam semini muliebri efficiendi vis inest. Hinc argumentum vires sumit: nam si semen muliebre effectricem vim habeat, non ne potest in vterum effusum, ac simul cum sanguine menstruo commistum, generare fœtum? Ac proinde prolificabit mulier absq; viri consortio, quod neq; ad molas conficiendas à multis conceditur.

4 Hæc difficultas altiorem requirit indaginem: quippe sexuum distinctio non profluit ab essentia animalis: nam sic omnibus animalibus esset communis: siquidem quod ex essentia est, omnibus eandem participantibus est commune: non esse autem hanc distinctionem communem omnibus animalibus non semel Aristoteles annotauit. Deinde hæc distinctio maris, & fœminæ non affert secum specificam differentiam: quippe (vt idem ipse ait) *Quamquàm diuersa sunt animalia mas, & fœmina, tamen specie idem sunt*: cuius rei alibi rationem reddit in hunc modum: *Dubitabit quispiam, cur mulier à viro non specie differat, cum mas, & fœmina contraria existant, differentia verò contrarietas sit: neq; diuersum specie animal masculus, & fœmina, cum tamen hæc differentia per se animalis sit, & non vt albedo, & nigredo, sed quatenus animal, & masculus, & fœmina existant.* Circa hoc quæsitum latè discurrens, in fine capitis concludit: *Etenim hominis albi, & equi nigri specie diuersitas est, non tantùm prout hic quidem albus, hic verò niger: sit quidem, etsi ambo albi essent, nihil minùs specie diuersi essent. Masculinum, & fœmininum propriæ quidem animalis passiones sunt, sed non secundùm substantiam, verùm in materia, & corpore. Quare idem sperma aliquam passionem passum, aut mas, aut fœmina fit.*

Ar. 1. gen. ani. c. 1. lib. 4. de hist. anim. c. 1. & sæpe alibi.

Ar. 1. de gen. anim. c. 20.

Ar. 10. metaph. c. 8.

5 Habemus ergo, marem, & fœminam esse in vna, & eadem specie. Cur autem in vnaquaq; specie (saltem perfectorum tam gressilium, quàm natantium) hæc distinctio facta fuerit à natura, nondum diximus. Cæterùm dum nos, cur ita factum sit, quærimus, non efficientem causam inquirimus. Hanc latissimè nobis explicauit Aristoteles, vt apud eum est legere: neq; enim de ea est disputandi locus, neq; disputandi locum nobis reliquit Philosophus. Quod ad præsens negocium attinet, occasio est inquirendi, in quem finem natura hanc distinctionem fuerit molita. Hoc vt assequamur, necesse est conuertere cogitationem ad ea animalia, quæ imperfecta natura sua, sexuum distinctione carent, & cur careant considerare. Plantas nullo discerniculo sexus maris, & fœminæ distingui, dixit Aristoteles; Cum verò in contrarium Plinius dicat, arboribus, imò potiùs omnibus, quæ terra gignat, herbis q; etiam, vtrumq; sexum esse, vt tradunt diligentissimi naturæ scrutatores, hoc per metaphoram quandam accipiendum est, propter

Ar. 4. de gen. anim. c. 1.

Ar. 2. gen. ani. c. 4.
Pli. l. 13. c. 4.

naturæ

naturæ igniculum,& amoris similitudinem, qua se inuicem plantarum aliquæ fouent: nam alioquin ea,quæ terrę affixa sunt,nō possunt inter se permiscere semen: quare nec conchilia scopulis adhærentia veram sexuum distinctionem inter se habere. Habere tamen nonnullas ex plantis arcanam quandam vnius ad alterā, quasi maris ad fœminam procliuitatem,non est omnino negandum:quæ procliuitas nullis manifestiùs,quàm palmarum generi inest,quod,præter Plinium citatum, affirmant alij. Guillandinus in Ægypto,& Oriente (vt refert Dalecampius) obseruauit,ne palmarum fœminæ steriles sint,aut immaturum fructū perdant, mares eo interuallo seri,vt ab ijs puluerem ventus in illas perferat. Quòd si longiùs distent, quā vt puluis,odorue peruenire possit,tum à mare funem religatum ad fœminam perduci,vt maris fœcunda vis per eam copulam,ac vinculum irrepat. Sed magis mirū est,quod refert Pontanus,palmas duas,marem Brundusij satum,fœminā Hydrunti, steriles diu fuisse,quod adultæ se inuicem aspexerint,ac tunc quamuis longo tractu dissitas fructum edidisse. Duas lauros marem,& fœminam obseruaui vigin ti pedum,vel circiter inter se distantes,quæ mutuò ramos vna in alteram inclinabant. Dalecamp.

6 Prẹter plantas,testacea sunt, quæ plantis similia putantur: quippe (vt ait Arist.) animalium comparatione plantis,plantarum animalibus assimilantur. Hẹc testacea, incertum est,an coeant (vt idem alibi ait) verùm illud certissimum est,ea,quæ affixa viuunt (vt iam diximus) nec habere distinctionem sexuum,ac subinde nō coire. Ex quibus iam constat,ea animalia sexuum discrimen inter se habere,quę coire possunt,alia verò minimè. Sit ergo consectarium, distinctionem istam operi coeundi inseruire,vt scilicet mutuo desiderio duo inuicem alliciantur, allectaq; coniungantur. Nam si non esset hæc mutua cupiditas,sed vnumquodq; indiuiduum in se ipso stimulos,quibus irritaretur,haberet,& non tenderet in alium, vix semen in testibus aceruaret,cum subitò ad excretionem solicitaretur,ac proinde animal cōtinua gonorrhæa laboraret; Aliter si vnumquodq; propter se esset,nullisq; agitaretur stimulis,negligenter se gereret in opere maximè necessario,quale est suscipiendæ sobolis. Aristoteles,cur fœmina in se non gignat,rationē reddit,quia solius masculini seminis esse putat,quod sensualis anima fiat,aut actu,aut potentia. *Neq; enim fieri potest, vt vel facies, vel manus, vel caro, vel alia pars sit, ni si anima sēsualis insit, aut actu, aut potētia, aut aliquatenus, aut simpliciter: erit .n. vt mortuus, aut pars mortui: quòd si mas est efficiens talis animæ, impossibile est, vt fœmina ex se ipsa animal generet, vbi mas à fœmina separatur.* Hæc omnia in doctrina Arist., qui fœmineū semen exclusit,leniter fluunt. Cæterū nos,qui muliebre semen cū Galeno cōcedimus,eiq; etiam,cum eodem,efficiendi vim tribuimus,aliunde rationem quæramus,oportet. Ar. 3. gen. an. c. 11. Ar. 1. gen. an. c. 14. Ar. 2. gen. an. c. 4.

7 Porrò eo ipso,quòd fœminam à masculo distinguere oportuit,simul oportuit vtrumq; semen imperfecti rationem habere, vt scilicet alterum alterius coniunctione perficiatur. Quòd vtrumq; imperfecti rationem habeat, constat, quia vtrūq; partialiter concurrit,partes autem ad suum totum comparantur, tamquàm imperfectum ad perfectum. Concurrere autem partialiter, manifestum est: quoniam non potest vnus effectus à duabus causis totalibus eiusdem ordinis procedere; quod insinuat Aristoteles,cum dicat, multas eiusdem,non secundùm accidens,causas esse,vt statuæ statuaria ars,& ipsum æs,non secundùm aliud quidpiam,sed prout statua est,adiūgit hæc verba: *Non tamen eodem modo, sed hoc quidem, vt materia, illa verò, vt vnde motus.* Sic ille: qui dum fatetur,plures vnius rei causas esse, & conditionem addit,dummodò non sint eiusdem ordinis, iam videtur insinuare, eas, quæ sunt eiusdem ordinis, non posse esse simul causas vnius, & eiusdem effectus. Statuarius autem, & æs diuersi ordinis sunt: ille efficiens, istud materiale: sic explicat Aristotelem D. Thomas. Cum ergo duo semina concurrant in eodem genere causæ (vt nunc pro hypothesi tenendum est) non possunt esse totales, sed partiales. Quòd verò vnum semen ab alio perficiatur, difficile alicui videri possit: siquidem agunt inter se, vt vnumquodq; alterum superet; Vnde Hippocrates, cur proles Ar. 5. metaph. c. 2. H de genitur. & alibi.

fœmina, aut mas exeat, causam putat esse, quod fœminæ, aut maris semen superet. Hoc tamen non impedit, quominùs dicendum sit, partes, dum simul concurrunt ad efficiendum vnum totum, se inuicem perficere: cum enim perfectio rei consistat in operari, dumq; operationes totius perfectiores sint, quàm partis, meritò vnaquæq; pars, dum aliam secum, ad vnum totum efficiendum, habet, eam ad perfectionem extollit.

Hipp. de diæt. lib. 1. 8 Obijciet tamen aliquis, semen fœmineum, ex Hippocrate, aqueum esse, masculum verò igneum: ignis verò aquæ mistione potiùs extinguitur, quàm perficiatur. At non adeò est aqueum muliebre semen, vt possit ignem masculini seminis omnino extinguere, quem tamen potest aliquantulum temperare: imò hic est vnus ex vsibus seminis fœminei, videlicet moderare calorem masculi, qui excessu suo non posset in fœtum abire; Vnde rectè ait Ponce, semen viri ita contemperatum optimè correspondere cœlorum qualitati, viuentium generatrici. *Anton. Ponce in lib. de diæta tex. 73. in fine.*

9 Non est prætermittenda alia dubitatio, quæ hîc se offert; nam particularium causarum vis, potest in vna eorum ita augeri, vt admodùm aucta sufficiens sit ad producendum effectum absq; alterius consortio. E.g. quando duo trahũt lapidem, si robur vnius valde augeatur, poterit absq; socij adminiculo lapidẽ trahere. Quare poterit alterutrum ex seminibus ad eum auctæ virtutis gradum accedere, vt iam nõ sit causa partialis, sed totalis: & sic alterum duorum cõtinget, vel semen virile auctũ non indigebit, in vtero mulieris, societate fœminei seminis, vel auctũ semen fœmineũ cadens in vtero non expectabit virilis seminis auxilium ad formãdum fœtum.

Conimbric. in lib. 1. de ortu, & interitu q. 27. art. 2. 10 Conimbricenses respondent, non posse dari virtutis incrementum in causis partialibus instrumentarijs, quarum vna necessariò, & ex naturę lege, quoad suum concursum ab alterius consortio, & virtute dependeat, quomodò se habet virtus actiua vtriusq; parentis. Hæc tamen responsio non omnino satisfacit; nam nõ explicat, quomodò vna istarum causarum alterius cõsortium necessariò requirat: imò hoc est, quod inquirimus, cur scilicet vna sinè altera agere non potest: quare vidẽtur mihi in hoc parum dialecticè, qui aliàs dialecticam valde colunt, & excolunt, se gessisse: siquidem petunt principium. Aliter ergo prædictus nodus soluendus est; nempe causas partiales quasdam esse, quæ concurrunt separatim: e.g. duo mouentes lapidem, qui præstant suos quisq; impulsus separatim, ita vt vnusquisq; tunc nõ possit adhibere, nisi v.g. duos gradus impulsus, poterit vnius robur augeri per alios duos, atq; ita poterit per se solùm lapidem trahere. Sunt aliæ causæ partiales, quæ non agunt separatim, hoc est, non producunt qualitates separatas, sed agũt redactę priùs in vnam substantiam, seu in vnam causam totalem, quæ substantialem effectum possit producere (siue instrumentaliter, siue partialiter hoc non curo) in his non potest assignari aliquis effectus ab vna causa partiali, qui non fit simul ab alia, contra id, quod in tractione lapidis fieri diximus. Hæc doctrina fit manifesta in mistionibus, etiã artificialibus; in theriaca concurrunt plurima simplicia, quorũ nullũ aptum est ad producendã partem aliquã illius effectus, qui à tota theriaca producitur: quia videlicet causæ partiales priùs conueniunt in vnum, & inuicem fermentãtur. Ita ergo contingit in vtroq; semine: coniunguntur enim, & se sę inuicem fouent, aguntq; simul adeò, vt nulla pars detur in genito, quæ non debeatur vtriq; semini.

11 Aliter etiam possumus respondere, effectũ impellentium lapidem esse impulsum, qualitatem scilicet, quæ propterea intendi potest: effectum seminis esse generationem substantialem, quæ nec intenditur, nec remittitur.

G. 2. de semine c. 4. & 14. de vsu part. c. 16. 12 Deniq; non posse fœminam in seipsa concipere, potest deduci ex ijs, quæ Galenus tradit; quippe si in fœmina materia, hoc est, sanguis abundet, id accidit frigiditate nequeunte concoquere: ac proinde semen erit inconcoctum, & per se ipsum ineptum ad generationem: si fœmina calida fuerit, vtiq; calorę discutiẽte nõ admodùm superfluet sanguis, deeritq; materia fœtui tũ formando, tum nutriendo.

13 Concludendũ ergo est, in generatione, præter semen masculinũ, dari etiam fœmi-

fœmineum: & cum semen fœmineum dico, iam ei potentiam actiuam attribuo: quippe de ratione seminis, vt semen est, intelligitur opificem agere. Hinc cognoscitur, aquositatem illam, quam admittit Aristoteles, non esse habendam pro semine: quippe (vt ipsemet ait) *Id non humor seminalis est, sed loci proprius*. *Arist. 1. gen. ani. c. 20.* Scio, aristotelicam doctrinam, in qua semen fœmineum non admittitur, tum philosophis, tum medicorum aliquibus placere, & hanc, præter alios, Iulium Cæsarem Scaligerum mordicùs tueri, qui insolenter, vt solet, Galenum sugillat, à quo potiùs multa poterat, circa hanc rem, addiscere, vt ijs instructus caueret à præcipitijs, in quæ temere incidit, de quorum aliquibus hìc lectorem admonebo. *Scal. exercit. 268.*

14 In primis videtur ignorare id, quod superiùs ex Aristotele deduximus, sexuum videlicet diuersitatem non efficere differentiam specificam; Videtur etiam ignorare, entia partialia differre ab entibus totalibus. Ex harum duarum rerum ignorantia accidit, vt ille, tametsi vera principia attulerit, ex ijs tamen falsas collegerit consequentias. Ait ergo in primis, species rerum non permisceri; Hoc quidem ita est, nempe diuersas specie res non permisceri: sed semen virile, & muliebre non sunt duæ res specie diuersæ. Non ne duo vasa aquæ possunt in vnum vas conijci, & permisceri? At sunt res diuersæ, non tamen specie differentes. Deinde adiungit, ex duobus entibus per se non potest vnum ens per se fieri; Hoc etiam verum est, dummodò ista duo entia non sint partialia. Non ne ex elementorum permistione fit vnum mistum, quod tamen est ens per se? Nisi velit omnia, quæ in mundo sunt, præter quatuor elementa, esse entia per accidens. Itaq; tametsi verum sit, ex diuersis rebus specie non posse vnum fieri eiusdem speciei, verum insuper est, duo semina non differre inter se specie, neq; differre specie ab illo composito, quod efficiunt. Verum quoq; est, ex duobus entibus, quæ non concurrant partialiter, non posse fieri vnum per se, dummodò tamen verum sit, duo semina partialiter concurrere.

15 Addit, ex duabus formis, tamquàm ex partibus, non posse vnam formam fieri, sed, illis abolitis, vna potest in eam, quæ illarum formarum fuerit materiam, introduci. At semina sunt rei principia per se, in semine enim est & materia, & forma futuri canis; Neq; differt à cane canis semen, nisi sicut potestas ab actu: quia semen fit actu canis, perficiendo, non autem per putrefactionem, vt alibi demonstratum est, & cætera, quæ prosequitur. Cæterùm tota argumentationis vis consistit in eo, quòd existimet, semen, vt reducatur de potentia ad actum, non putrefieri, sed perfici: neq; enim corruptionem, qua ex semine fit canis, putat, esse aliud, quàm terminum essendi; Ait enim, *Neq; dicitur alio modo corrumpi semen, nisi quia desinit esse, quomodò erat*. Ita ne, ò Scaliger? Ergo mutatio rei per corruptionem erit secundùm modum duntaxat, ac proinde inter genitum, & corruptum erit distinctio tantùm modalis. Iam ergo nobis admittes, inter hominem viuum, & cadauer non aliam distinctionem, quàm modalem: quod si in homine renuis propter animæ per se subsistentis separationem, at in tuo cane, in quo exemplum statuisti, hoc admittere debes: canisq; mortuus, & canis viuus apud te in modo duntaxat distabunt.

16 Forsitan te restringis ad actum, & potentiam, arbitrarisq;, id, quod est in potentia, differre à seipso in actu modaliter duntaxat. Sed in hoc etiam deciperis, quandoquidem eadem est distinctio inter esse actu, & esse potentia, atq; illa, quæ ponitur inter existentiam, & essentiam; Sed non admittet tibi communis schola, essentiam, & existentiam solo modo distingui; Nam distinctio isthæc est inter duo positiua realia. Multa hìc subtiliter afferri possent aduersùs te, qui subtilissimus subtilissimorum vis videri. Verùm metaphysicis ea per ocium tractanda relinquo. Vnum duntaxat admoneo, videlicet Theologos, qui in Christo supponunt duas esse essentias, quærere, an sint duæ existentiæ: vnde tibi constabit,

essentiam, & existentiam non esse idem: quare nec idem est esse actu, & esse potẽtia.

17 Verùm intra medicos confines me recipio, & semen ex se ipso naturaliter agere, inquio, hoc est, exercere actionem naturalem, quæ tendit ad corruptionẽ passi, alia verò ratione, seu prout est à generante exercere actionem vitalem, assimilando scilicet passum generanti. Si verò aliquis quærat, cum semen corrumpitur, à quo nam corrumpi debeat, nõ quidem à se ipso, nihil enim in seipsum actione corruptiua agit, respondeo, semen duplice substantia constare, vna est spirituosa, quæ, vt ait Aristoteles, facit, vt fœcunda sint semina, altera crassa, & corruptionis susceptiua: quare spirituosa agit in crassam, & corrumpit eam, nec proinde sequitur, idem agere in se ipsum.

18 Itaq; in semine tàm muliebri, quàm virili, tamquàm ex duabus vnius rei partibus, hoc est, vnius seminis communis ad virile, & fœmineum, datur actio naturalis. Hoc semen in cane habet formam canis in potentia, reducitur verò ad actum per ablationem eius, quod impediebat, ne actu esset tunc, cum erat in potentia. Quid est, quod impediebat? Nempe forma actu, sub qua latebat forma ista in potentia: nam duas formas actu dare, absurdum est: duas autem, quarũ vna sit actu, altera in potentia, verissimum. Erat igitur semen canis sub forma seminis in actu, & ibi latebat forma canis in potentia; nempe in potentia passiua; Non potest igitur exire in actum, nisi forma, quæ est actu, corrumpatur. Quare corruptio formæ, quæ erat actu, præstat adytum formæ, quæ erat in potentia, ad hoc, vt exeat in actum. Et quoniam vnicuiq; potentiæ passiuæ correspondet potentia actiua, fit, vt generantis potentia reducat in actum potentiam passiuam, quæ erat in semine: vnde canis generat canem mediante semine, vt causa instrumentali.

Tertium argumentum pro opinione Aristotelica soluitur.

Articulus Quintus.

CVM experimento compertum sit, fœminas aliquando absq; voluptate concepisse, nec tamen videatur fieri posse, vt semen absq; voluptate excernatur, hinc arripitur non leuis occasio ad persuadendum, fœminas in generatione non conferre semen. Duo itaq; continentur in hac argumentatione, vt ex superiùs proposito, & dilatato argumento colligi potest; Vnum, fœminis, quando in coitu voluptantur, non id accidere, quia semen emittunt, sed (vt vidimus ex Aristotele) ex profusione spirituum; Alterum, posse fœminas absq; voluptate concipere. Quare voluptatem sinè semine posse quidem accidere, semen verò, ac subinde generationem, sinè voluptate neutiquam.

2 Quod attinet ad primum, non est admittendum Aristoteli, accidere voluptatem ex emissione excrementi non seminalis, sed alterius, quod proprium est vteri: non, inquam, hoc admittendum est: nam euacuatio excrementi, quæ fit in coitu cum voluptate, libidinem, & appetitum venereum mitigat, excretio verò illius aquositatis minimè. Deinde mulieres, quæ dormientes somniant se coire, semen effundunt, & delectantur, semen, inquam, verum effundunt, vt Galenus affirmat: nam aquositatem non solùm dormientes, sed, quod magis est, vigilantes sinè voluptate effundunt. Præthereà aquositatem istam non potest fœmina retardare, seminis eiaculationem potest. Tandem gonorrhæa est inuoluntaria corrupti seminis effluxio: non potest hoc malum pati, nisi qui semen habet: at experimento compertum est, mulieres gonorrhæa laborare.

Gal. 2. de sem. c. 1.

3 Nec

3 Nec rationes, quas Aristoteles affert, quicquam conuincunt; Etenim ait, non omnibus mulieribus ita contingere, sed vt plurimum his, quæ sunt humidæ, & feminales, non autem alijs, quæ sunt fuscæ, & viragines. Verum quidem est, mulieres fuscas habere minus de excremento vteri propter calorem, & siccitatem consumantes: at seminis excretionem habent, quippe quò calidiores sunt, eò magis elaboratum habent semen. Itaq; quamuis concedatur, in aliquibus fœminis, non in omnibus reperiri conspicuum illud vteri excrementum, non proinde de semine dicendum est idem, sed semen omnibus inesse.

4 Quod autem adiungit Aristoteles inquiens, *Copia verò quibus euenit, non pro seminis emissione interdum est, sed multò excedit: tum etiam ciborum diuersa ratio plurimum facit, vt plus, minusuè eius humoris excernatur*, nullam vim habet: nam & viris etiam id accidit, vt pro assumpti alimenti quantitate, & qualitate semen augeatur. *Ari. 1. de gen. ani. c. 2.*

5 Quod ad alteram partem spectat, videlicet mulieres concipere sinè delectatione, difficultas est, quæ multorum animos torquet: vndè coacti sunt, varias excogitare responsiones. Memini, me in meteoris microcosmi plurimis reiectis, Dyni sententiæ acquieuisse, qui sentit tunc fœminas absq; voluptate semen emittere, cum eiaculatio vteri os non attingit, sed ad cauitatem accedit, cuius est sensus hebes. Hæc ratio, quæ tunc mihi placuit, nunc etiam non displicet. Verùm cum illic Fernelio incredulitatem exprobauerim, qui mulierculárum dictis fidem adhibere non vult, re nunc meliùs pensitata, arbitror, hanc incredulitatem non esse omnino sinè fundamento; Nam in primis cum ex confricatione necessariò voluptas sequatur, & tamen confricationis sensum negare non possunt, voluptatem ex confricatione se habuisse negant. Cum igitur mendaces sint in hoc, mendaces similiter videntur esse, dum aliam voluptatem negant, quæ ex seminis emissione accidit. De Lucretia declamator quidam, relatus à Diuo Augustino, *Duo, inquit, fuerunt, & adulterium vnus admisit*. Sed nunquid vis illata potuit efficere, vt delectatio non sentiretur? minimè: nam mel per vim in os iniectum necessariò dulcedinem præstat. Poterit tamen confricatio non efficere voluptatem ob morbos, seu vteri stuporem. Mihi aliquando medicinam implorans curandam se tradidit nobilis matrona, cui nulla ex coitu voluptas inerat: at hæc quemadmodùm ob stuporem vteri nullam sentiebat in coitu voluptatem, sic ob eundem infœcunda erat, nempe infœcunda ex morbo: nam aliàs iam priùs fœcunda fuerat. At hæc, diligente curatione adhibita, simul voluptatem in coitu, & ex coitu fœcunditatem recuperauit, vixq; finita curatione apparuit grauida. Itaq; ob vim illatam non potest mulier non sentire: ob vteri morbum amittit sensum delectationis, amittet etiam dispositionem ad concipiendum aptam. Itaq; quicquid de confricatione est dictum, de emissione seminis dicere oportet: nam si fœmina morbosum habeat vterum, partesuè seminales malè affectas, ita, vt semen non emittat, eadem ob eandem affectionem erit inepta ad concipiendum. Demum fœminas semen procreare, ex alijs quamplurimis rationibus constat: hæc ex defectu voluptatis sumpta, tamquàm incerta relinquatur, vt etiam relinquendæ sunt plures rationes, quæ ex Aristotelica doctrina elici possunt, quæ adeò leues sunt, vt eis quilibet per seipsum valeat respondere.

De meteo. microcos. lib. 2. c. 5.

D. Aug. de Ciuit. Dei lib. 1. c. 19.

An

AN SEMEN VIRI, PRÆTER VIM efficiendi, materiam etiam præstet.

QVAESTIO SEPTIMA.

Gal. 2. de nat. facult. c. 3.

CVM Galenus aliquando, semen artificis munus obire, dicat, & eum Phidiæ sculptori comparet, sanguinem verò ceræ vicem, ex qua imago fit, gerere affirmet, de vtroq; semine loquitur: quare tam virile, quàm fœmineum efficiendi vim habet, & in virili quidem cum Aristotele conueniret, nisi esset, quòd Aristoteles, hoc semen vim efficiendi duntaxat habere, dixit, materiam verò fœtui præstare, negauit: Galenus verò, præter facultatem efficiendi, semen virile materiam tribuere, est opinatus.

Gal. 1. de sem. c. 4. Ar. 2. de gen. ani. c. 3.

Quid pro parte negatiua, quam Aristoteles tuetur, afferri possit.

Articulus Primus.

2 AGIT Aristoteles de semine (cum semen in doctrina Aristotelis dicimus, masculinum intelligimus) & hæc verba apponit: *Hoc inquam, genituræ semen dissoluitur, versumq; in spiritum euanescit, cum naturam humidã, aquosamquè habeat: quamobrem, an semper id foràs exeat, quærendum non est, neq; an pars vlla sit formæ constitutæ, quomodò nec de succo, à quo lac cogitur, quæri tale quid conuenit.* His verbis adeò manifestè, quid ex semine fieri velit, nobis explicat, vt vana sit interpretatio Auicennæ, dicentis: *Et putant homines, quòd Aristoteles putauerit, quòd sperma viri non esset pars pueri: sed hoc non fuit eius consilium, sed suum consilium fuit, quod inuoluitur cum materia, & profundatur in materia, vt sit operator membrorum, & ducat idoneam materiam ad membra, ita vt illud sperma sit materia spiritus in creatura, quia efficitur multum subtile, & habile, vt transeat in spiritum.* Hanc expositionem ab Auicenna traditam, tamquàm proprium inuentum Argenterius publicauit: neq; enim, Aristotelem voluisse, ait, semen dissolui in vaporem, qui in vtero maneat, aut ab eo exeat, sed illud in minimas partes diuidi, & vnà cum sanguine misceri, & ab eo animalis partes procreari: itaq; vbi Auicenna dicit: sperma esse materiam spiritus, dicit Argenterius ex semine animalis partes procreari. Si ergo apud Auicennam spirituum nomine partes spirituales intelligamus, nihil ab eo differt Argenterius.

Auic. lib. 9. de ani. c. 1.

Argen.

Ar. 1. gen. anim. c. 20.

3 Vterq; tamen valde est deceptus: quippe Philosophus aliquandò quæstionem, quam nunc tractamus, sibi ex professo tractandam proposuit his verbis: *Apertum vnà cum ijs est, de quo disserendum deinceps sit, quemadmodùm videlicet ad generationem mas conferat, & quo nam pacto semen maris causa eius, quod gignitur fit;* Prosequitur deinde, rationibus probare, semen nihil commune habere cum corpore, sed in eo contentam esse vim, quam communicat, & hanc esse, quæ agit: id verò, quod consistit, & formam recipit, excrementum fœminæ esse. Prima itaq; ratio, ab eo deducta, huiusmodi est. Vniuersim dum ex agente, & patiente aliquid fit, non ita efficitur vnum, vt, quod agit in eo, quod efficitur, insit, nec omnino ex eo, quod mouet, & quod mouetur, vnum constituatur. At fœmina, qua fœmina, patiens est, mas, qua mas, agens, & vnde mouendi principiũ est.

Igitur

Igitur non ex iis vnum, quod gignitur, est, sed ita, vt ex fabro, & ligno lectus, aut ex cera, & forma globus; neq; enim faber in opere suo fabrili, neq; forma in cera figurata manet, sed sicut medicina in eo, qui sanatus est.

4 Altera ratio. Quædam animalia sunt, quæ, tametsi distinctos habeant sexus, ita coeunt, vt mas nullum membrum in fœminam indere conspiciatur, sed contra fœmina in marem: tunc autem nihil est ex mare, quod materiam generationi præstet.

5 Tertia. Siue auis oua gerat subuentanea, si posteà coit, non mutato adhuc ouo ex luteo in album, fœcunda ex subuentaneis redduntur: siue concepta ex coitu, si nondum luteum sit mutatum, & cum alio mare coiuit, pulli similes euadunt ei, cum quo posteà gallina coiuit: signum manifestum, mas nihil in materia ouorum addidisse. Quod similiter in piscibus cognoscitur, in piscibus, inquam, ouiparis: vbi enim fœmina oua ediderit, mas semen aspergit, & quæcumq; attigit, fœcunda efficiuntur, quæ non attigit, remanent infœcunda, quasi non ad quantitatem mas conferat, sed ad qualitatem.

6 His, satis se probasse, putat, maris semen non conferre materiam in generatione fœtus, non aliter (vt eiusdem comparatione vtar) ac lactis coagulum: nam istud quoq; mutat, *Et nulla pars constitutæ magnitudinis est*; Qua comparatione videtur Auicenna fuisse abusus: quandoquidem sic ait, *Et quemadmodùm vnumquodq; duorum, coaguli videlicet, & lactis, est pars substantiæ casei, qui fit ex eis, ita vnumquodq; duorum spermatum, est pars substantiæ embrionis*. Verùm Auicenna ita intelligi debet, vt coagulum, & lac sint partes casei, non tamen eodem modo, sed diuerso: nam coagulum dicitur pars per formam, quam produxit, non verò, quia sit intrinseca materia compositi huius secundùm se, lac verò maximè. Sic exponunt Gentilis, & Iacobus de Forliuio: neq; est credibile, aliter sensisse Auicennam: quippe si putaret, coagulum esse partem casei, ac proinde semen maris esse partem materiæ embryonis, conueniret cum Galeno: at ille adiungit, *Hoc autem verbum non parùm, imò multùm verbis Galeni est contrarium: sibi namq; videtur, quod cuiq; duorum spermatum inest virtus coagulatiua, & virtus coagulationem suscipiens*. Iam ergo constat, quomodò Auicennæ verba sint accipienda. Cæterùm alibi ita hac eadem comparatione vtitur, vt nullum remaneat dubium, eius mentem fuisse, assimilare semen virile coagulo, quod nullam præstat materiam in caseo: referens namq; philosophorum opinionem ait, *Et dixerunt, quòd sperma masculi, quando permiscetur, operatur cum virtute, & non est alicui parti eius plurimus introitus in rectificando particularitatem corporis infantis: illud enim est spermatis mulieris, & sanguinis menstrui. Imò plurimum sui studij est in particularitate spiritus infantis, & non est, nisi sicut coagulum agens in lacte*. Sic ille, qui iam superiùs retulerat opinionem medicorum, qui dicunt in vtroq; semine vtramq; virtutem reperiri tàm informandi, quàm recipiendi formam. Concludit autem: *Cognitio verò certitudinis harum duarum intentionum pertinet ad scientiam naturalem, & non nocet medico ignorantia eius*. Hactenus Auicenna. Nihilominùs quoniam in hac ignorantia persistere, non puto, laudibile esse medico, quid Galenus senserit, inquiramus.

Ari. 2. de gen. ani. c. 3.

Auic. 1. 1. doct. 6. c. 3.

Gentil.
Iacob. de Forliuio.

Auic. libro 3. fen. 20. tract. 1. c. 3.

Galeni

Galeni opinio de semine virili.

Articulus Secundus.

1 QVamuis Galenus, dum semen maris comparat statuario, videatur ei facultatem effectiuam duntaxat tribuere, nihilominùs constat ex pluribus suæ doctrinæ locis, eum, cùm semen opificis officio fungi, dicit, hoc ita accipere, prout comparatur cum sanguine: nam semini, qua semen est, virtus inest formatiua, quæ sanguini non inest. Cœterùm ex semine materiam etiam ad generationem accipi, non est in eius doctrina dubitabile: siquidem aduersùs Aristotelem, qui semen in vaporem (vt diximus) abire dixit, valenter insurgit. Sed quoniam Argenterius eius rationes infringere conatur, à calumnijs, potiùs à cauillationibus Argentericis est liberandus.

Gal. lib 1. de sem. c. 4.

2 Porrò non euanescere semen in flatum, ex eo vel maximè constare Galenus ait, quoniam, sicut musti humorem videmus in spiritum conuerti, sic ex minima humidæ substantiæ quantitate, maxima aëris copia constituetur. Id, quod in ventis etiam conspicitur, quicumq; de fluminibus, aut paludibus, aut mari spirant, quales sunt, qui sinuales, & qui pelagij nuncupantur: maximi enim interdum flant, vtpotè cum plurima eorum substantia ex minima humoris mole euaserit. Verùm etiam terranei, id est, qui è terra flant, hoc idem præseferunt, qui copiosiorem aërē resoluta terræ vligine, spirare consueuerunt. Quomodò igitur si in prima conceptione genitura in spiritum difflatur, minores sub id tempus, minùsq; turgidi vteri cernuntur, ex omni prorsus parte contracti, fœtuiq; adhærentes? Oportebat quippe, sicut ventrem videmus, cum flatibus infestatur, quamplurimùm intumescere, ac distendi: sic vuluas etiam in magnitudinem attolli, distentasq; dolore affictari. At nihil huiuscemodi in his apparet, imò contractæ sunt, doloreq; nullo attentantur.

3 Hæc ita diffusè à Galeno prolata, Argenterio nullius momenti esse videntur: quippe negat, ex tam exigua substantia, qualis est semen maris, posse tantum flatum procreari, qui vteri cauitatem, quæ magna est, adeò distendat, vt dolorem excitet; Verùm ei obijcimus communem philosophorum opinionem, qui tenent ex vna aquæ parte decuplum fieri aëris. Si ergo ex aqua ita fit, quæ est valdè tenuis, ex semine, substantia admodùm crassiore, longè maior fiet multiplicatio. Deinde semen retentum necessariò putrescit, ac subinde sæua debet excitare symptomata: quod tamen non accidit, imò aliquando fœminis hystericis remedium est coitus: Et virgines, quæ affectibus matricis infestantur, si nubant, liberantur. Si igitur ex retento semine fœmineo putredo in vtero contingit, & substantia gignitur veneno similis, multò magis hoc fiet ex semine masculino simul cum fœmineo. Quòd si Argenterius negat, ex semine putrefacto venenosam fieri substantiam, non est omino audiendus, vtpotè qui contra experientiam loquitur: sicut etiam experimento aduersatur, dum negat, os vteri, postquàm mulier concepit, adeò claudi, vt ne specillum quidem admittat.

4 Confert se deinde Galenus ad autopsiam: & si quis voluerit, ait, animal, postquàm conceperit, dissecare, vndequaq; planè fœtui circumiectos locos inspiciet. Argenterius huic experimento non habet fidem, neq; ita posse contingere, admittit. Nam quo pacto fœmina mortua, & proinde extincta vi retentrice, sicut omni alia facultate, potest vterus tantoperè constringi, & circa fœtum contrahi? Nos tamen, quamuis fatemur, post mortem extinctam esse retentricem vim, agnoscimus tamen, membra post mortem in eo situ manere, in quo erant priùs.

Manus,

Manus, quæ ante mortem clausa erat, clausa itidem post mortem manet: sic oculos morientium claudere aliqui solent, ne post mortem apertis oculis maneat cadauer deforme; Non igitur manus in cadauere clausa est propter facultatem, quę eam clausam retinet, sed quia, dum mors accessit, facultas, quæ aperiret, defecit.

5 Quærit præterea Galenus signum, ex quo cognoscat hunc flatum exire ab vtero: nullum reperit: nam neq; ructus, vt in flatu, qui exit à ventre, neq; crepitus, vti per inferiora, quibus remittitur tumor. Argenterius non admittit similitudinem à ventre ad vterum: quippe gulæ, & intestinorum angusta concauitas est, per quam flatus non sinè sonitu potest erumpere; Vteri verò ceruix, & muliebre pudendum facilè, & sinè sonitu flatum emittere possunt. At, ò Argenterj, sic non ederetur vnquam crepitus per vterum, qui tamen editur.

6 Deniq; ,ne plura in hanc rem congeram, vltimam mihi videtur Galenus huic controuersiæ manum imposuisse, quærens, num in ipsa vteri cauitate contentum sanguinem semen occurrens impellit, motionisq; principio indito per vuluæ collum excernitur. An eo tempore, quo fœmina cum mare coit, per vasa eò peruengentia, semini obuium fit, tunc vi illata ab ipso suscipere concupiscit? Si primum concedatur, tandiù collectus sanguis in cauitate in grumum conuertetur, ac proinde non ex sanguine, sed ex grumo sanguinis corpus animalis fabricabitur. Conuerti autem in grumos sanguinem, cum extra vasa stabulatur, nemo, nisi Argenterius, qui manifesta etiam negare solet, negabit. At quòd sanguis in vtero, tunc cum generationi fit opus, non concrescat, probat Galenus, quia sanguis menstruus per vteri cauitatem decurrit, & trumbus non fit. Neq; obstare quidpiam, ait, quominùs sanguis vterum abluat, & illic semen repertum secum trahat, fluentis aquæ in modum, quæ terram, & saxa, & quicquid euenit in illis locis, per quæ defluit, vnà secum trahit. Vnde infert, optimum esse conceptionis tempus, cum menses vel incipiunt fluere, vel sistuntur, non autem quando abundantiùs profluunt: tunc enim semen extruditur, cui è cõtrario in alijs tẽporibus materia suppeditatur.

7 Argenterio autem, qui ex eo, quòd menses profluunt, nec in grumos conuertuntur, arguit etiam in coitu posse sanguinem in vtero contineri absq; eo, quòd in grumos conuertatur, respondemus, aliud esse fluere, aliud commorari: quando fluunt, non conuertuntur quidem in grumos, quando verò commoratur, in grumos conuertitur: quod medicinam facientes, & obstetrices comperiunt. Iam verò occurrens sanguis, & more fluminis semen secum ferens, mistionem efficit, ex qua fœtus fabricatur, & tunc quando factum fuit mistum, vis seminis opificio suo impedit, ne sanguis cum eo mistus in grumos concrescat. De hoc non dubitamus, sed peracta formatione fœtus, si semen in eius materiam conuersus non fuit, quo abijt?

8 Si verò aliquis, secundam argumentationis partem eligens, dicat, semen obuiam fieri sanguini per oscula venarum egredienti, tenebitur dicere, quænam sit causa, ob quam sanguis excidat è vasorum orificijs cum semine permistus: deinde alia, qua in vnum corpus omnes illæ portiones conueniunt: tertiò alia, quæ totum illud corpus membrana cooperiat, quæ fœtum statim, ac conceptus est, siue multorum, siue paucorum sit dierum, vndequnq; circundat, ac continet: sæpe enim post tres, aut, quatuor dies, semen ipsum membranâ circumuestitum exire consueuit: & saltem sexta die semen membrana, veluti pellicula quadam oui vestitum, & cum sanguine commistum psaltria eiecit, vt est apud autorem libelli de natura pueri.

9 Plures apud Galenum inueniet, qui diligenter rem istam voluerit scrutari; Sed præter omnes vna est, quæ maximè conuincit: videlicet, si semen in vaporem resoluitur, (vt Aristotelem voluisse constat) quænam est causa efficiens, quæ hanc resolutionem molitur? Respondebit quispiam, esse calorem: neq; enim ab alio

efficiente, quàm à calore resolutio fit. At iste calor erat ne priùs, an posteà accesſit? Sane nulla est ratio, quæ persuadeat, genito fœtu calorem augeri, à quo semen in vaporem eleuetur. Si ergo erat priùs, cur non egit in semen, ac proinde illud in vaporem resoluens, generationem impediuit? Itaq; semen peracta generatione, si non præstitit materiam fœtui, remanere debuisset; Sed vbi nam remanet? Audiui quendam, dicentem remanere intra tunicas permistum cum alijs, quę ibi reseruantur, & à membranis illis præseruari, sicut plura alia, quæ ibi detinentur, & quæ posteà tempore partus eijciuntur. At hoc in primis non consonat cum sententia Aristotelis, qui, semen in vaporem resolui, dixit; Deinde aquosos humores, & crudos intra corpus asseruari, nec in malignam putredinem abire, licèt concedatur, semen venenosam hanc naturam acquirere iam superiùs ostensum est. Deinde humores, qui reseruantur, ad aliquem vsum detinentur: semen autem ibi retentum nullum haberet vsũ. Remanet adhuc alia ratio sumpta ex membris albedinem præseferentibus, quæ spermatica dicuntur, & sperma pro materia habent: sed hæc in commodiorem locum reseruatur.

Responsio ad rationes, pro Aristotelica parte allatas, Articulus Tertius.

1 QVicquid ab Aristotele in suæ opinionis confirmationem est allatum, non difficilem habet responsionem: nam ad primum dicimus: Quamuis verum sit, non procedere adæquatè ex natura agentis, & patientis, vt agens, aut aliquid ipsius, fiat pars eius rei, quæ efficitur, aut maneat in ea intimè permistum, nihilominùs, alicui agentium non repugnare, vt ita fiat: neq; hanc repugnantiam, quam Aristoteles non probauit, puto, aliquo modo, probari posse: nam si dicamus ex eo, quòd agens contineatur in passo, sequi, agens agere in se ipsum, iam diximus in præsente casu hoc non habere locum: quandoquidem seminis pars spirituosa poterit agere in terrestrem crassam, neq; sic aliquod absurdum in philosophia sequitur. Nec valet exemplum ab artificialibus sumptum: nam faber, qui lectum fabricat, non habet aliquid in se, quod locum materiæ subire possit, cum non conferat, nisi artem. Quomodò ergo probabimus, non posse conferre materiam, si materiam, quam conferat, non habet? Oportuerat ostendere, fabrum habere in se aliquid, quod materię lecti inseruire posset, & tamen illud non contulit. At in semine diuersa est ratio: nam semen confert facultatem opificem, sicut faber, conferre etiam potest materiam, quam habet, & faber non in se habet.

2 Ad secundum. Tametsi mas in fœminam non immittat membrum, tamen certum est, fœminam à mare aliquid recipere: alioquin, cur coniungerentur ad generationem? Recipiat ergo à mare non qualitatem nudam, sed substantiam aliquam, hoc, quid prohibet, ita fieri. Imò verò nulla potest esse ratio in contrarium: quippe cum fœmina membrum immittat in cauitatem maris, inde aliquid vult trahere, aut suscipere: si trahit, tractio magis ad substantiam trahendam requiritur, quàm ad qualitatem: quippe qualitas per se ipsam potest dilatari: Susceptio verò est indifferens tum ad substantiam, tum ad qualitatem. Non ergo probari potest, fœminam suscipere magis hanc, quam illam.

3 Ad tertiũ. Possunt oua subuentanea, existente adhuc pellicula illa valde tenui, per eam trãscolatũ aliquid seminis à gallo posteà coeũte suscipere; Similiter pisciũ oua, maris semine irrorata, seminalis substantiæ aliquid possunt recipere, à quo fœcundẽtur. Potestq; in vniuersũ nõ recipi argumentũ ductũ ab ouiparis ad viuipara, ab imperfectis ad perfecta: nam quemadmodũ plantę nõ indigent duplice semine,

sed

sed ex vno tantùm producuntur, sic imperfecta, quæ magis in vegetali ratione plantis accedunt, quàm perfecta, poterunt habere à natura in vno semine vim vtriusq;. Ideo enim mundus hic magnus, quo fruimur, ornatus ex multis compositus fuit appellatus, quia diuersarum rerum varietate exornatur. Cæterùm de semine, an à toto corpore excidat, an sit excrementum vtile, à qua facultate fiat eius excretio, vnde voluptas in emissione seminis accidat, & complura alia ad seminis doctrinam spectantia, ijs pertractanda relinquo, qui ex professo hanc prouinciam suscipiunt; nobis hæc pauca percurrisse ad contextus explicationem sufficiat.

DE LACTIS PROCREATIONE.

QVAESTIO OCTAVA.

ADmirabilis naturæ prouidentia, tum in alijs multis, tum vel maximè in præparatione nutrimenti infantium elucescit. *Cum autem mouetur fœtus* (inquit diuinus senex) *tunc sanè lac indicationem sui matri præbet: mammæ enim attolluntur, & papillæ gliscunt, ac turgent, lac verò non prodit.* Hoc nutrimentum ingeniosè excogitauit natura, vt scilicet similitudo sit inter id, quod alit, & corpus, quod alitur. Sic commodè nutriuntur infantes: *Vniuersam namq;* (Galenus ait) *victus rationem humidam sibi adhiberi postulant, vt qui cæteris ætatibus temperamento sint humidiore.* Hipp. de nat. puer. Gal. 1. de san. tuend. c. 7.

Ex qua materia lac fiat.

Articulus Primus.

2 EX sanguine fieri lac, non est in dubium reuocandum: ex sanguine, inquam (vt superiùs ex Galeno retulimus) exiguam in mamillis mutationem adepto. Ex quo autem sanguine fiat, opus est perscrutari: nam Galenus materiam lactis materiæ seminis videtur æquiparare, dum inquit, *Lac enim, ac semen ex sanguine exactè cocto generantur.* Cum ergo semen ab Aristotele dicatur excrementum, quod ipse explicat, hoc est, reliquiæ alimenti vtiles, & hæ sint seminis materia, eadem & lactis esse debet; Quare lac dicetur fieri ex sanguine, qui omnes coctiones pertransiuit, & est residuum quoddam eius sanguinis, quo alitur corpus. Hanc lactis, & seminis communicationem in materia agnoscit Auicenna: siquidem inquit, *Et scias, quòd omne, quod exuberare facit sperma, exuberare facit, in pluribus corporibus, lac.* Quare meritò ab eodem priùs dictum fuerat, *Lac multiplicatur multiplicatione sanguinis boni.* Gal. ibidem. G. de vsu part. lib. 16. c. 10. Auic. lib. 3. fen. 12. tract. 1. c. 2.

3 Deinde si materia lactis non esset, nisi menstruus sanguis, quomodò bruta, quæ nunquam menstruas purgationes habuerunt, adeò lacte abundant, vt ex eo conficientes caseum ditescant agricolæ? Quomodò *Mulier vtero gerens, sanguine misso ex vena, abortit?* Et tamen vena cubiti, ex cuius sectione aborsus sequitur, non habet communitatem cum vtero, habet autem cum mammis; Quare missio sanguinis ex brachio, si subtraheret fœtui alimentum, longè magis subtraheret fœtui lac: & tamen fœminis, quæ aborsum fecerunt, non deest lac. Quomodò in vltimis gestationis mensibus, quando fœtus est maior, & plus sanguinis absumitur, redundat sanguis in materiam lactis? Tunc enim vbera magis, quàm priori- H. 5. aph. 31.

bus mensibus abundat lacte. Quomodò nutrices vtplurimùm, dum infantes lactant, menstruas habent reuersiones?

4 Nihilominùs vera est sententia Hippocratis in præsenti contextu: quippe ait, *Circuitus* (hoc est menstruæ euacuationes, quæ per circuitus fiunt) *ad multa consoni sunt, ad fœtum, eiusq; alimentum*: quippe fœtus sanguine menstruo, qui gestationis tempore retinetur, nutritur: *Rursùs autem sursum serpit in lac*: nempe sanguis ex vtero sursum ad mammas serpit, vt in lac conuertatur. Hanc doctrinam diffusè, & eleganter pertractat Galenus, vbi consensum in mammas, & matricem ad venas communes refert, *Quæ causa est* (vt ipse ait) *cur eodem tempore menstrua bellè procedere nequeant & fœmina lactare: altera enim pars, dum sanguis ad alteram transfertur, sicca semper relinquitur.* Hoc autem Hippocraticam sapientiam sapit, quandoquidem mammarum repentinam gracilitatem, nobis pro abortus signo inculcat, inquiens, *Mulieri, vtero gerenti si mammæ graciles repentè fiant, abortit: imò si altera mammarum gracilis fiat, geminos habenti, dextera marem, sinistra fœminam abortit.* Hoc non aliunde prouenit, nisi quia (vt Galenus exponit) alimenti defectum fœtui significat. Sed quod maius est, *Si mulier, quæ neq; grauida est, neq; peperit, lac habet, huic menstrua deficiunt.* Hic autem casus, quamuis rarus à Galeno censeatur, non tamen est impossibilis, & nos manuducit ad cognoscendum, mutuum consensum inter mammas, & vterum, propter quem natura, quæ non cognitione ducitur, etiamsi prouidentiæ ratio cesset, non abstinet ab illa transmissione. Quare prætor ille gallus, qui (vt refert Brasauolus) ad cognoscendum, quænam fuit illa mater, quæ filium submersit, inquisiuit omnes mulieres illius loci, quæ lac in mammis habebant, vt filios, quos lactabant, proderet. Poterat quidem aliqua ex his lac in mammis habere, non tamen peperisse: non est tamen negandum, quia, vt diximus, hoc rarum est, potuisse fœminam illam propter istam coniecturam torqueri: quæ si omnino negasset, ex Hippocratis decreto, quo iurisperiti vti solent, absoluenda foret.

Gal. lib. 14. de vsu par. c. 8.

H. 5. aph. 37. 38

39

5 Porrò vt ea, quæ in contrarium adducta sunt, soluantur, quoniam ex sanguine, qui nutrimentum est infantium, lac fieri, diximus, considerare oportet, ex quonam sanguine fœtus in vtero nutriatur: nam ex vna parte sanguis menstruus, magis idoneus est ad necandum, siquidem perniciosi veneni vires habet, quàm ad nutriendum. Qui, sanguinem istum venenosum esse, negant, non video, quomodò negare possint miserandos, & terribiles effectus, quos parturit. Quærant igitur, quæ velint subterfugia: id verò, quod manifesto experimento compertum est, nunquam effugient: quippe (vt Fernelij verbis vtar) *Hoc excidente, si nouella vitis tangatur, in perpetuum læditur: steriles fiunt tactæ fruges, moriuntur insita, exuruntur hortorum germina. Si omnino mulier prægnans alterius menstrua supergrediatur, aut illis circumlinatur, abortum facit: ei autem, quæ vtero non gestat, concipiendi spem adimit. Mulierum, quæ purgantur, spiritus, & vapor aboris, speculi, atq; eboris nitorem obscurat. Gustatus hic sanguis canes in rabiem agit, homines autem miris cruciatibus affligit, comitialem morbum, pilorum effluuium, aliaq; elephanticorum vitia infert: iccirco à veteribus inter venena relatus pari malignitate existimatur, atq; sanguis elephantici potus.* Hæc, & plura sunt sanguinis menstrui vituperia, quorum syluam apud plerosq;, & præcipuè apud Andream Laurentium legenda se se offert. Igitur hinc videtur deduci posse, sanguinem, adeò maligna qualitate præditum, qualis est hic, qui singulis mensibus educitur, non posse alimentum fœtui præstare.

Fernel. de hominis procreat. lib. 7. c. 7.

Andr. Laur. anatom. q. lib. 8. q. 8.

6 Ex altera parte non solùm consensu omnium ferè, qui de re medica scripserunt, sed ratione comprobatur, non alium esse sanguinem, quo fœtus per vmbilicum, dum in vtero est, alitur, quàm illum, quo mulieres, quando grauidæ non sunt, singulis mensibus expurgantur. Cuius rei quodnam euidentius potest esse

testimo-

testimonium, quàm huius euacuationis retentio, ex quo concipiunt, vsq; ad pariendi, seu potiùs ad puerperij tempus? Aliud signum ex Hippocratica officina elicimus: nam *Si mulieri vtero gerenti purgationes eant, impossibile est, fœtum esse sanum*: Siquidem (vt Galenus in commento notat) *ille, qui fortis est, ad sui alimentum abutitur sanguine, qui ex toto corpore ad vterum fertur*. H.5. aph. 60.

7 Cum igitur nemo dubitet, sanguinem menstruum esse, ex quo infans in vtero alimentum suscipit, debet simul vnusquisq; admirari naturæ prouidentiam, quæ, ad sequestrandum vtile à vitioso, doctrinam innatam fœtui tribuit, eiusque necessitati in hac parte ita prospexit, vt ex impurissima substantia id, quod purissimum est, docuerit extrahere. Hoc agnouisse videtur Galenus, quandoquidem ait, *Absumpto quidem, in fœtus alimentum, vtili, qui in ipsis erat, sanguine, sed permanente vitiosiore, qui singulis mensibus anteà per vterum excernebatur*: quasi dicat, absumpta in alimentum parte vtili eius sanguinis, qui per vterum, ante quàm mulier in vtero gestaret, excernebatur. In eundem sensum sunt scripta alibi ab eodem Galeno hæc verba: *Trahit enim à sanguine ad se id, quod est dulcissimum*: dixit *dulcissimum*, hoc est, naturæ iucundissimum. Obiter tamen hic animaduertere oportet, sequestrationem istam, tametsi diligenter ab infantis natura factam, non esse adeò exquisitam, quin simul cum vtili aliqua pars nocua non abeat, quæ, ob exiguitatem suam, non ita velociter nocet, temporis verò progressu augetur, & alteratur, sicut aliàs Galenus, quem superiùs citauimus, venenum in nobis gigni, & per multum tempus delitescere posse, dixit. Delitescit ergo diu portio hæc parua nutrimenti in vtero suscepti, quæ posteà se prodit: vnde occasionem acceperunt Arabes referendi ad hoc alimentum variolarum, morbillorumq; causam. Quòd autem simul cum puro in sequestratione, quam diximus, aliquid simul impurum sit permistum, Galenus docet, dum agens de nutrimento fœtus in vtero addit hæc verba: *Tunc non solùm quicquid optimum in venis est, id trahit* (*ceu priùs dixi*) *sed etiam, quia plùs indigeat, eius, quod vitiosum est, aliquid vnà contrahit*. G. in 1. prorr. sect. 2. com. 48 G. 5. aph. 37. Gal. 1. de caus. sympt. c. 7.

8 Ad primum ergo argumentum dicimus, lactis, & seminis similem esse materiam, hoc est, sanguinem exactè coctum, non tamen esse eandem: nam seminis materia est sanguis à trunco venæ cauæ per spermaticas venas ad præparantia vasa delatus, ruber, purus, & sincerus: materia verò lactis sanguis est, ex vtero ad mammas transmissus, sed purus etiam: nam & lacti, & semini occasionem præparandi materiam inuenit natura: siquidem ea (vt inquit Galenus) *& semen, & lac, cum velit exactè conficere, quamuis animali spiritu sint potestate longè inferiora, diuturnam illis in instrumentis coctionis moram machinata est, atq; iccirco testibus annexum anfractum, lacti vasorum ad mammas tendentium longinquitatem præparauit*. Sic Galenus. Patet ergo, posse lac ex sanguine fieri optimo, nimirum optimo propter præcedentem præparationem, quam potiùs boni à prauo separationem poterimus appellare: & sic similitudinem habet cum materia lactis. At non propterea debuit habere eandem originem, sed semen, vt diximus, è trunco venæ cauæ, lac ex venis vteri. Cæterùm de sanguine menstruo pauca inferiùs dicenda sunt. Gal. de placit. lib. 7. c. 4.

9 Ad secundum, quoniam multiplicia habet germina, multiplex responsio debetur. In primis bruta, quæ pariunt, & lac gignunt, nec tamen menstruas purgationes habent, non carent sanguine, qui in vtero possit esse fœtui nutrimentũ: ac proinde sanguinem, qui in lac abire possit, habent. Videndus est Aristoteles, qui, fieri posse, ait, vt mulier aliqua sinè sanguinis profluuio concipiat, cui videlicet tantum humoris colligitur, quantum ijs, quæ purgantur, restare solet, quamquàm non tanta copia, vt & foràs possit profluere. Et ego in meteoris microcosmi testatus sum, matronam florentissimam fuisse, quæ fœcunda filias etiam peperit fœcundas, & tamen nunquam menstruas habuit purgationes. Bruta autem non Infra q. 9. Ar. 7. de hist. anim. c. 2.

habent

habent sanguinem, quem foràs emittant, quia id, quod superfluit, absumunt: nempe volucres in plumas, testacea in corticem, pisces in squamas; terrestribus verò animalibus in pilos, & corpulentiam sanguis transit; homo cæteris læuior est. Itaq; in camelorum, boum, equorum, ouium, aliorumq; similium speciebus sanguis quidem pro ingente corporis mole, venarumq; amplitudine multus est, multusq; in vtero ad alimentum fœtus colligitur, multum in mammas ad lac transit. Quòd si, dum grauidæ non sunt, menstruis carent, hoc non sanguinis defectui, sed alijs, quas diximus, causis tribuendum est.

10 Mulier vtero gerens, sanguine misso, abortit, quia scilicet deficit sanguis in venis, ex quibus fuit extractus, & non concurrit ad vterum tanta copia, quanta pro alimento fœtus necessaria est. Vena autem cubiti, quæ secatur, quamuis per pauciores surculos in thoracem dispergatur, & sic maiorem cum mammis alendis cõmunitatem habeat, hoc non tollit, habere etiam communitatem cum vtero, ad quem confluxus est valde necessarius: qui si desit, aut minuatur, ex defectu nutrimenti perit fœtus. Accedit, quòd magna communitas venæ, quæ secatur, cum mammis efficit, vt inanitæ trahant fortiùs ex vtero: quippe trahendi facultate sũt præditæ, & sic vterus faciliùs exhauriatur. Admonendi hoc loco sunt medicinam facientes, vt si quando necessitate compulsi venam grauidæ mulieri secari iubeant, caueant à vena basilica: nam hæc, quæ mammarum venis proximior est, faciliùs in aborsum prægnantem trahit.

11 Vltimis autem mensibus, cum fœtus est grandior, magis abundat lac, tametsi tunc deberet deficere, quia auctus fœtus plus sanguinis in alimentum absumit. Scire tamen expedit, lac grauidis non nisi tertio, quartoue mense incipere generari, quod Hippocrates nos docet, & experimentum patefacit: ante hos menses plurimum sanguinis in formatione parenchymatum, & aliorum membrorum consumebatur: formato iam fœtu non tanta materia indiget natura: quare incipit de alimento exituri in lucem animalis cogitare, & materiam in hunc vsum reponere; quippe in præsens non tanta exigitur, quanta priùs ad formationem exigebatur. Processu temporis natura magis assueta faciliùs sanguinem reponit: viæ dilatatæ ampliùs suscipiunt: accedit tractio, & impulsus, de quibus in sequente articulo agemus. Quapropter tot concurrentibus occasionibus ad multiplicationem lactis, nil mirum, si quando partus instat, vbera magis turgent.

Hipp. de nat. puer.

12 Nutrices verò, quæ lacte abundant, menstruis toto lactationis tempore solent carere: quòd si non careant, aliquando id accidet ob sanguinis abundantiam, ob ocium, ob alias causas, propter quas & materia lactis, & sanguis, qui foràs effluat, redundat. Illud tamen memoria tenendum est, nempe cum nutrices eligimus, quæ infantes lactare debeant, eas præferamus, quæ menstruis omnino careant: nam hæ minùs obnoxiæ sunt defectui lactis: atq; præterea, tametsi singulis mensibus ob purgationes lac quodammodò renouetur, nihilominus ijs diebus, in quibus menstruantur, & lac infectum est, & periculosa nutricis cum suo lactente consuetudo. Constat igitur, materiam lactis esse sanguinem menstruum quidem, sed quoad fieri potest defæcatum; an alia etiam materia sit, mox videndum.

An, præter sanguinem, detur alia causa materialis lactis.

Articulus Secundus.

1 DVM Hippocratem consulimus, vt ex eius oraculo addiscamus, quomodò se se ad mammas conferat materia lactis, responsum accipimus, ex quo nobis innotescit id, quod quærimus: sed altera etiam emergit materia ab ea, quam hactenus statuimus. Eius verba sic habent: *Cum vteri tumidi præ puero sunt, ventrem mulieris comprimunt: eius autem pleni, vbi compressio contigerit, pinguissimum de cibis, ac potibus foràs prosilit in omentum, ac carnem. Quemadmodùm si quis corium illinat multo oleo, & imbibere permittat, & vbi imbibit, corium ipsum premat, oleum vtiq; exilierit foràs ex corio compresso: Sic etiam si venter pinguedinem in se habeat à cibis, ac potibus, comprimaturq; ab vteris, pinguedo prosilit in omentum, ac carnem: & si raræ carnis mulier fuerit, citiùs percipit eius persultationem: si non, posteriùs.* Ex his Hippocratis verbis non solùm addiscitur modus, quo materia lactis ad mammas feratur, videlicet per expressionem, de qua mox agemus, sed etiam materia eiusdem lactis diuersa à sanguine menstruo: nempe pinguissimum, quod ex cibis, & potionibus è ventriculo expressum prosilit in omentum, & carnes. At quoniam in hoc sibi met repugnare videtur, quandoquidem (vti diximus) in eius doctrina, ex defectu menstruorum, lac in mammis colligitur, qui hanc contradictionem auferre velit, confugiat ad multorum sententiam, qui, librum illum de natura pueri, in quo pinguedo cibi, & potionis materia lactis censetur, spurium esse, dicunt, cuius rei signum esse, aiunt, quòd ibidem psaltriæ consilium dedit, modumq; docuit, quo abortiret, cum tamen in suo iure iurando, se nil tale facturum polliceatur. Petrus de Peramato librum noluit damnare, doctrinam tamen istam de lactis materia damnauit, inquiens: *Quibus verbis, quàm parum soli antiquorum autoritati in scientijs liberis, sinè experimento, & vrgente ratione sit tribuendum, legentium iudicio relinquo, quod eò magis fatebere, quò idem Hippocrates senior factus 5. aph. 59. ab hac recessit sententia.*

Hipp. de nat. puer.

5. aph. 39.

Peramatus de hom. procreat. c. 15.

2 Cæterùm Prosper Martianus nullam in Hippocratis dictis contradictionem reperit: quippe in libro de morbis mulierum, vbi se ad hunc de natura pueri remittit, lac dulcissimum humorem ex cibis, & potionibus ad mammas conuerti, & sugi asserit. Quòd si ex aphorismis elicitur, lactis materiam esse sanguinem menstruum, hoc etiam ita fieri potest, neq; enim vna alteram impediunt: quare ambæ compossibiles, compatibilesq; existunt. Quòd autem ex cibis, & potionibus, in ventriculo contentis, exprimatur pinguissimum, quod est materia lactis, sex rationibus se demonstrasse, arbitratur, quibus tamen breuiter libet respondere.

Hipp. lib. 1. de mor. mul. n. 90

3 Prima sumitur ex multitudine lactis, qui quotidie infantis ore sugitur, qui ad duarum librarum pondus ascendit, quare necessariò deerit in nutrice sanguis eiusdem quantitatis: quomodò ergo potest vel viuere, vel saltem viribus constare fœmina, cui quotidie duæ sanguinis libræ extrahuntur? At sciat, oportet, sanguinem, ad lactis materiam reseruatum, quotidie noui alimenti ingressu largiter restaurari, lactisq; eam copiam gigni, quæ satis sit pro nutrimento infantis, qui an duas libras absumat, scire nequeo: scio tamen, naturam, quæ non deficit in necessarijs, infantis necessitati consuluisse; Quòd si lactentis auiditas, & sugendi vis, atq; frequentia nimiùm excedat, si nutrix non admodùm abundat, tunc ex valido lactentium suctu, lactans fœmina lassatur, detumescunt vbera, & aliquandò contigit, sanguinem pro lacte exire, sicut ij, qui plus nimio Venere vtentes eijciunt sanguinem pro semine: quippe nec in mammis in lac, nec in testibus in semen sanguis conuersus, dealbatusq;

batusq; reperitur. Nec moueat aliquem, quòd sanguinis fluxus cachexiam inducit, si fiat per hemorrhoidas, vel per menstrua superflua, nam non sunt comparanda naturæ opera cum his, quæ sunt præter naturam: multa grauidæ, multa senes damna patiuntur, quæ, quoniam sequuntur ad naturæ opera, longè magis tolerabilia sunt, quàm sint eadem in alijs citra grauiditatem, & senectutem.

4 Accipitur secunda ratio à nutricibus, quibus fluunt menses, eo tempore, quo infantes lactant, cum tamen grauidis, quæ exiguo sanguine ad alimoniam fœtus, adhuc teneri, opus habent, menstrua penitus detineantur. At debuerat considerare, naturam, quæ non ducitur intellectu, agere quantum potest: quare cum mulier concepit, natura retentioni sanguinis incumbit: neq; id facit pro mensura præsentis necessitatis; nam retentrice operatur, quæ, cum sit facultas naturalis, agit ad vltimum potentiæ, ac proinde plurimum superfluit. Hinc est, quòd antequàm fœtus magnam habeat molem, parum sanguinis absumitur, multum residuum manens in vtero inducit symptomata, quæ, augescente fœtu, minuuntur. Itaq; non totum id, quod retinet grauida, absumitur, sed multum residuum adhuc superest: nutrices verò, quæ lactant, & simul menstruas purgationes habent, sanguine multo abundant.

5 Imò verò ex hoc argumento contra ipsum aliquid inferre possumus: nam cibi in ventriculo compressi, & sic omne pingue ex se emittentes, nō possunt chylum efficere, ex quo tanto sanguinis copia generetur, vt pars aliqua abeat in lac (hoc non negat Martianus) pars nutriat nutricem, pars etiam redundet in menstrua: supponendum namq; est, cibos post illam expressionem remanere parùm nutrientes: quippe id, quod in eis pingue, dulceq; est, nutriendi vim habet, reliquum est excrementosum.

6 Tertia deprompta est ex periculo, in quod incurreret mulier: quandoquidem tantæ sanguinis copiæ assuetum corpus, statim in perniciosam incideret plethoriam, vbi mulier lac dare cessaret. Cæterùm videtur mihi parùm in naturæ operibus consideratus Martianus. Cessat confluxio sanguinis ad mammas, vbi mulier lactare desinit: sed tunc natura non oblita sui muneris, cuius tamen hic autor oblitus fuit, conuertitur ad aceruandum sanguinem in purgationes menstruas, quæ, si non adueniant, post lactandi tempus, morbosum id est.

7 Quarta ducitur à puerperijs, quæ deberent cessare, si sanguis ad mammas conuerteretur: nec fieri posse videtur, eodem tempore & mammas turgere, & puerperia affluenter fluere. Fluunt quidem abundanter lochia, seu puerperia, quia ex sanguine, per nouem menses retento, imò etiam semper ad vterum confluente, pars exacta cedebat in alimentum fœtus, pars etiam pura à tertio, vel quarto mense cæpit ad mammas transire, multum verò, & fœculentum in vtero remansit: quòd si non expurgetur, non sine vitæ periculo est: maius enim malum ex lochiorum, quàm ex menstruorum suppressione contingere, affirmat Galenus in hunc modum: *Menstruorum suppressio offendit, tamen non perinde, vt si à partu supprimantur, officit: quòd non abundantiam modò, sed insignem etiam humorum pariat prauitatem; Nam meliorem sanguinem ad se fœtus nutrimenti causa alliciens, relinquensq; deteriorem, causa est, vt prægnantes prauis humoribus impleantur, quos à partu euacuat natura.*

G.3.epid.sect. 3.com.73.

8 Quinta ex ductibus, per quos natura sanguinem ex vtero ad mammas transmittit: sunt enim exiles, & per anastomosim se se inuicem communicantes, contra id, quod fieri debet, quoties materia copiosa ad multam distantiam ferri debet: nam ad proxima loca sufficiunt porositates. Huic difficultati respondet necessitas elaborationis: vbi enim hæc necessaria est, natura moram instituit, siue per plexus vasorum, siue quomodocumq; aliter; Quoniam verò hìc non erat locus circumplectendi vasa, vt iuxtà testes, suppleuit exilitate, & difficultate viarum, ob quam

sanguis commoratur, multumq; de prauitate deperdit, de perfectione acquirit.

9 Sexta ex odore, & sapore ciborum, quem seruat lac: quippe si lac non generaretur ex succo, à cibis, & potibus expresso, impossibile esset, odorem, & facultatẽ ingestorum adhuc retinere, quemadmodùm nullus odor, aut qualitas manifesta obseruatur in sanguine cibariorum, è quibus conflatus est, & multò minùs in ijs, quæ ex sanguine generantur. At constat, lac sæpe odorem retinere, & facultatem ingestorum, idq; probat ex Hippocrate dicente, *Mulier, capra elaterium, aut cucumerem syluestrem comedentes, pueris purgatio*. Ceterùm quod attinet ad facultatem purgatricem; hæc in cibis consistens per omnes eorum mutationes immutata manet, adeò vt iam conuersi in substantiam aliti, eandem retineant facultatem: exemplo sunt boues indiani, de quibus superiùs me dixisse, memini: quippe cassiam fistularem pascuntur, & eorum caro comedentibus aluum soluit: quod verò ad saporem attinet, lac suo sapore, nempe dulcissimo, est præditum, odorem etiam optimum, vt cætera perfectè cocta, præsefert; Quòd si aliquando contingat ex cibis, vehemente quodam aut odore, aut sapore præditis, saporem, odoremuè in lac redundare, redundat etiam in sanguinem, & carnes animalium, quod experimento adeò est compertum, vt non oporteat in eo diutiùs immorari. H.6 epid. sect. 2. tex. 38.

10 Nec verò mirari debuerat, si pilus, à muliere in poculo haustus, ad mãmas feratur: quippe hoc ad fungosam mammarum naturam refert Aristoteles. Aciculas mulier aliud cogitans deuorauit duas, easq; per vrinarias vias eiecit: erant retortæ ex vasorum anfractibus, per quos transierant, cuius rei oculatus sum testis, & hic mihi casus maiore admiratione dignus videtur, quàm alius à Beniuenio narratus mulieris, quæ deuoratam acum è ventriculo perforato post decenniũ eiecit. Sed valde magnum, aliam, quam narrat Alexander Benedictus, per vrinę vias acum crinalem eiecisse. Maius adhuc, quod Ioannes Langius commemorat, quandam aciculas quinq;, quas perterrita ingemiscens deuorauit, eas enim dum se ornaret mordicùs tenebat, quas omnes per vrinam eiecit. Sed de his satis. Ar.7. de hist. anim. c.11. Beniuen. c.20 Alex. Bened. c.13. Langius lib.2. epist. 40.

11 Cæterùm ad historias, quas affert, vt est illa cuiusdam chyrurgi, qui ex papillis mulieris extraxit surculum cicorij, & puelli adhuc menstrui, qui furfures cum stercore eiecit, quia nutrix pane furfuraceo vescebatur, nihil est, quod respondeam, nisi quòd fides harum rerum apud autores sit. Verùm enim verò doctrinæ, quam tuetur, adeò est addictus, vt eam plus nimio augeat, possitq; ei accommodari id, quod, famam solitam esse efficere, Virgilius canit, *Viresq; acquirit eundo, parua metu primò*. Autor libelli de natura pueri putauit, satis esse, si ad mammas ciborũ, potionumq; succus expressus duntaxat deferretur. Martianus iam, si Dijs placet, nõ succos modò, sed cibos ipsos ad mammas defert, & qui priùs, exiles vias ab vtero ad mammas esse, existimabant, vt sic vix sanguinem possent transferre, nobis nunc dat per insensiles meatus deductum frustum cicorij, & panis furfuracei conspicuas portiunculas, nempe furfures. Tandem exactissimam substantiam, vtpote quæ delicatissimis infantibus nutrimento est, fieri vult ex cibo crudo, nullam priùs, quàm ad mammas accedat, coctionem passo. Hoc si ita est, cum lactucæ succus inter venena reponatur, nutrix lactucas edens, quarum succus expressus abit ad vbera, infantem enecabit. Hæc, & plura alia absurda ex hoc absurdo consequuntur. Quare cauendum est ab hoc sextupla ratione munito portento, à quo cauet Mercurialis, nouam, & incredibilem opinionem hanc appellans. Mercurial. de mor. mulier. lib.3. c.1.

Quomodò lac ad mammas feratur.

Articulus Tertius.

1 DVplicem esse posse lactis generationẽ, colligitur ex Hippocrate. Prima describitur his verbis: *Mulieribus n. rara est glandularũ natura, quemadmodũ* H. lib. de glandulis.

etiam reliquum corpus rarum habent, & alimentum, quod in se trahunt, in lac permutant. Hic primus est modus, quo lac generatur: videlicet cum mulier ex sanguine, quem per axiliares venas, ad alimentum vberum trahit, substantiam vberibus similem, hoc est, albam conficit: omne enim agens nititur assimilare sibi passum. At hoc modo possunt, & virgines, & mulieres non prægnantes, imò & viri etiam, quorum aliquæ extant historiæ, lac gignere. Raro autem virginibus, aut saltem mulieribus, quæ non conceperunt, contingit lac gignere: habent .n. vias exiles, ac parum dilatatas, glandulas insuper exiguas, neq; in glādulosis partibus ea sanguinis copia aceruatur, quæ possit in lac secedere. Rarissimè autem cōtingit viris, quoniam & viarū angustia, & corporis densitas (vt ait Hippocrates) impedimēto sunt: conducit insuper ad impediēdum lac glandularū paruitas, quæ in virili corpore est.

2 Cæterùm fœminas, superiùs diximus, habere corporis habitum densiorem, quàm viros, idq; probauimus, ex pilorum defectu; Hoc & præsenti authoritati Hippocratis, in qua versamur, ex libro de glandibus, & etiam ijs, quæ in libro primo de morbis mulierum idem met scripta reliquit, valde contrariatur: siquidem semper raritatem fœminarum corporis inculcat. Hæc muliebris corporis raritas secum inferret eiusdem calorem, atq; ita vera esset eiusdem libri sententia, qua mulieres viris calidiores censentur: hæc autem communiter exploditur, imò ob eam liber ille de morbis mulierum non ab Hippocrate scriptus creditur, sed ab aliquo Democriti, & Parmenidis sectatore: quippe hi duo philosophi in ea hæresi fuerunt, vt existimarent, mulieres viris esse calidiores: parùm ab hoc gradu Scaliger recessit, sed adhuc cum errore: putauit enim, *Eundem viri, mulierisq; calorem, in muliere non apparere dilutum humore multo, in viro sentiri, quòd acuatur siccitate*. Verùm hæc sententia ab Scaligero, viro, plusquàm conueniens est, libero, liberè prolata, liberè est exsibilanda: & adhærendum Aristoteli, Hippocrati, atq; Galeno, quibus, consentiēte tum ratione, tum multiplice obseruatione, placuit, fœminas viris, in caliditate, sicut in plerisq; alijs actionibus, perfectionibusq; inferiores constituere: sic enim teste eodem Galeno, *Præstantissimi quiq; senserunt veterum medicorum, & philosophorum*. Quare in hoc non est ampliùs immorandum.

Supra in expositioni huius præsentis contextus.

Scaliger exercit. 274.
Ar. 4. de gen. anim. c. 1.
Hipp. de diata lib. 1. G. tum. 5 aph. 62. tum. 3 de caus. puls. c. 2. & Hip. in eodem 1. de morb. mul. & Auic. in c. de complex. ætat.

3 Sed cum raritas fiat à caliditate, cur fœminas, quas minùs calidas esse, dicimus, corpore rariores dici volumus? Sūt, qui dicunt, mulieribus cutis densitatem inesse, ideò pilis carent, sed simul inesse carnis raritatem: posse autem hæc duo inter se opponi, nam quemadmodùm Hippocrates dixit, *Cutis raritas ventris densitas*, sic nos ex opposito possemus, cutis densitatem cum interiorum raritate coniungere. Verùm isti multipliciter peccant: in primis enim Hippocratis sententia non facit ad rem: nam agit de casu præter naturam, & insinuat, euacuationē, quæ fit per meatus, minuere aliam, quæ per aluum fieri solet: deinde si frigiditas fœminarum non potuit efformare raritatem in cute, vbi magis necessaria est, propter transpirationem, multò minùs eam efformabit interiùs. Tandem debuerant reddere rationem, cur viri densiores sint interiùs, rariores exteriùs, mulieres verò è contra.

Hipp. 6. epid. sect. 3. in principio.

4 Meliùs videtur dicendum, non omnem raritatem procedere à calore: nam plures raritatis acceptiones affert Gentilis, quarum duas, quæ præsenti instituto inseruiunt, explicabimus. Vna est, quia rarum dicimus id, quod ampliores habet meatus: hæc enim proprijssimè est raritas, & à calore fit propter siccitatē, quam habet adiunctam: etenim caliditas absumens humiditatem, qua substantiæ partes inter se colligantur, efficit, vt vnaquæq; substantia secūdùm plures partes à se ipsa distet: & hoc modo viri fœminis sunt rariore carne, quoniam & copiosiore calore sunt prędi: mulieres verò vtpote frigidiores, quippe habent tantam frigiditatem, nō quæ concrescere, & condensare faciat, nam hanc in corpore viuente nō admittimus, sed quæ humiditatem non absumat, propterea ex pororū defectu læuior est fœminea caro, & pilis caret. Altero modo dicitur rarum, minùs quidem propriè, id, quod est laxum, quę acceptio, non solùm Hippocrati, qui exactas verborū proprietates non

curabat,

curabat, est familiaris, sed multis alijs etiã. Hippocrates raritatẽ hoc modo accipit, siquidem se ipsum explicans ait, *Fœmina verò rara, & laxa, & veluti fluida, tum ad visum, tum ad tactum:* raram dixit, & laxam, quasi synonimi: nam si laxum fit ab humiditate, non potest id, quod laxum est, simul esse rarum, raritate priore modo accepta, hoc est, proueniente à siccitate. Auicenna, cum de fœminarum temperamento agens, dicat, *Et substantia carnis ipsarum est rarior*, raritatem intelliget hoc secundo modo acceptam, aliàs non posset constare cum raritate frigidum, & humidum temperamentum, quod fœminis assignauit: ait enim fœminas esse *In creatura minores masculis, & humidiores*. Quòd autem raritas fœminarum ex humiditate procedat, idem met testatur ibidem adiungens, *Ergo propter complexionum earum frigiditatem, multiplicantur earum superfluitates, & propter paucũ ipsarum exercitium, & substantia carnium est rarior*. Sic ille: quasi arguens ex multitudine humiditatum raritatem: quare de raritate posteriore modo sumpta agit. Hinc etiam patet, fœminas citiùs incrementum accipere, non quidem ob maiorem calorem, nam sic non solùm augerentur citiùs, sed etiam magis: cũ ergo breuioris staturæ sint, & citiùs augeantur, id euenire dicendum est, quia rariores sunt, hoc est, laxiorem carnem habent, quæ auctrici facultati agenti minùs resistit. Maneat ergo, fœminas esse rariores, hoc est, molliores, laxioresq;, & hanc acceptionem, licèt abusiua videatur, quia eam tradunt medicinæ proceres, recipiendam esse. Vnde Andreas Laurentius optimè totam hanc difficultatem vno duntaxat verbo exhausit inquiens, Hippocratem, dum rariore carne præditam mulierem scribit, raritatis nomen vsurpare, καταχρηστικῶς, hoc est abusiuè, pro eo, quod laxum est, & molle.

Hipp. in lib. de glandul.

Auic. citat.

5 Accedamus ad alterum modum, quo lac gignitur; Eum Hippocrates, post prædicta verba, prædictumuè modum, his verbis expressit: *Et ab vtero accedit ad mammas, quod post partum puero cessurum est in alimentum, quod ipsum sanè exprimit, ac rursum mittit omentum, ad supernas partes ab ipso fœtu coarctatum*. Ecce altera generationis lactis ratio prægnantibus propria, quam sic breuiter expressam, & subinde aliquantulum obscuram, claritatis gratia fusiùs explicare libet. Primis mensibus, formationis fabricæ intenta natura, parenchymata, & cætera membra non solùm formans, sed etiam quodammodò nutriens, & augens, multũ sanguinis impendit, quapropter non datur tunc temporis residuum. Confecto iam corpore, & peracta parui mundi fabrica, cũ fœtus moueri incipit, nutritioni dũtaxat incumbit natura: nutritio autem exigui adhuc corporis, exiguũ postulat nutrimẽtum, quia etiã adhuc exigua est resolutio, iccirco iam tunc incipit sanguis redũdare. Quare cum fœtus calcitrat, venæ, quæ sunt plenæ, cõprimuntur, sanguinemq; exprimunt in superiores partes, hoc est, ad venas siue continuas, seu saltem contiguas.

H. de gland.

6 Multiplex autem causa facit, vt sanguis ab vtero ad mammas exprimatur. In primis viarum commoditas, deinde communio inter vterum, & mammas, quã probat Galenus non solùm, quia fœtu emortuo gracilescunt, vt habemus ex aphorismo, sed etiam quia dum fœtus augetur exiguæ sunt mammæ, quemadmodùm & matrices: cum autem pariendi tempus instat, simul & matrix, & mammæ intumescunt. Tandem expressio ad prouidentiam naturæ referenda est, & hæc est causa finalis: scilicet vt paulatim assuescat natura, sanguinem illuc transferre, nempe ad officinam lactis, futuri per plures menses alimentum infantis. Elucescit autem naturæ consilium, quia sanguis ille, qui recurrens poterat hæmorrhagias per nares, aut hæmoptoisim per os efficere, nihil istorum faciat, sed quasi manuductore apprehensa, eò tendat, quò debet tendere. Aliam insuper addit Andreas Laurentius causam finalem istius ascensus, vt scilicet detur infanti occasio exitum quærendi: si enim totus sanguis in vteri vasis aceruatus seruaretur, nec portio eius ad mammas transcenderet, infans alimento abundans non sibi egressum ex vtero

G. 14. de vsu par. c. 4. & 8. H. 5. aph. 38. et 2. epid. sect. 1. circa med.

Andr. Laur.

 quæreret:

quæreret: namq; partus apud Hippocratem hæc causa narratur, nempe vtriusq; alimenti tàm solidi, quàm aërei defectus.

7 Hanc causam ab Andrea Laurentio adductam, non omnino reprobandam, censeo, quamuis eam non penitus necessariam arbitror; Nam cum ab Hippocrate, & Galeno recipimus, alimenti defectum esse causam partus, & cum eodem Hippocrate alimenti nomine vtrumq; alimentum intelligimus, cibum videlicet, & aërem, præcipua ex harum duarum necessitatum est aëris: si ergo necessitas ista aëris vrget, quamuis sanguis abundaret, & ad mammas non refflueret, adhuc fœtus exitum acceleraret: quippe grandior factus maiore aëris copia indigeret, quàm est illa, quæ mater per arterias vmbilicales ei communicat.

H. de nat. puer.
G. 5. aph. 38.

8 Neq; verò sola expressione partium inferiorum, sed aliquantula etiam attractione mammarum sanguis ad eas accedit, & multò minùs post partum, quãdo infans lac sugit: tunc enim continuata serie, & lac ad os infantis, & sanguis ad inanitas suctu venas attrahitur. Hoc nobis indicant nutrices, in quibus sola dissuetudine lactandi, lac desinit in mamillis confici. Hinc infertur, posse lac ex mammis ad vasa remeare, & in sanguinem conuerti: si enim lac nutricibus, quæ lactare desinunt, & puerperis, quæ lactare nolunt, lac deficit, necesse est, lac, quod iam in mãmis collectũ erat, ad vasa recurrere, cũ quo recurrit etiam pars sanguinis iam iam in lac abituri: & in grauidis, quando fœtus grandior est, sanguis iste penè in lactis naturam conuersus, qui validissima tractione ad vterum recurrit, alimentum fœtui est dulcissimum, cuius vsu iam incipit futuri lactis dulcedinem degustare. Quando autem Hippocrates ait, *Lacte fruitur aliquantulum puellus*, & loquitur de puello existente in vtero, lac appellat sanguinem istum, qui lacti proximus cum sit, semilac potest appellari.

H. de nat. puer.

Cur non eodem alimento, quo infans in vtero alitur, etiam extra vterum alatur.

Articulus quartus.

IAM superiùs in expositione contextus huic quæsito breuiter satisfeci: *Nempe quia aßueti ab infantia humanum sanguinem ore exhaurire, ferinam acciperent naturam*. Liberaui me illicà calumnia grammatizantis Satyri, nunc philosophantem oportet audire. Isthæc ne ratio, quam attuli, mea est? Imò celebrium virorum, quorum vnus est Hieronymus Mercurialis, qui ex tribus causis, quas tradit, *Cur natura ita fuerit solicita in fabricando lacte, eò magis quòd poterat efficere, & forsan debebat facere, vt eo sanguine, quo nutritur fœtus in vtero, nutriretur etiam extra vterum*: ex tribus, inquam, causis prima est: *Quia horrendum esset, & ferinum, videre sanguinem viuum exsugi ex mamillis: horrendum enim eßet matri, infanti, & alijs: natura autem quantum fieri potest, conatur semper coniungere iucunditatem cum vtilitate*. Duas alias, quas adiungit, inferius pertractabo: oportet enim in hac aliquantulum commorari. Eam etiam recipit Andreas Laurentius inquiens, *Sed vide, an inhumanum esset, & ferinum, sanguiuoros esse infantes*. Aliam addit rationem, de qua nos infra. Nunc sufficiat, rationem, quam attuli, duobus præstantissimis viris placuisse (placuit forsan pluribus) nõ placuisse Satyro. At Satyro non placuisse, summa dignitas est. Mecum, putat, litem suscipere, quam cum alijs ignorans suscipit: meæ tamen sunt partes, istius petulantiam frænare. 1

pag. 53

Mercur. de morb. mulier. lib. 3. c. 1.

2 Quæris deinde (nam hic tuus mos est, quærere stultè, vt tibi met respondeas ineptè) quæris inquam à me, *Quomodò pueri assueti ab infantia humanum*

sangui-

sanguinem ore potare, ferinam induerent naturam. Ecce quæsitum stultum. Nonne, si infans ita ageret, ferinum, & horrendum opus ageret? Assentitur Mercurialis. Non ne infans sanguiné sugens esset sanguiuorus? Ita eum vocat Andreas Laur. Quorsum ergo dubitas de modo, quo ferina esset natura eius, qui ferinum haberet morem, & sanguiuorus esset? Dubitas tamen, nempe vt tibimet respondeas, sic: *An quia in feras physicè sic transmutarentur?* En responsio inepta. Num tu grammaticè loqui nosti, & naturam alterius induere, putas idem esse, ac in alterius physicè transmutari? At sic personam alterius induere, esset transmutari physicè in alterum. Tuus tibi male cantat Cantalicius. Cæterùm de hac transmutatione ex victu iam superiùs satis egimus, & infantes simul cum lacte nutricis mores sugere, diximus. *Supra sect. 2. q. 2. art. 2. nu. 13.*

3 Nunc tu, quòd ferinam accipere naturam possit dici, quòd ferinos mores induant, mihi veluti precariò concedis. *Cęterùm*, ais tu, *hic nos inquirimus causas physicas, non morales: quia scientiam hic venamur, ac veritatem, quæ contemplationibus acquiritur, & comparatur*. Rectam nobis doctrinam tradis, & valde piam: nempe qui morales causas perscrutatur (te censore) nec scientiam venatur, nec veritatem, neq; contemplationibus hæc duo acquirit. Iam ergo explodenda est, ex tuo consilio, philosophia moralis, vt pote quæ nec contemplatione scientiam acquirit, nec veritatem. Apage: si istam antimoralem philosophiam tuos pueros doces, dabit tibi Pausanias pulchrum cognomen ab Imperatore Antonino mutuatum. Sordet ne tibi tamquam inspiciens sciolus apud Homerum Vlysses, *Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes?* Putabant hactenus sapientes, boni, honestiq; cognitionem naturali cognitioni non aduersari, neq; hanc sinè contemplatione acquiri posse. Tandem cum omnis sapientia (sic philosophiam vetustiore nomine appellabo) dialecticam, naturalem, & moralem disciplinam comprehendat, profectò pars illa, quæ moralis est, sinè contemplatione comparabitur.

4 Sed tu, Aristotelem, ais, admonere quidem, physiologicam scientiam conferre plurimùm ad moralem philosophiam, at morales causas ineptas existimasse explicandis effectibus naturalibus, ac propterea numquam naturales effectus ad morales causas retulisse. Hic tu tibi contradicis: nam si physiologica confert ad moralem philosophiam, possum, physiologicè inquirendo, moralem acquirere cognitionem: sic in re proposita, physicè causam finalem inquirimus, cuius scilicet gratia natura sanguinem in lac mutauit, & dum hoc inquirimus, in cognitione morali proficimus. Cur ergo dicis, nihil me omnino in hac cognitione proficere? Sed heus tu, non ne natura est, quæ format mores? Sanè animi mores corporis temperamentum sequuntur, temperamentum autem natura appellatur; Si ergo mores à natura fiunt, cur ab eadem non venabimur mores? Nunquam ne Aristoteles ita est philosophatus? Quære, & inuenies apud eum hanc philosophandi rationem, maximè in libris de generatione animalium, & de animalium incessu. Verùm non oportet in conquirendis his particulariter tempus terere, cum tibi idem met Aristoteles silentium hac in parte indicere videatur: quandoquidem initio suæ historiæ animalium, eorum differentias, aut per vitas, aut per actiones, aut per mores, aut per partes constitui dignum esse, ait. Sed cur dissentiret Aristoteles in re adeò congrua à suo præceptore Platone, à quo non dissentit Galenus? Dissentis tamen tu, qui, Platonicum Socratem, ais, nunquam causis moralibus abdita tentasse explicare; Si effectrices intelligis, ita est: sed nos de his non loquimur: si de finalibus, de quibus agimus, falsum pronuncias: nam Galenus causam quærens, cur natura tot inuolucra intestinis tribuit, non dedignatur eam à morali philosophia emendicare. Galenus ne? Imò Plato: quippe, vt ipsemet Galenus refert, *A Platone dictum est, ne alimentum celeriter permeans, corpus* *Ar. 1. hist. an. c. 1.* *G. 4. de vsup. c. 17.*

pus.

pus extemplò in necessitatem indigeret sumendi de integro alimentum, suggerensq; insatiabilem gulositatem ἀφιλόσοφον, ἢ ἄμυσον, i. à philosophia, ac musis alienũ vniuersum mortale genus efficeret. Senecam mihi obijcis, Qui morali philosophia detrahit quidem vitia, sed physicorum effectuum occultas rationes nõ aperit. Ego eundem tibi ex aduerso obijciam, qui causam, cur natura nostra vultus erexit in cœlum, moralem, sed tamen optimam latissimè prosequitur: neq; aliud frequentiùs apud eum est, quàm res naturales ad moralem contemplationem deducere. Sed, ne plura dicam, conueniamus in hoc, quòd ego morali philosophia, vt tu inquis, vtor, tu natura, vt inquiunt tui mores.

Senec.

5 Verùm quando tibi mea, non mea, sed communis plurium, non arrisit ratio, proferto nobis tuam doctiorem. Tu quasi sedens pro tribunali sic intonas: *Nos autem eam putamus hanc esse, tum quoniam in vtero clausus puellus proximus existens primæ suæ constitutioni, quæ fuit ex materno sanguine maxima ex parte, & ex seminis pauciore portione, cum alantur omnia similibus, longè similior erat natura sanguinis corpori fœtus, quod à Galeno vocatur planta carnea, quàm substantia lactis: tum maximè, quia puelli ventriculus, temperamenti frigidi natura sua, tanto non pollebat adhuc natiuo calore, quantus necessarius erat ad conficiendum alimentum pro nutricatu corporis vniuersi, sed vix sibi sufficiebat ad sanguinis portiunculam, ab hepate tractam in sui nutrimentum conficere: lac etenim non alit, nisi priùs in stomacho primam coctionem adeptum fuerit. At fœtus extra vterum natus, habet stomachi naturam validiorem, quæ potest vniuersi corporis nutricatui concoquere lac in alimentum, ne dum sibi*. Et quæ sequuntur, quæ tamen non omittam, sed mox prosequar: nemo enim poterit vno duntaxat haustu tuam garrulitatem exhaurire.

6 Agnosco in primis tuam fœcunditatem, qui cùm vnam duntaxat rationem parturire tentares, maiore nixu duas eijcisti: vtraq; tamen merus est aborsus: nam quod concepisti, erat, cur infans extra vterum alatur lacte, non sanguine, sicut intra vterum: tu rationes nobis reddis eius rei, quam nullus à te quæsiuit: nempe cur fœtus in vtero alatur sanguine, non lacte. Itaq; interrogatio, & responsio non conueniunt, sed potiùs pugnant. Tua hæc, ò Satyre, est præpostera philosophia: neq; enim aptas calceamentum pedi, sed pedem calceamento. Tamen rationes istæ, licèt saltent extra chorum, sunt tamen castigandæ.

7 Quod attinet ad primam. Ais tu, primam corporis constitutionem fuisse maxima ex parte ex sanguine, & ex seminis pauciore portione. Si non admittis fœmineum semen, & sic videri vis peripateticus, mittam te ad medicorum scholam, vbi sat benè verberaberis. Si magis tibi placet medicum agere: scito ex vtroq; semine simul maiorem confici portionem, quàm ex solo sanguine. Hoc ita esse fateberis, si velis iuxtà Galeni doctrinam agnoscere, omnia membra alba, vt sunt ossa, nerui, cartilagines, cutis, & plura alia, ex semine fuisse condita. Horum quidem maior est numerus, maiorq; quantitas, quàm sit carnosarum partium. Galenum corpus fœtus plantam carneam appellasse, noua mihi est isthæc appellatio; Citas librum de semine: primus ne sit, an secundus non declaras: vtrumq; plura habet capita: tu nullum, quippe nullum assignas; sed quid interest? Hoc certum est, fœtum in vtero, præter partes rubras, habere etiam albas fabricatas: hoc ostendit conceptus sex dierum, quem psaltria eiecit. Neq; verò ex eo, quòd sanguis multus in vtero abundet, existimes, totum concurrere ad generationem fœtus, sed eam duntaxat portionem, quæ cum semine coniuncta necessaria est: hanc iam diximus, esse minorem, quàm seminis: siquidem pauciora sunt membra rubra, quàm alba. Et hic est tuus primus error.

8 Alter error. Quia cùm omnia alantur similibus, longè similiorem naturam esse sanguinis corpori fœtus alendo, quàm sit substantia lactis. Quid est lac? Respondebis,

pondebis, si sapis, cum Galeno, constare ex sanguine paruam mutationem in mãmis adepto. Quomodò fit isthæc mutatio? Nempe per maiorem elaborationem. Putas ne magis idoneum esse alimentum fœtui sanguinem non elaboratum, quàm fuisset sanguis elaboratus? Quis hoc diceret sinè rubore?

9 Accedo ad tuam secundam rationem. *Ventriculus puelli* (inquis tu) *temperamenti frigidi natura sua tanto non pollebat adhuc natiuo calore, quantus necessarius erat ad conficiendum alimentum, pro nutricatu corporis vniuersi, sed vix sibi sufficiebat ad sanguinis portiunculam, ab hepate tractam, in sui nutrimentum conficere*. At tu non consideras, ventriculum tam fœtui, quàm homini grandiori frigidum esse temperamento: quippe membranosam, & exanguem substantiam habet: nihilominùs tamen plurima habet fomenta, à quibus accipit calorem: videlicet à dextra parte iecur, à sinistra lienem, anteriùs omentum, posteriùs venas, & arterias magnas: fœtus autem in vtero, præter hæc omnia, habet etiam calorem maternum. Quare proportione ad paruitatem sui corporis calidior debet esse infans in vtero, quàm extra vterum. Sed Deus bone, erat in vtero ventriculus puelli frigidus, & ineptus ad conficiendum alimentum vniuerso corpori, & simul ac in lucem editus fuit, calorem accipit, & euasit aptus ad alimenti coctionem! Tandem perperam agis de ventriculo puelli in vtero existentis, cum tibi constare deberet illum illic non per os, sed per vmbilicum accipere nutrimentum, quod tibi superiùs satis manet demonstratum. *Supra q. 2.*

10 Adiungis ita. *Vix sufficiebat ad sanguinis portiunculam ab hepate tractam in sui nutrimentum conficere*. Nunquid puer trahit sanguinem ab hepate ad ventriculum, quando est in vtero? Hoc ita videris sentire: siquidem vix sufficiebat, inquis, nempe ventriculus puelli in vtero existentis, sanguinem ab hepate tractum conficere. Forsan ne intelligis ex materno hepate? At sanguis non tendit ex materno hepate ad puelli ventriculum, sed per venam vmbilicarem tendit ad venas.

11 Pergis aiens, *Lac enim non alit, nisi priùs in stomacho coctionem adeptus fuerit*. Ita est: sed sanguis etiam (si tu existimas, fœtum nutriri per os) debet primam in stomacho subire coctionem, vt nutriat. Quare frustra lacti hoc peculiariter tribuis, quod sanguini etiam est commune. Addis: *At fœtus extra vterum natus habet stomachi naturam calidiorem, quæ potest vniuersi corporis nutricatui concoquere lac in alimentum, ne dum sibi*. Hìc omittam tuam loquendi proprietatem, qua semper ridendi occasionem aliquam præstas: dicis enim, puerum extra vterum natum, & sic rem nouam nos doces, nempe fœtum nasci extra vterum. Hoc tamen condonandum est tempori, in quo scribebas. Mirum autem est, fœtum in spatio dimidiæ horæ, tantum calorem obtinuisse, vt qui in vtero non poterat coquere lac, statim ac natus est, illud concoquit ad vniuersi corporis nutricationem.

12 Oportet, vt explices, vnde eueniat, vt possit concoquere intra vterum sanguinem, non verò lac: nam hinc colligo, te existimare, lac esse difficilioris coctionis, quàm sanguinem. Si sic existimas, naturam facis retrogradam: nam id, quod difficilioris coctionis est, magis crudum est, quàm quod coctu est facile: lac, ex tua sententia, est difficilioris coctionis, quã sanguis: ergo magis crudũ, quàm sanguis: sed ex sanguine fit lac, ergo ex minùs crudo fit magis crudum. Quare proceditur incrudando: & iste est retrogradus naturæ incessus, quem in tua hac bella doctrina inuenio. Non existimo, te dubitaturum, ex lacte fieri sanguinem, nisi existimas, lactentem puellum nutrimentum per omnes tres coctiones non transmittere, quod absurdum tuo cerebro dignum est.

13 Relicto Satyro cum sua satyriasi, duas rationes alias nostri quæsiti in medium affert Mercurialis: prima, quæ tamen in suo ordine est secunda, sic habet.

Puer extra vterum debebat nutriri per os, & per os debebat cibus meare in ventriculum, in quo coqueretur, deinde in iecore sanguis fieri: si sanguis exsugeretur à puero, non alteraretur, neq; in ventriculo, neq; in iecore fieret sanguis. Itaq; sagacissima natura, dum videret sanguine debere partem nutriri, & alterum fieri sanguinem, adinuenit felicissimum hoc medium, quod tale est, vt possit ex sanguine fieri lac, & iterum in sanguinem conuerti: mysterium omnibus admirandum. Hæc ratio constat ex ijs, quæ superiùs diximus, nempe ex lacte fieri sanguinem, sed non explicat, cur etiam ex sanguine non possit fieri sanguis adueniente maiore elaboratione, qua sanguis ex sanguine factus, syncerus, purusq; sit. Bruta animalia sanguiuora sunt, homines etiam andropophagi, qui an crudas, an coctas carnes comedant, non prorsus constat, attamen constat, Scythas lac cum sanguine concretum potare, quod tu superiùs irrisisti, quasi impropriè dictum: cum tamen à Virgilio sit acceptum. Sed nemo dubitat, dapes aliquas ex sanguine cocto fieri, sanguinemq; præstare posse alimentum: quòd si præstat, non aliter præstat, quàm subeundo priùs mutationem in chylum, & ex chylo in sanguinem, ex sanguine in substantiam membrorum. Cum ergo sanguis possit conuerti in sanguinem, non video, cur natura debuit effugere hanc conuersionem, & propterea lac conficere.

14 Vltima ratio Mercurialis. *Cum videret natura, in sanguine locatum esse totius vitæ thesaurum, coacta fuit sanguinis vasa ita fabricare, vt non possint facilè reserari, neq; rursum facilè claudi. Si igitur debuisset fœtus nutriri sanguine exsucto ex mamillis, necessarium fuisset, vt venæ facilè clauderentur, & aperirentur: his imminebat periculum, ne quandoq; venas non possent ampliùs occludi, atq; ita vita finiretur.* Hæc mihi ratio maximè arridet, potestq; inter optimas recenseri. Hanc amplectitur Andreas Laurentius, qui postquàm priorem, quæ tibi, quia refertur ad mores, non placet, in medium attulit, hæc verba adiungit, *An dicendum, ideo sanguine alendum non esse, editum infantulum, ne ea suctione facilè venarum oscula aperirentur, & ita sanguis, naturæ thesaurus, efflueret?*

15 Dinus aliter procedit: inquit enim, sanguinem lacte calidiorem, si triplicem coctionem subiret, ineptum penitus ad nutritionem futurum: quia amaresceret nimio calore; Lac verò temperamento frigidius, faciliùs concoqui, nec triplice ea coctione amarescere. Lactis temperamentum frigidius esse, quàm sanguinis, constat ex Galeno, cuius testimonio, lac, quoad calorem attinet, in medio est pituitæ, & sanguinis, non tamen æquè ab vtroq; distat, sed à pituita longiùs abest, propiùs accedit ad sanguinem; Plura alia sunt frigiditatis lactis argumenta, quorum aliqua retuli in tractatu de Sero lactis. Nec obstat, quæ coquuntur, coctione calidiora euadere: vnde si lac ex sanguine cocto fit, calidius esse debet sanguine: non, inquam, obstat, nam lac frigiditatis fit particeps ab efficiente causa, & loco, in quo fit: sunt enim adenes, quos Galenus, carne iecoris frigidiores esse, statuit. Non reijcit Andreas Laurentius Dinum, neq; puto dignum esse, qui reijciatur.

G. 5. simpl. c. 21.

De sero lactis c. 1.

G. 5. aph. 40.

16 Verùm quoniam in meo tractatu de Asitia obiter, & quasi aliud agens, pulchram illam attuli rationem, non tamen omnino quicquid ei addi poterat, addidi, audiat nunc Satyrus, quid ex professo de re ista dicam. Necesse fuit, vt in aliqua parte cibus infanti in lucem edito seruaretur, aliàs natura parens improuida esset, quæ prolem produxit, neq; eius nutritioni prospexit: nisi autem alimentum ei esset dicatum, famæ oppressus, sanguinem è venis maternis hirudinis in morem cum suo, & matris graui damno sugeret. Seruatum igitur nutrimentum in aliquo loco necessario, ibi aliquantulum debuit pati: neq; enim facultas alterans feriatur, vt turpiter Satyrus vult: reponitur ergo in vberibus ea substantia, qua infans in vtero alebatur: pars illa, in qua continetur, glandulosa est, glandulæ iste agunt, sed quomodò agunt? Nempe eo modo, quo cætera agentia naturalia, hoc est, assimilando

milando sibi passum; Quare saltem in colore similitudinem passo imprimunt: albæ sunt: fit igitur album; Hoc autem adeò verum est, vt dicat Aristoteles, lac optimum debere esse aliquantulum particeps liuidi coloris: quia scilicet glandulæ vberum, in quibus lac conficitur, albedinem habent tendentem ad liuorem. Itaq; id, quod seruatur in vberibus ad nutricatum lactentis, est sanguis ille, qui, ob iam dictas rationes, sine matris dispendio potest ibi congregari: hic actione partium continentium albedinem suscipit: & hoc est, quod Galenus iam toties citatus ait, lac fieri ex sanguine, exiguam mutationem in venis adepto.

17 Si quis adhuc curiosè quærat, cur in mammis glandulosa sunt corpora, respondebo, primam elaborationem fieri in venis: quippe (vt iam ex Galeno me dixisse memini) quod iuxta testes efficit multiplex venarum anfractus; id in mammis longitudo itineris. Accedit deinde ad mammas, locum scilicet infantum nutricatui opportunissimum, ob rationes à Galeno allatas, sed præcipuè, quia ibi facillimè simul, & citissimè lactis copia perfectè elaborari potest. Multum autem impediretur mulier, si semper mammas valde tumentes gestaret: propterea glandulosas oportuit esse; *Non enim (ait Galenus) glandulæ mamillares perpetuo suo munere funguntur, vt cum aliæ propemodum omnes, tu autem ea, quæ sunt ad linguam; natura enim eas linguæ comparauit ad saliuam generandam, mamillares verò, post fœtum conceptum, fiunt raræ, ac laxæ, & lacte plenæ. At quo tempore lacte carent, contrahuntur, ac densantur, tantum à se ipsis differentes, quantum permadida spongia ἀπὸ τῶν αὐαιεργασμένων sic enim spongias appellant, à quibus cum humorem omnem expresserint, circundatis vinculis ipsas constringunt, totumq; ipsarum corpus cogunt.* Hæc à Galeno eleganter, & verè dicta sunt. Gal. 3. alim. fac. c. 6.

18 Volo hic Satyro præbere pabulum: nam qui totus fabulosus est, & fabulis oblectatur, fabulosamq; iccirco philosophiam sectatur, forsitan Pythagoræ chymæram osculabitur. Pueros, putat ille, lacte nutriri, primumq; nascentibus hoc alimentum esse oblatum, quod primus ei motus à lacteo orbe, in huiusce vitæ inferna de labentibus inchoet. Vide precor, Satyre, an sub hoc cortice mysticum aliquod, tibi duntaxat notum, reperias.

DE SANGVINE MENSTRVO.

QVAESTIO NONA.

FVndatur quadragesimus hic textus in menstruis circuitibus: in explicatione autem verborum Hippocratis, ea, quæ opportuna videbantur, leuiter attigimus, ita tamen, vt expositoris officio non deesse videremur. Aliqua nunc, ex multis, quæ circa hoc generationis nostre principium (sic enim cum Galeno libet appellare) pertractari solent, sunt nobis percurrenda.

De menstruorum causa materiali, & formali.

Articulus Primus.

1 QVoniam, teste Aristotele, *Fœminis per id tempus exsurgunt vbera, quod fratrare dicitur, & quæ menstrua vocantur, erumpunt, quòd sanguis quasi recens occisi animalis est*, rectè colligitur lactis materiam esse sanguinem menstruum, & hoc hactenus est demonstratum. Cæterùm an sanguinis menstrui, & seminis vna, & eadem sit materia, non satis discussum est. Esse quidem vtriusq; materiam sanguinem, nemo potest dubitare: num verò hic Ar. lib. 7. hist. anim. c. 1.

sanguis, qui in vtero colligitur euacuandus singulis mensibus, differat ab eo, qui tendit ad testes, nos supra tetigimus, nunc vberius explicabimus.

2 Videtur quidem nullam inter vtrumq; sanguinem differentiam esse: siquidem vterq; sanguis dicitur excrementum vtile, quod magis fiet manifestum, cum de causa finali agemus. Accedit, quòd cum sanguis arterialis, & venalis, qui duo videntur maximè inter se differre, à nemine dicantur specie differentes, cur sanguis venalis, qui tendit ad testes, differet ab eo, qui ad vterum transmittitur? Eadem quidem ratione, & sanguis, quo nutritur vterus ab eo, quo nutriuntur vasa seminaria, & testes, different inter se, ac proinde sanguis non esset species infima, sed subalterna, multas infimas sub se continens.

3 Hæc omnia rectè probant inter sanguinem menstruum, ex quo nutritur infans, & lac conficitur, & singulis mensibus, dum mulier non est grauida, fit ordinata expulsio, non differre specie ab eo sanguine, ex quo semen conficitur. Cęterùm medici non considerant differentiam specificam in eo rigore, in quo à philosophis consideratur: quippe inter hæc duo notabilis est differentia, tametsi sit accidentalis: nihilominùs tanti momenti esse censetur, ac si foret essentialis, quod in multis constat. Esse autem inter sanguinem, ex quo fit semen, & eum, ex quo fiunt menstruæ purgationes magnam differentiam, ex eo vel maximè constare potest; quòd sanguis seminalis (sic eum libet appellare) est exquisitus, pinguis, & valde spirituosus: sanguis menstruus fæculentus, & crudus. Tanti q; est isthęc differentia facienda, vt Auicenna existimet, emissum semen multo plus inferre damni, quàm si quadragesies tantum sanguinis mitteretur. Et Auerrous semen esse veluti butyrum quoddam, multis spiritibus plenum, & propterea delassari magis mulieres in emissione seminis, quàm in emissione sanguinis menstrui: quia cum semine multi spiritus exeunt, cum sanguine menstruo paucissimi, quoniam materia est cruda. Quare meritò Aristoteles ait, *Differt sanguis menstruus à semine, tanquam purum ab impuro, & tanquam crudum à cocto*. Sic Aristoteles, quæ differentia sufficiens est, vt à medicis pro specifica habeatur.

Au. 3. de animal. c. 3.
Auerr.
Ar. 1. gen. ani. c. 20. & 2. eiusdem c. 3.

4 Quòd autem vtrumq; sit excrementum vtile, non arguit identitatem: quippe duo inter se valde diuersa in vnum, & eundem finem partialiter concurrere possunt. Imò verò duas substantias diuersas esse sanguinem menstruum, & semen, ex eo potest probari, quia Galenus has duas substantias, duo principia generationis nostræ appellat, non vnum: & singulis eorum diuersas naturas tribuit: vnde inquit, *Dissident hæc inter se ipsa temperamenti mensura. Siquidem in semine plus est igneæ substantiæ, atq; aereæ: in sanguine aqueæ, terreæq; &c.* Inter sanguinem arterialem, & venalem siquis velit specificam constituere differentiam, non omnino mihi displicebit: nam arterialis sanguinis officina est cor, diuersa ab ea, in qua conficitur sanguis venalis: ductus etiam diuersi arteriæ scilicet, & venæ: finis non idem, nam venalis dicitur nutrimentalis, arterialis (vt superius diximus) nutritioni est ineptus: quamuis particulari naturæ priuilegio in vena arteriali, & pulmonis nutritione, hic ordo non obseruetur. Nec proinde, licèt sanguis non sit species infima, comprehendet sub se diuersarum specierum sanguinem pro ratione membrorum, quæ sanguine nutriuntur. Sanguis verò menstruus, si non specifice, in rigore philosophico, differet à sanguine, quo nutriuntur reliqua membra, at saltem accidentia habet adeò ab omni alio sanguine diuersa, vt possit in schola medica differens specie reputari.

Gal. 1. sanit. tuend. c. 2.

5 Quoniam de differentia specifica in sanguine menstruo est sermo, offert se meritò consideranda eius forma substantialis, quæ, si diuersa foret, absquè dubio inferret specificam differentiam. Cæterùm sanguinem in vtero collectum mutare formam sanguinis, non audebo affirmare: acquirere tamen qualitates, quæ illum valde diuersum ab omni sanguine faciunt, constanter teneo. Hic esset agitanda quæstio, quæ nunquam inter autores medicos cessabit,

an san-

an sanguis menstruus sit excrementum peccans sola quantitate, an qualitate etiam. Si sola quantitate peccat, naturam seruat vniuersi sanguinis: quippe iccirco plethoricæ dispositioni conuenit sanguinis missio, quia sanguinis missio sola quantitate peccantem humorem, hoc est, sanguinem euacuat: si præterea qualitate peccat, iam poterit iure optimo dici degenerasse à sanguinis natura, quæ est mitis, & naturæ nostræ amica, atq; familiaris.

5 Multi sunt, qui irrideant ea venenositatis signa, quæ sanguinem menstruum comitari, diximus superiùs: aliqua enim ex ijs falsa esse prædicant, alia ad alias causas referunt: demum siquid venenosum in sanguine menstruo inest, id solum admittunt in mulieribus non sanis, quæ ex praua corporis dispositione possunt sanguini in venis vteri existenti communicare prauam aliquam qualitatem. Verùm in ijs, quæ falsa esse putant, falli se agnoscent, si rem experientiæ committant: siquidem nos multa experimento comperta habemus, plura ex alijs fide dignis accepimus; Quæ ad prauam fœminarum constitutionem referunt, non tollunt, mulieres etiam benè valentes praua etiam qualitate affectas purgationes menstruas habere: imò medicinam facientes testantur, mulieres optimi habitus, & valde sanas, si exigua qualibet seminis suppressione incipiant laborare, multò difficiliùs ægrotare, quàm valetudinarias. *Sup. q. 8. art. 1. nu. 5.*

6 Sed quoniam autoritate magnorum virorum vrgentur, semper confugiunt ad id, quod diximus, nempe magnos illos viros loqui de mulieribus malè sanis: quam tamen expositionem verba autorum non tolerant. Nam Aristoteles sic ait: *Sed omnium fœminarum maximè mulier sanguine abundat, & quæ menstrua appellamus, plurima fieri in mulieribus solent, quod genus sanguinis vitiatum, ægrotansq; fluit immodicè, atq; profluuium ob eam rem dictum est.* Nunquid hæc verba de solis mulieribus, quæ non prospera sanitate fruuntur, intelligenda sunt? At Philosophus ibi non agit de mulieribus, comparando has cum illis, sed comparando omnes cum animalibus brutis. Et paulò infra habet hæc verba: *Paucis item mulieribus fiunt mariscæ, atq; varices, aut è naribus profusio sanguinis, & si quid eorum acciderit, detrimentum in menstrua decumbit.* Non ne hæc verba satis indicant sanguinis menstrui prauitatem, quæ quocumq; decumbat, nocumentum infert? Vnde Hippocrates, *Si menstrua plura fiunt, accidunt morbi, & si non fiunt, ex vtero morbi contingunt.* Galenus hanc prauitatem prædicat, dum ait, *Cum enim natura, quæ fœtum format, augetq; vteri gerendi tempore optimum sanguinem trahat, relinquitur portio in venis deterrima, quæ post partum excernitur, vel singulis mensibus superflua, & inutilis, non solùm quantitate, sed etiam qualitate, quæ sanguine secundùm naturam habente, magna ex parte nigrior est.* Ex his Galeni verbis colligere possumus, sanguinem menstruum (quod supra quærebamus) differre specie ab alio sanguine: siquidem vtrumq; inter se opponit ea oppositione, quæ est inter naturale, & præter naturam. *Ar. 3. de hist. an. c. 9.* *H. 5. aph. 57.* *G. de atra bile c. 8.*

7 Negant, veram esse sententiam Auerrois, ab insigni medico Zaharam acceptam: quippe, & ipse Auerrous præter illius medici testimonium, experimento etiam didicit: nempe propter coitum cum muliere menstruata fœtum gigni lepra infectum. Cœterùm obstinatæ naturæ est ijs, quæ possibilia sunt, & à magnis viris, affirmata, nolle fidem habere. Habeant saltem fidem sacræ paginæ, quæ mulierem, dum menstrua fluunt, attrectare, nefas esse censet; Nam in Leuitico sic habetur: *Ad mulierem, quæ patitur menstrua, non accedes, nec reuelabis fœditatem eius:* & alibi. *Qui coiuerit cum muliere in fluxu menstruo, & reuelauerit turpitudinem eius, ipsaq; aperuerit fontem sanguinis sui, interficientur ambo de medio populi sui.* Et in iure canonico: *Hæ autem sciant, quæ filios suos ex praua consuetudine, alijs ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus prius transierit, viris suis non debent admisceri: quippe, & sinè partus causa, cum in menstruis consue-* *Auerr. collíget. lib. 3. c. 7.* *Leuit. c. 18.* *c. 20.* *Decret. distinct. 5. c. 1.*

tis detinentur, viris suis misceri prohibentur, ita vt lex sacra morte illam feriat, si quis vir ad menstruatam mulierem accedat. Theologi etiam hunc concubitum reprobant: & quamuis pœna mortis, quæ ei erat annexa, cessauit, quoniam hoc præceptum erat ceremoniale, vt obseruat Sotus, nihilominùs in lege gratiæ peccatum esse reputatur. Vnde D. Thomas, prohibitum esse, ait, viro ad menstruatam accedere vxorem: & similiter prohibitum mulieri, in tali fluxu debitum petere, si purgatio sit naturalis. Sotus hoc ita explicat, vt veniale sit peccatum, si à viro debitum petatur, non tamen ex parte mulieris, si reddat: quia ex Apostoli sententia, potestatem sui corporis mulier non habet, sed vir. Caietanus eandem sententiam sequitur, rationem reddens, quia nemo facit iniuriam, qui vtitur iure suo. Nihilominùs Scotus, & ex parte viri, & ex parte mulieris peccatum mortale esse, existimat; Tum quoniam in lege veteri erat hoc prohibitum sub pœna mortis, quæ non imponitur, nisi pro peccato mortali, tum quia proli fit iniuria: est enim contra bonum prolis, cum medici existiment, fœtum, inde oriturum, lepra infectum.

D. Thom. in 4. distin. 32. art. 2. quæstiuncula 2. D. Paul. ad corinth. ep. 1. c. 7. Scot. in 4 d. 32. q. vnic. etiam D. Bonauent. idem substinet; vt illũ citat Tataretus in 4. d. 32. q. vnica

8 Sed quid respondent ad hoc? Nempe non esse peccatum, quia proles infecta oritur ex concubitu cum muliere menstruata, vel quia tempore menstruorum semen viri in illa multitudine humiditatis suffocatur, vel extra, simul cum sanguine menstruo, rapitur. Verùm oportet sciant, hanc rationem, ab eis traditam, non esse efficacem: quippe concludit, coitum illum damnari, quia ex illo non sequitur finis coniugij, hoc est, generatio prolis, siquidem tunc semen extinguitur: quod dupliciter frustra dictum censeri debet: tum quia non est infallibile, prohiberi generationem, si mulier sit menstruata, contingit enim (neq; est aliqua ratio, cur impossibile sit) ex tali coitu prolem gigni: tum etiam, quia si hoc ita esset, etiam coitus cum vxore, extra ætatem concipiendi constituta, damnabilis esset, quod neutiquam verùm est. Quamuis autem Hippocrates dicat, *Quæ vteros habent humidos, non concipiunt*, hoc intelligitur de humiditate morbosa: atq; etiam dixit, *Non concipiunt*, hoc est, non solent concipere.

Hip. 5. aph. 62

De causa efficiente, & finali menstruorum.

Articulus Secundus.

1 PArmenides, & Democritus, menstruorum efficientem causam calorem esse, existimarunt. Huius opinionis fundamentum erat, quoniam mulieres viris calidiores esse, censebant, ac proinde exuberante calore multum sanguinis gignere, qui ob suam multitudinem superfluit, superfluensq; naturam grauat, & ad expulsionem compellit. Verùm hanc opinionem superiùs impugnauimus, quam antiquitùs etiam impugnauit Aristoteles, neq; credibile est, Hippocraticam fuisse: iccirco liber de morbis mulierum, in quo scripta legitur, ad spurios reijcitur. Cum ergo falsum sit fundamentum, constetq; mulieres viris frigidiores esse, falsum quoq; est; quod in eo fundatur, nempe calorem esse causam, cur sanguis in muliebri corpore redundet, & ex hac redundantia sequatur euacuatio sanguinis ex vtero, quæ mulieribus, singulo quoq; mense, si sanitate fruuntur, contingere solet. Malè igitur Capiuaccius, sanguinem menstruum definit inquiens, *Sanguis menstruus est excrementum sanguineum genitum à calore fœminæ propter speciei conseruationem:* quamuis enim infra se explicans dicat, *Causa efficiens est calor fœminæ remissior, quàm calor maris*, tamen neq; sic saltem improprіæ loquutionis notam delet: neq; enim sic loquitur Galenus ab eo citatus, sed semper frigiditati fœminarum tribuit, quòd menstruis euacuationibus expurgentur.

Capiuac. lib. 4. c. 2.

tur. Nam qui dicit fœminarum calorem minorem, quàm virorum, esse causam, vel sumit calorem, vt est calor; & tunc magis deberet excoquere sanguinem, quàm eius magnam partem relinquere inconcoctam: vel prout calor minor, quàm oportet, & sic assumit priuationem quandam pro causa: quippe hæc conditio, nempe vt calor sit minor, importat secum priuationem eius gradus, ad quem peruenire debuerat.

2 *Ad generandum*, inquit ille, *sanguinem excrementitium superfluum, opus est quidem calore generante, non autem dissipante, ac dissoluente.* Verùm ille, dum ita loquitur, Galeni abutitur autoritate: quippe ad aceruandum sanguinem superfluum, non conuenire, ait, calorem dissoluentem, sed concludit sic: *Frigidiorem eam* (nempe fœminam) *eo vsq; fieri satiùs fuit, quoad alimentum, quod coxisset, ac confecisset, totum discutere non posset: quod enim est frigidius, ne concoquere quidem potest: quod verò plane est calidum, vt concoquere, ita discutere validè potest. Quod igitur non ita multum ab exquisitè calido relinquitur, & coquere satis, vt quod non ampliùs est frigidum, & relinquere aliquid superfluum potest, seu quod non vehementer adeò sit calidum. Hæc igitur est frigiditatis fœminæ vtilitas, quam mox sequutura erat partium imperfectio.* Ita loquitur Galenus. Neq; est, cur putet aliquis, rectè Capiuaccium fuisse loquutum: siquidem in confectione huius sanguinis, aliquas partes habet fœmina caliditatis: habet quidem quatenus sanguificatio est actio viuentis, & calore pro instrumento vtitur. Cæterùm si eo, quòd calor aliquis concurrit, tribuenda est actio illa caliditati, frustra dabimus in viuente temperamentum frigidum. Verùm quoniam hæc difficultas ad quæstionem de nomine reduci potest, relinquenda est. Loquendum tamen cum doctioribus, Hippocrate, Aristotele, Galeno, qui omnes dicunt, mulierem non posse, propter suum frigidum temperamentum, totam alimenti vltimi molem conficere, neq; in nutriendorum corporum substantiam conuertere. Quare quod residuum est, paulatim in venis, quæ vtero accedunt, colligitur, donec natura eo oppressa, euacuationem ad sui ipsius leuamen molitur. Accedit autem sanguis ad hanc quantitatem, quæ naturam excitet ad expulsionem spatio, vt plurimùm, triginta dierum, vnde menstrua purgatio, quam etiam mensium nomine designamus, nomen accepit. G. 14. de vsu p. c. 6.

3 Frigiditas, quæ præcipua est menstruæ purgationis causa, non solùm eo modò quo dictum est, nimirum propter impotentiam coquendi, & perfectè in nutriendi corporis substantiam mutandi sanguinem, sed aliter etiam occasionem huic euacuationi præstat: quippe fœmina non solùm, quia imbecillius animal est, excrementis redundat (& hæc prima occasio, ob quam frigiditas dicitur causa menstruorum) sed etiam, quia omnium infirmissimas (vt Galenus ait) genitales partes habet, vnde in eas facilè redundans sanguis fertur: & hæc est secunda occasio. Habere autem fœminam partes genitales imbecillas, idq; à frigiditate temperamenti procedere, vniuersim à medicis scriptoribus est dictum: quippe membra genitalia fœminis propter frigiditatem temperamenti intus latere aiunt. In huius rei confirmationem afferuntur historiæ mulierum, quæ vi caloris, genitalia extrudentis, in viros fuerunt conuersæ. Tertia occasio, cutis densitas, ob quam pauca fit transpiratio, & hæc etiam à frigiditate est. G. 2. de semine c. 5.

4 Accedit altera ratio, ob quam fœminæ menstruantur: ea est sedentaria vita, quam Galenus non silint: quippe ait: *Muliebre genus, vt quod domi ageret, neq; vehementibus laboribus exerceretur, aut sub claro sole viueret, ac ob vtraque hac multitudinem humorum coaceruaret, ipsam euacuationem plenitudinis, tamquam remedium naturale, obtinere opus habebat.* Hinc addiscimus, cum Hippocrates ait, si menstrua non procedant, ab vtero fieri morbos, intelligi debere cum addito *vt plurimùm*: quippe hæc sententia vna ex ijs est, quæ, cum exceptionem patiatur G. aduers. Erasistratum c. 5.

tiatur, non est infallibilis veritatis. Rusticanas fœminas & Brasauolus vidit, & plerique alij se vidisse testantur, queis nunquam fluxerunt menstrua, & tamen sanæ, fœcundæque vixerunt. Hactenus de efficiente.

5 Ad efficientem causam necessariò accedit finalis: quippe agentia naturalia agunt propter finem: at ex prædictis Galeni verbis constat, menstrua esse remediũ naturale, quod etiam probatur ex eo, quòd cum omnes sanguinis euacuationes symptomata sint in excretis toto genere præter naturam, hæc solùm, quæ fit per vterum, si non excedat, non est præter naturam: si excedat, erit quidem symptoma, sed (vt Galenus ait) non toto genere præter naturam, sed quantitate tantùm. Cum igitur isthæc euacuatio naturalis sit, debet esse propter finem.

Gal. 3. symp. caus. c. 2.

Ar. 2. de gen. an. c. 4.

6 Aristoteles contrariam omnino Galeni opinioni opinionem habet. *Venarum* (inquit ille) *multitudo tenuium in vterum desinit, quibus alimento expletis, naturaque; præ sua frigiditate, facultatis coquendi indiga, transfunditur in vterum propter venarum tenuitatem, cum præ angustia nequeant exuperantiam continere. Itaque; affectus hic veluti mariscæ, aut alia profusio sanguinis euenit.* Hinc colligitur, menstruam euacuationem, quam Galenus ab aliarum sanguinis vacuationum lege excipit, Aristotelem non excipere, sed omnes vnam, & eandem legem subire vult. Quòd si aliquis Philosopho obijciat, non videri naturæ conueniens, vt id, quod ordinatè, & statuto tempore, non sinè vtilitate patientis accidit, appellare symptoma, & inter symptomata, quæ sunt in excretis toto genere præter naturã, recensere, respondebit alter pro eo, leonem etiam toto vitæ tempore quartanam pati, & mariscas, si moderatè profluant, vtiles esse ad sanandos morbos ex Hippocratico decreto, & hæmorrhagias soluere causones.

7 Nihilominùs fœminarum non symptoma, sed euacuatio naturæ rectè operantis est, quæ, si excedat, vel deficiat, tunc ad res præter naturam delegatur: interim dum moderatè, ordinatèque; procedit, sequitur ad opera naturæ, ac proinde est naturalis. Neque; mihi dicat quispiam, non sequi ad opera naturæ rectè operantis, sed ad operantis diminutè propter frigiditatem: nam respondebo, eam frigiditatem, ad quam sequitur mensium aceruatio, esse temperamentum fœminarũ naturale: multipliciter enim temperamentum consideratur, vt temperamentum ætatis, temperamentum sexus, &c. Est ergo frigiditas isthæc temperamentum debitum fœmineo sexui. Galenus igitur duos nobiles fines sanguini menstruo attribuit: inquit enim, *Fœtus ipse materiam postulat copiosam, non modo ad primam sui constitutionem, sed ad omne deinceps incrementum.* Duæ igitur hæ causæ à Galeno assignatæ, nempe fœtus formatio, & eiusdem alitio, fines quidem sunt, ad quos respexit natura communis, cui sobolis propagandæ cura incumbit: ac proinde statuit, vt fœminæ viris sint frigidiores, quoniam sic in eis abundat sanguis, futurus fœtui, & materia, & alimentum. Nihilominùs finis, quem sibi natura particularis proponit, in hac euacuatione menstrua, idem est cum fine, quem habet in alijs naturalibus, quotidianisque; euacuationibus, videlicet, vt à molestia, quã sentit, liberetur. Ratio autem, cur reliquæ excretiones fiant quotidie, hæc verò non nisi singulis mensibus, est, quia reliquæ qualitatem habent irritantem, quæ in qualibet quantitate potest agere: sanguis verò, peccans quantitate, non irritat, nisi cum ad eam quantitatem peruenit, quæ non ampliùs valet tolerari. Quando autem Aristoteles ait, menstrua nullo circuitu certo describi, posset intelligi, quia, vt inquiunt Aetius, & Auicenna, inter vnam, & alteram purgationem viginti duo intersunt dies, ad summum triginta: quare alijs intersunt viginti quinque, alijs viginti septem, & sic inter duos illos terminos nihil certum potest præscribi. Cæterùm Aristoteles non ita incertitudinem accepit: siquidem, paucis menstrua singulis mensibus moueri, ait: non recipit ergo eius dictum excusationem: quippe reluctante experientia loquitur. An verò descrescente Luna fiant, & cur decimo-

G. 14. de vsu par. c. 6.

Ar. 2. de gen. an. c. 4.

Ar. 4. de hist. an. c. 2.

quarto

quarto incipiant, finiant quinquagesimo, alijs disputandum relinquo. Itaq; concludendum est, finem expurgationis menstruæ esse à natura particulari ad vtilitatē mulieris: finem verò aceruationis istius excrementi esse à natura vniuersali ad vtilitatem propagationis humanæ naturæ. Cæterùm excrementum dici vtile, tum quia sanguis est, qui saturatis iam membris redundat, nihil ab vtili sanguine differens, tum quia ad prædictam humanæ prolis propagationem est vtilis.

Quid conferat sanguis in generatione.

Articulus Tertius.

1 PEllitur sanguis in vterum, quia non potest totus à frigidiore fœmina confici, non quia calidus est, vt perperam existimat Capiuaccius, qui volens, nolens in Democriti, & Parmenidis errorem incidit, & forsan maiorem: nam illi dicebant, fœminas esse calidiores viris, ac subinde habere sanguinem calidiorem: iste autem, putans se eis contrariari, ait, non habere sanguinem calidum, quia sunt calidiores, sed ideo esse calidiores, quia habent sanguinem calidiorem. Si verò quæramus ab eo, cur habent sanguinem calidiorem, respondet, quia sunt calidiores calore ascititio, non autem naturali. Vnde mihi videtur velle, fœminas semper calore præter naturam (talis ascititius est) laborare. Porrò relicto Capiuaccio, tam autores, qui in sanguine mēstruo nullam prauam qualitatem agnoscunt, quàm alij, qui in eo venenositatem reperiunt, sanguinem expelli dicunt, non ob prauam qualitatem, sed ob excessum quantitatis. Priores quidem ita sentire manifestum est: quippe cum in eorum doctrina sanguis ille, sicut reliquus, mitem habeat naturam, & naturæ nostræ amicam nullam habet qualitatem, qua ad sui expulsionem naturam irritare queat; quare superest, vt sola quantitate molestet. Posteriores autem, quoniam tametsi praua qualitas sanguini huic insit, quam acquisiuit conculcatus iuxtà oscula venarum, quæ in vterum hiant, tamen ista qualitas multitudine inculpati sanguinis suffocata non potest emergere ad stimulandum: prætereà prauitas sensim acquisita non stimulat naturam. Argumento esse potest id, quod iam sæpius, à Galeno acceptum, diximus, nempe posse per longum tempus venenum in aliqua corporis nostri parte latitare, nec effectu aliquo pernicioso se prodere, nisi postquàm superueniente aliqua agitationis causa mouetur versùs cor. Argumento etiam esse possunt variolæ, & morbillæ, quæ ex Arabum doctrina ab huius sanguinis prauitate nascuntur, & tamen prauitas delituit à tempore generationis ad tempus, quo exanthemata apparuerunt: quod spacium non paucorum annorum esse solet. Sed de hoc iam superiùs in contextus explicatione satis manet dictum. Capiuac. G.6: loc: aff.

2 Sanguis non attrahitur ab vtero ex longinquo: quippe attractrix facultas vteri non est validior, quàm cæterorum membrorum, sed à membris saturatis reijcitur. At cum iuxtà vterum in osculis vasorum consistat, si semen in vterum proijciatur, proiectum sua vi magnetica, qua pollet, illum ex osculis ad se trahit: inest namq; semini facultas (vt Galenus testatur) qua format, auget, nutritq;, ac proinde etiam qua nutrimentum sibi ipsi aptum trahit. Siquis verò dicat, sanguinem non esse seminis nutrimentum, dicente Galeno, *Non enim sanguis menstruus prima, ac propria est gignendi animalis materia*, respondeo, non esse primam, ac propriam comparatione seminis, quod priorem, & magis propriam materiam generationi animalis materiam præstat. Sed quod nam semen? Virile ne, an fœmineum? Profectò vtrumq;: nam vnum sinè alio non semen perfectum, & integrum, sed potiùs imperfectum, & partem seminis appellabo. Præstat igitur semen G.1.de semin. c.6. & 2. de natur. facult. c.2.c.3.c.6. G.14.de vsu par.c.3.

statim

statim materiam, ex qua cyema conficitur; quod, vt commodius fiat, matrix ipsa, *Quàm celerrimè semini vndiq; adhæret; collum autem totum conniuet, & eius maximè internum orificium: qui verò humor matricis asperitates illinit, toti superficiei interna subtensus membrana tenuis efficitur.* Asperitates autem istæ fiunt ab orificijs venarum, quæ quamplurimæ in vteri superficiem internam hiant, *per quas* (vt Galenus ait) *sanguis expurgatur, qui in conceptibus retinetur, ceditq; in alimentum fœtui, & formationem.* Necessarium autem valde est, sanguinem expurgari: quippe tota illuuies scatens est, neq; nos (vt iam diximus) assentimur ijs, qui, sanguinem menstruum purum esse, dicunt: nihilo verò magis purus est ille, qui gestationis tempore asseruatur, dicente Galeno, naturam generandi tempore optimum sanguinem trahere, relinquere autem portionem in venis deterrimam, quæ post partum excernitur, vti singulis mensibus superflua, & inutilis, non solùm quantitate, sed etiam qualitate, qua sanguine secundùm naturam habente, magna ex parte nigrior est. Neq; verò contrariamur ijs, quæ superiùs dicta manent, nempe sanguinem sola quantitate molestare: nam iam superiùs non semel diximus, qualitatem istam non esse, quæ ad expulsionem irritat ob rationes, quas nunc repetere esset tædiosum.

Gal. introduct. c. 11.

Gal. de atra bile c. 8.

Ar. 2. de gen. anim. c. 6.

3 Habet ergo sanguis menstruus (vt Aristoteles inculcat) in se plurimum humoris inutilis, à quo expurgari consentaneum est: imò sic expurgatus diuersas habet partes, quarum præstantiores membris nobilibus efformandis inseruiunt, minùs præstantes ignobiliores. Monstrat hoc Philosophus exemplo patris familias, qui filijs optimum præbet cibum, deteriorem seruis, & sic deinceps.

4 Porrò sanguis ad vterum delatus, vteri parietibus inhærenti semini permiscetur: inhæret vtero propter asperitatem, & hæc est ratio, quare & cum menses incipiunt, & cum desinunt, tempus concipiendi opportunum est. Cæterùm quoniam iam superiùs dictum est, semen & efficiendi vim conferre, & materiam fœtui, sanguinem verò materiam præstare, nemini tàm in Aristotelis, quàm in Galeni schola educato dubium esse potest. Dubitatio duntaxat remanet, an sanguini quoq; aliqua efficiendi vis insit. In hoc aliqui contradictionis reum Galenum statuunt, à qua illum superiùs liberare tentaui, quod an præstiterim, aliorum iudicium esto. Illud solùm aduerto, cum ab eo sit dictum, in semine effectiuum principium validissimum esse, frustra addidisse, sanguinem quoad agendi facultatem debilissimum reperiri. Nam non est, cur seminis vis efficiens validissima suppetias expectet à sanguinis vi debilissima, neq; vllo modo probare potest, vim vtriusque seminis simul suptam non tanti esse, quæ possit absq; illo exiguo sanguinis auxilio efficere, quod efficere debet: neq; multiplicare oportet efficiendi principia, maximè quoniam si sanguis corrumpat semen, sicut semen corrumpit sanguinem, vnumquodq; istorum erit agens totale respectu alterius, & partiale respectu fœtus; At nunquam in rebus naturalibus contingit, vt vna, & eadem res sit agens partiale respectu totius substantiæ, & totale respectu partis eiusdem substantiæ. Tandem si sanguis menstruus virtutem opificem habet, membra sanguinea puerorum semper referent similitudinem matris, quod est contra experientiam. Verùm, vt dici solet, satis de quercu.

TEXT.

TEXT. XXXXI.

Viuificantur non animalia, viuificantur animalia, viuificantur partes animalium.

COMMENT.

Existimat Cardanus, sententiam istam longè à proposito esse, non tamen mihi ab instituto videtur aliena: cum enim egerit de alimento animalis maximè proprio, doctrinam efficit magis vniuersalem, alimétumq; ad animalia, & non animalia, & partes animalium extendit.

Viuificantur non animalia. Fracantianus, non intelligi debere, ait, nomine non animalium plantas: siquidē hìc non agitur de plantarum alimento. Rectè eum redarguit Cardanus: nam etiam non agitur de alimento brutorum. Nullum ergo inconueniens est, si dicamus Hippocratem voluisse, quasi encomium quoddam alimenti tradere, videlicet omnia, quæcumq;, & quomodocumq; vitam habent, eam per alimentum habere.

Porrò viuens genus est comprehendens sub se animalia, & non animalia. Si quis verò dixerit, hìc etiam comprehendi lapides, & metalla (siquidē omnia sunt non animalia, cum negatio non sit, vti est priuatio alicuius formæ negatio, sed omnium vniuersaliter, sic non homo est lapis) respondeo, hìc non animal oppositum animali negare solùm id, quod est animal, non autem id, quod est viuens: quare non animal dicemus esse id, quod cum viuens sit, animal tamen esse negatur. Si quis autem quærat, quidnam sit id, quod viuens est, non tamen animal, respondebo, esse plantas: quod indicat aristotelicus loquendi modus cum inquit, *Quod pariter indicant animalia, & planta:* quibus verbis, animalia, & plantas res diuersas esse, insinuat.

Sed objiciet aliquis, plantas anima altrice præditas esse: quare immeritò eas animatas esse negamus. Respondeo, facultatem altricem, quæ etiam vegetabilis, & naturalis appellatur, animalibus ab anima esse, ac proinde quodammodo animæ facultatem dici, in plantis verò inesse naturam: vnde Galenus, *Animal quidem ab anima simul, & natura gubernari dicimus, stirpes à sola natura tum auctionem, ac nutritionem naturæ esse opera, anima nequaquā.* Gal. 1. nat. facult. c. 1. Sic Galenus: qui tamen licet sensus & motus propria animalium esse, auctionem verò, & nutritionem plātis etiam communia esse, dicat, nihilominus qui plantis quoq; animam impartiat, atq; alterum ab altero separans hanc naturalem, illam sentientem appellet, nihil diuersum quidem dicere affirmat: adiungit tamen, *Sed loquutione insueta vtetur.*

Itaq; non animalia vitam accipiunt, nempe per nutrimentum: quippe in hoc conueniunt cum animalibus, hoc est, in virtute augendi, & nutriendi: & hæc non animalia tunc solùm viuentia reputantur, cum nutriuntur. Hinc illis aduenit & accretio, & decor, & frugifera potestas.

Viuificantur animalia. Quippe animalia non cognoscuntur viuere, nisi dum aluntur. Iacent animalia somno sopita, & imagine mortis oppressa, iacent alia tota hyeme in latebris, mortuorum instar, immota. Quid habent viuentis tunc temporis? Nihil aliud, nisi nutritionem, quæ non dormit, non cessat, neq; ferias habet, quas illi Satyrus donauit. Quare non animalia viuunt per alimentum, quoniam ex eo, quòd aluntur, viuere se indicant: animalia viuunt per alimentum, quia tandiù viuunt, quandiù nutriuntur.

Viuificantur partes animalium. Nempe substātia, quæ nec est animal, nec non animal, sed pars animalis, hoc est, semen: neq; est præter mentem Galeni, semen inter partes recensere: G. 1. alim. facult. c. 1. aliquando enim plantas diuidens in suas partes, radices, caules, folia, fru-

ctus, addit & semina. Quòd si semina sunt partes plantarum, cur etiam animalium non erunt? Non quia non viuunt, nam saltem potentia vitam habent: neq; ex eo, quòd non est organicum, negabimus, esse animatum: nam eo modo, quo est animatum, est etiam organicum, videlicet in potentia. Deinde organizatio non requiritur in partibus similaribus, alioquin & ossa, & neruos diceremus anima carere.

Possumus praeterea dicere, res non viuentes, vt saxa, viuentis conditionem subire, dum suo modo nutriuntur: quippe ignem nutriri, dixit Philosophus: quòd si dicamus, non viuentia nutriri per iuxta positionem, respondebitur, etiam nutritionem viuentium esse per iuxta positionem. At differentia est maxima: nam non viuentia nutriuntur per iuxta positionem extrinsecam, viuentia per intrinsecam: viuentia nutriuntur praecedente resolutione, non viuentia verò minimè: viuentia trahunt alimentum, quod commutare debent, non viuentia verò minimè.

TEXT. XXXXII.

NAturae omnium nullo doctore vsae sunt.

COMMENT.

PRosequitur communem doctrinam, tàm non animalia, quàm animalia, quàm partes etiam animaliū alimento viuificari, ostendit nunc omnia à natura sua habere electionem alimentorum: quippe vnaquaeq; species animalium conueniens sibi alimentum agnoscit. Ex seipsis ergo, & nùn ab alio edoctae naturae agunt. Vnde Hippocrates, *Inerudita*, inquit, *& indocta natura, quae opus sunt efficit*: indoctam appellat, quam in praesens ait, esse sinè doctore. Hic paululum commorari esset operae pretium, & in hoc mundo magno, quasi in libro exactissimo, diuinae prouidentiae admirabilia documenta legere. *Quis praeparat coruo escam*, inquit Iob, *quando pulli eius clamant ad Deum vagantes, eò quòd non habeant cibos?* H.6. epid. sect. 5. tex. 2. Iob c.38.

Caeterùm quoniam, vt ait Philosophus, admiratio peperit scientiam, ex hac admiratione possunt praeclara ingenia philosophandi occasionem accipere. Galenus circa hanc doctrinam innatā versatus, non video, quòd aliud profecerit, nisi exempla accumulando, admirationis causam augere. G. tum.6. epid. cit. tum. 1. de vsu part.

Vnum tamen hic mente tenere oportet, videlicet valde necessariam esse medico continuam huius indoctae naturae speculationem, tum ad conseruationis, tum ad curationis opus: ad cōseruationem quidem, quoniam bruta, quae instinctu naturae sibi proficua pascua quaerunt, & rationem vitandi nocua agnoscunt, nos poterunt manu ducere, ad curationem: quia remediorum, quibus in medicina vtimur, brutis accepta referenda sunt.

QVID SIT NATVRALIS INSTINCTVS.

QVAESTIO DECIMA.

1 AGI homines ratione, bruta naturae instinctu, communissima sententia est: non tamen defuerunt aliqui arcanorum naturae speculatores, quibus ab hac valde trita via placuit recedere. Deinde etiam inter eos, qui instinctum naturalem, quem innatam quoq; doctrinam appellant, non negant, quid sit, & in quo consistat, non planè constat: nec mirum: res est valde difficilis, & quae admirationem potiùs, quàm demonstrationem recipit.

Opinio

Opinio eorum, qui, brutis quoq;, velut hominibus, rationem inesse contenderunt.

Articulus primus.

2 Dialogum Plutarchus scripsit, quem *An brutis quoq; insit ratio* inscripsit: in eo gryllum, in quem homo Circæis poculis fuit transmutatus, cum Vlysse disputantem inducit, & sophismatum laqueis vtentem, quibus tamen Vlysses non se irretire est passus. Videtur tamen mihi ipsemet Plutarchus irretitus: siquidem in opusculo de animantium comparatione infinitis propemodùm brutorum solertiæ exemplis vtitur, quæ non sinè admiratione legi possunt, ibiq; virtutes his, prudentiam, iustitiam, & alias concedit, ac prorsus ex eius dictis quàm ad cognoscendam in animantibus rationem inclinet, facilè colligere est. *Plutarch.*

3 Ne autem adhuc à Plutarcho recedamus, philosophorum placita nobis offert, qui ita sentiunt. *Anaxagoras*, inquit ille, *animalia prædita esse cuncta ratione agente: at passiua veluti mente, quam mentis dicunt interpretem, carere. Pythagoras, Plato, rationales esse rationis quoq; expertium animantium appellatorum animas, licèt cum ratione non agant, ob corporum intemperiem, tum quòd deficiantur disserendi facultate, vt in simijs cernere est, & in canibus: blaterant enim hæ animantes, non disserunt. Diogenes compotes animantes esse intelligentiæ, & aeris: verùm quia partim eorum astrictiores sunt, partim redundant humore, non intelligere eas, neq; sentire, verùm furentium modo affici animæ hallucinante principatu.* Hactenus ex Plutarcho. *Plutarch. de plac. li. 5. c. 20*

4 Porphyrium etiam in hac hæresi fuisse, constat: qui naturam omnibus animantibus, quibus sensum, & memoriam dedit, rationem quoq;, imò & orationem tàm internam, quàm externam tribuisse, ait: eius etiam, & aliorum relatu, Melampus, Tiresias, Thales brutorum sermones intellexisse feruntur: & Apollonius ille Thyaneus, qui multum ætheris in anima gerebat, ac propterea & diuinandi scientia erat præditus, & plurima supra communem hominum captum est assequutus, vnde auium sermones se intelligere iactabatur. Vtrumq; sit communi consensu receptum est, eum tam volucrum, quàm reliquorum animalium linguas calluisse, ex quo constat, posse bruta inter se colloqui, præcipuè volucres, quæ mutuis cantilenis videntur, & alloqui, & respondere. *Porph. 3. de abstinent.* *Supra sect. 2. pag. 250.*

5 Cæterùm vt virtutum quædam signa omittamus, quæ multi contemplantur, rationibus potest brutorũ ratio confirmari: neq; enim videtur instinctus animaliũ sinè rationali facultate posse dari: quippe animalia, quæ agunt instinctu, agunt nihilominùs propter finẽ (non sicut reliqua naturalia agẽtia, quæ potiùs dicuntur dirigi ad finem à primo motore, quàm agere propter finem) sed agunt propter finẽ sibi cognitum: quod probatur, tum quia à bono sibi conueniente, & cognito, metaphoricè alliciuntur, atq; ita in illud tendunt per actum à se elicitum, & causatum, ab illa metaphorica allitione. Quare motio illa est aliqua realis causalitas, quæ alia esse nequit, quàm finalis: tum etiam quia vt consequantur obiectum illud, quod appetunt, media à se etiam cognita tanta industria quærunt, tanta auiditate apprehendunt, vt planè indicent se cognoscere, conferre illa media ad illum finẽ. In hoc autem duo rationis indicia effulgere videntur: primum in electione mediorum, quæ sensuum capacitatem excedit: alterum, quia causalitas finis (iuxtà meliùs sentientes) sit secundùm esse reale: tamen qui ita sentiunt, esse intentionale in causalitate ista esse conditionem sinè qua non affirmant: at esse intentionale non datur, nisi vbi intellectus operatur.

6 Alia etiam est ratio, quæ hoc idem persuadet: nam non est impossibile, bruta

in suo instinctu habere rei vniuersalis cognitionem: vniuersale autem pertinet ad *Gilbert. Crat.* intellectum, neq; enim sensus vniuersalium est capax. Probat Gilbertus Crat, vniuersalia posse agnosci à brutis hac suppositione. Producatur, inquit, equus, aut bos in vacuo: famelicus appetet cibum, non hunc, aut illum: nullum enim, ex hypothesi, anteà viderat: igitur appetet omnem cibum, qui priùs debet intelligi, posteà appeti: intelliget ergo rem vniuersalem. Ille hinc probat, vniuersale posse cognosci à sensu: sed meliùs probatur, vniuersale, quod nisi ab intellectu cognoscitur, cognosci à brutis, quæ ideo intellectu prædita esse, existimanda sunt.

7 Tertia ratio; Futurorum præscias volucres esse, constat, quarum aliquæ ab antiquis oscines appellabantur, quia voce augurari solent, aliæ præpetes, quæ vo- *ÆEneid. 3.* latu, vt obseruauit Seruius ad illud Virgilij carmen,

Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.

8 Quarta ratio; quia artes exercent, quas hominum genus docuerunt, vt aranea textoriam, hirundo architectonicen, grues militarem, & multa alia, quæ ex artis præceptis, & non nisi ratione, viam monstrante, fieri possunt. Quin & faci- *Pl.li.10.c.42* lè addiscunt, quod ingenij vim ostendit, vnde Plinius, *Humanas*, inquit, *voces reddunt psittaci, etiam sermocinantes; expressior loquacitas certo generi picarum est, adamant verba, quæ loquantur, nec discunt tantùm, meditantesq;, intra semet cura, atq; cogitatione intentionem non occultant. Constat emori victas difficultate verbi, ac nisi subinde eadem audiant, memoria falli, quærentes mirum in modum hilarari, si interim audierint id verbum.* Hoc indicat addiscendi studium; Sed quod magis est, maiusq; præbet rationis argumentum, etiam docent. Luscinia *Ar.4.hist. an. c.9.Plin.l.19 c.29.* (Aristotele, & Plinio testibus) pullos suos vocem ad numeros modulari, & ad omnem concentus varietatem, atq; artifices argutias flectere, prædocet; *Meditantur iuniores, versusq; quos imitentur, accipiunt: audit discipula intentione magna, & reddit, vicibusq; reticent. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehensio.* Et non solùm alias docent, sed se ipsas erudiunt, vt pica (de *Plutarch.* qua scribit Plutarchus) quæ, garrula, cum esset, multos deinde dies muta, in se se meditata tibicinum, quas audierat, modulationes, & pulsationum numeros, atq; omnes mutationes expressit, nemine cogente, docenteuè; *Vt inde intelligi possit* (inquit idem) *in animalibus facultatem à se ipso discendi, rationis maiorem habere vim, quàm docilitatem magistro aptam.* Hic etiam commemorandæ veniunt plurimæ aliæ volucres, quæ mira rationis documenta exhibuerunt. Agrippina, coniux Claudij Cæsaris, turdum habuit (quod nunquam ante) imitantem sermones hominum. Habebant Cæsares iuuenes sturnum, luscinias etiam græco, atq; latino sermone dociles; prætereà meditantes in die, & assiduè noua loquentes, longiore etiam contextu. Memorandus item est Coruus ille sutoris, qui omnibus matutinis euolans in rostra, Tiberium, deinde Germanicum, & Drusum Cæsares nominatim, mox transeuntem populum salutabat. Cornix etiam bætica *Plin.* non loquebatur, sed sermocinabatur. Hæc ex Plinio, qui addit, Diomedis aues propter insignem agendi intelligentiam existimatas fuisse Diomedis socios, græcis adulantes, quasi ex Diomedis genere pleno gutture, atq; madentibus pennis ædem *ÆElian.li.16 c.16.* quotidie perluentes, atq; purificantes. Scribit AElianus Memnonis aues, ad illius sepulchrum quotannis pugnare, quasi exequiarum iusta persoluerent. Quid dicemus de Memphiticis illis auiculis, quarum fide, & integritate vtebantur in peragendis sortibus, & educendis suo ordine syngraphis ex vrna, atq; legenti, & publicanti offerendis? Quid de accipitribus thracibus cum pueris, cum cæteris hominibus societatem aucupandi coeuntibus, qui nominatim vocati accedebant, *ÆElian. li. 2. c.42.* partemq; prædæ accipiebant, quod AElianus narrat, & Plinius? Autor item *Plin.l.10.c.8* AElianus est, Marrem AEgyptiorum Regem cornicem valde cicurem habuisse; *Ælian. li.15 c.37.* quæ postquàm audisset, quo volatus dirigendus, & quænam regio transeunda, &

vbi

vbi terrarum requiescendum esset, eò Regis litteras ocyus, quàm quiuis nuncius perferebat? Quid dicendum de perdice, callida, & astuta volucre, quę malitiosè cum venatoribus agit, vt inquit D. Basilius? Quid de apibus? De quibus Virgilius, *D. Basil. hom. 8. exam.*

His quidam signis, atq; hæc exempla sequuti,
Esse apibus partem diuinæ mentis, & haustus
AEthereos, dixere.

Quid de formicis? De quibus Cicero: in formica non modò sensus, sed etiam mens, ratio, memoria est. Sed de animalium historijs, quibus eorum rationabilis vis comprobatur, multa congerit pręter alios Alexander ab Alexandro. Quę adeò Porphyrium iam superiùs memoratum extulerunt, vt existimauerit, quędam bruta, ex differentia locorum, & maiore propinquitate ad intelligentias ęthereas, prudentiora esse, quàm homines. Proptereaq; Socratem, & Rhadamantum per animalia iurasse. Quintilianus, sermonem magis deesse, ait, cæteris animalibus, quàm intellectum. Laurentius Valla intelligentiam, quamuis non animam immortalem, concedit brutis. Cæterùm iste in sua dialectica canem Chrysippi imitatur, à cane superatur: nam canis in triuio, vbi olfactu inuestigans, quam viam fera accepisset, non hanc, non illam accepisse agnouit: quare optimè syllogizans tertiam viam suscepit, & feram inuenit. Valla verò in triuio se esse putans deceptus est: datur namq; anima immortalis cum ratione, datur mortalis irrationalis; tertia mortalis, & rationis particeps: quam ille se inire posse putauit, non datur. *Cic. de nat. Deorum.* *Alex. ab Alexand. lib. 1. c.* *Quint. l. 5. c. 3* *Valla. lib. 1. de dialect. c. 9.*

9 Cæterùm hic error, præter veteres philosophos, tenuit etiam posteà Manichæos, vt autor est D. Augustinus, & alios, quos refert Epiphanius. Crediderim, hanc hæresin ex animarum transmutatione, quam metempsichosin appellant gręci, dimanasse, cuius autor fuit Pythagoras: cum enim in hac secta, hominum animas corpora brutorum ingredi, & informare posse, concedatur, necessariò in eadem concedi debet, animas brutorum, quæ olim hominum fuerunt, rationales esse, quamuis ob intemperiem corporis, & organorum ineptitudinem ratione vti nequeant. Verùm rationem brutis, non nisi rationis expers homo admittet: neq; enim ea rationis documenta nos vlteriùs cogunt, quàm vt dicamus cum Seneca, brutis inesse intellectum, *Quòd nihil amplius, si intellexerint, facerent*. Quæ verba, dum, bruta intellectum habere, significant, simul indicant, non esse verum intellectum, si quidem adiungitur, *Nihil amplius, si intellexerint, facerent*, hoc est, si verum intellectum habuissent. Nec abhorret à sacræ paginæ loquutione appellare intelligentiam notionem illam, qua pollent bruta, vt cum dicitur, *Quis dedit gallo intelligentiam?* Quamuis verum intellectum brutis denegat, *Quibus non est intellectus*: neq; inter intelligentiam, & intellectum differentia vlla est. Sic etiam, prudentiam brutis tribuit Christus Dominus inquiens, *Estote prudentes, sicut serpentes*; prudentiam nominat naturalem serpentum sagacitatem. *Aug. l. 6. contra Faustũ & lib. 2. de moribus Manich.* *Epiph. lib. 1. tom. 3. hæres 42. scho. 1.* *Iob. 38. vers. 36.* *Ps. 31. & Tobias c. 6.*

10 Quòd autem rationalis potentia non conueniat brutis, potest deduci ex Aristotele, qui de potentijs agens, habet hæc verba; *Et quæ quidem cum ratione omnes, eædem contrariorum sunt; irrationales verò vna vnius*. Homo igitur potest in vtramq; partem disputare, bruta verò vnam duntaxat sequuntur notionem. Deinde propensiones vnusquisq; hominum habet suas, vnde Satyricus poeta, *Ar. 9. metaph. c. 3. tex. 3.* *Pers. sat. 5.*

Velle suum cuiq; est, nec voto viuitur vno.

Bruta non sic, sed omnes vulpes sunt subdolæ, omnes lupi prædatores, &c. Quæ nobis persuadent, brutorum instinctum à libertate rationis esse valde dissitum.

11 Ad argumenta superiùs diffusè, voluptatis ergo, tractata, breuis est responsio. Nam cognitionem finis aliquo quidem modo habere possunt ab instinctu naturali, non tamen ita, vt formalem rationem finis cognoscere dicantur, neq; rationem medij, quippe vnum cum alio conferre nequeunt, aut discernere obiectũ;

an con-

an conueniens sit per se, an per aliud; Hęc enim discretio opificum rationis est inter varia discernentis. Nec alicui videatur, canem illum Chrysippi inter varias vias in triuio discernere potuisse, syllogismumq; formasse: verùm naturam, quę ei olfactum, ad prosequenda aliqua, tribuit, tribuisse etiam sagacitatem, qua non nisi olfactu monstrante duceretur: sagacitas verò hęc adeò est admirabilis, vt dicat D. Ambrosius, canē in eo euentu sibi vim rationis asciscere, id est, humanæ mentis ratiocinationem imitari, vt explicant Conimbricenses, qui etiam verba D. Thomę dicentis, hæc animalium opera referenda esse ad inclinationem à diuina arte deriuatam, explicant, quasi dixerit, ad naturalem industriam, & instinctum.

D. Ambros. in exameron.
Conimbr. in lib. 2. physic.

12 Ad secundam rationem dicimus, equum in vacuo productum famelicum, sentire illam molestiam, & cupere ab ea liberari: quando autem ei hordeum offeratur, naturali instinctu feretur ad illud: neq; enim altiorem rationalis animæ potentiam inquirere oportet ad docendum animal famelicum, vt assumat hordeum, sicut pullus in lucem editus ad vbera matris, quæ nunquam viderat, præstò currit. Neq; hinc arguendum est, equum vniuersalium notitiam formasse.

13 Ad tertiam. Futurorum præcognitio, quam veteres superstitione ducti ab auibus inquirebant, vnde auspicij etymon est, quasi dicamus auispecium; ab auibus spectandis, non est recipienda: nam vt ait D. August. *Cicero augur irridet auguria, & reprehendit homines, corui, & cornicula vocibus vitæ consilia moderantes.* Quare cum eodem D. Augustino hanc auspicandi artem, *Falsas opiniones, erroresq; turbulentos, & superstitiones penè aniles appellabo.*

D. Aug. lib. 4. de Ciuit. Dei c. 30.

14 Ad quartam, quæ nobis ingentem exemplorum syluam proponit, iam satis responsum est, dum hanc animalium sapientiam, non à rationali anima, qua carent, eis prouenire: quippe, vt cum eodem D. Augustino loquar, *Inest sensibus irrationalium animantium, etsi scientia nullo modo, at certè quadam scientiæ similitudo.* Qamuis autem hæc similitudo primo intuitu homines in admirationem rapiat, nihilominùs introspicienti exactè duæ se offerent in similitudine ista dissimilitudines. Prima, quòd bruta in vna, aut altera actione aliquantulum, si assuescant, proficient: homo verò, toto vitæ spacio, in diuersis proficit. Altera: bruta non se liberè ad hanc, vel ad illam prosequutionem vertere: quare cùm libertas rationalem animam comitetur, qui, rationalia esse bruta, dixerit, necessariò fatebitur, eadem cum libertate agere, ac proinde præmio, pœnauè digna esse, quæ opinio pœnam quidem meretur æternam.

D. August. de Ciuit. Dei lib. 11. c. 20.

Proponuntur opiniones aliorum, qui non solùm rationem, sed instinctum etiam naturalem è medio tollunt.

Articulus Secundus.

AB vno extremo ad aliud (ea est naturæ procacitas) transeunt nonnulli, quibus placet dicere, non magis bruta, quàm reliqua agentia naturalia instinctu aliquo naturæ vti, imò neutra agere propter finem. Hi in triplicem classem diuiduntur: quidam, omnia contingenter fieri, autumant: alij animalia ad suas mirabiles actiones peculiari Dei concursu indigere: tertij, omnino Deum negantes, ad stellarum influxus omnia referunt.

2 Qui, casu omnia, seu fortuitò fieri, dicunt, sic suam hæresin tuentur. Si tum agentia naturalia, tum animantes irrationales agerent consultò, non autem fortuitò, sanè agerent propter finem: omnis enim consultatio vel de fine est, vel de medijs ad finem: at finis iste non esset ab illis, quia nec res naturales, neq; bruta

suum

suum finem agnoscunt; est igitur finis ab alio, vt sagitta à collimatore. A quo ergo erit? Non ab ente creato, nam illius capacitas non tanta est, quæ gubernet vniuersam naturam. Erit deniq; ab ente increato, hoc est, à summo Deo: sed Deus errare non potest: actiones verò omnes non procedunt ordine infallibili, neq; infallibilem habent finis consequutionem: temporis constitutiones multoties à suo ordine recedunt, & (vt Hippocrates ait) tempestiua intempestiuè redduntur: animalia etiam monstra generant, multa etiam coeunt, neq; concipiunt, & plura alia fiunt, quorum culpa non est reijcienda, nisi in directionem finis, quæ, cum peculiaribus indiuidijs non insit, sequetur maximum absurdum, culpam nempe conijciendam in directorem, quod absit, vt dicamus: ac propterea melius est dicere, agere, quæcumq; agunt, sinè directione ad finem, quàm directorem errantem ponere. *H.3. aph.*

3 Qui verò peculiari modo Deum cum brutis concurrere dicunt, duplicem viam sequuntur: quidam enim existimant, Deum bruta impellere non secus ac quando diuino afflatu, supernaturaliq; auxilio homines ad ea, quæ naturam excedunt, opera, extollit. Hoc deducunt ex illo celebri pronunciato, quo vtuntur Auerrous, & Themistius, & post illos omnis peripatetica Schola, *Opus naturæ, opus intelligentiæ.* Alij tenent, modum istum, quo Deus cum brutis concurrit, esse qualitatem quandam ab authore naturæ, phantasiæ superadditam, quæ ars naturalis brutorum potest appellari: & istam qualitatem esse ideam, & typum efficiendorum operum. Probant hi suam istam opinionem autoritate D. Thomæ dicentis, bruta accipere à principio æstimationem, ad noxia, salutariaq; dignoscenda: quoniam id propria vestigatione assequi non poterant. *Auerr. 12. metaph. com. 18. Themist. 1. physic. tex. 81. & 1. de anima tex. 23 D. Thom. in quæst. de verit. q. 13. art. 7. ad 7.*

4 Tertia secta, nempe eorum, qui ad virtutem cœlestem omnes brutorum actiones, imò & aliarum rerum, volunt referendas esse, nititur Aristotelis decreto, censentis oportere mundum hunc supernis lationibus coniunctum esse, vt inde vis eius vniuersa gubernetur. Afferunt insuper Platonis auream doctrinam, qui nihil aliud per catenam, nisi Solem, Homerum intellexisse, ait: quia quousq; Solis circuitus perseuerat, omnia tàm Deorum, quàm hominum sunt, atq; seruantur. Si autem hoc, quasi ligatum, staret, confestim omnia dissoluerentur, eueniretquè quod dicitur sursum, deorsum omnia. Quamuis autem aliqui, animæ humanæ immortalitatem non agnoscentes, putent non solùm brutorum, sed hominum etiam actiones cœlo esse omnino subiectas, contra quos Theologi valde demonstratiuè disputant, nihilominùs alij, propter animæ rationalis nobilitatem, eam ab hoc nexu soluunt, bruta verò ligata esse volunt: idq; probant, quoniam cum libertate (vt aduersùs alios satis est ostensum) careant, necessarióq; agant, debent ab aliquo necessitari: non à Deo, quippe Deum nullam harum rerum curam habere dicunt, si Deum esse fatentur: nam alij eò dementiæ perueniant, vt sint illi, de quibus ait Psalmographus, *Dixit insipiens in corde suo non est Deus.* Itaq; siue Deum esse negent, seu (quod prope idem est) eius curam in hæc inferiora non admittant, sola manet causa, quæ suo vasto amplexu possit hæc inferiora comprehendere, & ad actiones cogere, nempe cœlestis influxus; Tum quia motus cœlestis est primus in genere motuum, vt ait Aristoteles, & quod est primum in vnoquoq; genere, est causa reliquorum; Tum quia corpora mundi inferioris sunt essentialiter subordinata corporibus superioribus: in ijs verò, quæ essentialiter subordinantur, superius influit in inferius, & inferius non agit sinè influxu superioris. Hæc, & similia afferunt in suæ sententiæ confirmationem. *Ar. 1 meteor. c. 2. Plat. in Theætet. Ar. 8. physic. tex. 75. & 2. de cælo c. 2.*

Refutatio

Refutatio prædictarum opinionum.

Articulus Tertius.

1 OMnes prædictæ opiniones (deceptiones potiùs) quamuis per se refutentur, & ab instructa orthodoxæ fidei præceptis mente repellantur, rationis etiam censura oportet, vt subijciantur. Prior secta, vnum effugiens errorem, in alterum incidit: quippe ne cogatur dicere, Deum optimum, maximum errare posse, non veretur impudenter, prouidentiam, & rerum creatarum curam Deo ipsi denegare. Forsitan seducitur, malè intellecta Diui Pauli sententia dicentis, *Nunquid de bobus cura est Deo?* Quod etiam ad alia animalia extendi potest. At considerare oportet interrogationem alteram, quæ ad hanc priorem consequitur, nempe, *An propter nos vtiq; dicit?* Etenim attulerat præceptum Domini iubentis sic, *Non alligabis os boui trituranti*. Agit ergo non de prouidentia vniuersali, quam Dauid prædicat inquiens, *Aperis tu manum tuam, & imples omne animal benedictione*. Hanc vniuersalem Dei prouidentiam non negat ibi D. Paulus, sed peculiare regimen inculcat, quo hominem gubernat, per leges scilicet, per expressa documenta, per exhortationes. His itaq; modis, non cum brutis, cum hominibus agit. Sed vnde nam coguntur impij negare Dei prouidentiam? Videlicet quia in effectibus errores inueniunt, qui causæ tribuendi forent, si causa vlla esset: at causa nulla alia esse potest, nisi quæ errare non potest: igitur hæc causa non est: vtiq; si foret, non errarent effectus, & temporum constitutiones sibi præscriptas seruarent vices, & monstra non fierent.

D. Paul. 1. ad Corinth. c. 9.

Deut. c. 25.

Ps. 144.

2 Verùm vniuersalis prouidentia, quæ mundanorum effectuum causa est, nō tollit, quominùs ij erronei esse possint. Fatemur, res omnes naturales à primo motore ad finem dirigi: fatemur, eas (de humana natura non loquimur) finem suum non agnoscere: diffitemur tamen, si in finis acquisitione deficient, aut errent, id fieri ob dirigentis culpam. Imò istiusmodi naturæ excursiones, vt non sine Dei voluntate, & administratione fiunt, ita nec sinè ordine contingunt: quippe vt nos D. Augustinus docet, ipse ordo postulat, vt ita interdum accidant, siue ita ferente concursu naturalium causarum, quas sic diuina sapientia disposuit, & actus suos exequi sinit, siue Deo aliter, quàm tunc per naturam euenturum esset, fieri imperante. Nec verò ex eo, quòd res finem suum interdum non assequuntur, colligi potest, eas non agere propter finem: quin Aristoteles ex eo, quòd res aliquando à fine suo deficiant, probare intendit, exemplo sumpto ab artificialibus, eas agere propter finem: referam verba Philosophi, qui post alia sic ait: *Si igitur sunt quadam secundùm artem, in quibus, quod rectè fit, propter aliquid fit, in ijs autem, qua peccantur, alicuius quidem gratia aggreditur, sed frustratur: similiter vtiq; se habet, & in physicis, & monstra peccata sunt illius, quod propter aliquid agit.* Sic Aristoteles: cuius verba manifestè prædictum errorem conuincunt: nam si natura non tenderet in finem determinatum, vtiq; non fierent monstra: quippe natura, dum monstrum efficeret, non magis ab scopo erraret, quàm efficiens quidlibet aliud. Intentio autem autoris naturæ non semper est absoluta, & efficax, seu (vt Theologorum more loquamur) per voluntatem beneplaciti, vel consequentem, sed per voluntatem generalem, vel antecedentem, quæ est, quasi conditionata, intentio, quæ consistit in eo, quod Deus vult, vt effectus perfectus sequatur, quãtum iuxtà ordinem causarum naturalium sequi possit: cum quibus non desinit concurrere, sed permittit monstra, & alias effectuum varietates, vel propter vniuersi pulchritudinem, vel quia cum causa vna secunda impeditur, necessarium esset cum alia extraordinario modo concurrere: quare gubernationi vniuersi magis conuenit,

D. Aug. lib. 3. de trinit. c. 2. & lib. 5. de gen. ad lit. c. 21.

Ar 2. physic. tex. 8.

nit, vt naturalia agentia iuxtà præscriptas leges agere sinat; nec multiplicentur miracula. Verùm hoc ex professo pertractant Theologi: nobis prædicta sufficiât ad redarguendam erroneam opinionem Anaxagoræ, Empedoclis, quos satis refutat Aristoteles citatus, atq; etiam Democriti, & Epicuri, qui fortuitò atomorum concursa omnia fieri, existimabant. Qui plura aduersùs hanc absurdam sectam legere desiderat, Platonem, & Aristotelem, doctissimè disserentes, legat: ab vtroq; enim valde castigata manet isthæc impietas. *Ar. 2. phy.* *Pl. in Timæo Phedone, & Phil.*

3 Accedamus ad alios, qui peculiarem Dei concursum ad actiones creatarum rerum expetunt; Quorum priores, qui bruta, dicunt, impelli ab autore naturæ, non aliter, ac extollitur homo diuino afflatu ad res supranaturam. Et horum fundamentum consistit in receptissimo illo pronunciato, *Opus naturæ, opus intelligentiæ*, quasi ea, quæ naturaliter operantur, non operari à se ipsis, sed operante intellectu increato, omnia nutu suo mouente. Verùm hi valde decipiuntur: nam si vera esset eorum opinio, cogerentur dicere, Deum non tribuisse rebus creatis omnia, quę necessaria erant ad ipsarum conseruationem: siquidem semper indigerent peculiari concursu; At vniuersalis sufficit: *Quippe Dei perfecta sunt opera.* Si verò ad agendum omnia requisita non habuissent, nec similiter habuissent ad essendum. Siquis autem dicat, hac etiam ratione vniuersalem concursum auferri, non est admittendus: nam aliud est res creatas non habere ex se agendi vim, quæ imperfectio est maxima, aliud habere quidem potestatem agendi, & agere, sed quemadmodùm habent Deum sibi summoperè intrinsecum, habere etiam Deum secum cooperantem, quæ est perfectio, & nobilitas, quam sui esse res creatæ possident. Cæterùm de cooperatione Dei, & concursu illius cum creaturis, satis iam superiùs actum est. *Ar. 2. phy. 2. de ort. & inter. 2. de part. anim.* *Deuter. 32.* *Supra sect. 3. q. 10.*

4 Admonendus hoc loco est lector, hanc opinionem attribui posse antiquissimo Trimegisto: quippe scriptum reliquit, Deum circa omnia simul, atq; omnia, actum esse omnium, & potestatem. Quibus verbis, ne immeritò videretur negare rebus creatis ipsum agendi actum, si eis concederet potestatem, ipsam quoq; potestatem negauit. Hæc etiam tribuitur Philoni Alexandrino, qui ait, vnicam esse causam efficientem, nempe Deum: alibi etiam, proprium esse Dei facere, creaturæ autem pati. Nihilominùs D. Thomas, alioquin modestissimus reprehensor, eam appellat stultam; Quapropter cauere oportet à nonnullis recentioribus, qui specie pietatis hallucinati inciderunt in hanc foueam, quæ multa absurda secum includit, inter quæ vnum est, quòd iuxta hanc doctrinam vitales operationes à non vitalibus non distinguerentur: cum enim vitales operationes manent à principio intrinseco, non vitales ab extrinseco, si res ex sua intrinseca ratione non haberent principium agendi, nulla esset differentia inter equum currentem, & equi imaginiunculam, quam præstigiatoris arte videmus currere. Deinde cum resistentia, vt superiùs diximus, aliquando actio fit, Deus agens sibi met resisteret. Tandem, cum causę formales, materiales, finales, in creaturis reperiantur, cur non reperientur etiam efficientes? *Trime. in dial. de cõmun.* *Phil. Alex. li. 2. sacræ leg. allegor. & in lib. de Cherub. & flammeo gladio.* *Sect. 1.*

5 Nec verò est, cur dicant, si res creatæ haberent facultatem agendi, superuacaneam esse Dei cooperationem, veluti quando duo trahunt lapidem, quem vnus trahere posset, alter frustra vim adhibet: nam respondemus, causas quidẽ naturales esse principales, non instrumentales duntaxat, sed ita esse principales, vt non simul sint independentes: maior. n. perfectio est agere independenter, quàm agere principaliter. Agit ergo principaliter eo modo, quo agendi vim habet, hoc est, dependenter; quippe res creatæ vim agendi commẽsuratam amplitudini sui esse habent, cumq; esse sit dependens, vis quoq; agendi dependens est. Quòd autẽ soli Deo cõueniat esse independens, patet ex Dei ipsius verbis: *Ego sum, qui sum*: & iterum, *Qui est, misit me ad vos*. Patet insuper, quoniam ens, & bonũ dicuntur ad conuer- *Exod. c. 3.*

tentiam: cum ergo solus Deus sit bonus absolutè, creaturę autem non nisi per participationem, similiter creaturarum esse per participationem est, Dei verò absolutè. Et de bonitate quidem extant verba Christi domini: *Nemo bonus, nisi solus Deus*, hoc est, nemo absolutè bonus, nisi Deus: cœtera non nisi per participationem. Hæc est expositio D. Hieronymi, & aliorum.

Luc. 18.

D. Hieron.

6. Neq; rursus insurgat alius existimans, nisi actiones sint à solo Deo extollente creaturas ad id, quod supra naturam est, aliquid detrahi de potentia diuina: nam sic non videtur Deus posse aliquid facere per se solum, sed indigere societate causæ simul cum eo operantis. At hoc vanum est: nam quamuis verum sit, Deum non agere ita efficaciter, quando concurrit cum causis secundis, sicut ageret per se solum, nihilominus hoc non prouenit ex impotentia, sed ex sapientia summi artificis applicantis efficientiam suam commensuratè, vt scilicet agat sufficiente virtute in ratione causę primæ concurrentis cum secunda, non autem in ratione causæ simpliciter, & absolutè. Quod non necessitatem in eo arguit, sed ordinatissimam voluntatem: *Sic itaq; administrat omnia* (inquit D. Augustinus) *quæ creauit, vt etiam ipsa proprios exercere, & agere motus sinat*. Sic ille dixit, *Sinat*, Dei voluntatem, imperiumq; insinuans.

D. Aug. 7. de Ciuit. Dei c. 30.

7. Tandem ne se tueatur isti axiomate superius allato, *Opus naturæ, opus intelligentiæ*, vt scilicet sic velint, omnia naturæ opera, esse opera supremæ intelligentiæ, videlicet Dei, ad Angelos, non ad Deum Reuerendus admodum pater Campanius hoc axioma retulisse videtur, cum dicat: *Christi imperium in ventis, & mari factum, directum ad præfectos Angelos, qui intellectu iussa capessere, & parere inde possunt: Quæ interpretatio ex eo potest commodior apparere: quoniam tritum est, opus naturæ, esse opus intelligentiæ: cuius optima ratio colligitur ex sancto Thoma, vt notauit Caietanus, qui locus consulendus. Cum igitur maris, & ventorum motus vehemens opus naturæ fuerit, fuit opus intelligentiæ; cui proinde potuit Christus imperare ab opere cessationem*. Sic Reuerendus pater in Bacchanalibus, in quibus ei placuit nomen suum publicari. Quod autem ad Angelos axioma referat Reuerendus pater, satis constat: quandoquidem assumit illud ad probandum, ad Angelos, qui intellectu Dei iussa capessunt, directum fuisse imperium Christi in ventis, & mari. Assentitur huic expositioni Satyrus (nam se ambo mutuo scalpunt) aitq; se non vsum fuisse prædicto axiomate, quoniam non posuit, *Ab illis Angelis promoueri functiones naturales maris, & ventorum, sed eas tantum operationes, quæ in ipsis fiunt supra naturæ leges*. Sic Satyrus: ex cuius dictis duo colligo: vnum, sibi placuisse sententiam Campanij referentis axioma ad Angelos, siquidem se excusat, quod non attulerit hoc axioma, nempe quoniam non posuit ab illis Angelis promoueri functiones naturales maris, & ventorum: quasi dicat, si functiones naturales ponerent, optimè quadraret, id probare ex eo, quod *Opus naturæ est opus intelligentiæ*. Alterum est, quod dum ait, se non posuisse, *Ab illis Angelis promoueri functiones naturales maris, & ventorum, sed eas tantum operationes, quæ in ipsis fiunt supra naturæ leges*, insinuat, se existimare ab Angelis promoueri operationes *tantum*, quę fiunt supra naturæ leges: in quo quantum committat errorem, inferius patebit. Præfari prius volo, libellum à Satyro in me editum duplice ratione appellari debere Bacchanalia: prima, quia ipsemet fatetur, se illum peperisse tempore Bacchanaliorum. Altera, quoniam multa dissona in eo reperiuntur, vt in præsente, vbi reperiet lector autoritatem D. Thomæ à Campanio allatam, quæ in margine indicatur, esse ex prima secundæ, quæstione septima, articulo secundo ad tertium. Legat studiosus lector, neq; ibi inueniet quicquam ad rem, de qua agitur, spectans. Iam verò accedo ad institutum.

D. Th. 1. 2. q. 7. art. 2. ad 3.

p. 220

8. Vnicuiq; rei visibili Angelicam potestatem esse præpositam, receptissimum est à Sanctis Patribus, presertim D. Augustino, & D. Gregorio, quibus accessit

D. Aug. 8. de genes. ad litt. c. 24. & 3. de trin. c. 4. & lib. 8. 39. 79. D. Greg. 4. dialog. c. 5. Orig. homil. 13. in numer.

etiam Origenes: patres verò aliquibus sacræ paginę locis persuasi sunt, quos videre licet apud eos. Quomodò autē hanc administrationē exerceant, quærunt nōnulli, respondentq; non posse aliter, quàm per motum localem fieri, cuius sententiæ probationem omitto, quoniam non facit ad præsens institutum. Verùm quamuis verissima sit hæc Angelorum administratio, non potest inde deduci, opus naturę esse opus intelligentiæ: nam dupliciter potest intellectualis substantia aliquid efficere: vno modo per modum obiecti intelligibilis, & sic potest efficere speciem intentionalem suorum actuum, sed de hoc nunc non loquimur: altero modo, per modum imperantis, ex efficatia suæ voluntatis, & hoc modo nihil potest efficere, vt diximus, nisi per motum localem. Motus autem localis opus quidem naturę est, non quatenus ab intelligentia, sed quatenus à forma, & materia. Patet hoc in motu cœli, qui tametsi fiat ab intelligentia, ita tamen ab ea fit, vti fit à generante motus inferiorum: nam sicut genitor dicitur motor, quoniam præstat formam, ita in cœlo, in quo non est genitor, qui formam præstet, est intelligentia, quæ impulsum præstat: & quamuis motoris subit rationem, tamen hic impulsus non est, opus naturæ, quandoquidem, vt ex Aristotele habemus, sicuti terræ descendere, ita cœlo naturale est in orbem versari: quare materia, & forma sunt naturales causæ motuum, & sic opus naturæ non est opus ab intelligentiæ, hoc est, ab Angelo, sed ab eo, quod natura dicitur, nempe à forma, & materia. Malè ergo Campanius noster dixit, opus naturæ esse opus intelligentiæ, intelligens nomine intelligentiæ Angelum.

9 Sic consequenter conuincere, vel potiùs conuincere possumus Satyrum, qui existimauit, se rectè assumpturum in probationem sui dogmatis hoc axioma, si posuisset, ab Angelis promoueri functiones naturales, quasi concedens, prædicto axiomate probari, ab Angelis promoueri naturales actiones. Sed pergamus vlteriùs. Dic Satyre, existimas ne ab Angelis promoueri *Functiones tantùm, quæ sunt supra naturæ leges*? Aduerte, quid dicas, nam illud *tantùm* excludit alias functiones, ac proinde cogeris dicere, functiones naturales non promoueri ab Angelis. At quamuis ego dixi, opus naturæ non esse opus Angeli, quod verissimum est, quod tu ais, functiones naturales non promoueri ab Angelis, est falsissimum. Nam aliud est, hoc esse opus Angeli, aliud, hoc opus promoueri ab Angelo: promoueri connotat quidpiam extrinsecum, esse autem intrinsecum. Itaq; ab Angelis res naturales promouentur, alioquin frustra dati essent ad custodiam omnium rerum sublunarium; quam tamen custodiam exercere probat latissimè R. Pater Suares multiplice testimonio, omninò videndus, vbi reprobat Caietanum, quem forsitan Satyrus legit, & sequutus est parùm conscius opinionis D. Thomæ, contrarium sentientis: hanc tu si scires, & Campanius tuus, amplecti debueratis. *Suar. de Angelis lib. 6. c. 17. n. 25. 26*

10 Nunc accipe, quomodò effatum istud sit accipiendum. Primus motor, à quo omnis intelligentia manat, res omnes, cum in rerum natura produxit, ad suos fines ordinatas disposuit; vt sic relictæ suis naturis tendant per se ipsas ad id, ad quod, tunc cum crearentur, fuerunt ordinatę. Quare non quidem agnoscunt finem, nec discernunt conuenientia mediorum cum eo, nihilominùs propter cognitionem dirigentis ipsas, ita operantur, ac si cognitionem haberent: propterea opus naturæ, hoc est, opus rerum naturalium, est opus intelligentiæ, nempe est ordinatum ab intelligentia dirigente ad finem. Conuincuntur ergo hoc axiomate illi, cum quibus disputabamus, qui scilicet existimabant, res non concurrere ad suas actiones, sed esse solius Dei actionem, quæ efficit. Concurrit quidem Deus, qui intelligentia summa est; concurrit, inquam, dirigens, & ideo est operatio intelligentiæ: concurrit simul res creata cum sua natura, hoc est, cum materia, & forma, & iccirco dicitur opus naturę.

11 Transeamus ad alios, qui similiter, Deum solum, dicunt, esse, qui operatur,

sed alium excogitant modum, videlicet, bruta habere qualitatem quandam ab autore naturę phantasię superadditam. Si verò quęramus ab his, quęnam sit isthęc qualitas, respondent, esse typum, & ideam efficiendorum operum, quę ars naturalis potest appellari. Verùm Idea, siue typus, siue exemplar (hęc enim synonima sunt) non existunt, nisi per intellectum, neq; potest sensus, nisi per miraculum, in se ideam recipere; Quod probatur, quia finis differt ab exemplari, quoniam finis potest esse non cognitus: quippe bruta operantur per habitudinem quandã sibi inditam ab eo, qui fines omnes agnoscit: at exemplar requirit sui cognitionem actualem, imò & quodammodò reflexam: nam cum propriè exemplar sit conceptus formalis practicus rei faciendę, ad hunc reflectitur intellectus, in quo conceptus iste non obiectiuè, vt species, sed per modum inhęrentis est: atq; ita refluxu conformat speciem rei faciendę cum conceptu illo, qui est exemplar: vnde producitur effectus conformis exemplari.

12 Neq; D. Thomas, quem sibi fauere putant, quicquam opinioni ipsorum fauet: cum enim dicat sanctus doctor, bruta accipere à principio naturalem æstimationem ad noxia, salutariaq; dignoscenda, non propterea admittit, in hac æstimatione adhærere typum, & Ideam, qua feratur ad hunc, & ad illum finem: sicut enim sagitta proiecta non accepit à collimatore aliud, nisi impulsum, & serra non accipit ab eo, qui operatur, nisi modum accommodatum ad opus, ita quicquid ratione caret, non accipit in sua generatione aliquid præter impulsum, potiùs habitudinem ad munus sibi destinatum; Vnde dictum est ab Aristotele, *Omnia, quæ natura, vel arte fiunt, ratione aliqua fiunt*: hoc est, sunt facta ratione aliqua, nempe secundùm rationem idealem opificis. Quare erroneum est, ponere ideas rerum naturalium, nisi in mente diuina, quemadmodùm artificialium in mente artificis. Sed de hoc satis.

Ar. 4. de gen. anim. c. 2.

13 Adsit tertia secta eorum, qui actiones rerum cœlo tribuunt. Sanè quemadmodùm negari non potest, vim esse in corporibus cœlestibus ad gubernanda sublunarium corpora, possuntq;, dum temperamenta rebus suo modo conferunt, conferre etiam aliquas inclinationes (vt inferiùs dicemus) nihilominùs (vt ait Picus Mirandulanus) *Cauendum est, ne, quod multi faciunt, plus cœlo dantes, plus tribuentes, quam sit necesse, & voluntati opificis, & ordini vniuersi repugnemus, simulq; ipsi cœlo, cui Dei consilia, & mundi ordo maximè cordi sunt, dum studemus placere, displiceamus*. Itaq; admonemus priùs, nobis non esse propositum agere de actionibus liberis hominum: quippe duntaxat naturalis instinctus, quia ad bruta pertinet, causas, naturamq; indagamus. Porrò hunc instinctum conferri animantibus à cœlo existimarunt hi, quos refellendos proponimus, & meritò: quippe naturalis iste instinctus, seu doctrina innata, cum sit valde intrinseca rei, cui inest, si à cœlo prouenit, res hæc inferior haberet à cœlo essentialem dependentiam: etenim quod accidentale est, non attingit intimam rei essentiam. At dependentiam essentialem non habent res creatæ, nisi cum creatore, qui est ipsis omnino intimus. Sicut igitur est intimus in esse rei, sic est intimus in operari. Quòd igitur cœlum externa quædam res sit, ac proinde sublunaria nec in esse, nec in operari pendeant essentialiter ab eo, probatur: Et quoad esse, in quo consistit radix operandi, si esse rerum sublunarium penderet à cœlo, penderet ab eo earum conseruatio: sed conseruatio non pendet, quia ab eo pendet conseruatio, à quo & creatio, ideo frequenter D. Thomas solet dicere, conseruationem esse quasi continuã creationem, nempe per coexistentiam ad veram successionem. Iam igitur habemus, esse, & conseruari non differre: habemus res conseruari ab eo, à quo creantur: non creantur hæc inferiora à cœlo, ergo nec conseruantur, nec sunt ab eo.

Picus Mirãd. in heptaplo c. 7.

14 Triplicem difficultatem patitur hæc ratio, singulis respondere oportet. Prima est, sublunaria pendere à cœlo in suo esse, quia producuntur à cœlo. Huic respon-

respondetur, nos non negasse simpliciter, & absolutè omnem dependentiam, subordinationemq; rerum inferiorum à cœlo, sed eam duntaxat negauimus, quę est intrinseca, & essentialis. Cœlum autem, quando concurrit ad generationes simul cum causa inferiore, non concurrit, tamquàm quid intrinsecum, & essentiale illius, sed tamquàm supplementum quoddam: cum enim ordini Vniuersi conueniat, vt superiora ab inferioribus regantur, data fuit potestas rebus inferioribus ad generandum sibi simile: sed hæc potestas non ita ampla est, vt possit sinè cœlesti influxu effectum suum completè producere. Fit ergo cœlum causa partialis, quando v. g. sol, & homo generant hominem, aut quando materia putrida, & sol generant ranam, aut murem: ita tamen partialis, vt vis seminalis sit effectui magis interna, quàm influxus cœlestis: quippe magis de essentia causæ vniuocæ est effectus, quàm de essentia causæ æquiuocæ. Altera difficultas. Cessante motu cœli subitò omnis inferiorum agentium naturalium actio cessabit, omnia corrumpentur, & viuentia interibunt. Pendent igitur sublunaria in sua conseruatione à corporibus supernis. Respondetur, etiamsi admittamus, cessante motu cœli, omnia peritura, hoc tamen ita esse, non quoniam res inferiores habeant in suo esse subordinationem, & habitudinem ad corpora cœlestia, sed quia, supposito ordine Vniuersi, ita inferiora superioribus subiacent, vt ab illis iuuentur, foueanturq; in suis facultatibus, quæ facultates eædem essent, nec mutarent naturam, etiamsi Deus alium ordinem instituisset. Tertia difficultas. Interdum pendet res inferior à cœlo agente in conseruari, vt lumen à sole: ergo tunc pendet in operari. Respondeo, ex negatione dependentiæ in esse rectè concludi negationem dependentiæ in operari. Nos in primis negamus rerum sublunarium dependentiam in esse, vt negemus posteà dependentiam in operari. At quando obijcitur, dependere in esse à Sole, diffusam à Sole virtutem in hæc inferiora non esse diuersam numero ab ipsa solis luce, ac proinde ratione sui non esse recensendam inter res sublunares: siquidem non differt nec numerica distinctione à luce solis: dixi ratione sui, quoniã ratione subiecti differt. At ratione subiecti, benè potest vnum numero accidens manere, licèt subiectum non sit vnum, & idem, quod non diffitentur ij, qui tenent eadem numero accidentia remanere in genito, quæ erant in corrupto.

15 Quod attinet ad operari, iure optimo possemus abstinere ab hac probatione: siquidem cum probatum sit, cœlum non habere ordinem essentialem ad esse cum his inferioribus probatum subinde manet, nec etiam habere ordinẽ ad operari. Cæterùm ex abundantia aliquid adducendum est. Cœlum promouet actiones rerum sublunarium vel mediatè, vel immediatè: si mediatè, ergo remotè, & sic non concurrit essentialiter: quod enim essentiale est, proximum est, non remotum. Promouet ergo immediatè; Num immediatione suppositi, an immediatione virtutis? Non suppositi, nam cœlum distat: vbi autem est distantia, non est immediatio suppositi. Agit ergo immediatione virtutis, nempe suo influxu diffuso per vniuersum: ergo ad quamlibet actionem vnumquodq; indiuiduum expectabit hunc influxum, & sic quando bos ruminat, aut lepus currit, priùs influxus, à quo istæ actiones fiunt, occupabit totam spheram aëris, quàm ad hæc indiuidua accedat: quod quàm sit absurdum, vnusquisq; nouit.

16 Siquis verò nobis offerat Aristotelem, qui ait, motum primum esse tamquam vitam rebus natura subsistentibus, sciat oportet, Philosophum non ibi loqui de motu cœli, vt aduertunt D. Thomas, Simplicius, Themistius, Psellus, Auicenna, quicquid in contrarium dicat Auerrous. Neq; ibi affirmat, dari motum primum, imò eius oppositum: ait itaq;, si daretur primus motus, esset vita reliquorum, quia ab illo acciperent motum, quæcumq; mouentur, ac proinde dicerentur accipere vitam; motus enim tamquàm vita est: quippe (vt ait Plato) ex viuunt, quæ mouendi principium intra se continent. Hinc ergo non potest colligi,

Ar. 8. physic. tex. 1.
D. Th. Simpli. Themi. Psell. Auicenna. Auerrous.
Plat. 10. de legib.

ligi, cœlum esse vitam, seu intrinsecum principium actionum vitalium, aut naturalium, neq; audiendus est Auerrois: falsò enim ait, principium vitæ, quod est in cœlo, esse causam omnis vitæ.

Auerro. 12. metaph. tex. 54. in fine.

17 Si rursus obijciatur, omnem motum reduci debere ad aliquid immobile: ergo omne generabile ad aliquod ingenerabile: hoc autem non potest esse aliud, nisi cœlum, quippe intelligentia non agit immediatè. Cæterùm ego quæram ab eo, qui sic obiecerit, an possit dari aliquid immobile per suam naturam. Sanè constat ex Aristotele, omnibus rebus physicis, siue caducæ, siue immortales sint, inesse propensionem ad motum, & peculiariter cœlum ita moueri, vt quietis principium in se non habeat: vnde Aristoteles, non esse pertimiscendum, ait, ne cœlum quiescat: quia non est in eo potentia contradictionis, hoc est, potentia, vt moueatur, & non moueatur, sicut D. Thomas exponit: quod placitum videtur esse de communi veterum philosophorum consensu, vt annotauit Scotus. Iam ergo non potest motus reduci ad aliquod immobile præter Deum: quare Deus etiam erit illud ingenerabile, ad quod generabilia omnia reducentur: quippe Deus immediatus est creaturis, cœlum verò, vel (si Platonem sequamur) non est ingenerabile suapte natura, sed priuilegio summi legislatoris, vel si est ingenerabile, non est rebus sublunaribus immediatum.

Ar. 3. phys. tex. 1. 2. de cælo. tex. 5. Ar. 9. metaph. tex. 17.

Scot. 4. dist. 48. q. 1.

18 Tertiò adhuc se opponet quispiam inquiens, si isthæc essentialis dependentia à cœlo, dissoluatur, dissoluetur ordo essentialis inter partes Vniuersi, quem tamen Aristoteles commendat. Respondetur tamen, ex Philosophi verbis non colligi essentialem ordinem inter partes vniuersi, inquit enim: *Qui verò dicunt mathematicum numerum primum, & semper aliam attiguam substantiam, ac alia cuiusq; principia, inconspirantem vniuersi substantiam faciunt (nihil enim altera alteri confert, siue sit, siue non sit) & principia multa. At entia nolunt male gubernari: non est bonum pluralitas principium. Vnus ergo princeps.* Sic Philosophus. Porrò secundùm hoc vel dicendum est, dependentiam, & conspiratione non esse essentialem, sufficit enim qualiscumq; ad inducendum ordinem, vel, quod potiùs, reor, istam dependentiam esse à summo Deo, quem Aristoteles vnum principem videtur appellare, & meritò ob plurima eius attributa, sed maximè propter summam vnitatem, & propter summam bonitatem: Vnitas confert ad ordinem regiminis, ideo ait Aristoteles, *Non est bona pluralitas principatuum*: bonitas autem facit ad communicationem sui: propterea (vt inquit Picus Mirandulanus) per illapsum Deus est intimus omni creaturæ, & intimior quàm ipsa sibi, aut forma materiæ. Qui verò animam Vniuersi admittat, quam ego in meis meteoris microcosmi admitto, admittet quidem simul essentialem ordinem inter partes vniuersi, sed ordinem ad illam animam, & per illam ad Deum, non verò ad cœlum: & hoc erat nostrum intentum.

Ar. 12. metaph. tex. 54. in fine.

Pic. Mir. in apolog.

Integra quæstionis resolutio.

Articulus Quartus.

19 PVlchritudo Vniuersi, & ordinata rerum series, infallibilesq; tum constitutionis temporum euentus, tum successionis rerum prouentus, planè ostendit, mundum hunc, quo fruimur, non casu, & fortuita conditione, sed consultò, & diuinæ largitionis beneficio esse creatum; Quo argumento, inter quamplurimos magni nominis autores, Cicero, & valde post eum Firmianus, Epicurum, & alios Epicuri de grege porcos, Dei prouidentiam, (maiore ne insania, an prauitate nescio) obscurare frustra tentantes, conuincunt. Porrò infinita prouidentia,

Cic. de nat. Deor. Lact. Firm. de opif. Dei.

dentia, quam Plato Adastian appellauit, oculos, & manus habere dicitur: oculos, vt nihil eam possit subterfugere, manus, vt nihil effugere. Per oculos intelligimus mentem, quæ omnia præcognoscit, per manus liberalitatem, quæ omnia largitur. Atq; his duabus partibus (secundùm nostrum loquendi modum) prouidentia constat, mente, & liberalitate. Ex quibus genitus fuit stimulus ille, qui in hominibus appellatur ratio, in brutis instinctus, in rebus inanimatis procliuitas, seu inclinatio, siue habitudo. De instinctu nobis agendum hic est, qui sic dicitur iuxtà vocabuli etymon, quia instigat animalia: sed ad quid instigat? Nempe ad quærendos fines vnicuiq; accommodatos: in hoc enim tota summa ordinis consistit, alioquin omnia sursum, deorsum ferrentur, essetq; chaos illud, quod Ethnici ante Mundi productionem finxerunt, nempe

Rudis, indigestaq; moles;
Nec quidquam, nisi pondus iners, congestaq; eodem
Non benè iunctarum discordia semina rerum.

Itaq; instinctum istum si quæramus, inueniemus, eum per modum inhæsionis in animantibus, per modum dependentiæ, in prouidentia. Cæterùm prouidentia, prout mens est, vidit omnia: quæ necessaria erant, prout liberalitas autem, non defecit in necessarijs. Ac proinde tunc cum productæ fuerunt brutorum species (cum produci nihil aliud sit, quàm exire in actum) accepit vnaquæq; species suum actum, hoc est, suam formam specificam: quippe per formam vnaquæq; res est actu id, quod est: omnes autem formæ specificæ accesserunt stipatæ suis dispositionibus conuenientibus: vnde vnaquæq; species suos habet mores, quos, per similitudinem, virtutes, aut vitia appellamus. V. g. in specie leonis affulget fortitudo, in specie elephanti prudentia, in specie vulpis versutia, in specie cerui, leporisq; timiditas. Iam ergo habemus suam quamq; speciem suis ornatam dispositionibus, per quas ad sibi proprias actiones determinatur. Accedit insuper temperamentum specificum, quod accommodatum est ad easdem actiones prosequendas: quemadmodùm enim mores animi, in hominibus, corporis temperamentum sequuntur, sic etiam in brutis eas propensiones, quas, per metaphoram, mores appellari, diximus, temperamentum sequuntur. Quòd si temperamenta ex figura venari licet, figuras etiam bruta suis moribus accommodatas habent: vnde emanauit ars physionomica, quæ mores in homine agnoscere docet, ex similitudine, quam in effigie habet cum hoc, aut illo animali.

2 Verùm quoniam vnaquæq; forma indiuidualis non solùm habet dispositiones specificas, sed indiuiduales etiam, accidit, vt vnumquodq; indiuiduum cum sua forma accipiat præstantiores, aut minus præstantes dispositiones, propter quas in suas actionibus alia indiuidua suæ speciei excedat, aut infra subsistat. Hinc fit, vt non omnes canes ità accedant ad sillogizandi artem, vt canis Chrysippi, neq; omnes corui ea cognitione polleant, qua coruus sutoris, & sic de alijs. Quòd autem temperamentum etiam ad hanc excellentiam indiuiduorum multùm adiuuet, possunt nos in cognitionem ducere homines amentes, qui quamuis animam rationalem habeant, nihilominus in rationis vsu, potiùs abusu, cum brutis sunt comparandi, iccirco amentes, hoc est, sine mente dicuntur: aut quia mentis vsum non habent, aut quia mentem corruptam habent. Hi igitur, qui nulla ratione ducuntur, pro varietate intemperamenti, in iis prędominantis, varias inducunt imaginationes, vnde quidam vas figulinum se esse putabat, nempe ob siccitatem, alius putabat, se esse tympanum ob cutis ariditatem.

3 Quæramus ergo magis particulariter, in qua potętia inhæreat instinctus iste. Communiter omnes tenent in phantasia, sumentes phantasiam pro omni sensu interno. Mouentur auctoritate Aristotelis, qui secundùm ea, quæ de amentibus modò dicebamus agens de imaginatione, sic ait: *Multa secundùm ipsas operantur* Ar. 2. de an. tex. 162.
anima-

animalia: alia quidem, quia non habent intellectum, vt bestiæ: alia verò, quia obruitur aliquando intellectus passione, aut ægritudine, vt homines. Verùm hæc Philosophi verba solùm docent, bruta imaginatione agere, hoc est, cognoscere: cœterum instinctus dicit aliud præter cognitionem, nempe appetitum, in quo stimulus est ad prosequendum, vel fugiendum id, quod tamquàm vtile, aut noxium obijcitur. Verissimum quidem est, nihil esse in appetitu sensitiuo, quod priùs non fuerit in sensitiua cognitione: attamen si ouis v. g. nihil aliud haberet, quàm phantasiam lupi, vtiq; lupum non effugeret; Indita ergo est appetitui quædam auersio, ad quam sequitur fuga: indita est complacentia, ad quam sequitur prosequutio; Hæc ergo motio sensitiui appetitus ad bonum, vel ad malum, est instinctus: nam phantasia in bruto non aliud molitur, nisi simplicem apprehensionem obiecti conuenientis, aut nocui, & non concurrit effectiuè cum appetitu, sed obiectiuè tantùm, nempe sola repræsentatione obiecti: qua posita appetitus, propter sympathiam, quam cum imaginatione habet (sunt enim vnius subiecti facultates) mouetur ad operandum. Itaq; cognitio, vt abstrahit ab appetitu, non est, quæ instigat ad agendum, & subinde non est instinctus: appetitus verò abstrahendo à cognitione maximè: & probatur, quia natura superior cognoscens finem non dirigit cognitionem bruti, nam sic cognitio bruti cognosceret finem, sed supplens defectum cognitionis bruti excitat appetitum. Neq; officit, quòd instinctus iste appellari solet doctrina innata, doctrina autem magis spectat ad facultatem cognoscentem, quàm appetentem: non inquam, officit, nam doctrina etiam accipi solet pro disciplina, vnde Cicero ait, *Multos homines excellenti animo, & virtutè fuisse, & sinè doctrina, naturæ ipsius habitu prope diuino, &c.* Dicitur ergo doctrina innata, hoc est, id, quod appetitus didicit à natura superiore, seu quod innatum appetitui est per doctrinam superioris naturæ. Et ideo ab Hippocrate in Epidemijs natura indocta appellatur, hoc est, quæ nullum habuit doctorem, seu præceptorem, magistrum vè externum, sed ab intrinseco suo auctore inditam sibi habet appetendi rationem. Et deniq; in præsente contextu cui nunc finem imponimus, dicitur natura sinè doctore, hoc est, quæ impressam habet sibi à diuina prouidentia, omnibus rebus creatis consulente, documentum, quo trahitur, vel distrahitur, prout sibi est congruum: hoc autem spectat ad appetitum, quem natura naturans (sic diuinam prouidentiam appellant multi) erudiuit, excitauit.

Cic. pro Arch.

TEXT. XXXXIII.

SAnguis alienus vtilis, sanguis proprius vtilis: sanguis alienus nociuus, sanguis proprius nociuus. Humores proprij nociui, humores alieni nociui. Humores alieni conducibiles, humores proprij conducibiles. Consonans dissonans est, dissonans consonans est. Lac alienum bonum, lac proprium nociuum: lac alienū nocuum, lac proprium commodum.

COMMENT.

INter omnes huius libelli sententias, in quo Hippocrates obscuritatem consultò, & exprofesso affectasse videtur, hæc primum obscuritatis locum obtinet. Nihilominùs tentandum est, aliquid, quod mentem auctoris sapere videatur, expiscari. Cum Hippocrates dixerit, naturam sinè doctore omnia gubernare, nunc docet, quibus medijs hoc in nobis efficiat, nempe quænam sint vtilia, quæ nocua: omnia tamen in alimenti ratione conueniunt: alimenti,

ti, inquam, tàm quo vtimur grandiores facti, quàm quo vtebamur in prima ætate ab eo puncto, in quo in lucem editi sumus: quorum naturam cum iam superiùs expresserit, nunc conditiones insinuat, ob quas vtilia, aut nocua sint, admonens quod nam esse possit bonum, quod prauum.

Sanguis alienus vtilis. Nomine sanguinis, iam diximus, vtplurimùm accipi quatuor humores debita proportione inter se permistos, & intra venas existentes. Hunc sanguinem vocat alienum, quando scilicet à propria temperie discedit: & sic vtilem esse, ait, non quidem simpliciter, sed respectu habito ad corpus malè affectum. Vt iam hinc constet, si corpus sit insalubre, victum expostulare, qui contraria temperie ei, quæ in corpore insalubri dominatur, sit præditus. E. g.
H. 1. aph. 16. febricitanti conuenit victus humidus, & sic erit & alimentum simul, & medicamentum. Cæterùm an hoc ita fieri debeat in ægrotante corpore duntaxat, disputabitur posteà. †

Sanguis proprius vtilis. Nempe sanguis in suo naturali temperamento vtilis est respectu habito ad vitam: cũ enim vita in calido moderato, & humido consistat, sanguisq; huiusmodi temperamento præditus naturaliter se habeat, vitæ conueniens est. Deinde vnum ex principijs vitæ nostræ est sanguis, non quidem vitiatus, sed propriã naturam seruans. Cæterùm de sanguinis temperamento, & vitæ principijs satis iam superiùs est actum.

Sanguis alienus nociuus. Animaduertere oportet, sanguinem, licèt mitissimus sit humor, & naturæ nostræ admodùm familiaris, posse, seruata adhuc forma sanguinis, nobis ita nocere, vt euacuationem sui expostulet; Vnde
Gal. 4. san. tuen. c. 4. Galenus, *Vbi paululum vel citra sanguinem restitum, vel vltra processum est, audacter mittendus est.* Quod ita faciendum iubet, quoniam nõdum sanguis omninò recessit à forma sanguinis: nam si recesserit, tunc purgatio magis, quàm sanguinis missio exigitur. Hoc Galenus exemplo vini acescentis optimè demõstrat: *Quod enim* Gal. 2. aph. 17. *in vinis accidit acescẽtibus, tale quiddam, & in sanguinis alteratione cõtingit. Quod autem in venis accidit, tale est: vbi ex toto acida facta sunt, nõ redeunt rursum ad vini naturam: paruo autem in ipsis facto momẽto, ita vt acidum quidem habeant saporem, nondum tamen acetum sint, multa multoties, ex his, pristinam naturam recuperarunt. Hoc idem in sanguine euenit: nam & ipse vbi magna in eo sit facta corruptio, non redit ampliùs ad habitum naturalem: si verò pauca contigerit, vbi id, quod est superfluum, fuerit euacuatum, quod residuum existit, ad suam naturam restituitur.* Hactenus Galenus. Cæterùm an detur febris ex sanguine, † discutiemus posteà. Ad præsens scire sufficit, sanguinem, qui adhuc non mutauit formam sanguinis, posse alienum, & nocuum appellari, & subinde euacuatione indigere.

Sanguis proprius nociuus. Cum sanguis, sub forma sanguinis persistens, possit ob qualitates acquisitas fieri alienus, & nociuus, vt dictum manet, videbatur, non posse eundem, dum qualitates alienas non habet, ac proinde non alienus, sed proprius appellatur, non posse, inquam, esse nociuum. At nociuus quidem est non qualitate, aut natura mutata, sed duntaxat quantitate aucta. Vnde verba hæc, *Sanguis proprius nociuus*, consonant aphorismo, *Habitus exercitato-* H. 1. aph. 3 *rum, qui ad summum bonitatis peruenerint, periculosi*: quippe habitus bonus est, hoc est, ex bono sanguine, ac proprio, sed est in summo bonitatis gradu, nempe ob quantitatem auctam. Et sic verificatur præsens sententia; *Sanguis proprius nociuus.* Proprius, quia bonus, nociuus, quia multus: periculum namq; est, ne vasa disrumpantur, aut eorum fiant interceptiones, calorisq; accidat suffocatio, & extinctio. Hinc Galenus, Athletas repentina morte correptos fuisse, testatur.

Humores proprij nociui. Postquàm

egit de sanguine, qui quatuor humoribus constat, cum agere incipiat de humoribus, non intelligit eos, qui simul cum sãguine intra venas existunt: nam sic esset inanis repetitio, atq; nugatio, sed alios, qui in sanguificatione sunt illius secundæ coctionis excrementa. Hos appellat proprios, hoc est, suam propriam seruantes naturã: etenim corrumpi quoq; possunt, & naturam mutare. Cæterùm dum proprij adhuc sunt, & in suo sibi debito temperamento constituti sunt, etiam nocui, & eò magis nocui, quò magis synceri, & impermisti existunt. Sic bilis syncera damnatur, tamquàm excedentis caloris soboles: similiter etiã atra bilis, quin & pituita quò magis à sanguinis societate separatur, eò magis propria, frigidiorq;, & nocentior est. Sanguis deniq; familiarissimus humor, si syncerus sit, damnatur: quare non nisi permistione, saltem sui, feri, laudabilis euadit.

Humores alieni nociui. Si humores proprij, hoc est, secundùm suam ipsorum naturam se habentes, nociui sunt, multò magis nociui censentur ij, qui à propria natura desciscentes alieni vocantur. Ideo bilis vitellina, porracea, aut æruginosa (hæ enim sunt species bilis à natura sua alienæ) magis nocuę sunt, quàm bilis flaua, quæ, comparatione illarum, propria dici potest. Melancholicus humor, si proprius esse desinat, & alienam naturam induat, fiet atra bilis, humor perniciosus, quo nullus nocentior esse potest. Pituita frigiditate aucta conuertitur in eum humorem, quem Praxagoras vitreum appellauit, à quo intolerabiles dolores excitantur: si aduratur, fit salsa, ac mordax, quæ in intestinis efficit dysenterias, in cerebro vigilias, in pulmone vlcera immedicabilia. Hinc constat, humores alienos esse nociuos.

Humores alieni conducibiles. Conferunt aliquando humores, si ex propria eorum natura recedẽtes alienam accipiant: nempe quando prauitas vnius, consortio alterius emendatur. Sic sanguis est frænum bilis: quæ etiã pituitę admista excandecentiam deponit: & ipsa pituita ex sanguinis consortio suscipit aptitudinem ad nutriẽdum: & sanguis, qui est quartus humor, nisi alijs humoribus esset commistus, non posset varia membra nutrire.

Si quis autem dixerit, hemitritæum fieri ex pituita, & bile, esse tamen periculosiorem, quàm sit tertiana exquisita, quæ fit ex sola bile, respondebo, fieri ex duobus humoribus non simul mistis, sed separatis. Sed adhuc dicet aliquis, tertiana exquisita est breuior, quàm tertiana notha, & tamen notha fit ex bile, & pituita, si est maioris famæ, si autem minoris, ex bile, & melancholia. Respondeo, spectata symptomatum natura, ea vehementiora fieri in tertiana exquisita, in tertiana autem notha diuturnitas, seu longitudo morbi facit, vt deficientibus tãdem viribus sit periculosior: vel dic, bilem, quæ in tertiana exquisita per se ipsam ebullit, maius efficere incendium, quia non habet, à quo temperetur: in tertiana autem notha incendium minus esse, vtpotè à pituita contemperatã: verumtamen ob pituitæ crassitiem, & lentorem accidere obstructiones, quæ prohibitæ ventilationis, & subinde putredinis sunt causa. Dicet alius, catochon esse medium inter phrenitidem, & lethargum, ac proinde fieri ex bile, & pituita, esse tamen, ex Aetij decreto, periculosiorem, quàm sit lethargus. Respondeo, periculum non aduenire ex temperamento humoris, nam certum est, humorem, à quo fit catochos, esse pituitam, & bilem, quæ se inuicem attemperant; sed aduenire ex parte membri, hoc est, cerebri, cuius natura est rara, & quæ facilè penetratur: quare bilis pituitam impellit in cauitates cerebri, & proptereà profundum excitat somnum: in lethargo autem, licèt pituita magis sit intemperata, nihilominus propter lentorem, & crassitiem non admodùm penetrat: in phrenitide bilis tenuior (nullam quippe habet pituitam, à qua incrassetur) faciliùs ela-

elabitur: omnes tamen tres affectus periculosissimi sunt.

Humores proprij conducibiles. Sunt humores proprij, qui, tametsi ad sua receptacula, tanquam excrementa, reijciantur, nihilominùs propriam retinent naturam. Hi conducere possunt ad aliqua. Bilis incysti fellis recepta inde ad intestina transmittitur per ductum huic muneri destinatum, ibi duplex accidit vtilitas: vna est, quoniam intestina à fecibus, & pituita lenta expurgantur (habet enim bilis detergẽdi facultatem) altera quia sua acrimonia, & mordacitate intestina, & ani musculum pungit, sensumq; excitat, vnde sequitur excrementorum expulsio.

Quæret aliquis, cur etiam ventriculus, in quo pituita abundat, & detergendi necessitas adest, non suscipiat bilem. Respondet Galenus, non fuisse conueniens, vt bilis ad ventriculum deferretur, quippe ibi maximam inferret noxam, nec deerat alter modus, quo posset ventriculus ad expulsionẽ promoueri. Cum autem bilis sit acris, & mordax, in ventriculo summopere sensili cardiogmon efficeret. Præterea ventriculi coctioni bilis ibi præsens noceret: quippe irritans ad expulsionem, non sineret, alimentum eam habere moram, qua coctio indiget, ac proinde frequenter homo lienteria laboraret.

Gal. 5. de nat. facul. c. 4. & 6. de anatomic. administr. c. 12

Contingit aliquando, naturam, quæ in indiuiduorum formatione errores committit, duplicem ductum, vnum ad intestina, alterum ad ventriculum dirigere. Vidit Galenus (vt ipse refert in arte medicinali) quendam, cuius totus habitus pituitosus erat, quotidie tamen bilem pallidam vomebat. Fortasse is fuit, quem Paulum rhetorẽ in libro de victu acutorum appellat. Cæterùm cum fæces conspexisset, in quibus minimum apparebat flauæ bilis, suspicatus fuit, huic eum meatum, qui biliosum egurgitat humorem, non paruam eiusdem partem ad imum ventriculi locum, quem græci pyloron, id est, ostiarium vocant, effundere, vt in quibusdam apparet animalibus: hos, qui ita per superiora bilem eijciunt, picrocolos appellari, ait. Cæterùm idem met in libro de temperamentis, causam huius euentus, dicit, esse, quia meatus ille, per quem iecur bilem in ventrem euomit, alijs geminus est, alijs vnicus: & adiungit, in quadrupedum dissectionibus hoc ita apparere. Verumtamen Vesalius, quendam se dissecuisse, narrat, qui hos duplices meatus habebat, nec tamen vomitibus erat obnoxius. Argenterius Galeni coniecturam non recipit: neq; enim hos duos canales excogitare necessitas vlla cogit: sufficit namq;, vt bilis feratur per venas ventriculo insertas, sed nullum huius rei experimentum, nullam affert rationem: sed huic semper liberè effutire, quod velit, libet. Eum optimè refutat Sanctorius: videndus etiam est Thomas à Veiga, meus præceptor.

G. ait med. c. 74.

Gal. 2. de victu acut. c. 29.

G. de vict. rat. cit.

Gal. 2. de temp. c. 6.

Vesal.

Melancholicus humor, postquam in suo receptaculo continetur, inde per manifestum ductum fertur ad ventriculum: an verò ad eum vsum, quem reperit Auicenna, hoc est, ad excitandam famem, inferiùs patebit. Interim non est dubitandum, ventriculum ab hoc humore suscipere corroborationem, quod sua astrictione potest facere. †

†

Pituita etiam propria, hoc est, in suo naturali temperamento, vtilis est. In primis namq; in cerebro impedit, ne illud membrum continuis cogitationibus inflammetur: si tamen multa pituita ibi cumuletur, nocere potest. Solicita tamen natura amplissimos meatus per nares, & palatum huius humoris expurgationi dicauit. Aliæ sunt vtilitates, quas pituita affert, iccirco (vt Galenus ait) *Quod pituitam expurget natura nullum instrumentum condidit, propterea quod frigida, humidaq; est, ac veluti ex dimidio coctum nutrimentum. Desiderat igitur talis succus non vtiq; vacuari, sed in corpore permanens alterari.* Et paulo infra: *Quod igitur ex venis pituitæ fertur,* cum

Gal. 2. de nat. facult. c. vltim.

cum sit animalibus ex usu, nulla vacuatione eget. Sic Galenus. Si ergo pituita ex vsu est, nec desiderat euacuari, iam planè constat, hunc humorem, dum proprius est, nempe dum non est transmutatus in naturam alienam, esse conducibilem.

Consonans dissonans est, & dissonans consonans. Id, quod Epictetus in re morali dicere solebat, nempe vnamquamq; rem duas habere ansas, possumus ad præsentem sententiam accommodare: quippe omnia contenta in nostro corpore alteram habent ansam, nempe bonam, alterā prauā: & vt vidimus, humores, si sumātur vno modo, omnes sūt cōducibiles, si sumantur altero, omnes nocui. Propterea cum hanc doctrinam specialiter tradidit, ex ea educit vniuersale hoc theorema, *Consonās dissonans est, & dissonans consonans*. Cæterùm aliter etiam hæc consonans dissonantia, & dissonans consonantia ostendi potest in hunc modum.

Quod attinet ad consonantiam dissonantem, mēbra inter se consonant, vt iam superiùs hoc libro dixit Hippocrates: quippe *Confluxio vna, cōspiratio vna, consentientia omnia*. Verùm ex hac consonantia oritur dissonantia: quippe oriūtur morbi per sympathiā, de qua libet seorsim aliquid agere.

tex. 23.

Ex altera parte ex dissonantia oritur consonantia: nam ex eo, quòd mēbra diuersis temperamentis sint prædita, oritur quædam inter illa cooperatio, qua se ipsa tuentur: Vnde medici in vnoquoq; membro, præter propriū temperamentum, considerant aliud, quod per coalternationem, seu per contraoperationem vocant. Est autem isthæc contraoperatio duplex: positiua vna, altera priuatiua. Positiua dicitur illa, qua vna pars alteri præstat id, quod ad actiones suas obeundas requirit: sic inter iecur, & ventriculum, inter cor, & mammas contraoperatio positiua est: quippe ventriculus, & mammæ vtrumq; exangue, & subinde frigidum membrum, nō posset muneri suo satisfacere: quare nec ventriculus chylificationi, nec lactificio mammæ sufficerent, nisi ventriculo iecur, mammis cor calorem præstarent. Priuatiua contraoperatio est, qua, tametsi vnum membrum nihil positiuum alteri præstat, per quod temperamentum eius immutet, nihilominùs obstat, ne membrum illud à suo proprio temperamento dilabatur. Vt in corde, quod ardentissimum est, & se, & omnia adureret, nisi frigidi aëris accessu illud pulmones contemperarent; Frigiditas autem aëris non reddit cor frigidum, nam frigiditate non indiget, sed efficit duntaxat, vt cordis calor excedens intra suos terminos se contineat, ne ampliùs, quàm par est, accendatur. Habemus ergo & ex consonantia dissonantiam, & ex dissonantia cōsonantiā.

Lac alienum bonum. Docent nos hæc verba exceptionem, quam facere debemus, dum cum Galeno superiùs diximus, lac maternum semper esse præferēdum: nam multoties cogimur, matri infantem subtrahere: e. g. si mater sit pituitosa, & infans epilepsiam patiatur, nam tunc præferenda est nutrix calidioris temperamenti, & in Lusitania ad hoc laudatur nutrix æthiopissa. Itaq; in hoc casu lac alienum à suo temperamento conferet infanti laboranti, vt in prædicto exemplo infans laborans morbo frigido indiget lacte, quod recedat, quoad fieri potest, à lactis temperamēto, nempe vt sit calidū.

Gal. 5. de san. tuen. cap. 6. & 6. de antro. natomicis adm. cap. 12

Lac proprium nocuum. Contingit sæpe, matres, quę filios lactant, eos perdere: quare remedium est, eos nutricibus alendos tradere.

Gal. meth. c. 14.

Lac alienum nocuum. Lac, quod habet qualitates à natura lactis alienas, vel quia magis, quàm oportet, serosū est, vel quia facilè concrescit, & caseatur, vel quia saporem habet salsum, aut acrem, aut amarum, dici potest *alienum nocuum*. Nutrix, quæ Theodorum nepotem meum lactabat, post aliquot menses lactem cæpit habere amarum, à quo infans summoperè abhorrebat: inuenta demū fuit causa, cur lac sugere nolet,

Gal. 2. de san. tuen. cap. 9.

nolet, & mutata nutrice auidè lac suxit. *Lac proprium commodum.* Hæc propositio absolute est vera, nec indiget expositione.

QVOMODO CONSERVATIO FIAT.

QVAESTIO VNDECIMA.

SVpponimus, tamquam certissimum, & ab alijs latissimè demonstratum, celebre in arte medica pronunciatum, *Curatio fit per contraria, conseruatio per similia*. Omittimus, tamquam à præsente instituto alienum, conditiones contrarietatis, quæ in curatione requiruntur, & duntaxat conditiones inquirimus similitudinis earum rerum, per quas peragitur conseruatio. Est quidem materia valde lubrica: quippe examinare pondus, & mensuram in ijs, quæ non stabiles sunt, quales sunt status sanitatis, circumspecti iudicij est.

Quot sint conseruationis modi.

Articulus primus.

1 QVamuis sanitas sit morbo antiquior, sanitatis tamen tutela, quæ conseruatio appellatur, posterior est curatione, quæ morbis debetur. Nam in prioribus seculis, quandiu homines paucissimis rebus contenti sobriam vitam egerunt, & neq; lautas mensas, neq; opipara conuiuia cognouerunt, propinationisq; posteà inductæ consuetudinem penitus ignorarunt, non apparuerant morbi, neq; morborum nomina innotuerant. Postquàm verò nefanda gulæ lues, coquorum exquisitæ artes, delicatissima epularum condimenta, vinorumq; peregrinę temperaturæ inter homines irrepsere, morborum simul varia continuè genera succrescentia, ad inueniendam medicinam coegerunt.

2 Cæterùm ex hoc discursu eliceret fortasse aliquis contrariam sententiam ei, quam proposuimus: nam si postquàm homines frugalitate contempta sibi consulere desierunt, emersit ægrotatio, quæ curationem expostulat, sanè conseruatio iam erat prior, nempe in antiquiore frugalitatis seculo. Verumtamen tametsi ante, quàm morbi innotescerent, viuebant homines in statu sanitatis, nihilominùs conseruatio tunc naturalis, nulla, inquam, arte, erat comparata: cæpit namq; sanitatis studium efflorescere tunc, cum sanitatis amissæ damnum cæpit cognosci. Nam quamuis prisci ægrotos palàm exponebant, vt vnusquisq; quod vtile, atq; experimentis comprobatum habebat, eos edoceret, & posteà ab Æsculapio, apud Cyrenæos medico, ars medica fuit exculta, non fuit adhuc ad perfectionem deducta: nec planè vnquam foret, ni curatiuæ arti, quæ tunc clauda dici poterat, accessisset conseruatrix, & ex his duabus imperfectis vna ars perfecta euaderet. Vnde Galenus has duas non duas artes, sed duas vnius artis partes appellat: imò aliquādo idem met trimembrem facit diuisionem, & vltra curatiuam partem, quæ debetur morbo, & conseruatiuam, quæ sanitati, tertiam statuit præuisoriam, quæ neutrorum est. Verùm hanc ad conseruatricem reduci, non negant medici, qui cum Galeno amplissimam agnoscunt in sanitate latitudinem. *G. 1. de sanit. tuend.*

3 Porrò sicut quando Galenus ait, sanitatem, & morbum ita se habere, vt dignitate, & tempore sanitas morbum præcedat, intelligi debet, sanitatem illam, quæ nulla arte exculta erat, priorem fuisse: sic quando alibi ait, esse & tempore, & dignitate priores conseruatrices sanitatis caussas effectricibus, de prioritate dignitatis non est dubitandum: prioritas autem *Gal. de sanit. tuend. lib. 1, c. 1. G. art. medic. c. 83.*

temporis

temporis ita sumenda est, vt priorem dicamus fuisse conseruationem, quæ natura duce duntaxat vigebat, nullis artis præceptis subiecta: quod nos vltro cõcedimus. Cæterùm eam conseruationem, quam nos ars docet, posteriorem curatione, quæ ex arte fit, asseueramus.

G. 1. de sanit. tuend. c. 5. 4 Verùm ad latitudinem sanitatis reuertamur, quam Galenus diffuse admodum declarat: nos eam adeò se extendere dicimus, vt etiam in se neutralitatem comprehendat, quod inferiùs magis explicitè pertractabimus: nunc sufficiat scire ex H. aph. ... Hippocrate, lassitudines spontaneas non esse morbos: siquidem eas, ait, morbos Gal. ars med. c. 82. prænunciare. Cæterùm ex multis, quæ alibi idem Galenus recenset, pauca hic referam: ea enim quilibet inter ægritudines reponeret, ille verò è morborum catalogo eripit: nam post multa sic ait, *Morsus autem ventris, vel in ore ventriculi, vel in aliquo intestinorum, aut cùm aluus subducitur, aut cùm vomitus excitatur, aut cùm mingitur, siue aliquis alius dolor mediocris, ex genere quidem existit eorum, quæ præter naturam, non tamen, qui ita se habent, ægrotare dicuntur, sicuti neq; qui capite grauantur, aut dolent, aut vigilant, cùm non dum in consuetis impediuntur operationibus.*

5 Tres conseruatiuæ artis partes, euectice, analiptice, & salubris, reponuntur sub ea parte, quæ exigua tollit vitia: inter se autem ratione maioris, minorisuè dissentiunt. Magis parua castigat euectice, minus parua salubris, adhuc minùs parua emendat analiptice. Cæterùm adhuc aliquis contendet, hinc inferre posse, statum neutrum ad insalubrem pertinere, siquidem prædictæ tres partes, quas exigua vitia emendare, diximus, magis curantis sunt medici, quàm præseruantis: nam quid aliud est curare, quàm vitia tollere? Siue autem ea exigua sint, siue magna, parum refert: maximè cùm morbus sit res similaris, quæ, statim ac incipit, totam suam habet essentiam: *Quamuis enim* (vt Galenus ait) *interdum adeò sit exiguus, vt neq; à nobis cognosci, neq; laborantium sensu percipi possit, nihilominus tamen propriam habet speciem.* Respondemus tamen, exiguas dispositiones, si factæ iam sint, nec vltra progrediantur, nullam medici operam expostulare, in his enim sola natura est medicatrix, artifex tantùm vigilat in auferenda occasione & ingrauescentiæ morbi. Si tamen adhuc fit, sola præseruatione indiget: quippe cum paucum fit, quod factum est, præseruatione adhibita medicus prohibet, ne fiat, vt est sententia Galeni, qui alibi pro ratione magnitudinis eius, quod factum est, curatione, an præseruatione vti debeamus, nos docet.

Gal. 1. de loc. aff. c. 1.

G. art. med. c. 88.

G. aph. ...

6 Porrò tribus iam dictis conseruatricis partibus quarta adiungenda est, quæ prophylacticè appellatur, hoc est, præseruatiua. Hæc oppositam habet eam, quam analipticen, diximus, appellari: nam analiptice proximè à morbo liberatos recreat, prophylactice eos, qui proximè ante morbum existunt, ab eiusdem morbi manibus eripit. Plura membra diuidentia reperiuntur apud Galenum, iuxta cuius doctrinam sex recensentur differentiæ hac serie.

I. Resumptiua, siue analeptica, ad quam spectant illi, qui nuper à morbo fuerunt liberati: adhuc tamen sunt viribus imbecilles, adeò vt neq; balneis vti, neq; ea, quæ soliti sunt, agere queant.

II. Præuisoria, seu prophylactice, & pertinet ad neutros, qui manifestam quidem habent intemperiem, nondum tamen ægrotant, quippe suas adhuc possunt obire functiones, & nullo adhuc malo, quod sensibile sit, tenentur, sed insensibili tantùm: quemadmodùm contingit illis, qui à cane rabido sunt morsi, vel qui venenum sumpserunt, quod non possit, nisi post aliquod tempus, interficere.

III. Senum tractandorum ratio, quæ gerocomica vocatur.

IV. Infantium educatrix, quæ pedotrophica dicitur.

V. Euectice, seu optimi habitus inductrix, & gymnastica nuncupatur.

VI. Salu-

V I. Salubris: hoc enim nomine, aut totam partem conseruatiuam appellamus, aut ex illius partibus vnam, quæ in medio versatur inter duas illas, quarum vna vitia parua corrigit, & est euectice dicta, alia verò emendat minùs parua, & est analepticè: quare salubris castigat mediocria. Cæterùm euectice ad athletas, analeptice ad conualescentes, salubris verò ad eos spectat, qui simpliciter bonum habitum affectant, &, vt inquit Galenus, ad immodicam repletionem non attingunt. *G. 1. aph. 3.*

Atq; his completur ea pars artis, quæ conseruatrix appellatur, cui non cæperunt homines incumbere, nisi postquam frequenter morbis oppressi, coacti sunt quærere, quomodò huius labis immunes possent vitam ducere: priùs namq;, cum inciperent pullulare morbi, satis esse putabant, si præsentia mala propulsarent. Vnde constat, quod superiùs dicebamus, in priore seculo homines fuisse sanos, sanitate nullis artibus comparata: posteà ęgrotantes morbo, non dum perfectè per suas causas cognito: tandem curatrici imperfectæ accedente conseruatrice, totam artem ad suam perfectionem fuisse perductam: primò Hippocratis beneficio, qui eam plantauit, posteà aliorum, inter quos maximum locum habet Galenus, qui eandem excoluit.

Quæ sunt similia, per quæ conseruatio peragitur.

Articulus Secundus.

1 TAM curationem, quàm conseruationem, per res non naturales in nobis molitur medicus, diuerso tamen modo: nam curatio ijs vtitur, vt contrarijs: vnde Hippocrates, contrariorum contraria esse, dixit, conseruatio similibus, quod iam pro hypothesi est constitutum. Cæterùm similitudinem hanc, non est facile, inuenire, imò videtur impossibile: cuius rei aliquæ se offerunt rationes. *Hipp: de flat.*

2 Prima. Si discurramus per sex res non naturales, quas ad quatuor capita Galenus reduxit, inueniemus, nulla posse conseruationi nostræ inseruire, nisi prout est nobis contraria. Primo loco numerantur ea, quæ assumuntur, hæc aut sunt medicamenta, aut alimenta: medicamenta curationi inseruiunt, non conseruationi: alimenta verò, ex Aristotele, nobis initio contraria esse debent, vt in fine euadant similia. Accedit, quòd teste Galeno, alimenta, quæ duntaxat nos alant, neq; nos aliquantulum alterent, paucissima sunt; ego dixerim nulla. Quare relinquitur, impossibile esse, corpus conseruare, nec interim alterare. Si verò conseruatio sinè alteratione fieri nequit, fieri etiam nequit sinè contrarietate. *G. ad Thrasib. c. 40.* *Ar.* *G. 1. de alim. facult. c. 1.*

3 Altera ratio est. Conseruatio, cum sit actio, debet fieri per contraria: nulla enim inter similia datur actio: Si ergo, dum conseruamur, aliquid patimur, quicquid sit de fine, media, per quæ conseruamur, contraria esse debent.

4 Tertia. Quemadmodùm instrumenta curationis à brutis animantibus didicimus, sic par est, didicisse instrumenta conseruationis: imò magis, nam credibile est, fortiùs, & potentiùs nos naturalem instinctum stimulare ad conseruationem status naturalis, quàm ad curationem illius, qui est præter naturam. Videmus ergo, bruta ad conseruationem sui vti instrumentis suo proprio temperamento contrarijs: apes exangues, subinde frigidæ, melle admodùm calido delectantur: sues, animalia humidissima, glande siccissima nutriuntur: anates calidissimæ continua in aquis natatione, crebrisq; submersionibus recreantur, & viuunt.

5 Ve-

5 Verùm enim verò quemadmodùm contraria, quæ morbis medentur, sunt quidem præcipuè, & magna ex parte contraria, minùs tamen præcipuè, & aliquantula ex parte similia, aliàs si omnino forent contraria, venenorum vice fungerentur, sic ea, per quæ conseruationem molimur, sunt quidem præcipuè,& maxima ex parte similia, minùs præcipuè autem, & exigua quandam ex parte contraria: aliàs si penitus similia forent, suo simili applicata augmentum ei afferrent: quippe cum conseruatio non fiat per simplicem, & nudam, vt aiunt, qualitatem, sed simul per additionem substantiæ, fit, vt substantia calida, vt tria, addita substantiæ omnino simili in specie,& in gradibus, efficiet maiorem molem substantiæ calidæ: hæc autem maior moles substantiæ, licèt in corpore similari, vt est ignis, non faciat augmentum caloris, in corpore tamen organico efficit, vt mẽbra ea, quæ minorem caliditatem ad suas actiones expostulant, calidiora, quàm oportet, reddita, euertant corporis sanitatem. E.g. si quis tẽperamẽto calidus calidis in simili gradu cibis vtatur, licèt sanguis intensionem caloris non suscipiat, suscipit tamen augmẽtum quantitatis: & quoniam quantitas maior potentiùs agit, sanguis calidus, & mole auctus membra exanguia calefacit, atq; ita pro coalternatione, qua membra se se inuicem attemperant, oritur à vicinis damnum. Hæc igitur ratio est, cur ea, quæ similia ad conseruationem esse debent, similiter etiam debent aliquam habere contrarietatem adiunctam; quæ, philosophi dicunt, esse similia in specie, in gradu autem inferiora.

6 Duplex vtilitas sequitur ex hac conditione, quam in similitudine requiritur: vna est, quòd conseruatio ita peragetur, vt quoties id, quod conseruatur à suo statu aliquantulum recesserit, præstò adsit prophylactice, quæ illud iterum reponat. E.g. calidum, vt tria, si conseruetur calido, vt duo, non tanta est differentia, vt cõseruatio fieri nequeat: si verò calidum illud, vt tria, casu aliquo intemperantius, hoc est, calidius euadat, iam tunc calidum, vt duo, potest illud reducere. Altera vtilitas est, quia conseruatio, quoad fieri possit, sensim debet fieri. Si ergo simile fuerit omninò simile, nulla sequetur actio: si autem valde dissimile actio confertim fiet: quare expostulat ratio, vt adsit exigua quædam dissimilitudo.

7 Isthæc autem dissimilitudo, quam requiri, dicimus, non tanti est, vt propterea possit dici, conseruationem fieri per contraria: nam, vt colligi potest ex Galeno, triplex est simile, nempe simile maius, & simile minus, & simile æquale: & sic aliquid comparatum cum calido potest esse magis calidum, aut minùs calidum, aut æqualiter calidum, semper adhuc simile: neq; enim dicetur frigidum.

G. 3. simplic. c. 12.

Controuersiæ resolutio.

Articulus Tertius.

1 ALiquando Galenus, corpus aliud salubre, aliud insalubre esse, dicens, bimembrem constituit diuisionem: aliquando autem trimembrem, adiungens tertium diuisionis membrum, nempe neutrum: bimembrem, inquam, facit, quando quemlibet recessum à sanitate appellat morbum: trimembrem autem, quando sanitatis spatium intra terminos angustiores constringit. Hoc tamen nobis nihil officit: cùm enim de conseruatione agamus, sub conseruationis nomine (vt ex dictis constat) omne id comprehendimus, quod curatio non est. Itaq; amplissimam accepimus sanitatis latitudinem, vtpotè quæ neutralitatem amplectitur: amplissimam subinde conseruationem, quæ sex iam numeratas species in se continet: amplissimam quoq; similitudinem, quæ ad omnes conseruationis species ita extenditur, vt vnaquæq; earum, sicut conseruatio dici potest, sic per similia fieri dicatur.

2 Duo

2 Duo proponuntur conseruanda, substantia, & temperamentum. Quod attinet ad substantiam, cum in continua sit deperditione, continuam expostulat refectionem. Cæterùm videbitur alicui, hanc actionem magis esse contrariorum, quàm similium: siquidem deperditio, & refectio opponuntur. At licet generatim opponantur, quia scilicet ad oppositos fines tendunt, nihilominus speciatim conueniunt, quatenus vtraq; sequitur ad naturæ opera: deperditio ad actionem caloris in humidum substantificum, & dicitur effluxus, restauratio ad actionem eiusdem caloris in humidum nutrimentale, & dicitur nutritio. Deinde etiam, quia continua est deperditio, & simul continua refectio, nunquam potest deperdi tantum actione secundùm naturam (de actione præter naturam non loquor) nunquã, inquam, deperditur tantum, vt sit sensibile damnum, & sensibilem expostulet emendationem. Fit ergo sensim sine sensu, & nisi esset, quod illud, quod restauratur, non adæquat bonitatem deperditi, quantum est ratione actionis, nunquam sentiretur. Conseruatio igitur, ad quam isthæc refectio pertinet, est illa, quæ enecte appellatur: nimirum boni habitus inductrix: inducit enim bonum habitum repositione particularum, quæ illum constituunt.

3 Quod verò attinet ad temperamentum, supponendum nunc est, nouem esse temperamenta: quatuor simplicia calidum, frigidum, humidum, siccum: quatuor composita calidum, & humidum, calidum, & siccum, frigidum, & humidum, frigidum, & siccum, & prætereà vnum, quod dicitur temperatum, & est in medio reliquorum. Incipiamus ergo ab hoc vltimo, in cuius gratiam considerare oportet, temperiem istam mediam, ex Galeni sententia, non nisi in adolescentia posse reperiri, ita tamen, vt mediam temperaturam intelligamus eam, quę in puncto quodam consistit, imò hęc neq; in adolescentia, nisi rarissimè contingit: media verò temperies, quę latitudinem habet, in omnibus ætatibus, pręterquàm in senectute, potest existere. In senectute quidem, non quoniam senes conualescentibus comparamus, & quamuis diuersa sit ars, quę gubernat conualescentes, nempe analeptica, ab ea, quę curam habet senum, hoc est, gerocomica, nihilominus tamen in gradu neutralitatis parùm vnus ab alio differt; Quod autem hoc sit verum, constat ex Galeno, qui dubitans, an detur tertia corporis affectio, quam Herophilus neutram appellauit, subiungit, hanc in conualescentibus, & in senili ætate conspici, ac proinde senes esse extra morbum: quamuis autem in eodem capite senectutem morbum naturalem appellat, non proinde dicendum est, senectutem verè esse morbum, sed cum addito naturalem, & hoc additum è morborum censu eam excludit: nam morbus est res præter naturam.

Gal. 6. sanit. tuend. c. 2.

Gal. 6. sanit. tuend. citat.

4 Porrò media isthęc temperies, prout in puncto consistit, in lubrico est, & hinc, crediderim, habuisse originem, id, quod dictitari solet, *Qui viuit in puncto, viuit in dubio*: Est autem conseruanda rebus omnino similibus. Cæterùm quemadmodùm hic status rarissimus, sic etiam rarissima sunt ea, per quę conseruari queat: siquidem iam superiùs diximus ex Galeno, rarissima esse edulia, in quibus aliqua qualitas non excedat. Reliquę medię temperaturę, quę latitudinem habent, similia quidem expostulant, moderato tamen vsu adhibita, ita vt per paulatinam introductionem assuetudo possit ea in naturam conuertere, quę si confertim introducerentur, naturę ipsi nocerent, & hinc est, quòd etiam reductio ad naturalem statum, confertim facta, dolorem, sensim, inducta, voluptatem affert. Atq; hæc de temperato.

5 Alia verò temperamenta, quæ excessum habent, siue simplicem, siue compositum, dummodò tamen adhuc dicantur secundùm naturam, latitudinem habent maximam: quandoquidem in doctrina Galeni tota sanitatis latitudo in tres partes, quarum singulę latitudinem habent non paruam, diuiditur. *Erit autem prima salubrium corporum, secunda neutrorum, tertia insalubrium. Post quæ deinceps*

Gal. art. med.

sequuntur, quæ ægrotant corpore, quæ sensibilibus operationum læsionibus distinguntur. Sic Galenus, ex cuius dictis constat, quàm latè pateat sanitas: siquidem in statu insalubritatis, qui statum neutralitatis prauitate superat, adhuc est sanitas, quippe morbus posteà accidit. Itaq; in his temperamentis similia in specie requiruntur, non autem in gradibus: quippe hæc semper, ob rationes iam anteà dictas, secum expostulant cum mera conseruatione misturam aliquam reductionis, quæ si non adsit, & crebris actibus in contrarium non cohibeatur progressus, sanè res, quæ conseruatur, non poterit diù in suo naturali statu commorari. Hoc tamen ita accipiendum est, vt contrarietas, quæ cum similitudine cohæret, sit maior, aut minor pro ratione maioris, aut minoris recessus, quo corpus à mediocritate distat. Atq; ita concludimus, conseruationem debere fieri frequenter per ea, quæ magna ex parte similia sunt, nam per omnino similia rara est conseruatio: debere & fieri per similia, quæ cum aliquam habeant contrarietatem, & sit pro ratione intemperamenti; quod simul cum vera conseruatione reductionem expostulat: & vltima erit condictio, vt isthæc conseruantia instrumenta sensim adhibeantur.

Responsio ad rationes, quibus in articulo secundo similitudo impugnabatur.

Articulus Quartus.

Soluendę sunt difficultates, quæ impossibile esse conseruationem fieri per similia, ostendere videbantur. Ad primum dicimus, omnes sex res non naturales, si, vt conseruationi nostræ inseruiunt, considerentur, considerari simul debere, prout similitudinem nobiscum habent. Incipiamus ab aëre ambiente, qui tametsi exsiccat corpora nostra, & vna est ex causis, quæ nos ad senectutem deducunt, hoc quidem generali quadam conditione fieri, nihilominus quando eo ad conseruationem vtimur, debere præditum esse ijs qualitatibus, quæ nobis sunt familiares, temperamentoq; nostro similes: Vnde Galenus: *Cum verò aer à temperie recesserit, tantum à mediocritate euariare oportet, quantus fuerit ab optima temperatura recessus*. Quæ verba duplicem habent sensum, vtrumq; verum: primum est recedente aëre ab optima temperatura debere medicum in alijs rebus ita euariare, vt correspondeant, seu potiùs vt opponantur aëris excessui. In quo ostenditur aëris efficacia, vt necesse sit ad correctionem illius, aliarum rerum præsidio vti. Alter sensus facilior est: aëre recedente ab optima temperatura debet medicus ita se gerere, vt excessus intemperamenti tam corporis, quàm aëris maneant pares.

Gal. art. med. c.84.

2 Quod attinet ad cibum, respondemus, licèt cibus sit principio cõtrarius actu, esse tamen similem potentia, & hanc potentiam tunc reduci ad actum, cum ex cibo fit alimentum: quare licèt quando erat cibus, habuisset dissimilitudinem cum nostro corpore, tamen cum fit alimentum, similitudinem habet. Quod verò attinet ad potum, qui ex siti prouenit, cumq; sitis sit desiderium humidi, & fiat à siccitate, videtur includere potiùs contrarietatem, quàm similitudinem. Verùm respondere possumus, natura solicitam conseruationis indiuidui, tribuisse sensationem tristem factam à diuulsione, diuulsionem verò facta à siccitate, & sic induxisse affectum, qui proximus sit affectui præternaturam: sic enim animal excitabitur ad appetendum humidum, quo accepto non solùm restauratur, & emendatur parua illa siccitas, quæ sitim efficit, sed præcauetur, ne procedente vlteriùs siccitate damnum accidat incorrigibile, imò & intolerabile. Itaq; potus aliqua ex parte contra-

contrarietatem exercet, reponens humidum, quod incipit deficere, sed magna ex parte similitudinem molitur, fouens humidum relictum, & præseruans illud ab omnimoda consumptione.

3 Vel etiam dicere possumus, in cibo, & potu adesse voluptatem adeò, vt Galenus dicat hæc verba: *Sed & si voluptas in cibo, potuq; haud sit priori voluptati similis, futuræ ægritudinis est indicium*. Igitur voluptas in cibo, & potu significat statum naturalem, ac proinde in ijs inest familiaritas maxima cum natura nostra. G. art. medic. c. 82.

4 Reliquæ etiam res non naturales, si in mediocritate consistant, naturæ nostræ amicæ censentur. Et de somno, atq; vigilia Hippocrates ait, vtraq; si modum excesserint, malum: de motu, & quiete notissimum est, in vtroq; modum seruandum esse, si sanitatis custodiam habere velimus: sic & repletio, & inanitio: siquidē plurimum, ac de repente euacuare, vel replere, malum est. Animi passiones variæ sunt, & quoniam eas omnino non possumus effugere (neq; enim fidem habeo Stoicis, apathos se esse prædicantibus, at saltem in conseruatione moderandæ sunt, & sic naturæ nostræ non aduersantur, imò multoties iuuant.

5 Ad secundam rationem respondeo, licèt conseruatio fiat per actionem, & actio per contraria, hęc contrarietas est inter causam efficientem, & suum effectū: neq; enim aliter fieri potest supposito, quòd in conseruatione aliquid effectiuum adesse, dicamus, vt si conseruando efficimus aliquid, necessariò detur efficiens, quę actionem producat, actio verò inter terminos contrarios est. Hęc quidem omnia admittimus; Cęterùm quando dicimus, conseruationem fieri per similia, non respicimus ad causam effectricem, sed ad materialem hoc est, ad materiam, circa quam versatur conseruatio: hęc autem debet similis esse, hoc est, debet similitudo inter id, quod conseruatur, & id, quo conseruatur, intercedere.

6 Ad tertiam dicendum, ex brutis posse magis addisci auxilia ad curationem, quàm media ad conseruationem: causa huius rei est, quoniam naturalis instinctus, de quo multa superiùs tractauimus, quamuis multa rectè operetur, vita tamen recta ducitur, neq; in hanc, aut in illam partem nouit deflectere, nam hoc proprium rationis est. Ergo bellua oppressa morbo directè ducitur ad fugiendum malum, quo premitur, & sinè doctore per impressam sibi à natura superiore innatam vim, atq; doctrinam, remedia opportuna quærit, & reperit. Hęc nos remedia ab ijs accipimus, tamquàm à supremo doctore demonstrata. At in conseruatione non solùm dirigi debent bruta ad quærendum id, quod opportunum est, sed eo vti debent pro varietate augescentis, aut decrescentis necessitatis, vt quoties eorum vsus iam videtur alterare plus quàm oportet, demittatur, & ex similibus ad contraria interdum, imò frequenter fiat transitus. Deniq; bruta ratione carentia se cohibere nesciunt, & nequeunt: conseruatio autem vtitur medijs moderato vsu adhibitis, quippe in conseruatione naturæ adulamur: natura autem (ex Hippocratis decreto) non tolerat repentinas mutationes. Egebunt anates. v. g. aliquantula refrigeratione, qua caliditas eius cohibeatur, nec vltra, quàm par est, exuperet: at ignorant illę quomodò seruandus sit modos, & se totus submersionibus in aqua dedunt. Apes in suo mellificio aliqua indigent caliditate, vt succum ore acceptum digerant, sed nesciunt sibi obtemperare, ac proinde in melle, forsan calidiore, quàm oportet, voluptantur: & vt vno dicam verbo, sicut conseruatio dignitate superat curationem, sic & subiecto. Quapropter potest curatio phantasiæ brutorum adæquari, conseruatio non potest.

7 Remanet tamen difficultas, nam eius est conseruare, cuius est producere. Cum ergo irrationalia generent, cur non conseruabunt? Conseruant quidem se ipsa, duce superiore natura, sed ita conseruant, vt conseruatio eorum non possit conseruationi nostræ adaptari, sicut adaptatur curatio: nam curatio, & conserua-

tio in brutis conueniunt, quoniam bruta ad vtramq; cæco impetu feruntur, in hominibus differunt, quia curatio fertur ad remedia, prout necessitas exigit, conseruatio fertur ad similia, non pro necessitatis regula, sed pro rationis directione.

8 Vel dicendum, bruta illa, quæ contrarijs delectantur, adeò in sua naturali constitutione ab optimo temperamento recedere, vt quolibet minimo lapsu, insalubrer ille status transeat in morbosum, ac proinde necessarium his esse, vt pullulantes crebro excessus vel minimos, tamquàm si maximi forent, continuent refrænare: quippe minimum additum magno habet rationem magni, ac propterea magni momenti est. Exemplo nobis erit cor, cuius excellens calor facit, vt iugem expostulet aduentu noui aëris refrigerationem, & sic per contraria magis quodámodò perpetuo curari, quàm conseruari videatur.

AN MELANCHOLICVS HVMOR à liene ad ventriculum, ad excitandam famem, feratur.

QVAESTIO DVODECIMA.

Galeni sententia. Articulus Primus.

DVO sunt humorum, qui ex secunda coctione supersunt, receptacula: alterum bilis flauæ, nempe vesica fellis, cuius vsum iam superiùs ttactauimus: alterum atræ, videlicet lien: nam pituitæ (vt superiùs ex Galeno diximus) nullus peculiaris est locus, quippe adhuc cum sanguine remanens, & in eum conuerti, & alimentum corpori præstare potest. Itaq; bilis atra, seu succus melancholicus, potiore sui parte lienem nutrit, reliquum in ventriculum reijcitur, sic docente Galeno, qui tamen in monstrando, per quos ductus reiectio isthæc fiat, non sibi constat: siquidem in opere de facultatibus naturalibus è liene ad omentum, ab hoc in lactes, & intestina tenuia, per hæc ad pylorum, tandemq; in ventriculi fundum pelli malancholicum succum, affirmet: in opere autem de vsu partium breuiorem tradit viam, vas scilicet breue, seu venosum, à summo prope lienis ramo ad fundum ventriculi protensum. Attamen hoc breue vas in libro de arteriarum, & venarum dissectione, in quibusdam, non in omnibus reperiri, affirmat. Nihilominùs celebres anatomici illud perpetuò obseruant.

G. 4. de vsup. c. 15.
G. 3. de facult. nat.
Gal. de ven. & art. sect.

2 Sed cur hunc atrum succum non traduxit natura ab splene in proxima ano intestina? Compendiosior enim ea via futura erat, quàm per ventriculum. Respondendum, id propterea esse factum, quia oporteret meatum, à liene in intestina portensum, angustum quidem ad proportionem paucitatis excrementi melancholici, longum verò propter interualli longitudinem. At angustus, & omnino longus meatus iniurijs est maximè opportunus: in longo enim, atq; angusto itinere, aut fractionem, aut obstructionem à crassissimo humore non effugeret. Addo etiã, ijs, quæ expelluntur, solere in transitu naturam abuti ad alios vsus: ob id quidem bilem ad duodenum, non ad rectum intestinum transmisit, vt sua acri qualitate intestinorum sordes emendaret. Sic melancholicum succum traduxit ad ventriculum, vt acerba, atq; acida qualitate ventriculum constringat, intendat, ac in seipsum contrahat, vt cibos, quoad vsq; fuerint percocti, amplectatur, atq; retineat: coctionem enim promouet hic succus, quoniam contentrici opitulatur: & hic est vsus, quem Galenus tribuit melancholico humori ad ventriculum confluenti.

Gal. 5. de vsu part. c. 4.

Auicennæ sententia, & Pauli, & aliorum.

Articulus Secundus.

1 Miratur Auicenna naturæ prouidentiam, qua bilem leuissimam mittit deorsum ad intestina, vt adiuuet expultricem, melãcholiam grauem impellit sursum, vt adiuuet appetitum: vtiq; contendit ille, melancholici humoris acerbitate in ore ventriculi appetitiam excitari. Hoc accepit à Paulo Ægineta, quod etiam autor libelli de anatomia viuorum, quicumq; is fuerit, scriptum reliquit.

Au. 1. 1. doct. 4 c. 1.

Paul. lib. 3. c. 49.

Aut. lib. de anatomia viuor.

2 Sunt aliqui, queis licèt non placeat, melancholicum humorem duci ad os ventriculi, sed ad fundum, nihilominùs placet tamen Auicennæ sententia, imò verò conueniens fuisse, aiunt, vt ductus ille ad fundum tenderet, nam si ad os desineret, & ibi se exoneraret, perpetuam famem, perpetuam subinde molestiam excitaret. Nemo quidem est, qui doctrinam Galeni non recipiat, videlicet succum melancholicum ventriculo robur, retentionemq; alimenti præstare. Cæterùm an vlterius famem excitet, non omnes recipiunt. Tubingensis constanter cum Auicenna pugnat: Vallesius in campum pro Auicenna exit. Hinc, inde rationes adducuntur, quas ego multùm, diuq; pensitaui: & quamuis Vallesius argumentis videatur respondere, nihilominùs, meo quidem iudicio, non adhuc satisfactum puto: quare prostrata humi iacebit Auicennæ opinio, donec aliquis fortiora afferat fundamenta, quibus iterum erigatur.

Tubing. Valles.

Responsiones Vallesij ad Tubingensis argumenta examinantur.

Articulus tertius.

1 Quoniam tres sumus in bello, Tubingensis, Vallesius, & ego (liceat mihi inter duos artis medicæ celebres autores meam interponere sententiam, neq; enim ætate, neq; fatigatione in studio medico, neq; professoris dignitate ijs inferior sum) ne quid his imponere possim, dialogisticè procedens eorum sententias fideliter referam, primo loco quid Tubingensis contra placitum Auicennæ afferat, exponens, posteà quid respondeat Vallesius, tertio loco quid mihi magis ratione consonum in vnaquaq; argumentatione videtur, stylo dramatico, expeditæ magis doctrinæ gratia, in medium afferam.

Tubing. in lib. 1. de symp. caus. c. 7. Valles. contr. lib. 1. c. 20.

2 *Tubingensis.* Galeni sententiæ, qua famem esse suctioris sensum asserit; Auicenna aduersatur, qui humorum vsum explicans, causam famis, non, vt hoc loco Galenus, suctionem venarum, sed atram bilem in hunc scribens modum, esse contendit: *Vtilitas, inquit, ideo accidit, quia in os stomachi, quasi mulgendo profluit: & hæc quidem vtilitas est duobus modis: vno quia os stomachi stringit, & confortat, & inspissat: alio, vt in ore stomachi commotionem faciat propter acredinem, & excitet ad famem, & faciat desiderium.*

3 *Vallesius.* Damnatur hęc sententia, ea potissimum ratione, quod Galenus, vt illi videtur (nempe Tubingensi) hunc vsum non dixerit: quasi verò nihil nouum iam inueniri possit, aut inuentis addi. Nemo sanè Galenum pluris facit, quàm nos,

nos, verùm hoc eius auctoritati nihil detrahit, quod Auicenna ijs, quæ ille retulit, veluti actuarium alium humoris huius vsum addiderit.

4 *Castrensis.* In hac veluti præfatione, imò in tota hac disputatione, Tubingensis in Auicennam valde contumeliosum se prodit: vnde re petam id, quod Vallesius in fine capitis ait, videlicet reprehendi à nobis sæpe Auicennam, quia falsa docet, sed non raro reprehendi, quia illi non est apud nos gratia. Cæterùm relinquenda sunt conuicia, tum quæ in Auicennam, tum quæ in Matthæum de Gradi virum in medicis considerationibus prudentiæ singularis conijcit, & ad fundamenta, quibus Auicennæ opinio nitatur, accedendum. Non possumus tamen omittere, immeritò hìc Auicennam Galeno aduersantem fieri: nam Auicenna non quærebat causas famis, vt in eo loco teneretur omnes reddere, sed vsus, quos melancholia habet, pertractauit: inter quos hunc, quòd scilicet famem excitet, reperit, alium verò, scilicet ex diuulsione propter inopiam, quem Galenus affert; non oportebat ibi commemorare. Maiore sanè culpa Galenus, agens exprofesso de causis appetentiæ, hanc ommisit.

5 *Tubingensis.* Nulla est vena, quæ melancholicum excrementum in os ventriculi eructet, vel euomat, sed in ipsum potiùs ventriculum, vt Galenus confirmat, non tamen, vt famem excitet, sed potiùs vt ventriculum intendat, & in se ipsum contrahat, quo cibos tantisper, dum concocti fuerint, retineat.

6 *Vallesius.* Cur natura meatum, melancholicum succum deferentem, in medium ventrem, ac non potiùs in ipsum ventriculi os implantauit, duplex est ratio. Quoniam etsi diximus ad excitandam appetentiam eo succo naturam vti, tamen ad hoc solum eo vti, non diximus, sed ad iuuandam coctionem, & retentionem præcipuè. Propterea quò vtriq; sufficeret, & præcipuè magis in medium ventrem implantatus est. Præterea ne tota ipsa melancholia in ventriculi os incidens, immodicè ipsum moueret, & perpetuò homo fame canina laboraret. Commodiùs ergo fuit ad medium ventrem deportari, vnde non potest non aliquid in ipsū os assumi, quod modicè, &, vt oportet, excitet; non nimium, & quod in animalis incommodum possit cedere.

7 *Castrensis.* Harum duarum responsionum, quas Vallesius affert, neutra subsistit: nam licèt natura non ad solam excitandam appetentiam melancholicum succum ad ventriculum transmisisset, sed cum hoc ad alios etiam vsus, nihilominùs debuit eligere locum, qui & reliquis vsibus, & huic quoq; esset accommodatus. At vt excitet appetentiam in ore ventriculi, non est accommodatus locus in ventriculi medio: quippe humor à medio ventriculo ad eius partem superiorem, vel ascenderet attractus, vel impulsus: si impulsus, aut impelletur totus humor, vel aliqua eius pars: si impellitur totus, sequentur ea damna, quæ sequerentur, si ductus ad os ventriculi hiaret: si pars sola impellitur, aget natura supra suam ipsius conditionem, & dicetur intellectu gubernari: quippe naturalia agentia agunt, quantū possunt: sola ea, quæ ratione vtuntur, se ipsa possunt moderare. Si verò ascendit attractus, vel attractio ista fit per similitudinem (at similitudo inter humorem melancholicum, & os ventris nulla est) vel compressionem, & tunc dabitur sensatio illa tristis, quæ fames est, ac proinde ante famem sentietur fames. Altera verò responsio, ex ipso met Vallesio potest confutari. Nonne idem met dicit, frequens esse apud Galenum, naturam vna re ad vnum vti, ad alia abuti? Maximè, & hoc quidem verum est, pluribusq; patet exemplis. Cum ergo Vallesius reperit incommoda, quæ afferret melancholicus humor, si totus ad os ventriculi confluxeret, non posset negare, possibile fuisse naturæ, modum reperire, quo isthæc incommoda vitarentur: atq; ita vteretur confluxu humoris ad os ventriculi ad vsū ibi maximè necessarium, & eodem abuteretur influxu ad alios vsus, quos excogitare potuit, neq; enim poterit probare, eos esse impossibiles.

8 *Tubingensis*. Si huiusmodi excrementum, famis excitandæ gratia, ad ventriculum deferretur, certè stato aliquo tempore, nempe cum inanis esset ventriculus, illuc transmitteretur, necesse foret: si enim eo tempore, quo cibis distentus esset ventriculus, ad os eius melancholicum excrementum conflueret, tunc, vt aliquis pleno, ac distento ventriculo esuriret, & fame premeretur, consequeretur, quod tamen absurditate haud vacaret.

9 *Vallesius*. Ego non video, vnde hæc coniectet ille: nam fames naturalis non fit (vt ipse fortasse putat) ante, quàm tertia concoctio, quę peragitur in membris ex priore cibo, iam, iam finitur.

10 *Castrensis*. At ego non video, vnde Vallesius coniectet, mentem fuisse Tubingensis, vt fames fiat ante, quàm tertia coctio in membris iam iam finitur: imò verò ex ipsius met verbis constat, famem naturalem vacuationem venarum legitimo ordine factam sequi. At venę non vno tractu vacuantur, sed membra paulàtim è venis nutrimentum eliciunt: quare iam eliciendi finem assequentur, cum venæ sunt euacuatæ, & sub ipso eliciendi fine est etiam tertiæ coctionis penè terminus. Sed accedamus ad absurda, quæ sequerentur, si aliquis pleno, ac distento ventriculo esuriret.

11 *Tubingensis*. Ventriculi os constringeret, cogeret, atq; exprimeret, adeòq; suctionis sensum excitaret. Non posse autem certo, & stato aliquo tempore, nempe dum inanis, & cibis vacuus est, in ventriculum melancholicum humorem confluere, hinc patet: est enim (vt Galenus ait) excrementum lienis, ideoq; euomitur, & excernitur à liene: quamquàm enim lien ex atra bile nutritur, tamen non nutritur, nisi ex ea, quæ in hoc priùs in familiarissimum illi humorem transmutata fuit. Quicquid verò eius est, quod elaborationem illam, quæ in liene fit, effugit, &, vt nutriat, omnino inutile est, hoc totum lien in ventriculum euomit. Non autem euomitur, & expellitur, nisi tum maximè, cum eo, vt excremento, grauari lien ceperit: id, quod magna ex parte fieri solet, vbi iam alium cibum assumpsit animal: hoc enim tempore melancholiæ elaboratio in liene est perfecta. *G. 1. de vsu p. cit.*

12 *Vallesius*. Ita refutamus illius argumentum. Retentio coctionem præcedit, non minùs quàm appetentia: ergo auxilium retentionis importunè aduenit, cum multo ante incæpit coctio. Sed tu concedis, ad hæc duo conferre coctionem, & retentionem: Ergo si quo tempore dicis influere, non minùs serum esset auxilium ad complendos tuos vsus, quàm tertium hunc, quem dicit Auicenna.

13 *Castrensis*. Per redargutionem respondet Vallesius, cupiens aduersarium suismet armis vulnerare: illæsus tamen adhuc manet: diuersa quippe est ratio, qua humor acidus retentioni, coctioniq; inseruit, ab ea, qua inseruit fami: quocumq; enim tempore confluat, retentioni, coctioniq; inseruiet, quamuis tunc temporis nec retentio, nec coctio peragatur, sed & quamuis etiam peragatur: nam humor iste astringens, & corroborans ventriculi tunicas, eas relinquit aptas retentioni, & coctioni. At verò excitare famem non potest hic humor, nisi præsens vellicet. Possumus etiam respondere, melancholicum succum retentionem, coctionemq; iuuare, nempe conseruando, atq; augendo eam retinendi, coquendiq; facultatem, quam ventriculus suapte natura habet. Ac propterea non inutiliter post inceptam retentionem, coctionemq; iuuare humor, qui accedit, quo perfectiùs isthæc opera compleantur. Deniq; quærendum foret à Vallesio, si debito tempore melancholia accedit, & famem excitat, quo abit posteà, vt desinat fames molestare? Aut si non abijt melancholia, sed adhuc ibi est, cur cessat fames? Neq; recipio Thomam à Veiga (ignoscat mihi præceptor optimus) qui, melancholiam continuè affluere, dixit, & tamen famem, quam excitat, esse naturalem: implicat namq; effectum esse interruptum, causam verò non interruptè agere.

14 *Tubingensis*. Si hoc nomine illuc detruderet, vt ad os eius defflueret, non in

ipsum

ipsum ventriculum, necessarium foret. Non fuit autem opus, ad naturalem famem proritandam, hoc melancholico excremento, cum constet suctionis sensum fieri, etiamsi nullum eiusmodi ad os ventriculi pellatur excrementum.

15 *Vallesius.* Quòd fames etiam suctu fit, fateor, sed nihil prohibet, naturam, vnam ad aliquam rem vna causa præcipua vti, & alia abuti.

16 *Castrensis.* Hoc pronunciatum non videtur hic habere locum: nam natura vtraq; causa vtitur, & suctione, & melancholiæ affluxu. Sed tenebatur Vallesius dicere, siquidem frustra fit per plura, quod per pauciora æquè benè præstari posset, quid deest suctioni, vt oportuerit ei supplementum melancholiæ affluxu præstare?

17 *Tubingensis.* Auicenna, & sectatores eius cum viderent, aliquot melancholicos esse valde famelicos, statim in eam venerunt opinionem, quod melancholia famem etiam excitaret naturalem, quam, vt aliquo fuco ornarent, finxerunt, præter omnem tamen anatomes rationem, & autopsia etiam repugnante, venam quandam, quæ melancholicum excrementum ad os ventriculi deferret.

G. de plenit. c. vltim. 18 *Vallesius.* Galenus libro de plenitudine ita scripsit: *Ex atra verò bile insuaues fiunt, & tetrici, & horribiles, & sitis expertes, ac saliua referti: cibum auersantes, non omnes, sed quidam illorum: manifestè autem sunt famelici, quibus atra bilis aciditatem superantem obtinet: id fieri solet, cum ea malignior redditur.* Posses addere, specierum omnium melancholiæ minimè acidam esse naturalem, qualis est ea, quæ à liene venit in ventriculum. Tamen dicimus, non omnem melancholicum succum famelicos homines facere, sed eum tantum, qui multæ aciditatis est particeps, & malignior, nisi in ipsum ventrem incumbat. Nam si in illum incumbit, famem facit etiam ea, quæ minimè est acida, de qua dictum est in libro de locis affectis. Gal. 3 loc. aff. c. 7.

19 *Castrensis.* Meritò Vallesius non respondet ad venam illam, quam, Tubingensis dicit, Auicennam finxisse, deferentem excrementum ad os ventriculi: meritò, inquam, hoc sine responsione reliquit: nam nemo est, qui ita finxerit, sed omnes, ductum ad medium ventriculi deferre humorem melancholicum, dixerunt. Atq; in hoc Tubingensis reprehensione est dignus, qui Herculem papyraceum fingit, quem vulneret. Quòd verò dixit, Auicennam fuisse inductum ad credendum suo modo ex eo, quòd vidit, melancholicos aliquot esse valde famelicos, respondet Vallesius, hoc optima ratione fuisse dictum, quippe melancholia aciditate sua famem excitat, ac proinde melancholici aliqui famelici fiunt, nempe quibus melancholia naturalis in ventrem decumbit: quippe pauca aciditas, si in ventrem decumbat, famem facit, multa verò, etiam si non decumbat in ventrē. Hoc elicit Vallesius ex verbis Galeni in libello de plenitudine. At si hoc ita est, iam nobis dabit Vallesius Galenum opinionis illius, quæ Auicennæ tamquam inuentori tribuitur, auctorem. Quippe si melancholia naturalis, quamuis paucæ aciditatis sit particeps, dummodò in ventrem decumbat, famem excitat, nihil est, cur ampliùs inter Auicennam, & Galenum pugnam excitet Tubingensis.

20 Attamen res longè aliter se habet: neq; enim Galenus vnquam, aciditatem melancholici humoris, siue ea parua sit, siue magna, appetentiam naturalem excitare, dixit: nam in libro de plenitudine satis se declarat inquiens, *Nec tamen omnes cibum fastidiunt, imò eorum nonnulli satis famelici sunt: in quibus, nimirum atra bilis acida qualitate fuerit affecta, quo fit, vt malignior reddatur.* Sic Galenus duas melancholicorum differentias constituit, vnam eorum, qui cibum fastidiunt, & hi melancholici sunt ab humore atro, suam naturam conseruante: alteram eorum, qui valde famelici sunt, & hi sunt melancholici ab ea atra bile, quæ acida qualitate infecta malignior est reddita. Non ne hinc manifestè colligitur, hos melancholicos, qui famelici sunt, ab humore præter naturam habere,

bere, quòd famelici sint? Non ergo loquitur de fame naturali, sed de ea, quam Hippocrates, vini potione solui, scriptum reliquit; nempe quæ (ex Galeni ipsius sententia) fames canina appellatur. H.2. aph.21.

21 Imò verò Galenus, *nulla acida qualitate* participare melancholicum succum asserit: scio; aliquos pro *nulla* transtulisse minimam, persuasi ex eo, quòd idemmet alibi non semel, hunc succum acidum esse, digerit, præcipuè in libro de vsu partium, vbi ait: *Acerba enim est, atq; acida bilis atra.* Et in libro de victu acutorum sic: *Nam & bilem nigram acidam esse, contingit, cum scilicet præter naturam habente corpore, & syncera, & impermista fuerit: cum rectè valet, plurimum quidem prædictâ habet qualitatis, non tamen exquisitè ipsam.* Cœterùm non potest Galenus à contradictione liberari: siquidem in aphorismis, nigras deiectiones à nigra bile exquisita separat, quia deiectiones illæ *Acres, & corrodentes, & acidum non habent.* Quare qui, melancholicum succum necessariò acidum esse, contendunt (in quorum numero est Vallesius, cum quo nobis nunc res est) dicunt habere quidem melancholicum succum paucam, & quæ sensu percipi nequeat, aciditatem: idq; auctoritate Galeni muniti affirmant, quippe in libello de atra bile, agens de hoc humore sic ait: *Atq; huius quidem ipsius interdum sensus vomentibus prouenit acidi simul, atq; acerbi: quandoq; verò nullam, quæ percipi queat, qualitatem habentis.* Gal.3. loc.aff. c.7. Gal. de vsu p. lib.5.c.4. Gal. 3. acut. com.38. G.4. aph. 21. G.de atra bile c.2.

22 Verùm cum de obiecto sensus agimus, nempe de sapore, qui pertinet ad sensum gustus, non aliter possumus obiectum istud discernere, nisi ex sensu. Si igitur bilis atræ sapor acidus percipi nequit, nullus profectò est. Et quamuis qualitas hæc acida, ob torporem linguæ, aut ob aliam causam percipi nequeat, at saltem suo se effectu necessariò prodit: eius effectus est astrictio, adeò necessarius, vt si astringat, acida sit, si acida sit, necessariò astringat. Non cognoscitur, quòd sit acida, ergo non infert astrictionem, si verò astrictionem non infert, neq; retentionem iuuabit, neq; efficiet famem, atq; restat conuictus Vallesius, qui dum in melancholico succo negat sensibilem aciditatem, negat aciditatem absolutè: quia vbi non sentitur, non adest: si non adest astrictio, non adest astrictionis effectus, nempe retentio, & fames. Atq; ita manet Auicennæ opinio falsa, dum famem naturalem melancholico humori, secundùm naturam se habenti, tribuit. Neq; aliquid mali sequitur, si hos omnes vsus melancholiæ denegemus, & solam abstersionem ventriculi ei concedamus: non, inquam, sequitur aliquod damnum: nam retentionem, & coctionem suapte natura ventriculum molitur: humor enim de foris aduenien non tamquam prorsus, & simpliciter necessarius expectatur, sed tamquàm ad melius esse. Fames etiam fit à tractione; quemadmodùm nos docet Galenus: inanitæ enim partes trahunt à venis, venæ à iecore, iecur à mesaraicis, & hæ à fundo ventriculi, qui ab eius ore tractionem molitur, qua pars illa vellicatur, & fit sensatio tristis, quæ dicitur fames. Qui ergo, ex melancholia famem excitari, dicunt, non negant prædictam tractianem, sed istum humoris affluxum ex superabundantia agunt. Cœterùm cum tractio sit satis, non est, cur recurramus ad causam minùs efficacem, magisq; fortuitam. Gal. de sympt. caus.

23 *Tubingensis.* Mirum verò, cur huic vsum non tribuerint etiam acidæ pituitæ, quæ & ipsa (vt in libro de plenitudine testis est Galenus) famelicos efficit: sed præstat verba eiusdem subijcere: *Ex cæteris, inquit, pituitæ generibus, vnum dulce est, acidum alterum, tertium salsum. Fiunt autem ex dulci somnolenti, famelici ex acida redundante, siti, cum salsa superauerit, siticulosi.*

24 *Vallesius.* Colligitur secundùm naturam, ò Vir argutissime, melancholiæ

illa portio, & secundùm naturam eijcitur, quotidie in ventriculo: pituita acida præter naturam fit, & ex morbo.

25 *Castrensis*. In eodem capite, vbi Galenus, pituitam acidam, ait, efficere homines famelicos, mox infra, paucissimis verbis interiectis, melancholicos; ait, aliquos esse famelicos: quare si cum de melancholia loquitur, naturalem intelligit, cum etiam de pituita agit, intelligit pituitam naturalem. At dices, Galenus addidit acidam, ac proinde ostendit pituitam, de qua loquitur, esse præter naturam. Respondo, etiam cum de melancholia agit, dicit eam debere esse acidam, ac subinde maligniorem. Deinde pituita, licèt insipida sit magis naturalis, acida adhuc non est præter naturam, sed aliquantulum à frigiditate alteratam. Vnde diuidens genus pituitæ in suas species, ait, *Pituitosi humores, alius quidem est acidus, alius salsus, alius dulcis, alius sensibilis qualitatis expers*. Et quoniam solas naturalis pituitæ species recensebat, omisit vitream, quæ præter naturam est, & alibi ab eodem, commemorata. Cœterùm hæc vitrea fit à frigiditate maiore, quàm vt pro natura pituitæ sit: acida verò frigiditatem quidem denotat, sed adhuc inter pituitæ naturalis terminos.

Gal. 1. alim. facul. c. 1.

26 *Tubingensis*. Non esse famem, à iam nominatis humoribus excitatam, naturalem, hinc etiam abundè intelligitur. Non fit enim eo ordine, quo naturalis, quæ quidem à dissipatione, quę cute tenus fis incipere solet.

27 *Vallesius*. Omnes acidi succi, statim ac in ventriculi os incidunt, appetentiam mouent. Id cognoscimus experimento, & ex Galeno didicimus. Cum oris ventriculi perijt appetentia, acidis fructibus vtentes, quotidie illam reparamus: succi, quoq; acidi, cùm in ipso ventriculo gignuntur, aut in eius os aliunde copiosiùs confluunt, nimiam alimenti appetentiam faciunt. Dixit hoc Galenus: frigidi namq;, & mali succi redundantia similem suctui morsum infert; appetentiam verò irritat, naturalis affectus similitudine. De fame ea, quam caninam appellant (dices) est sermo in illo loco: est; fateor; sed dicito mihi, si cum immodicus, & præter naturam congestus succus melancholicus incidit in os ventriculi, facit famem preter naturam, cur non modicus, & qui secundùm naturam quotidie influit, naturalem famem excitet? Cur si multus succus nimiam facit, paucus non faciet paucam, & quæ pro modo naturæ est? Non enim dices, arbitror, alios succos acidos, & frigidos famem facere, vt Galenus dixit, melancholiam autem id non posse: alij enim acore, & frigore faciunt, & hic quoq; acidus, & frigidus est. Quòd si concedis, intelliges, non tantùm fieri posse, vt melancholici hic humoris influxus famem excitet, sed esse ex illis, quæ ex necessitate contingunt. Nam necessariò in ventriculum incidens, acore similem affectum in ventriculo facit ei, qui in fame sentitur.

Gal. 1. caus. sympt.

28 *Castrensis*. Non videtur admittenda consequentia, quam Vallesius ita construit: nempe si maior quantitas melancholiæ appetentiam caninam facit, minor quantitas efficiet minorem appetentiam, hoc est, naturalem: non, inquam, rectè sequitur: nam in contrarium potest fieri consequentia in hunc modum. Multus humor melancholicus in fundo ventriculi existens potest ad os ventriculi regurgitare: ergo paucus etiam potest; & hæc est falsa, ratione materiæ. Deinde cum appetentia canina dicatur vehemens, & indesinens, hoc autem non est eam esse duntaxat maiorem, quàm sit naturalis appetentia, sed indicat aliam differentiam, videlicet caninam esse continuam (hoc significat vocabulum *indesinens*) naturalem esse interpolatam, & statuto quodam temporis interualo adueniens.

29 *Tubingensis.* Cum naturalis fames vacuationem venarum legitimo ordine factam sequatur, non est, cur à melancholico excremento hanc ipsam excitari, credamus.

30 *Vallesius.* Non est, cur quispiam putet, famem, quæ quotidie à modica copia melancholiæ, influente in ventriculum, excitatur, non esse naturalem: consequitur enim necessariò rem, quæ naturæ ipsius prouidentia, & instituto fit, nempe influxum melancholiæ. Sed quæ necessariò, & perpetuò consequuntur causas naturales, secundùm naturam sunt, etiamsi alioquin incommoda essent, & inutilia, vt senium.

31 *Castrensis.* Ex hac quidem parte, nempe quòd ad naturæ opus, hoc est, ad transmissionem melancholiæ in ventriculum, sequatur appetentia, rectè colligit Vallesius, eam esse naturalem: cœterùm ex altera parte, nempe quòd possit fieri absq; venarum suctione, neutiquam naturalis dici potest: finis enim, ad quem natura famem instituit, est refectio substantiæ deperditæ; Cum ergo affluxus melancholiæ non respiciat hunc finem, non dicitur naturalis, quippe naturalis est illa tantùm, quæ operatur propter finem. Dicet tamen aliquis pro Vallesio, imò Vallesius met se declarans affert pronunciatum illud: iam superius repetitum. *Natura vno ad vnum vtitur, ad aliud abutitur.* Sed iam superiùs dictum est, hoc pronunciatum hìc non habere locum: nam hìc supponimus, naturam duabus rebus ad vnum finem vti, nempe suctione, & melancholico humore ad excitandam famem. Suctus autem venarum sequitur ad indigentiam membrorum, & hic est rectus naturę ordo, vt scilicet membra inanita trahant à venis, & sic successiuè tractio in ore ventriculi efficit deuulsionem, quæ dicitur fames. At verò quòd natura conscia indigentiæ membrorum affluxum melancholiæ moliatur, quo tendente in ventriculum os ipsius sibi partem aliquam accipiat, vt tunc, cum oportet, fames fiat, hoc non meliùs peragi posset, si natura duceretur intellectu. Nec verò hìc iterum repetamus opus naturæ, opus intelligentiæ: nam vti diximus, hoc solùm habet locum ad probandum, res omnes ab auctore naturæ in pondere, & mesura fuisse creatas, diuinoq; intellectu ad fines suos directas: cæterùm quòd fines istos per modum agentis rationalis quærant, hoc ad rationalem duntaxat naturam pertinet. Quare subterfugium videtur esse hæc ratio: nimirum quòd affluxus melancholiæ, quia fit à natura, possit efficere, vt fames, quam inde consequi volunt, sit naturalis, cum tamen non sit naturale huic affluxui attendere ad refectionem deperditi: sit tamen naturale tractioni, cui deperditio substantiæ causam præstitit: sunt enim causę efficiens, & finalis inter se colligatæ, at inter affluxum melancholiæ, & refectionem nulla est colligantia: inter tractionem verò, & eandem restaurationem, maximè.

32 *Tubingensis.* Atq; de famis naturalis generatione satis, quam non esse, nisi suctionis sensum, Galenus hoc loco docet. *Gal. 1. sympt. caus. c. 7.*

33 *Vallesius.* Quid quòd hoc non dixit Galenus? Fateor: sed neq; negauit, & ductus ratione addidit Auicenna.

34 *Castrensis.* Duobus quidem in locis debuerat Galenus hunc vsum nos docere, si eum admitteret: vno, quando in libro de symptomatum causis ex professo appetentiæ causas exponit; Cur enim ibi eam siluit, quæ tamen, si est, profectò admirabilis est, & opus infinitæ prouidentiæ summoperè considerandum, de quo Auicenna summo rerum opifici gratias agit? Iterum in opere de locis affectis, quando percurrit omnes vtilitates, quas succus melancholicus translatus in ventriculum per canalem, illuc à liene procedentem, affert, profectò hunc etiam vsum non debuerat omittere, si existimaret, eum à natura fuisse ordinatum: imò verò cum in libro de arteriarum, & venarum sectione superiùs citato, dicat, hunc dictũ in quibusdam, non in omnibus reperiri, parùm curare videtur vtilitates, quæ ad

hunc melancholiæ affluxum consequuntur: omnes enim (vt iam diximus) licet omittantur, nihil absurdi euenit: quippe ventriculus ex se ipso habet & robur & coquendi, retinendiq; facultates, quales officinæ adeò celebri debentur: habet & valde sensibile os ventriculi: quod natura amplissimis neruis ex sexta coniugatione deductis, ad hoc munus constituit, & sic sensus suctionis exquisitè sentitur, nec opus est alio adiumento ex confluxu bilis. Hæc sunt præcipua tela, quæ hinc inde ab his auctoribus fuerunt coniecta, à me diligenter collecta: neq; enim, nisi ea, quæ repetitionem facerent, reliqui.

Tria argumenta, quæ pro Auicenna possent facere, proponuntur, & soluuntur, quibus tota disputatio terminatur.

Articulus Quartus.

NEquid remanere possit Auicennæ sectatoribus (quos in hac parte plurimos esse, scio) quo se tueantur, tres difficultates in medium afferam, quibus enodatis cessat omnis controuersia. *Prima* est, à Vallesio etiam tacta, sed nunc magis diffusè exponenda. Cibi acidi, & astringentes appetentiam mouent: vnde videtur consentaneum, eandem vim attribuere melancholiæ: nam si acidi fructus, vt limones, melogranata, poma aurantia, & astringentes, vt absynthium, pyra cydonia, sorbæ, cum assumuntur appetitum excitant, nempe titillando, & mordendo os ventriculi, cur pituita acida, & melancholia non poterunt suo acore, & titillatione appetentiam excitare? Iam responsum huic quæsito aliqua ex parte est: nam pituita acida famem, vt salsa sitim, excitat, non tamen statuto temporis interuallo, ac proinde non esse appentiam naturalem, neq; naturalem sitim. Melancholia naturalis vel non acida est, vel non habet aciditatem perceptibilem, quod perinde est, ac si eam non haberet: & quamuis acida foret, non est, cur peracta titillatione, quæ famem excitat, statim cesset ab operatione, neq; enim ventriculi os semel hoc humore infectum poterit ita promptè remanere liberum ab ista titillatione, mordicationeuè. Tandem fructus acidi, & astringentes dissolutam oris ventriculi substantiam comprimunt, & sic inappetentibus appetentiam restituunt. At in naturali appetentia non supponimus tunicas ventriculi adeò relaxatas, vt indigeant hac astrictione.

Auic. 10. 3. tract. 2. c. 7. 2 *Altera*. Auicenna, causam fastidij esse, ait, prohibitum defluxum melancholici succi ab splene ad os ventris, quod etiam Paulum sensisse, constat; Sic igitur melancholicus humor sua absentia appetentiam deijcit, præsentia suscitabit. Cœterùm si hanc inappetentiæ causam, inter alias recipere velimus, referendum id est ad deprauatam coctionem: nam si desit in ventriculo melancholicus humor (cui negare nemo potest abstergendi facultatem) ex defectu absterfionis coaceruabitur pituita, augebuntur cruditates, excitabuntur flatus, quæ omnia apta sunt, vt ventriculi functiones impediantur, & humectato ore eius, tractio minus sentiatur.

3 *Tertia*. Corpora laudabili sanguine referta, & nullatenus inanita (qualia athletarum sunt) naturali fame nunquam corriperentur, nisi ex succo melancholico hęc fames prodiret. Respondemus: athletarum famem dupliciter possumus constituere: vel enim propter continuam resolutionem, quam omne viuens patitur, aliquantula aduenit indigentia, ad quam sequitur suctio, quæ, quantumuis exigua sit, facilè tamen à ventriculo benè disposito sentitur: vel propter vitam voluptuosam, non pro necessitatis vrgentia, sed pro consuetudinis exigentia. Nam

etsi

etsi aliquantulum premantur athletarum membra, & genuina ipsorum natura, præ alimenti copia, grauetur, nihilominùs plus potest conquisita, consuetauè mẽbrorum, venarum, & arteriarum voracitas, quàm vt sanguinis ipsorum redundantia sit satis. Non sunt athletæ simplice venarum plenitudine contenti, sed vltra impleri; atq; distendi quærunt; Nam nec proportionem ipsi aliquam seruant difflationis, tractionisq;, sed pro minima difflatione, plurimum alimenti prolectant: quoniam plus cæteris, ob consuetudinem, esuriunt. Exemplo sunt diuitum ventres, qui lautæ mensæ assueti, parcam non tolerant: è contrario illi, qui sanctitatis ergo parcè, continenter, seuerè, sobriè viuunt, tenui victu, & sinè arte dapibus, sibi faciunt satis.

DE IDIOPATHIA, SYMPATHIA, protopathia, deuteropathia, seu hysteropathia.

QVAESTIO DECIMATERTIA.

1 IN limine statim huius quæstionis se poterit aliquis interponere, quęrens, cur inter tot species vnam valde celebrem omiserim, videlicet antipathian, quæ sympathiæ opposita, inter multa huius Vniuersi ornatum componentia, viget, vt videre est apud quendam, qui in dialogo quodam varias tum sympathias, tum antipathias rerum historicè magis, quàm physicè percurrit. Aliquas Fracastorius in opusculo huic rei dicato, philosophicè, subtiliter, & acuratè pertractat. Possent tamen aliquæ his, quæ ille scripsit, adiungi. Verùm præsens occasio non postulat, vt physicè, aut etiam metaphysicè vniuersalem creatarum rerum naturam speculemur. Metaphysicè, inquam, quoniam etiam spirituales substantiæ cum corporeis sympathian, antipathianq; aliquam suo modo habere dicuntur, de quibus legendus omnino est Martinus del Rio. Nos autem nunc intra medicos confines versamur, sumpta nimirum occasione ab his, quæ in expositione contextus tractare polliciti sumus: nempe an per sympathian fiant aliqui morbi, & consequtione sermonis declarare oportet, alios per idiopathian, alios per protopathian, per deuteropathian, seu per hysteropathian alios fieri: nempe respectu vnius membri ad aliud. At verò per se notum est, omnès morbos, & morborum causas vniuersim cum natura nostra antipathian habere: de hoc nec dubitare quispiam potest, nec oportet agere. Cœterùm has species, quas medicè pertractamus, pertractauit priùs Vallesius: ijs tamen, quæ ab eo valde doctè scripta sunt, aliquid adiungere visum fuit oportunum.

Erast. in dialo.

Hier. Fracast.

Marti. del Rio disquisit. mag. lib. 6. c. 2. sect. 3. q. 3.

Vallesf. in fine lib. 4. controu.

Quid sit idiopathia, quid sympathia, & in quo differant inter se.

Articulus Primus.

PAti aliquod membrum per idiopathiam, seu per proprietatem, siue per essentiam, tunc dicitur cum proprio laborat affectu: per sympathiam autem, siue per consensum, cum affectum patitur aliunde communicatum. Hanc tamen doctrinam videntur verba Galeni labefactare: quandoquidem ait: *Conuenire quidem*

Gal. 1. de loc. affect. c. 3.

dem potest in idem per propriam passionem, & per consensum ægrotare. Sic ille. Si ergo isti duo affectus in idem conuenire possunt, non rectè quidem faciunt duo membra diuidentia vnius diuisionis. Vallesius, deprauatum esse codicem, ait, legendumq; putat, non per propriam passionem, & per consensum, sed per propriam passionem, & secundariam: differre autem secundariam passionem ab ea, quæ per consensum est, mox dicemus. Hoc igitur (si cum Vallesio legamus) stare potest: siquidem secundaria affectio potest esse propria, & sic diuisio non remanet vitiosa. Thomas à Veiga interpretatur Galenum, neq; ad contextus emendationem, tamquàm ad asylum confugit: ait igitur, licèt duo membra diuidentia inter se coire nequeant, posse tamen fieri, vt ex altero membro diuisionis, ad alterum affectus permutetur. Atq; ita intelligitur pati aliquid per proprietatem, & per consensum, non simul, sed quando morbus secundarius incepit per consensum, posteà verò firmitatem acquisiuit, & in affectum per proprietatem mutatus est. Et re vera siquis Galeni verba attentè legat, ipse se ipsum declarat adiungens: *Quippe per consensum facti ad huiusmodi permutantur idiopathiam.*

Vallesius. *Tho. à Veiga.*

2 Dicendum potiùs est, morbum esse per consensum, qui exquisitè hoc nomen meretur: nempe ille, quem non rectè diatesim, hoc est, affectum nominabimus, sed pathon, siue passionem: quare nondum morbi nomen meretur, neq; essentiam habet factam, sed adhuc in fieri, ac proinde nullam propriam requirit curationem. E. g. si caput doleat propter consensum cum ore ventriculi, dum dolor capitis non habet in capite causam permanentem, auferetur curato ventriculo, & tunc totus sympathicus est. Morbum, inquam, istum, qui nihil habet factum, posse progressu temporis aliquid firmum, factumq; in eadem parte habere, ita tamen, vt adhuc ab alio aliquid per consensum accipiat; Sic morbus est per consensum secundùm eam partem, quæ adhuc fit, morbus per idiopathiam secundùm aliam, quæ est facta. Quapropter in dolore capitis, sanato ventriculo, tantũdem dicemus idiopathiæ fuisse, quantumdem remanet. Cum ergo affectus per consensum, nisi succurratur, in dies magis, ac magis firmari potest, fit, vt ex sympathico deueniat idiopathicus. Itaq; morbus, qui fit, & iam partem notatu dignam habet factam, est simul per sympathian, & per idiopathian, secundùm tamen diuersas partes consideratas.

3 Nec verò est inconueniens, duo membra diuidentia, quæ sunt veluti duo contraria, posse simul coire, dummodò intelligantur secundùm diuersas rationes. Hanc esse mentem Galeni, colligo, ex verbis eiusdem, quando sic ait: *An proprio affectu, an per consensum, an vtroq; modo laboret.* Dixit *vtroq; modo*, hoc est, partim per consensum, partim per proprietatem. Quæ consideratio ad praxim non est parum vtilis: nam quæ merè per consensum affectio est, nullam (vt diximus) propriam exigit curationem: quæ merè per essentiam, totam expostulat industriam: quæ partim per consensum, partim per essentiam, mistam secum fert indicationem, vt vni succurramus, altera non neglecta. Porrò potest dari morbus per idiopathiam sinè morbo per sympathiam, non tamen è contra.

Gal. 1. loc. aff. c. 5.

Differentia inter morbum per sympathiam, & morbum per deuteropathian, siue per hysteropathian, seu secundarium.

Articulus Secundus.

QVoniam diximus, morbum per sympathiam fieri ex morbo per idiopathiam, videbitur alicui, morbum per sympathiam, & morbum secundariũ coinci-

coincidere in idem; quippe sympathica affectio secundo loco fit post primariam, hoc est, idiopathicam. Cœterùm maximè inter se differunt: nam sympathicum, iam diximus, esse omnino in fieri, secundarius verò omnino est factus. Dicitur autem secundarius, quia fit post alium, non tamen quòd à priore in suo conseruari dependeat. E. g. si quis, corpus plethoricum habens, laboret ingente bubone ab vlcere, cum vlcus inductum fuerit cicatrice, permanet adhuc bubo, vel in suppuratam inflammationem transiens, vel in schirrosam dispositionem, quam chærada greci vocant, Celsus strumam, alij scrophulas. Nemo, has scrophulas primarium esse morbum, dixerit, siquidem ob morbum præcedentem accidit: nemo etiam eum per consensum appellauit, siquidem non conseruatur per communicationem cum priore morbo. Sic etiam vlcera pessima, quæ interdum post variolas relinquuntur, secundarij sunt morbi, & quamplurimi alij, quos videre vnicuiq; licet in eo tractatu, quem elapsis annis scripsimus, & *Quæ ex quibus* inscripsimus, sumpta nempe inscriptione ex verbis Hippocratis, quod ignorans Satyrus, in irrisorum cathedra sedens, irridendus ipse irrisit. Dicuntur itaq; morbi isti secundarij per deuteropathian, hoc est, secundo locos accedentes: dicuntur etiam per hysteropathiam, hoc est, posteriores, quorum aliqui ad bonum ægrotantis fiunt, alij ad malum: omnes tamen habent essentiam factam, non à prioribus dependentem, vt ij, qui per sympathiam fiunt.

Cor. Celsus.

Quæ ex quib.

In quo differat morbus per Idiopathiam à morbo per protopathiam.

Articulus Tertius.

CVM vteriq; morbi, tam per idiopathiam, quàm per protopathiam, esse priores, nec alios ante se habere videantur vnde nam inter illos quærendum discrimen est? Nempe ex eo, quòd morbus per idiopathiam, seu per essentiam, absolutum habet esse absq; respectu ad alterum: morbus verò per protopathiam dicitur respectiuè: quippe primarius est: neq; verò primarium dicimus, nisi respicientes ad secundarium, atq; ita sicut morbo per idiopathiam oppositum esse, diximus, morbum per sympathiam, sic nunc dicemus, morbum per protopathian, seu primarium opponi morbo per deuteropathiam, hoc est, secundario. Porrò sicut diximus, vlcera pessima relicta post variolas esse morbum secundarium, ita nunc dicemus, variolas ipsas esse morbum primarium, ita tamen, vt morbus non dicatur primarius, nisi post aduentum secundarij, sicut homo non dicitur pater, nisi postquàm habet filium. Relatio igitur prioritatis fundamentum habet in re, nempe in morbo, qui curationem expostulat: prior ne, an posterior sit, scire confert, tum ad prognosin, tum etiam ad diagnosin: quippe ex præcedentis morbi cognitione, & futurum multoties præcognoscimus, & ex posteriore cognito, vt posterior est, cognoscimus eius naturam, naturæ morbi prioris aliqua ex parte affinem.

2 Alia etiam differentia est: quippe morbus per idiopathiam, seu per essentiã, potest adhuc esse in fieri, nullam adhuc firmitatem habens: sufficit enim ad hoc, vt per essentiam dicatur, quòd non fiat per consensum alterius partis affectæ. At morbus per deuteropathian, seu secundarius, necesse est, vt sit factus, & stabilis: quippe aliter non potest alium morbum ex se gignere. Hoc non videtur intellexisse Vallesius, qui concedit, appellari posse eum, qui fit adhuc, & nondum est, morbum per protopathiam, cum tamen contrarium sit dicendum: morbus enim, *Valles.*

qui

qui fit, si aliunde non dependet, est per idiopathiam, neq; enim respicit alium, quàm se ipsum: vt autem fiat per protopathiam, cum necesse sit, vt secundarium gignat, non potest, non esse factus. Nam quemadmodùm fructus non nisi perfectè maturus semen profert, alteri fructui gignendo aptum, & animalia non nisi in ætate prouecta semen fœcundum habent, sic morbi non nisi facti aliorum genitores dicuntur. Huius rei ratio facilis captu est: nam supponamus, morbum fieri, si alter ab eo procedit, iste alter vel dependens est ab illo priore, vel non dependes; si est dependens, est per sympathiam, non secundarius, ac proinde ille, à quo dependet, est per idiopathian, non per protopathiam: si verò iste alter non dependet à priore, prior iam necessariò est factus: absurdum enim est dicere, morbum in fieri gignere morbum factum: nam quomodò maiorem vim habebit causa morbifica in membro, ad quod transmittitur, quàm in eo, quod priùs occupauit? Aduertendum autem est, morbum factum hic appellari eum, qui non ampliùs dependet à causa, neq; expostulat curationem separatam à præseruatione, sed solam indicationem, quæ sumitur à morbo. Morbum fientem ex aduerso eum, qui à sua causa dependet, & mistam habet indicationem: quæ acceptio communissima est, quamuis in ea tradenda circulum fieri videatur, quod ex professo tractauimus in tractatu de complexu morborum, vbi veram morbi facti rationem ex stabilitate accipi, dicimus, quæ etiam acceptio hoc loco quadrat.

De complexu morborum.

3 Siquis verò dicat, non esse impossibile ex morbo, dum fit, gigni morbum, qui dicatur factus: quippe nobilitas partis facit, vt morbus quam primùm accipiat essentiam stabiliorem, quàm illa, quæ in membro, à quo transmittitur, morbus erat (e. g. potest fieri obstructio in cerebri ventriculis, & subinde apoplexia, transmissis ex ventriculo vaporibus, qui non adhuc stabilem morbum in ventriculo fecerant) respondendum est, vapores multos, & valde crassos, & qui facilè concrescant, non transmitti ex ventriculo, nisi quando ventriculus intemperie iam facta, hoc est, stabili laboret: quòd si maiora symptomata sint in cerebro, hoc fit ratione præstantiæ illius partis, quod non tollit, quominùs ventriculi morbus fuerit priùs factus, morbus autem cerebri per aliquod breue spacium in fieri. At dices, ex vaporibus in febre fiunt phrenitides: ita est: verùm febris est morbus vniuersalis, habetq; essentiam stabilem, & in cerebro fit priùs simplex delirium per sympathiam, posteà phrenitis, quæ non est sinè abscessu, vt alibi tractamus.

Quot modis fiat morbus per Sympathiam.

Articulus Quartus.

Gal. 3. epid. sect. 1. ægrot. 1

Membra aliqua esse magis apta pati per Sympathiam à quibusdam membris, quàm ab alijs, vno è tribus modis accidere, ex Sabino refert Galenus: videlicet aut propter viciniam, vel propter familiaritatem generis, vel operis: generis, vbi neruosum neruoso, arteriosum arterioso consentit: operis, cum mammæ vtero, thorax partibus genitalibus. Ego tres sympathiæ modos aliter constituo. Primus est ratione communitatis vasorum, & continuitatis partium: iccirco vterus, qui arteriarum, neruorumq; myriadibus cerebro, & cordi colligatur, eisdem consensum præstat: ventriculus cerebro propter magnum neruum ex sexta coniugatione ad ventriculum accedentem, vnde ex capitis affectibus vomitus accidere solet, ex affectibus ventriculi dolor capitis. Partium continuitas efficit, vt labium tremat ventriculo parato ad vomitum, & vt, eodem ventriculo praue disposito, lingua cibos abhorreat. Hinc etiam est, quòd *Balbi alui profluuio maximè capiuntur*, vt docuit Hippocrates: nempe quoniam tunica linguam vestiens

H. 6. aph. 32.

ftiens in balbis adeò debilis eft, vt R. literam proferre non poffint: eadem autem tunica, & ventriculo continuatur, & ad inteftina defcendit.

2 Alius modus fympathiæ eft ob rectitudinem meatuum; propterea hemicranea in dextra capitis parte ob iecur malè affectum confiftit, in finiftra ob lienem. Pars pofterior capitis renibus correfpondet, anterior ventriculo, media vtero.

3 Tertius ob arcanam quandam analogiam: ita cor ventriculo maximè confentit, adeò vt veteres os ventriculi cor appellauerint, & ventriculi affectum cardialgiam, hoc eft, cordis dolorem folent appellare. Similiter diaphragma cum cerebro confenfum habet: fiquidem ex diaphragmatis inflammatione delirium oritur. Quapropter quemadmodùm ex vno ægrotante non accedit contagium ad omnes, fed hic inficitur, ille verò minimè, ita inter membra noftri corporis, hæc potiùs, quàm illa tacita quadam analogia confentiunt. Neq; verò quifpiam ad maiorem apparatum, quem aliqua membra habent plus, quàm alia, confugiat. Nam vel ifte apparatus manifeftus eft, vel occultus: fi manifeftus ita, vt ex fimilitudine temperamenti, aut praua corporis difpofitione eueniat, ifte modus reducetur ad priores: aut enim per communitatem vaforum, vel per meatuum rectitudinem: fi occultus, pertinet ad hunc tertium, quem, diximus, effe arcanam quandam analogiam.

In quo confiftat fympathiæ ratio.

Articulus Quintus.

FIT fympathia aut cum ad vnum membrum ex alio tranfmittitur aliquid præter naturam, vt funt fuffufiones propter vapores è ventriculo eleuatos, aut cum non tranfmittitur id, quod tranfmitti oportet: fic cryftallino humore patiente defectum proprer nerui optici obftructionem, vifio impeditur. Ideo rectè dicitur, membrum in functionibus facultatis animalis, fi eius actio lædatur, etiamfi non fit læfum, pati, non tamen affici: patitur namq; defectum actionis, non afficitur, quoniam nullus in eo eft affectus, fed duntaxat rei neceffariæ, quæ aliunde expectatur, defectus. Itaq; cryftallinus humor nullum habet affectum, fed tamen virtutis, è cerebro defluxuræ, patitur defectum, & eft fympathia non ob tranfmiffum aliquid, quod non oporteret tranfmitti, fed ob non tranfmiffum aliquid, quod tranfmitti oporteret.

2 Cum verò fympathia accidat inter membra diftantia, cum rurfus ex Ariftotele omnis actio fiat per contactum, fi nihil mandatur ab vno membro ad aliud, dicemus, vnum in aliud agere priuatiuè, hoc eft, agere, inferendo detrimentum priuatione debitæ facultatis.

3 Cœterùm cum aliquid mandatur, vel eft humor, vel vapor, flatulentaq; fubftantia, vel nuda tantùm qualitas. Cum humor mandatur, præftò ex fympathia fit idiopathia: fiquidem humor in parte receptus, facilè fe fe infinuat, adeò vt peculiarem requirat induftriam, ac proinde iam in illa parte eft per effentiam. Vapor poteft per multos dies tranfmitti, manente femper affectu fympatico: nam vaporis, & flatulentæ fubftantiæ proprium eft, facilè diffipari, & nifi frequente, ac diuturna vaporum receptione membrum aut imbecille, aut intemperatum reddatur, femper morbus per confenfum effe perfeuerat. Multò magis fi fit qualitas id, quod tranfmittitur: qualitas enim cum fit præter naturam membro cui accidit, fuperatur à proprio membri temperamento, donec tandem ex multis actibus fiat vnus habitus, ac ex difpofitione euadit affectus habitualis: vt in eo, cui renes incalefcunt propter iecoris caliditatem, huic, perfeuerante calidi iecoris actione, re-

num calor proprius, nec amplius per consensum efficitur, & non solùm proprius, sed etiam difficulter eradicabilis.

4 Dubitabit aliquis, an præter has duas sympathias detur tertia, quæ neq; fit, quia transmittitur aliquid superfluum, neq; quia non transmittitur aliquid necessarium. Ratio dubitandi est, quia inter modos, quibus fit sympathia, vnum, diximus, esse per simplicem analogiam: at in hoc sufficit consensus vnius membri cum alio ex propria natura, & arcana proprietate. Deinde si ex vno homine ad aliud sympathia euidens intercedit absq; eo, quòd inter vtrumq; transmittatur aliquid, vel non transmittatur, multò magis ex vno membro ad aliud hęc sympathia possibilis erit. Oscitante vno, aut mingente, aut sternutante, alius oscitat, mingit, sternutat. Hæc ergo argumento esse possunt ad concedendam inter duo membra sympathiam, ex simplice ipsorum analogia. Si quis ad saxum offendit, ob ingentem dolorem sequitur nausea, & vomitus in ventriculo: similiter *A singultu habito, sternutatio superueniens liberat*: cum tamen sternutatio ad nares, singultus spectet ad ventriculum: iniecto euphorbio, aut pypere, aut re aliqua mordaci in vlcus cuiuslibet partis, rigor vniuersum corpus occupat. Iam ergo ex his colligi potest, eandem analogiam, quę est inter duos homines, esse inter duo vnius corporis membra.

H.6. aph. 13.

5 Cœterùm ne incidamus in errorem Auicennæ, satis iam à plerisq; impugnatum, qui existimabat, posse vehementem imaginationem in alieno obiecto per tacitam quandam, & arcanam analogiam operari, dicendum est, prædictos aduentus naturales, & valde notas habere causas: & quod attinet ad sympathiam inter duos hominis, eius causa imaginatio quidem est, non tamen imaginatio eius, qui primò oscitauit: nam hæc quid potest in corpus alienum imprimere? Sed imaginatio alterius, qui oscitantem vidit: quippe ex conspectu mota est phantasia, & oscitationem representat; Cum verò iste conspiciens non haberet priùs in se tantam causam, quanta ad oscitationem, si nihil cogitaret, sufficeret, habebat tamen tantam causam, quanta à vehemente cogitatione posset excitari: quemadmodùm enim, cui mens ægrotat, aut ille, qui in prælio vulneratur, non dolet, etiam qui minimam oscitandi causam habet, nihil interim de oscitatione cogitans, non excitatur ad oscitandum: accedente cogitatione, iam causa illa minima potens fit ad agendum. Quod de oscitatione diximus, de mictione, de sternutamento, & alijs dicendum est, quod videre libet apud Aristotelem.

Arist. sect. 7. problem. 2.

6 Sed quomodò (dicet aliquis) cogitatio potest augere causam? Non auget causam, quippe eadem est, quæ priùs erat: sed auget sensum partis, dum illuc spirituum copiam transmittit, atq; ita pars sensibilior reddita, minima quæq; discernit, & natura à minimis, quæ discernuntur, molestatur, & ad expellendum insurgit. Motum autem spirituum esse quoquouersùm, ostendit pudor, ira, metus, & reliquæ animi passiones. Concurrere autem spiritus ad partem, ad quam imaginatio deuoluitur, constat ex pruritu, ex penis erectione in conspectu venereo: excitari autem naturam ad expellendum id, quod molestat, cognoscitur ex conspectu rei turpis, ex quo vomendi voluntas oritur: neq; enim omnes ex turpi conspectu ad vomendum mouentur, sed ij, quibus ventriculus imbecillis est, & subinde facilè alterabilis.

7 Quod attinet ad consensum membrorum, non est negandum, vnum aliquod membrum maiorem analogiam habere cum quodam alio, quàm cum cæteris: hinc tamen non accidit, vt possit vnum ab alio morbum recipere absq; eo, quòd materiam nocuam transmittat, aut desinat transmittere proficuam. Quid ergo facit analogia? Nempe vt facilior, frequentiorq; inter analogica, quàm inter reliqua, fiat communicatio. Itaq; non sola, & per se analogia est causa sympathię, sed sympathicam affectionem faciliùs admittet. Est etiam communis inter om-

nia

nia membra consensus: vnde Hippocrates, *Consentientia cuncta*. Prouenit communis hic consensus ex eo, quòd vna anima est, vna omnium membrorum forma, sicut totiùs. Cum ergo dolor vehementissimus alicui parti de repente incidit, v. g. tibiæ ex offendiculo, pars percussa cõtrahitur quippe doctrina quadã innata cupit fieri minor, vt minor sit dolor, saltem quantitate subiecti: ad eius contractionẽ cõtrahuntur successiuè reliqua omnia membra. Nec mirum est, quòd successiuè, & adeò velociter fiat contractio per omnia à summo vertice vsq; ad extremos pedum digitos: facit hoc sentientis animæ vnitas: sic etiam facultas animalis, cuius sedes residet in cerebro, imperat, vt pedum digiti moueantur, & ad hoc imperium absq; vlla mora mouentur: quippe *Natura communis vna*, vt idem ait. Hæc igitur *conspiratio vna* efficit, vt contractis particulis omnibus, & concurrentibus spiritibus in subsidium læsionis, vbiq; fiat tumultuatio: quamuis autem magis cõspicua appareat in ventriculo, quia membrana quædam magna, & facilis conuulsionis est, vt apparet in frequentia singultus, nihilominùs in cœteris etiam membris sentitur perturbatio: caligant præ nimio dolore oculi, & scintillas quasdam sibi representãt: auditus hebescit, & quasi è longè sonitum percipit: capilli capitis eriguntur, & deniq; fit vniuersalis quædam excussio, à facultate quidem animali, sed quæ ita coacta operatur, vt non liberè, sed necessariò videatur agere: vt si quis digitum comburat, qui præ dolore combustum digitum, imò & manum excutit, motus quidem ille à facultate animali est, sed ab ea valde coacta, & quasi necessariò operante. Deniq; vt non desit pars aliqua, quæ in dolore vehemente alteretur, in eo crebrescit respiratio, & similiter pulsus: quippe in magno dolore laborat virtus animalis, ad quam dolor pertinet: periclitatur vitalis, ad quam spectat spirituum resolutio.

8 Causa autem, cur *A singultu habito, sternutatio superueniens liberat*, hæc est: singultus si à repletione fiat (de hoc tantùm sententiam Galenus intelligit) accidit propter humorem tunicę oris ventriculi impactum, qui nullo modo meliùs extrahi potest, quàm concussione, siue excussione: hanc autem sternutatio facit, siquidem sternutando omnia membra commouemus. Hinc est, quòd si quis doleat partem aliquam etiam valde distantem, & sternutet, ex sternutamento augetur dolor. Nec est, cur Cardanus obijciat, si ita fieret, cessare etiam posse singultum, si homo sternutamentum cieat: nam nos hoc illi concedimus, quippe experimento compertum est, etiam ex sternutamento à nobis excitato, cessare singultum. Verbum autem illud *superueniens*, tam superuenire arte, quàm naturæ viribus significat. Itaq; si sternutatio, non nisi à natura facta, singultum solueret, esset sternutatio signum duntaxat soluti singultus: ea enim, quæ signa sunt non possunt suppleri à natura. At cum sternutatio sit causa solutionis singultus, arte etiam fieri potest, neq; est, cur in hoc casu non possit ars esse naturæ æmulatrix.

9 Cur autem si re aliqua mordicante vlcus conspergatur, horror, rigorue vniuersum corpus occupat? Aristoteles causam, cur mingentes horrescimus, saltem in fine mictionis, eam ad aëris frigidi ingressum refert. Cœterùm, cum aër frigidus solam aliquam partem, cui occurrit, possit stimulare, debuerat vlteriùs causam indagare, cur vna parte stimulata, omnes in consensum trahuntur. Hoc referri in primis potest ad gentilitatem partium (sic appellat Hippocrates similitudinem) imò identitatem naturæ, quam venæ cum venis, arteriæ cum arterijs, ossa cum ossibus, nerui cum neruis, musculi cum musculis, membranæq; cum membranis habent. Cum ergo in vlcere aliquæ sint detectæ membranulæ, aliqui etiam musculi, si purgantur, doctrina quadam innata membranas, musculosq; in consensum trahent. Cœterùm videtur hunc etiam euentum posse reduci ad priorem, ad quem etiam reduci potest secundus; Quare omnes ad communem cunctorum membrorum consensum si reducantur, nihil absurdum est. Itaq; quem-

Arist. sect. 8. probl. 10. 14.

Hip. de loc. in homine.

admodùm diximus, ex percussa cruris tibia dolorem repentinum, acerbissimumq; insequi, ad quem consequitur partium omnium contractio iam dicta, sic in sternutamento partes omnes concutiuntur, quod ostendit dolor, qui vbicumq; doloris causa est, sternutando excitatur. Quare cum concutiantur omnes partes, concutitur ventriculus, & causa singultus, quæ ibi tunc adest, exprimitur, & extrahitur: quòd si non adsit singultus, non apparet in ventriculo commotio magis, quàm in cœteris partibus. Eodem tandem modo detecta caro in vlcere exactè sentiens est, ac à minima qualibet causa valenter irritatur: quòd si à minima causa, quanto magis à valde pungente? Ergo si simpliciter tangente manu dolor fit in vlcere, quo membra vniuersa contrahi videntur, tangente verò acutissimo euphorbio, aut pypere contractio valde maior oboritur, quam natura emendare cupiens, dilatationem molitur, & sic ex dilatatione, & compressione compositus est motus, qui horror dicitur, &, si maior sit, rigor: nam horror, & rigor differunt duntaxat secundùm magis, & minùs.

TEXT. XXXXIV.

Cibus iuuenibus facilè, ac leuiter putrefactus, senibus verò ad summũ transmutatus, his, qui in vigore ætatis consistunt, impermutabilis.

COMMENT.

TAmetsi vario modo à plerisq; ætatum numerus computetur, placuit tamen Hippocrati in præsente trium duntaxat mentionem facere, quæ secundùm accretionem, & decretionem considerantur: prima enim est, quæ continet omne tempus, in quo corpus augetur: altera, quæ vigorem ætatis complectitur, hoc est, consistẽtiam, cùm nec accrescit, nec decrescit animal: tertia, quæ declinationi, & decretioni, eo modo, quo superiùs est dictum, debetur, & senectus appellatur. Hanc diuisionem recepit Aristoteles, qui dissimulato Hippocratis nomine, ab eo multa accepit: inquit enim, *Iuuentus est accretio, quam prima refrigeratrix pars suscepit, senectus eius partis diminutio: medium verò, quod inter accretionem, & diminutionem intercedit, firmitas, ac vigor est.* Meritò autem Hippocrates nunc per accretionis gradus ætates numerat, siquidem agit de alimento, cuius mensuram ex accretionis occasione ordinat. Vnde, *Qui crescunt,* (ait ille in aphorismis) *plurimum habent calidi innati, plurimo propterea indigent alimento;* Licèt aliquando magis exquisitè ad tolerantiam ieiunij respiciens, quatuor numerauit ætates: nam *Senes facillimè ieiunium ferunt: secundo loco, qui ætatem consistentem habent; minùs adolescentes: omnium minimè pueri, præsertim qui inter ipsos sunt viuidiores.* In præsente autem, quoniam de præparatione ciborum est sermo, tres tantùm ætates visæ sunt sufficere.

[margin: Ar. de respir. in fine]
[margin: H. 1. aph. 14.]
[margin: H. 1. aph. 13.]

Cibus iuuenibus facilè, ac leuiter putrefactus. Variant interpretes hìc in translatione vnius vocabuli: nam vbi à nobis cum Cornario, & Mercuriali dicitur, *Cibus facilè ac leuiter putrefactus*, Fracantiano placuit *parùm maceratus*, Cardano autem verbaliter *parùm maceratur*, Vallesio, *facilè putrescens*, Marinellus non discrepat à Cornario. In Foesij textu est *leniter coctus* licèt in annotationibus, & in œconomia aliter interpretetur, vt dicemus: Caluus totam sententiam in hunc modum transtulit: *Pueri cibum putrefaciunt, adolescentes non mutant, senes penitus mutant.*

[margin: Fracant. Cardan. Valles. Marinell. Foesius. Caluus.]

In hanc varietatem deduxit authores omnes vox græca ἀκροσαπὲς, quę neq; apud Hippocratem alibi, nequè apud alium authorẽ, quem ego sciam,

reperitur: ac proinde vnicuique campum præbet excurrendi, quò velit. Galenus tamen in Exegi sic habet: ἀκροσαθὴς τὸ ὑπόπολὺ, μετὰ βελχιῶς, in summo, ac superficie immutatum: alij codices habēt ὑπόβραχυ, hoc est, parùm immutatum.

G. in exegi

Cœterùm si mutationis nomine, coctionem velimus intelligi, intolerabilis redditur sententia: quippe nulla est ętas, in qua parùm coctus cibus cōuenjat: caro, v. g. siue sit assa, siue elixa, nec vltra coctionem transire debet, nec infra subsistere, nam vlteriore coctione semiusta euadit, citeriore semicruda manet. Quare Vallesius, dum ait, putrefactionem pro coctione ab Hippocrate quandoq; vsurpari, benè quidem loquitur, sed dum in hoc loco parùm putridos cibos, (quos Hippocrates ait conuenire iuuenibus) vult esse parùm coctos, non est recipiendus: nam si ita accipiatur, cur in vigore ætatis conuenient cibi non mutati, hoc est, non cocti?

Alij, mutationem, dicunt, esse macerationem, atquè ita carnes mutatas appellant eas, quæ non statim, ac mactata sunt animalia, comeduntur, sed per vnum, vel alterum diem seruantur. Mercurialis tamen non assentitur eis, qui teneras, & quæ per diem vnum, vel alterum appensæ seruantur, recentibus semper præferunt; Affirmat namq; teneritudinem istam veluti putredinem quandam, aut saltem preparationem ad putredinem esse, quæ cibum dentibus quidem faciliorem, & gratiorem reddit, sed qui posteà in venis deteriores succos, & longo tempore prauas affectiones progignere queat. Vnde laudat Hippocratem, siue Polybium, qui in libro de diæta sic ait: *Recentia omnia plus virium alijs præbent, eò quòd viuenti sint proximiora: vieta vero, & marcida recentibus excernuntur magis, quòd ad putredinem propriùs accedunt,*

Merc. l. 2. varia. lect. c. 7.

Hip. 2. de diat.

In hac sententia Mercurialis assentitur præceptori suo Fracantiano, qui negat cibum parùm putrefactum conuenire iunioribus, cum nulli conueniat cibus, à quo putridi generātur humores, neq; ex verbis Hippocratis tale quid vult posse colligi; sed vbi legitur parùm putrefactus, legendum putat, parùm maceratus, vel parùm mutatus. Cœterùm si quemadmodùm carnes iā aliquod putredinis rudimentum in se habentes, quod fætore indicatur, dānandæ sunt (neq; assentior prouerbio dicenti, perdicem comedentes manum alteram in ore, alteram in naribus habentes.) ita etiam citra hanc putredinem magis laudo antiquiores, hoc est, quę appensæ per aliquot horas seruatæ fuerunt, quàm quæ statim, ac occisum animal, aut volucris est, elixantur, vel assantur. Neq; puto, maioris momenti rationem esse, sumptam ex eo, quòd animal recēs mactatum propinquius est viuo, quàm ratio alia sumpta ex eo, quòd reposita caro adhuc cruda friabilis efficitur. Vnde Galenus cum dicat, *Recens tamen non turtur modò non est mandenda, sed nec perdix, nec alia omnia, quæ carnem habent moderatè siccam, sed vbi vnum diem ad minùs suspenderis, ita demum mandas, licet. Porrò palumbes, præter quam quod carnē habent columbis, & perdicibus, & turturibus duriorem, difficilem etiam ad coquendum, & excrementitiā habent. Perdices verò, ac turtures, neq; durissimas habent carnes, neq; concoctu difficiles, neq; prauo succo vitiosas; sed & ipsarum durities, si mortuæ vno die seruentur, facilè vincitur, fiuntq; friabiles omnino, atq; inculpatę: alimētum enim corpori dant laudabile, sanguinemq; minimùm viscosum generāt, & crassi, ac tenuis medium. Proinde quibus salubris cibus curæ est, eos, vt arbitror, vti his conueniet.* His verbis planè ostendit, quàm vtile sit, carnes appensas seruare aliquandiu, vt sint friabiles, non tamen tandiu, vt vietæ efficiantur. Sed reuertamur ad contextum, à quo nos deuiauit damnata immeritò friabilitas.

G. de attenuāt. vict. rat. c. 8.

Præsentem contextum citat Galenus, non tamen admodùm fideliter: siqui-

G. de opt. sect. ad Trasybul. c. 45

siquidem duas duntaxat commemorat ætates: inquit enim, *Cibus iuuenibus quidem in summo ætatis flore non mutatus, senibus autem exquisitè permutatus*. Cur priorem ætatem omiserit, ignoro: scio tamen, claudicare sententiam, si non omnes tres cõmemorentur. Porrò cum iuuenes plures patiantur effluxus substantiæ (quare æstate deteriùs habent) cibos expostulant parùm immutatos, vtpote qui diuturnam moram in corpore antequàm perfectè sunt cocti subeunt, quippe duæ (vt vult Galenus) durabile præstant alimentum. Qui verò in consistendi ætate sunt, medio modo se habent: neq; enim parùm mutatos cibos exigunt, nec nimiùm mutatos, atq; hos vocat Hippocrates impermutabiles, hoc est, qui cum in medio consistant, negationem secum afferunt extremorum. Senes, vt pote quibus debilis est calor, cibus valde multùm permutatus decet. Non dum autem diximus, quid mutationis nomine sit intelligendum, id tamen deinceps paucis expediam.

G. 1. de ali. fac. c. 23.

Cibus redditur coctu facilis præcedente exteriùs præparatione: quemadmodùm enim, inter coctiones, quæ intra corpus nostrum fiũt, coctio præcedens confert ad subsequentem, sic coctio, quæ fit exteriùs, præparat ad internas. Hoc modo fieri, accipere possumus à Galeno sic aiente: *Porrò quæ præparata, atq; concocta fuerint, crudis promptiùs immutantur: etenim mutuò se coctiones excipiunt: eam, quæ ventriculi est, iecur, atq; huius ipsius coctionem partes, quæ nutriuntur, atq; corporis quidem partibus omnibus alimentum præparat iecur, huic ventriculus, ventriculo os, ori quædam assatio, quædam elixatio, quædam frictio in sartagine, aut simplex aliqua maceratio*. Sic Galenus: ex cuius verbis colligimus, quatuor esse præparationes, mutationes vè, quę exteriùs circa edulia fieri oportet: vel enim coquuntur ad ignem, vel macerantur: cocturæ differentiæ triplex est, elixatio, assatio, frictio.

Ga. de cib. bõ. et mal. succ. c. 5.

Senibus ergo conueniunt carnes exactè mutatæ, quales erunt elixatæ: quippe maior in elixatione, quàm assatione mutatio fit: siquidem ad elixationem concurrunt duo, aqua & ignis: ad assationem ignis tantùm. Deinde maior, senibusq; conuenientior est præparatio, quæ cibum reddit magis tenerum: tum quia senes, vt plurimùm sunt edentuli: tum quia eam vim in maxillarum motu non habent, quam solent habere iuniores: tum quia, ex Hippocrate, *Faciliùs est impleri potu, quàm cibo*, ac proinde facilius est impleri molli, quàm duro: ea verò, quę faciliùs implent, hoc est, nutriunt, ijs corporibus, quæ debiliorem calorem habent, qualia senilia sunt, magis conueniunt. Esse verò elixa magis tenera, quàm assa, nemo est, qui dubitet: an verò elixa sint assis humidiora, seorsim disputabitur.

Hip. aph.

†

Post elixationem, & assationem accedit frictio. Frixa in siccitate assis Galenus paria facit. Alibi tamen frixorum naturam magis explicitè sic describit: *Frixa omnia flatum quidem deponunt, verum difficiliùs coquuntur, & ventrem magis sistunt, crassioris q; succi alimentum corpori exhibent*. Hæc Galenus. Verùmtamen, licèt frixa assis quoad siccitatem in priore sermone fecerat æqualia, in posteriore, quoad succi bonitatem longè deteriora facit, & meritò: siquidem oleum, aut pinguedo, in quibus frictio fit, aduruntur, & in amurcam, vt sic dicam, abeunt: quare multoties nidorosam efficiunt cruditatem.

G. vbi sup. G. 3. alim. fac. c. 19.

Maceratio multiplex est: quippe emolliendis edulijs varia condimentorum genera inseruiunt, quibus eduliũ esui fit aptum. Ignis præcipuum condimentum est, de quo diximus: inter reliqua sal primatum obtinet: quippe siccitate superfluam, prauamq; humiditatem extrahit, calore coctionem iuuat, astrictione impedit, ne putredinem inducentes causæ intimam penetrent substantiam, sic dicitur à putredine præseruare: est etiam condimentum

tum

tum optimum acetum, sicut & multa alia, quæ diligenter prosequitur doctissimus Alexandrinus. Atq; hę sunt mutationes, quas alimentum patitur, & per eas senibus valde aptum redditur. Adolescentibus satis aptum, minùs tamen, quàm senibus: consistentibus verò palato arrident, coctioni autem iuuandæ parùm sunt necessariæ. Non quod elixatio, & assatio non conueniant omni ætati, sed quia senibus elixa (quippe elixatio maior mutatio est) magis conueniunt: adolescentibus assa magis, nisi aliquid aliunde impediat: consistentibus vtraq; pari modo, frixa nullis.

Iul. Alexan. de salub. lib. 8. per totum.

QVÆNAM SINT HVMIDIORA assa, an elixa.

QVAESTIO DECIMAQVARTA.

NEq; assis, neq; elixis sua humiditas deest: vtra tamen istorum, inter se comparata, humidiora sint, non admodùm constat. Occasionem controuersię nobis præstant proceres: aliqui in his conciliandis laborant, alij, quid illi senserint, parùm curantes, quid sibi verisimilius videtur, in medium afferunt. Controuersia est scitu iucunda, & medicis omnibus, sed præcipuè ijs, qui in aula versantur, non parùm vtilis.

Quid senserit Aristoteles.

Articulus Primus.

2 REperio in præsente quæstione Aristotelem sibi contrarium, quem tamen expositores sibi concordem reddere posse putant, quo autem iure, inferiùs dicemus: nunc præstat, eius sententias, quas varijs in locis scriptas reliquit, simplice narratione referre. In problematum opere, quærens aliquando *Cur alia elixa, alia assa meliùs edi possunt*, respondet: *An quod humidiora non eatenus humectari, sicciora non ampliùs exsiccari oportet? Elixa autem humidiora, molliorаq; omnia redduntur: quæ verò minus humida sunt, hæc igne confecta sicciora prorsus euadunt.* His verbis Philosophus adeò manifestè, elixa humidiora esse, dixit, vt nil manifestius dici possit. *Ar. sect. 20. problem. 5.*

3 Cœterùm in eodem opere, dum ait, in Sole, nudo corpore, minimè ambulandum esse: *Spissatur enim caro, & concalescit, corpusq; parte interiore humidius redditur: quantum enim humoris residet, aboletur, quantum intestinum est, manet intactum*, hanc doctrinam, quasi exemplo quodam proposito, declarat in hunc modum: *Qua ratione quoq; carnes assa elixis humidiores sunt.* Quæ sententia priori opposita est. Hanc tamen posteriorem confirmat in meteoris, vbi de coctionis differentijs ex professo agit: eius hæc sunt verba: *Quapropter elixata sicciora sunt, quàm assa.* Ecce Aristoteles in vno loco elixa humidiora esse, ait, in duobus autem eadem sicciora. *Ar. sect. 1. prob. 54.* *Ar. 4. meteor. c. 4.*

Quid senserit Galenus, quid Hippocrates, quid Auicenna.

Articulus Secundus.

1 CONstanter se gerit Galenus, neq; alicubi, quod sciam, assa elixis sicciora esse, negauit, ac proinde cum sententia Aristotelis, priore loco à nobis relata, consentire videtur: dissentire autem ab alia, quam posteriore loco, bis repetitam, posuimus. Igitur in opere de simplicium medicamentorum facultatibus habet hæc verba: *Porrò inter eas, quæ salitæ non sunt, siccior est, quæ assa est, quàm quæ in aqua elixa.* Præterea in opere de alimentorum facultatibus sic ait. *Quæ assa sunt, & frixa in sartagine, ea sunt sicciora: quæ verò in aqua dulci sunt elixa, alimentum corpori præbent humidius.* Et in eodem libro alibi: *Quæ namq; assantes, aut in sartagine frigentes mandunt, ea corpori siccius dant alimentum: quæ verò in aqua præcoquunt, humidius.* Auctor libri quarti de ratione victus in morbis acutis sic ait: *Pisces febrientibus quidem elixos, non febrientibus verò assos.* Vbi Galenus mentem auctoris in hunc modum declarat: *Adijcit autem edulijs, & quæ assiccare possunt, veluti panes subcineritios, atq; assos pisces.* Quibus verbis satis nobis inculcat, quanta sit assationis vis ad exsiccandum: siquidem pisces suapte natura humidos, assationis beneficio, inter exsiccantia edulia reponendos esse censet. Auctor etiam libri de salubri diæta, cum aduentante vere cibos commutari vult, in alios præcedentibus humidiores, assos in elixos commutat, sed multo magis æstate id peragendum esse, cupit, tunc enim, vt ipse ait, *Cibis omnibus vtendum mollibus, obsonijs elixit, oleribus iuxtà, & crudis, & elixis.* Quod Galenus non contradicit; Vnde colligitur, elixa assis humidiora censeri, aliter enim, cur elixa in humectandi ratione commemorasset? Certè non ob aliā rationem, nisi quia assa contrariam indicationem, nempe exsiccandi postulant. Et in libro de affectionibus: *Cum verò siccare volueris, corpus, panem dato, & obsonia assa, & sicca.*

G. 11. simpl. c. de carne viperæ. G. 3. de alim. facul. c. 19. G. eod. lib. c. 2. 4. de vict. acut. tex. 112. & Gal. ibi. in lib. de salubri diæta. de affectio.

2 Hac Hippocratis, & Galeni doctrina medici communiter practicantes imbuti, in morbis ex humiditate, cum medicamenta exsiccantia, exsiccantem etiam præscribunt victum, elixis assa præferunt: sicut in febribus, & alijs à siccitate morbis, in quibus humectare oportet, elixis, non assis vtuntur. Videtur tamen Auicenna oppositum sentire: quandoquidem extenuatis, quibus conuenit humectatio, cibos assos exhiberi iubet, aiens: *Et de impinguantibus est assumptio vini grossi, & cibi boni chymi, fortis exsiccantis, cum digeritur, sicut frumentum sine cortice coctum, vt plus, & aliudabet, & rizi cum lacte, & assata de carnibus propter illud, quod retinetur in eis de virtute carnis.* Sic ille. Neq; videatur alicui, contradictionem in se habere hęc verba, cum humectare cupiens dicat, cibos debere esse *chymi fortis exsiccantis*: nam iuxtà marginalem correctionem legendum est, *fortis spissitudinis.* Vocabulum autem *aliudabet*, seu, vt est in margine, *algiudaba*, cibus est factus ex amydo, aut riso, cum lacte, aut saccharo, aut melle, quod varijs modis conficitur, vt constat ex Bellunensi. Idem Auicenna alibi sic: *Præparandum præterea est, vt quod ex bono sanguine resolutum fuerit, restauretur, si fuerit fortis, cum assatura carnis super prunas, quoniam si digeritur, nutrit multum, & benè: verumtamen oportet, vt sit pauca, quoniam stomachus propter phlebotomiam est debilis.* Sic ille: qui videtur in restauratione humidi, plus tribuere assis, quàm elixis. Atq; hæc sunt, quæ philosophiæ, & medicinę proceres circa comparationem inter assa, & elixa, nobis scripta reliquerunt.

Auic. fen. 7. lib. 4. tract. 4. c. 2. Bellunensis. Auic. lib. 1. fen. 4 doct. 5. c. 20. de phlebot.

Quomodò aliqui, prædictas contrarietates posse conciliari, existiment.

Articulus Tertius.

1 MAgnum nefas esset dicere, Aristotelem, summi iudicij virum, sibi met contrarium fuisse: quapropter quærunt authores modum, quo Aristoteles Aristoteli concors reddatur. Non tamen hic audiendus est Lemosius nostras, qui excusationem valde ineptam reperit: inquit enim, in vtraq; carne, assa scilicet, & elixa, duplicem humiditatem spectari: innatam alentem, seu substantificam, atq; accidentalem: elixa igitur humiditate accidentali, quam ab aqua accipiunt, humidiora esse, non tamen innata, seu alenti, quam iam in iure reliquerunt. Ita Lemosius. Cœterùm cum dicat tam in assis, quàm in elixis reperiri vltra humiditatem substantificam, alteram accidentalem, & hanc accidentalem, dicat, esse elixis eam, quam ab aqua accipiunt, in assis, quæ aquam non attingunt, quomodo reperietur? Deinde etiam aqua, in qua elixatur edulium, reddit illud madidum, & cum in mappa duplicata compressione leniuscula resiccatur, non ampliùs est aquea humiditate humidum. Neq; credibile est Aristotelem, Galenumuè de hac aquea humiditate, quæ nullius momenti est, fuisse loquutos. *Ludouicus Lemosius in method.*

2 Petrus Aponensis, & alij, ex ipsius met Aristotelis verbis in meteoris, modum, quo isthæc contradictio conciliari possit, nobis tradunt: quippe Philosophus ibi reddens rationem, cur dicat, *Elixa sicciora esse, quàm assa*, in hunc modum scriptum reliquit: *Non enim trahunt in se ipsa humidum, quæ elixantur: dominatur enim extrinseca caliditas ei, quæ intus est; Si autem vinceret, quæ intus, traheret vtiq; in se ipsam.* Dicunt ergo expositores: quoniam calor extraneus existens in aqua, in qua carnes v. g. elixantur, superat calorem interiùs existentem in carnibus, quæ elixantur, trahit humiditatem internam ad externas, elixatæ carnis partes, & sic elixa secundùm partes externas sunt humidiora: quoniam verò è contrario in carnibus, quæ assantur, calor exterior non superat interiorem, fit, vt remaneat in carnibus assis intus inclusa humiditas, atq; ita assa secundùm internas partes sunt humidiora. Quapropter quando Aristoteles dixit, humidiora esse elixa, debemus verbis ipsius addere secundùm partes externas: quando dixit sicciora, intelligere oportet secundùm internas. *Petrus Apon.*

3 Si verò aliquis quærat, cur calor aquæ, in qua caro coquitur, superare potest calorem carnis, calor verò ignis, qui proximior est, & fortior, non superat calorem carnis, quæ assatur, respondent, ex calore aquæ fieri meatuum carnis apertionem, atq; ita datur facilis transmissio caloris ad interna: è contrario ex calore ignis adurente fieri crustam in externa carnis parte, quæ impedit caloris ingressum ad carnis, quæ assatur, partes interiores.

3 Vallesius Aristotelem quodammodò excusat, quodammodò autem damnat: excusat quidem, quia dum Aristoteles ait, elixa esse sicciora, vocat sicca, quasi exucca rectè dicit: *Quandoquidem longè alia res* (inquit Vallesius) *rem esse humidiorem, quàm continere plus succi*. Longè etiam alia res est, *Esse sicciorem, quàm continere succi minus*; nam potest succus, *Qui per rem sparsus erat, esse expressus, aut effusus, extractus vè, ipsa in se ipsa re facta humidiore: nihil enim prohibet, membrum natura siccius, succi plus continere alio humidiore: proprius enim rebus humor, à succo, quem vt vasa continent, qui sua substantiæ pars minime est, diuersus est.* Video hic Vallesium considerare succum, & in vasis conten- *Vallesius.*

tum, & in substantia carnis imbibitum: vnde inferre videtur, elixa posse dici sicca, quoniam exuccata sunt, & spoliata ab eo succo, qui in vasis erat: non propterea esse sicca, hoc est, habere propriam siccitatem, quia à substantia carnis extracta fuit humiditas: hæc enim potuit remanere, quamuis alia in vasis contenta abijt. Quare si Aristoteles dicit, elixa esse sicciora, hoc est, amisisse succum in vasis contentum, excusatur à Vallesio: si verò sicciora propriè appellat, hoc est, in substantiā carnis siccitate in ducta, damnatur ab eodem.

3 Septalius Vallesium increpat, quoniam Aristotelem conuellit, quasi Philosophus de substantifico humido interno, & naturali non loquatur, qui succus est. Tenet igitur, non omnes assarum rerum partes exsiccari, sed exteriores, cum interim humidiores internæ remaneant. Contrarium autem in elixis euenire, quæ extrinsecus humidæ sunt, intus siccæ. Cum verò internæ partes maioris semper sint molis, si assatio vera fiat, non adustio, verum vtiq; etiam erit in æquo carnis pondere, puta in libris quatuor, aut sex carnis assatæ, plus succi naturalis, & humoris inesse, quàm in tantumdem alixæ: quod vel oculis quilibet intueri potest quotidie. Atq; ita Aristotelis sententiam tuetur, qui elixa sicciora dixit: adiungit tamen, sicciora dici impropriè, quoniam idem est, ac si diceret exucca, & humido naturali distituta: magis propriam esse loquutionem, si dicamus, assa elixis esse humidiora.

5 Hæc est Saptalij sententia, &, vt ab eo, quod vltimo loco posuit, incipiamus, cum sicciora, & humidiora sint comparatiua, non video, cur magis propriè dicamus, assa esse humidiora, quàm si dicamus, elixa esse sicciora: neq; enim, qui sicciora dicit, omnimodam fatetur siccitatem. Deinde quoniam admittit Vallesio id, quod Galeni authoritate firmatum, propriaq; ratione confirmatum attulit, non videtur è Vallesij manibus posse elabit. Dixit Vallesius, sententiam Aristotelis, quæ tenet, elixa esse sicciora, repugnare Galeno dicenti, aquam vim humectandi nunquam deponere, & ea ipsa, quæ ab ea feruente exuruntur, haud quaquam fieri sicciora, vt quæ vruntur igne. Addit rationem, seu magis exemplum velimus appellare: nam substantia ipsa rerum, quæ elixantur, fit in se ipsa mollior manifestè, & laxior: quare humidior quoq; nam mollities rerum signum est humoris. Respondet Septalius, inde colligi externas partes elixatarum rerum esse humidiores, quod aquam adescunt, esse etiam molliores, quàm internas, ac propterea etiam humidiores at secus esse in internis: molliores enim assatarum carnium partes conspiciuntur, quàm elixarum.

G.1.simpl.c.8

6 Dupliciter mihi displicet isthęc Septalij responsio. In primis, quoniam id, quod à Galeno, simpliciter est prolatum, nempe combusta ab aqua feruente non ita remanere sicca, vtì ea, quæ ab igne vruntur, ille sub conditione accipit, videlicet vt intelligi id debeat secundùm externas partes, quippe hę manent ab aqua madefactæ. At Galenus de madefactione non loquitur, neq; externas tantum partes humidas a b aqua feruente remanere dixit, sed remanere combustas, minùs tamen siccas, quàm quæ ab igne comburuntur. Poterat quidem Septalius respondere, Galenum non loqui de assatione, & elixatione, sed de combustione, quę maior fit ab igne, rem in carbones redigente, quàm ab aqua feruente, quæ nunquam potest eò siccitatis rem adducere, vt in carbonis reducatur. Displicet deinde, quòd ait, externas partes elixatarum rerum esse molliores, ac propterea etiam humidiores, quasi verò sint humidiores, quia sunt molliores. At præpostera est loquutio: nam potiùs sunt molliores, quia sunt humidiores: secundæ enim qualitates à primis profluunt: igitur mollities istarum partium humiditatis est argumentum.

7 Cœterùm quoniam mollitiem istam, sicut etiam humiditatem rebus elixis secundùm partes externas inesse vult, & cum externæ partes mole sint longè minores,

nores, quàm internæ, colligit, assa secundùm maiorem sui partem, nempe secundùm internam, esse sicciora, & propterea ab hoc prædominio assis sicciora dicẽda esse: nam si elixa sunt sicciora assis secundùm internas partes, si rursus internę partes sunt plures, maiores vè, rectè sequitur, elixa assis esse sicciora. Adiungit tandem, *Molliores enim aßatarum carnium internæ partes conspiciuntur, quàm elixatarum*, Hoc non ita conspici, mox inferiùs demonstrabimus: interim tamen sciat, edentulis non ita accidere, sed assa tam iuxtà internas, quàm iuxtà externas partes, eis esse duriora.

8 Quoniam autem Vallesius, vt confirmet suam illam distinctionem inter humorem, qui est in vasis, & eum, qui est in substantia carnis, affert verba Galeni in præcitato loco, nempe *Verùm hæc eueniunt, quòd qui in vasis, alijsq; spacijs est humor, exhaustus sit: at partes genuinæ, solidæq; nulla sua parte sicciores euadunt*, sciat oportet, hæc Galeni verba intelligi de aqua feruente, aut igne comburente, quorum actio non diu durauit: nam si durasset, tam humiditas in vasis contenta, quàm quæ cum alijs partibus substantiam componentibus permista est, exhauriretur. At in elixatione, & assatione aliter res accidit, quippe vtraq; lentè fit, & quod ab vtraq; succus ex ipsa substantia exprimatur, constat ex ijs, quę extrahuntur, & mox meliùs explicabitur. *G.1.simpl.citato.*

Quæstionis resolutio. Articulus Quartus.

1 Coctio, græcè πέψις, quæ *Perfectio à natura, & proprio calido, ex oppositis passiuis, quæ sunt propria cuiusq; materia*, definitur ab Aristotele, tres habet species: quarum vna est maturatio, græcè πεπασμὸς, quę concoctio alimenti fructuum dicitur: altera elixatio, græcè ἕψησις, nempe eius indefiniti, quod in humido inest, ab humido calore concoctio: tertia assatio, græcè ὄπτησις, videlicet concoctio, quæ sicco, & alieno calore efficitur. Posset addi quarta, hoc est, frixio, græcè nullum proprium habet nomen, sed communi dicitur in sartagine coctio; Vnde quoniam τήγανον est sartago, vnde τηγανίζω, idest in sartagine coquo, à Galeno oua frixa appellantur τηγανιστὰ, & ab Athenæo τηγανίτης panis in sartagine coctus caseo admisto. Hæc tamen coctio in sartagine omissa est à Philosopho, quoniam ad assationem refertur. Sed cur magis ad assationem, quàm ad elixationem, cum potiùs ad hanc, quàm ad illam referenda videatur, quippe fit in humido, tametsi pingui? Nempe quia, vt ait Aristoteles, *Quæ in sartagine assantur*, hoc est, quæ friguntur, *ab externo calido patiuntur*, hoc est, ab igne extra sartaginem: *In quo autem est humido facit illud magis siccum, in se ipsum transumens*, scilicet illud humidum, quod continet rem, quæ frigitur, ab illa assumptum, & inflammatum (quia oleosum cum sit, facilè inflammatur) partes externas adurit, & exsiccat, non aliter ac in assatione contingit. In elixatione autem omnino oppositum fit: nam à calore, qui in externo inest humido, humor ex re, quæ elixatur, secernitur. Siquis verò interroget, cur ea, quæ elixantur, coquuntur à calore aquæ, in qua continentur, quæ verò friguntur, non à calore humidi pinguis, sed à remotiùs existente igne extra sartaginem, respondebo, tam elixationis, quàm frixionis auctorem esse ignem: cæterùm ad elixationem calor igneus in aqua hebetatur, ac proinde magis aptus fit ad aperiendos rei, quæ elixatur, poros: quare dicitur elixatio fieri ab aqua, quippe hęc est, quæ calorem elixationi accommodatum facit. Ad frixionem calor in re pingui, quæ citò inflammatur, igneus remanet, ac proinde pro apertione meatuum, obturationem molitur eorundem, nempe duritiem in superficie externa inducens, ferè similem crustæ rerum assatarum: hoc videre est in ouis frixis. Sed de his ex professo agunt inter- *Ar.4.meteor. c.3.*

pretes Aristotelis in quartum meteororum, de quibus tamen est, quòd conquerar, quòd in hac re non se valde explicant.

2 Ad elixationem, & assationem accedo, inter quas discrimen inquiritur circa siccitatem, & humiditatem, non quòd vtrique sua non insit humiditas, sua etiam siccitas, sed quoniam per comparationem vnius ad aliud, non constat adhuc, quęnam sint sicciora, quænam humidiora, assa nè, an elixa. Non constare, inquio, quoniam philosophi, & ex medicis aliqui, Aristotelicam doctrinam sequuti (vt iam supra dictum est) assa, dicunt, esse humidiora: nam cum distinctio, qua vtuntur, sit, elixa esse sicciora iuxtà externas partes, assa secundùm internas, cum rursum internarum partium nomine ferè tota moles comprehendatur, manifestum manet apud eos, elixa esse sicciora, & ex consequente assa humidiora, saltem secundùm maiorem sui partem: quod an verum sit, nobis inquirendum proponitur.

3 Cum elixationem, assationemuè dicimus, coctiones has intelligimus in sua debita constitutione: nam si vltra debitum terminum transcendant, abeunt in combustionem: si citra subsistant, elixatio erit imperfecta, quæ græcis μόλυνσις dicitur, assatio quoq; imperfecta, græcè σάτευσις appellata. Tam verò elixatio, quàm assatio, si propriè his vocabulis vtamur, ab arte fiunt: nam à natura factæ proprium non habent nomen, sed per similitudinem ita appellantur; Vnde Aristoteles. *Assatio quidem, & elixatio arte quidem fiunt, sed species istę, vtì diximus, vniversales sunt, & à natura similes quædam affectiones existunt, quamquàm nomina non habent: ars enim naturam imitatur. Nam & alimenti, quæ in corpore fit concoctio, elixationi similis est*, &c. Hanc doctrinam accepit à magno Hippocrate, qui crebrò concoquere ἕψειν, id est, elixare, dixit: quod à Galeno non semel receptum est. Verumtamen (vt Aristoteles ait) *Nihil refert, vtrùm in arte factis instrumentis, an in naturalibus efficiatur: ab eadem enim causa omnia erunt.*

H. 2. acut. tex. 22. Galenus tum ibid. tum 3 nat. facult. c. 7.

4 Quoniam autem superiùs diximus, tam elixationem, quàm assationem suam habere siccitatem, suam etiam humiditatem, in quo significauimus, has coctiones in mediocritate consistere, mediocritas autem suam habet latitudinem, duo se nobis offerunt signa ad cognoscendum in hac mediocritate, an assa accedant magis ad humiditatē, quàm elixa: an rursus magis hæc, quàm illa ad siccitatem. Primum signum accipitur à substantia rei assæ, aut elixæ: alterum ab eo, quòd per quamlibet istarum coctionum educitur. Si quis consideret substantiam rei elixæ, hanc profectò reperiet magis teneram, maioriq; mollitie præditam. Nec mihi dicant peripatetici, & qui eos sectantur, elixa interiùs esse minùs mollia, nam qui dentibus carnes infringit, non solùm exteriores partes, sed totam molem carnis mandit, & quidem remedium esse solet edentulis (quod ego in me experior) elixis vesci, non assis, si nutrimentum accipere ex carnibus volunt. Quod autem mollius est, & magis tenerum, faciliusq; in ore conficitur, esse humidius, vnicuiq; manifestum esse, puto: quod tamen Aristotelis auctoritate comprobatur, dicentis, *Indicium rei est, quòd & duriores sunt pili crispi: durum enim, quod siccum est.* Et in libro de ortu, & interitu: *Ampliùs molle quidem humidi, durum autem sicci: molle enim, quòd cedit in se ipsum, & non obsistit, quod quidem facit humidum: & ideo non est humidum molle, sed molle humidi, durum autem sicci.* Quamuis autem durities fiat aliquando à frigiditate conglaciante (quod ex Galeno, & Hippocrate elici potest, & ex Aristotele etiam) tamen, quod ad præsens attinet, parùm hoc refert: nam pro nunc satis est, dura fieri, quæ siccantur, & quæ humectantur, mollia. Cum igitur constet experimento, carnes elixas esse molliores, constet etiam, mollitiem ab humiditate prouenire, iam ex hoc signo elicimus, elixa esse humidiora, reclamante Aristotele cum suis, applaudentibus autem tum Hippocrate, tum Galeno, tum communi practicantium schola.

Ar. lib. 5. c. 3. de gen. anim. Ar. 2. de ortu, & interitu c. 2.

5 Alterum signum sumitur ex ijs, quæ educuntur. Profectò elixa humiditatis

suæ

suæ non parum in aqua, in qua elixantur, deponunt: vnde fiunt pinguia iura, & eo pinguiora, quò caro, quæ elixatur, animalis fuerit pinguioris. Verumtamen assatione longè plus succi extrahi, norunt coquorum famuli, qui verubus carnes ad ignem versant. *Cernitur hoc etiam* (inquit Galenus, agens de febre marasmode) *in carnibus, dum in craticulis torrentur, euidenter fieri: siquidem ab aliquibus plurima liquatio defluit, deciditq; in prunas largiter.*

6 Deinde quæram libenter ab aliquo ex aristotelica familia, vt mihi exponat, cur ab optimo magistro est dictum, *Et opus est in manufactis magis assasse, quàm elixasse.* Nec mihi dicat Aponensis, hęc verba significare, opus magis esse assare, quàm elissare manibus victum quęrentibus, quoniam assa magis nutriunt, quæ explicatio risum mouere potest: quippe Philosophus non dixit, opus esse, hoc est, necessarium, sed magis opus esse, hoc est, operosius, seu difficilius. Rationem non ab alio, quàm ab eodem Aristotele quærere oportet: quippe subdit, *Difficile enim est, exteriora, & interiora æqualiter calefacere: semper enim propinquiora igni siccantur citiùs, quare & magis; coeuntibus igitur exterioribus non potest excerni intus existens humidum, sed includitur, cum meatus clausi fuerint.* Duo hinc colligo. Primum assa, cum igni propinquiora sint, citiùs exsiccari, ac proinde coquum diligentem, & benè expertum debere esse in versandis ijs, quæ assantur; Et hinc mihi constat, maior siccitas rerum assatarum: quippe ex maiore propinquitate ad ignem citiùs, & subinde fortiùs, exsiccantur. Alterum est, exteriora exsiccata impedire effluxum interioris succi: at hoc planè diffiteor: nam cur semper, dum caro assatur, succus effluit? Non effluit sanè ex parte exteriore: siquidem hęc & exsiccata est, & minor cum sit, non potest tantum ex se succum effundere: prætereà caro semiassa adhuc partem anteriorem conseruat plus nimio humidam: hinc est, quòd cum expressum ex carne aliqua parare volumus ad subueniendum ijs, qui debiles sunt, carnes accipimus semiassa. Signum igitur est, assatione, pergente vsq; ad suam perfectionem, semper magis, ac magis interiora succum ex se emittere.

7 Deinde cum idem met Aristoteles dicat, *Propter hoc & siquis elixans faciat transmutari, & concoqui, non ab humida caliditate, sed ab ea, quæ ignis, cum completum fuerit, assum sit, & non elixatum, & excessu adustum esse dicitur.* Qui sic ait, quomodo posset negare, fortiùs induci siccitatem assatione, quàm elixatione? Quòd verò hæc siccitas tanta sit, quæ effluuium humidi prohibeat, hoc solis ijs, quæ comburuntur, accidit: quæ enim assantur (siquidem in mediocritate assationem superiùs constituimus) nondum siccitatem habent, qua effluxum prohibeat: patet hoc experientia; nam iuxtà finem assationis plus succi effluit, quàm priùs, existente scilicet iam tunc humido magis attenuato, ac proinde magis fluxibili.

8 Tandem experientia vnumquemque docere potest: siquis enim accipiat duo frusta carnis, quæ equale habeant pondus, & vnum elixauerit, alterum assauerit, reperiet illud, quod assum est, magis de suo pondere amisisse, quàm quod elixum: at in assatione, & elixatione non nisi humidum fuit deperditum: axatione igitur deperditum fuit magis, quàm elixatione. Est & aliud experimentum: nam si assa, & elixa reponantur, elixa citiùs putrescunt, quod ex humiditatis maior copia contingit.

9 Cæterùm dicunt aliqui, ea, quæ magis nutriunt, humidiora esse: cum ergo assa magis nutriant, humidiora censeri. Et quoniam Celsus, iurulenta magis asse re assis, dixit; interpretantur, quasi dixerit, cocta simul cum iure, in quo virtus substantifica carnis adhuc manet. At Celsus iurulenta dixit, non carnes elixas, & ex Hippocratis mente est loquutus qui dixit, *facilius est impleri potu, quàm cibo.* Dixit *facilius*, transtulit Celsus *magis*, quoniam eos, qui lapsas habent vires, quæ facilius nutriunt, magis nutriunt. Vnde non est recipiendus Auicenna, qui in capite

Ar. 4. meter c. 4.

Aponens. in Problem. cit.

Ar. ibidem

Cornel. Celsus lib. 2. c. 13.

H. aph.

Auic. cit.

pite

pite de phlebotomia citato iubeat, languentes reficere cum assatura carnis super prunas: nisi esset, quòd hanc elegit, tamquàm paratu faciliorem: quippe ad elexandas carnes plus temporis requiritur. Quando verò idem Auicenna, ad impinguandum, carnes assas præfert, rationem adiungit, *Propter illud, quòd retinetur in eis de virtute carnis*: dixit *in eis*, hoc est, in hominibus, qui impinguari volunt: quippe caro assa hac ratione, videlicet propter moram, plus nutrimenti forsan præbet: nam Galenus aliquando ita rem hanc distinxit: *Omnia scilicet, quæ consistentia sunt humidiora, exiguum corpori dant alimentum, quòd celeriter inhalitus exhauritur, ac digeritur, vt rursus alio, non multo plus sit opus. Contrà dura, & terrestria perdurabile, copiosum, & quod ægrè digeratur, corporei dant alimentum: quòd si glutinis quoq; non nihil habeant, multò hæc omnia euidentiùs efficient. Constat item hæc non facilè concoqui, ceu vtiq; nec facilè in sanguinem verti, nec solidis animalis partibus assimilari: quod si ita est, nec celeriter nutrient: cum tamen victa fuerint, alimentum corpori dant copiosum.* Iuxtà hanc Galeni doctrinam non licet ducere argumentum ex eo, quòd humidiora magis nutriant, cum, ex dictis, constat, duriora, ac proinde sicciora, si recte victa, hoc est, à calore nostro superata fuerint, copiosum præstare alimentum. Quòd si auctor libri de affectionibus, *Carnes percoctæ*, inquit, *& ex assatæ vtræq; debiles sunt ad robur augendum. Ad secessum verò percoctæ commodæ sunt, assatæ verò magis sistunt. Quæ verò moderatam habent & cocturam, & assaturam, hæ & ad robur, & ad secessum moderatè se habent. At verò crudiores ad robur quidem commodæ sunt, sed non ad secessum*, hoc nihil ad præsens facit: nam neq; assa elixis, neq; elixa assis in nutriendi fœcunditate comparat, quod nostra est in præsens intentio.

Ga. 1. de alim. facult. cit.

H. de affect.

10 Stet igitur inconcussa medicorum sententia aduersùs philosophos, quos optimè Alexandrinus, sua ipsorum doctrina, conuincit. Nam si à forma denominari vnumquodq; sua æquum est, & hoc ipsi nobis dictitant, atq; ijdem, caliditatis humidæ elixationem, siccæ assasionem esse, sibi persuadent, quod libenter admittimus, cum causæ vestigia in effectibus apparere, philosophicum etiam sit dogma, vincet vtiq; ratio, assa sicci temperamenti, siccæq; naturæ esse, elixa humidi. Plura apud illum legenda sunt. Interim hoc certissimum est, medicum, nisi in praxi paradoxicus esse velit, debere, iuxtà artis procerum doctrinam, hydropicis assa, febricitantibus exhibere elixa. At hydrops exsiccationem postulat, febris humectationem: vnde Hippocrates, *Victus humidus febricitantibus*: &c. Et vniuersim semper ægritudines, quæ indicant exsiccationem, assis potiùs, quàm elixis rectam victus rationem exhibentes, curamus: contra verò vbi humectatione est opus, ad elixa confugimus.

Iul. Alex. cit.

H. 1. aph. 2.

TEXT. XXXXV.

AD figurationem soles triginta quinque, ad motum septuaginta, ad perfectionem ducenti, & decem. Alij tradunt, ad formã quadraginta quinq;, ad motum septuaginta sex, ad exitum ducenti, & decem. Alij sic, ad formam quinquaginta, ad primum saltum centum, ad perfectionem tercenti. Alij sic, ad discriminationem quadraginta, ad transitum octoginta, ad elapsum duceti quadraginta.

Non est, & est: gignuntur

autem in his & plures, & pauciores, secundùm totum, & secundũ partes. Non multò autem plures, aut pauciores, pauciores verò tot, & quæcumq; alia his similia.

COMMENT.

Oportet in primis conuenire in vocabulis: nam *Ad figurationẽ, ad formam, ad discriminationem*, quocumq; istorum modo dicamus, idem est. Rursus, *ad motum, ad primum saltum, ad transitum*, nihil inter se differunt. Tandem *ad perfectionem, ad exitum, ad elapsum*, synonima censentur. Tria igitur sunt tempora, in quæ, tamquàm in partes, totum gestationis tempus diuiditur. Primum tempus est ad figurationem, seu ad formã, seu ad discriminationem. Hoc rursus primum tempus in quatuor diuidi potest: vnum, in quo efficitur id, quòd genituram appellamus, & septem dierum spatio perficitur: tale fuit id, quod psaltria sexto die eiecit: alterum inter carneam, & osseam substantiam discernicula facit, non tamen adhuc delineationem præstat: tertium principia viuentis efformat: quartum perfectè delineata membra constituit.

Secundum tempus ad motum, seu ad primum saltum, seu ad transitum. Hoc tempore statuẽdum est, animam rationalem humano fœtui aduenire: quippe cùm tres animæ, vegetatiua, sensitiua, rationalis hoc ordine, quo dicta sunt, accedant, postrema hanc perfectam membrorum delineationẽ requirit: non enim decet, vt in rudem, & incompositam materiæ molem, sed in corpus organis aptè, concinnèq; instructum infundatur.

Cœterùm successiuè animas induci, & inductione posterioris priorem extingui, philosophorum placitis est confirmatum: nam prior est via, seu pręparatio ad secundam, secunda ad tertiam, ac propterea prior eas suscipit in materia dispositiones, quibus nõ nisi certo temporis spatio queat perseuerare: si enim omnes tres animæ simul remanerẽt, daretur pluralitas animarum, quam omnis veritas abhorret.

Si verò quærat aliquis, à quonam præcedentes istæ animæ corrumpantur, respondet D. Thomas, corrumpi ab ipso generante, tum per virtutem formatricem in spiritu seminis inhærentem, quæ materiam effigiat, ac pręparat ad sequentem formam, tum per alias dispositiones, quibus sic materia afficitur, vt prædictæ formæ non nisi per certum tempus in ea seruentur, eoq; pacto intereant, & tandem animæ rationali locum dent. *D.T.1.p.q. 118.art.1 & cont. gen.c.89.*

Ex hoc patet, embryon haud sibi ipsi interitum moliri, cùm virtus illa formatrix, ceteræq; dispositiones non agant, nisi vt instrumenta generantis, cuius finis, & primarium institutum est vltimæ formæ inductio, & hominis ipsius generatio, non autem corruptio embryonis, tametsi hæc, tamquàm conditio sinè qua non, ad nouam generationem requiratur.

Porrò non informari fœtum statim à principio anima rationali, ostendunt sacrorum canonum decreta, quæ declarant, non committi homicidium ab eo, qui ante infusionẽ animæ, nempe rationalis, abortum procurauerit: quippe nondum dicitur in vtero esse homo: quoniam non formati si educuntur, perinde sunt, ac semina, quæ concepta non fuerunt. Abortus verò formatos, D. Augustinus tenet, resurrecturos: neq; enim è numero mortuorum eximuntur, cùm animas habeant. *D. Aug.*

Ad figurationẽ Soles triginta quinq; Calculationes quatuor, ex aliorum opinione, narrat: quarum secunda anomala est: neq; enim proportionem seruat temporis, quod ad motum expostulatur, neque huius secundi cum tertio, quod est ad exitum. Reliqui tres hoc habent commune, quòd tempus

pus figurationis duplicatum efficiat tẽpus primi saltus, seu motus, & hoc triplicatum producat tempus perfectionis, siue exitus. Hanc eandem proportionem seruat 2. epid. vbi ait: *Labores in circuitibus: quicquid in 70. mouetur, in triplicitatibus perficitur*, & eadem verba repetit in sexto eiusdẽ operis. Fuchsius nullam in his computationibus reperit difficultatem: quandoquidem menses accipit triginta dierum, iuxtà quam computandi rationem nulla est dissonantia: quippe dies 210, qui procedunt ex triplicatis 70, efficiunt septem menses exactos. Cæterum Iacobus Steue longè aliter sentit: quippe, numerum istum incidere, ait, in sextum quadragenarium, & in mensem octauum: accipit enim mensem nõ triginta dierum, qui mensis Solaris solet appellari, sed dierum vigintinouem cum horis duodecim, qui est mensis coniunctionis, complectens spatium, quo Luna girans per Zodiacum peragit motum à puncto coitus cum Sole ad coitum rursus cum eodem. Quicquid autem Hipparchus his diebus vigintinouem cum dimidio addidit, exiguum adeò est, vt illud Galenus libens omittat. Non hìc locum habet mensis peragrationis, qui continet spatium, quo Luna integram circulationem complet ab vno puncto, donec reuertatur ad idem, fitq; diebus vigintiseptem, & horis octo. Minor est hic mensis præcedente, biduo, & horis quatuor: precedẽs namq; ad Solem reuersio Lunæ est, quæ, quoniam illum non reperiat in loco, in quo eundem reliquit, oportet, vt aliquantulum vlterius pergat. Iste alter non pretergreditur ab eo puncto, in quo Luna discessit. Non etiam hìc necessarius est mensis apparitionis, seu illuminationis, hoc est, totum illud tempus, quo Luna lumen in terras demittens nobis est conspicua, & continet dies vigintisex, & horas duodecim.

H. 2. epid. sect. 3. & 6 epid. sect. 7

Leonar. Fuch.

Iacob. Steue.

Mensis coniũctionis dierũ 29. h. 12. absq; eo quod addidi Hipparchus.

G. de sept. part. mensis peragration. dierũ 27. h. 8.

Mensis illuminatio dierum 26. h. 12.

Itaq; difficultas consistit, an mensis debeat esse ille, quem Solarem appellamus, continens dies 30. integros, an mensis coniunctionis, continens dies vigintinouem cum dimidio. Si dicamus cum Fuchsio dies debere esse 30. dierum, contrarium habemus Galenum, qui menses grecanicos, hoc est, eos, quos coniunctionis appellamus, dierum vigintinouem cum dimidio constare dicit. Atq; ita computationes istæ non rectè succedunt. Nam in hoc libello de alimento, & tam secundo, quàm sexto epidemion euadit numerus dierum 210. qui numerus, quẽadmodùm ex mensibus dierum 30. conficit exactos menses septem, ita ex mensibus dierum 29. horarum 12. incidit in octauum mensem, quem non vitalem esse, inferiùs dicemus.

Verùm, meo quidem iudicio, controuersia omnis tollitur, si dicamus, Hippocratem in locis citatis non respicere ad tempus, quo vitalis, aut non vitalis partus esse debet, sed solùm docere modum computandi: nempe ex simplice ad duplum, ex duplo ad triplum. Hoc indicant eius verba in epidemijs: *Quoniam in septuaginta fœtus mouetur, ter tanto perficitur*. Posuit autem septuaginta pro exemplo, & accepit menses dierum 30. quoniam reperit, hanc esse facilem computationem: quippe qui docet in ijs, quæ faciliora sunt, debere priùs addiscentem exerceri: & ita sensisse videtur Auicenna. At in libro de septimestri partu, vbi seriò (vt sic dicam) septimestrem partum vitalem esse, docet, necesse est, vt computationes veras, & reales efficiat, in quibus nemo decipi queat: ac proinde accepit menses, vt accipiendi sunt, & non respexit ad aliud tempus, nisi ad illud, quod perfectionis appellatur, qui compleri debent mensibus, quibus mutationes committuntur: ij sunt, quos græcanicos appellat Galenus, dierum 29. cum horis 12.

Auic.

Sed, vt in præsentis contextus expositione immoremur, quærendum in primis est, cur non statim ac efformatus euadit fœtus, mouetur, sed expectat

ctat ad motum duplex temporis spatium ab eo, quod in formatione fuit consumptum? Respondet Gorræus, motum esse actionem cerebri, quod postremò inter principes partes (vt Galenus ait) ex humidiore seminis portione conficitur, ac proinde vltimò vim suam exercere. Verùm hæc responsio redarguitur: quoniam licèt cerebrum postremum fuit in formatione, non est, cur non agat, simulac fuit conformatum. Dicunt alij, impedimento esse humiditatem, Sed mirum est, quòd substantia, quæ iam adeò solida est facta, vt membrorum figuras conseruet, non possit motui exiguo, qui palpitatio appellari potest, inseruire; Inseruiret quidem, nec mollities tanta est, quæ motum istum debilissimum impediat. Cæterùm quemadmodum non aduenit ex parte instrumenti, hoc est, ex mollitie musculorum, ita aduenire, credendum est, ex parte facultatis: quippe etsi ex præsentia animæ sensitiuæ, simul resultet tam sẽsitiua, quàm motiua facultas, nihilominùs sensui, qui passio quædã est, minor facultas est necessarias quàm motui, qui est actio. Argumẽto esse potest, ad probandũ quid in origine animalis accidat, id, quod euenit in interitu: quippe moribũdi priùs motum amittunt, quàm sensum, quia nempe motus maiorem vim postulat: ergo è contrario in formatione priùs accedet sẽsus, quàm motus. Quare eleganter Bonaciolus, *Antea sanè*, ait, quàm moueret (*quamquam tristi atq; sensu hebeti admodum, obtusoq;) infantem præsensisse (credibile nempe) proditum est: ob id, quòd actio hęc incertioris partium dearticulationis, certioris illa indiga sit.*

Gorræus

Ludou. Bonaciol. in Enead. ad mulieb. c. 12. in fine.

Quærendum deinde se se offert, vnde nam ortum habuerit isthæc proportio ter apud Hippocratem inuenta, vt scilicet tempus primi saltus sit duplex, respectu temporis formationis: tempus verò perfectionis, siue exitus, sit triplex, respectu temporis primi saltus, hoc est, motus. Vallesius existimat, hanc proportionem non esse perpetuam, & ideo dicere Hippocratem inferiùs, *Non est, & est*: quasi insinuet, non esse huic proportioni omnino fidem habendam: sed de hoc postea. Proportionem quidem hanc seruari, cum ea moderatione, quam post dicemus, non est dubitandum, sicut etiam existimandum, hoc fuisse experti alicuius obseruatoris inuentum; Nam (vt in metaphysicis habetur) *Experientia penè simile quid scientia, ac arti esse videtur, per experientiam autem ars, & scientia hominibus efficitur.* Multa naturæ arcana hominibus innotescunt, quas longa obseruatio monstrauit, eorum autem posteà causas cæperunt sapientes indagare, quarum aliquas vix potuerunt inuenire, alias inuenerunt, quidẽ, alias tandem, tamquàm inuentu impossibiles, intactas reliquerunt. Possumus igitur circa præsens quæsitum contemplari, facultatis formatricis miram esse solicitudinem, quæ semen, statim ac in vuluam iniectum est, corripit, & circa illud agere incipit adeò diligenter, vt sexta die iam nobis aliquod actionis suæ rudimentum ostendat, vt nos docuit euentus illius psaltriæ, quem narrat Hippocrates. Formationem non dum completam, sed satis iam prouectam, excipit anima sensitiua, quæ (vt superiùs diximus) ad motum exercẽdum tempore indiget, nam sensus adhuc valde obtusus non irritat ad molestię, quæ vix sentitur, aliquam fugam: irritabit posteà, cum sensus erit minùs obtusus, & tunc mouebitur. Cœterùm quoniam maioris laboris est, figuras membrorum perficere, quàm easdem leuiter delineare, longiore tempore est opus ad perfectam delineationem (hanc excipit motus) quàm fuit ad primam figurationem. Hinc est, quòd duplex tempus requiritur ad motum ab eo, qui requiritur ad formationem. Rursus, & perfectiori adhuc membrorum discriminationi (semper enim magis, ac magis perficitur fœtus, dum est in vtero)

Valles in comment. de aliment.

Ar. initio metaph.

ro) & augmento (debet enim acquirere suam debitam molem) & maturationi (tam diu namq; maturari perseuerat, quamdiu & vteri capacitas, & alimenti copia sufficit) his, inquam, omnibus valde longiore tempore, quàm formationi, & motui est opus, atq; ita efficitur, vt tempus maturationis, hoc est, perfectionis, & exitus triplum expetatur. Atq; hæc sufficiat rario, dum aliquis meliorem non adducit.

Quoniam autem hìc Hippocrates varia tempora, in quibus partus accidit, nobis proponit, quærendum insuper est, an homini datum sit multiplex pariendi tempus. Neq; est, cur dicamus, eum in præsente loqui non ex propria, sed aliorum sententia, ac propterea addidisse inferius, *Non est, & est*: quasi dicat, ex hac varietate vnus quidem terminus est, aliorum nullus est: non, inquam, hæc excusatio recipienda est: nam quod attinet ad verba illa, *Non est, & est*, alium sensum efficere paulò post demonstrabimus: quòd autem ex aliorum sententia loquatur, nihil impedit: quippe si aliter sentiret, vtiq; se ipsum declararet, sed tacet, & iuris consultorum decreto, *Qui tacet, consentire videtur*. Tandem (quod omnem dubitationẽ absoluit) idem Hippocrates in libro de diæta suam nobis aperuit mentem, multiplicitatisq; temporum pariendi, se protectorem exhibuit, inquiens, *Non autem in æquali temporis spatio omnes fœtus exornantur, sed alij citiùs, alij tardiùs, prout singuli, & ignem, & alimentum fuerint nacti. Aliqui itaq; 43. diebus scaturiunt, ac formantur, aliqui in quatuor mensibus*: & quæ sequuntur. Hinc est, quòd Aristoteles, *Cum cætera animalia, ait, omnia singulari, ac simplice modo partum suum perficiant (vnum enim pariendi tempus statutum omnibus est) homini multiplex datum est: nam & septimo mense, & octauo, & nono, parere potest, & quod plurimum, decimo, nonnullæ etiã vndecimum attingunt*. Aristotelem

H. 1. de diæta.

Arist. 7. de hist. an. c. 4

Pli. l. 7. c. 5

sequitur Plinius, qui, *Cæteris*, inquit, *animantibus statutum & pariendi, & partus gerendi tempus est, homo toto anno, & incerto gignitur spatio*. Sic Plinius: ex cuius verbis duo dici possunt: vnum, reliqua animalia, vtplurimùm, determinatam quandam anni partem tam ad coitum, quàm ad partum habere, quod ex Aristotele potest colligi; alterum, bruta omnia vnumquodq; in sua specie præfixum habere vnum duntaxat temporis spatium, hominem verò plura. Quod ita intelligi debet, vt bruta vnum illud sibi statutum tẽpus possint per paucos quosdam dies variare, homines verò tempora habere varia, & valde inter se distantia, quorum quodlibet etiam paucorum dierum varietatem patitur.

Ar. 5. hist. an. c. 8. & c. 9.

Hanc doctrinam tam veteres, quàm neoterici omnes præter tres, Ioannem Lalamantium, Fortunatum Fidel, Paulum Zacchiam, receperunt. Habent tres hi viri doctissimi fundamenta admodùm valida ad stabiliendam suam sententiam; neq; enim gratìs à primoribus medicinę, & philosophiæ parẽtibus recesserunt. Verùm quoniam præcipua eorum vis in confringenda septimi mensis vi consistit, nos, cum septimestrem partum cõfirmabimus, eis faciemus satis: quòd si aliqua eorum argumenta intacta reliquerimus, ignoscent homini aliud agenti, & hìc obiter, parumq; commoranti: cæterùm quoad fieri poterit, studiosis hac in parte fiet satis.

Io. Lalam. Fort. Fidel. Paul. Zacchias.

Porrò multiplicitatis humani partus multæ possunt afferri causæ, imò adeò variæ sunt, vt varietas ipsa temporis varios auctores in varias deduxerit sententias. In hoc igitur exercitu mihi primus aciem ducat Capiuaccius, qui, bruta statutum habere parturiendi tempus, ob similem semper victus rationem, existimat; hominem autem dissimilitudinem maximam in victu committere, & ideo mulieres diuerso tempore parturire. Hæc tamen ratio, quæ plurimas habere potest responsiones, vna tantùm redargutione maneat

Capiuacc. lib. 4. c. 8.

neat soluta. Nam vna, & eadem mulier, pluries pariens, nullam in ratione victus mutationem committens, nunc septimestrem, nunc nonimestrem, alijs etiam temporibus partum emittit. Exemplo nobis sit Vestilia C. Herdicij, ac posteà Pomponij, atq; Orsiti clarissimorum ciuium coniux: ex his quatuor partus enixa: quæ (vt narrat Plinius) Sempronium septimo mense genuit, Suilliũ Rufũ vndecimo, Corbulonem septimo, vtrumq; consulem, posteà Cæsoniam, C. principis coniugem, octauo.

Plin.

Accedat secundo loco Valleriola, non vna duntaxat armatus ratione, sed pluribus. Prima, quæ pertinet ad incertos, & inordinatos ad venerem motus, quibus homo tentatur, sat benè ab eruditissimo Zacchia refutatur: tum quia incertitudo coeundi refertur ad varia anni tempora, nos autem de hac non agimus, tum etiam, quoniam non est ita peculiare homini coire quouis anni tempore, vt non sit etiam commune aliquibus brutorum. Vnde Aristoteles, *Homini*, ait, *maximè temporibus omnibus opportunus coitus est, atq; etiam plura alia pedestris generis, quæ cum homine viuunt, coitum nullo tẽpore aspernantur: videlicet propter temporem, & pabuli vbertatem, quorũ tempus etiam gerendi vteri breue est, vt suis, vt canis, & volucrum, quæ sæpius pariunt.*

Trãc. Vall. lib. 3. enarrat. 7.

Ar. 5. hist. an. cit.

Secunda Valleriolæ ratio, sic habet. Accedit, inquit ille, quòd nos ipsi perfectos, ordinatosq; naturę motus, in fœtu formando, atq; in vtero conseruando plurimùm labefactamus, atq; peruertimus: hanc peruersionem accidere, ait, quoniam grauidæ mulieres coeunt: contingit enim non aliter, ac si agricola semina, terræ commissa aratro proscindat. Hæc similiter, vt prior, ratio conuincitur: quippe equarum etiam proprium esse, vt etiam si ventrem generant, se iniri sustineant, Ælianus, ex auditu, nobis tradit.

Ælian. li. 4. animal. c. 11.

Cœterùm quoniam Valleriola ait, coitum grauidis esse causam, cur varium sortiantur pariendi tempus, quoniam in coitu aperitur vulua ad suscipiendum semen, posset nobis disputandi ansam præbere, vtrum scilicet vterus, postquàm mulier conceperit, prorsus claudatur: nam ex vna parte Aristoteles non videtur admittere omnimodam clausuram: ait namq; *Si iam aucto cõceptu coitus adhibetur, superfœtari quidem potest, sed rarò: quoniam vterus magna ex parte, ad partum vsq; se comprimit.* Sic ille: dixit autem, *magna ex parte*, hoc est, *non omnino*. Manifestiùs hoc docet Hippocrates his verbis: *Superfœtant autem mulieres, quarum vteri os, post primum conceptum non exquisitè clauditur.* Deniquè scimus, vteri gerentes aliquando menstruas habere purgationes, quod vteri non perfectè clausi indicium est. Ex altera parte Galenus, tum ex Herophili sententia, tum ex sua propria, tenet, grauidis vteri os adeò exquisitè claudi, vt ne specilli quidem mucronem admittat.

Ar. 4. de gen. an. c. 5

H. de superfœtat.

Gal. 3. nat. facult. c. 3. 2. symp. cau. c. 3.

Cœterùm hanc controuersiam indecisam relinquo, & Valleriolæ respondeo. Si coitus, propterea quòd vuluam ad suscipiendum semen aperit, fœtui noceret, profectò nocumentum illud non esset causa varietatis temporum paritionis, sed potiùs efficeret aborsum. Sciat tamen, vterum, vt ad suscipiendum semen hiat, sic ad retinendum, comprimi.

Tertiam adhuc affert causam, nempe errores, quos gestationis tempore grauida mulier committit, videlicet nimium motum, frequentem concubitum, ciborum acrium, & aperientium vsum, animi pathemata, innumeros etiam morbos, quæ omnia partum accelerare quidem possunt. At hæc incommoda accelerant partum, adeò vt ad aborsum grauidas perducant: accelerant, inquam, non retardant: quòd si non retardant, non variare faciunt: quare frustra fuerunt commemoratæ à Valleriola.

Tertio loco audire libet Trincauellium. Hic quoq; pluribus causis temporum

Trincauel. l. 1. cõs. 43

porum partus varietatem attribuit, quarum vna est muliebris vuluæ varia temperatura. Sed hæc non tanta esse potest, vt in humana specie possit diuersitatem magnam efficere: poteritq; causa esse, cur per aliquot dies euariet, non tamen per menses; Imò neq; hoc certum est: nam iuniores, & calidę sępe longo tempore vtero gestant, frigidæ breuiori, nonnunquam è contra. Addit, mulieres varias habere temperaturas, vt ex morum diuersitate, ex procliuitate ad varias actiones, cõstat: quippe aliquæ ad virilem accedunt naturam, quod Plato agnouisse videtur, aliæ ad belluinum ingenium. Hæc tamen nihil faciunt: canes etiam videmus ad diuersa procliues, nec tamen propterea pariendi tempus mutare: fœminæ autem, hominum naturę propinquiores, quàm aliæ, viragines sunt: rarò concipiunt: quòd si concipiant, non diuersum ab alijs habebunt pariendi tempus: quæ autem belluinam conditionem sapiunt, non propterea habebunt à belluis mutuatum pariendi tempus. Demum quod addit, varium esse masculini seminis temperamentum, poterit efficere ad diuersitatem sexuum, vt scilicet aut mas, aut fœmina concipiatur, cæterùm mensium gestationis varietatem nequit præstare.

Plato in Timæo.

Quarto loco, aduenìat Mercurialis, qui causam, à nemine hactenus explicatam, se inuenisse existimans, ait, naturam solicitam propagationis humanæ, & conseruationis fœtus, voluisse, vt non vnum tempus haberet, sed seu maturiùs, seu tardiùs exiret, posset viuere. Hæc tamen causa præterquàm quòd finalis est, quæ proinde non declarat essentiam rei, est etiam fallax: nam bruta longè numerosiùs propagantur, quàm species humana, ac prętereà homines frequentiùs abortiunt, quàm bruta, & laboriosiùs pariunt, & dum gerunt in vtero, deteriùs se habent, quàm quoduis aliud animal: quæ cuncta aliter debuissent accidere, si hominum numerum copiosiorem esse oportuisset, quàm belluarum.

Hier. Mer. de morb. mul. l. 2. c. 1

Vltimo loco, tamquàm digniore, accedit Aristoteles, cui subscribere, & ius, & ratio iubet: miror q; Mercurialem virum indefessę lectionis, qui in celeberrimo Philosopho causam, aut non quæsiuit, aut non inuenit, cum tamen apud illum satis patens se se legentibus offerat; Nam vbi ille ait, *Hinc tempus etiam vteri ferendi enorme vnum hoc animal sortitum est*, particula, *hinc*, nos manu ducit ad quærendam in præcedente oratione causam huius rei. Quænam sunt præcedentia verba? Videlicet, *Vniparum, & pauciparum, & multiparum interdum est: humore profectò, caloreq; corporis multiparum est: seminis enim natura humida, & calida est, sed suæ magnitudinis ratione pauciparum, atq; vniparum est*. Itaq; ait, hominem in omnibus ambigere, & esse vniparum, pauciparum, multiparum, additq; *hinc*, hoc est, ob hanc causam *Tempus vterum ferendi enorme hoc animal habet*. Subscribunt huic sententiæ tum Auerrous, tum Albertus magnus.

Ar. 4. de gen. an. c. 4.

Auerr. in paraph. de gen. an. lib. 4. c. 4. Alb. Mag. l. 18. de animal trac. 2. c. 2.

Attamen obijcit Zacchias: Sicut homini gemellos edere contingit, sic etiã vaccæ. Ego verò, si vacca binos fœtus ediderit, portentum esse, existimabo: de homine non ita sentiam, imò verò in primæuo recens adhuc nati Mundi seculo, humani generis fœcunditas adeò efflorescebat, vt partus tunc essent, & gemini, & tergemini, quod ex hebræorum traditionibus accepit Genebrardus, & hoc significasse, ait, sacram scripturam genes. c. 5. cum narrat, Enos genuisse filios, & filias. Cæterùm qui exempla sat multa mulierum, congerit, quæ vno enixu plures fœtus ediderunt, affert Theatrum vitæ humanæ: legendus quoq; in hanc rem est Aulus Gellius: licèt autem, ex Aristotele vrsa pariat tum vnum, tũ duos, sed cumplurimum quinq;, inter multipara recensetur: vnum enim parere præter naturam est, cum plura habeat vbera.

Genebr. in princ. chronologiæ.

Theatr. vitæ hum. cor rect. vol. 1 tit. mulier. quæ pepererunt simul multus

Aul. Gell. noct. attic. li. 10. c. 2.

Prosequitur Zacchias inquiẽs, Esto: sit

sit naturale homini, mediam habere naturam inter multipara, & vnipara: quid hinc colligi potest aliud, nisi hominem, cum vnum duntaxat foetum edit, decimestrem, aut nonimestrem: cum plures, septimestres, aut octimestres debere in lucem edere? At Aristoteles non dixit, hominem habere mediam naturam inter multipara, & vnipara: nam sic hominem, diceret, esse pauciparum dũtaxat: siquidem paucum medium est inter multum, & vnum. Dixit, hominem habere ambiguam inter hæc tria naturam, hoc est, indifferentem, ac proinde nõ posse illi præscribi vnum certum gestationis tempus cum multiparis, neque vnum cum pauciparis, neq; vnum cum vniparis, sed cum omnibus omnia.

Ar. 6. hist. anim. c. 30

Accedo ad quatuor calculationes in præsente textu relatas, quas seorsim libet explicare. Harum prima conuenit foetui septimestri, si menses, vt dixi, sint 30. dierum: tales autem esse oportet ob iam superiùs dictam rationem, neq; nunc, an vitalis sit partus, inquiramus, sed an rectè correspondeat proportio figurationis ad motũ, & motus ad exitum: cum autem rectè sic correspondere constet, inquirendum est, an si menses, accipiantur, vt accipi debent, partus sit vitalis, aut quot dies requirantur ad partum septimestrem vitalem.

Ad figurationem 35. qui duplicati efficiunt

Ad motum 70. qui triplicati efficiunt

Ad perfectionem 210. qui efficiunt menses 7.

Hic numerus expresè recipitur in libello de carnibus, seu de principijs, vbi hæc habentur verba: *Habet autem septimestris partus tres denarios, siue decadas hebdomadum, & in vnaquaq; decade septuaginta dies. Tres verò hebdomadum decades ex toto sunt dies 210.* Omitto, quòd secundo, & sexto epidemiωn citatis, idem numerus potest colligi: nam iam superiùs dixi, tum in ijs locis, tum in hoc libro de alimẽto, agi duntaxat de proportione, quam seruant inter se tria tempora à simplice ad duplum, à duplo ad triplum: cęterùm in libro de carnibus non habet locum prædicta excusatio. Quapropter, si menses solares accipiamus, euertimus hippocraticam doctrinam, Galeni fide confirmatam: euertimus etiam computationes partuum nonimestrium, & decimestrium, quæ omnes fiunt per dies græcanicos, hoc est, dierum 29. h. 12. Augenius librum de carnibus respuit, & sic doctrinam in eo scriptam prorsus damnat: nam si dies 210. ad menses græcanicos reducendi sint, euadet numerus mensium 7. cum diebus 3. & horis 12. qui cum excedat septimum mensem, iam incidit in octauum.

Auct. de carn.

Hor. Aug.

Itaq; ne incidamus in hoc absurdũ, vel habendus est pro spurio liber de carnibus, vt Augenius ait, vel, vt idem etiam vult, dicendum est, Hippocratem in libello de septimestri partu resipuisse ab illo errore, in quem inciderat in libello de carnibus.

Aliter etiam putat, excusari posse sententiam illam libelli de carnibus: nempe dixisse Hippocratem, tres decades, nempe exactas, facere dies 210. non quòd septimestri partui necessariæ sint decades exactę, satis enim est, quòd ad illas accedat. E. g. ponamus duas decades, quę dies cõstituunt 140. addamus dimidiam, euadent dies 175. & iam erunt decades duæ cum dimidia: addamus hebdomadam vnam, & fient dies 182. Atq; ita possumus dicere, tres esse decades non exactas, hoc est, vltra duas, & dimidiam.

Verùm vtrùm Augenius rectè excusauerit auctorem libelli de carnibus, ipse viderit: mihi pro comperto est, in libello de carnibus scriptum esse, vnamquamq; hebdomadam constare diebus 70. & totum septimestrium tempus habere tres hebdomadas, quæ faciunt dies 210. Cum autem hic numerus non debeat distribui per menses dierum 30. distribuetur per menses dierum 29. hor. 12. & fient menses 7.

dies

dies 3. hor. 12. qui quoniam excedunt septimestre spatium, incident in octimestre.

Sed Augenius decades facit, quas appellat lunares, diuidens priùs dies in menses lunares, posteà conficiens hebdomadas, & hedomadarum decades, quod quidem ad libitum est: nam hebdomades fiunt ex diebus, non ex mensibus: aliud enim est computare per menses, aliud per hebdomadas, & per hebdomadum decades.

Sed esto: computet suo modo: quid efficiet? Nempe vt tres hebdomadũ decades lunares (vt ipse vocat) efficiãt dies, 206. & horas 12. At neq; sic partus erit vitalis: si enim Galenus extremum partus septimestris diem constituit 240. cur admittemus Augenio, vitalem esse partum dierum 206?

Primus terminus septimestris est dimidium anni, dicente Hippocrate, septimestres oriuntur ex 182. diebus, & quadam insuper diei particula: hanc particulam, dixit Galenus, esse horas 15. quod patet, si annum solarem diuidamus in duas dimidietates: annus enim debet esse solaris, menses verò lunares. Non est igitur, cur cum Augenio ex emendicatis hebdomadis conficiamus numerum dierum 182: quippe ex Hippocrate, & Galeno, facilè conficitur ex diuisione anni in duas partes.

Computandi modum docet nos, accipiens primi mensis dies 15. deinde quinq; mensium sequentium dies 147. & horas 12: tot enim diebus constant quinq; menses lunares. Hinc habebimus sex menses, qui constant diebus 162. & horis 12. adiungamus dies 20. & euadent dies 182. & horæ 12. qui transgrediuntur anni dimidium.

Galenus ad imitationem Hippocratis sic computat. Accipit primi mensis dies 20. hor. 3. addit menses quinq; sequentes, qui continent dies 147. hor. 12. vltimo mensi adiungit etiam horas 15. & efficit numerum dierum 182. horar. 15. qui est numerus dimidij anni. Aduertit autem in hac computatione, menses deficientes ita accipiendos esse vt non ampliùs eis, quàm dimidia pars deficiat.

Existimat Fortunatus Fidelis, hos dies refractos initio computationis nõ esse admittendos: quippe hæc refractio fit, quia cum à congressu lunæ cum sole menses debeant incipere, si mulier concepit in plenilunio, vel circa, primus mensis debet esse mutilatus, & deficere per tot dies, quot desunt ad complendum mensis spatium vsq; ad primum futurum lunę congressum. Cum autem nulla necessitas cogat incipere semper à lunæ congressu, sed velut in computandis crisimis fieri solet, incipere ab eo tempore, quo morbus ægrum corripuit, siue sit in congressu lunæ, siue in quouis alio tempore, sic in computatione mensium partus. Itaq; sufficit constituere sex menses, qui constant diebus 177. & additis diebus quinq; cum dimidio, efficere dies 182. & horas 12. quod est dimidium anni. *Fortu. Fidel.*

Verùm tametsi Hippocrates aliquãdo dixerit, *Cum vltra plenilunium mulier concepit, necesse est, eum conceptum vndecimum mensem attingere, ac apprehendere, quoad vltimum circuitum perueniat*, non propterea computandi initium à plenilunio, aut à nouilunio, imò ibidem, ex antecedentibus verbis constat, eum initium sumpsisse à menstruorum tempore, & à tempore purgationis: quippe ait, *Plurimis enim mulieribus necessarium est in ventre concipere post menstrua purgamenta, vbi ab his exolutæ fuerint*. Sed hoc meliùs explicabitur infra. Nec verò quamuis mẽses accipiuntur iuxtà spatium, quod luna percurrit ab eo puncto, quo discessit à sole, & iterum cum sole congreditur, putandum est, computationem debere incipere semper à coitu lunæ cum sole: nam mensem ita accipimus ad denotandum numerum dierum, qui in hac circumlatione consumuntur: sunt enim 29. hor. 12. & aliquid amplius. An verò conceptio, & congressus lunæ simul concurrant, *H. de octimestr. par.*

non

non magis curamus in partu, quàm in morborum crisimis diebus.

Dupliciter computationem incipere posse, nos docet Hippocrates: quippe eo auctore, *Aut à mensium fluxu numerandi sunt nouem menses, aut à conceptione*: vtraq; computatio difficilis est: nam si fiat à mensium fluxu, multis fluunt menses, dum grauidæ sunt: *Fit enim nonnullis grauidis purgatio* (ait Aristoteles) *& interdum quæ ad finem vsq; perseueret*. Nonnullæ etiam, quæ menses nunquã habuerunt (teste eodem) conceperunt. Cœterùm si à mensium fluxu incipere volumus, oportet aduertere, cum Vallesio, tempus esse accipiẽdum, non in quo vltimò fluxerunt, sed in quo primò cessarunt.

H. 2. epid.

Ari. 7. de hist. an. c. 2

Ari. 7. de hist. an. c. 2

Valles. 2. epid.

Quod spectat ad conceptionem, ab hac computatio esset potior: nam (vt inquit Mercatus) ab eo tempore subducendus est calculus, à quo res ipsa subsistere incipit. Cæterùm non semper mulier, se concepisse, agnoscit, dicente Hippocrate, *Cum vteri spiritum acceperint in se ipsos, à vento flatum exhibente eleuantur, ac intumescunt: contingit autem hoc, videntur sanè sibi mulieres tunc concepisse*. Hæc Hippocrates. Quamuis autem alibi dicat, mulieribus de partubus fidem derogare non oportet; hoc non tollit, quominùs decipi possint.

Lud. Merc. de morb. mul. lib. 4. c. 1.

H. de nat. puer.

H. de sept. part.

Possunt quidem agnoscere aliquãdo, se concepisse, quippe *Mulier*, (vt ait Hippocrates) *cum in ventre concepit, statim horret, & calor, & dentiũ stridor consequitur, & conuulsio occupat tum articulos, tum totum corpus, & vterum segnities, ac torpor, & quæ pura sunt hoc patiuntur*. Et idem met superiùs dixerat: *Meretrices publicæ, quæ sæpiùs de se ipsis periculum fecerunt, vbi cum viris rem habuerint, sciunt, quando in ventre concipiant, & postea conceptum intra se perdunt*. Itaq;, vt idem alibi ait, *Si fæmina partus perita sit, & cognouerit, quando genitura non exciderit, sed intus manserit, sciet qua die intra seipsam concepit*. Hoc mente tenebat illa psaltria, *Quæ audierat* (vt narrat idẽ) *qualia mulieres inter se dicunt, quòd quando mulier conceptura est in ventre, genitura non egreditur sed intus manet*. Hoc etiam agnouit Aristoteles, quippe ait: *Indicium mulierem iam concepisse, cum statim à coitu locus siccescit*: & paulò post; *Cum iam conceperint, sentiunt præcipuè suis ilibus: hæc enim nonnullis statim pleniora efficiuntur, quod ijs, quæ graciliores sunt, euidentiùs, accidit*. Sic Philosophus. Prædicta tamen non sunt omnino infallibilia, quippe cum mulier possit absq; voluptate concipere, potest se concepisse ignorare.

H. de carn.

H. de geni.

H. de nat. puer.

Aris. 7. de hist. an. c. 3

Tot igitur tantaq; de septimestri partu ab auctoribus, non nequicquã sunt considerata, sed magnæ vtilitatis ergo: quippe si Pythagoricos consulamus, septimum numerum in delicijs esse, nobis dicent: si astrologos, prosperum, & salutarem: si medicos, medicorum princeps, vitam hominis septem dierum esse, nobis inculcat: legenda quam plurima sunt tum apud Platonem, tum apud quam plures alios.

H. de carn. Macrob. in somnium Scip.

Septimestrem partum nonimestri æquiparare solent auctores medici, inter quos Ludouicũ Mercatum scriptorem non contemnendum repono. At septimestres infantes aliquando visi sunt imperfecti, aliquando exiguam molem corporis habentes, aliquando etiam valetudinarij. Ita est: sed visi etiam sunt aliqui septimestres robusti, proceri, sani: qui verò imperfecti exeunt, fortè egressi sunt immaturi, quippe eius naturæ erant, quæ longius tempus expostularet: Nam si fœtus tardè figuratus, tardè etiam se mouens, citò exeat, exit ante tempus, & vel erit abortus, vel abortui proximus. At frequentes septimo mense, fiunt abortus: fiunt quidem comparatione noni, & decimi mensis, quia septimo mense minùs iniurias externas tolerant: nihilominùs non fiunt hoc mense abortus sinè causa externa;

Lud. Merc.

Imò

H. 4 aph. 1. Imò quando Hippocrates ait, vtero gerentes sunt medicandæ, si materia turget quarto mense, & vsq; in septimum, multi septimum inclusiuè accipiunt, inter quos est Mercurialis, qui *Mercur. in aph.* ideo dicit, esse magis tutum purgare in septimo quia scilicet, si contingat purgante medicamento fœtum excludi, cum sit septimestris, poterit esse vitalis.

Sed dicitur ex aduerso, si menses vlteriores nonus, & decimus sunt perfecti, non potest septimus esse perfectus, nam perfectum est id, cui nihil deest. Sed concedendum nobis medicis est, perfectionem non consistere in puncto indiuisibili, sed habere non exiguam latitudinem. Additur tandem, nihil fieri non propter finem; at multiplex pariendi tempus in nullũ finẽ ordinatur: sed considerare oportet, actiones esse propter finem: quia agentia naturalia in aliquod bonum directa, in illud tendunt per suas actiones: diuersitas isthæc temporum, nec est agens, nec actio: imò cum finis sit cuiusuis rei bonum, est eiusdem perfectio multiplicitas temporũ neq; bonum aliquid, neq; perfectionem desiderat, ergo finem quærit. Hinc fit, quod decipi, existimem, aliquos, qui inquirunt, propter quem finem morbi gignantur, perinde ac si omnia debeant in finem tendere, etiam si perfectionem non postulant. Constituamus ergo septimestris partus schedam iuxtà menses græcanicos in hunc modum.

Ad figurationem —— d. 27. h. 2.
Ad motum —— d. 54. h. 4.
Ad perfectionem —— d. 162. h. 12.
quibus completur mensis septimus. Aduertendum tamen est, septimestrum, vt vitalis sit, non accedere ad hoc complementum; quippe nec ante dies 182. h. 15. (qui numerus continet plus, quàm dimidium anni solaris) nec post dies 204. vitalis esse potest: & Galenus, vnum duntaxat se vidisse, ait, natum vitalem, qui die 105. fuit editus. Causam huius rei existimo esse, vt euadat sextum mensem, & non attingat octaui incommoda. Putat tamen Galenus, in computatione primum, & vltimum menses, qui cõfracti accipiuntur, debere constare tot diebus, quot excedant vnius mensis dimidium, & sic valde distabit à mense sexto, habebitq; propterea exquisitam maturitatem: distabit parùm ab octauo, cuius afflictiones non potest præsentire, nisi cùm iam valde ei proximus est.

Alij tradunt ad formam quadraginta. Hæc secunda computatio vitiosa est, potiùs vitiata: cum enim nullam seruet proportionem inter tempus formationis, motionis, & exitus, non videtur locũ habere posse inter alias. Cœterùm cum tempus formationis statuat dierum 45. hic numerus nos manuducit per solitas proportiones dupli ad triplum, vt secundùm eas inueniamus numerum partus nonimestris. Neq; credibile est, hunc fuisse omissum; quippe tutissimus, frequentissimus, celeberrimus est, adeò vt Lalamantius, solum partum nonimestrẽ *Lalamant.* legitimum esse, censeat, alios illegitimos. Reperio igitur apud Auicennam, quem sequitur Augenius, correctionem huius computationis, quæ *Aui. Ha.* *Augen.* sic statuitur: & plenioris doctrinæ gratia prius vitiatam, posteà correctam descriptionem adhibeo.

Calculatio iuxta contextum.

Ad formam d. 45.	*Nulla proportio requiritur inter hæc tria tempora.*
Ad motum d. 76.	
Ad exitum d. 210.	

Accedit, quod numerus 210. qui concludat computationem, iam superioris calculationis conclusio fuit.

Calculatio correcta iuxta Auicennam.

Ad formam d. 45. qui duplicati efficiunt

Ad

Ad motum d. 90. qui triplicati efficiunt

Ad exitum d. 270. quibus complentur menses nouem.

Cœterùm isthæc calculatio constat (vt reliquæ præsentis contextus) ex mensibus solaribus, nempe dierum 30. ex græcanicis autem mensibus fiet in hunc modum.

Ad formam — d. 44. h. 4. efficiunt

Ad motum — d. 88. h. 8. efficiunt

Ad exitum — d. 265. h. 12. & est mensis nonus, constans mensibus dierum 29. h. 12.

Memoria tamen tenendũ est, quemadmodùm septimi mensis (vt ex superiùs dictis constat) biduum cum vnius diei dimidio non est vitale, quoniam iam attingit octaui mensis incommoda, ita nunc mensis noni priores aliquot dies non censeri vitales: quippe seruant adhuc præteriti laboris vestigia: debet enim durare labor (ex decreto magni dictatoris) diebus 40. Igitur computando mensem nonum, si refractos etiam primum, & vltimum mensem accipiamus, paucioribus quidem diebus, quàm sit dimidium mensis (in nono enim, & decimo non obseruatur id, quod in septimestri partu obseruãdum duxit Galenus) poterit, excepto quadragenario laborioso, nonimestris partus optimè constare: etenim tametsi nonus mensis (vt infra declarabimus) sua vi, & dispositionibus præcedentibus exagitet octimestrem fœtum, nihilominùs, octauus mensis nonimestri fœtui mercedem rependit, eiq; laboriosos, imò & periculosos primos aliquot dies facit. Quare ad hoc, vt nonimestrem partum securum, salutarem q; dicamus, opus est, vt bonam noni mensis partem ad octimestrem partum spectare dicamus, & minùs, quàm dimidium vnius mensis, nonimestrem participare contra id, quod in septimestri est factum: & meritò: nam septimestris potest proximè accedere ad octauum, cuius pericula futura sunt, & ante quàm sint, parùm alterant: nonimestris debet, quoad fieri potest, recedere ab octauo, cuius labores adhuc durant, & ex laboribus adest fatigatio.

H. de octimestr.

Sed ante quàm vlteriùs procedamus, diluenda est difficultas, quæ hìc se offert. Nam dies 270. diximus cõplere menses 9. si menses sint dierum 30. At Hippocrates, qui (vt diximus) menses accipit dierum 29. h. 12. græcanicos appellatos, huic numero dierum 270. menses 9. attribuit. Soluit Iacobus Steue, dicens ab Hippocrate libello de partu octimestri nos debere addiscere, esse adiungendos in cõputatione dies purgationis, qui ad minimum sunt tres, diem vnum nouilunij atq; aliud quoduis impedimentum, quo completur numerus dierum 270.

H. 2. epid.

Steue.

Hìc locus est respondendi Fortunato Fideli, qui putat, menses accipi mutilatos, vt numerus mensium semper à lunæ congressu inchoet, & hoc non ita faciendum esse, iudicat. At ò Fortunate, nemo tibi hanc causam attulit: tu tibi eam fingis: quamuis enim Hippocrates dicat, *Necessarium est, plerasq; mulieres circa pleniluniũ, & vltra in ventre concipere, vt 280. dies sæpe vndecimum mensem apprehendere videantur*, non hinc colligitur, nouilunia esse principia numerationum: nam hæc, iam diximus, accipi aut à die conceptionis, & hæc est certa computatio, aut à mensium defectu. Hippocrates ex hypothesi cõstituit, concepisse mulierem circa plenilunium, hoc est, circa decimũquintum diem vnius mensis, deinde (quia computatio facienda est, iubet Hippocrates, ad imitationem computationis septimestrium) addere oportet à parte ante dies quinq;, à parte post alios quinq;: & sic ex diebus 270. quos diximus conficere nouem menses, euadunt dies 280. qui continent quadragenaria septem, vel decades hebdomadum quatuor (vtrumq; in idem coincidit) & hic numerus in partu nonimestri spectabilis est. Cœterùm

rùm quoniam, si mensem, ex quo priores quinq; dies accepimus, consideramus, tamquàm vnum mensem, & alterum, ex quo accepimus quinq; posteriores dies, tamquàm alterum mensem (quod rectè possumus facere, nàm in hac computatione non requiritur, vt id, quod confractum est, contineat plusquàm dimidiũ vnius mẽsis) iam isti duo menses, additi nouem mensibus, efficiunt, vt partus videatur vndecimum mensem attingere. Est quidem nonimestris iuxtà numerum dierum quadragenariorũ, & decadum septimanarum, & videtur esse vndecimestris iuxtà menses, qui computationem ingrediuntur, quorũ prior, & posterior singuli suos quinq; dies conferunt pars enim mensis est mensis, vt ait Hippocrates. Sed iam ad tertiam accedamus. *H. de sept. part.*

Alij sic ad formam quinquaginta. Hic describitur partus decimestris, qui completur diebus 300. facta computatione per menses 30. dierum.

Ad formam d. 50. duplicati efficiũt.
Ad primum saltum d. 100. triplicati efficiunt.
Ad perfectionem d. 300. & completur mensis decimus.

H. septim. De partu decimestri dixit Hippocrates, *In septem quadragenarijs nascuntur decimestres appellati, ob id maximè educantur, quòd fortissimi sunt, & plurimum à vulgarium puerorum tempore absunt.* Duo hinc colliguntur: primum fętus decimestres fortissimos esse; alterum est tempus, quo partus decimestres in lucem exeunt. Quod attinet ad primum: plures sunt circunstantiæ, quæ decimestrem partum fortissimum constituunt; Nam si aliquod damnum in sexto quadragenario est passus, poterit se reficere temporis spatio satis amplo, quod ab illo quadragenario ad decimum mensem protenditur: quod nonimestris non ita commodè præstare potest: vnde nonimestris gracilior exit, decimestris verò sat benè educatus. Quòd si toto tempore educationis saluber vixit, neq; aliquod passus est incommodum, plus temporis habuit, quàm septimestris ad acquirendas tum vires, tum corpulentiam. Ideo antiquis decimi mensis partus magno in pretio fuit habitus: vnde Virgilius in natalitijs Asinij Pollionis, *Virg. eclo.*

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Ouidius in fastis, *Ou. 3. fast.*

Seu qualis quino fœmina mense parit,

Plautus, *Plaut. in amphitr.*

Hodie illa pariet filios geminos duos,
Alter decimo post mẽse nascetur puer quàm seminatus: Alter mense septimo

Idem in Cistellaria,

Tum illa, quam compresserat, decimo post mense exacto hic peperit filiam

Et Sapiens, *Sapient. c. 7.*

Decem mensium tempore coagulatus sum in sanguine. Quod verò attinet ad tempus, constituenda est scheda iuxtà menses græcanicos.

Ad formam 49. h. 4. duplicati efficiunt
Ad primum saltum. 98. h. 8. triplicati efficiunt
Ad perfectionem 295. & sunt menses 9. completi iuxtà menses græcanicos.

Sed potest ne extra decimi mensis terminos partus aliquis transcendere? Aristoteles saltem vndecimi initium admittit, inquiens, *Nonnullę etiam vndecimum attingunt.* Hoc sumptum est ab Hippocrate, qui ait: *Nam cum vltra plenilunium mulier concipit, necesse est, eum conceptum vndecimum mensem attingere, & apprehendere.* Hæc verba *attingere, & apprehendere* insinuant, non esse accipiendum totũ integrum mensem vndecimum. At dicet aliquis, iam accidit partus post exactum annuum spatium: sit fides penès auctores: hęc si eueniant, sunt ex ijs, quæ rarò eueniunt: pro monstris reputantur, nec sunt in cõsequentiam trahenda. *Ar. 7 hist. anima. cit. H. de octimestr.*

Sed instant multa exempla: nam Vestilia, iam prius commemorata, *Plin.*

Suillum

Plin. Suillum Rufum vndecimo peperit. Concil. Conciliator, se vndecimestrem fuisse, affirmat. Card. li. 1. tract. 3. contr. 8. Cardanus, patrem suum vndecimo mense natum fuisse, prædicat. Auic. li. 9 de animal. Auicenna, ab amico fideli se accepisse, narrat, mulierem post decimumquartum mensem peperisse. Hęc & plura alia effecerunt, vt multi, tempori pariendi nullum terminum præscribi, voluerint. Aul. Gell. noct. attic. lib. 3. c. 16 Gellius ex satyra M. Varronis colligit prouerbium, quo constat, nihil referre, an fœtus decimo, an vndecimo mense sit natus: & vlteriùs narrat, fœminam bonis, atq; honestis moribus non ambigua pudicitia in vndecimo mense post mariti mortem peperisse: & D. Hadrianum cognita causa decreuisse, vndecimo quoq; mense partum edi posse. Homer. Tandem recitat carmina Homeri, quę latinè reddita sic habent:

Nunc gaude dilecta, & cum se voluerit annus,
Illustres (neq; enim diuûm cubilia vana,)
Natos nixa dabis.

Quid annus significet, ibi quæsiuit ipse Gellius à quamplurimis: verùm inter omnes Phauorinus annum non perfectum, sed affectum intelligi pronunciauit: affecta enim (sicut M. Cicero, & veterum elegantissimi loquuti sunt) ea propriè dicebantur, quæ non ad finem ipsum, sed proximè finem progressa, deductaue erant.

Cæterùm, tametsi non sit impossibile, partum vltra decimum mensem progredi, nihilominùs quotquot progrediantur vel deceptionis, vel monstrositatis filius esse, censeo: H. de nat. puer. & Hippocrati applaudo, qui, mulieres, quæ vltra decem menses vterum gestare sibi visæ sunt, decipi, ait, & quomodò decipiantur, detegit: cum enim vterus flatum in se receperit, eleuatur, & mulier putat se grauidam esse: similiter etiam si menses non profluant hac quoq; ratione in vtero se habere credunt: quòd si posteà vterus ad meliorem frugem redigatur, & mulier concipiat, computat dies ab illo priore tempore, quo menses non prodibant, & vterus erat inflatus. Quare forsan pater Cardani, qui 13. mense se natum, prædicabat, hac matris deceptione instructus loquebatur. Car. lib. 1. tra. 3. cõt. 8. Cæterùm qui varijs mensibus, & vltra id, quàm credi potest, longo tempore gestatos in vtero infantes scire desiderat, adire poterit diligentissimum Schenchium: Schench. nobis hæc satis sunto.

Alij sic ad discriminationem quadraginta. Quarta hæc tabella octimestrem proponit partum: cæterùm, quemadmodùm hinc non possumus elicere, octimestrem esse vitalem (neq; enim hìc vitales à non vitalibus discernit) ita colligere possumus, esse partum legitimum: siquidem in serie legitimorum collocatur. Aliud autem est vitalem esse, aliud esse legitimum: neq; hic legitimum accipitur, vt opponitur spurio, quod ad I. C. pertinet. Appello legitimum, qui tempore à natura constituto in lucem exit. Hìc legitimus quidem est, non tamen iccirco necessariò vitalis; Vnde mensis octauus est quidem legitimus, hoc est, à natura destinatus, non tamen est vitalis, quod experientia docet.

Quæsitu tamen dignum est, cur natura, quæ nec abundat in superfluis, nec deficit in necessarijs, octauum mẽsem partui, qui viuere nequit, destinauit? Nam, si non habet vitam, superfluus est iste terminus octimestris: si non est superfluus, sed à natura destinatus, deficit natura, ei vitam negans. Respondetur, præter priores menses, in quibus partus non adhuc maturus est, & vlteriores, in quibus tum ob magnitudinem molis, & plurimi alimenti necessitatem, iam non ampliùs claudi in vtero potest, omnes alios menses esse à natura mulieri destinatos: & quando dicimus, cum Aristotele, & alijs, homini multiplex esse pariendi tẽpus, intelligimus de his mensibus medijs, intra quorum latitudinem datur partus præcox, datur etiam serotinus. At media ista latitudine, natura, quæ non ducitur intellectu,

(vt iam satis explicauimus) non potest hunc mensem eligere, illum verò refutare, sed omnes recipit: quòd si in aliquo istorum partum vitalem nõ esse contingat, id non accidit ratione temporis ad maturationem requisiti (nam partus octimestris maturus est, alioquin esset aborsus) sed accidit aliũde. Istud *aliunde* occasionẽ tribuit multis varias causas excogitandi.

Astrologi dicunt, inter signa zodiaci octauum cum primo nulla societate coniungi, septimum primo amicum esse. Hæc ratio quantum habeat ponderis, ipsi viderint. Dicunt præterea, exactis per septem menses septẽ planetis, octauo mense recurrendum esse ad Saturnum, qui frigidus, & siccus est, ac proinde vitæ principijs, calido scilicet, & humido, aduersus: hinc crediderim, finxisse poetas Saturnum filios suos deuorasse. Hìc tamen vellem, vt ipsi mihi dicerent, cum Indicũ tractum Saturno subiectum esse dicãt, cur ibi vitas longissimas constituunt. Cur in terra Ægypto (teste Aristotele) octauo mense nati viuunt, & adolescunt? Non ne Ægyptij sub cœlo sunt, & cœlestibus fruuntur influxibus? Imò maximè. Nunquid hoc ex peculiari priuilegio habẽt, veluti Naxiæ mulieres, quas octimestria edere puerperia, dicebant veteres, beneficio Iunonis, eis gratificantis, ob Dionysij beneuolentiam, aut quia Bacchus sic natus creditur? At fabulosa sunt hæc: perinde indigna, quæ veritatis inquisitioni inseruiant.

Ar. 7. hist. an. cit.

Arithmetici confugiunt ad suos numeros: & quemadmodùm septimum, & nonum exaltant, sic octauum deprimunt, vitæq; odiosum esse, prædicant. Cęterùm mihi, quemadmodùm numeris nullam efficiendi vim esse, constat, sic sub eis arcana mysteria Pythagoricos occultasse, videtur. Attamen, ne causas non intelligibiles, & forsan minùs credibiles amplectamur, facilem accipiamus ab Hippocrate, qui, vt Macrobius de eo ait, tam fallere, quàm falli nesciuit. Hic legislator in Medicina magnus in hunc modum sanciuit: *De octimestri partu sic sentio: impossibile esse, vt duas consequenter afflictiones pueri ferre possint, & propterea octimestres non superstites manere: contingit enim, ipsos consequenter affligi, tum ea, quæ in vtero fit afflictione, tum ea, quæ in partu accedit, & ob id nullus octimestris vitalis est.* Sic ille. Quæsiuit igitur fœtus exitum septimo mense, & forsan, quoniam adhuc acetabula non erant facilè frangibilia, frustra laborauit: quòd si octauo mense consequenter post labores septimi, iterum nitatur, cum adhuc ex præcedente nixu sit defatigatus adiunget laborem labori, & propteteà non poterit tãtam laborum ferre sarcinam.

Macrob. li. de oct.

Opponitur tamen huic Hippocraticæ doctrinæ interrogatiuè. Si septimo mense exire non potuit, cur potuit octauo? Num quia octauo mense fortior est? At sic octimestris non est defatigatus. Respondeo, ex præcedente pugna mansisse ligamenta valde relaxata, & quæ faciliùs, quàm priùs rumpi possint: fœtus verò licèt fatigatus, tamen iam maior, quàm anteà, magis, quàm anteà, vterum ad expulsionem cogit.

Sed non ne potuit septimo mense non habuisse perfectam maturitatem, ac proinde non procurasse exitum, octauo iam tantam maturitatem esse adeptum, vt tentet exitum, nec sit labore præterito defessus, quippe supponimus, nullum præfuisse laborem? His angustijs oppressus Augenius, coactus fuit dicere, sententiam Hippocratis potissimum verificari de ijs, in quibus accidunt duæ successiuę afflictiones: vna, quæ toto ferè septimo mense accesserit inanis, altera, quę subsequuta fuerit mense octauo in partu; Quòd si septimo mense non tentauit exitum, tunc octauo nascetur vitalis. At iuxtà hanc sententiam corruit omnis iurisconsultorum sanctio: quippe octimestrem pro mortuo haberi censent. Vnde nam ergo cognoscetur,

Augen.

scetur, num iste octimestris sit ex ijs, qui septimo mense exire tentarunt? At hoc cognitu impossibile est: nam mulieres toto gestationis tempore adeò afflictionibus vexantur, vt nequeat discernere, an labor in septimo mēse proueniat ex fœtu exitum tentante, an ex alia causa. Zacchias tenet, partum septimestrem esse minùs vitalem, quàm octimestrem: vtrumq; tamen non vitalem, in quo manifestæ experientiæ repugnat.

Vt ergo responsionem, quæ mihi verisimilior videtur, afferam, priùs
H. de sept. considero sententiam quandam Hippocratis, quæ me manuducit. Est autem huiusmodi: *Conceptus abortus, & partus mulieribus, in eo tempore, in quo etiam morbi, & sanitas, & mors omnibus hominibus fiunt. Hæc verò omnia, partim secundùm dies, partim secundùm menses, partim secundùm dierum quadragenarios, partim secundùm annum, significationem sui præbent. In omnibus enim his temporibus insunt ad vnumquemque, & vtilia multa, & hostilia multa.* His sic constitutis, non magis rationem inquirendam, puto, cur dies septimus sit iudicatorius; octauus verò non, quàm, cur mensis septimus sit aptus ad partum, non autem octauus. Sed statim se offert difficultas: nam sic, vt sequamur crisimorum naturam, octauo mense non pariet mulier, sicut octauo die non iudicatur morbus: aut si pariet, erit aborsus, quippe fit in mense, qui non est aptus ad partum: at nos superiùs diximus, esse quidem octauum mensem à natura partui destinatum.

Responsio, meo quidem iudicio, est facilis: nam in morbis, qui per pares mouentur, octaua dies iudicatoria est,
4. epidem. vt constat ex Hippocrates, qui aliquādo ait, omnia in his temporibus *Sexta,*
1. epi. sect. *& octaua iudicabantur*: & alibi inter
3. tex. 14. iudicatorios pares octauum recenset
G. 2. dier. quod refert, & recipit Galenus. Cete-
decret. c. 6 rùm morbi, qui per pares mouentur, hac saltem conditione perniciosi sunt: vnde Hippocrates in historia Phili- 1. epid.
sci, qui sexta die obijt, in fine historiæ, ægrot. 1.
quando colligere solet ea, quæ magis notatu digna sibi visa sunt, tamquàm notatu dignum in calce admonens ait, exacerbationes diebus paribus, quasi propterea non sit mirum, si ex hoc morbo. Philiscus diem suum obijt. Est igitur octauus mensis partui dicatus, ac proinde partus octimestris est partus, non aborsus: quippe aborsus dicitur fœtus imperfecti aut foràs emissio, aut intus extinctio. At octimestris iam perfectus est, licèt non vitalis: nā esse vitalem, aut non vitalem sunt differentiæ, quæ ad rei naturam non spectant.

Si quis adhuc instet, ex morbis, qui per pares mouentur, aliquos ægrotātes saluari, huic ego respondebo, comparationem inter crisimos morborū, dies, & menses partus non debere esse adeò exactam, vt nulla adsit dissimilitudo: nam in crisimis pugnat natura cum morbo, ac proinde potest nonnunquàm natura superior euadere: at in partu octimestri, cum nulla sit pugna inter naturam expellentem, & fœtum, qui expellitur, (adiuuant enim se inuicem natura præstans impulsum fœtui, fœtus præstans irritationem naturæ) deberet parturitio faciliter, feliciterq; succedere: at non succedit: ergo arguit magnam causam: sicut enim in calidis naturis morbi frigidi faciliùs deberent superari, non tamen superantur, quia arguunt magnam causam; Vnde Hippocrates, *In morbis*, inquit, *minùs periclitantur, quorum naturæ, aut ætati, aut habitui, aut tēpori magis congruit morbus, quàm quibus secundùm nihil istorū congruit.* Eodē ergo modo partus, in quo tum vterus, tum fœtus concurrunt simul ad expulsionem, naturæ conueniens est, ac proinde minùs periculosus esse deberet. Cæterùm si à posteriore causam inquiramus, hoc est, ab effectu, reperiemus, causam debere esse potentissimam, sicut potentissima est causa, quæ morbum inducit naturæ, aut ætati,

ti, aut habitui non conuenientem.

Euentus itaq; ostẽdit, octimestrem non esse vitalem: cęterùm hoc documentum, sicut reliqua documenta medica, non est perpetuæ passionis: quippe satis est, sic contingere vt plurimùm: neq; enim negare possumus id, quod à plerisq; tam priscis, quàm recentioribus dictum est: nempe partum octimestrem aliquando viuere. Cæterùm dispositio iuris semper sequitur id, quod frequentissimum est: sic partum septimestrem vitalem statuunt iurisconsulti, cum tamen vitalẽ esse, non sit infallibile: quippe ob repentinam mutationem, quam exitus præcox ei infert, nonnumquam exit parùm habilis ad vitam. Itaq; & septimestrem pro indubitato vitalem, & octimestrem pro certissimo non vitalem pronunciant, cum tamen euentu cõstet & septimestrem aliquando edi non vitalem, & octimestrem vitalem.

Sed iam hìc Zacchias victoriam sibi partam crederet: siquidem æquiparat septimestri octimestrem, imò septimestrem deterioris conditionis facit. Audiat tamen, quæso, paulisper, quod faciet, ob singularem in me beneuolẽtiam. Tametsi numeri nullam efficiendi vim habeant (sunt enim veluti relationes quædam, & respectus vnius ad alterum, sunt quantitas quędam discreta, quæ nullam habet energian) nihilominùs, siue quia vniuscuiusq; rei natura postulat, vt quicquid agit, eatenus agat, quatenus eius actionibus, & motus, & tempus præsunt (motus autem, & temporis discernicula sunt numeri) siue quia supernæ lationes numerorum interstitijs suas actiones distribuunt, quas nos propterea varijs dinumerationibus spectamus, experimur: siue etiam (quod omnem difficultatem absorbet) quoniam auctor naturę (vt ait sapiens) omnia in mensura, numero, pondere disposuit. *Sapient. c. 11.* Vt cumq; tamen sit, certissimum est, & experientia comprobatũ, in quibusdam dierum numeris quasdam euenire mutationes, adeò vt numeri ipsi prærogatiuas ad bonum, vel ad malum habere videantur, quas effectibus, tãquàm signis, agnoscimus. Hinc Hippocrates superiùs citatus ait: *Partim secundùm dies, Partim secundùm menses, partim, secundum dierum quadragenarios, partim secundùm annum significationem sui exhibent*. Non ergo est dubium, dixisse *secundùm dies*, hoc est, secundùm numerum dierum: & sic in cęteris.

Iuxtà hanc contemplationem, tum veteres, tum recentiores, dies aliquos inuenerunt faustos, alios infaustos. Iam superiùs dixi, hanc numerandi tempus rationem ab experiẽtia ortum habuisse, à qua etiam ortum habuerunt artes, atq; scientiæ. Cæperunt homines perscrutari tempora, euentũ: & cum vnum vni tempori dicatum reperissent, huic numero magnam fidem habendam esse, censebant. Quapropter cum viderent, per septenaria valde celebres fieri mutationes, septimũ quemq; vel diem, vel mensem, vel annum summoperè sunt venerati. Hinc est, quòd huius numeri tot extant encomia, vt volumen non paruum possint efficere. Sed inter alia ad præsentem rem pertinet illud ex libro de carnibus, seu de principijs, vitam hominum septem dierum esse: quod indicat septenarijs vitæ progressum institui. *Hip. de Carn.* Quod si ita est, cur prima via ad vitam, nempe partus, non tribuetur præcipuè huic numero? Sit igitur septimestris partus. Quòd si partus tenellus repentina ista mutatione cõturbetur, & vel pereat, vel langueat, id ex accidente, non ex natura, & conditione temporis illi accidit. Satis est, quòd fœtus eo tempore sit maturus, habeatq; omnia adminicula, vt feliciter in lucẽ exeat. Effugerat iam sextũ mẽsem, quem, ad imitationẽ sexti diei inter crisimos, possumus tyrannũ appellare: non dum accedit ad alterum tyrãnum, videlicet ad octauum, quem sexto inter decretorios solent medici æquiparare: quòd si in sexto, & octauo aliquos vitales fuisse, contingit,

non

non mirum est, quod pauci illi è tyrannorum manibus effugerint.

Habemus ergo septimum mensem faustum, cui octauus oppositus est, nempe infaustus. Quare inter magnos impetus ad exeundum ex vtero, primus est septimi mensis. Nec verò quispiam existimet, posse præterire septimum mensem absq; impulsu: fiet quidem aliquibus maior, aliquibus verò minor, fiet tamen omnibus. Atq; hinc euenit octimestris partus infelix conditio; Nam si impulsus mensis septimi fuit magnus, octauo mense occupat fatigatio, & ex fatigatione debilitas: si paruus, signum est, fœtum non esse ex ijs, qui ex vi temporum formationis, & motus postulat sibi septimum mensem: & solùm tunc impulsus ille paruus ostendit viuacitatẽ, celebri illo die acquisitam.

Restat nunc, vt, si maturus est octauo mense, egrediatur: cœterùm infelicitas hæc octaui mensis est maxima: quòd quemadmodùm à parte antea habuit septimum mensem potentissimum, qui sua potentia octaui effectũ præoccupauit, sic à parte post habet mensem nonum, qui parum septimo virtute est inferior, imò in partu ob aliquas rationes superior: quippe tũc & moles corporis est maior, & necessitas alimenti vrgentior. Nonus igitur, vt pote potentissimus, ad se rapit octaui mensis vim. Numquid idcirco incidimus in absurdum, quod iam superiùs aufugiendum esse, diximus, videlicet, vt cogamus dicere, naturam duci intellectu? Minimè: nam etiam in agentibus naturalibus hoc frequens est, vt minus potens trahatur à potentiore: sic internarum inflammationũ vehemens, potentissimusq; calor, trahit ad se modicum partium extremarum, & per sanitatem post cibum rigent aliqui, corroborato scilicet propter cibum rigent aliqui, corroborato scilicet propter cibum interno calore, & conuocante ad se externum. Multa alia exempla esse possent ad probandum istud axioma: quare manifestum relinquitur, mensem nonũ, quem potentissimum esse, nos experientia docet, trahere ad se omnem vim octaui, cuius impotentiam norunt omnes.

Demum, quod probandum proposueram, videlicet magnam esse differentiam præstantiæ, inter octauum, & septimum, iam manet demonstratum. Manet etiam probatum, octauum nono iure cedere. Non tamen hinc sequitur, octimestrem partum non esse legitimum: nam in hoc & à Mercuriali, & ab Andrea Laurentio recedo: quorum vterq; putat, partum octimestrem esse quidem perfectum, sed non vitalem, neq; legitimum: quia scilicet partus octimestris vel anticipat mensem nonum, vel postponitur mensi septimo: & sic non est in tempore sibi destinato; ac proinde non legitimus. At mihi videtur, partum octimestrem esse editum in tempore suo: incommoda verò vtriusq; vicini efficere, vt mensis octauus sit infaustus: siquidem vel septimus mensis nõ fuit potens, vt decebat, & sic fœtum reliquit fatigatum, vel nonus est potens, plusquàm oportet, & sic partum fatigat.

Sed quomodò potest fatigare nonus mensis, qui non dum existit? Potest quidem, licèt non directè: quamuis enim res non existens non potest per se agere, agit tamen per antecedentes dispositiones, propter quas vaticinandi quoddam specimen, & futura præuidendi, & tam querelas, quã gaudium anticipandi potestas etiam irrationalibus inest: vnde Virgilius inter alia futuræ tempestatis signa hæc affert. *Virg. lib. 1. Georg.*

Aereæ fugere grues: aut bucula cælum
Suspiciens, patulis captauit naribus auras:
Aut arguta lacus circum volitauit hirundo,
Et veterem in limo ranæ cecinere querelam:
Sæpius, & tectis penetralibus extulit oua.

Angu-

Angustum formica terens iter: & bibit ingens
Arcus, & pastu decedens agmine magno
Coruorum increpuit dextris excitus alis.

Ælian. lib. 7. c. 8. Et quæ sequuntur. Plura etiam refert Ælianus, & alij quā plurimi. Et quod mirandum est, gallus gallinaceus solem aduentantem, antequàm suis radijs se prodat, præcinens, & gestiens salutat. Hinc iam manifestum euadit, posse fœtū in octauo mense noni mensis aliqua cōmotionem in se ipso præsentire.

Vltima restat dubitatio: non partus morbis chronicis comparatur; chronici verò paribus tutò iudicātur. Quare non nocebit octauo mensi, quod sit par, vt possit partū efficere salutarem. Admittendum quidem est, computationem, quæ fit in partu, esse ad similitudinem crisium, quæ fiunt in morbis chronicis: admittendum etiam est, morbos chronicos iudicari per pares: at nobis inuicem admittatur, morbos chronicos raro solui per crises, & præterea crises chronicorum solere esse imperfectas: v. g. per abscessus, qui quemadmodùm non exigunt materiā perfectè coctam, sic neq; perfectam efficiunt iudicationem. Eodem ergo modo fœtus octimestres vel non poterunt insurgere ad sui egressum, vel, si insurgant, imperfecta quidem erit actio, partusq; vt plurimùm infaustus.

At proponenda est quarta tabella continens partum octimestrem iuxtà computum mensium solarium.

Ad discriminationē — 40. qui efficiūt.
Ad transitum — 80. qui efficiūt.
Ad elapsum — 240. & est octimestris.

Cęterùm si secundùm gręcanicos mēses calculatio peragēda est, cum mense octauo compleantur dies 236. distributio fiet in hunc modum.

Ad discriminationem — d. 39. h. 8. qui efficiunt.
Ad transitum — d. 78. h. 16. qui efficiunt.
Ad elapsum — d. 236. & est completus mensis octauus.

Omnes autem numeri, qui transgrediuntur mensem septimum, hoc est, à dies 204. iam pertinent ad mensem octauum: tantum enim habent octaui, quantum superest à septimo. Sed de his satis, superq; superiùs est actū. Quamuis ergo mensis septimus perficiat numerum dierum 206. h. 12. nihilhominùs eius terminus cōstituitur die 204. propter instantis octaui mensis perniciosum aduentum. Sequitur altera pars præsentis contextus.

Non est, & est. Enarratis quatuor computationibus ex aliorum sententia adductis, censuram interponit, inquiens, *Non est, & est* quę sunt, vt poeta ait, *Monosyllaba nota frequētet.* Hęc diuersimodè à diuersis accipiuntur. In primis se offert Gellius, qui à letione cōmunis codicis recedens, vbi codex cōmunis habet οὐκ ἔστι δὲ καὶ ἔστι: *Non est, & est*, legit ille ἔστι δὲ καὶ οὐκ ἔστιν ὀκτάμηνος γένεσις, id est, *Est, & nō est octimestris partus.* Affert deinde horū verborū interpretationē à Sabino acceptā, dicēte: *Apparēt quidē veluti animalia post abortum, sed nequaquā sūt, quippe quę statim vita excedant: itaq; esse quidē tantisper imaginantur, sed potentia non sunt.* In hac expositione duo sunt, quæ displicere queant: vnū, quòd abortum dixit, quasi octimestrē nomine partus fuerit dedignatus: alterum, quòd non est ita explicat, ac si dicamus non videtur esse: quod violentiam verbis auctoris infert. Aul. Gel. noct. Attic. lib. 3. c. 16.

Nihilominùs Lalamantius nō recedit ab hac Sabini interpretatione: inquit enim, *Nō abs re Hippocrates in libello* περὶ τροφῆς *dixerit* Ἐς ἐκπλῶσιν ΣΜ. ἔστι καὶ οὐκ ἔστι *hac tā ieiuna pugnāteq; oratione significans partum dierū* ΣΜ, *idest ducētorū quadraginta dierū (tot autē dies octo mēses solares cōstāt) esse quidē, sed quia nō diu superstes sit futurus, esse non videri.* Hactenus ille: qui videtur codicem græcum habuisse similem ei, quem habuit Gellius. Cœterùm Ioan. Lalamāt. lib. 2. de dieb. decr. c. 2. pag. 167.

terùm reduci hæc vocabula, *Nō est, & est* ad mensem octauum, est opinio multorum. Augenius ait, *Octimestrem partum esse quidem aliquādo vitalem: at pro maiore parte non esse vitalem:* & iuxtà hunc sensum intelligit istud *Non est, & est,* Cœterùm non est credibile, Hippocratem dixisse, octimestrem partum aliquando esse vitalem, qui alibi, impossibile hoc esse, statuit, & nullum vnquam vixisse, ait. Quòd si Aristoteles, eos, qui octauo mense nascuntur, in Ægypto, & alijs in locis viuere, & adolescere, dixit, si Auicenna, sexto, & octauo mensibus vitalem edi fœtum, scripsit, hi Hippocrate fuerūt multò posteriores; Quapropter consentiunt quidem ad doctrinæ veritatem confirmandam, non verò ad mentē Hippocratis immutādam, vt id, quod priùs senior dixerat, posteriorum sententijs fiat non dictum. Non ergo negamus, partum octimestrem viuere aliquando posse: negamus tamen posse id Hippocratica auctoritate confirmari, vt contendit Augenius.

Hor. Aug. de hom. part. lib. 2 c. 16.

H. de octimest. part. & lib. de carnibus.

Ar. 7. hist. anim. c. 7.

Auic. 9. de animal.

Ludouicus Mercatus similiter ad octauum mensem se conuertit aitq; his verbis *Tam obscuris, præcisisq; indicat eum, qui natus est mense octauo (nam 240. dies mensem octauum conficiunt) aliquo modo esse, sed re vera non esse, quoniam paulo post morti accedet.*

Lud Mercat. de morb. mul. lib. 4. c. 1.

Manardus alia via incedens explicat hoc nostrum. *Non est & est,* dicens, *Quæ verba non difficile est intelligere, intellectis his, quæ paulò ante scripsit, vbi ait: quinq; & triginta soles, & reliqua: quatuor enim opiniones recitat de tempore, quo fœtus in vtero completur, quas vbi recitauit, addit, est & non: volens videlicet ostendere, dies formationis, motus, & partus non esse certos, & præscriptos, sed varietatem tantam recipere, vt quæuis opinionum quandoq; vera esse possit. Cui sententiæ non solùm philosophi, & medici, sed I.C. quoq; subscribunt.* Hactenus Manardus, qui toto cœlo, vt dici solet, aberrat: non enim illic quatuor opiniones recensentur, quarum aliquæ sint veræ aliæ verò nō, sed quatuor partus enarrantur septimestris, nonimestris, decimestris, octimestris, qui omnes veri partus sunt. Decipit igitur Manardus Menam, qui Manardo libens subscribit.

Ioān. Manard. lib. 16. epist. 1.

Ferdinād. Mena. de partu septimest. c. 4.

Cardanus valde subtiliter in huius loci explicatione se gerit: quippe cōstituit quatuor illa tempora formationis, seu figurationis, quorum primum est dierum 35. secundum dierum 45. tertium dierum 50. quartum dierum 40. hos ille ita disponit, vt mutato ordine vnus alterum per dies quinq; excedat, nempe.

Cardanus.

In prima calculatione dies	35.
In quarta dies	40.
In secunda dies	45.
In tertia dies	50.

Tunc ait, hæc tempora non esse necessaria, & subinde non esse necessaria ea, quæ ad hæc consequuntur: non esse, inquam, necessaria illa initia ratione formæ: quia ex motu astrorum formatio diuersa habet tempora. Sed supposito vno quoq; ex illis initijs, necessaria esset cōsequutio: non est tamen necessaria ratione materiæ. Hęc est Cardani doctrina dilucida, quam ille subobscurè tradidit. Cęterū expositio chimerica est, vt multæ ex suis; Nam cum supponat vnum tēpus formationis, ex illo deducit, necessariam esse consequutionem, nempe ratione formæ, non autem ratione materiæ. At hoc liberè est dictum: quippe tempus formationis, quod ille supponit, sit v. g. dierum 35. tale erit tum ratione motus cœlestis, tum ratione materiæ, aliàs repugnaret motus cœlestis materiæ, & neutrum vinceret. Cur ergo consequens tempus dierum 70. erit necessarium ratione motus cœlestis (sic appellat formam: quàm benè ipse viderit) non autem ratione materiæ? Profectò materia, quæ expostulauit dies 35. ad formationem, proportionabiliter postulabit dies 70. ad motum: & sic de alia consequutione ad perfectionem.

Post habitis igitur huiusmodi næniis, illud *Non est, & est* obscuritatis insimulatum, nullam cōtinere obscuritatem, si ad consequentia verba respiciamus, existimo. Verba, quę consequuntur, indicant, dies ad computationem partuum nunc esse plures, nūc pauciores, videlicet plures, aut pauciores his, qui in quatuor illis calculationibus præscribuntur: quasi velit Hippocrates, tempora illa non esse præcisa, sed posse vel anteuertere, vel delabi per aliquot dies. Hęc est opinio Francatiani, qui ait: esse, & non esse non modò fieri statutis temporibus iam enarratis, sed in pluribus, & paucioribus diebus, & totius formatio, & perfectio, & partus, sed non multò pluribus, vel paucioribus.

Francatianus.

Valles.

Hanc etiam opinionē Vallesio placuisse, video, qui eam optimè declarat. Nam Hippocratem omnium sententias referre, ait, omnesq; vituperare, non quòd falsę omnino sint, sed quod de re contingente prolatæ, quasi de re necessaria sint existimatq; ab Hippocrate *Non est, & est* esse dictum, quasi diceret; nullum horum est perpetuum, sed fieri posse, vt ita fiat: nam generantur in his temporibus, & plura, & pauciora. Sed pergamus ad reliqua.

Gignuntur autem in his, & plures, & pauciores. Caluus legit, *Fiunt autem in his, & maiore, & minore temporis spatio.* Hoc nihil aliud est, quàm si dicamus, variat partus à præscripto dierum numero vel per excessum, vel per defectum.

Calu.

Secundùm totum, & secundùm partes. Hoc est, variatio isthæc contingit, vel secundùm vniuersum tempus cōtinens tres partes, formationis, motus, perfectionis, vel secundū aliquas ex prædictis partibus.

Non multò autem plures, aut pauciores. Quippe nec excessus, nec defectus longo tempore constare debent. Hinc (vt diximus) Hippocrates, & Galenus in mensibus confractis desiderant spatiū plusquàm dimidij mensis. Licèt autem ex I. C. decreto mensis inceptus habeatur prò completo, nihilominùs quò magis mensis ad cōpletum accesserit, eò partum securiorem reddit, quod tamen in nono mense ob rationem, quam diximus, non est omnino obseruandum.

H. de sep. partu.

Pauciores verò tot. Obscurū valde est, quid significent hæc verba, nisi velit Hippocrates *pauciores*, hoc est, dies, qui deficiunt, debere esse *tot*, nēpe determinatos magis, quàm qui excedunt: quippe periculosiùs peccatur per defectum, quàm per excessum. Hinc est, quòd Aristoteles numerans menses, in quibus parere solet mulier, incepit à septimo mense, non priùs, & processit vltra decimum mensem, dicens, *Nonnullæ vndecimum attingunt;* insinuans, rariores esse partus ante septimum, quàm post decimum.

Et, quæcumq; alia his similia. Quæcumq; vtero gerentibus, gestationis tempore accidunt, his similia sunt, hoc est, variationem aliquam patiuntur. Sic quibusdam menses statim omnino supprimūtur, alijs non omnino. Nonnullas per tres priores menses ventriculi subuersio vexat, alias per plures: motus infātis aliquibus manifestus est, alijs sub obscurus, aliquibus etiā obscurus. Deniq; sicut in indicationibus morborum aliquādo crises anticipant, aliquando statutos dies prætergressæ, per delapsum esse dicuntur, sic etiam in partubus contingit, ita tamen, vt & in crisibus, & in partubus semper ad præscriptū tempus referenda sit computatio, vt ex illo euentus boni ne, an praui habendi sint, cognoscatur.

DE DIFFERENTIA INTER PARTVM legitimum, partum naturalem, abortum.

QVAESTIO DECIMAQVINTA.

1 LEgislatores longè aliter, ac medici, partus legitimi, & partus naturalis, ac etiam aborsus nominibus vtuntur: quippè legitimum appellant eum, qui ex parentibus in matrimonium coniunctis est ortus, naturalem verò, quem pater habuit ex concubina, aborsum verò extendunt ad omnem partum, qui non vitalis est: vnde Gellius, *Memini ego, inquit, Romæ accuratè hoc, atq; solicitè quæsitum, negotio non rei tunc paruæ postulante, an octauo mense infans ex vtero viuus editus, & statim mortuus, ius trium liberorum suppleuisset, cum abortio quibusdam, non partus videretur mensis octaui intempestiuitas.* Tiraquelus etiam, & alij octimestrem partum aborsus nomine deformarunt. Medici autem, legitimum partum esse, dicunt, qui in tempore à natura constituto in lucem exit: naturalem, qui tametsi dolores quidem affert, non tamen insolitos, figuramq;, & debitum situm e[...]undo seruat: aborsum verò, siue abortum, fœtum, qui imperfectus egreditur, & vel in egressu, vel intra vterum moritur. Aul. Gell cit.

De partu legitimo.

Articulus Primus.

1 SAtis iam videbatur superiùs de legitimo pariendi tempore actum: quærendum tamen restat, an extra legitimum tempus possit esse partus legitimus. Videbitur forsan alicui, legitimũ tempus legitimo partui denominationem tribuere, ac proinde extra hoc tempus partum non posse legitimum appellari. Tempus autem legitimum statuit Aristoteles septimum mensem, octauum, nonum, decimum, & vndecimi initium. Quòd si vltra hęc tempora, alia cognouit legitima, vtiq; eorum mentionem debuisset facere, nec ita strictè loqui, vt ne vndecimum quidem integrum recipiat.

2 Hoc tamen non obstat, quominùs dicamus, extra illos terminos posse partum legitimum appellari. Persuadem me verba Hippocratis, qui postquàm quatuor prędictos terminos, scilicet septimestrium, octimestriũ, nonimestrium, decimestriũ enarrauit, adiunxit *Non est, & est, gignũtur autem in his & plures, & pauciores, secũdùm totũ, & secundùm partes.* Et sic nos admonet, posse variari limites præscriptos, non modò secundùm partes, hoc est, secundùm proportiones tẽporis formationis ad motum, & motus ad perfectionem, sed secundùm totum, hoc est secundùm totum gestationis tempus, in cuius vltimo termino infans in lucem exire debet. Hoc tamen cum moderatione ab eo posita accipiendum est, scilicet, vt sint dies quidem *plures, & pauciores*, verumtamen *non multò plures, aut pauciores.* Vnde colligitur, posse partum sexto mense natum esse legitimum, posse & vndecimo: meritoq; Fracantianus irridet prætorem illum, qui admisit ad hæreditatem natum 14. menses sanciuitq;, nullum esse definitum pariendi tempus. At lex ista, quæ definitum pariendi tempus aufert, non ita amplianda est, vt comprehendat tempora inaudita, imò incredibilia. Nam licet, ex Hippocrate, mulier decipi possit, quia putat, se concepisse, & non concipit, posteà verò concipiens computat dies à termino priore, in quo decepta fuit, in viduis hoc non habet locum, in

Aul.Gel.cit. quibus ab obitu mariti computatio est facienda. Hadrianus, quem refert Gellius, meritò, requisitis veterum philosophorum, & medicorum sententijs, vndecimo mense partum edi posse, decreuit: meritò, inquam, quippe vndecimus mensis *Plin.l.7.c.5.* non adhuc multum à præscripto distat termino: Verùm quod Plinius narrat, videlicet *L. Papyrium pratorem, secundo hærede, lege agente, bonorum possessionem contra eum dedisse, quoniam nullum certum tempus pariendi statutum videretur*, mihi suspectum est, nec Papyrium laudare possum, qui decretum de incertitudine temporis partitionis ad 13. menses, vel sicut in correctione marginali reperitur, ad 16. voluit extendi. Porrò nec 13. mense natos infantes, qui creuerint, adoleuerintq; legitimos appellabo, neq; alios, qui longè vlteriùs nascendi tempus *Schench.* distulerunt, adeò vt ad quadrienes se deducat Schenchius. Monstrosa sunt hæc, quippe si ita contigisse credamus, saltem præter institutum naturæ ordinem contigisse censere oportet. Quod magis manifestum fiet infra, cum partus causas enarrabimus: constabitq;, non posse infantem tandiu carcere illo tenebroso viuum contineri, nec vterum tantam molem, cuius incapax est, tolerare, nec mater infanti plusquàm perfecto alimentum sufficiens ministrare.

3 Itaq; quemadmodùm, vltra terminum decem mensium posse infantem per mensem vnum, aut per mensem sesquialterum in vtero retineri, par est, ita & de anticipatione partus censeri debet: videlicet ante septimum mensem posse infantem sexto mense in lucem edi, aut saltem sexto non dum completo: ita tamen, *Auic.9.anim.* vt pars mutila contineat tempus vltra dimidium: nam vt superiùs annotauimus, periculosiùs, anticipat partus, quàm retardatur. Quare admitto Auicennæ, pue- *Claud.Giard.* rum sexto mense natum vixisse: admitto Claudio Giardino puerum natum dierum 171. qui numerus conficit menses quinq; dies 23.h.8. Alij quinquemestres, qui vixisse narrantur, si sunt quinquemestres accipiendo menses dierum græcanicorum, continebunt dies 150. qui efficiunt menses 5. dies 2. h. 12. Cum verò hi dies non accedant ad dimidium mensis, necessarium erit, emendicatis numeris, nempe ex diebus purgationis, nouilunij, & aliorũ impedimentorum aliquot dies, ad complendum dimidium mensis, procedere, & sic adhuc partus euadet plus nimio gracilis, & valetudinarius, vt testantur ipsi auctores, qui mirabiles hos euen- *Vallef.de facr. phil. c.18.* tus nobis narrat. Vnde Vallesius narrans historiam puellæ quinquemestris, addit, *Cuius gracilitas, ac tenuitas maior, quàm mulieribus esse consueuit, indicat,* *Card.8.contr. tract.3.lib.1.* *certam esse de eius ortu fidem.* Et Cardanus de quadam, die 170. nata (qui tamen numerus iam excedit menses quinq;, & dimidium) ait, natam esse, *Morbo perpetuo natalium iacturam attestante.*

3 Sed quoniam dixi dies etiam plures, & pauciores debere intelligi secundùm partes, hoc est, secundùm tempora intermedia, hoc quoq; demonstrare oportet: *Hip. lib.1. de morb.mul.* quod facilè fiet, si ab Hippocrate addiscamus, masculum trimestrem, fœminam verò quadrimestrem moueri, & iuxtà hanc doctrinam tam fœminam, quàm marem formari ita priùs, vt istud tempus motionis sit duplum, perfici verò ita posteriùs, vt tempus perfectionis tempore motus sit triplum. Quid autem hinc eueniat, colligere licet.

Masculus.	*Fœmina.*
Ad formam ——— 44. h. 6. & sic rectè nam Hippocrates, primo quadragenario masculum formari, ait.	Ad formam ——— 59.
Ad motum ——— 88. h. 12.	Ad motum ——— 118.
Ad perfectionem 265. h. 12. qui efficiunt menses 9. grecanicos cõpletos.	Ad perfectionem ——— 354. qui efficiunt menses 12. græcanicos completos.

Esset

Esset igitur mas semper nonimestris, fœmina verò annua, saltem anni lunaris: hoc autem magnum absurdum esse, qui non agnoscit? Quod vt euitemus, memoria semper tenendum est, computationes debere fieri per plures, aut pauciores, quàm sit numerus præscriptus; Nam si (vt multi ex Hippocrate eliciunt) mas formatur diebus 30. fœmina diebus 42. aliter fiet computatio. H. de nat. puer.

Masculus.	*Fœmina.*
Ad formam —— 30.	Ad formam —— 42.
Ad motum —— 60.	Ad motum —— 84.
Ad perfectionem — 180. qui menses efficiunt lunares 6. d. 2. hor. 20.	Ad perfectionem — 252. qui efficiunt menses lunares 8. d. 17.

Si verò ex Aristotele masculi circa quadragesimum diem mouentur, fœminæ verò circa nonagesimum, quid resultet ex hoc computo, sic colligo. Ar. 7. de hist. an. c. 3.

Masculus.	*Fœmina.*
Ad formam —— 20.	Ad formam —— 45.
Ad motum —— 40.	Ad motum —— 90.
Ad perfectionem — 120. qui efficiunt menses lunares 4. dies 2.	Ad perfectionem — 270. qui efficiũt menses lunares 9. d. 4. h. 2.

4 Has varietates quis non irrideat? Confiteri tamen oportet, fœminam, quàm marem, tardiùs in vtero formari, sed extra vterum citiùs adolescere: non quidem commoratur ampliùs, quàm mas, ob eam rationem, quę habetur in libello de septimestri partu, vbi, dum agitur de primo quadragenario, hæc verba scripta sunt: *Hoc autem tempore præterito* (nempe primis 40. diebus) *fœtus fortiores sunt, & ipsorum corporis per singula membra discretio fit: masculorum quidem partes omnes valde conspicuæ fiunt: fœmellæ verò in hoc tempus carnes apparent, exortus, ac processus solùm habentes*: tunc addit rationem: *Similia enim longius tempus in simili sunt, & tardiùs discernuntur, propter consuetudinem, & amicitiam, quamquàm aliàs cum à matre segregatæ fuerint, filiæ citiùs, quàm filij pubescant, & sapiant, & senescant, propter corporum imbecillitatem, & victus rationem*. Sic ille: qui causam, cur fœmina tardiùs formetur, refert ad similitudinẽ cum matre, hoc est fœminæ cum fœmina: quippe ratione amicitiæ diutiùs simul esse volunt. At hoc ineptum est, & forsitan addititium: nam si hæc similitudo amicitiam inter matrem, & filiam conciliaret, tardiùs filia egrederetur ex vtero, & semper fœmineus partus plurium esset mensium, quàm masculus. Deinde amicitia duraret extra vterum, quod non accidit: semper enim matres filios magis diligunt, quàm filias. Veram rationem, existimo, esse petitam ex semine: quippe semen, ex quo fœmina concipitur, humidius est, & minùs calidum, quàm ex quo masculus. Humiditas autem impedit facilem membrorum discriminationem, caloris debilitas tardiùs operationes suas perficit. At verò postquàm fœmina in lucem exit, humiditas, qua abundat, confert ad velox augmentum, caliditas autem non deest, quæ materiam valde humidam possit augere: cęterùm cum minor sit, quàm in masculo, citiùs delabi finit fœminam in frigidam senectam. Mas è contrario in vtero, propter calorem, multum humiditatis absumit, quæ formationi impedimento erat: mouetur citiùs, quia calor mobilitatem præstat: extra vterum verò adolescit tardiùs, quia calidior cum sit, copiosiores patitur substantiæ effluxus, & sic maiores deperditiones subiens, non admodùm præstò augetur: aduentanti verò senectæ sua caliditate resistit. Quòd verò citiùs fœmina sapiat, potest contingere ob faciliorem impressionem: cœterùm fœminea sapientia præcox est, H. de sept. par.

&non

Arist. 7. de hist. an. c. 3. & non durat, ideò progressu ætatis à sapientia virili superatur. Deniq; fœminam tardiùs in vtero formari, & extra vterum citiùs crescere, & senescere, ab Hippocrate Aristoteles, vt solet, non nominato auctore, accepisse, mihi videtur.

5 Deniq; vt maneat omnino confirmatum, partus legitimos esse ante præscriptum tempus, dummodò excessus, vel defectus non sit valde magnus, liceat argumentari à conceptu, à partu: in vtraq; enim actione similiter naturam se gessisse, par est. Ostendere ergo oportet, concipiendi tempus fœminis præscriptum esse, ita tamen, vt extra hoc tempus, vel citra consistere, vel vltra progredi, aliquando contingat, nec sit omnino necessarium, omnibus mulieribus vnum, & idem concipiendi tempus præcisum assignare.

6 Constituamus igitur sinè semine virili, & sinè menstruis nō posse mulierem concipere: de semine muliebre non loquor, quoniam hoc simul cum menstruis accedere par est. Quòd si mulieres aliquæ, quibus menstrua desunt, aliquando concipiunt, id accidit, quoniam his tantum humoris colligitur, quantum alijs, quę purgantur, restare solet, quamquàm non tanta copia, vt & foràs possint profluere. Itaq; (vt Aristoteles ait) *simul maribus semen fieri incipit, & fœminis menstrua innotescunt eadem ætate*. Sed quænam est isthæc ætas? Quæ nam etiam ętas qua desinunt menstrua? Nam (ex eodem Aristotele) *Principium, & finis mulieribus prolis recipiendæ, seminis, & menstruorum emissio est*. Petendum porrò ab Aristotile est, quo anno ætatis hæc emissio contingat: ille hoc libens docet: quippe priùs ætatem maris assignat, posteà ex ea fœminæ ætatem colligit: *Mas*, inquit ille, *primum semen genitale, magna ex parte, incipit ferre anno peracto bis septimo*: prosequitur deinde narrare, quę tunc appareant maturę virilitatis signa. Tunc addit, *Fœminis etiam per id tempus exurgunt vbera, quod fratrare dicitur, & quę menstrua vocantur, erumpunt: quod sanguis, quasi recèns occisi animalis est*. Hinc habemus concipiendi ætatem incipere anno 14. ætatis.

Ar. 7. de hist. an. c. 2.

Ar. 1. gener. anim. c. 20.

Ar. 2. de hist. an. c. 5.

Ar. 7. de hist. an. c. 1.

Ar. de hist. an. lib. 7. c. 5. 7 Quo autem anno desinant menstrua, habemus apud eundem sic: *Desinunt plurimis menstrua, circa quadragesimum annum, quod tempus, quę excesserint, ijs ad quinquagesimum seruantur*. Ex dictis æquum est, si menstruis aduenientibus, & desinentibus tribuitur principium, & finis concipiēdi, vt incipiant mulieres concipere ętate annorum 14. desinant ętate annorum 40. vel ad summum 50. Et quoniam inter quadragesimum, & quinquagesimum annum, medium tenet annus quadragesimusquintus, hunc magna ex parte esse concipiendi annum statuit his verbis. *Homo mas ad annum vsq; 70. videlicet termino vltimo potest generare, fœmina vsq; ad 50. verùm id raro: paucis enim proles in eo ætatis tempore procreata est, sed magna ex parte maribus 65. annus finis pro generandi est, fœminis 45.* Longè seriùs incipere ætatem concipiendi, voluit Galenus: *Matrix vero*, ait, *neq; dum augentur animalia, neq; cum iam consenuerunt, rite actionem suam potest obire, siquidem alimenti benigni abundantis fœtibus est vsus, cuiusmodi in solis florentibus animalibus potest abundare*. Hoc si ita est, cum fœminæ vltra 14. annum continuent augeri, non nisi per plures vltra 14. annos eis concipiendi tempus adueniet. Melius I. C. qui ad varios euentus magis, quàm ad ea, quæ scripta à philosophis, & medicis inueniuntur, respicientes, statuunt, vt puella 12. ætatis suæ anno completo, censeatur

Ar. lib. 5. de hist. an. c. 14.

G. 14. de vsu part. c. 4.

Iam matura viro, iam plenis nubilis annis.

Puellas nouem annorum concepisse, multorum fide constat: in quorum numero sunt, præter Auicennæ commentatorem Iacobum de Partibus, Marsilius Patauus, Sauanarola, Siluius, Pareus: & ex Iuris canonici interpretibus Abbas super decretalia. Vetulas etiam peperisse, legimus, qualis fuit Cornelia è Scipionum gente, quę (vt Plinius refert) Volusium Saturninum post 62. annum genuit. Septuagenaria quædam, ex rapida, & concitatiore rheda, proindeq; quæ nimis eam succu-

Iacob. de Partibus. Marsilius Patauus. Sauanarola. Siluius. Pareus. Abbas. Plin. lib. 7. c. 14.

succenteret, abortiuit; cuius rei fidem facit Cordæus. Plura suppetunt exempla mulierum, quæ sexagesimo ætatis anno conceperunt: Omnium tamen euentuum mirabilissimus est, & omnem fidem superat, ille à Nicolao Massa relatus, mulieris sexagenariæ, quæ ex viro septuaginario concepit, & mense 15. puellam peperit orbatam oculis, & truncam manibus, quæ quinq; vixit mensibus. *Cordæus in 1. de morb. mul. Nic. Massa tom. 2. epist. 29.*

8 Hęc varietas mihi fidem facit, concipiendi tempus non esse præcisum, & determinatum. Non affero hìc Saram nonagenariam, & Elisabetham matrem D. Ioannis Baptistæ sexagenariam, quarum in sacris litteris fit mentio: nam quod ad causas præter maturam reduci potest, non est, cur ad causarum naturalium confirmationem adducatur. Cum verò conceptio possit à præscripto tempore, per plures, aut per pauciores menses deuiare, poterit & parturitio per plures, aut pauciores dies à termino designato distare. Distantia tamen in tempore conceptionis est maior, quia conceptionis tempus computatur per annos, sicut tempus parturiendi per menses.

De causis partus legitimi.

Articulus secundus.

1 TRes partui causas assignat Auicenna, licèt alicui, duas tantum assignasse, videatur: quippe ait, *Comprehensio igitur huius est, quòd causa partus fœtus naturalis est, quod ipse indiget aëre plurimo, & cibo plurimo.* Cœterùm si quis rectè introspiciat verba, quæ sequuntur, reperiet, eum vteri angustiam partui causam exeundi, tribuisse; ait enim: *Et cum expergiscuntur virtutes animæ eius quærentes latitudinem spatiositatis, & attractionem aeris copiosam, & cibum abundantem, & fugiens à strictura, & à penuria attractionis aeris copiosi, & paucitate cibi.* His verbis defectum latitudinis spatij, quem etiam vocat stricturam, inter causas partus assignat: imò necessitas cibi, & necessitas aeris possunt ad vnum caput causarum reduci, & sub alimenti nomine comprendi; quod fecisse video Andream Laurentium: siquidem ait: *Vtrumq; alimentum, & aereum, & solidum, cum nequeat mater per venas, arteriasq; vmbilicales, alendo, & refrigerando fœtui par suppeditare, ex vteri latebris exilire affectans puer, principium motionis aggreditur.* Cæterùm diminutus fuit Laurentius, qui non aliam pretereà causam quæsiuit, cum tamen aliæ concurrant, vt videbitur suo loco. Melius Valleriola, Hippocratis doctrinæ adhærens, duas causas statuit, vteri angustiam, & defectum alimenti: Hippocrates namq; sic ait: *Alimentum, & augmentum, quod à matre descendit, non ampliùs sufficiens est puero, vbi decem menses præterierint, & fœtus auctus fuerit: trahit enim quod dulcissimum est in sanguine ad se se, simulq; etiam lacte modicè fruitur. Cum autem hæc ipsi rariora, ac pauciora sint, & puer plenus, ac maturus existat, copiosius alimentum desiderans calcitrat, ac pelliculas rumpens, initium partus matri inducit.* His verbis insinuat duplicem causam: vna est *alimentum*, hoc est, necessitas alimenti; altera *augmentum*, hoc est, moles corporis aucta vltra quàm capacitas vteri requirit. Itaq; *cum menstrua fuerint pauciora* (ecce inopia alimenti) *& puer plenus, & maturus existat* (ecce respectus ad locum ob magnitudinem fœtus) exit in lucem puer. *lib. 3. fen. 21. tract. 1. c. 2. And. Laur. lib. 8. c. 9. Valler. lib. 1. loc. commun. c. 18. H. de nat. puer.*

2 Tandem Conciliator, causas ferè easdem, quæ dictæ sunt, ampliore numero disponens, ait: *Ampliùs sciendum, quòd partus non fit, nisi propter matricem, cum tumore grauatiuo distenditur ampliùs, vel mordicatione, vt quando humida eius serosa reddita, & acuta panniculos scindunt, quibus continebatur, vt sensui occurrat matricis.* Hęc est prima causa ex parte vteri: sequitur deinde, *Aut propter* *Concil. diff. 49.*

ter contentum, & quia satagat exire ob penuriam nutrimenti: tunc enim calcitrans panniculos rumpit, & exitum petit. Hęc est altera causa ex parte fœtus. Addit deinde: *Apud verò Auicennam continenter causa superadditur alia, non parua indigentia euentationis, & aëris attractionis cum loci angustia.* Hic ex Auicenna duas causas in vnam coniungit, nempe, defectum aëris, & loci angustiam. In tanta igitur opinionum fęcunditate, ne dicam varietate, liceat mihi, quæ potiora videntur, seligere.

3 Nihil est, cui maiore naturæ prouidentia sit opus, quàm adytus ad vitam, hoc est, egressus ex vtero adeò difficilis, & angustus, vt innumera postulet adiumenta, ne dum tam pariens, quàm partus periclitantur, prorsus intereant. Quare non mirum est, si per plura fiat id, quod per pauciora non æquè commodè fieri potest: neq; vna, aut altera causa diligens speculator contentus esse debet, sed plures, quoad fieri possit, indagare. Sit igitur prima ex parte alimenti, dummodò conueniamus cum ijs, qui sub hoc nomine duas causas cõplectuntur: Vnam, quam vocant alimenti solidi inopiam, nos inopiam alimẽti veri appellabimus: alteram, quam dicunt alimenti aërei: possumus dicere alimenti minùs proprij: sæpius in hoc opere repetimus spiritus impropriè nutriri, & eorum nutrimẽtum esse aërem. Vtrumq; alimentum puero, in vtero existenti, necessarium esse, pluries in libro de natura pueri dixit Hippocrates, præcipuè sic: *Iuxtà mediam autem carnem vmbilicus distat, per quem spirat, & alimentum, ac incrementum capit.*

Hip.

Prima causa necessitas alimenti.

1 Difficultatem reperio in hac priore causa: quippe fœtus ante maturationem perfectam duplicem habuit alimenti necessitatem: vnam ad formationem, alteram ad augmentum: sicut enim extra vterum, qui crescunt plurimo indigent alimentum (siquidem illo & ad nutritionem, & ad augmentationem opus habent) sic intra vterum dum formantur, & augentur, duplo maiore portione indigent, quàm posteà tum iam sunt aucti. Hoc ex Aristotelis verbis colligi potest, qui ait ita: *Sed cum magis, magisq; perficiatur, plus excrementi superest: minus enim absumitur, idq; dulcius est, cum non æquè detrahatur, quod benè concoctum sit: non enim insuper ad fœtus informationem consumitur, sed ad incrementum mediocre, quasi iam fœtus constet adeptus finem suum: quamobrem exit, permutatq; generationem, vt qui iam sua receperit, nec prętereà accipit, quod suum non est; quo tempore lac vtile datur,*

Ar. 4. gen. an. c. 8.

2 Maximè quidem vrget hæc difficultas: cuius tamen solutioni aliquam nobis lucem præstat id, quod superiùs diximus, dum de lacte ageremus. Primis grauidationis mensibus multum sanguinis consumitur, dum parenchymata, & alia carnosa membra generantur: hæc sanguinis necessitas tertio, quartoue mense cessat, & tunc lac incipit generari, concurrente scilicet ad vbera id, quod ex nutrimẽto infantis superest: incipit, inquam, lac generari, & subinde incipit natura infanti extra vterum exituro alimentum prouidere. Quare licèt verum sit, infantẽ, postquàm est formatus, pauciore sanguine indigere, quàm priùs cum adhuc formatur, nihilominùs multum est, quod in lac abit. Hinc optimè procedit sensus verborũ Aristotelis: quippe, *Cum magis, ac magis perficiatur, plus excrementi superest:* quia quò perfectior est fœtus, eò perfectiùs concoquit: ex perfectiore autem concoctione plura supersunt excrementa, vtpote sequestrante tunc natura exactiùs vtile ab inutili; Ideo addit, *Minus enim absumit, idq; dulcius est, cum non æquè detrahatur, quod benè concoctum sit,* hoc est, alimentum fœtu existente grandiore dulcius est, quia magis concoctum, minus autem, quia non æquè, ac priùs detrahitur:

supra hac 4. sect. q. 8. art. 1. n. 11. & art. 3. per totum.

hitur: priùs enim ad formationem, & incrementum detrahebatur, nunc iam duntaxat ad nutrimentum, & exiguum quoddam augmentum, imò in statu perfectionis ad nullum amplius augmentum, *Cum scilicet iam fœtus constet adeptus finem suum*. Cœterùm licèt suæ propriç nutritioni minor sanguinis copia satis esset, tamen, quia secedit sanguis in lac, plurimo sanguine est opus: ideo quod priùs abibat in membrorum formationem, in alium abit vsum, *permutatq; generationem*, hoc est, id, ex quo generabantur membra, conuertitur in generationem lactis. Tandem fœtus accipit, quod suum est, nempe quod suæ alitioni sufficit: ideo dicit, *Vt qui iam sua receperit:* reliquum transmittit ad vbera, vt fiat lac, quod indicant vltima verba, *Nec prætereà accipit, quod suum non est, quo tempore lac vtile datur*. Hæc est vera explicatio verborum Aristotelis, in quibus intelligendis vellem, vt Satyrus insudaret, non in sua Lælia Crispi, & similibus ineptijs, de quorum intellectu, ac si acum inuenisset, gloriatur. Constat ergo ex eo, quòd in fine gestationis multum sanguinis ad vbera deferatur, fœtui inopiam alimenti accidere. *Adagium.*

3 Nec verò credibile est, Aristotelem ibi alimenti inopiam in fœtu grandiore non cognouisse, qui eam alibi non semel confessus est. Mihi sanè videtur, licèt in priore membrorum formatione multum sanguinis ad totam fabricam necessarium fuit, nihilominùs in nutritionem plus alimenti fœtum grandiorem absumere, quàm paruulum: pauciore namq; cibo corpusculum impletur, quàm corpus grandius, sicut minus aquæ sufficit ad implendum vasculum, quàm vas. Et quis potest dubitare, minores esse sumptus, qui fiunt in alendis pueris, quàm iuuenibus? Quare absumit quidem plus sanguinis fœtus in vltimis mensibus, & consequenter tunc plura abundant excrementa: quippe ex lautiore mensa plura supersunt, quàm ex parca. Hoc ab Aristotele addiscere possumus, si quidem in eodem capite causam partus refert ad alimenti inopiam, qua fœtus iam grandior factus laborat: inquit enim: *Cum enim prę magnitudine non satis prætereà fœtui est alimentum, quod per vmbilicum ministratur, lac ad alendum vtile succedit: cumq; per vmbilicum alimentum non subeat, comprimunt se se venæ illæ, circum quas tunica est, quæ vmbilicus vocatur, atq; ob eam rem tunc exitus opportunè fœtus consequitur*. Si verò quispiam à me quærat, cur Philosophus, qui prius dixit, *Cum magis, magisq; perficiatur, plus excrementi superest, minus enim absumitur*, nunc è contrario dicit, *Præ magnitudine non satis prætereà fœtui est alimentum*, respondebo, priùs non loqui de fœtus exitu, ac proinde comparare priores menses cum mensibus medijs, in medijs autem mensibus fœtus non est adeò auctus, vt notabile requirat alimenti augmentum, requirebat verò priùs propter formationem: at in fine capitis loquitur de exitu infantis, cuius causam ibi describens concludit dicens, *Tunc exitus opportunè fœtus consequitur*, ac propterea comparat priores menses, in quibus fœtus est valde exiguos, exiguoq; propterea indiget alimento, cum mensibus vltimis, in quibus fœtus magnitudinem molis adeptus multo indiget alimento. *Ar. 4. gen. an. cit.*

4 Adhuc manet difficultas: nam cur dicemus, in postremis mensibus plura superesse excrementa, si grauida mulier in prioribus mensibus magis vexatur, progressu tamen temporis meliùs habet? Nonne grauiores molestiæ ex multitudine excrementorum ortum habent? Facilè soluitur hic nodus: quippe natura, quę ad fœtus generationem sanguinem ad vterum transmittit, &, vt sępe diximus, non vtitur intellectu, mittit plus, quàm oportet, & sic ex formatione fœtus, qui superest sanguis, in vtero manet, ibiq; excrementis permistus, totus euadit excrementosus: in posterioribus autem mensibus, qui superest sanguis, depuratus ad mammas transmittitur: quare parum est, quod in vtero manet. Et sic excrementa quidem, quæ remanent ex coctione in vltimis mensibus, sunt plura, sed in primis mensibus sanguis, consortio excrementorum vitiatus, in quo fœtus adhuc paruus innatat,

est multus, & ad transmittendos esse prauos vapores aptissimus. Quare cum idem
Ar.4. de gen. an.c.6. Philosophus superiùs dicat, *Conceptus enim purgationem impedit, & præ sua exiguitate absumere copiam excrementi inter initia non potest*, dicit *excrementi*, hoc est, sanguinis menstrui: quippe excrementum est mulieris, neq; ibi intelligit nomine *excrementi* id, quod superest ex coctione, & nutritione infantis. Accedit tandem alia ratio, cur mulieres posterioribus mensibus minore afficiuntur molestia:
Hippocr. nempe quia, vt ait Hippocrates, consueti labores faciliùs tolerantur.

5 Sed reuertor ad inopiam alimenti, ob quam partus exitum quærit. Adhuc
Ar. vbi sup. eam apud Aristotelem reperio, vbi ait: *Quo fit* (agit de multiparis, potest tamen omnibus accommodari) *vt partum adhuc recentem alere possint, auctum iam, adeptumq; magnitudinem nequeant, sed cum corpus ad nutriendum non sufficiat, partum emittant: &c.* Ibidem etiam & de suibus, & de hirundinibus verba faciens, semper ad inopiam alimenti se conuertit. Sed nullibi expressiùs rem istam decla-
Ar. lib.... de hist. anim. c.... rat, quàm in opere de historia animalium his verbis: *Animal igitur, quod vtero gestatur, cibum vberiorem postulat, quoniam grandior, firmior, atq; calidior euasit: quod cum non reperiat, penuria laborat, & ob id vehementer dimouetur, & calcitrat, donec membranas abrumpat, & matri det initium parturiendi.* Hæc verba ab Ari-
G.5. aph. 37. stotele accepit Galenus, qui ait: *Liquet igitur, quòd ante decem menses fœtus est indigens alimento, & calcitrans, & membranas disrumpens initium partus matri*
Hip. de nat. puer. *affert.* Tandem hoc documentum ex Hippocraticis fontibus dimanauit: siquidem in ouiparis hoc mõstrat: *Nascitur enim ex luteo oui volucris, alimentũ vero, & augmentũ habet ex albo, quod in ouo est, atq; hoc etiam omnibus manifestum factum est, quæ animum aduertunt: vbi autem deficit alimentum pullo, ex ouo non habens id sufficiens vnde viuat, fortiter mouetur in ouo vlterius alimentum quærens, & pelliculæ circum disrumpuntur.* Sic Hippocrates, qui, ex ouo ad pueri partum posse deduci argumentum, ibidem profitetur.

6 Auctus itaq; puer vtrumq; alimentum quærit, vt superiùs diximus, nempe per matris tum venas, tum arterias, vtroq; enim alimento indiget: cibo ad nutritionem membrorum, aëre ad refectionem spirituum, & caloris attemperationem. Imò verò opinor, magis fœtum affligi, cum grandior est, ex defectu aëris, quàm
H. de flatib. ex cibi inopia: quippe vt superiùs diximus ex Hippocrate, *Siquidem omnibus alijs abstineat homo, neq; cibum sumat, neq; potum, possit tamen dies duos, vel tres, & plures ducere: si cui verò spiritus in corpus viæ intercipiantur, in breui parte vnius diei intereat.*

7 Pro coronide breuiter duo, maximè necessaria, animaduertenda sunt. Vnum
Hip. de nat. puer. est, an verum sit, fœtum in vtero respirare, quod pleriq; ex Hippocrate recipiunt; quippe vbi calor animalis datur, necessariò dari debet eiusdem alimentum frigus, vbi etiam animal viuens, ibi etiam spiritus, quorum materia est aër. Alterum,
An animal sit id quod in vtero est c. 4. quicquid sit de sententia auctoris libelli, qui inscribitur, *An animal sit, quod in vtero est*, necessariò fateri oportet, fœtum sensu tactus esse præditum: neq; enim imaginatione percipi potest animal viuens, quantumuis abiectæ naturæ sit, quod sensu tactus non polleat: quo si pollet, necesse insuper est, vt continui solutione molestetur: cum autem, etiam dum in vtero est, ex caloris actione effluxus aliquos patiatur, ex his continuitas partium dilacerata soluitur, & indigentia molestiam affert: hinc cibi necessitas intra vterum, cui solers prouidit natura, alimentum ex matris sanguine præstans, quod per venas ad hepar fertur, indeq; destribuitur, ad inopiæ, & ex inopia molestiæ subsidium. Cum verò infans grandior est, iam non potest mater per ductus vmbilicares ministrare quantum sufficit: quare non cessat membrorum infantis tractio, quæ adeò vlteriùs pergit, vt iam ad ventriculi tunicas accedat: neq; enim in iecore intermedium totum id, quo indiget, reperit. Cum ergo tractio ad ventriculi tunicas accedit, sequitur fames: cum verò tunicas

vestiens

vestiens interiùs ventriculum sit eadem, quæ vestit palatum, & laryngem, hoc est, oris partes internas, ex sensatione, quæ fit in ore ventriculi, prurigo quædam ad palatum accedit, & hinc est, quod iam tunc cum fœtus in lucem exit, à natura fit edoctus capere cibum per os: vnde est, quòd ait Galenus: *Partus autem fit, cum fœtus iam est perfectus, vt per os nutriri possit:* & in eodem capite inferiùs addit. *Nam siquis papillam mammæ ori infantis indiderit, confestim quidem eam suis labijs constringet:* & quæ sequuntur. Gal. lib. 15. de vsu part. c. 7.

Altera causa vteri angustia.

1 IN eo partu, qui secundùm rationem naturæ fit, non consideratur angustia vteri, quemadmodùm in abortu: nam fœmina, iuxtà magnitudinem animalium suæ speciei, capacitatem vteri habere debet, citra quam si consistat, iam vitiosa est constitutio, compositioq; vteri, propterquam mulieres aliquæ concipiunt quidem, sed fœtum ad perfectionem perducere nequeunt. Quemadmodùm enim inter homines, alij magnum, alij paruum habent caput, si verò ad tantam paruitatem fit deductum, vt humani cerebri incapax sit, qui ita fuerit formatus, amens euadit: sic mulierum aliæ alijs capaciores habent vteros: verùm si aliqua minùs capacem habuerit, quàm pro humana prole prouehenda sit satis, sterilis euadit, hoc est, certis aborsibus obnoxia. Cæterùm in magnitudine membrorum, indiuidua variate vt plurimùm contingit: cor enim habent aliqui hominum valde magnum, & hi quidem sunt audaciores: nam quamuis animalia magni cordis sunt timida, vt cerui, quoniam cor magnum obtinent ad replendum magnum spacium, quod illis accidit, sed non obtinent tantam spirituum copiam, quæ magnam capacitatem replere possit, hoc quidem ita est, & comparatione facta inter animalia diuersarum specierum, cor magnum spiritibus est vacuum ac proinde animal timidum facit; Quando autem comparantur indiuidua vnius speciei inter se, homo v.g. qui inter homines maius habet cor, maiore pollet calore (quippe amplitudo membrorum caloris est soboles) si maior est calor, plures etiàm spiritus abũdant, ac subinde homo audicior euadit. Similiter sunt aliqui, quorum vesica ampla est, adeò vt vna mictione plurimum mingant alijs est angusta, nec multudinem vrinæ possunt tolerare: sic etiam inter ventriculos alij alijs ampliores sunt. Vidi aliquos, qui, cum thermales potarent aquas, 18. libras exhauriebant: alij nec ad 12. accedebant: quòd si cyathum vnum, vltra sui ventriculi amplitudinem, acciperent, statim totam euomebant. Hæc varietas amplitudinis etiam in ytero conspicitur. Quare cum Galenus ait, perfectis animalibus matrices datas esse maximas, imperfectis exiles, intelligit maximas iuxtà suam speciem, non maximas in vnoquoq; indiuiduo, vt nullum eiusdem speciei possit habere minores, aut maiores. G. 14. de vsu par. c. 4.

2 Porrò angustia, quam vitiosam esse, dixi, vel potest esse ex constitutione naturali, vel etiam ex accidente: nam aut ob tuberculum, aut ob crassitiem, aut etiam ob vteri siccitatem potest hoc membrum angustius, quàm oportet fieri: sic mulieres crassæ, & pingues conceptui sunt ineptæ: sic ex siccitate senile temperamentum contrahitur: & sicut vetulæ ob siccitatem vteri concipere nequeunt, ita & iuuenes sicca intemperie laborantes. Hæc tamen vitiosa angustia non est, quam in præsente consideramus: quippe non iuuat partum, sed potiùs partui nocere solet. Angustia igitur faciens ad partum secundùm naturam, est angustia non simpliciter, & absolutè, sed respectiuè, nimirum quo ad partus magnitudinẽ: & hæc promouet partum: quod quomodò fiat, iam enarrare aggredior.

3 Iniectum semen amplectitur vulua, & ad retentionem illius contrahitur in se

ipsum, non aliter ac ventriculus ad cibi comprehensionem: *Neq; enim temerè* (vt Galenus ait) *aut sinè ratione condidit natura vterum ad complectendum, retinendumq; fœtum sufficientem, sed iccirco, vt quod gestatur, ad debitam perueniat magnitudinem.* Iuxtà hanc sententiam intelligimus, vterum prius contrahi ad retinendum semen, posteà fœtui augmentũ paulatim suscipienti cedere, ac proptereà dilatari. Hinc est, quòd primis à conceptione diebus mulieri venter assueto minor videtur, progressu temporis intumescit, & distenditur, donec non tolerat ampliorem distentionem; Vnde Galenus, *Pari modo*, inquit, *& vteri: ibi namq;, vbi vel distendi ampliùs non tolerant, vel etiam qualitate humoris in se effusi mordeti, quod offendit abijcere properant. Porrò prædictorum vtrumq; aliquando non naturæ sponte, sed violenter incidit, quo casu abortus prouocatur. Fit autem plerumq; & ex naturæ commodo: quod genus non abortus, sed partus nominatur.* Ex his verbis colligitur id, quod superiùs dicebamus: nempe vteri angustiam posse aliquando esse causam abortus, plerumq; tamen esse partus causam. Quare non est, cur Mercurialis hæc verba de solo partu naturali intelligat, cum Galenus adeò expresè loquatur, vt loqui expressiùs non potuerit. Sed Mercurialis, vt negaret aborsum ex angustia vteri, non solùm hęc verba noluit intelligere, sed etiam librum de superfœtatione, librum primum de morbis mulieribus, & librum de sterilibus, in quibus hęc causa traditur, omnes tamquàm spurios reiecit, adeò fortiter vnusquisq; suæ adhæret opinioni.

G. 3. nat. fac. c. 12.

Mercur. lib. 2. de morb. mul. c. 1.

4 Cæterùm cum dicimus, vterum non posse amplius dilatationem tolerare, intelligimus, non posse eam tolerare præ augmento molestiæ, non quòd non posset ampliùs distendi, sed quòd molestia, quam per totum gestationis tempus est passus, quodammodo ad cumulum accedit. Hoc significat Galenus, inquiens: *Siquidem monstratum est, vteros nullo alio modo ad fœtum edendum se comparare, quàm per expultricis facultatis actionẽ: quippe quæ tũ fœtus grauitatẽ, tũm sui distentionẽ nouem mensibus pertulerunt.* Si quis verò quæsierit, cur eadẽ mulier alios partus edat grandiores, alios minores, id referam ad dispositionẽ vteri: neq; enim semper eodem modo est dispositus, sed aliquando præ humiditate facilè dilatatur, aliquando præ siccitate indurescit, & non nisi cum magna molestia dilatationem subit. Hinc Aristoteles quærens, cur in animantium genere alia paruo, alia magno consistant corpore, duplicem causam reddit: aut enim locus, aut alimentum id facit: locus, si angustus est, alimentum, si exiguum. Ergo quemadmodùm mulier in vna ingrauidatione magis, quàm in alia inappetentiam patiens pauciore cibo vtatur, ita potest in vna ingrauidatione vterum minùs dispositum ad dilatationem habere, quàm in alia. Hæc autem dispositio, quæ impedit augmentum fœtus, potest aliquando esse causa paruitatis eius, aliquando etiam poterit maiorem renitentiam habere, & fœtum non solùm exiguum, sed gracilem, & subinde valetudinarium facere. Quare Hippocrates cum ait, *Si verò omnes pueri nati debiles fuerint, vteri ipsi in causa sunt, angustiores, quàm oportet, existentes: si enim non habuerint spatiositatem, in qua fœtus nutriri possit, necesse est, ipsum tenuem fieri, vtpote qui non habeat satis amplum locum, & non ęgrotet. Verisimile est, ex magnis parentibus magnam sobolẽ generari.* Loquitur ibi de angustia vteri, quę ex naturali constitutione prouenit: ideo ait, *si verò omnes pueri debiles fuerint:* hoc tamen nõ tollit, posse angustiam vteri etiã aliquando esse accidentariam ob prędictas causas. Aduertendum tamen est, angustiam, & impedimentũ, quod ex ea procedit, latitudinẽ quandam habere, vt angustia tanta sit, quę aborsui causam pręstet, minor autẽ efficiet, vt non aborsus sequatur, sed partus debilis: quod idem declarare videtur adiungens pulchram similitudinem: *Quemadmodùm, si quis cucumerem, qui iam defloruit, sit autem adhuc tenellus, & in cucumerario adhuc adhæreat, ponat, ac immittat in vas angustum, æqualis, ac similis euadet cauitati ipsius vasis: si verò*

G. 2. de caus. sympt. c. 3.

Ari. sect. 10. probl. 14.

H. de genit.

quis eundem in vas amplum indet, quod veri simile sit, cucumeris capax esse, sed non valde multò maius, quàm pro cucumeris natura, aequalis itidem, ac similis erit cucumis vasis ampli cauitati: nam in augescendo cum vasis cauitate contendit, & fermè omnia nascentia sic habent, quomodò quis ipsa cogat. Sic sanè & in puero se res habet: si enim spatiositas ipsi contigerit in augescendo, maior euadet, si vero angustia, minor. Sic ille: qui, cum dicat, angustiam efficere fœtum minorem, iam declarat, se non loqui de angustia, cui alibi causam aborsus tribuit.

5 Sed manet adhuc difficultas: nam diximus, dilatationem non esse vltimã, ita vt vterus ampliùs dilatari nequeat, sed esse eò perductam dilatationem, vt mulierem ad intolerabiles molestias perducat: quod tamen non videtur esse verum, sed dilationem non posse esse maiorem, ac propterea disrumpi id, quod fętum continebat: quod pulchra alia similitudine declarat idem Hippocrates alibi: *Quemadmodũ spicarũ membranae laxantur ad id coactę, antequàm fructus perfectè maturescat; & fortissimi, ac plenissimi fœtus violantes, ac dirumpentes pelliculas, partũ fieri cogunt.* Ex qua similitudine elicere posset aliquis, fœtum adeò excrescere, vt non potẽs ampliùs intra tunicas cõtineri, eas mole sua abrumpat. Cęterũ similitudines, non oportet, esse omni ex parte veras: satis enim est, quòd in eo, in quo fit cõparatio, similitudo existat. Itaq; grano in sua tunica incluso similis fœtus est inclusus in suis tunicis, & vtriusq; exitus fit diruptione tunicarum. Verumtamen granum sua mole tunicam rumpit, fœtus grandior factus, & exitum quærens, calcitrat, & calcitrans rumpit tunicas: quod Hippocrates docet inquiens, *Quando verò mulieri partus appropinquat, tũc puero se mouente, & manibus, ac pedibus calcitrante, pelliculam internam rumpi contingit: rupta autẽ vna, etiam aliæ debiliorem vim habent, & rumpuntur: primùm quidem illæ contiguæ, & cohærentes, posteà extremæ:* & quæ sequuntur. Et paulò inferiùs *Cum autem hæc ipsi rariora, ac pauciora sint, & puer plenus ac maturus existat, copiosius alimentum desiderans calcitrat, ac pelliculas rumpens initium partus matri inducit.* Hìc mihi videtur Hippocrates tres partus causas insinuare: primam, alimenti defectum, cum ait, *Copiosius alimentum desiderans calcitrat*: alteram, angustiam loci: quippe ait, *Pelliculas rumpens initium partus matri inducit*: tertiam, maturitatem, dum inquit, *Puer plenus, ac maturus existat.* Duas priores hactenus explicauimus, superest nunc tertia protinus explicanda.

H. de septim. part.

Hip. de nat. puer.

Tertia causa maturitas fœtus.

1 CVm in superiore exemplo, sumpto ex spica, dicat, spicarum membranas laxari, ad id coactas, *Antequàm fructus perfectè maturescat*, videbitur fortasse, non requiri maturitatem fœtus, vt sequatur partus. Auget hanc difficultatem, quòd in partu concurrit simul cum fœtu vterus, qui irritatus insurgit ad expellendum fœtum: irritatio autem non fit ex maturitate. Adhuc magis corroboratur eadem difficultas, quoniàm Aristoteles ait, *Viuiparorum alia perfectum animal pariunt, alia imperfectum*: Vnde videtur colligi, perfectionem, siue, quod idem est, maturitatem non esse omnino necessariam. Vrsus, vt narrat Aristoteles, partum edit nudum, cæcum, & cruribus propemodùm, membrisq; alijs plurimis indiscretum, rudem.

Ar. 4. gen. an. c. 6.

Ar. 6. hist. an. c. 30.

2 Huius difficultatis enodatio postulat, vt, quæ nam perfectio ad partum requiratur, explicemus: & in primis existimare oportet, perfectionem debere esse vnicuiq; in sua specie propriam: neq; enim tantam perfectionem expectat fœtus ouiparorum, quàm viuiparorum: & horum non æqualiter omnia, sed quadam maiorem, alia verò minorem. Nihilominus ouipara iuxtà suam speciem perfectum

ctum edunt partum, nempe ouum iam debitam magnitudinem, duritiemq; adeptum. Animalium viuiparorum species, sicut non omnes eiusdem perfectionis sunt, ita nec omnes æquè perfectos partus edunt. Tandem perfectio ad partum requiritur, quæ & vt ab imperfectione iam fœtum liberat, ita eum non dum ad vltimum perfectionis gradum perductum esse, sinit. Tandem perfectio sumitur iuxtà qualitatem, quantitatemq; seminis.

3 Porrò in humana specie partus requiritur specificè completus: cumq; ei præstantior membrorum compositio debeatur, quàm alijs animalibus, possunt alia animalia imperfectiores fœtus edere: homini hoc sit peculiare, quòd maiorẽ in vtero perfectionem expectet: quòd siquis mihi offerat equi pullum, qui statim ac in lucem editus est, currit, & vbera matris nullo docente reperit, hæc ad instinctum naturę (de quo satis multa dixi superiùs) referam. Perfectio verò, quæ nunc spectatur, est circa compositionem membrorum, quæ cum in homine plura sint, & magis elaborata, sic indicant maiorem naturæ curam in illis efformandis. Cum autem membra omnia sunt formata, & inter se discriminata adeò, vt nihil sit imperfectum, tunc dicitur fœtus perfectus ea perfectione quam, dicimus, esse talem, vt excludat imperfectionem, hoc est, vt licèt possit perfectior esse, iam perfectus dici mereatur, nempe negatione imperfectionis. Tandem & qualitate, & quantitate perfectus sit, oportet: qualitate, vt nempe talia sint organa sensuum, qualia expostulantur ad sensationes suo tempore edendas: quantitate, vt eam habeat corporis molem, qua iuxtà suam proportionem fœtum ad magnitudinẽ suæ speciei debitam accedat; magnitudinem debitam appello, non maximam, quam habere potest, sed intra terminos magnitudinis, & paruitatis sibi à natura assignatis.

4 Sit igitur ratum, naturam in generatione animalis ita se gerere, vt in eiusdem nutritione: nam nutrimentum à primo in corpus ingressu semper à natura elaboratur, donec perfectam elaborationem sit assequutum: sic semen, cum formatricis facultatis incipit esse subiectum, semper magis, ac magis perficitur, & dum perficitur, retinetur ab vtero, sicut dum concoctrix operatur, simul operatur retentrix: cum verò fœtus eò elaborationis accedit, vt non ampliùs formatricis opere indigeat, retentrix vteri non ampliùs habet locum, sed eius locum occupat expultrix. Vnde Galenus iam superiùs à nobis citatus ait, *Partus autem fit, cum fœtus iam est perfectus, vt per os nutriri possit*: quasi dicat, perfecto iam fœtu natura ipsi suum nutrimentum quærendi liberam potestatem cõcedit: priùs dum eum retinebat, vt perficeretur, eius curam habebat, subministrans eidem per venas vmbilicales alimentum: nunc autem, postquàm illum perficit, non ampliùs hanc curam gerit, sed fœtum foràs emittit, vt sui ipsius curam gerat. Fuisse autem continuò solicitatam naturam in fœtus perfectione, significat Aristoteles supra iam commemoratus his verbis: *Cum magis, ac magis perficiatur*: loquitur de fœtu in vtero. Verùm de his satis dictum videtur.

G. 15. de vsu par. c. 7.

Ar. 4. gen. an. c. 8.

De partu naturali. Articulus tertius.

1 FRequens est in sacra pagina quoslibet dolores, si magni sint, & vehementes, dolores parturientium appellare, quasi hi sint, ad quos alij hyperbolicè conferri possint. Cum ergo dolor res sit præter naturam, cur partum, quem adeò graues dolores comitantur, naturalem nuncupabibus? Cęterùm tametsi (quando aliter fieri nequit) dolores in partu reperiantur, multæ alię concurrunt causæ, ob quas partus dicitur naturalis: in primis ratione finis: quippe dirigitur in bonum naturæ tam communis, quàm particularis: communis, quoniam

niam inseruit propagatione speciei: particularis, quia liberat matrem ab illa sarcina, qua per plures menses antea premebatur. Deinde naturalis dicitur, quia sequitur ad opera naturæ, scilicet ad conceptionem: frustra namq; mulier in vtero conciperet, nisi consequens ad conceptum partus foret. Tertiò, quia fit à principijs naturalibus, hoc est, à facultate vteri, & motu arbitrario infantis. Sic concurrunt duæ facultates, videlicet facultas naturalis vteri, & animalis infantis: Vtraq; manifesta est: nam ex parte vteri constat, vterum habere fibras tum obliquas ad retentionem, quibus fortiter operatus est toto gestationis tempore, adeò vt his operantibus, vterus omnino clausus, ne specilli quidem cuspidem admittebat, vt Galenus non semel dixit: tum etiam transuersas, quæ expulsioni inseruiunt. Hæ postquàm fœtum excluserint, cessant ad operationem, aguntq; iterum obliquæ, non tamen ita fortiter, vt priùs: & sic redit vterus post partum ad suam naturalem constitutionem, manetq; mediocriter clausus, quod naturale quidem est: nam, dum infans erat in vtero, retinebat vterus fortiter, sic iubente, cogenteq; necessitate: postquàm exijt in lucem fœtus, naturæ ordo postulat, vt membrum in suo naturali situ collocetur: quippe tunc nec adest causa stimulans ad expulsionem, propter quam operari debeant fibræ transuersæ, neq; cogens ad validam clausuram, ob quam obliquæ, plus quàm par est, agere cogantur. Ex parte fœtus operatur facultas animalis motrix: licèt enim puer tunc careat ratiocinandi potentia, nihilominùs sensatio tristis cogit ad fugam, fuga autem motricem vim exagitat. Neq; est præter rationem ex vi necessitatis facultatem motricem, etiam non præcedente ratiocinatione, agere: sic respiratio dormientium non cessat, quia nec per somnum cessat respirandi necessitas. Quare, cum puer in hora partus graui necessitate præmatur, conatum omnem adhibet, & motricem facultatem in auxilium vocat: quare manibus, pedibusq; calcitrans pelliculas dirumpit.

2 Porrò quomodò vterus se gerat in expulsione fœtus, optimè describit Galenus: quippe in partu os vteri aperitur, fundo eius quoad potest ad os proximè ascendente, adeò vt mulierum non paucis acciderit, vt pręnimio dolore hac vteri facultate vtentibus, vteri procidentiam pati, non aliter ac luctatoribus accidit, quando vnus alterum ad terram deijciens, simul cum eo concidit. Verùm non solùm sua expultrice facultate vterus partum adiuuat, sed musculos etiam abdominis, quorum munus est omnes nixus iuuare, in auxilium conuocat: quare hi musculi quemadmodùm & ad expulsionem fœtus, & ad eiectionem vrinæ, & ad respirationem conferunt, similiter etiam adiuuant ad partum, quamuis eis duntaxat videatur Galenus nixum in partu attribuere, cum inquit ibidem: *Est porrò id opus, quod à se ipsis præstant parientes, non vteri sed musculorum, qui sunt in abdomine: qui scilicet tum ad deiectionem, tum ad reddendam vrinam nobis sunt auxilio*. Sic ille. Sed hoc non excludit actionem vteri naturalem, quippe verba illa, *Opus, quod à se ipsis præstant parientes*, significant actionem voluntariā, quæ musculis peragitur. Quare ex parte vteri est actio naturalis, quæ vtitur fibris, ex parte parientis, voluntarium motum conferentis, sunt musculi abdominis, ex parte infantis est totius corporis vniuersalis motus, quo se adiuuat: omnia hæc necessaria sunt ad nimis difficilem, nimis etiam necessariam actionem.

Gal. 3. nat. facul. c. 3.

G. ibidem.

3 Aperitur ergo vulua, & laxantur circumuicinæ partes, vt exeunti fœtui transitum præstent: laxantur, inquio, non luxantur, vt quidam putant decepti verbis Hippocratis, qui ait: *In ipso partu vniuersum dolet corpus, maximè vero lumbi, & coxendices: nam distrahuntur, & disparantur eorum coxendices*. At distrahi, & disparari, dixit: luxari verò minimè. Sic etiam intelligendus est Auicenna, qui ait: *Et quando separatur, aperitur matrix apertione tali, cuius similem non valet efficere, in suo simili; & necessarium est, vt separentur quadam iunctura, & su-*

Hip. de nat. puer.

Auic.

sten-

stententur adiutorij Dei excelsi, post illud, & propter illud redeunt ad continuationem naturalem, & est operatio illa de operationibus fortibus naturalibus. Hæc sunt Auicennæ verba. Ceterùm si voluit in partus fieri separationem ingentem, citra tamen dearticulationem, hoc illi admittimus: si verò dearticulationem admisit, vt prosteà per se ipsa ossa articulentur, non est, cur illi concedatur id, quod naturaliter fieri nequit: quippe ossa pubis per symphysin inter se concreta sunt, non verò per articulationem, vt reliqua ossa, quę immediatè se tangunt: quare si semel symphysis rumpatur, non redit ad naturalem statum. Vnde optimè Galenus præuidisse, inquit, naturam, ne dum fœtus exit luxatio sequeretur.

G. 15. de vsu par. c. 7.

4 Ex dictis colligitur, partum esse expulsionem, quæ & animali, & naturali actione perficitur, & ad quam tum fœtus, tum mater concurrunt: iccirco mortua prægnante non fit, nisi partus cæsareus, hoc est, cæsa matris aluo: ex quo pręclarum Cæsarum cognomen est ortum: nam (vt narrat Plinius) *Scipio Africanus prior natus, primusq; Cæsarum à cæso matris vtero dictus: qua de causa & Cæsones appellati: simili modo natus & Manlius, qui Carthaginem cum exercitu intrauit*. De Scipione Sylius Italicus sic:

Pli. lib. 7. c. 9.

Syl. Ital.

Quæ sors nostra fuit? cur te cum prima subiret,
Eripuit sinè honore dies, & funere carpsit?

Franc. Rouss.

Plurimas huius partus historias congerit Franciscus Roussetus in libro, quem de eo gallicè scripsit, Gaspari Bauhini opera in latinum sermonem traducto. Itaq; si solus fœtus exitum quærat, matre iam nequeunte partum promouere, non nisi opere chyrurgico fœtus in lucem exibit: similiter si sola mulier fœtu iam mortuo parere nitatur, aborsus erit, partu valde periculosior: vnde colligitur, partum opus esse amborum, nempe & parentis, & filij.

5 Altera conditio etiam requiritur. vt partus sit secundum naturam, nempe vt figuram, situmq; conuenientem obseruet, nempe vt caput primum exeat: quippe exeunte puero, *Seq; in caput conuertente* (vt Hippocrates ait) *interiores primùm membranæ, tandem chorion abrumpitur*. Aristoteles huius rei causam assignans ait, partus autem pronis in caput conuersis fit per naturam animalibus omnibus, propterea quòd partem ab vmbilico maiorem habeant, quàm interiorem: maiora autem plus ponderis continent. Itaq; veluti in statera dependentes eò vergunt, quò trahuntur. Galenus autem id ad naturæ prouidentiam refert: quippe si caput priùs non exiret, difficilem alijs membris exitum efficeret. *Quorum in nascendo* (inquit Gellius) *non caput, sed pedes primi extiterant* (*qui partus difficillimus, ægerrimusq; habetur*) *Agrippæ appellati vocabulo, ab ægritudine, & pedibus*. Itaq; vt rectè Plinius ait, *In pedes procedere nascentem contra naturam est: quo argumento eos apellauere Agrippas, vt ægrè partos, qualiter M. Agrippam, ferunt, genitum vnico prope felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis. Quanquam is quoque aduersa pedum valetudine, misera iuuenta, exercito æuo inter arma, mortesq;*, & cęt, *luisse augurium præposteri natalis existimatur. Neronem quoq; paulo ante principem, & toto principatu suo hostem generis humani pedibus genitum parens eius scribit Agrippina*. Huius autem periculi deprecandi gratia aras duas Romæ, duabus Carmentibus, quarum vna Postuerta, altera Prosæ vocabatur, statutas fuisse, auctor est Gellius. Est ergo partus naturalis, qui capite priùs foràs emisso, in lucem exit. Hinc mos efferendi contrario modo, nempe in pedes, homines ad sepulchrum: quippe *Ritu naturæ* (Plinius ait) *capite hominem gigni mos est, pedibus efferri*. Porrò natalitia, quę naturæ ordinem præuertunt, prodigiosa censentur: crediderim, nascenti planctũ naturalem esse: iccirco, quando natus est Zoroastes, risisse fertur, *Nec boni aliquid* (vt D. Augustinus ait) *monstrosus risus ille portendit: Nam magicarum artium fuisse perhibetur inuentor, qua quidem, nec ad præsentis vitæ vanam felicitatem cõtra*

H. de nat. pue.

A. 4. gen. ani. c. 9.

G. 5. de vsu p. c. 7.

Aul. Gel. noc. att. li. 9. c. 9.

Plin. l. 7. c. 8.

A. Gel. li. 16. cap. 16.

Plin. l. 7. c. 8.

tra suos inimicos prodesse potuerunt, quippe à Nino rege Assyriorum, cum esset ipse Bactrianorum Rex, bello superatus est.

De Abortu.

Articulus Quartus.

1 OPponi videtur aborsus partui, tam naturali, quàm legitimo: naturali, quoniam fit non currente fœtu, & vim adhibente: legitimo, quia fit in tempore non suo: Vnde Andreas Laurentius definit aborsum, immaturi fœtus aut foras eductionem, aut in vtero extinctionem; Cum ergo immaturus sit, si in vtero non moritur, at saltem in exitu extinguitur. Hinc patet (quod superius diximus) partum octimestrem non posse appellari aborsum: quippe multoties per plures dies vitali aura fruitur. Dixi, abortum fieri in tempore non suo; quoniam, si fœtus, qui iuxtà ordinem formationis, & motus, futurus erat v. g. nonimestris, exeat septimo mense, quamuis hic mensis aliàs partum vitalem facit, nihilominùs hunc fœtum nonnisi per aborsum producet. *Andr. Laur. lib. 8. q. 29.*

2 Non est tamen negandum, aliquando abortum fieri vel extra suum tempus, fœtu aliquantulam vitam habente, vel in suo tempore, si tamen ex causa aliqua præter naturam fœtus ante exitum in vtero moriatur. Itaq; dicemus, abortum vel fieri in tempore partus legitimo, si fœtus in vtero pereat, vel fieri ante tempus legitimum, & sic vel perit in vtero, vel perit in exitu, vel perit paulò post exitum. Has abortus differentias colligere possumus ex Galeno: cum enim Hippocrates dixerit, *Si verò hyems australis, & pluuiosa, & serena fuerit, ver autem siccum, & aquilonium, mulieres, quibus partus ad ver inest, ex quacumq; occasione abortiunt*, ipse in commento sic habet: *Corpora siquidem humida, ac mollia & laxa ab hyeme serena facta, ad intimas sui partes aëris ambientis frigiditatem facilè admittunt; ita vt infantes, qui longo tempore calori iam sunt assueti, vehementer à frigore percussi, non absq; causa hi quidem prius in vtero, hi verò mox in partu moriantur. Qui verò viui in lucem eduntur, non ferentes subitam ad contrarium mutationem, vel breui post tempore moriuntur, vel exiles, atq; insalubres effecti, vix in vita perdurant.* *Hip. G. 3. aph. 12.*

3 Ceterùm differentia temporum differentias etiam aborsum facit: nam quicquid ante formationis tempus eijciatur, vocatur ab Aristotele effluxio, quicquid autem post formationem exit, abortus ab Hippocrate appellatur: vt cum ait, *Quæcumq; mediocriter corpora habentes abortiunt secundo, aut tertio mense sinè occasione manifesta, ijs acetabula vteri plena mucoris sunt, & non possunt ex pondere fœtum continere, sed dirumpuntur.* Tandem consueuisse Hippocratem, deperditionem appellare nempe ἀποφθορὰν id, quod Attici ἀμβλωσιν, seu aborsum vocant, obseruatio est Galeni: nihilominùs tamen ex vi vocabuli posse deperditionem appellari quamcumq; corruptæ geniture eiectionem, nemo potest dubitare. Verùm de partu, pro præsentis contextus explicatione, satis, superq; dictum est. *H. 5. aph. 45.* *G. 6. epi. sect. 1. com. 2.*

TEXTVS XXXXVI.

OSsium alimentum ex confractione. Naso bisquinq; Maxilla, & claviculæ, & costis duplicia: cubito triplicia: tibia, & brachio quadruplicia: fœmori quintuplicia, & si quod in his plus, aut minus potest.

COMMENT.

PErterritus obscuritate huius textus Vallesius explicat se ab explicatione illius, inquiens, se non tam velle hæc verba interpretari, quàm expungere: additq;, *Siquis fortè post me inuenerit narrationem cõmodam, reducat is, eritq; mihi magnus Apollo: modò tamen afferat vera, & consentanea: nam facile est, de re quacumq; delirare.* sic ille, qui expectat, vt post eum aliquis verba explicet, quæ ante eum Fracantianus, explicauit. Forsan explicationem istius, quasi delirantis voces accepit. Hoc sinat alios iudicare. Quid ergo est, cur existimat hæc verba non esse Hippocrate auctore digna sed ab alijs inserta? *Nempe quia siue sermo sit de coalescentijs ossium, siue defracturis, quas possunt accipere, falsa est sententia; Nam nasus neq; habet decem commissuras, nec video, quas decem confractiones possit accipere.* At, ò Vallesi, ex numero commissurarũ, fracturarũq; (de quo quorsum ageret Hippocrates in præsente?) conuerte animum ad numerum dierum, in quibus ex alimento ossium possunt eorum fracturæ sanari, & iam tu tibimet eris magnus Apollo.

† Sanari ossa, inquio, eo modo, quo possunt: nam (vt seorsim tractabimus) ossa, neq; alia membra, quæ seminalia, sicut ossa, vocari solent, non accipiunt veram regenerationem medio callo, quem poron sarcoden vocant medici, iunguntur.

Ossium alimentum ex confractione. Diminuta sunt verba, vt pleraq; huius libelli. Est ergo sensus, alimentum, quod alendis ossibus accedit, quando confracta sunt, operationem, quam potest, peragit in numero istorum dierum.

Naso bis quinq;. Hoc est, si nasi ossa frangantur, decem diebus conglutinantur. Hoc ab eodem in libro de articulis est in hunc modum inculcatũ: *In naribus callus citò concrescit: nam decem diebus concrescit, nisi corrumpatur.* Cur autem sic non eueniat sæpius, causam priùs reddiderat his verbis: *Curationem autem partim ignorant, partim non sustinent, nisi dolore premantur, aut mortem pertimescant.* H. de arti. tex. 46.

Maxilla, & claviculæ, & costis duplicia. His viginti dies ad sanationem assignari debent: nam Hippocrates in eodem libro de articulis, *Maxilla*, inquit, *viginti diebus conferuet: celeriter enim callus increscit, sicut in alijs ossibus.* Sic ille. Erunt ergo alia ossa claviculæ, & costę. Claviculam, & costas, & iugulum vnam, & eandem sortem subire colligitur ex Galeno. H. de arti. tex. 32. Gal. introduct. c. vlt.

Cubito triplicia. Hoc est, triginta dierum spatio: quò enim duriora, & maiora sunt ossa, magisq; absunt à fonte caloris, eò tardiùs sanescunt.

Tibiæ, & brachio quadruplicia. Hoc frequenter in praxi fieri videmus, vt scilicet brachium, aut crus fractum, non ante quadragesimum diem moueri permittant chirurgi.

Fæmori quintuplicia: quia scilicet fęmur magnæ molis est, & motus eius laboriosus: iccirco ex fęmoris non solùm fractura, sed saltem luxatione, rarò patientes perfectè sanescunt.

Et si quod in his plus, aut minus potest. Nempe tempore longiore, aut breuiore conglutinantur ossa, prout magis, aut minùs causæ ad sanitatem concurrentes possunt. Sunt causæ, quæ ad sanitatem concurrunt, res naturales, & non naturales: naturales,

v. g.

v.g. faciliùs senescunt homines vnius temperamenti, quàm alteriùs: non naturales, v.g. in vno aëre, quàm in altero fracturæ, luxationesq; faciliùs conglutinantur, reponuntur.

DE REGENERATIONE PARTIVM seminalium problematum decas.

QVAESTIO DECIMASEXTA.

Problema Primum.

1 *CVR ossa, & reliqua membra, albedinem præseferentia, seminalia dicuntur?* An quia ex semine fiunt? Hoc Aristoteles non admittit: neq; enim fœmineum semen agnoscit, neq; in virili materialem facultatem, sed duntaxat efficiendi vim. Vtrumq; Galenus impugnat, quod superiùs diffusè pertractauimus. Turisanus, aristotelica via incedens, negat, ex semine posse membra aliqua generari, sed omnia ex sanguine: nimirum ex purissimo carnes, minùs puro ossa, neruos, & huiusmodi: at ex valde impuro pilos, & vngues, & alia huiuscemodi; Quod declarat exemplo, quo vtitur Aristoteles: *Perinde enim natura, atq; paterfamilias prudens nihil amittere solet, ex quo facere aliquid commodi possit. Dispensatur autem in cura rei familiaris ita, vt cibus optimus detur liberis, deterior seruis, vilissimus socijs animalibus.* Cœterùm cum Turisano non est immorandum, quippe aristotelico nititur fundamento, à nobis nequaquam receptum. Vnum duntaxat sciant Aristotelis sectatores, oportet: in semine esse & partes spirituosas, quæ efficiendi vim habent, & crassas, atq; terrestres, quæ præstant materiam: ac proinde cum dicunt, nihil agere in se ipsum, responsionem accipiant, diuersas vnius rei partes posse agentis, patientisq; sortem subire, ita vt vnum totum non agat in se ipsum, agat tamen vna pars in aliam. *Sup. in hac 4. sect. q. 6. & q. 7. Tur. l. 3. com. 29. in art. paru. Arist 2. gen. anim. c. 4.*

2 Miratur Argenterius, quomodò ex tam pauco semine tot venarum, arteriarum, neruorumq; myriades fieri, nutririq; possint, vt membranæ, tendines, ligamenta, ossa. Verùm desinat mirari: nam si ad primam originem respiciat, fœtus toto primo mense non excedit dimidij pollici magnitudinem, imò Aristoteles affirmat, quadraginta dierum fœtum molem corporis habere, quantam formica maiuscula. Quærit tamen idem Argenterius, vbi nam est semen, ex quo mẽbra illa nutriuntur? Respondemus cum Galeno, esse in venis. Arguit ille Galenũ contradictionis, quippe alibi dixit, in solis testibus reperiri. In solis quidem testibus reperitur semen fœcundum: at fœcunditas, quæ necessaria est ad generationem, non item est necessaria ad nutritionem. Quapropter semen, quod in venis est, nutrimentum partibus albis daturum, est substantia semini similis, hoc est, sanguis dealbatus, non autem verum, fœcundumq; semen generationis muneri aptum: quippe hanc dignitatem solùm in testibus accipit. *Argenter. in art. med. Arist. sect. 1. prob 26. & 1 de hist. anim. c.*

Problema Secundum.

1 *CVR partes seminales, si sectæ fuerint, non coalescunt?* An quia duræ sunt? Durum autem cum duro, non mediante molli, non vnitur? Quæcumq; alia huius rei causa afferri potest, ad duritem reducitur: interim duritiem solam affero cum Galeno, qui etiam aliquando aliam affert causam affirmãs, seminales partes non regigni, quoniam & semine ortum habent, quasi insinuans causam esse materiæ paucitatem. *G. art. med. c. 9 li. 5 meth. c. 7. & l. 6. eiusdẽ c. 5. G. de cõst. art. c. 7.*

2 Nec duritiem, nec materiæ paucitatem admittit Argenterius: futilibus tamen fundamentis stabilitus. Duritiem non obstare, ait, quippe cum non obstet ad nutritionem, eodem iure nec impediret regenerationem: sed non videt ad nutritionem, materiam paucam, paulatimq; concurrentem, etiam permeatus quantumuis angustissimos, se posse insinuare; regenerationem vero indigere copioso materiæ affluxu affatim facto, qui expostulat meatuum amplitudinem. Materiæ paucitatem similiter reijcit: nam cum materia seminalis (vt Galenus vult) sit in venis, poterit copiosa esse. Sed respondetur, esse quidem in venis tantam, quanta ad nutritionem membrorum requiritur, & ad eorumdem augmentum, si animal in ætate crescendi sit. Prouidentia autem naturæ respicit duntaxat ad ea, quæ secundum eiusdem naturæ ordinem eueniunt, vt sunt nutritio, augmentatio. Cæterùm si membrum frangatur, casus est, cui natura non censetur prouodisse: cum enim sinè fractura vitam transeat multoties animal, inutilis multoties foret multa accumulata materia.

3 Arguit tamen vlteriùs Argenterius. Si materia est satis ad augmentum, cur non etiam ad regenerationem? Nempe quia ad regenerationem longe maior quãtitas, & copiosius fluens requiritur. Affert natura id, quod nutritioni est opus, ex residuo auget: si vero aliquid remanet eijcitur. Quòd si membrum fuerit fractum, ei id, quod reijciendum foret, circumponitur. Non acquiescit adhuc, sed ait, cum in vtero semen ex sanguine augeatur, cur non augetur etiam in venis? Nempe quia in vtero multus per multas venas concurrit sanguis (iccirco mulier menstruis purgationibus est obnoxia) qui grauidationis tempore retinetur. Accedit vteri attractrix, quæ inualescit in fœtus generatione, ne materia operi faciundo desit.

4 Postquàm igitur infeliciter (vt vnusquisq; agnocit) causas à Galeno allatas reiecit, quasdam adducit, tamquàm è sua penu depromptas. Prima est petita ad efficiente: postulant enim membra spermatica certam figuram, non vti caro, quæ informis est: habent & suas cauitates, hæc tamen omnia solum semen inditum à parentibus in prima conformatione præstare potest. Altera sumitur à partibus circumuicinis: nam partes circumuicinæ impediunt, ne venæ, arteriæ, nerui, & ossa gignatur: quippe caro calida, & humida coctrice facultate præualet, atq; iccirco spatium, quod replendum erat, priùs carne repletur, quàm possint partes frigidæ, & siccæ, id, quod ipsis deest, regignere. Tertia à materia, cuius defectus in causa est, vt dentes non regignantur: quoniam ætatis decursu desinit concurrere ad ea loca sanguis sufficiens ad eorum regenerationem.

5 Duo in hoc homine, quæ vituperem, reperiò: primum peruicaciam, alterum latrocinium. Peruicax est, qui in alio reprobat id, quod in se ipso amplectitur. Cur, quæso, tot attulisti rationes ad probandum, perperam à Galeno esse adductam pro causa inopiam materiæ, si posteà inter causas, quas affers, hanc etiam connumeras? Fur etiam dicendus est, qui has tres causas à Galeno est sufuratus, & qui toties illum contradictionis reum facit, potuerat forsan hic occasionem accusandi eum habere: siquidem aliquando dixit, solam duritiem esse causã, cur ossa non regenerentur, aliquando tres prædictas causas affert (nos hanc accusationem infra diluemus) tamen hoc voluit præterire, ne scilicet in furto deprehenderetur. Video hìc insurgentem Satyrum, & me increpantem, quòd acerbè alios increpem. Ita est: nec aliter sunt tractandi, qui tui similes, ò Satyre, subdolè agunt, & in alios incuriosi, vt tibi mos est, propriam laudem aucupantur. Sed relicto Satyro ad tres causas reuersor, quas à Galeno fuisse inuentas, manifestissimum est.

G.1. de semin. c.13.

6 Prima, quam, diximus, esse sumptam ab efficiente debili, expressa quidem apud Galenum reperitur; siquidem duplicem formatricem deficere, ait: vnam

con-

conceptaculorum vteri, quibus semen proiectum adhæserat, alteram seminis, quę non solùm materiam intrinsecùs tangit, sed per totam eam permeat, ac transit. Ecce Argenterius, qui priorem causam formatricis debilitatem esse, cur membra seminalia non regenerentur, Galeno ęre alieno obligatus: siquidem ab eo hanc accepit. Altera, videlicet impedimentum, quod aduenit à partibus circumuicinis, similiter apud Galenum est: quippe venas rarò posse regigni, inquit, nisi concurrant aliquæ conditiones, quarum vna est, si neq; caro orificium vnæ abscisæ circumcrescendo occupauerit: nam quod mora temporis paulatim erat colligendum, carne iam crescente, supprimatur. Hinc manet etiam conuictus Saluus Sclanus, qui nouam se attulisse causam existimans, reiectis alijs, inquit, propriam, cur membra spermatica non regignantur, causam esse moram, ob quam caro, quæ citiùs gignitur, præoccupat locum, qui substantia seminali implendus erat. Sunt scioli quidam, qui, vt plus alijs sapere videantur, insipientiam produnt. Tertia causa erat materiæ defectus: hanc etiam non siluit Galenus: inquit enim materiæ inopia effici, vt membra omnia, quæ ex semine gignuntur, renasci ampliùs nequeant: nusquam enim tantam seminis copiam simul collectam inuenire est, quantã ad vniuscuiusq;, quod interijt, regenerationem sufficiat. Dum autem in vtero gignitur animal, materia multa affluit, vt formandis membris sit satis.

G. 1. fen. meth. c. 7.

G. 4. fen. meth. c. 4.

G. 1. fen. meth.

Salu. Sclanus.

7 Quoniam autem pollicitus sum, me facturum, vt Galenus a contradictione liberetur, qui semel dixit, duritiem solam esse causam, cur membra spermatica non regenerentur, iterum verò tres affert causas, quas Argenterio placuisse video, hoc facilè pręstabo, imo verò iam superius excusationem, quam afferre volo, insinuaui, iam enim dixi, omnes causas, quotquot huius rei afferuntur, ad duritiẽ reduci posse. Quapropter & quando duritiem causam esse, dixit, tres alias in ea inclusit, & quando tres causas attulit, nihil præter duritiem nobis obtulit. In primis facultatis debilitas ex duritie prouenit: nam non cognoscimus facultatem debilem, nisi quando debiliter operatur (facultates per actiones cognoscuntur) debilitas actionum, ex instrumentorum ineptitudine prouenit, instrumenta dura non tanta sanguinis, spirituumq; copia affluunt, vt possint animæ tamquàm valida instrumenta inseruire, præcipuè cum præ membri exanguis frigiditate facultas torpeat. Altera causa, nempe vicinarum partium impedimentum, fit propter duritiem: cum enim ossa, teste Galeno, vt debeant nutriri, exigant, vt eorum alimentum plurimas pertranseat mutationes (quod idem de reliquis membris seminalibus censendum est) cum rursus permutationes ideo requirantur, vt tandem pars induretur, profectò durities est causa moræ, mora autem locum præbet, vt caro anticipet regenerari. Tertia, nempe materiæ defectus, ex duritie etiam oritur: siquidem natura quantitatem alimenti pro indigentia partium subministrat: cumq; à partibus durioribus parum sit, quod effluit, parum similiter est, quod ad reficiendum reponitur. Atq; hinc manet solutum problema, & stabilitum, membra seminalia ob propriam duritiem non posse regigni, & quamcumq; causam aliam, quæ afferri potest, ad duritiem esse referendam: quippe hæc membra & quia facultatẽ imbecilliter operari faciunt, quia dura, & quia dura moram exigunt ad sui nutritionem, vnde caro refici anticipat: & tandem quia dura pauco alimento ad ea cõfluente, materiæ defectum patiuntur.

Gal. 3. facult. nat. c. 15.

Problema Tertium.

1 C*VR membra spermatica, si infantibus fracta fuerint, renascuntur, prouectioribus autem non?* An quia in prima ætate tres concurrunt causę contrariæ causis regenerationem impedientibus? Est in primis valida facultas:

cultas: quippe regeneratrix facultas naturalis est, facultates autem naturales in pueris validissimas esse, scriptum reliquit Galenus: est & membrorum seminalium mollities, ob quam non tanta requiritur mora ad eorum regenerationem, vt locum præstet carni ad anticipationem: esse autem membra hæc pueris mollissima, colligitur ex eodem: si enim puerorum ossa, quæ, inter membra seminalia, durissima sunt, adeo mollia esse cernuntur, vt nutrices ea quo velint, obtorqueant, quid de alijs censendum est? Materia etiam infantibus superabundari sunt enim humidissimi, vt statuit Galenus, & alimentum ipsorum non admodùm distat à principijs vitæ. At quò magis decurrit ætas, eò magis hæc deperduntur, redditurq; corpus durum, ac siccum. Itaq; verissimum est, quod tradit Galenus, ossa puerorum posse regigni: falsum autem, quod Argenterius vult, scilicet in nulla ætate seminalia membra regigni, quod, præter alia, redarguit experimentum.

G.1.san.tuēd. c.7. G.4.san.tuēd. c.4. G.1.san.tuēd. cit. G.art.med.c. 91.& 6.meth.c.5. Argent.

Problema Quartum.

1 *CVR inter membra spermatica quædam rarò, alia rariùs, alia verò nunquam regignuntur?* An quia quò ad ossis duritiem magis accedunt, eò magis regenerationi sunt inepta, quò verò magis carnosæ substantiæ appropinquant, eò faciliùs regenerantur? Venæ omnium molliores censentur: iccirco Galenus se vidisse, ait, venas satis magnas, & multas, tum in capite, tum in alijs partibus regeneratas, & alibi venas sensibiles regeneratas aliquando vidit. Arteria, quæ sextuplo, quàm vena, crassior est, difficiliùs coalescit, ac propterea rariùs. Hinc est, quòd ad regenerationem arteriæ, quàm venæ finciora remedia Galenus desiderat: quippe arteria maiorem siccitatem habet, quàm arteria. Nerui arterijs sicciores sunt: ossa omnium siccissima, & subinde durissima: & sic duo sunt extrema caro, & ossa.

G.1.de semin. c.13. G. 14. meth. c.16. Gal. 5. meth. c.7.

2 Portò arteriam se, nullo aneurismate relicto, curasse gloriatur Galenus: sit fides penès auctorem: ille medicamenta, quibus vsus fuit, nobis narrat, quæ nec sunt adeò insolita, nec adeò valida, vt non possit alijs medicis, qui eadem, & fortasse validiora in promptu habent, idem accidere, sed non accidit. Erat, quem proponit, iuuenis rusticus, cui non tanta mollities inesse debuit, vt præter naturæ ordinem ex solo medicamento sanguinem supprimente, & spongia posca imbuta superposita, posset arteria coalescere.

Gal. cit.

3 Sed nunquid non venæ, arteriæ, nerui, in cauis vlceribus quotidie regenerantur? Quid dubitat? Nam caro, quæ regeneratur, venas habet, per quas materiam suscipit: caro item regenerata & sentit, & viuit: ergo neruos, & arterias habet. Dicunt aliqui, carnem regeneratam nutriri, sentire, & viuere per venas, neruos, & arterias, quæ in parte sana, & regeneratæ propinqua sunt: quippe facultas communicatur, non per contactum mathematicum, sed physicum: diffunditur autem per spatia satis breuia carnis, non secundùm longitudinem, sed extra vasa, sicut oportet, tum virtus, tum nutrimentum. Mihi tamen videtur, si vlcus fuerit magnum, non posse per tam vastum regeneratæ carnis spatium, tum sanguinem, tum etiam facultatem permeare. Nec dicendum est, carnem regeneratam in vlcere magno non sentire, nec nutriri, multo minùs non viuere. Si autem in magno vlcere vasa regenerantur, cur non etiam in paruo? Præcipuè quòd si regeneratio ita fieret, non diceretur id, quod reponitur, simile esse deperdito. Quare magis consentaneum est, venulas capillares, & arteriolas exiguas posse regigni, imò capillamento similes neruos, quos, tamquàm fibras, per vniuersam carnem dispersos agnoscit Galenus, dum ait, *Id, quod dissecatur, non esse solam carnem, sed cum tenuissimis quibusdam veluti fibris, in quas neruosum genus resolutum est.*

Gal.2.loc.aff. c.2.

Quid

Quid autem prohibet, venulas, & arteriolas, & fibras neruosas tenuissimas posse regigni, magna autem vasa non posse? Nam quemadmodùm formatrix exigua est, quæ remanet post formatum animal, ita exilibus solùm vasis reformandis sufficit. Nec nos cum Fernelio, & alijs volumus, formatricem, postquàm formatum est animal, euanescere. Remanet, latetq;, &, vbi necessitas postulat, se prodit: quod tibi, ò Satyre, aliter sentienti ostendunt cornua, & dentes, imò omnia, quæ regenerantur: nequeunt enim à nutritiua facultate regenerari: siquidem hęc circa absumptum duntaxat versatur: non ab augente, quæ soli augmento incumbit: ergo à formatrice, cuius munus est propriam figuram, Polycletis modo, effingere. Fernel.

Problema Quintum.

1 CVR non regeneratur cutis? An quia omnino carnosa non est? Cutè carnosam esse, Galenus dicere videtur, vbi hoc problema proponit, sed non dissoluit: quippe ait, cutem ex substracta carne nutriri, & cutem appellat carnem induratam, eamdem multoties neruum carnosum solet appellare, quam etiam temperamento à partibus seminalibus segregat: siquidem hæ sunt frigidæ, ac siccæ, illa autem temperata. Verum licèt ex sanguine nutriatur, non tamen ex solo sanguine. Sed ex eo simul cum semine permisto: præualetq; pars seminalis, quod albedo ostendit. Quare necesse est, vt partium seminaliùm subeat aleam, & semel resecta non ampliùs coalescalt per primam intentionem, sed vniatur per secundam mediante callo, hoc est, cicatrice, quam diuersæ naturæ esse à reliqua cute non solùm visus indicat, sed etiam tactus: remanet enim semper superficies inæqualis, & profundior, quod apparet in ijs, qui variolis laborarunt, si qua variolarum vlcerata est: quippe vlcere consumpta fuit tum caro, tum cutis, tum etiam pinguedo sub cute existens: inducta autem cicatrice premitur caro, nec pinguedini est locus, ideo manet vlceris vestigium aliquantulum profundius. Si verò aliquis mihi serpentes obijciat, quæ cuntem exuunt, sciat non cutem, sed cuticulam epidermidi parem: epidermis autem regeneratur: quippe vicinam non habet carnem, à qua præoccupetur, & adeò subtilis est, vt absq; negotio possit regigni. Præterea cicatrix durior est reliqua cute, iccirco nō capillatur, & in brutis propter densitatem raros, subtilesq; pilos sinit nasci. G.3.simpl.c.7.

Problema Sextum.

1 CVR dentes priùs cadunt, & restituuntur, posteà non ampliùs? An quia in prima ætate maxillæ satis multam præstant materiam, posteà non præstant? Dentes inter ossa connumerantur, teste Galeno, imò duritie reliqua ossa superant: nam præterquàmquòd medullam nullam habent, adeò sunt solidi, vt quemadmodùm Plinius ait, inuicti sint ignibus, nec crementur cum reliquo corpore. Generantur in ventre simul cum alijs ossibus, latitant tamen intra gengiuas innuper natis, vt habetur apud Galenum, nec apparent, donec lactationis tempus non pertransit, quod industriæ naturæ tribuendum censeo, ne scilicet infans morsu vbera nutricis lædat. Primi igitur dentes non admodùm gengiuis adhærent, propter nimiam carnis humiditatem: velut enim saxa è pariete, si calx adhuc sit mollis, facilè euelluntur, ita euellitur dens ex mollissima puerorum gengiua. Decursu temporis ampliores fiunt alueoli, sed dentes non crescunt pro alueolorum amplitudine: iccircò cadunt, non aliter ac fructus exsiccati ex arboribus. G.de oss.c.5. Pl.lib.7.c.6. G.2.de semin. c.5.

boribus. Itaq; mādibulæ, à quibus suppeditatur dentibus materia, multo refertæ sunt sanguine, tum quia venas magnas, tum quia cauitates habent: quare materia quæ solita erat fluere ad nutritionem dentis, fluit ad cauitatem, daturq; transitus, vt confertim fluat: nulla autem est quæ præoccupet caro, atq; propterea dentes denuò formantur: quippe formatrix adhuc non longè à principio distans, prioris muneris non est oblita. In prouectiore autem ætate non ita contingit, sed materia in maxillis nec tanta, nec tam apta colligitur: facultas non adeò est prompta, foramina præ siccitate comprimuntur. Sed dicet aliquis, non ne alia sunt ossa præter maxillas, quæ copiosam possunt gignere materiam? Cur ergo non suppetunt ad regenerationem? Nulla sunt ossa, quæ simul & cauitates, & venas magnas habeant, sicut habent maxillæ. Lumborum vertebræ multis foraminibus sunt peruiæ, quæ venas lumbares admittunt, sed cauitatem non habent, nisi internam, quæ continet spinalem medullam. Femoris os cauitatem habet, non autem conspicuas venas. Cranium venas habet, non cauitatem.

2 Obijci rursus potest. Si dentes continuè augentur, cur in omni ætate non regenerantur? Crescunt continuè, cuius causa finalis est (vt satis in prima sectione manet explicatum) ne continuo attritu consumantur. Hoc ita est: sed augmentum pauciore indiget materia, quàm regeneratio: est namq; augmentatio à nutritione parùm distans: noua verò generatio magnæ molis est. Scio, Plinium narrare, quendam Zanclem Samotracem fuisse, cui post centumquatuor annos dentes fuerunt renati. Mihi contigit vidisse cucullatorum quendam magnæ sanctitatis virum Fr. Honorium, qui octogesimum transcendebat annum, & ei molares, ocularesq; renascebantur dentes. Sed iam supra diximus, ea, quę rarò eueniunt, non posse nos ad rerum causas inquirendas ducere.

Plin. lib. 11, c. 37.

Problema Sptimum.

1 C*VR si dentes renascuntur, excauati, aut secti non reficiuntur?* An quia durities, soliditasq; impedit transitum materiæ, quæ ad regenerationem partis requiritur, ad totius autem regenerationem patent amplissimi meatus? Solidissimi autem sunt, quia soli, præter ossium conditionem, foràs patent, & oportebat, posse causis, continuum soluentibus, resistere: minus verò damnum erat si frangantur, nequire refici, quàm facilem fractionem pati. Porrò cum sua duritie causis frangentibus resistant, minùs necessarium fuit ab ijs dolore: quare si secentur, aut frangantur, aut lima, aliouè instrumento radantur, non dolent. Sed rursus quia exteriùs positi, non erat conueniens, vt, quemadmodùm interna ossa, insensiles essent: iccirco causas, intemperiem inducentes, acutè sentiunt, & veluti metalla, calorem, frigusq; facillimè excipiunt, ac per se tota transmittunt, cum tamen figulina vasa longè laxiora, imbecillioraq; transmissionem tardiùs, languidiùsq; admittant. Quod fit, quoniam qualitas, vt extendatur promptissimè, meatibus non indiget, nam meliùs fit extensio per partes inter se magis coagmentatas. Substantiæ contrarium accidit; quippe vt multiplicetur, expostulat meatus, in quibus recipiatur.

Problema Octauum.

1 C*VR callus potiùs, quàm substantia, similis deperditæ, in membris spermaticis gignitur?* An quia imperfectū minùs efficace indiget agente, quàm perfectum, minùs etiam exquisitam expostulat materiam? Est autem

callus imperfectum quid, & inanimatum: imperfectionem eius indicat figuræ priuatio: siquidem nullam habet, sed pro vacui, quod implet, ratione augetur. Esse inanimatum colligitur ex eo, quòd non est ossi verè vnitum, sed sine noxa ossis potest ab eo separari, & solùm superficiei externæ ossis, non verò interiùs alligatur. Deinde quoniam vis informatrix in sene valde languida ingentem gignit callum: cumq; aliàs in ea ætate vix ossa possint sufficienter nutriri, multò minùs poterunt augeri, aut regigni. Præterea supra callum caro non adnascitur, nempe animatum supra inanime.

2 Materia est eadem, ac materia ossis, cum callus fiat ex eo humore, qui ex nutritione ossis remanet. Sed quæret quipspiam si ita est, cur etiam in osse sano non fit callus? Respondent aliqui, in fractura naturam necessitatis ergo augere suũ conatum: verùm non opus est hoc refugio: sufficit quòd calli materia non est elaborata, velut materia ossis, sed excrementitia, quæ retinetur ad implendũ spatium, quod impleri postulat: natura enim non minùs continui diuisionem in paruo mundo, quàm vacuum in magno abhorret. Accedit etiam materia, quam circumuicinę partes, non minùs, quàm ad vulneratam carnem, trasmittunt.

Problema Nonum.

1 *CVR membrum omnino sectum non reponitur, cum tamen arbores suos ramos, & multa animalia reponant caudas?* An quia formatrix, quæ post efformatum animal remanet, non permeat totam rei, quæ regignitur, substantiam, sed duntaxat superficie tenus accedit? Vt autem manus, aut digitus, denuò fieret, oporteret esse validam, quæ totam materiam permearet. Accedit paucitas materiæ, quæ nunquam potest sufficere reficiendæ parti integrę. Tandem pars instrumentalis secta constat ex seminalibus, quas regigni non posse, diximus. Caudas aliqua animalia reponunt, quia sunt excrementa, vt in nobis pili, & vngues. Rami in plantis regenerantur, quoniam & simplex est materia, ex qua cõstant, & alimentum semper terræ affixa habent, facultasq; iccirco tanta illis inest, quanta inerat priùs, cum generabantur: quippe cum toto durationis tempore radicibus terræ inhæreant, possunt dici esse semper in vtero materno: animalia non ita: quæ cum nobiliora sint, ac propterea sui iuris fiant, vteri materni conditiones deperdunt, vt alias præstantiores assequantur.

2 Cæterùm, vt hominum industria semper aliquid perficere laborat, inuenta fuit, non multis ab hinc annis, ars reficiendi nares deperditas, quod tamen Galenus, impossibile esse, existimauit. Verùm Gaspar Taliacotius celeberrimus chyrurgus, huius inuenti auctor creditur. Partem, in qua nasus deficit, scalpello scarificabat: vulnus deinde brachio patientis infligebat, & brachium sic vulneratum naso alligabat, vt vtraq; pars vulnerata se tangeret, & ita per plures dies persistebat, donec alimentum, quod ad brachi vulnus concurrebat, inseruiret etiam naribus: tunc ferro separabat brachium à naso, & caro informis, quæ ibi remanebat, ad libitum effigiabat. Vidi ego hominem, qui in orientali India militauerat, & in prælio amisit nasum, ei Indianus chyrurgus deperditum refecit, non ex brachio, sed ex fronte, quod apparebat ex valde magna cicatrice, quam frons præseferebat: erat quidem nasus optimè fabricatus, reliqua tamen carne rubicundior; Vnde videtur apud Indianos hanc artem non à Taliacotio acceptam, sed ab ipsis repertam fuisse, vt typographiam horologiorum conficiendi, & fabricandi tormenta bellica, priùs apud illos, quàm apud nos fuit. Non præteribo, quòd refectionem istam artificiosam non valde durabilem esse, audio: quippe pars illa, vt pote quæ arterijs, & venis non est admodùm exornata non admo-

Gal. 14. meth. c. 18.

Gaspar Taliacotius.

dum tolerat iniurias externas: quare hyemali tempore periculum est, ne homo se emungens nasum euellat.

Problema Decimum.

1 *CVR inter partes carnosas sunt etiam nonnullæ, quæ si vulneratæ, vlceratæuè fuerint, non sanantur?* An quia non ex parte suæ substãtiæ, sed ob aliquas circumstantias impedimenta habent, propter quæ vniri nequeunt? V. g. quæ sunt in perpetuo motu, vt pulmo: quomodò enim vnientur, si, vt vniantur, indigent quiete: vel quæ non habent vias purgationi necessarias: sic membra spiritalia, si vulnerentur, non resarciuntur: nam partes respirationi inseruientes, cum non habeant ductus, per quos expurgentur, sicut habet cerebrũ, & intestina expurgantur per impulsum, hoc est, per tussim, quæ concussu dilatat solutionem continui, neq; eam vniri sinit. Vel tandem quia membrum princeps est, in quo vulnus prius quàm vniatur, interimit: sic vulnus cordis, sic etiam vulnera, quæ ad cerebri ventriculos penetrant.

TEXT. XXXXVII.

SAnguis humidus, & sanguis solidus: sanguis humidus bonus: sanguis solidus malus. Ad aliquid omnia mala, & bona sunt.

COMMENT.

ACcipi communiter solet sanguis, pro quatuor humorũ, inter se proportionem seruantium, congerie: hoc superiùs satis manet inculcatum. Hic humidus, aut solidus dicitur ab Hippocrate, hoc est, fluidus, aut crassus: neq; enim in hoc auctore rerũ alioquin peritissimo, verborum exacta proprietas requirenda est. Porrò sanguis exquisitè bonus est substantiæ mediocris, qualem ex piscibus saxatilibus fieri, dixit Galenus: quippe *Alimentum, quod ex eis sumitur, non modò ad coquendum est facile, sed hominum etiam corporibus est saluberrimũ, vt quod sanguinem medium consistentiæ generet. Medium autem voco, qui neq; admodùm tenuis est, neq; aquosus, neq; vehementer crassus. At cum magna huius medij sit latitudo*, &c. Iam ergo

G. 3. alim. facult. c. 28.

ex Galeno habemus duo explicationi præsentis contextus valde necessaria. Vnum est, sanguinem saluberrimum, quam absolutè bonum possumus appellare, esse medium consistentia: vt hinc addiscamus, quicquid ab hoc medio discedit, posse quidem esse bonũ, sed non ampliùs absolutè bonum, at duntaxat bonum respectu alicuius tertij: similiter posse etiam esse non absolutè malum. Alterum, quod addiscimus, est: hoc medium, cum latitudinem habeat, posse dici de sanguine tenui, posse etiam de crasso, dum adhuc sanguinis formam retineat: nam sanguis, qui huius latitudinis limites transgreditur, tenuitate fit bilis flaua, crassitudine atra.

Sanguis humidus, & sanguis solidus. Quoniam diximus, sanguinem humidum appellari hoc loco sanguinem, qui fluidus est, sanguinem solidum eum, qui est crassus, num autem ad tantam crassitudinem perueniat, vt iam in grumos sit conuersum, & sic maneat adhuc sub forma sanguinis, separatam expostulat contemplationẽ.

Sanguis humidus bonus. Fluidus fit sanguis à calore liquante, sed semper ante oculos habere oportet latitudinem quandam in omni re considerãdam esse: nam si sanguis, plus nimio liquatus, maius spatium, quàm occupabat

bat anteà, occupet, fit plenitudo, licèt sanguine non aucto. Si verò liquatus sit, quantum oportet, facilem per venas acquirit transitum, & particulis nutriendis apprimè insinuatur.

Sanguis solidus malus. Vt pote qui à calore vehementiore, quàm decet, exsiccatur, aut à frigiditate concrescit, & vtroq; modo crassitie sua est ineptus ad nutriendum, aptus ad obstruendum.

Ad aliquid omnia mala, & bona sunt. Hæc verba explicant latitudinem: nã tenuitas, & crassities sanguinis vtrũq; potest esse bonum simpliciter, si in summo puncto mediocritatis consistant: potest esse bonum secundùm quid, hoc est, respectu habito ad illud extremum, ad quod magis inclinat: v. g. sanguis inclinans ad crassitiem est bonus respectu crassi absolutè, est malus respectu absolutè mediocris.

AN SANGVIS SVAPTE natura sit fluidus.

QVAESTIO DECIMASEPTIMA.

Argumenta pro parte negatiua.

Articulus Primus.

1 CVM sanguis suapte natura sit factus, vt ex eo nutrimentum omnibus membris suppeditetur, videtur necessarium esse, vt suapte natura cõcrescat, quando scilicet in ossium nutrimentum conuertitur. At si suapte natura concrescit, non est suapte natura fluidus: neq; enim vni, & eidem rei duo contraria secundùm naturam inesse possunt.

2 Deinde sanguis suapte natura est fibrosus: quippe sinè fibris non posset (vt inquit Fernelius) in solidiorem substantiam conuerti, ac per consequens non nutriret: & licèt in calido adhuc sanguine non conspiciantur, tamen experimento constat, eas adesse: nam si tepidus, vel calens per linteum percoletur, ac transfundatur, vel agitetur, cum refrigeratur, apparent, vel immissa aqua frigida in peluim, statim ac refrixit, delabuntur fibræ albæ ad fundum, quas aliqui arbitrantur (falsò tamen) esse pituitam. Statim autem ac detractæ sunt fibræ, cessat à concretione sanguis. *Fern. l. 6. physiolog. c. 7.*

3 Tertio. Sanguis in grumum conuersus non est putrefactus, ergo nec corruptus: corruptio quippe sanguinis putrefactio quædam est: vnde Galenus de febre ex putredine sanguinis verba faciens inquit: *Nam hæc* (scilicet caliditas natiua) *coquere apta est, externa autem corrumpere, quod est putrefacere*. Quòd autem grumus non sit sanguis putrefactus, ostenditur exemplo lactis: nemo enim lac concretum putridum esse, dicet. *G. 2. diff. feb. c. 9.*

4 Quarto. Sanguis potest concrescere, est ergo potentia concretus: res autem in potentia non differt essentialiter à se ipsa in actu: ergo quando est concretus, est etiam sanguis.

5 Tandem si concretio est contra sanguinis naturam, sanguis concretus non est sanguis: hoc tamen est falsum: nam ex eo discernit Galenus sanguinem ab atra bile, quòd ille concrescit, hæc concrescere non potest. Si ergo sanguis, dum concrescit, est sanguis, cum verò iam concrescere nequit, transit in alteram formam, nempe atram bilem, manifestum est, non aduersari naturę sanguinis concretionem, & subinde non esse ei perpetuam, & secundùm naturam, fluxibilitatẽ: nam si perpetua, vtiq; à natura est. *G. 4. aph. 23.*

Pars affirmatiua recipitur, & suis rationibus fulcitur.

Articulus secundus.

1 VEritati consonum magis est, sanguinem natura sua esse fluidum, & cõcrescere præternaturã: quod constat in primis ex communi appellatione: quippe sanguis est humor, at de ratione humoris est fluxibilitas. Hoc ex definitione tradita ab Auicenna: *Humor est corpus liquidum, & humidum, in quod in primis nutriens conuertitur:* vbi humidum intelligitur, hoc est, fluidum, nempe humidum actu: nam alioquin bilis, & melancholia duo humores potestate sicci, non dicerentur humores.

Auic.

2 Secunda ratio etiam ab appellatione accipitur: quandoquidem sanguis cõcretus grumus dicitur, non verò sanguis: hoc ex Galeno elicitur, qui ait, *Fieri videmus, non permanere sanguinem, cum à suo loco exciderit, sed aliquando suppurari, aliquando nigrescere, aliquando in grumos verti.* Et alibi: *Si in ventriculis vuluæ iam diu collectum menstruum continetur, non ampliùs sanguis is erit, sed concretus sanguis, quem θρόμβον græci dicunt.* Itaq; sanguis desinit esse sanguis, quando desinit esse fluxilis, hoc est, quando est concretus. Manifestum ergo relinquitur, fluxibilitatem pertinere ad naturam sanguinis.

G. 6. aph. 20.

G. 1. de semin. c. 4.

3 Tertio. Præter omnem rationem foret, sanguinem in suo statu naturali, videlicet concretum, esse ineptum ad suum finem consequendum, videlicet ad nutrionem: quippe nec per venas permeare, nec à maioribus vasis in capillaria delabi, nec ab osculis capillarium egredi posset, si concretus foret. Dicet tamen aliquis, hoc argumento solùm ostendi, fluxibilitatem esse conditionem, sinè qua non potest sanguis nutritioni inseruire, non tamen hinc inferri, sanguinem, si concrescat, propriam amittere naturam. Nos autem quærimus, an fluxibilitas sit de natura sanguinis, non autem, an sit ei necessaria ad munus suum obeundum: multa namq; non sunt de essentia, & natura rei, & tamen sunt adeò necessaria, vt sinè ijs operatio edi nequeat: & hæ sunt cõditiones: sinè quibus non. Huic obiectioni respondeo, conditiones sinè quibus non multa comprehendere: nonnunquam enim sunt aliquid negatiuum, vt prohibita ventilatio, quæ est priuatio quædam, inducens, per acccidens putredinem: aliquando verò sunt aliquid positiuum extrinsecum, vt approximatio agentis ad passum in distantia debita: est enim conditio, sinè qua non fiet actio: interdum etiam est quid positiuum internum, & tũc licèt non componat essentiam rei, profluit tamen ab ea: e.g. figura membri est conditio, sinè qua membrum non potest agere, & ab essentia substantiæ profluere dicitur.

4 His positis dicendum est, fluxibilitatem in sanguine esse conditionem sinè qua non, sed necessariam necessitate positiua: quippe eius merito sanguis per mẽbra penetrat: esse intrinsecam, & ex essentia: siquidẽ sanguis essentialiter est humor, & subinde essentialiter fluxibilis. At concretio est extranea, quippe in fibris consistit, quæ separari à sanguine possunt: iccirco Aristoteles, *Fibræ,* ait, *inter neruum, & venam suam habent naturam, & nonnullæ humorem, saniem appellatum, continent, tenduntq; à neruis ad venas, ac inde ad neruos. Secundum etiam genus fibrarum est, quod consistere in sanguine solet, quamquàm non cuiusq; animalis. Spissari autem sanguis non potest, si id genus fibrarum detrahatur: spissatur verò, si non detrahatur.* Et quæ sequuntur. Iccirco igitur sanguis ceruorum, & damarum (eodem auctore) cum fibris careat non concrescit. Taurinus verò sanguis valde fibrosus momento concrescit. Habemus exemplum in sanguine morboso, qui putredine in saniem reductus, nec fibras habet, nec concrescit.

Ar. 5. de hist. anim. c. 6. & c. 19. & 2. de part. anim. c. 4 & 4. meteor. c. 10.

Solutio

Solutio ad argumenta pro contraria parte adducta.

Articulus Tertius.

1 AD primum argumentum ex ijs, quæ pro contraria parte superiùs adduximus, respondendum est, sanguinem non concrescere, vt in ossium alimentum conuertatur: priùs enim amittit formam sanguinis, quàm euadat substantia ad nutriendum apta: fit enim ros, & cambium, posteà gluten, atq; ita successiuè naturam mutat, priùs quàm concrescat.

2 Ad secundum. Iam satis demonstratum est, sanguinem non esse necessariò fibrosum. Neq; admittendum est Fernelio, sanguinem, nisi fibrosus esset, non posse conuerti in substantiam solidiorem: quippe conuincitur exemplo ceruorum, qui ossa quidem habent, & reliqua membra solida, quæ ex sanguine illo non fibroso concrescunt.

3 Ad tertium. Si latè accipiamus nomen corruptionis, & putredinis, vel potiùs si his nominibus velimus abuti, putredo, & corruptio simul conuenient: si verò exactè loquamur, corruptio differt à putredine, & est genus in definitione putredinis positum comprehendens alia, videlicet vstionem, exsiccationem, solutionem. Est igitur sanguinis concretio impropria, & abusiua putredo: quippe vera putredo fit à calore extraneo, sanguis verò concrescit à frigore. Sed hìc tria pullulant dubia, quæ soluere oportet, antequàm vlteriùs progrediamur.

4 *Primum dubium.* Non videtur verum, concretionem sanguinis fieri à solo frigore: quippe etiam fit à calore, &, vt initio diximus, vel à frigore constringente, vel à calore absumente concrescit sanguis. Hoc quidem ita est: sed à calore potiùs dicitur exsiccatio, siue exsuccatio: cum enim sanguis à calore induratur, multæ partes depurduntur: nempe non solùm tenuissimæ, sed mediocres etiam: à frigore verò coagulatio fit deperditione paucarum partium, earumq; tenuissimarum.

5 *Alterum dubium.* Admittitur quidem, putredinem propriè sumptam differre à corruptione: sed cum additur, sanguinis concretionem non esse putredinem, esse tamen corruptionem, hoc videtur liberè dictum, ac propterea probatione indiget; Nam quòd non sit putredo, potest admitti, quod autem sit corruptio non apparet, vnde probari possit: si enim quispiam dixerit, esse corruptionē, quia mutatur sanguis in alteram substantiam, & sic corrumpitur forma sanguinis, hoc est, quod inquirimus: quare reddet nobis loco responsionis id, quod continet interrogatio: hoc autem appellant logici principium petere. Respondendum ergo censeo, priùs supponi, grumum sanguinis esse substantiam diuersam à sanguine, quod auctoritatibus, & rationibus manet demonstratum. Supposita hac doctrina, cogimur fateri in concretione mutationem substantiæ, ac subinde corruptionem formæ sanguinis: Cum autem hæc corruptio non sit putredo, vt ex concessis accipimus, reliquum est, vt dicamus, grumum esse sanguinem non putridum, sed corruptum.

6 *Tertium dubium.* Sanguinis concretio fit à frigore, liquatio à calore: sanguis autem (vt resoluimus in superioribus) est temperatus, saltem in ea latitudine, quæ parùm ad caliditatem inclinat: at paucus iste calor non sufficit ad liquefactionem. Occurrit ergo dubitare, si concretio sanguini aduenit præternaturā, quoniam fit à frigiditate, quæ sanguinis naturæ repugnat, erit etiam præternaturam liquatio, quæ fit ex calore nimio: calor namq; nimius sanguini præternaturam est, secundùm naturam autem intra limites temperati. Huic dubitationi iam videmur respondisse: nam vt calor temperatus suam habet latitudinem, sic etiam

Sup. sect. 3. q. 5.

liquatio:

liquatio: quare sanguini tanta fluxibilitas, quanta sufficit ne concretus dicatur, est secundùm naturam, & hæc fit à calore existente intra limites temperati: maior verò liquatio maiorem calorem arguit, & vtrumq; præter naturam.

7 Ad quartum argumentum dicimus, sanguinem nō dici potentia concretum: quippe concretum dicitur id, quod actu concretionem habet, concretio autem in potentia, quæ inest sanguini, potest quidem reduci ad actum, fietq; sanguis concretus non iam sanguis, sed grumus: neq; enim, vt ex iam dictis constat, potest simul esse concretio, & liquiditas: hæc est de natura sanguinis, illa contra eiusdē naturam. Multa sunt, quæ potentiam habent ad aliquid, ita tamen, vt sub eo non possint permanere. Cor potentiam habet passiuam (de hac nunc loquimur) ad continui solutionem: cæterùm soluta eius continuitate, perit. Quare non est recta argumentatio, A. potentiam passiuam habet, vt ex eo fiat B. ergo B. est de essentia A. sed debemus addere, A. potentiam habet, vt permanens ad huc A. sit actu B. ergo B. est de essentia A. quod in casu nostro locum non habet.

8 Ad vltimum. Rectè Galenus discernit sanguinem ab atra bile: quòd dum sanguis sub sua forma manet, concrescere potest, cum mutat formam, & conuertitur in atram bilem, iam non ampliùs concrescere potest. Sed hoc non impugnat nostram sententiam: quippe non negamus, sanguinem posse concrescere: negamus tamen, si concrescat, remanere adhuc sub forma sanguinis. Sanguis per adustionem mutatur in atram bilem, & per adustionem amittit fibras, quarum merito erat concrescibilis, vtrumq; ab vna, & eadem causa, nihilominùs non desinit esse sanguis, quia desinit esse concrescibilis, (nam aliàs sanguis ceruorum non esset sanguis) sed desinit esse sanguis, quia passus est nimiam adustionem, quæ, præter quàm quòd corrupit formam sanguinis, introducta forma atræ bilis, aliud etiam præstitit, hoc est, absumpsit fibras. Siquis quærat, quid est grumus, quippe nec bilis atra, nec flaua est nec pituita, respondebo, non esse humorem quoniam iam amisit fluxibilitatem: esse substantiam excrementosam nocuam, velut est mucus narium, & aurium sordes. Siquis appellet sanguinem æquiuocè, per me licebit.

TEXT. XXXXVIII.

VIA sursum deorsum vna.

COMMENT.

PRoponit nobis hoc loco Hippocrates illud κατ' ἴξιν, id est, secundùm rectitudinem, toties ab eo inculcatum: cum enim in sanguine fluxibilitatem laudauerit, huius fluxibilitatis vtilitatem non paruam commemorat, videlicet eius beneficio posse sanguinem, tum à natura, tum ab arte secundùm rectitudinem educi. Natura in affectibus iecoris sanguinis fluxum molitur per dextram narem, in affectibus lienis per sinistram: hoc si aliter eueniat, praui ominis res est: quippe perturbationem naturæ, non obseruantis suas met leges, significat. Natura artem manu ducit, quare artifex similiter, quo ad potest, rectitudinem obseruat. Consistere rectitudinem in dispositione meatuum, quibus corpus nostrum vniuersum est perforatum, in tractatu, qui inscribitur *Quæ ex quibus*, ex professo pertractaui. *Quæ ex quibus*

Dixi, medicum obseruare rectitudinem, quo ad potest, nam aliquando, cum facilis sit deductio secundùm rectitudinem à supernis ad inferna, non ita facilis est è contrario ab infernis ad superna propter pondus humoris ad inferiora suapte naturæ vergentis. Hoc coegit Galenus, vt diceret, *Manu laborante, scarifica crura, altero crure malè habente, reliquum.* Hoc est, facilis est delapsus à manu ad crus, quia sanguis suæ propriæ grauitati obsecundans, facilè ad inferiora deducetur: & in hoc casu rectitudo seruanda est. *Gi 13. meth. c.5.*

est. At verò malè affecto crure, deductio, quæ ab inferioribus ad superiora facienda est, non similiter est facilis: obstat enim sanguinis grauitas: tunc autem, relicta rectitudine, confugere oportet ad communitatem venarum: bifurcatur namq; vena, quæ nutrimentum ad crura deducit.

Aliter possumus hæc verba, *Via sursum deorsum vna*, interpretari: nẽpe diuidentes corpus in suas quadras, duas inferiores, & duas superiores, & accipientes imam partem cuiusuis superioris, cum summa parte quadræ inferioris sibi respondentis, & ibi *Via sursum deorsum vna* erit. Hinc Galenus, *Renes*, inquit, *cui parti adscribi debeant, ambigunt*. Quare iuxta hanc doctrinam, *Via sursum vna*, quia nẽpe & possumus ex brachio, & ex pede sanguinem in renum affectibus extrahere. Similiter quando Hippocrates in dolore, qui eas, quæ sub septo trãsuerso sunt, partes infestauerit, purgante vtitur medicamento, Galenus non damnat hanc curationem ratione loci, sed ratione commotionis, quæ à medicamento purgante fit: quare præfert sanguinis missionem. Posset ergo, sicut purgatio per inferiora deducit, sanguis extrahi per inferiora, hoc est, per saphenas: sed quoniam hæc sectio tardum afferret auxilium, dolor autem citum expostulat, secantur venæ giberi, quamuis aliàs ratione loci *Via sursum deorsum vna*.

Ga. de rat. cur. per sang. miss. c.18.

H.G.2. de vict. acut. tex.11.

TEXT. XXXXIX.

Potentia alimenti melior, quàm moles, moles alimenti melior, quàm potentia, & in humidis, et in siccis detrahit, & apponit idem, & alteri quidem aufert, alteri apponit idem.

COMMENT.

Comparat auctor alimenti facultatem, seu potentiam, cum eiusdem substantia quanta, quam appellat molem. Expositores communiter hanc comparationem in eo sensu accipiunt, vt scilicet potentia nutriendi in alimento, cum vires roborare intẽdimus, melior sit, quàm moles: nam tunc vtimur alimento, quod in pauca quantitate multam habeat alendi potentiam: E contrario in alijs, quos appetentia valde vrget, sed periculum est, ne incidant in plenitudinem, vtimur cibarijs, quæ sua mole satient, sua potentia parum nutriant.

Iuxta hanc interpretationem, comparatio inter alimenti facultatem, & eiusdemmet molem est secũdum magis, & minùs: siquidem comparatur maior facultas, minorq; moles, cum minore facultate, moleque maiore: quod non tolerant verba contextus. Deinde supponitur, facultatem alimenti esse rem diuersam ab eius mole, cum tamen alimentum sua mole nutriat.

Cogor igitur aliter hæc verba interpretari. Alimentum exactum nullas manifestas qualitates habere debet, (quod Galenus longo satis discursu demonstrat) manifestas dico, nam prorsus ἄποιον, hoc est, omnino qualitatis expers, nullum est. Porrò quod alit, meritò suæ molis alit, hoc est, deperditam molem reponit: quod verò alterat, merito suæ qualitatis alterat. Hoc supposito, alia præterea suppositio statuenda est: videlicet quamuis substantia, & temperamentum (substantiam medicè accipio) ex mistione elementorum resultent, non tamen pari passu currere: quippe possũt duo similia in substantia, v.g. æqualiter rara, aut densa, aut molli, aut dura, diuersis prædita esse temperamẽtis: possunt & duo diuersas habere substãtias, temperamentum verò vnum, & idem. His sic statutis, accedo ad verba contextus.

G.1. alim. facul. c.1.

Poten-

Potentia alimenti melior, quàm moles. Quasi dicat Hippocrates, datur alimentum, quod sua qualitate, suo, inquam, temperamento, iuuat, nempe alteratione vtilitatem inducente, vt quod refrigerat excalfactum, aut calefacit refrigeratum. Hoc tamen alimētum sua mole, nempe sua substantia non iuuat. Exemplo in primis nobis sint flores, v. g. rosarum, aut borraginis, & similium, quorum qualitates præstantissimæ sunt, moles autem ad alendum valde inepta, & ferè inconcoctilis. Lactuca sua qualitate frigida æstui medetur, siccitatem corrigit, vigilias domat, eius autem moles molem corporis valde laxā reponit, neq; commodum præstat membris nutrimentum, sicut nec alia etiam olera, quorum tamen multa qualitates habent laudabiles.

Moles alimenti melior, quàm potentia. Sunt è contrario alimenta, quæ molem suam valde aptam habent ad restaurandam nostri corporis molem, cæterùm qualitates non bonas. Caro suilla similem substantiæ nostræ substantiam præstat, nec aliud est nutrimentum, cuius substantia substantiæ nostri corporis magis assimiletur, quā istud: quod tamen qualitate sua, nempe humiditate, superfluat, corpus multis cruditatibus implet, obstrutionibusq; materiam præbet. Lac substantiæ bonitate substantias reliquas superat, nihilominùs qualitate valde humida facilè in ventriculo corrumpitur.

Ex his ergo patet, alimēta quædam esse, in quibus potentia est melior, quàm moles, hoc est, quæ qualitate sua vtilitatem afferre possunt, mole autem, hoc est, quatenus substantiam reponunt, non ita: alia autem, qualitates prauas habentia, ad reponendam molem aptissima esse. Sic agnoscimus, quantum interest inter nutrire, & alterare, & possumus his, aut illis alimentis pro necessitate vti. Imò scire oportet, ex hac differentia ortum habere condimentorum vsum; Nam eorum, quæ condiuntur, quædam solent condiri, vt eorum qualitates prauæ emenduntur, sicut quando pisces, & alia cibaria frigida aromatibus condiuntur: alia verò condiuntur ad corrigendos defectus substantiæ, vt quando viscidis acetum miscetur ad incidēdum. Sal verò, qui condimentum est optimum, & laxam substantiam comprimit, & duram emollit: quare omni cibo vtiliter admiscetur.

Et in humidis, & in siccis detrahit, & apponit idem. Nunc, quasi adhibitis exemplis, prædictam doctrinam enucleat. Quod attinet ad qualitatē, victus siccus humiditatem è corpore detrahit, humidus corporibus siccitate laborantibus humiditatem apponit. Sic affectibus catarrhosis, qui humiditate superflua peccant, victu exsiccante medemur: exsiccatis verò, habitu videlicet gracili præditis, conuenit victus humidus. Siquis verò obijciat infantes, qui humidi cùm sint, victum tamen humidum à natura preparatum, nempe lactem, habent, respondeo, aliud esse agere de conseruatione, quę, vt superiùs diximus, similibus peragitur, aliud de curatione, quæ fit per cōtraria: hìc loquimur de curatione, cui (ex libello de flatibus) conuenit detractio, & additio, nunc etiam *Attrahit, & apponit idem.* Quod verò attinet ad substantiam, vbi substantia corporis laxa est, substantia laxa, quæ humida appellari potest, *detrahit,* nēpe quia ad faciliorem dissolutionem facit: substantia dura, quæ sicci nomine significatur, duris esculentis detrahitur, quia ineptior fit ad suscipiendū nutrimentum: obstat enim nimia durities, ne alimentum poros ingrediatur. E contrario humidis cibus durus substantiam reponit: sic anasarca laborantes, qui laxitatem carnis patiuntur, cibis solidioribus nutrimus, hectica laborantes, qui ex siccitate duritiem contraxerunt, lacte, humidissima substantia nutrimus.

H. de flatib.

Et alteri quidem aufert, alteri verò apponit idem. Quasi se ipsum declarans ait, prædictam contradictionem

solui, si eam intelligamus respectu diuersorum, vt idem alimentum, quod vni aufert, alteri apponat, vt ex iam dictis constat.

TEXT. XXXXX.

VEnarum pulsationes, & respiratio spiritus, iuxtà ætatem, & consonantia, & dissonantia sunt, & morbi, et sanitatis signa, & sanitatis magis, quã morbi, et morbi magis, quàm sanitatis.

COMMENT.

NON est in hoc libello admodũ spectanda connexio sententiarum: nam in superiore continebatur doctrina pertinens ad partem artis diæteticam, in præsente ad simioticã: siquidem duo præcipua signa, tum in sanitate, tum in morbis consideranda (pulsum, & respirationem) nobis proponit. Hinc colligi potest, verum esse id, de quo multi, cum Galeno dubitant, videlicet, Hippocratem signa ex pulsus sumpta non omisisse: quod † tamen seorsim tractare, erit operæ pretium.

Sup. tex. 34. huc sect. q. 2. *Venarum pulsationes.* Fuisse aliquando arterias expressè nominatas, constat ex hoc libello superiùs, cum ait, *Radicatio arteriarum cor*: easdem tamen frequenter venas appellat, & cum addito venas micantes, venas pulsantes. In præsente ergo cum dicat, *Venarum pulsationes*, manifestè intelligit arterias. Agit simul de pulsu, & respiratione, non quòd vtrumq; Pag. 172. sit vnum, (vt me putasse, ait Satyrus, qua scientia, qua vè conscientia ipse viderit, vident quotquot Sup. sect. 3 q. 24. art. 1. n. 13. bacchanalia illa legunt) sed quoniam, licèt differant in efficiente, conueniunt in fine. Differunt in efficiente, quoniam respiratio fit à facultate animali per musculos, pulsatio à vitali per arterias: conueniunt in fine, imò & in officio: vtriusq; finis est, cordi, & facultati vitali, in corde existenti, præstare auxilium: vtriusq; officium, aërem attrahere, & expellere fuligines. Conueniunt in numero causarum continentium, quoniam vtriusq; causæ continetes sunt tres, facultas, instrumentum, & vsus. Conueniunt tandem in necessitate ad vitam: quoniam & sinè pulsu, & sinè respiratione nequit homo viuere, quod ignorat Satyrus, satis iam superiùs castigatus. Coueniunt Pag. 173. insuper in modo agendi, scilicet per systolen, quæ in respiratione est expiratio, & diastolem quæ inspiratio est, & duas quietes internam, & externam.

Duo tamen sunt, in quibus num æquiparentur, an alterum ab altero vincatur, dubitatio esse potest: vnum est necessitas ad viam, alterum nobilias. Necessitatem maiorem esse respirationis, Galenus arbitratur quippe ait, G. de vsu puls. c. 1. *Respirationẽ si cui adimas, ilico mortem afferes* (tecum loquitur, Satyre, qui sinè respiratione viuere animal putas) *at pulsu si per multas particulas priues, non magnoperè lædes; Quippe si vel arterias, quæ per inguina descendunt ad crura, vel quæ per alias feruntur ad manus, laqueo cõplectivelis, vniuersas quidem, quæ in his artubus arteriæ habentur, pulsu priuabis, non tamen artubus ipsis aut voluntarium motum adimes, aut etiam sensum.* Sic Galenus: cuius verba iam in superioribus me considerasse, memini. Quod ad præsens attinet, est, eius opinionem esse, respirationem magis necessariam ad vitam esse, quàm pulsum arteriarum: quoniam ligatis arterijs non perit animal, ablata respiratione perit. Attamen videtur mihi, inter imparia factam esse comparationem neq; enim conferre debuerat aliquas arterias impeditas cum tota respiratione ablata: nam sic aliqua membra etiam respiratoria impediũtur, nec propterea perit

animal. Oportebat inquirere, an cessante vniuersaliter arteriarum pulsatione intereat animal, sicut interit cessante respiratione. Quòd si ita comparasset, profectò vtriusq; parem reperisset facultatem. Imò verò qui hystericas mulieres sinè respiratione viuere existimāt, non admittent easdem viuere sinè pulsu. Adeò necessaria est ad vitam arteriarum pulsatio, vt cum pulsu intermittente per duarum pulsationum spatium non viuere animal, Galenus met affirmet. Dicet tamen aliquis, motū arteriarum deperditum esse signum lethale, non tamē causam, ac proinde non arguere necessitatem pulsus ad vitam, sed duntaxat significare facultatis, à qua procedit, nempe vitalis deperditionem. Ego tamen interrogabo, quorsum natura fabricauit arterias? Respondebit, iuxtà Galeni doctrinam, ad tuendum partium calorem, non tamen cordis, sicut tuetur respiratio. Hoc nequaquā est admittendū: seruant arteriæ cum corde eundem rithmū, & simul cum corde dilatantur, & cōtrahūtur quod Galenus met fatetur, nempe vt dilatatę arterię attrahant aërem, & eodem tempore cor, dilatatum ab ijs, aërē similiter attrahat, & sic in fuliginum expulsione accidat. Præterea initijs febrium, quando crudis fuliginibus abundat cor, arteriarū contractiones fiunt maiores, quod accidit, quoniam arterię ab illis expurgant cor in augmento, quando cor æstuat, dilatatio arteriarum augetur, vt cordis incendio auxilium noui aëris attractione ferat. Iam igitur pulsatio arteriarum non particulis modò, sed cordi præcipuè inseruit. Accedit, quòd arteriæ non sunt duntaxat externę, sed etiam internæ, quarum munus est, calorem viuificum in vniuersa membra deferre, sinè quo vita constare nequit.

Galen.

Vide sup. c. 3. & de pręsagitione ex puls. c. 6.

And. Lau. li. 9. q. 19.

Nec verò admittam Andreæ Laurentio, pulsum quidem cordis, non autem arteriarum, necessitate respirationem superare, minoremq; esse necessitatem ad vitam, pulsus, quàm respirationis; non, inquam, hoc admittam: nam licèt verum sit, pulsum cordis, cui reliqua inseruiunt, magis necessarium esse, quàm arteriarum motum, & respirationem, nihilominùs respiratio, & arteriarum pulsus parem locum in necessitate habent: quòd si alteri eorum præstantia tribuenda est, eam pulsus meretur: siquidem respiratio necessaria est, vt cordi refrigerium præstet aërem inducens, & fuligines expellens: pulsus verò præter quàm quòd hæc duo munera obit, est etiam caloris in vniuersum corpus delator.

De nobilitate etiam certamen est. Andreas Laurentius, pulsum, ait, respiratione nobiliorem esse, tum quia organum pulsus nobilius est, nempe cor, tum etiam quia finis præstantior est ijs, quæ diriguntur ad finem: at respiratio ad conseruationem pulsus instituitur: addit, quòd spiritus aëre est præstantior. Parcat tamen mihi, in hoc videtur, toto, vt aiunt, cœlo errare. Loquimur de pulsu arteriarum: hic ne à nobiliore fit organo, quàm respiratio? Imò minimè: pulsus arteriarum, organum est arteria; respirationis musculus. Organum ne, à quo fit pulsatio, cor esse, ait? At ego organum, à quo fit respiratio, cerebrum esse inquio. Cerebrum nobilitate pręstare, iam hoc opere à me dictum est: quippe nobilius est benè viuere, quàm viuere: viuitur vitali facultate, viuitur nobiliore vita facultate animali: magis necessaria est facultas vitalis, nobilior tamen animalis, neq; enim necessitas nobilitatem infert: exemplo est sensus tactus, qui magis necessarius, minùs tamen nobilis est, quàm visus. At inquit Laurentius, respiratio ad cōseruationem pulsus instituitur: at ego è contra dicam, pulsus ad conseruationem respirationis instituitur. Quid ni? Non ne arteriæ deferunt spiritus vitales ad cerebrum, ex quibus fiunt animales, sinè quibus facultas animalis non constaret, ac proinde motrix non posset suo munere fungi, respiratio autem motricis facultatis soboles est?

And. Lau. ibid.

†

Addit

Addit vltimo, spiritus aëre est præstantior: responsionem habebit ex verbis huius contextus, quæ sic habent.

Et respiratio spiritus. Quam hoc loco respirationem spiritus appellat, communiter spiritum solet appellare: vt hinc vel maximè pateat, immeritò Andream Laurentium ratione spiritus pulsum respirationi prętulisse: imò verò instrumenta respiratoria spiritualia appellantur: nec dicendum est, pulsationem spiritibus fieri, nam Galenus aduersatur, experimento ostendens, facultatem pulsatilem, non per cauitatem arteriarum, per quam feruntur spiritus, demandari, sed per earum tunicas.

Gal. quod sanguis in art. cont. c. vltim.

Iuxtà ætatem. Addere possumus & sexum, & anni tempus, & reliqua: quippe tam pulsus, quàm respiratio à rebus non naturalibus mutantur. Superuacaneum foret hìc explicare, qui pulsus cuilibet ætati, cuilibet sexui, & cuilibet etiam alij ex rebus non naturalibus debeantur: nam & exercitatio, & passiones animi pulsuum, respirationumq; mutationes efficiunt. At in ætatibus diuersis diuersos pulsus esse, fatebitur vnusquisq; : in varietate respirationis pro ætatum varietate forsitan hæsitabit: desinet tamen hæsitare, si Galenum audiat in hunc modum dicentem: *Quibus itaq; pueri calidiores adolescentibus esse videntur, hi talem referent causam, crebrioris ipsorum respirationis: quibus autem adolescentes calidiores pueris videntur, hi prædictã causam non admittent. At qui de senibus nemo dubitat, quin sint multo, tum pueris, tum adolescentibus frigidiores: testimonium autem frigiditati præbet ipsa respirationis species, quæ in eis minor fit, & rarior.*

G. de vtil. resp. c. 4.

Et consonantia, & dissonantia sunt. Si pulsum, & respirationem inter se conferamus, iam dictum est, & consonantia, & dissonantia esse, quia partim inter se conueniunt, partim diffident. Et nunc possumus addere, vtriusq; armoniam & consonare, & dissonare: consonat, quia ab iisdem causis externis, à quibus variatur respiratio, variatur etiam pulsus: cũ enim vtriusq; vnus, & idem sit vsus, cum rursus vsus ab externis causis alteretur, vtriusq; variationem admittere oportet. Dissonat autem vtriusq; armonia, quoniã arteriæ pulsant ad rithmum cordis, respiratio verò non ita.

Si verò *Consonantia, & dissonantia* accipiantur non facta comparatione vnius ad alterum (quod magis explicationi contextus quadrat) tunc efficacia sunt signa ad bonum, si consonent, ad malum, si dissonent.

Et morbi, & sanitatis signa. Pulsus constans, & respiratio libera præclarissima sanitatis sunt signa: cũ enim sanitas symetria sit, aut saltem ex symetria, hanc qui tueri debet, nisi, quæ morbis etiam medetur, natura? Magis proprium enim est ipsi sanitatem conseruare, quàm morbis mederi: neq; vnum, neq; alterum rectè præstat, nisi valeat. Natura igitur, hoc est, innatus calor, quomodo se nobis inculpatum esse ostendet melius, quàm per eius adminicula? Hæc autem sunt pulsus, & respiratio, duæ scilicet actiones caloris innati tutelares. Dicat ergo Hippocrates coctiones sanitatis securitatem ostendere: sanitatis, inquam, futuræ: at præsentem pulsus, & respiratio indicant. Præterea sanitas, quæ coctione significatur, in respirationis, pulsusq; ad naturalem statum reductione consistit.

H. 1. epid.

Nec minus præstantia signa sunt pulsus, & respiratio in morbis. Nam tum difficultas spirandi, tum pulsuum paruitas, & frequentia medicos in morbis penitus deterrent: maximè cũ excusationem non habent, vel instantis crisis, vel occasionis externæ. Itaq; & ad cognoscendam speciem morbi, vtrum ex causa calida, an ex frigida procedat, ad cognoscendam partem affectam, vtrum membra spiritalia occupet, an non, ad cognoscendum periculum, an facultates scilicet, à quibus duæ istæ actiones procedunt, sint

debiles, ad omnia hæc sunt accommodatissima signa.

Et sanitatis magis, quàm morbi. Aliquando maioris momenti sunt ad cognoscendam sanitatem, quàm morbum; Nam in morbis thoracis, licèt respiratio sit frequens, pulsus etiam creber, & durus, hæc nos non perterrent: quippe sunt symptomata, quæ morbo ex propria ipsius natura debêtur. Si verò in ijsdem morbis hæc incipiant se in meliorem frugem recipere, festiua, & læta sanitatis sunt signa.

Et morbi magis, quàm sanitatis. Possumus hìc quasi per similitudinem afferre ea, quæ Galenus de vrinarum inspectione in morbis, quorum causa est extra venas, scriptum reliquit; inspiciendas namq; vrinas esse, ait: *Nam si bona appareant, haud magnum præbent momentum ad salutem: contra si praua amplificant simul ægri periculũ:* quia scilicet malum iam humoribus intra venas existentibus communicatur. Sic respiratio, & pulsus in morbis partium naturalium, si boni sint, nihil ad sanitatem nobis bonum denunciant: si praui, ostendunt morbum ad membra spiritalia iam ascendere, vt in schyrro iecoris, quod non, nisi postquàm nimis increuit, lædit respirationem, & subinde pulsum: paruus enim tumor sinè febre esse potest.

AN HIPPOCRATES IN MORBIS signa ex pulsu accepta considerauit.

QVAESTIO DECIMAOCTAVA.

G. 3. cris. c. vl. 1 SI Galenum consulimus, in hunc modum nobis respondet: *Signa ex pulsibus sumpta Hippocrates, vel quia non nouerat, vel quia non magni momenti existimauit, iccirco non est exequutus.* Vtrumq; hoc nisi amicè exponatur, falsum est. Nam signa hæc Hippocrates & nouerat, & magni momenti existimauit: quod ex ipsomet Galeno fit palam. In primis ille fatetur alibi, Hippocratẽ pulsuum notitiam habuisse: nec diffiteri quidem poterat, quandoquidem in Hippocraticis scriptis sæpe pulsuum fit mentio, vt quando ait: *Cui venæ in cubito pulsant, insanus, & iracundus est*: Et alibi, *Si verò pulsus in hypochondrio insit, perturbationem significat*: & in historia Eratolai, *Secundùm tempora autem pulsus erat*: Et iterum, *Saltatio autem venarum circa tempora detinebat*: Et in Cydis filio, *In temporibus autem pulsus non defecit*: Et in historia Pherecydæ, *Pulsus in fronte valde obscurus.*

G. de præsag. ad Posth. c. 12 & 1. de diff. puls. c. 2.
H. 2. ep. sect. 5
H. 1. prog. 28.
H. 7. epid.
H. ibidem.
H. ibidem.
H. ibidem.

2 Verùm respondere aliquis potest, Hippocratem in his, quæ adducta sunt, loquutum fuisse de magna, & vehemente arteriarum motione, quæ, ante quàm contingatur, innotescit interdum ægro, interdum etiam deforis intuentibus. Hoc quidem ita est, nec nos in hac parte Galeno repugnamus, dummodò ille nobis concedat, alia esse in doctrina Hippocratis loca, quæ hanc excusationem non tolerant, vt præsentis contextus verba, quibus Hippocrates nobis tradit venarum pulsationes, & morbi, & sanitatis esse signa, in sanitate autem conspicuæ arteriarum pulsationes non dantur. Alibi: *Carnes attractrices ex ventre, & extrinsecus significat sensus: quoniam expirabile, & inspirabile calidior venula sanguinis multitudine exutum procreat, illisq; secernit.* Hæc omnia de aëris attractione, & expulsione fuliginum Galenus interpretatur; fit autem attractio dilatatione arteriarum, expulsio compressione. Sic etiam verba alia, *Vrinæ excretio, flatusq; tum vnius, tum alterius partis, nutrimentiq;, & spirationis.* Galenus ita explicat, vt nomine spirationis difflatio intelligatur; difflatio autem motu arteriarum fit,

G. 1. prog. 28.
H. G. 6. epid. sect. 6. in pric.
H. 6. epi. sect. 5. tex. 4.

sit, vt idem Galenus est auctor. Similiter de pulsu arteriarum in conspicuo intelligere oportet verba illa in historia Zoili fabri: *Pulsus tremuli, tardi: sicut etiam quando ait, In febribus acutissimis pulsus densissimi*. Alibi agens de puerperis, quæ non rectè purgantur, ait, *Pulsus molles sunt aliquando celeres, qui attolluntur, nonnunquam deficiunt*: & alibi, *Pulsus leuiter manum ferientes*. Non desunt plures loci, ex quibus apparet, Hippocrati artem sphygmicam fuisse notam, imò fuisse in vsu. *G. lib. de salubri diæt. com. 20.4. loc. aff. c. 8.* *H. 4. epid.* *H. ibidem.* *Hip. 1. morb. mul.* *Hip. 2. morb. mul.*

3 Sed quoniam Hippocratem pulsuum notitiam habuisse, satis manet demonstratū, remanet alia pars demonstranda, nempe ab eodem hanc artem non parui momenti fuisse habitam. Non potuit quidem parui momenti existimare actionem à corde immediatè dependentem: nec rursus potuit ignorare, actionem arteriarum immediatè à facultate cordis procedere: siquidem, vt superius vidimus, ab eo dictum est, *Radicatio arteriarum cor*. Nec solùm magni momenti esse, credidit, vt est actio, sed vt est signum, aut (vt magis propriè loquar) non solùm magni momenti ab eo existimatur hæc actio, quatenus est, sed etiam quatenus significat: constat hoc ex eius verbis, quæ sunt huiusmodi: *Qui manibus contrectauit ventrem, & arterias, minus falli potest, quam qui non contrectauit*. *H. 2. porrhit.*

4 Existimo ergo, Hippocratem omnia, quæ ad artem medicam spectant, nouisse, non tamen omnia accuratè tractasse, sed quædam nobis insinuata reliquisse, forsan accuratiùs tradenda si vita superfuisset: idcirco Galenus ait, *Nouit, sed non excoluit*. Sed cur idem Galenus (quod initio diximus) scripsit illa verba, *Vel quia non nouerat, vel quia non magni momenti esse, existimauit?* Respondeo, ea, vt iam monui, benignè esse explicanda, vtpote quæ benignam accipiunt interpretationem. Agebat Galenus de signis futuræ crisis, inter hæc signa ponuntur aliqua sumpta à pulsu, quæ potuit forsan Hippocrates non adhuc nouisse, vel prorsus contempsisse. Poterat quidē non nouisse, quia in prima pullulantis artis origine, tametsi ex pulsu debili mors præsagiretur, ex crebro acuties febrilis, & harum differentiarum videatur Hippocrates mentionem facere, aliarum, quæ multæ sunt, temporis progressu congnitio paulatim fuit acquisita. Futuram crisim ex pulsu præcognoscere, difficillimum est, vt indicat Galenus, qui ad signa vomitus critici ab Hippocrate tradita, adiungit signū ab inæqualitate pulsus, quod ab eodem Hippocrate vel ignoratum, vel contemptum fuisse, ait. Signa coctionis ab vrina sumuntur, non autem à pulsu. Quòd si Galenus, coctionis signa tum ex pulsu, tum ex vrina accipi, dixit, intelligere debemus, vrinam esse directè coctionis significatricem, pulsum per longas ambages, nempe quia si contractio sit dilatatione maior, signum est, multas abundarem fuligines: hæ autem dum abundant, materia adhuc est cruda. Hæc forsitan non erant adhuc nota prioribus medicinæ parentibus, forsitan & ea Hippocrates nouit & contempsit. Erat vir valde serius, solida amplectebatur, inania parui faciens. Cur ergo, qui mille signa satis firma nouerat, non contemneret vnum fallax, de quo Celsus, *Pulsui, fallacissimæ rei, credimus*. Quamuis autem Hippocrates sphygmicam artem non excoluit, eam admodùm excultam nobis reliquit Galenus, vt ex eius scriptis, quibus posteri nihil, quod magni momenti sit, addiderunt. *G. 1. diff. puls. c. 3 & de præ dic. ad posth. c. 12.* *G. 3. cris. c. vl.* *G. 9. meth. c. 5* *Corn. Cels.*

TEXT. XXXXXI.

Alimentum enim etiã spiritus est.

COMMENT.

Quoniam (vt in præcedente contextu annotauimus) non videtur habere locum in tractatu de alimento, vt hanc à proposito digressionem excuset, modũ ostendit, quo illa sententia reliquis annecti possit, nempe quia spiritus inter alimenta possunt reponi.

Alimentum enim etiam spiritus est. Nempe spiritus influens, qui cum non sit pars nostri corporis (neq; enim reliquis membris continuatur, nec viuit) cumq; non sit excrementum, quippe, magna naturæ industria, in officina nobilissima huic rei dicata fabricatur, reliquum est, vt sit alimentum. At respiratio, & pulsus tum hanc officinam expurgant, fuligines expellendo, tum spiritui materiam præstant, nouum aërem inducendo.

AN DETVR PARS SPIRITVOSA.

QVAESTIO DECIMANONA.

1 Inter partes, ex quibus corporis nostri substantia constat, sunt aliquæ quæ spirituosæ vocantur, aliter etiam spiritus innati, seu implantati dici solent. Hanc tamen doctrinam aliqui non admittunt, quorum præcipuus est Gentilis, cui videtur, neq; experimento ab anatomia petito, neq; ratione aliqua constare posse, dari hanc spirituosam substantiam, quæ pars membrorum sit. Nam nullus est vsus, ob quem cogamur admittere hunc spiritum implantatum: non propter actiones, siquidem istæ sufficienter fiunt ab anima cum potentijs, & temperamento: si enim quis dicat, in hac parte spirituosa esse facultates tamquàm in suo proprio, accommodatoq; subiecto, non verò in alijs, cogetur dicere, alias partes, cum careant facultate vitali, non habere actionem vitalem. Si rursus dicat necessariam esse hanc partem, vt conseruet, & detineat humidum radicale, cum spiritus igneam fortitus sit naturam, malè in igne humidum conseruari, dixerit. Tãdem Auicenna cum dicat, sanitatem consistere in membris, & spiritibus, si spirituum nomine intelligat hanc partem spirituosam, frustra eam addidit: quippe in membris continetur. Si verò spiritus influentes intelligat, rectè intelligit; dummodò tamen non velit in his, tamquàm in subiecto proprio consistere sanitatem: quippe spiritus influentes nõ viuunt, & subinde nec sanitatis, nec morbi sunt capaces. Satis tamen est, si intelligat, consistere sanitatem in spiritu influente, quatenus bene disponit membra, vt sint sana.

Gentilis.

Auic.

2 Contraria sententia, quæ, spirituosam substantiam veram substantiæ nostræ partem esse, affirmat, magis veritati consonans est, ac propterea communiter recepta. Eam præcipuè tuetur Conciliator qui, spiritum hunc implantatum propriè nutriri, ait, influentem verò minime. Solam namq; nutritionem impropriam influens spiritus, dum denuò restauratur, habere dicitur. Esse autem spiritum implãtatum partem viuentis corporis, est doctrina expressa Galeni: quippe substantiam nostram constare, ait, ex tribus partibus, *Spirituosa, carnosa, membranosa*. Nec valet explicatio cuiusdam, qui ait, Galenum non intelligere per innatum spiritum partem viuentem, sed ipsum calidum innatum, qui est vitalis spiritus: nam debuerat animaduertere, calidum innatum, eatenùs dici vitalem spiritum, quatenùs à vitalis spiritus continuo affluxu fouetur, & quatenùs etiam vitam tuetur, atq; conseruat.

Conc. diff. 59.

Gal. 11. meth. c. 3.

seruat. At spiritus innatus ab influente diuersus est. Quis enim dixerit, calidum innatum, in quo vita consistit, esse spiritum influentem, qui iugem patitur motum, iugem dissipationem? Quare calidum innatum in spiritu quidem, & sanguine (vt alias ex Galeno diximus) consistit: ceterum in spiritu implantato, & membris sanguineis. Longe melius Aristoteles huius spiritus naturam agnouit, qui ei per- *Arist. de caus. mot. anim. c.6*
manentiam tribuit, inquiens: *Vtrùm verò spiritus idem sit semper, an fiat semper aliter, sit sermo alius: idem enim est, & de alijs partibus.* Non deest, qui addat his verbis aliquid sic: *Vtrùm verò eiusmodi spiritus, &c.* Et considerat illud *eiusmodi*, quod connectit verba isthæc cum præcedentibus, in quibus sermo est de spiritu influente. Sed in hac consideratione triplex error cõmittitur: primus, quoniam illud *eiusmodi*, gratis est additum: alter, quia in præcedentibus non solùm de influente, sed de connatu etiam spiritu loquitur Philosophus: inquit enim, *Omnia autem animalia videntur, & habere spiritum connatum, & ab illo robur accipere: quæ igitur conseruatio sit connati spiritus, dictum est in alijs. Hoc autem ad principium animale similiter se habere videtur, veluti in flexibus signum, quod mouet, & quod mouetur ad immobile. Quia verò his quidem in corde, his autem in proportionali est, & spiritus connatus hic videtur esse.* Hæc sunt verba præcedentia, quę libuit transcribere, vt appareat, Philosophum duplicis spiritus mentionem fecisse: vnius, qui in corde, alterius, qui in proportionali est, nempe in substantia viuente, & propter istum secundum, qui connatus est, alter quodammodò connatus, non autem verè, appellatur. Tertius error est: quia, licet concedatur, Philosophum in præcedentibus de spiritu influente fuisse loquutum, non iccirco in sequentibus necessariò loquitur de spiritu, qui sit idem cum influente ratione formæ: satis est, quòd sit idem ratione materiæ. Alij, aliud quærentes subterfugium, dicunt, Philosophum, cùm ait, *Idem enim est, & de alijs partibus*, abusum fuisse nomine partium. Cœterùm si hæc responsio valet, nunquam licebit ab auctoritate argumentum ducere: quippe hæc fuga semper in numerato habetur.

3 Quæret tamen, qui aduersam partem sequitur, vnde nã nobis aduenit istiusmodi spiritus implantatus? Respondeo, aduenire ex semine, & à semine nobis *Arist. de gen*
inditum esse: *Inest enim* (inquit Philosophus) *in semine omnium, quod facit, vt* *anim. l.2. c.3.*
fœcunda sint semina, videlicet, quod calor vocatur. Idq. non ignis, non talis facultas aliqua est, sed spiritus, qui in semine, spumosoq; corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarum &c. Ceterùm huic meæ responsioni non dum acquiescens, ait, non constare, spiritum hunc in semine existentem conuerti in substantiam viuentem, fieriq; cum sanguine materiam viuentis. Sed ego adiungam, non minus constare, hanc spirituosam substantiam conuerti in substantiam viuentis, quàm constet de alijs seminis partibus. Cum igitur totum semen sit potentia viuens, & reducatur ad actum, id, quod de toto dicitur, de singulis partibus est dicendum. Quod si negauerit, spiritum esse partem seminis, reuertemur ad idem, dicemusq;, Aristotelem dixisse, inesse in semine: at id, quod inest, non habet rationem influentis.

4 Quicquid autem Gentilis, & eius sectatores, vt destruant spirituosam parte, adducunt, facilem habet redargutionem. Nam spirituosam substantiam, quæ calor innatus etiam appellatur, in cadauere, in quo calor extinctus est, quærere, ineptum valde est: quare frustra recurritur ad autopsian: quin ipsa autopsia, priuationem earum rerum, quæ in viuente corpore reperiebantur, nobis indigitans, facilè persuadet, deesse spirituosam substantiam vitæ comitem: iacet enim cadauer omni splendore spoliatum.

Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens, lapsoue papauera collo *Vir. Æneid. 9.*
Demisere caput, pluuia cum forte grauantur.

Quod

Quod verò dicitur, non esse necessariã partem spirituosam ad actiones, quia sufficit anima cum facultatibus, & temperamento, locum habet in ijs, quæ anima duntaxat vegetabili sunt prædita: hæc enim, iam ex Galeni sententia diximus, non animam habere dici, sed naturam: ideo, tametsi viuentia possint, non tamen dicuntur animalia. Animæ igitur, per quam ea, quæ sentiunt, animalia appellantur, conueniens est instrumentum spiritus, & multò magis homini, cuius anima, vtpote incorporea, non potest contactu corporeo operari, nec rursus corporea moles ab ea, quæ incorporea est, pati: quare conueniens est isthæc ætherea, & inconspicua substantia, quæ spiritus dicitur, per quam, velut per aptissimum instrumentum, actiones vitales fiant.

5 Itaq; fateor, ad actiones concurrere facultates, & temperamentum, dummodò ad temperamentum spiritus iste implantatus referatur: in hoc enim differunt animata ab inanimatis. Hoc autem ita intelligi debet, non quòd spiritus implantatus sit temperamentum (nam neq; temperamentum est viuens, cum tamen spiritus implantati viuent, neq; spiritus implantatus eam suscipit variationem, quam suscipit temperamentum) sed referri dico partem spirituosam ad temperamentum, quatenus temperamentum animalium sinè hoc spiritu implantato cõstare nequit: non quòd ab spiritu vitam accipiat, sed quòd ab eo suscipit aptitudinem ad actiones, quæ sunt nobiliores, quàm actiones vegetabilium. Propterea possumus dicere, animalium temperamentum ab spiritualis substantiæ consortio nobilitatem sibi asciscere: e.g. perspicuitas humoris crystallini, ex optimo temperamento, quo pollet, optimum est visionis instrumentum: cæterùm quòd visioni inseruiat, non ex temperamento habet, sed ex eo, quòd spiritum visorium in se continet.

6 Sed reluctatur adhuc: quoniam si sola pars spirituosa actiones edit, in ea duntaxat subiectatur facultas: ac proinde reliquæ partes sunt inutiles, quod est absurdum. At partes, ex quibus tota substantia nostri corporis completur, non ita accipi debent, vt diuersas constituant quantitates, & id, quod in vna subiectatur, non subiectetur in altera. Quare pars spirituosa cum alijs adeò est permista, vt quicquid in vna subiectatur, subiectetur etiam in altera, & ex omnibus vna tãtùm quantitas efficiatur. Hoc ne nouum est? Imò frequens. Nunquid in vno composito ex elementis poterit quispiam assignare quantitatem vnius elementi secretam ab alijs? Nunquid in composito ex materia, & forma poterit aliquid formam attingere, quod materiam simul non attingat? Nunquid non omnia subtiliores, & minùs subtiles partes habent? Appellemus ergo subtiliores, spiritus; Quid prohibet? At partes subtiliores, & minùs subtiles non faciunt, vt cõpositum ex his non sit omogeneum, alioquin nihil esset in mundo omogeneum.

7 Nec etiam vim habet, quòd ait, spiritum hunc implantatum, cum igneam habeat naturam, non posse humidum conseruare: non, inquam, vim habet, nam spiritus implantatus, ætherea substantia, igneæ, aëtæq; naturæ particeps, est calor humidus: calorem naturalem humidum esse, iam satis ex Galeno deduximus. Cæterùm tantum abest, vt spiritus hic, seu naturalis calor humidum absumat, qui potius eundem fouet, conseruat, auget. Hinc Galenus non patitur, calorem naturalem flammæ comparari. Rectè igitur Auicenna dixit, sanitatem consistere in membris, & spiritibus, hoceſt, tam in partibus membrorum solidis, quàm in alijs vaporosis. Atq; hic est ille spiritus, quem Galenus hecticum appellauit, inquiens: *Itaq; animalis (spiritus) in capite sedem habet, naturalis in corde, hecticus in toto corpore versatur*. In his verbis duo oportet animaduertere, nempe naturalem spiritum appellasse eum, qui communiter vitalis dicitur, alioquin non constitueret eius sedem in corde: deinde dixisse, hecticum in toto corpore *versari*, cum tamen meliùs *conuersari* dixisset: quippe spiritus hic non mouetur. Porrò

G. de marcor. c. 3.

G. introd. c. 13

rò spiritum implantatum dici naturalem, non est dubium apud medicos, qui solùm dubitant de spiritu naturali influente à iecore.

TEXTVS LII.

HVmidum alimentum magis facilè transmutatur, quam siccum. Siccum alimentum faciliùs transmutatur, quàm humidum. Alimentum, quod ægrè alteratur, ægrè consumitur, quod facilè apponitur, facilè consumitur.

COMMENT.

HActenus multa contradictoria, quæ in hoc libello occurrerunt, expositionem habuerunt respectu diuersorum. Præsens contradictio in æquiuocatione cōsistit: quod nòn animaduertentes expositores, in confusionem potiùs, quàm in veram notitiam lectorem deduxerunt: æquiuocationem mox declarabimus.

Humidum alimentum: nempe liquidum, nam semper humidum actu intelligo, ne videar in phrasi variare. Sic communiter explicari solent verba Hippocratis, *Victus humidus febricitantibus*: ac si dicatur, *Victus liquidus*, vt sunt potiones, & sorbitiones, v. g. ius, & ptysana. H.aph. Gale. ... med. Gal. 3. nat. facu. c. 7.

Magis facilè mutatur. Simpliciter accipitur istud *facilè* (& hic latet æquiuocatio) vel enim *facilè* dicitur id, quod sinè ambagibus fit, (sic inter symbolica facilis est transitus.) vel *facilè* id, quod, licèt fiat per ambages, fit tamen sinè obstaculo: sic dicitur facilè princeps facilè doctissimus.

Iuxtà priorem acceptionem, *Humidum alimentum magis facilè transmutatur, quàm siccum, seu quàm solidum.* Hoc est, liquidum alimentum, vt transmutetur in substantiam corporis, non transit per ambages, per quas transit siccum, seu solidum: quippe vt siccum transmutetur in substantiam solidi, oportet, vt in ore atteratur, subeatq; specimen quoddam coctionis, quod an vera sit coctio, suo loco disputabitur. †

Siccum alimentum faciliùs transmutatur, quàm humidum. Hic oportet recurrere ad secundam acceptionem, & facilè intelligere id, quod non habet obstaculum. Iuxtà hanc animaduertere oportet, alimentum solidum à maiore calore concoqui, quàm liquidū, & tardiùs subire coctionem: ita tamē, vt in fine coctionis non sit periculum, quin perfecta sit coctio: nihil enim obstat, quominùs ita accidat. Alimentum verò liquidum obstacula habet: si enim parùm coctio excedat, sequitur adustio: si citra consistat, transit in acetositatem. Hoc duorum alimentorum exemplo innotescit: bubula alimentum est durum, tardamque requirit coctionem. In hac tarda coctione, quæ bradypepsia appellatur, nullum est dispendium, præter quàm temporis: siquidem, quod inde resultat, perfectè est coctum, dummodò porportio sit caloris coquentis ad alimentum, quod coquitur.

Ex altera parte lac humidum alimētum, nempe liquidum, non facilè, hoc est, non sinè impedimento, & obstaculo, subinde non sinè periculo coquitur: pauci namq; sunt ventriculi, in quibus non acescat, aut bilescat. Dicet tamen aliquis, non acescet, neq; bilescet, si, vt priùs diximus, supponatur calor proportionatus. Huic respondebo, difficultatem consistere in eo, quòd difficile sit eam inuenire caloris proportionē, quę huic alimento coquendo inseruiat: quælibet enim vel exigua improportio coctionem eius vitiat: non sic in alimēto duriore, quod si non superatur citò, at saltem superatur perfectè, neq; bradypepsia abit in dispepsiam, aut in

apepsiam, hoc est, in prauam, ablatam vè coctionem.

Alimentum, quod ægrè alteratur, ægrè consumitur. Hæc verba consectanea sunt priorum: quippe ad facilem, aut difficilem permutationem, coctionem vè, facilis, aut difficilis sequitur consumptio, seu resolutio. Sit ergo, iuxtà primam acceptionem, alimentum, quod ægrè, hoc est, difficulter nempe per ambages transmutari, diximus, quale est durum: hoc, sicut difficulter permutatur, ita difficulter consumitur. Hinc est, quòd homines cibis durioribus assueti, non nisi vehemente adhibito labore, varijs, & intempestiuis exercitijs, doloribus acerbissimis, ac diuturnis, febrili incendio colliquante, resoluũtur: quippe substantia durior, (talis est ex duris cibis reposita) vt in halitus conuersa effluat, attritu validissimo indiget.

Iuxtà alteram acceptionem, quod difficulter permutatur, hoc est, cum impedimento, seu cum periculo transmutatur, quale est liquidum, difficulter etiam, hoc est, cum periculo absumitur: quippe cibis leuioribus assueti spirituum resolutiones, debilitates membrorum, lassitudines, & deliquia patiuntur.

Quod facilè apponitur, facilè consumitur. Iuxtà primam acceptionem, quod facilè, hoc est, prestò, & non per ambages nutrit (tale liquidum esse, diximus) facilè, & non per ambages resoluitur: quippe huiusmodi cibis nutriti, & graciles sunt, & facilè resoluuntur, & in vita, quantumuis sedentaria, quasi longa deambulatione, fatigantur: quippe, vt Hippocrates alibi etiam ait: *Eorum, quæ vniuersim, & velociter nutriunt, veloces quoq; fiunt excretiones,* seu veloces in halitum resolutiones. H. 2. aph. 18.

Iuxtà alteram acceptionem, quod facilè, hoc est, securè sinè metu corruptionis nutrit, facilè etiam, & securè sinè metu resolutionis nocuæ, solitos patitur substantiæ effluxus. Hinc est, quòd cibis solidis educati in suo robore perseuerant, laborum sunt tolerantes, &, quod melius est, ad viridem senectutem accedunt. Atq; ita duæ istæ acceptiones contrariam doctrinam, sed vtramq; veram, quamlibet in suo sensu, efficiunt.

DE NVMERO COCTIONVM.

QVAESTIO VIGESIMA.

1 PRO hypothesi statuendum est, non esse nobis sermonem de coctione, quæ in humoribus morbum facientibus spectatur, & à Galeno dicitur coctio, faciens cessare putredinem, sed de ea, quæ circa alimentum versatur. Hæc definitur à Galeno, *Alteratio in propriam eius, quod nutritur, qualitatem*: quæ, quoniam multiplices habet officinas, multiplex esse censetur: de numero tamen ambigitur, quod in præsente discutere oportet. Gale. in med. Gal. 3. nat. facul. c. 7.

Quibus rationibus persuaderi possit plures, aut pauciores esse, quàm tres.

Articulus Primus.

1 QVoniam alimentum ex illo puncto, in quo primo per os ingreditur, incipit coctionem, mutationem vè subire, nec cessat, donec penitus in substantiam corporis conuertitur, vna duntaxat continua videtur

detur esse coctio, neq; multiplex statuenda: quippe vbi non intermediat quies, vnus duntaxat est motus; Si ergo coquendi actio nullibi intermittit, nam & in ore, & in ventriculo, & in intestinis fit, & prosequitur iugiter in venis mesaraicis, & iecore, neq; interrumpitur, dum per venas transit, multò minùs dum in particulas membrorum distribuitur. Non videtur ergo hoc, non interruptum opus, numero distingui, sed vbiq; esse vnum, atq; idem.

2 Quòd si numeris distingui debet, duplex esse potest: vna, quæ fit in iecore, altera, quæ in membris: nam quæ ventriculi coctio appellatur, potiùs est putredo, quod ex putredinis definitione colligi potest: est enim putredo interitus caloris natiui à calore externo. Cum autem in ventriculo alimentum corrumpatur, calor eius natiuus interit. At saltem si non sit putredo, coctionem veram in ventriculo non celebrari, tenet Vallesius: quippe ait: *Ventriculus sanè nihil aliud facit, quàm liquationem quandam, & triturationem alimentorum, quoad hepar faciliùs delata, in illo postquàm primam coctionem perpessa sunt, faciliùs in sanguinem permutentur*. Quamuis autem dicat primam coctionem, non intelligit nomine primæ coctionis eam, quæ fit in ventriculo: siquidem ventriculum, ait, *Nihil aliud facere, quàm liquationem*: sed videtur primam coctionem appellare eam, cuius terminus extrinsecus est sanguinis confectio: ita vt sanguificatio sequatur post coctionem in iecore celebratam. Quòd autem ea fuerit huius auctoris mens, persuadeor, quoniam alibi tenet, ventriculi coctionem non esse necessariam simpliciter: si ergo non necessaria, ergo potest non dari, & sic remanebunt duæ duntaxat coctiones necessariæ. Cum autem opus coctionis sit opus necessarium, si coctio ventriculi necessaria non est, vtiq; non est vera coctio, sed æquiuocè, saltem analogicè.

Vall. lib. 1. contr. c. 13.

Vall. 8. contr. c. 3.

3 Aliunde rem minutiùs contemplanti quatuor coctiones videri possunt: quippe eam, quæ fit in ore coctionem esse colligi potest ex Galeno, quod non legislatorum more ab eo est prolatum, sed multiplici adhibita ratione. *In primis id probatur ex ijs, quæ ex cibo, in dentium interuallis relicta, per totam noctem hæserunt: neq; enim panis ibi relictus, prorsus est panis, neq; caro, prorsus caro*. Deinde id persuadetur, quia magna est, quæ in ore fit, cuiuscumq; rei alteratio: siquidem, *Si mansum triticum crudis furunculis applicaueris, cernes id ocissimè hos mutare, & concoquere*. Tertiò ex pituita, quæ in ore habetur, quæ *Et lychenum remedium est, & scorpios statim necat: præterea multas ex ijs, quæ venenum mittunt, bestias, partim protinus perimit, partim spatio: omnes tamen insigniter lædit*. Auicenna etiam idem sentire videtur, dum ait: *Nutriens masticatione aliquam habet digestionem*.

G. 3. nat. facult. citat.

Auic.

4 Possunt etiam quatuor dici, etiamsi eam, quæ fit in ore, excludamus: fit namq; prima in ventriculo, altera in iecore, tertia in venis, quarta in singulis mébris. Et hæc est expressa sententia Auicennæ dicentis, *Et debes fieri, quod sanguis, & quod cum eo labitur, tertiam habet in venis digestionem, & cum per membra diuiditur, vt vnumquodq; recipiat suum nutrimentum, habet digestionem quartam*: Et alibi sic: *Et dico, quòd nutrimentum primo digeritur in stomacho, & post fit sanguis in hepate, & tertiò in venis, & quarto in membris*.

Auic. tum 1. .... tum 3. de animal. c. 3.

5 Aliter etiam possunt euadere quatuor coctiones, si ex Actuario recipiamus, duas coctiones fieri in iecore, vnam in cauo iecoris, vbi est truncus venæ portæ, qui in plures meserei venas propagatur, alteram in gibbo, vnde oritur vena caua: hæc autem duo loca, inquit ille, non cohærent inter se. Quòd autem sint duæ coctiones, probatur, quia diuersa vtrobiq; separantur excrementa: nempe iuxtà venam portam, in iecoris cauo bilis transmittitur ad vesicam fellis, melancholia ad lienem: in gibbo autem iuxtà venam cauam emulgentes serositatem accipiunt, quæ inde ad renes, & per vreteras ad vesicam ducitur.

Act. lib. 1. de diffe. vrin. c. 5

Vera sententia, quæ tres coctiones, nec plures, nec pauciores, esse determinat.

Articulus secundus.

1 QVamuis quatuor facultates sint, quæ ministrantes appellantur, quoniam sunt nutritionis ministræ, attractrix, retentrix, expultrix, nihilominus, si eas inter se comparemus, fatebimur, non æqualem omnes dignitatem inter se habere, sed tres earum, nempe attractricem, retentricem, expultricem coctioni famulari: ita vt attractrix antecedat, retentrix simul eat, expultrix sequatur. Cum igitur coctrix, quæ vna, & eadem vbiq; est (neq;enim facultatum numerus est multiplicandus) diuersis in locis diuersimodè dispositas habeat has famulas, diuersas, in diuersis his locis, actiones edere censetur. Attrahit igitur ventriculus cibos, non secus, quàm nos eos extenta manu ori admouemus, & nonnulla animalia præ fame non gulam tantùm promunt, sed & ventriculum ipsum in os mandant. De hac attractione legendus est Galenus, & ab eo relatus Aristoteles: ad hanc celebrem attractionem, quæ ex animali, & naturali est mista, quippe & musculis, & fibris fit, sequitur retentio, quam peragit ventriculi substantia, quæ ideò membranosa facta est, vt scilicet in se ipsam contrahi, & cibos amplecti possit. Coctio, dum hęc retentio finit, eius est naturæ, vt cibum in substantiam albam, Ptysanæ similem, quæ chylus appellatur, conuertat: expultrix sequitur, quæ ex chylificatione relictas fæces per intestinorum inuolucra expellit, quod exprimit Ausonius eleganter:

G.3. facul. nat. c.8. & 4. de vsup. c. 8.

Continuò vacuos alui petiere recessus
Lubrica deicetis, qua via nota cibis.

Hæc est prima coctio, quę desinit in peculiaris substantiæ, nempe chyli, confectionem: desinit & in peculiarem excrementorum expulsionem, vt diximus. Tunc peracta hac prima coctione, os inferius ventriculi, quod hactenus fuerat clausum, vt Galenus docet, protinus aperitur, venæq; mesaraicæ, quasi manus quædam incipiunt chylum ad hepar trahere: ecce altera tractio: fit noua etiam retentio, flexu venarum pro cauitate inseruiente. Fit & altera coctio, hoc est, sanguificatio, ad quam sequitur expulsio tum bilis flauæ ad vesicam fellis, tum atræ ad lienem, tum magnæ partis serosi humoris ad renes. Post hanc secundam coctionem, quamuis sanguis magis, ac magis in venis elaboretur, tamen non fit noua coctio, nisi quando egressus euenis, in substantiam roridam conuertitur: tunc enim & membrorum singulorum attractio, & eorumdē retentio huic vltimæ coctioni famulantur, & expultrix excrementa tenuia per corporis meatus excernit. Non sunt plures mutationes substantiæ, nec plures excretiones, quàm tres. Sunt ergo tres, nec plures nec pauciores coctiones. Has admitti Galenus in varijs suæ doctrinę locis: vt cum ait, *Et nutrimenta non solùm in ventre, sed etiam in venis, & tota corporis mole probè concoquit*: & inferiùs: *Id quoq; probe concoquit in coquendi instrumentis ventriculo, iecore, & venis.* In his duobus locis contradictio quædam apparet: nam in primis coctionis, quæ fit in iecore, nulla facta mentione, coctionem, quæ fit in venis memorat, posteà verò coctionem in iecore, & venis, quasi duæ diuersæ sint, recenset. Verùm non tam est contradictio, quàm parùm exacta loquutio: quippe quando coctionem in venis fieri, ait, prætermissa coctione iecoris, venas intelligit, quæ sunt in iecore, in quibus, an in iecoris carne, sanguificatio fiat, controuersum est. Quando autem, coctionem in iecore, & venis fieri, ait, perinde ac si duæ sint coctiones, venarum nomine partes, in quibus tertia fit coctio,

Gal.

G.2. de tēper. c.1.
G.3. de tēper. c.2.

coctio, significauit. Vtcumq; sit, quod ad præsens attinet, ternarium coctionis constituit. Auerrous hoc ternarium sic tradit: *& habes, quòd digestiones, quæ communicant omnibus membris, sunt duæ, videlicet digestio stomachi, & digestio hepatis, saluo quòd tu non pones sanguini vnam digestionem in venis, sed si est, pauca est. Sed tertia digestio est, quæ est propria omnibus membris.* Hæc Auerrous. Cæterùm huius doctrinæ veritas melius ex contrariæ partis argumentorum solutione patebit. *Auerr. collig. c. 9.*

Responsio ad rationes pro contraria parte adductas.

Articulus Tertius.

1 QVicquid aduersus triplicitatem coctionum afferebatur, solui non difficili negotio potest. Ad primam namq; rationem fatemur, naturã imò coctricem facultatem incessanter agere, hoc est, trãsire ab vna in alteram coctionem, & ab altera in tertiam: ita tamen, vt quælibet istarum suos habeat terminos realiter distinctos: prima chylum, secunda sanguinem, tertia quatuor substantias, quas Auicenna secundas humiditates vocat, nempe eam, quæ innominata dicitur rorem, cambium, gluten. Cum autem per vnumquemq; motum forma mobilis mutetur, simul motus variatur, saltem numericè.

2 Ad alteram. Non omnis corruptio substantiæ, etiam si cum illa fiat corruptio calidi innati, est putredo: nam interitus caloris natiui, qui putredo est, accidit ante corruptionem, non verò quando corruptio totalis adest: nam sic omnis conuersio alimenti putredo esset: itaq; in putredine calor natiuus interit per se, & antecedenter: in corruptione verò per aliud, nempe per putredinem, quæ ad totalem substantię corruptionem accedens, consequenter secum extinctionem caloris natiui affert: sic in ventriculo fit corruptio, fit similiter interitus caloris natiui, qui alimento inerat; non tamen antecedente putredine. Si quando verò putredinis nomine coctio significatur, sumitur ibi putredo impropiè pro corrrutpione vnius in alteram formam: vel potest prima coctio, quæ fit in ventriculo putredo dici ob putredinis conditiones, quæ in excrementis, per hanc primam coctionem separatis, conspiciuntur.

3 Vallesius verò, qui ait, ventriculum nihil aliud facere, quàm liquationem quandam, & triturationem alimentorum, non est omnino recipiendus: imò actionem ventriculi celebrem coctionem tenere oportet: *Quippe conuersio ciborum in cremorem*, vt Galenus ait, *non est moræ illic manendi terminus, quam vtiq; etiam, dum foris sunt efficere licet, sed concoctio, quæ à conuersione in cremorem, res est diuersa, sicut sanguificatio, & nutritio:* quod & inferiùs ex definitione coctionis colligit. Quòd si Aristoteles, & cum Aristotele Galenus dicunt, actionem ventriculi esse elixationi similem, non propterea negant, esse veram coctionem, sed vt eam in humido fieri dicant, comparatione ad elixationem, quæ coctio externa est, vtuntur. *Gal. 3. nat. facul. c. 4.* *Ar. 4. meteor. Galen. cit.*

4 Quod attinet ad necessitatem coctionis ventriculi, longa esset controuersia, & duplex: vna an cibus necessariò pertranseat omnes coctiones: altera, an infusa per clysteres nutriant. Sed quoniam vtraq; à doctissimis viris satis excussa nobis offertur, breuiter delibanda est, & dicendum, coctionem ventriculi, vel alterius membri eiusdem vim habentis, esse necessariam animali iam in lucem edito. Duæ hic proponuntur limitationes: vna, vt si ventriculus non sit, qui concoquit, saltem aliquid sit, quod ventriculi vim habet: altera, vt animal, quod nutritur, extra vte-

rum

rum existat. Ex prima colligitur, infusa per clysteres posse nutrire: quia licèt non ascendunt ad ventriculum, ascendunt saltem ad intestina, quæ duplici tunica vestiuntur, quarum interna est eadem cum ea, quæ ventriculum vestit interiùs. Secunda autem ponitur, vt consentanea sit hæc doctrina cum ea, quæ superiùs est tradita, quando diximus, fœtum in vtero non nutriri per os: si enim per os non nutritur, sed per venas vmbilicares, cum hæ ad ventriculum sanguinem maternū non deferant, non fit nutritio fœtus in vtero existentis, præcedente ventriculi actione. Si verò quispiam dixit, posse nos exteriùs adhibitis alimentis nutriri, respondeo, hanc esse impropriam nutritionem, nempe refectionem spirituum; Quòd si partes solidas ex vaporosa materia, quispiam, nutriri posse, dixerit, necessariò simul fatebitur, materiam istam vaporosam exteriùs regioni ventriculi debere applicari.

Gal. 3. de nat. facul. c. 7. 5 Sed iam accedo ad coctionem, quæ fit in ore. Hanc Galenus, coctionem esse, fatetur, licèt imperfectam: ait enim agens de coctione, quæ fit in ventriculo: *Sanè ea maior est, quàm quæ in ore perficitur: minor verò ea, quæ in iecinore, & venis: horum namq; alteratio nutrimentum in sanguinis substantiam mutat: quæ autem in ore agitur, mutat quidem id in alteram speciem, non tamen ad perfectionem transformat.* Sic Galenus: quem, non dubitare possumus, mutationem, quæ fit in ore, veram coctionem appellasse, etsi imperfectam: imperfecta namq; coctio iam coctio est, nam alteratio isthæc, quæ fit in ore, si coctio non est, quæ nam alia alteratio esse potest? Quòd si per eam alimentum ad perfectionem non transformatur, satis est, quod in alteram speciem mutatur, quod Galenus expresè ait, & appositissimis confirmat rationibus, quas ab eo accepit Auicenna.

Auic.

G. 4. vsu par. 6 Cum ergo statuamus hanc mutationem, quæ alimenti fit in ore, num cogimur quatuor coctiones admittere? Minimè: sed aduertendum est, ex Galeno, tunicam, quæ ventriculum interiùs vestit, eandem esse cum ea, quæ exteriùs vestit linguam, & palatum, & quæ ad intestina progreditur. Cum igitur pars, quæ actionem elicit, sit vbiq; eadem, actionem eandem esse, censendum est. Sic à præpotentiore, & magis præcipuo membro, nempe à ventriculo, prima coctio denominationem accipit, cum tamen aliarum etiam sit partium.

7 Nec verò in venis coctionem à coctione, quę fit in iecore, diuersam statuere oportet: venæ namq; sanguificant virtute ab hepate mutuata, non quidem influente (nam virtus naturalis influens nulla est) sed aliter; Quomodò autem isthæc generatio sanguinis in venis fiat, difficilis est quæstio, & quæ valde auctores torquet: & hæc etiam pendet ex alia: num scilicet in iecore vasa iecoris, an ipsa caro sanguificet. Mihi sanè videtur, carnem iecoris esse, cui sanguifica debetur actio: quippe & similitudo carnis iecoris cum sanguine id indicat: agentia enim naturalia agunt assimilando sibi passum: venæ autem (vt pote quæ seminalia, ac subinde alba sunt membra) non possunt rubedinem sanguini communicare. Indicat etiam autogenitas iecoris: quæ enim alicui peculiari actioni, & cuius alia nō est similis, dicata sunt, peculiarem, & nullius alterius similem naturam habere debent. Ergo, tum quia si iecur rubedinem tribuit chylo, tribuit simul illi esse sanguinem: tum quia, si caro iecoris autogena, hoc est, sui generis est, autogenam debet habere actionem, qualis est sanguinis conficiendi actio, manifestum est, iecoris parenchyma, hanc habere actionem, cum eius substantia sanguinem concretum referat, non venas, quæ specimen, à sanguine valde distans, habent.

Sup. tex. 34. 8 Propterea in venis, quibus iecur originem naturę non præstat, sed solam radicationis occasionem, quod superiùs Hippocrates, inquiens, *Radicatio venarum hepar*, declarauit nec est sanguificandi vis insita, nec à iecore influens: non insita, ob prædictam dissimilitudinem à sanguine, non influens, quoniam, quę iecori inest virtus, naturalis est: hęc autem non communicatur per influxum: iccirco Galenus,

lenus, *In hac re,* inquit, *plurimum differunt naturalia ab animalibus instrumentis: siquidem naturalibus cognatam actionis vim esse, animalibus verò instrumentis à principio (veluti lumen à Sole) ipsam defluere, iam ostensum est.* Sic Galenus. Si ergo venis nulla facultas conficiendi sanguinis inest, vnde nam habent, quòd sanguificent? Nam quòd in venis sanguis fiat, Galenus testatur: quandoquidem reliquis excrementis sua receptacula tribuens, pituitæ nullum assignauit: *Sanè quòd pituitam expurget* (inquit ille) *natura nullum instrumentum condidit, propterea quòd frigida, humidaq; est, ac veluti ex dimidio coctum nutrimentum. Desiderat igitur talis succus, non vtiq; vacuari, sed in corpore manens alterari:* & post pauca adiungit, *Quod igitur in venis pituitæ fertur, cum sit animalibus ex vsu, nulla vacuatione eget.* Gal. 1. loc. aff. c. 7. Gal. 2. nat. facult. c. vlt.

9 Sunt, qui dicant, venas commoditatem duntaxat gignendo sanguini præstare, sicut dolium præstat commoditatem musto, vt fiat vinum. Concurrere ergo, putant, calorem præstitum à iecore, & circunstantium membrorum fotum, auctumq; magis, & sic in vasis commodissimam fieri sanguificationem. Verùm isthæc opinio redarguitur: quoniam sanguificatio vna est ex actionibus naturalibus, mutatioq; vnius substantiæ in aliam, quæ non potest fieri absq; facultate: quippe à solo calore alteratio qualitatis prouenit, non productio substantiæ: Occurrunt quidem dicentes sufficere, vt iecur transmittat calorem, qui est instrumentum: nam attingente instrumento substantiam passi actio edi potest. Verùm nō adhuc se eximunt à culpa, sed potiùs in aliam incidunt: nam agens naturale debet esse immediatum passo, vel immediatione suppositi, vel immediatione virtutis, vt in scholis dici solet: non est facultas iecoris immediata immediatione suppositi: hoc necessariò admittunt: est ergo immediatione virtutis: hoc expressè concedūt: sed non vident hanc immediationem virtutis fieri passo distante ab agente, ac proinde per influxum: quare in opinionem, quæ virtutem naturalem falsò inuehit, nolentes delabuntur.

10 Mihi videtur dicendum, pituitam, quæ mera pituita est, si talis per venarum tubos deferretur, non magis conuerti in sanguinem, quàm si per eosdem chylus inalteratus mandaretur: vtraq; enim substantia iecoris actione indiget: & quemadmodum vtraq; hæc substantia, ante quàm ad iecur accedat, accipit à venis mesaraicis aliquam elaborationem, quæ tamen non adhuc speciem mutat, ita etiam quicquid è iecore in venas transfluit, iam sub forma sanguinis, non dum tamen perfectè laborati, perficitur in venis, sed in eis retinet semper formam sanguinis, in iecore à sanguine acceptam: hęc enim non mutatur, nisi postquàm ex osculis venarum capillarium conuertitur in rorem, & alias secundas humiditates: quippe ea, quæ innominata dicitur, cum sit in exilium venarum osculis, non adhuc à forma sanguinis degenerauit: quod cognoscitur ex rubedine, quam retinet: hæc enim est, quæ sanguinis formam attestatur, sicut albedo pituitæ, flauus color bilis, niger melancholiæ: quamuis enim color quidpiam extrinsecum videatur, est tamen qualitas, quæ substantiæ proprietatem necessariò consequitur, & ex eo naturaliter profluit. Quare minùs recipienda est Andreæ Laurentij opinio, licèt à pręceptore meo Thoma Roderico accepta, quę sanguificationē à rubefactione distinguit. Andr. Laur.

11 Itaq; per venas fertur pituita illa, quæ in iecore transmutationem, non omnino perfectam accepit, non autem eam accepit ob eam rationem, ob quam nec in ventriculo perfectam subijt chyli naturam. Hic igitur humor, vt perficeretur, maiorem in iecore moram expostularet, quàm reliqua substantia, ex qua sanguis perfectus euasit. Cum autem iam sit, teste Galeno, *Veluti ex dimidio coctum nutrimentum,* possitq; propterea dici non pituita, sed sanguis pituitosus, in vasis, in quibus calor, nunquam ociosus, semper id, quod perfici postulat, agendo perficit. Hæc imperfecta substantia, non mutationem speciei, sed perfectionem assequitur,

sequitur, tribuente ad hanc rem auxilium tum calore, qui à iecore per cauitates vasorum extenditur, tum eo, quem arteriarum societas, circunstantiumq; partium vicinitas præstare potest; Nam aliud est, sanguinem pituitosum perfectiorem euadere, aliud ex pituita fieri sanguinem: hoc sinè facultate non fit, illud à solo calore naturali, (cuius munus est naturæ operibus assistere, fieri potest. Accedit, quod sanguis perfectus, & valde rubens, qui in venis simul cum isto imperfecto, & subalbido continetur, potest imperfecto perfectionem addere. Quid ni? Non ne sanguis est agens naturale, saltem instrumentale? Non ne ex lege agentium naturalium debet incumbere in assimilationem passi in suam ipsius naturam? Cur ergo non poterit perfectus imperfecto mistus ex imperfecto perfectum reddere?

Gal. 1. de aff. c. 7.

Gal. 2. nat. fa. cult. c. 8.

12 Quæret forsan aliquis, si ex mistione perfecti cum imperfecto dicimus, imperfectum perfectionem acquirere, cur vice versa ex hac mistione perfectum non fiet imperfectum? Respondeo in primis, sanguinis perfecti maiorem esse agendi vim, quippe maioris caloris est particeps, cui principatus in agendo debetur: deinde etiam maiorem esse sanguinis perfecti in vasis (corpore secundùm naturam se habente) portionem, quàm sanguinis pituitosi, ac proinde ratione qualitatis potentioris, & quantitatis, cuius beneficio actio vigoratur, fit, vt sanguis inculpatus victoriam consequatur. Quòd si vel frigiditate inducta, vel quantitate extracta, sanguis crudus, & imperfectus coctum, perfectumq; excedat, tunc admittimus, perfectum ab imperfecto posse vinci: quod agnoscens Auicenna timet, ne medicus, sanguinis quantitatem plus debito minuens, ægrum ad alterum duorum perducat, biliosorum ebullitionem, extracto sanguine, qui erat frænum bilis, aut frigidorum incrudationem ob caloris penuriam, quæ remanet, extracto sanguine pituitam calefaciente. Sed tunc cum pituitosus sanguis vincit, non est in statu secundùm naturam corpus, quod tamen debere esse in statu naturali, supponimus.

Auic.

13 Ceterùm expediti ab hac difficultate, quæ longiorem adhuc disputationem postularet, venio ad Auicennam, qui multoties videtur, quatuor coctiones admittere. Eum sectatores eius excusare conantur, præcipuè Iacobus de Foroliuio, qui, illum non quatuor coctiones intelligere, ait, sed quatuor notabiles mutationes: hæc excusatio quantum valeat, alijs iudicandum relinquo. Sed quid dicemus Actuario, qui duas agnoscit in iecore coctiones, alteram in caua, alteram in gibba? Nempe dicendum, totum iecur vnam duntaxat esse vnius coctionis officinam, vnum obiectum, nempe sanguinem, vnam excrementorum separationem, quæ tamen pro maiore commoditate diuersis in eiusdem visceris partibus fit. In superiore separatur serositas, tum quia ibi prestò sunt emulgentes, per quas transmittitur, tum quia aliqua eius pars per venam cauam, vt sanguinis vehiculum fit, reijcitur: in inferiore bilis vtraq; quoniam facilis inde ad horum excrementorum receptacula ductus incipit.

Iacob. de Foroliu. q. 42 in prim. canon. Auic.

TEXTVS LIII.

ET quicumq; veloci appositione opus habent, his humidum ad reficiendas vires medicamen optimum. Quicumq; verò adhuc velociore indigent, per olfactum. Qui autem tardiore appositione opus habent, solido alimento vtantur.

COMMENT.

EX præcedentibus constat, humidum alimentum facilè substantiã deperditam reficere: facilè, inquam, hoc est, citò, & sinè ambagibus: facilè etiam consumi, atq; deperdi. Nunc proponit auctor facilem refectionem, nihil

nihil solicitus de facili deperditione; Nam ei, quod magis vrget, priùs occurrendum est: vrget magis reficiendi necessitas: quòd si refectio ista, pro vrgentiæ ratione velox, non est durabilis, tempus inducias præbet ad procurandam restauratæ substantiæ durationem.

Et quicumq; veloci appositione opus habent. Particula coniunctiua initio præposita indicat, verba hæc sequentia superioribus connectanda esse. Velocem autem appositioné vocat, nempe facilem nutritionem: sunt enim hęc verba quasi quoddam consequens ad aphorismum illud, *Facilius est impleri potu, quàm cibo*: quippe rectè explicato aphorismo potest ex illo, tamquàm antecedente, & præsente contextu tamquàm consequente fieri optimum entimema. Explicatur ergo sic. *Facilius est*, hoc est, velociùs cōtingit, *impleri*, hoc est, nutriri *potu*, nempe humido, seu potiùs liquido alimento, *quàm cibo*, hoc est, quàm solido. Tunc sit, velociùs contingit nutriri humido alimento: ergo quicumq; veloci nutritione opus habent, his humidum est conuenientissimum.

H. 2. aph. 11.

Est autem notandum, in aphorismo scribi ῥᾶον, id est, faciliùs, in præsente autem ὀκόσι, id est, citò; vt cognoscamus, facilè secundùm hanc acceptionem idem esse ac citò. Deinde in aphorismo scriptum esse ποτοῦ, ἢ σιτίων, id est, potu, quàm cibis, non quòd σιτίον non comprehendat omnem rem altilem, sed quoniam tunc, cum opponitur substantiæ potulentæ, restringitur ad sola ea, quæ masticatione indigent: sic latinè dicimus esculenta, & potulenta: non quòd esculētorum nomine non comprehendatur omnis substantia, quæ alit, sed quòd quando potulentis, poculentis vè opponuntur in astrictiore significatur accipi solent. Sic nos hominis nomine significamus tam hominem, quàm mulierem: sed quando hominem, & mulierem dicimus, hominis significatum ad solos masculos restringimus. Et hoc breuiter sit dictum ad conuincendam Satyri procacitatem, quam sæpius aliter hac etiam in parte castigauimus.

Dicitur velox appositio, hoc est, velox nutritio, quia cum sit vna ex actionibus pręcedentibus nutritionem, hac posita, animal se restauratum esse, sentit: quippe ex sola nutrimenti appositione calor vigoratur, spiritus eleuantur, & bona futuræ alitionis spes surgit.

His humidum ad reficiendas vires medicamen optimum. Quæ sunt hi, qui veloci appositione opus habent? Nēpe qui in eo debilitatis gradu sunt constituti, vt nisi eis prestò succurratur, periculum est, ne animo linquātur: v. g. qui diuturnum ieiunium tolerarunt: hi enim duplici de causa citam postulant refectionem, tum quoniam pars spirituosa per inediam dissipata, rebus facilè, & velociter nutrientibus restaurari potest, & postulat, tum quia membra famelica vehementer venas dilacerant, venæ iecur, vnde alimentum è ventriculo citò per mesaraicas rapitur: quare oportet, vt sit facilè concoctu, alioquin semicrūdum rapietur.

Sed cur medicamentum appellat id, quod alimenti officio fungitur? Nempe cum cita restauratio supponat vires lapsas, supponit idētidem statum præter naturam, à quo ad statum naturalem, beneficio alimenti celeriter nutrientis, reduci debet. Qua propter, alimētum cum sit, quatenus ad restaurandum exhibetur, simul medicamenti officio fungitur, quatenus statum præter naturam reducit ad naturalem.

Hoc loco cernere est, Satyrum plus solito ineptientem, & cum in hippocratica penetralia se se velit insinuare, inter falsitatis, errorumq; dumos vestigia malè firma mouet. Detegam priùs falsitatem, mox ad errores propalandos me conferam. Inquirit, quinā sunt isti, qui *Veloci appositione opus habent*. Auctoritate munitus, in campum se prodit, inquiens: *Galenus monet hìc agere Hippocratem non de sanis* *homi-*

De his qui sine cib. li. 2. c. 55.

G. 2. aph. 11.

hominibus, sed de recreandis è morbo. Tu ne ita oculatus es, ò Satyre, vt quod apud Galenum legere nemo poterit, tu legeris? Non ergo te Galenus monet, quippe hoc non dicit: mones tu tamē omnes, vt tibi in alijs eam fidem habeant, quam in hoc mereris, iuxtà iurisconsultorū placitum, *semel malus, semper præsumitur malus in eodem genere mali.*

Sed esto: dicat Galenus, vt tu vis, nempe Hippocratem hìc agere de recreādis è morbo. Qui sunt isti è morbo recreandi? Tu iure iurando eos indigitas, dicens, *Sanè recreandi è morbo sunt, tum conualescentes, tum animo delinquentes.* Ridete proceres, ecce nunc vobis Satyrus cogit, cōualescentes, & animo delinquentes sub vno, & eodem iugo arare. At conualescentes ambulabunt quidem, licèt lentè, & cespitāter, animo delinquentes iacent miseri, nec funibus tracti locum mutabunt. Non ne vides, diuersam esse istorum sortem? Conualescentes euaserunt è morbo, & à morbo recreari desiderant: animo delinquentes adhuc morbo succumbunt: leua illos hac sarcina, posteà recreationem postulabūt.

Neq; magis scitè prosequitur, tres constituens status, vnum conualescentium è morbo breui, hos dicit esse, qui veloci appositione opus habent: alterum animo delinquentium, hi sunt, qui adhuc celeriore opus habent: tertium à morbo chronico, quibus opus est tardiore appositione. Sed discurramus per singulos, vt magis tua scurrilitas innotescat. Quod attinet ad cōualescentes ex morbo breui, dicis, ab Hippocrate rectè esse dictum, his humidum medicamentum optimum esse. In primis cum breuem morbum morbo chronico opponas, videris mihi nomine morbi breui intelligere eum, quem græci brachychronion appellant: huic enim (teste Galeno) opponitur morbus multo tempore durans, seu diuturnus, græcè chronios, seu polychonios appellatus: ita ne? At morbus iste breuis differt ab acuto: quippe acutus, ex Archigene, cum velocitate est periculosus, cum Hippocrate, cum febre continua euenit. Acuto verò nullum proprium nomen sortita morbi natura opponitur. Sed non ne vides, quamuis acutus sit breuis, nō omnem breuem esse acutum? Iam ergo si accipias breuem non acutum, subinde non periculosum, & sinè febre reperies morbum breuem, cui istę hęc velox appositio nō est necessaria? Quid enim cogit hominem post ephemeram febrem, quæ morbus est breuis, non tamen acutus, velociter cibis poculentis reficere?

G.dieb.decret.c.13.

Archig. Hippoc.

Medicamentum appellari, ais, quod vires deperditas restaurat alimentū, quod præsentes conseruat: si quid autem vtrumq; pręstabit, restaurabit vt medicamentum, conseruabit vt alimentum. Risum etiam hìc moues inquiens, *Si res eadem poterit vires cum validas, & præsentes conseruare, tum imbecillas, & deperditas restaurare.* Putabis ne te inuenire rem magnam, & admodùm raram, si inuenias aliquid, quod possit vtraq; hæc pręstare? At ego puto non solùm rarum, sed impossibile esse inuenire aliquid, quod non præstet vtrumq; simul. Da mihi, quæso, aliquid, quod vires deperditas restauret, sed pręsentes labi sinat, nec conseruet: si hoc effeceris, de te dicterium illud narrabitur, *Morbus est curatus, sed æger perijt.* Da mihi è contrario aliquid, quod conseruet vires præsentes, non tamen deperditas restauret: quomodò hoc efficies? Non ne ais, conseruationem præsentium fieri per alimentum? At alimentum est ad restaurandum deperditum. Iam ergo eadem res & vt alimentum restaurat, & conseruat vt alimentum. Quòd si dum restaurat, appellatur medicamentum, iam tibi dixi, hoc non esse, quia diuerso modo operatur, quando reficit, ac quando cōseruat, sed quia ex parte patiētis in statu pręternaturam positi, alimentum, ac si medicamētum foret, statum naturalē reuocat, vno, & eodē modo semper agens.

Acce-

Accedamus ad alterũ statum, nempe animo delinquentium: hos esse, ais, qui celeriore appositione opus habẽt: *Indigent enim appositione spirituum in corde ÿ, quibus vel consumpti, vel effluxi fuere spiritus à corde: ipsos autem animo defectos, per olfactum reassumere vires, ait Hippocrates, nimirũ odoribus, non conuersis in naturam spirituum, vt obÿcitur, sub ratione alimenti, sed itidem sub ratione medicamenti, fouentibus, ac roborãtibus emorientem calorem, qui vegetior factus ab odorum caliditate suaui, sibiq; familiari, & nouos de sanguine creat spiritus, & veteres aliunde ad se allicit: atqui ita vires aßumit quàm celeriter.* Omnia tua verba transcribere oportet, tum ne dicas, aliquid ex tuis cauillosè suppressum, tum vt omnes tui patefiant errores, qui tot sunt, quot verba.

Cum dicas, animo delinquentes indigere spirituum repositione in corde, & ijs è corde fuisse vel consumptos spiritus, vel effluxos, videris de syncope agere: hoc enim est cordis passio. Sed cur syncopen animi deliquium, appellasti, quod lipothymia, seu licopsychia dicitur, & ad cerebrum, hoc est, animales actiones spectat? Nunquid, cum ijs sentis, qui lipothymiam ad cor pertinere existimant? Hanc tibi opinionẽ inferiùs falsam esse, monstrabo: quamquàm existimo, te, quid inter has duas passiones discriminis reperiatur, non cognoscere, imò neq; id vnquam animo voluisse. †

Deinde cum hunc defectum spirituum in corde odoribus refici, existimas, si odoribus, hoc est, substantijs odoriferis, cordis regioni applicitis hoc fieri posse, ais, conuenis quidem cum communi medentium vsu, qui epithemata suaui odore prædita, ei thoracis parti adhibent, in qua cor pulsat, sed non conuenis cum verbis huius contextus, quem, extra chorum saltans, explicandum exprofesso suscipis: nam Hippocrates ait *per olfactum*, hoc est, per eam viam, per quam fit olfactus: at per hanc viam tenditur ad cerebrum, spirituum animalium sedẽ, non ad cor, vbi vitales generantur. Malè ergo Hippocrati attribuis, cum animo delinquentes, & spirituum cordis, hoc est, spirituum vitalium defectu laborantes per olfactum recreari, dixisse.

Tandem ais, odoribus reassumi vires, non ijs in naturam spirituum conuersis. Quod peculiarem theoriam expostulat, id separatim præstabo, tuamq; tibi stultitiam faciam agnoscere. † Interim scito, calorem, vegetiorem factum (quod tu ais) aliunde ad se spiritus allicere, dummodò sit vehemens, & præter naturam, vt accidit in inflammationibus internis. Putas ne, odoribus ita partes internas inflammari, vt spiritus ad se alliciant?

Videamus quid vltimo loco de cõualescẽtibus è morbo chronico affers. Eos dicis, ab Hippocrate intelligi, quibus opus est tardiore appositione, *Quam prudenter parari, scribit, solido alimento: tardiùs enim calor omnis, ne dum debilis ob morbum præteritum, vincit alimentum solidum, & apponit solidis partibus, quàm humidum.* Rem Hippocrati falsò adscribis, quam ab eo prudenter dictam esse, ais: eam verò si dixisset, imprudenter dixisset: sed quia nihil vnquam imprudenter dixit, hoc nequaquam dixit. Fateris nec, negare posses, conualescentibus debilem esse calorem: & simul debili huic calori cibum solidum proportionatum esse, contendis? At si quia debilis est calor, cibo solido est opus, è contrario quibus calor est fortis, opus erit cibo liquido. Tuum hoc est dogma, & valde tuum.

Sed tu adhæres doctrinæ Hippocratis dicentis, *Quæ longo tempore extenuantur corpora, lentè reficere oportet, quæ verò breui, breuiter.* H. 2. aph. 7. Atq; ais, corpora conualescentium è morbo chronico, longo tempore fuerunt extenuata, ergo lentè, hoc est, longo tẽpore reficere oportet. Ita ne? Benè quidem agis, dum tibi Hippocratem

magnum virum defensorem ascis cis: sed quære aliquem, qui tibi eum exponat, nec alium velis, quam Galenum, mirabilem Hippocratis commentatorem: is autem tibi corpora conualescentium ex longo morbo gracilia reddita offert, quæ propterea non tantum possunt concoquere alimentum, quãto indigent. *Quam ob causam* (adiungit ille) *corpora longiore tempore reficere oportet, atq; tenuiter, quod lentè nominauit*. Vides Galenum, illud *lentè*, quod tu putas significare *longo tempore*, explicasse tenuiter, id est, parum pro qualibet vice: ita explicant communiter expositores. Iam ergo non expetunt solida edulia, quæ diuturnam exigunt moram, vt coquantur, nam sic nimiùm defatigarent calorem valde debilem ex diuturno morbo, sed expetunt, vt paulatina fiat restauratio, sed ex cibo facili, cuius coctio non expetat multum calorem, neq; offendat debilem. Inanis est igitur isthæc tua diuisio, inanis ex tuo inani capite deducta doctrina.

Ad pensum igitur redeuntes dicamus, eos veloci appositione indigere, quibus virium lapsus instare videtur, quod ex antegressis causis cognoscitur: vt siquis vigilias immodicas patitur, siquis vehementissimis doloribus cruciatur, siquis laboris plus nimiò fatigatus, siquis mentis occupationibus profundissimis submergitur, siquis passionum animi excessum subire cogitur, hæc omnes causæ sunt, quæ vires prosternunt: quare præcautione est opus, ne subitò deficiant, præcautio autem impedentis mali velox debet esse.

Quicumq; verò adhuc velociore indigent. Hi sunt, qui lipothymiam patiuntur: cum enim animales actiones deperditæ tunc sint, non possunt per os refici, & tamen præstò refici postulant, ne lipothymia augescente incidant in syncopem: quare & quia velociter succurrendum est, & quia via per os est impossibilis, viam olfactus accipere oportet. Vnde ijs, qui animo linquuntur, rebus odoratis naribus appositis succurrimus, nisi animi defectus ex hysterica passione accidat: tunc enim fœtida iuuant, suauiolentia nocent, cuius rei causam inferiùs reddemus.

Qui autem tardiore indigent. Hoc est, vbi nulla necessitas ad velocem refectionem vrget, solida alimenta commodiora sunt. Iam initio diximus, vbi necessitas cogit, non esse attendendum ad facilem consumptionem: nam quicquid sit de consumptione substãtiæ, quæ posteà sequetur, præsens status vrgentis necessitatis nos cogit, vt totam cogitationem ad restaurationis opus deuoluamus. Hoc ita præstitum est hactenus, scilicet cum veloci, & cum velociore adhuc appositione est opus: nunc verò quia tarda, & per suos gradus (nulla ad celerem appositionem necessitate cogente) restauratio fieri potest, ea alimenta conueniunt, quæ concocta cum fuerint, & membris apposita, imò & in substantiam conuersa, non facilè consumantur, & in halitus conuersa effluãt. Talia sunt solida: ideo qui non indigent veloci appositione, sed tarda eis sufficit, ex consilio Hippocratis, *solido alimento vtantur*.

DISCRI-

DISCRIMEN INTER LIPOTHYMIAM, & syncopen.

QVAESTIO VIGESIMAPRIMA.

Opinio existimantium, differre solùm secundùm magis, & minùs.

Articulus Primus.

1 MVltorum opinio est, inter syncopen & lipothymiam differentiam duntaxat intercedere secundùm magis, & minùs: inter quos Rudius quatuor gradus constituit. Primus est animi deliquium, seu animi defectus, qui græcè lipothymia, seu lipopsychia nuncupatur, in quo virtus pulsatiua confestim quidem imminuitur, vt pulsus euadat admodùm paruus, tardus, & rarus, non tamen in extremo diminutionis gradu. Secundus est affectus ille, qui grecè vocatur syncope, & latinè quoq; syncopis dicitur, siue concisio: & hic fit à causa validiori, in quo pulsus ad vltimam paruitatem, tarditatem, raritatemq; perducitur. In tertio gradu ponitur pulsus ablatus, asphixia græcè dictus, qui quidem à causa adhuc potentiore suboritur, & morti omnium affectuum proximior, ab ea vnico diuiditur gradu. Postquàm autem hos quatuor gradus statuit, adiungit hæc verba: *Cum igitur duo priores affectus, lipothymia videlicet, & syncope sint eiusdem naturæ, & essentiæ sed differant solùm secundùm magis, & minùs, ideo Galenum imitati, & Auicennam, & Paulum, & cæteros omnes, in eodem tractatu de ambobus promiscuè loquendo, vtrumq, prosequamur.* *Eustachius. Rud. de affect. corpor. lib. 1. c. 15.* *G. 12. meth. c. 5. & 1. ad Glauc. c. 14.*

2 Eandem sententiam amplectitur Trincauelius inquiens: *Quòd autem syncopem præcedat lipothymia, non est difficile creditu, cum duo symptomata (vt superiùs diximus) non differant nisi maioris, minoris vè ratione; lipothymia enim increscens transit in syncopen.* Similiter Brasauolus: *Sunt igitur syncope, & exolutio distincta: tamen non differunt, quoad causam, sed solùm quoad intensionem, & remissionem: quia in syncope est perfecta, & magna exolutio: exolutio verò est imbecillis, propterea syncopis causæ sunt etiam exolutionis causæ: imò Galenus eadem ponit, quæ & syncopem facere dicit, atq; exolutionem:* &c. Idem tenet Altomarius: quippe apud eum licèt concisio, seu syncope, & animi defectus non sint vnus, & idem affectus, tamen differunt duntaxat maioris, minoris vè ratione: *Maiorem etenim læsionem, ac virium calamitatem portendit concisio, quàm defectus, licèt ex eadem causa fieri possint, & non alia ratione curentur: quapropter de syncope verba facientes, patebit quoq; & defectus animi curatio.* *Auic. l. 3. fen. 11. tract. 2. c. 6. Paul. c. proprio.* *Victor. Trincauel. in 1. ad Glauc.* *Ant. Mus. Brasauol. ad aph. 41. sect. 2.* *Gal. 5. loc. aff. c. 1.* *Donat. Ant. ab Altomar. c. 55.*

3 Vallesius, quamuis admittat, & sibi placere, dicat, sententiam eorum, qui ita distingunt hæc deliquia, vt lipothymia, aut lipopsychia sit casus animalis virtutis, & syncope vitalis, nihilominùs arbitratur, passionem incipere à facultate vitali, sed deliquium facultatis animalis anteuertere defectionem vitalis: in quo affectu intelligitur, consensum esse grauiorem propria passione; Nam propria facultatis vitalis passio est refrigeratio, animalis consensus est defectus. Si verò aliquis quærat à Vallesio, cur si passio priùs incipit in corde, deliquium, quod ad cerebrum spectat præoccupat syncopen, quæ spectat ad cor, respondet, vitalem facultatem animali esse fortiorem, & proinde plus obsistere iniurijs, & sic antequàm vitalis facultas insigne aliquid perpetiatur, incipere animalem deficere, patiente nihilominùs vitalis, sed leue deliquium. Itaq; priùs adest passio facultatis *Vall. l. 7. contro. c. 8.*

vitalis, nempe refrigeratio, non tamen adhuc deliquium: quippe leuis læsio, antequàm deliquium vitalis facultatis faciat, refugere cogit calorem ad cor: cerebri verò facultas, statim ac destituitur à calido innato deficere incipit, cum quoniam per se est frigidum,& exangue, atq; ideo summoperè indiget cordis suppetijs,tum propter sensus acrimoniam. Hæc sunt, quæ colligere potui ex ijs, quæ tum Vallesius, tū reliqui præcitati auctores scripta reliquerunt. Qui omnes in eo conueniunt,vt lipothymia, & syncope differant quidem, sed non alia ratione, quàm secundùm magis, & minùs. Hoc putant posse elici ex Galeno, dum ait: *Quod si crassi succi neq; obstruant, neq; onerent, syncopen certè non inferunt, sed animi deliquium, siquidem resoluuntur huiusmodi ægrotantes, nisi frequentiùs nutriantur, & tandem ad syncopen deueniunt.* His verbis satis manifestè videtur Galenus asserere, deliquium,& syncopen differre secundùm magis, & minùs, quandoquidem deliquium est via ad syncopen.

Gal. 12. meth. c. 5.

Præcedentis opinionis improbatio, & totius controuersiæ resolutio.

Articulus secundus.

1 SI prædicti auctores vellent duntaxat, minorem affectum esse lipothymiam, quàm syncopen, hoc vtiq; illis libenter concedendum foret: est enim syncope horribilis affectus, & interitui proximus: nam quod Rudius inter syncopen, & interitum collocat asphixian, hoc est, pulsum ablatum, inane quidem est: in syncope enim concidunt pulsus, nempe in incipiente non omnino, in ea verò, quæ completa iam est, insensibiles redduntur, ita vt deficiant quo ad tangentis sensum, nam re vera sinè pulsu non viuitur, vt Galenus latè demostrat. Dicitur ergo asphixia nulla pulsatio, velut aphnæa nulla respiratio: moris enim est apud medicos (vt iam alibi dixi) id, quod non sentitur, perinde esse, ac si non esset. Est ergo syncope (sic definiente Galeno) præceps virium lapsus, à quo tantum distat lipothymia, vt & Hippocrates & Galenus sanguinis missionem ad animi vsq; deliquium ducere non dubitauerint. Itaq; minorem affectum esse lipothymiam, quàm syncopem, concedimus: sicut etiam concedimus lipothymiam esse viam ad syncopem: iccirco enim Galenus, dum sanguinis missionem vsq; ad animi deliquium exerceri posse, ait, vtile est autem pulsuum diminutionibus animum aduertere, tangedo eos sanguine etiam num fluente: cum enim sanguis mitti possit vsq; ad lipothymiam inclusiuè, exclusiuè autem ad syncopem hunc terminum ex pulsu cognoscimus, quippe dum is non deficit, non est timenda syncope: at sinè pulsuum defectione aduenit lipothymia qua (vt Galenus aduertit) *Statim totius corporis habitus refrigeratur, & febris extinguitur: plurimis etiam aluus citatur, & sudores emanant: ac quidam eorum ex his sanitati prorsus sunt restituti: alij valde adiuti, vehementiam ægritudinis absciderunt, &c.*

Gal. 5. loc. aff. c. 1.

Gal. 12. meth. cit.

Ga. de curat. per sang. miss. c. 12.

G. 1. aph. 23.

2 Cæterùm si admittimus, lipothymiam esse viam ad syncopem, videmur necessaria consequutione admittere, hæc duo differre secundùm magis, & minùs. Differunt quidem secundùm magis, & minùs (nam & hoc tertium etiam libet concedere) differunt quidem in hoc, sed in hoc duntaxat: quippe differunt in alio, nempe quòd lipothymia actionum animalium est symptoma, syncope vitalium: vnde diuersam habent prognosin, diuersum curationis modum: prognosis est diuersa, quippe syncope horribile signum est, in quo vita periclitatur; lipothymia non ita. Sed objicietaliquis, lipothymiam interitum repentinum

secum

secum ferre, dicente Hippocrate, *Qui frequenter, ac fortiter, absq; causa manifesta, exoluuntur, de repente moriuntur*. Respondendum in primis est, ex Galeni verbis responsione desumpta: *Non omnes, qui exoluuntur, de repente moriuntur, sed si tres distinctiones adieceris: vnam quidem primam, vt sæpius hoc patiantur: secundam, vt fortiter: tertiam, vt sinè causa manifesta*. Deinde Hippocrates ibi non lipothymiæ mentionem facit, sed eclysis, vtitur enim nomine οἱ ἐκλυόμενοι, hoc est, resoluti. Pro cuius vocis explicatione animaduertere oportet, ab Hippocrate aliquando animi deliquium, seu lipothymiam, ab exolutione diuersam rem dici: vt quando ait, *A tuberculi intus ruptione exolutio, vomitio, aut animi defectio fit*; Quare potest exolutio esse præsagium mortis, cum prędictis tribus conditionibus, quia scilicet per illas virtutis vitalis imbecillitas significatur. H.2 aph. 41. H.7. aph. 8.

3 Sed contra hanc responsionē dupliciter potest quispiā insurgere. Primò, quia Galenus, mortē repentinam accidere, ait, quoniā exolutio frequens facultatis animalis imbecillitatē denotat, non vitalis: quare exolutio debet cū lipothymia confundi, maximè cum Galenus dicat, consueuisse medicos de vna re hęc duo nomina dicere. Secundò, quia ἔκλυσις, hoc est, resolutio quidā semidefectus animi est, ac proinde si repentinā mortem prænunciat, eam magis prænunciabit ipse animi defectus. Ad priorem obiectionem dicendum est, tametsi in græco codice, quem Leonicenus est interpretatus, scriptum sit τῆς ψυχικῆς δυνάμεως, idest, virtutis animalis, & ita etiam legatur in Aldino codice, nihilominùs alios esse codices, in quibus legitur τῆς ζωτικῆς δυνάμεως, hoc est, virtutis vitalis. Hanc lectionem præferunt priori tum Brasauolus, tum Tubingensis, eamq; sequutus fuit Theodorus, qui *vitalis* transtulit: eandem recepit Philotheus. Ex hac responsione respondetur etiam secundæ obiectioni: nam exolutionem pertinere, dicimus, ad facultatem vitalem, ac proinde non esse quidem semi animi defectum, sed semisyncopen: quamuis autem in symptomatum apparentia leuior, quàm animi defectus, videatur, quippe magis sunt animales actiones deperditę in animi defectu, quàm in exolutione, nihilominùs in radice causæ terribilior est exolutio, vt pote quæ prouenit ex imbecillitate cordis, quàm animi defectus, qui potest absq; cordis passione euenire, vt mox dicemus. At Galenum, qui ait, consueuisse medicos exolutionem, & animi deliquium de vna re dicere, respondeo, eum non ignorasse, ex Hippocratis mente, diuersas res esse, nihilominùs loquendi abusum, à medicis receptum, sequi voluisse. G.1. ad Glauc. c.14. Brasauolus. Tubingensis. Theodorus. Philotheus.

4 Itaq; si symptomatum apparentiam per suos gradus deducamus, prior est eclysis, deinde lipothymia, tertio loco syncope: si verò ad causas respiciamus, maiorem affinitatem habet cum syncope eclysis, quàm lipothymia. Sed adhuc sese offert difficultas: nam ex vno animi defectu, nisi succurratur, aduenìet syncope, & ex hac mors repentina: at verò non sic aduenire, dixit, ex eclysi, Hippocrates, sed frequentem requirit exolutionem, ad quam mors repentina, hoc est, syncope, ex qua non resurgit patiens, consequitur. Respondeo tamen, exolutionē frequentem, fortem, & sinè causa manifesta, non esse causam syncopis, neq; mortis repentinæ, sed signum: quippe significat huiusmodi resolutio debilitatem facultatis (vt diximus) vitalis, quæ quidem debilitas hominem repentino interitu aliquando sinit corripi. At animi deliquium potest tamquàm causa, etiam semel eueniens, si tamen perdurauerit, syncopem afferre: nam facultate animali oppressa, respiratio minuitur, qua diminutione cor nec potens fuligines expellere, nec nouo aëre recreari, concidit, & si pergat deliquium, patiens ex syncope non resurgit.

5 Christophorus à Vega, qui tenet quidem, diferre lipothymiam à syncope, non solùm iuxtà magis, & minùs, sed etiam ratione diuersarum actionum, quæ in singulis Chris. a Vega in prgc. 1. aph.

singulis læduntur, in lipothymia animales, in syncope vitales, cum aphorismum præcitatum intelligat de lipothymia, & existimet, hoc affectu frequenter contingente mortem repentinam prænuntiari, dicit, id accidere, quoniam frequens animi defectio imbecillitatem facultatis animalis significat, legit enim cum Leoniceno *animalis*, non cum alijs *vitalis*. Cæterùm cum sequentia Galeni verba, ad facultatem vitalem pertineant, meritò præfertur ea lectio, qua habetur *vitalis*; Galenus namq; prædictis verbis hæc verba apponit; *Sicut & ille, cui, dum exolueretur, cor fortiter palpitabat, atq; hic de repente mortuus est, non aliter, quàm illi, qui vehementissimis cordis affectibus, quos syncopas vocant, arripiuntur*. Sic Galenus: qui, vt significet se vitalis, non animalis facultatis imbecillitatem dixisse, adiungit exemplum cuiusdam, cui facultas vitalis erat læsa, nempe cui cor fortiter palpitabat, atq; hunc, ait, ita diem obijsse, ac alij, quos vehemens syncope corripit. Cum igitur virtutis vitalis imbecillitas sit, quæ mortem repentinam præsignificat, dicendum est, hanc imbecillitatem non efficere animi deliquium, sed efficere exolutionem, & ex hac syncopen: standumq; in decretis, videlicet animi deliquium non ad cor, sed ad cerebrum referri.

6 Non est tamen negandum, cum syncope simul lipothymiam hominem vexare: quippe in syncope sensus, & motus est deperditus, imò magis, quàm in lipothymia: quoniam deficiente cordis calore, actiones viuentis nullæ edi possunt. Accedit, quòd cor deficiens non transmittit spiritus vitales ad cerebrum, ex quo animales restaurantur. Hoc tamen non arguit, nisi connexionem facultatum inter se. Cæterùm potest deliquium in capite originem habere, absq; vlla cordis læsione, quamuis per moram necessarium sit cor lædi, quoniam (vt superiùs diximus) patitur ob respiationis defectum. Hinc damnanda venit Vallesij sententia, qui putabat, necessariò lipothymiam incipere à corde, quamuis ibi ob maiorem resistentiam affectus, tardiùs se prodat: quod accepisse videtur ab Aetio dicente: *Neq; enim fieri potest, vt animi deliquium citra cordis consensum ingruat: nam quia facultas vitalis fortior est animali, magis resistit causa & ideo ante quàm insigniter lædatur sensibiliter vitalis, alta incipit deficere*. At si tam Vallesius, quàm etiam Aetius agant de eo casu duntaxat, in quo deliquium accidit ob nimiam euacuationem, vtiq; concedendum est, cor pati quidem ob spirituum defectum, posse tamen magis resistere noxæ, quàm cerebrum, ac proinde in cerebro citiùs, quàm in corde apparere diminutionem, ablationem vè actionum. Cæterùm hoc non prohibet, posse animalem partem non per consensum cum vitali, sed per propriam passionem pati. Quod ratione euidente confirmatur: nam si maior quantitas spirituum requiritur pro corde, & cerebro simul, quàm pro solo corde, potest pars deficere, quæ cerebro foret demandanda, ac proinde deficiet actio animalis in cerebro: cumq; in corde remaneat quantitas pro corde necessaria, vitalis nihil patietur. Deinde, vertigo fit cerebro patiente non per consensum à corde, & est actio deprauata virtutis animalis: poterit etiam & eiusdem virtutis actio diminui, vel auferri non per consensum à corde. Quare mihi quidem videtur, quemadmodùm frequens exoluito, ex Hippocrate, potest repentinam mortem syncopizante corde prænunciare, ita frequentem lipothymiam posse, cerebro debili existente, præmonstrare futuram apoplexiam, quam vertigo frequens præmonstrat.

Aet. tetrab. 4. serm. 4. c. 67

7 Quare cum ex dictis constet, hos duos affectus ad duo membra principalia diuersa esse referendos, lipothymiam ad cerebrum, syncopen ad cor, & frustra Rudium, & Altomarium vtriq; eandem curationem attribuere: nam licèt vna, & eadem sit curatio in genere, videlicet virium restauratio per ea, quæ velociter restaurant, non propterea eadem curatio elici debet: nam sic etiam pleuritidis, & anginæ eadem esset curatio, vtraq; enim est inflammatio. Cum igitur locorum diuersitas

uersitas diuersam faciat curationem, fit, vt in lipothymia per olfactum restauratio fiat (hæc enim est via, quæ ducit ad cerebrum) in syncope autem per medicamenta, quæ cordis regioni applicantur. Et de his satis.

AN ODORES NVTRIANT.

QVAESTIO VIGESIMA SECVNDA.

1 PRæsens contextus occasionem præstat inquirendi, an odoribus nutriamur: siquidem Hippocrates, eos, qui veloci appositione indigent, humidis reficiendos esse, ait, qui verò adhuc velociori appositione, hoc est, velociore nutritione, per olfactum. Quare turpiter, vt solet, errat Satyrus existimans, magnum Senem, cum de restauratione per olfactum loquitur, non accipere odores sub ratione alimenti, sed medicamenti: aitq;, *Nulli dubium existimans Hippocrates, quæ per olfactum assumuntur, nullam habere alimenti rationem, sed esse pura medicamenta, de illis agens nec medicamenti, nec alimenti nomen dedit, vt pote rei satis euidenti, ac per se nota viro sapienti*. Quid ais Satyre? Nunquid Hippocrates ijs, quæ assumuntur per olfactum, alimenti nomen non dedit? Ignoras ne, comparatiuum nomen supponere positiuum? Non ne dixerat, *Quicumq; veloci appositione indigent*? Non ne addit, *Quicumq; verò adhuc velociore indigent*? Non ne appositio nutritionis siue pars, siue ministra necessaria est? Si igitur priùs velocem appositionem dixit, cum deinde dicit velociorem, cur non subintelligit appositionem? Quod si velociorem appositionem per olfactum fieri, ait, velociorem nutritionem intelligent viri sapientes; & sic dicent, Hippocratem alimenti mentionem fecisse, vt pote qui alitionis facit mentionem. Libet ergo tibi viros sapientes adire, & ab eis addiscere, an Hippocrates cum ijs loquutus reticuit nomen nutrimenti.

2 Accedit occasioni, quam mihi huius contextus explicatio offert, alia occasio, quam Satyrus pro sua in me beneuolentia præstat, nempe vt coniectas ab illo in me calumnias, in illum conuertam: quod quo iure faciam, emunctæ naris homines iudicent: meum erit historiam narrare. Quoniam Ioannes Manardus, vir alioquin valde doctus, & de medica arte optimè meritus in hoc mihi videtur fuisse lapsus, quòd asitiam longi temporis odoribus suppleri posse existimauit, eum (vt vnicuiq; est concessũ) rationibus in tractatu de asitia impugnaui. Saltans in scena Satyrus se prodit, & in primis capituli illius inscriptionem damnat: hoc illi est familiare, grãmatices, quã prorsus ignorat, errores notare velle, & sic in errores incidere grauiores. Inscriptio est, *Refutatur quidã, qui, asitiam odoribus suppleri posse, est opinatus*. Hanc phrasym ferula dignissimã esse, censet. At ego non te adhuc manũ ferulæ subduxisse, Satyre, censeo. Audi parumper, & ferulam, quam mihi parasti, experieris. *Suppleo*, apud grammaticos, est, aliquid in deficientis loco pono: de hoc ne dubitas? Stultus es. Si non dubitas, cum asitia sit defectus cibi, seu mauis, non cibus, in huius defectus loco ponito odores, sic supplebis asitiam. Hanc tu forsan loquutionem, vt insolitam damnas, ego, vt receptam à probatis auctoribus, recipio. Plinius Cæcilius in quodam epistola sic ait: *Sed quod cessat ex reditu, frugalitate suppletur*. Oportebat te, causam afferre, cur tibi non placuerit hæc phrasis. Sed magnus homo es, legislatores imitari vis: tua tamen delatoria curiositas te fallit.

pag.25 De asitia c. 2. Plin. Cæcil.

3 Arguis, quòd Manardi sententiam breuissimè conuellam, in qua destruenda tot argumentorum machinas olim admouisti. Hic tu (prouerbio tuo vtar, nam

Plutarch. vtilitatem ab inimicis capiendam docet Plutarchus) libris me cohortas: quid enim honorabilius est, quàm paucis id rectè pertractare, quod ab alio multis perperam dictum est? Sed tu impudenter caulam vis agere. Cautam agito; cauta cades, ni iudices tui similes eligas, quales describit Homerus:

Homer.

Qui per vim, in populi cætu, communia iura
Deprauant, ac iustitiam depellere tentant,
Nil veriti vocem Diuûm.

Postulas, vt mea cum tuis lector comparet: conuenio. Quid pro te affers? Loquacitatem: nam Argenterij senteniam, paucis verbis prolatam, viginti capitibus te impugnasse iactaris; miror Satyricum caput tot capita produxisse, quibus miserum Argenterium proteruè arietasti. Diffluebas otio, quãdo tot capitibus lectori caput voluisti frãgere: neminem nec ita otiosum, qui tot capita, vel leuiter, percurrat, nec ita ferreo præditum capite, qui tot capita legere sustineat. Tu affectata quadam phrasi, me de ieiunio ieiunè tractasse, ais: ego prouerbiali loquutione, te de eodem vsq; ad nauseam scripsisse, inquio: dupliciq; nomine tuarum ineptiarum sordes stomachum mouere, dici possunt, & quod ad nauseam, & quod ad indignationem.

4 Postquam duas opiniones impugnaui primam, quæ tenet aliās odore nutriri, alteram, quæ aëre, ante quam vlterius progrederer, mihi visum fuit, lectorem admonendum esse, vt quando apud Aristotelem argumenta reperiet, quibus alitionem ex odoribus, à Pythagoricis receptam, reijcit, quid odoris nomine ibi accipiendum intelligat, & sic vltimam manum nutritioni, ex aëre, & ex odore imposui. Hic Satyrus ordinis defectum mihi exprobat, maximus ille ordinis obseruator, in cuius libro, quem chaos appellant omnes, nullus ordo, sed, velut apud inferos, sempiternus horror inhabitat.

Arist. de sensu & sensil. c. 5.

5 Sed, vt omnis calumnia diluatur, me proposuisse, ait, demonstrare, quid odoris nomine Aristoteles intelligat aduersus Pythagoricos, & tamen in toto capite nihil prorsus de proposito à me esse actum, cum totus verser circa nutritionem solidorum. Hic ego iudicem Tenedium volo, qui bipennem à tergo habeat, quã te percutiat: nam alioquin, vt Budæus, ex Aristotele, ait, facilius cauum à concauo, quàm hircosa inscitia ab improbitate disiungitur. Percurrat, precor, lector capitulum propositum: breue est, non molestum præ longitudine. Cum Pythagorici vim nutriendi odoribus tribuerent, declaro, fundamenta Aristotelis non vltra se extendere, quàm ad impugnandam membrorum solidorum nutritionem, non autem refectionem spirituum per odorabilia. In hanc rem transtuli ex Aristotele tria argumenta, quibus Pythagoricos impugnat, vt inde manifestum remaneret, quid odoris nomine intelligat Philosophus, nempe substantiam vaporosam refectioni spirituũ accommodatam, non qualitatem odorabilem: nam circa hanc neq; cum Pythagoricis, neq; cum quodlibet alio rationis participe controuersia esse posset: quis enim vel parùm in philosophia initiatus est, qui ignoret, nutritionem esse repositionem substantiæ, substantiam autem non nisi ex substantia posse fieri.

Adagium. Budæus.

In quo differant circa odoris naturam Aristoteles, & Galenus.

Articulus Primus.

1 REM tibi hanc, Satyre, nunc enucleatam dabo, quam in tractatu de asitia sapientibus, quasi leui quodam nutu, significaui. Non dubitaret

ret Galenus, odorem propriè, & per se, sensibile quoddam cum sit, qualitatem esse substantiæ inhærentem, non substantiam ipsam: quippe obiecta sensuum externorum, quæ sunt causæ passionum in sensibus, qualitates tertiæ speciei sunt, nempe patibiles: odor autem in sensu olfactus, sicut color in sensu visus, sonus in sensu auditus, sapor in gustu, primæ autem qualitates in tactu, sunt obiecta, ac proinde causę obiectiuæ sensationum horum sensuum: sunt ergo qualitates. Itaq; quamuis in Galeni scriptis nihil inuenio, ex quo circa hoc eius mens elici possit, tamen in re adeò manifesta nequaquam putauerim, eum à veritate potuisse aberrare.

2 Cæterùm an odor, qui est qualitas, nec potest à substantia vnquam naturaliter separatus existere, simul cum substantia, cui inhæret, organum sensus alteret, an per speciem à se emissam, non videtur Galeni schola cum schola Aristotelis conuenire. Peripatetici ex magistro eliciunt, olfactum specierum ministerio fieri: quippe expresè tenet, olfactum esse per medium, vt aërem, & aquam. Quòd si substantia, qualitate odorabili imbuta, organo accederet, illudq; per se moueret, nullum esset medium externum inter organum, & obiectum. Quare dum Philosophus, sensum odoratus per medium fieri, ait, simul etiam per speciem fieri affirmare, censetur. *Ar. 2. de anima tex. 96.*

3 Deinde substantia per se non est sensibilis, sed per suas qualitates: quamuis enim sentire, ex parte organi, sit quædam passio, ex parte obiecti est actio: at actio non fit à substantia, nisi quatenus est qualitatibus imbuta. Fiet ergo olfactio à substantia odorabili per suam qualitatem, nempe per suum odorem, sicut ignis calefacit per suum calorem. At hoc ita fieri, est impossibile: nam tametsi qualitates primæ, inhærentes substantiæ, agunt producendo sibi simile, hoc qualitatibus secundis non est concessum. Sicut igitur color non producit colorem, sic nec sapor saporem, nec odor odorem. Necessarium ergo est, vt per speciem diffusam odor, non realiter, sed intentionaliter, vt loquuntur scholastici, sensorium alteret.

4 Tertiò, odor consistit in sicco superante humidum. Cum ergo duo elementa aër, & aqua, sint, in quibus præpollet humiditas, fumida, substantia odorabilis, per quodlibet istorum transiens, qualitatem suam, nempe odorem relinqueret superante humido: quare non aliter quàm per species, in aërem, vel aquā diffusas, poterit odor ad olfactus organum peruenire.

5 Tandem substantia odorabilis, quantumuis fumida, & tenuis, è longinquo adueniens vel impellit aërem, vel cum illo penetratiuè est: penetratiuè esse naturaliter nequit: aërem impellendi facultatem, & vim non habet: quare non per realem mandationem substantiæ, sed per intentionalem speciei diffusionem odor ad nares accedit. Accedit rationibus experimentum: nam vultures in quingentorum milliarium distantiā cadauerum fętorem percipiunt: non est autem credibile, ad tantam spatij longitudinem posse substantiam tenuem, absq; dissipationis detrimento, deferri.

6 Aliter tamen Galenus sentire videtur, cuius verba hic apponam: *Aliquid verò, quod inter naturam aëris, & humoris est, in odorandi sensum cadit, quod neq; ita tenue est, vt aër, neq; ita crassum, vt humor: id enim, quod à rerum corporibus exhalat, odoris substantia est, quod ex rosis maximè, similibusq;, quæ sic tenera sunt, cognoscere licet, quorum omnium corpora celeriter minora, & sicciora redduntur: ex quo apertè intelligitur, ex earum rerum substantia partem humidiorem in halitum digeri.* Sic ille, qui experimento sumpto ab odorabilibus, seu fructibus, seu floribus, citò flauescentibus, ostendit, inde effluxisse aliquid, ex cuius deperditione & substantia minuitur, & odor deperditur. *Gal. de instru. odor. c. 2. in fine.*

7 Deinde tymiamatum odor non statim ad nares accedit, sed aliquo temporis spatio interiecto, postquam oritur suffumigatio: imò & vento ex aduerso spirante impeditur, distrahitur; hoc autem speciei intentionali non sic contingeret, sed aduersùs vim venti, in instante nares attingeret, & sentiretur.

8 Prætereà per olfactum nutritionem velocissimam spirituũ fieri, testantur tũ Hippocrates, tum Galenus: quòd si impropria nutritio est, quippe influentes spiritus nec viuunt, nec propriè nutriuntur, at saltem est restauratio substantiæ. Testatur etiam Plinius, testatur & Strabo, quorum vterq; narrat, Astonomos, gentem Indorum, ad extremos Indiæ fines circa fontes Gangis, solo odore, quem è floribus, & pomis captant, viuere. Hoc si fabulosum est, non est fabulosum, fœtũ in vtero existentem, si debilescat, & langueat, rebus odorabilibus vmbilico matris adhibitis vires recuperare. Hoc autem à sola qualitate, seu specie intentionali fieri, quis dixerit? Nec valet, si respondeatur, fœtum non nutriri per olfactum: nam satis est, fumidam, substantiam, quæ per nares exciperetur, per vmbilicares venas delatam, refectioni substantiæ sufficere.

Strabo lib. 16. Plin. l. 2. c. 2.

9 Sic vtrinq; strenuè pugnatur. Cæterùm mihi pugna magis videtur esse cum Aristotelicis, ijsq; non omnibus, quàm cum Aristotele. Dixi non omnibus, quia Alexander, Ammonius, & Boetius, & recentiorum philosophorum complures, odorem secundùm esse reale diffundi, constanter tenent. Dixi neq; cum Aristotele, quoniam apud illum, istarum specierum ad sensum olfactus mentionem factam, nusquam inuenio: imò potiùs apud eum verba inuenio, quæ me inducunt, vt credam, illius mentem ab huiusmodi intentionalibus speciebus fuisse valde dissitam: inquit enim post alia, quæ ad hanc rem faciunt, se breuitatis gratia his prætermitto, *Quid igitur est aër, præter pati aliquid? An odorare sentire est? Aër autem passus mox sensibilis fit.* Ex his verbis manifestè colligitur, aërem qualitatem odorabili imbutum esse obiectum sensibile olfactus: aërem autem ad organum istius sensus accedere, manifestum est, maximè cum idemmet Philosophus dicat, hominem, aut si expiret, aut retineat spiritum, neq; eminùs, neq; cominùs odorare, neq; si in nasum intus ponatur. Quare si inspiratione sola, qua aërem attrahimus, sensatio odorandi fit, non ad speciem intentionalem, sed ad corpoream substantia in organo mutationem præstante, sensatio isthæc referenda est. Prætereà ex eiusdem Philosophi decreto, *Odor fumida euaporatio est.* Nec verò reprobat sententiam Heracliti, quam refert: *Quòd si omnia entia fumus fiant, nares vtiq; discernerent*: imò in huius rei confirmationẽ adiungit: *Ad odorem autem omnes deferuntur, hi quidem tamquàm euaporationem, illi verò tamquàm exhalationem, illi autem vtraq; hæc*: Et alibi: *Natura odoris vapor quidam, & delatio est, quæ calore existunt, motus etenim quidam sunt, calor autem mouendi vim obtinet.*

Ari. 2. de ani. tex. 127.

Ar. 2. de ani. tex. 98.

Ar. de sensu, & sensil. c. 2. & c. 5.

Arist sect. 13. prob. 5.

Ar. 2. de ani. tex. 74. 75.

10 Duo tamen sunt apud eundem, quę difficultatem mouere possent: primum, quoniam latè demonstrans, sensibile positum supra sensum non facere sensationem (quæ propositio multos torquet) adiungit: *Eadem autem ratio est & de sono, & odore: nihil enim ipsorum, tangens sensorium, facit sensum: sed ab odore quidem, & sono medium mouetur, ab hoc autem sensorium vtrumq;. Cum autem super ipsum sensorium aliquis apposuerit olens, aut sonans, nullum sensum facit. De tactu autem, & gustu, sese quidem similiter habet, non autem videtur.* Hæc verba videntur, species intentionales admittere tum in olfactu, tum in auditu, siquidem nec sonus, nec odor sentiuntur per se, verùm per medium, quod à sensibili mouetur, & sensorium mouet. Cæterùm siquis rectè ea, quę Philosophus dicit, considerauerit, inueniet, eius mentem esse proportionem ostendere inter obiectum odorabile, aut audibile, & organum vtriusq; sensus: nam hi per medium feruntur, illudq; immutant, adeò vt substantia medij sit illa, quæ cum organo proportio-

portionem habet: medium autem auditus est aër, odoratus quidpiam innominatum commune aëri, & aqua. Adeò verò hæc proportio in omni sensatione est requisita, vt etiam in tactu, atq; in gustu, qui quidam est tactus, medium dari, contendat, tametsi non conspicuum. Non igitur hinc inferri possunt species intentionales: quippe sonus fit aëre alterante aërem, qui in organo auditus existit: odoratus fit alterante vaporosa substantia vaporosam illam substantiam, quæ inest processibus mamillaribus: hìc enim olfactus instrumentum cum Galeno collocamus, non in nasi tunica cum Aristotele, quem in hoc etiam sectatores eius ferè omnes deserunt. Itaq; omnibus sensibus est commune sentire per medium, nempe gustui, & odoratui per inconspicuum, & ferè nihil distans, auditui, olfactuiq; per distans vsq; certum quoddam spatium, visui per medium magis longinquum. Vtrùm verò visio per species fiat, disputent alij: interim agnoscant velim, Platonem, qui subtilissimus fuit philosophus, & intentionalius idearũ amator, has species sensibiles non cognouisse: modum etiam, quo visionem fieri, dixit, tametsi Aristoteli non placuit, placuisse tamen Galeno.

11 Alterum est, quòd idem Philosophus has species intentionales videtur appellare formas sinè materia, & sinè his sensationem fieri non posse, dicit in hunc modum: *Oportet autem vniuersaliter de omni sensu accipere, quòd sensus est id, quod est susceptiuum formarum sinè materia, vt cera annuli sinè ferro, & auro recipit signum: Accipit autem aureum, aut æneum signum, sed non in quantum aurum, aut æs. Similiter autem & sensus vniuscuiusq; ab habente odorem, aut saporem, aut sonum patitur, sed non in quantum vnumquodq; illorum dicitur, sed in quantum huiusmodi, & secundum rationem.* Idem repetit infra dicens, *Vnumquodq; enim sensorium susceptiuum est sensibilis sinè materia.* Sic Aristoteles. Cęterùm non loquitur de specie sensibili, quæ antecedit sensationem, quam nos nunc inquirimus, sed de specie sensibili, quæ fit per sensationem: iccirco his vltimis verbis adiungit: *Vnde & abeuntibus sensibilibus insunt sensus, & imaginationes in ipsis sensorijs:* quasi velit, formas illas, quas sinè materia appellat, relinqui in organo, sed non inde infertur, eas prius, quàm ad organum accederent, fuisse à materia separatas. Hoc comparatione ab eodem allata facillimè declaratur. Annullus ex ære, & auro imprimit signum in cera, non signum æris, aut auri, sed figuræ, quam in se habet: sit obiectum imprimit organo sensus speciem, non quidem anteà ab obiecto separatam, sed solam imaginem, seu figuram: quemadmodùm enim cera incapax est recipiendi in se æs, aut aurum, sic organum sensus, prout sensitiuum quoddam est, incapax censetur alterius rei, quàm imaginis. Hinc est, quòd aër patitur quidem ab obiecto audibili, aut odorabili, quippe immutatur realiter, sed non iccirco aër audit, aut odorat: sensus verò maximè, quia scilicet intentionalem mutationem recipit: hæc enim in sensitiuo est, & per hanc sensatio editur. Porrò species has intentionales in potentia cognoscente non negamus, in medio externo non admittimus. Omitto, quòd istę imagines, quò magis progrediuntur, eò magis depuratæ euadunt: vnde in sensu communi puriores sunt, quàm in sensu externo: in imaginatione puriores, in cogitatione adhuc magis: cęterùm semper vnius ordinis, nempe sensitiui. Cum verò ad alterum ordinem, hoc est, ad intellectiuum promouentur, maiore auxilio opus habent, nempe intellectu agente illustrante phãtasmata, & ex sensatis efficiente non sensata, ac tandem constituente intelligibilia in actu, quæ sunt tria intellectus agentis officia omnino necessaria.

Ar. 2. de ani. tex. 121.

tex. 138.

Quid

Quid Aristoteles contra Pythagoricos, ex quo controuersia resolutio pendet.

Articulus secundus.

1 NON est credibile Pythagoricos, viros sapientes, & magni preceptoris doctrina admirabili imburos, quando, aliqua animalia odoribus nutriri, dixerunt, odorum nomine eam qualitatem intellixisse, per quam substantia dicitur odorabilis. Neq; Aristoteles quidem hoc crimen eis imponit: si quidem dum aduersùs eos argumentatur, non in hoc significatu odorem accepit, in quo si accepisset, facilè eos conuinceret: ostendit autem qualitati non esse concessum, in substantiam conuerti. Sed tota argumentorum eius vis consistit in ostendendo, substantiam fumidam vaporosam, quæ fertur ad nares, & olfactui se offert, non esse aptam, vt nutriat.

2 Prima eius ratio est: *Quod oportet, cibum esse compositum: etenim quæ nutriuntur, non sunt simplicia: quare & superfluitas fit cibi, aut in ipsis aut extra, sicut in plantis.* In hac ratione considerare oportet, compositum accipi pro corpulento, ac proinde dici, odorem non esse aptum ad nutriendum, quoniam non est corpulentum: nam si compositum intelligeret, hoc est, mistum, sibimet contradiceret: cum enim hic reijceret odorem ab alimentorum censu, quia simplex est, alibi verò elementa, quæ corpora sunt simplicia, odorata esse, negat, & odores ex humido, & sicco, præualente tamen sicco, compositos esse, affirmat. Quare sibi non constaret, si contra Pythagoreos disputans, odoribus simplicitatē tribueret. Ergo compositi nomen corpulentum accipit: quare sapores, dicit, esse simplices, hoc est, minimè corpulentos, & valde tenues: quod ipsemet declarat, vbi quærens, cur odorata generatam seminum, quàm plantarum mouere vrinam possiat: vbi causam referens ad caliditatem adiungit, *Odor quoq; nullam corpulentiam gerit.* Itaq; ex eo, quòd partes nostri corporis compositæ sunt, hoc, corpulentæ, ac proinde corpulentum postulant alimentum, arguit odores, qui nullam corpulentiam gerunt, non posse alimenti sortem subire. In quo argumento manifestè, se intelligere, ostendit, sub nomine odoris, non qualitatem tertiæ speciei, sed substantiam fumidam vaporosam.

Ar. de sens. & sens. c. 5.

Ar. sect. x. problem. 49.

3 Verùm, vt obiter, in Pythagoreorum gratiam, imò in gratiam Hippocratis, & Galeni, qui, odores nutrire, aiunt argumenta isthec aristotelica soluamus, respondendum est, non nutriri quidem odoribus membra solida, quæ corpulenta libet appellare, nisi secundùm eam partem, quam spirituosam dici, iam superiùs satis demonstrauimus. Quòd Conciliator inter plures alios elegantissimè mihi expressisse videtur; inquit enim, *Odor nutrit nutritione etiam vera spiritus.* Vocat veram nutritionem, non quòd verè nutritionis modo, tres pertranseat coctiones, nam sic spiritus non nutriuntur, sed veram dicit, realem refectionem, non autem alterationem, quæ fit per qualitates. Hoc explicat inquiens: *Non autem verè nutrit, quando occurrit olfactus organo, cum sit tunc qualitas simplex, & adhuc intentionalis ferè magis: prius autem vt in medio corporeitatem participat. Potest igitur dupliciter, vt & calor, communiter accipi, pro corpore videlicet odorabili, & qualitate odorifera: partes autem crassiores, vt carniformes, magis, quàm certè nutrit, qualitate eas confortando.* Doctrina, his verbis contenta, magni quidem in re proposita facienda est: siquidem in odore qualitatem considerat, quæ partes solidas afficit confortando illas: quippe qualitas isthæc suauis, subinde naturæ nostræ, hoc est, calido innato amica, eum allicit, & allectum exsuscitat, susci-

Concil. diff. 155.

suauitatis propriam conditionem sequitur: est eius propria expansio: hac membra omnia recreantur, fouentur: sicut è contrario graueolentia, naturæ inimica, & putredinem præ se ferentia, naturam ad fugam suadent, fugiens innatus calor membra deserit, quę eo, à quo vitam accipiunt, deserta languent, & relaxantur. Quemadmodùm enim cibum insuauem abhorret natura, eumq; membra reijciunt (vnde parum deteriorem potum, ac cibum, sed suauiorem deterioribus minùs suauibus præfert Hippocrates) sic odorem insuauem reijciunt partes olfactui dicatæ, & post has reliquæ omnes, suauem autem amplectuntur. Vlteriùs quemadmodùm anima, quę forma est corporis, priùs ex affectibus alteratur, deinde corpori alterationem communicat (hinc contingit, vt multoties & passiones animi pariant morbos, & à morbis etiam ægrum corpus possint liberare) sic è corpore in animum redundant mutationes, & corpus suaui odore delinitum animo blandimentum offert. Itaq; ex passionibus priùs animus læditur, dein corpori læsio communicatur, aut si ab aliqua, v. g. à gaudio, gestit animus, & expanditur, corpus expansione spirituum roboratur, exsurgit: ab odoribus tetris corpus conturbatur, à suauibus confortatur, & hac mutationes corpus, sic affectum, animo impertit: hinc graueolentia animum molestia afficiunt, suauia voluptate. H. aph.

4 Quod si ab eodem Conciliatore quæramus, quas vias suscipiat odor, postquàm per nares ingreditur, vnam facilem nobis afferre posset, videlicet per processus mamillares ad cerebrum. Hæc lipothymię succurrit: spiritus namq; cerebri velociter nutrit. Cęterùm vt animales etiam spiritus odoribus refici ostendat, & simul vitales, per longiores ambages iter describit, qua vapor odoris cor petit: nam *Transiens per tracheam arteriam in pulmonem, & cor, deniq; per arterias iuueniles in rete mirabile, vbi digeritur non parùm; & vltimo in cerebrum pertingens, & digestior factus, spiritus nutrit, & reparat dissolutos.* Hoc autem ita debemus accipere, vt quando à corde ad rete mirabile ascendit, iam sit conuersus in alteram formam, nempe in spiritum vitalem, ex quo fit animalis. Scio, Augenium & alios hic Conciliatorem reprehendere, quòd plexum mirabilem admittat, quem illi negant: sed non est, quòd negent hunc plexum à Galeno inuentum, quod ille appellat πλέγμα δικτυοειδές, id est, rete mirabile, cognitum ab anatomicis. Quoniam verò idem Conciliator addit, *Non autem verè nutrit*, & iam dixerat, *Nutrit nutritione etiam vera*, excusandus est; nam nutritionem veram intelligit, vt diximus, quę non sit sola recreatio per amicam qualitatem, sed restauratio per substantiam: posteà autem dicit, non verè nutrire, quia non est nutritio vera illa, qua spiritus influentes nutriuntur, vt superiùs manet explicatum.

5 Altera ratio Aristotelis aduersùs Pythagoricos accipitur ex ineptitudine ad coctionem: cum enim nutritionem præcedat coctio, si odores non possunt concoqui, inepti sunt ad nutriendum. Ait ergo. *Adhuc multò minùs rationabile, aërē corpulentum fieri*, hoc est, incrassari, quippe vt idem met alibi ostendit, *Necesse est, quæ concoquuntur crassiora, & calidiora esse.* Hic etiam non excludit odorem à ratione substantiæ, sed supponit, eum ob suam valde tenuem, & quodammodò aëream substantiam non posse crassescere, sicut neq; aqua, quam iam in superiore argumento à nutrimentorum serie reieceret, quia simplex est, hoc est, quia tenuis, & quę crassescere corpulentiamq; acquirere nequit: non quia simplex, hoc est, quia elementum, quippe iam diximus, odores non esse corpora simplicia: aqua autem, qua vtimur, vix corpus simplex potest appellari: argumento huius rei est, quia putrescit. Ar. 4. meteo. c. 3.

6 Neq; etiam hac secunda ratione magis, quàm priore conuincuntur Pythagorici: cum enim supponitur, nutritionem non esse illam veram, qua alimentum coctiones pertransit, priùs quàm nutriat, sed esse restaurationem deperditorum spirituum absq; appositione, & alijs actionibus ad veram nutritionem requisitis, &

hanc

hanc nutritionem non veram, plerumq; ab Hippocrate sinè addito, nutritionem appellari, non est; cur eam excludamus, ea sola ratione, qua coctionem subire nequit: imò vero eius coctio impropria est, sicut nutritio impropria nutritio: impropriam vtramq; esse, inquio, nam ad rationem nutritionis veræ non accedit ob eam quam dixi, causam: ad coctionis autem veræ rationem deest illi, posse incrassari, atq; propterea si quis propriè loqui velit, non nutritionem, sed restaurationem, non coctionem, sed elaborationem dicet. Est autem elaboratio, quia, vt spiritus fiant, materia elaboratur, ita vt contrarium coctionis officium patiatur: coctio enim incrassat, elaboratio attenuat: est enim substantia spirituosa tenuior vapore, ex quo illa reficitur.

7 Tertia ratio aristotelica accipitur ex defectu officinæ, quæ nulla huic alimento conficiendo instituta à natura est: inquit enim Philosophus, *Ad hæc autem non omnibus est animalibus locus receptiuus cibi, à quo trahens, accipit corpus, odorabilis autem sensorium in capite, & cum spirituosa intrat euaporatio ne, quare ad spiratiuum vadet vtiq; locum.* Hæc verba multò meliùs ostendunt, Philosophum de euaporatione odorabili loqui, non de sola qualitate.

8 Hæc etiam ratio parùm efficax est: nam cum de spirituum nutritione loquamur, non deest officina, vbi hi fabricantur: non quidem inter naturalia membra, quippe (vt iam superiùs dictũ est) vegetabilis animaliũ duplex est, pro ratione duplicis substantiæ, quam oportet vegetari: vna est alimenti solidi, & in hac conueniunt animalia cum plantis: quare plantis aliquid ventriculo, iecori, venisq; respondens inest; Altera est alimenti spirituosi: & in hac non coueniunt cum plantis, ac propterea alibi separatam habet officinam, nempe in corde: quapropter, sicut membra ventriculo, & iecori circumuicina, appellantur naturalia, ita cordi proxima spiritalia dicuntur.

9 Cæterùm concludit Aristoteles: *Quod igitur non confert ad nutrimentum odorabile, secundùm quod odorabile, manifestum. Quod tamen ad sanitatem, & ex sensu, & ex dictis manifestum. Quare quod sapor in nutritiuo, & ad nutrienda hoc est ad sanitatem odorabile.* Hoc si ille comparatiue diceret, vt scilicet sapores magis conferant ad nutrimentum, vtiq; tolerabile esset, & sic à Contareno recipio id, quod ait, *Inter accidentia alia omnia, post sapores odor maximè confert ad nutrimentum:* Et paulò infra, *Sicut natura odoris perfectior est, quàm saporis neq; ita pertinens ad nutrimentum.* &c. Neq; est negandum, condimenta aliqua esse, quibus sapor cibis conciliatur, aliud non inutile etiam, quibus odor. Quid autẽ sapor aliud cibis præstat, nisi vt hi iucundiores facti, meliùs à ventriculo comprehendatur? At hoc idem odores præstare, manifestum est. Atq; hoc in ratione nutrimenti partium solidarum: in ratione autem nutrimenti spirituum, cum odor in substantia vaporosa consistat, longè aptior est ad nutritionem, quàm sapor, qui in humido cõsistens, in substantiam spiritosam non facilè transmutatur.

Contaren. li. 5 de elementis.

10 Porrò duo ex hac disputatione accipimus. Vnum est, Aristotelem argumenta sua ita formasse, vt non videatur qualitatem nudam intelligere, sed simul cum fumida substantia. Alterum, prædicta argumenta non impedire, quominùs odor sumptus pro hac euaporatione nutriat substantiam spiritosam, quam Hippocrates, velociter nutriri, desiderat. Est itaq; substantia vaporosa, & odorabilis accommodatum, & velox spirituum nutrimentum. Dixi accommodatum, quoniam ex lege contrariorum, si fætores spiritum corrumpunt, & subinde vires dissoluunt, odores boni eosdem debent reficere, & reficiendo virtutem corroborare. Dixi velox, quoniam siue per nares ad cerebrum, & pulmones feratur, siue per arteriarum pulsationem, paucissima hic vapor mutatione indiget, vt in spiritum conuertatur.

11 Præterea si aër non simplex (is enim nusquam est) sed qui pro simplice habetur,

betur, nempe hic, quo vtimur, quamuis sit insipidus, materiam spirituum generationi præstat, quanto magis præstabit aërea quædam, videlicet vaporosa substantia, quæ odorabilis cum sit, saporis etiam est particeps? Quippe hæc duo ex Aristotele se inuicem consequuntur. Quòd si Galenus aliquando, materiam spirituum aërem, & sanguinis vaporem esse, dixit; & de odorabili substantia non est loquutus, non propterea negauit, eam esse spirituum nutrimentum, sed sub aëris nomine comprehendit eandem: neq; enim hoc negare posset, si vellet: quippe alibi duplicem substantiam in corpore nostro inesse cognocens, carnosam, & spirituosam, hanc breuiter reficiendam, dixit: breuem autem, hoc est, velocem nutritionem si per olfactum fieri negaret, Hippocrati contradiceret, cui tamen adhære t. *Arist. de sensu & sensil. c. 5.* *G. 2. aphis.*

12 Vlteriùs autem nutritio per odores progreditur, in memoriam namq; reuocare oportet id, quod superiùs manet declaratum, videlicet spiritum implantatum, esse partem nostri corporis, ac proinde viuere, & nutriri vera nutritione: huius autem substantiæ proprium nutrimentum sunt spiritus influentes. Hinc colligo, odores, licèt propria, & primaria actione non nutriant partes istas spirituosas, seu spiritum implantatum, nutrire tamen remotè, seu secundariò, quatenus sunt materia spirituum influentium, qui influentes implantatis præstant alimentum. Sunt igitur influentes implantatorum materia, influentium verò aër, vapor sanguinis, & vapor odorus: neq; horum singula per se sufficerent, sed aër simul, & sanguis tempore sanitatis: tempore verò morbi, vt in exolutione, syncope, lipothymia, & vehemente virium langore, primatum obtinet odorabilis vapor, quippe velociter nutrit. Verùm, quoniam saltem remotè substantiam solidam odorabili vapore nutriri, diximus, videmur incidere in Manardi opinionem, qui asitas, hoc est, eos, qui sinè cibo viuunt, odoribus sustentari, ait: cuius tamen sententia in examen reuocanda est. *Sup q. 19. n. 2*

Ioannis Manardi sententia in examen vocatur. Articulus Tertius.

1 Placet mihi Manardus, qui ait, falsum esse id, quod ex vulturum argumento Auerrous primò, dehinc Aponensis, & recentiores multi existimarunt, qui odorem per speciem quandam solam, quam vocant intentionalem, nulli substantiæ innixum ad cerebrum dicunt accedere. Nam odor, vt inquit Aristoteles, est humida quædam euaporatio: sed & Galenus, effluxum quendam corporum esse, definiuit. Quare corporeum quid esse oportet, non merè spirituale, & simplex id, quod per olfactum sentitur. Hæc quidem Manardi sententia iam satis à nobis articulo primo huius quæstionis est inculcata, & ampliùs in responsione ad argumenta, quibus, species istæ intentionales induci posse probabatur melius confirmabitur. *Ioan. Manard. li. 18. epist. 6.*

2 Cæterùm non debuerat Manardus adeò tribuere huic substantiæ vaporosæ, vt inde inferret, veram esse Astonomorum historiam, qui odoribus nutriuntur: quippe alimentum aëreum, & valde tenue poterit quidem per paucum tempus hominem in vita sustinere, diu autem non potest; Nam si ille, qui sorbitionibus duntaxat sustentatur, vitam trahit debilissimam, & quæ facilè à quouis labore resolutis viribus deficit, vnde (vt superiùs ex Hippocrate diximus) eorum, quæ velociter nutriunt, veloces fiunt excretiones, hoc est, celeres effluxus, profectò multò minùs poterit solis odoribus sustentari, qui solis iuculentis vix sustentatur.

3 Quod verò assumit ad probandum, solida membra odoribus refici, nempe quia in nutritione conualescentium odores vino comparantur, cum tamen conualescentibus non solùm spiritus, quàm solidæ particulæ sint exhaustæ, gratis hanc paritatem facit: quippe vinum, vt supra manet demonstratum aduersus Mercurialem, consistentiam habet, odor non habet. Quare in extenuatis, in quibus & spiritus, & substantia solida deficiunt, odores spirituosam partem restaurant; vinum autem, quod simul & consistentiam, lentoremq; , & odorem habet, vtramq;. Sunt quidem spiritus nostri corporis substantia corporea: neq; enim cum medicè loquimur corporeum incorporeo, quasi corpus spiritui, opponimus, sed spiritū appellamus id, quod tenue est, ac veluti aër inconspicuum; Vnde apud Hippocratem in libello de flatibus, aër, ventus, flatus, spiritus, nomine spirituum significantur.

H. de flat.

4 Democritus, qui triduo solo panis odore fugientem spiritum detinuit, & Demetrius Cydonius, qui solius panis recentis è furno extracti olfactu multorum dierum famem tolerauit, vt scribunt Laertius, & Arsenius, senes erant: senes autem facillimè ieiunium ferunt, vt Hippocrates admonet: abundant enim cruditatibus, quas recoquere possunt, ad recoquendas autem illas iuuat spirituum restauratio, calorem innatum fouens. Astonomorum, ad fontes Gangis habitantium, historiam neq; Plinius, neq; Strabo asseueranter narrant, sed quasi præscirent, nullam sibi in hac re fidem præstandam fore, ex aliorum fide loquuntur.

Laer. & Arsenius græc. in apoph.
Hip. aph.

Responsio ad rationes, quæ, odoratum per speciem intentionalem fieri, persuadent.

Articulus Quartus.

1 AD primam rationem deductam ex eo, quod datur medium inter rem odoriferam, & olfactum, & hinc infertur, speciem intentionalem esse, per quam olfactus exercetur, iam satis videmur dictis superiùs respondisse. Nunc etiam addere oportet, non ex eo, quòd olfactus fiat è longiquo, inferri, fieri per speciem intentionalē, imò verò ex eo, quòd medium odorem, vel prauum vel suauem in se recipit, colligimus non ibi esse speciem intentionalem: hæc enim, quamuis percipiatur in organo, extra organum tamē nullam sensibilem mutationē efficit. Quis enim ex infinitis propemodùm speciebus visibilibus, quæ per aërem transire dicuntur, aërem sensibiliter mutatum dixerit? Aliam rationem addit Campanella, nempe non fieri olfactum per species intentionales, quia nos manifestè experimur, res confricatas, aut igni appositas plus odoris emittere. Verùm hæc ratio non conuincit: nam solùm probat, substantiam odoram, vt ad organum moueatur, debere à calore tenuitatem, motumq; accipere, quod ex Galeno superiùs diximus. Posse ergo odores ex distante loco ad nares ascendere, solùm ostendit, vaporosam esse eorum naturam, non verò esse qualitatem intentionalem. Dicunt tamen aliqui, vtrumq; in medio recipi, & substantiam vaporosam, & intentionalem speciem. Verùm hoc nequaquàm probare oportet, neq; vnquam necessitatem harum specierum demostrabunt.

Fr. Thom. Campanel. de physiolog. c. 12. tract. 4.

2 Ad secundum, quod ex eo, quòd odor sit qualitas secunda, & non potest producere sibi simile, probat, non posse per se sine specie intentionali sensationē facere, responsio facilis est; Nam inprimis probari non potest, qualitates secundas non esse productiuas sui similis. At quando concedamus, qualitates secundas non esse actiuas, saltem non est negandum, posse substantiam tenuissimam per aërem diffundi, ita vt cum organo, cum quo affinitatem habet, accedat sui speciem

ciem, similitudinem vè imprimat: neq; enim est, cur magis in medio quàm in organo imprimatur hæc species, precipuè quia intentionalis cum sit, non videtur commodè posse imprimi, nisi in viuente. Quòd autem organum olfactus affinitatem habeat cum substantia vaporosa odorabili, constat ex Galeno dicente, *Quòd vaporis quodammodò simile proprium odoratus instrumentum esse oportet.* G. de instrum. odorat. c. 4.

3 Ad tertium respondemus cum Aristotele, odores esse calidos, ac leues, ac proinde possunt aëris substantiam permeare absq; deperditione qualitatis odoriferæ: nam cum calidi sint, & potentiùs agunt in aërem, quàm aër in ipsos: cum autem leues, parùm in itinere morantur. Neq; tamen diffitendum est, in australi constitutione, cum aër valde humidus est, & crassus, propter humiditatem aëris hebetari caliditatem fumidæ substantiæ: propter crassitiem remorari impetum substantiæ odoriferę, & sic in ea constitutione odores minùs sentiri, quàm in sicciore. Fatemur etiam (quod ab eodem Aristotele addiscimus) hyberno tempore odores minùs percipi, minimeq; per gelu, & glaciem, quia aër à frigore immobilior redditur. Est prætereà manifestum, odores à vento versùs eam partem, versùs quam spirant, deferri. Verùm hæc omnia magis confirmant, odorem esse substantiam, quàm probent esse speciem intentionalem: nam si species intentionalis esset, aër, dum aëris naturam, hoc est, diaphaneitatem retineret, nec ob crassitiem, nec ob humiditatem illam extingueret, sicut nec visibiles species extinguntur, licèt in aëre crasso, & visus, & auditus aliquantulum hebetantur. Itaq; odor ob aëris qualitates potest quidem minùs efficax fieri, non tamen omnino deperdi: neq; ratio quicquam probat, quod intentionales species adiuuet. Aris. sect. 12. prob. 4. Prob. 6.

4 Ad quartum, aërem facilè transitum cuiuis substantiæ, quantumuis vaporosæ, præstare dicimus, & argumentum, quod habet, substantiam odoratam, vel aërem impellere, vel penetratiuè cum aëre esse, si fundamentum aliquod haberet, destrueret omnia, quæ sensus testimonio vera esse, constat; Nam quadrabit etiam fumo, quadrabit tot vaporibus, tot exhalationibus, quot ab aquis, & terra continuò elauantur: destruet similiter contagium ad distans, quod experimento, verum esse, omnes norunt. Qui igitur dubitat, posse odores aërem replere, mendacij arguet Thucydidem, qui, vt Galenus etiam refert, pestis seminaria ex Æthiopia in Athenas per aërem aduecta fuisse, testatur, cuius rei similiter fidem facit Lucretius his versibus: Lucr. lib. 6.

Hæc ratio quondam morborum, & mortifer æstus
Finibus in Cecropis, funestos reddidit agros,
Vastauitq; vias: exhausit, ciuibus vrbem.
Nam penitus veniens Ægypti è finibus ortus.
Aera permensus multum, camposq; natantes,
Incubuit tandem populo Pandionis, omnes.
Inde cateruatim, morbo, mortiq; dabantur.

Porrò si ex vna regione in aliam transferuntur vapores pestilentes, nec in itinere deperduntur cur non ferè simile eueniet odoribus. Imò credibile est, si odores habent non valde amplam spheram determinatam, intra quam sentiantur, id prouenire ex eo, quòd homines odorandi sensum debilem habent præcęteris animalibus, teste Aristotele: vultures verò, & alia animalia, quæ è longinquo ad cadauera occisorum aduolant, id habent ex huius sensus præstantia, qua pollent. Sic etiam ex hominibus alij alijs acutiùs odores percipiunt. Non omittam admonere, falsum quidem esse, & ab omni ratione alienum, quod Plinius de vulturibus tradit, nempe eos triduo aut biduo, ante aduolare, vbi cadauera futura sunt, quod ludibrio à Plauto dictum fuisse crediderim: Ar. de sens. & sen. c. 4. Plin. l. 10. c. 6 Plaut. in truculento.

Illud est, vide vt iam, quasi vulturij triduo.
Priùs prædiuinant, quo die esuri sient.

TEXTVS LIIII.

MVsculi solidiores ægrè magis, quàm alia colliquescunt, excepto osse, & neruo. Quæ denudata sunt, ægrè transmutantur, & secundùm genus, ipsa se ipsis fortiora sunt, quàm pro re ipsa: propterea ipsa se ipsis ægrius colliquescunt.

COMMENT.

SEries est eorum, quæ ægrè colliquantur, hoc est, difficulter resoluuntur: inter quæ primum locum obtinent ossa: quippe hæc non nisi insensibilem resolutionem subeunt, insensibilem, inquam, respectu etiam termini: nam quo ad motum omnia membra insensibiliter resoluuntur. Cęterùm aliqua sunt, quæ si valido resoluente corripiantur, & eis proportionata desit restauratio, post paucum tempus apparent emaciata, in quo genere præcipuè reponuntur carnes. Alia, quæ, quantumuis causas habeant valde resoluentes, restaurationemq; exiguam, resolutionem, non nisi inconspicuam, patiuntur: in his primatum obtinent ossa ob suam duritiem, firmitudinemq; plurimùm resoluentibus resistentem: non tamen sunt resolutionis immunia, quod indicat nutritio: cum enim nutriantur, necessariò supponere oportet in eis deperditio substantiæ, quæ nutrimento restauratur.

Musculi solidiores. Incipit à musculis, qui præter carnes, omnium aliorum membrorum facillimam patiuntur liquationē, resolutionem vè, quod apparet in suibus domesticis, quando assantur: si quidem ab his copiosior liquatio defluit, quàm ab apris, qui magis musculosas habent carnes, *Quanto q; magis*, (Galenus ait) *vel adipe, vel carne animal abundat, tanto profectò, quod ab ipsis carnibus, dum in craticulis torrentur, defluit, cernitur copiosius.*

G.10.meth.c.vlt.

Cæterùm, post carnes, vti dicebam, musculi facilè liquantur: nam musculi carnosæ substantiæ participes sunt, vt postmodò dicemus: sunt tamen aliqui alijs solidiores, vtpote qui fortiores exercent motus, vt crurum, brachiorum: aliqui molliores, scilicet motibus exiguis dicati, vt sunt musculi oculorum, faciei, linguæ. Qui solidiores sunt, difficiliùs liquescunt, molliores verò facilè: quæ doctrina ex prçcedentibus claritatem habet.

Ægrè magis, quàm alia colliquescunt. Fracantianus legit, *resarciuntur: quoniam verbum græcum*, inquit ille, *nunquam colliquescere significare poterit*. Cæterùm Cornatius, communiter receptus, verbum δυστηκτικα vertit colliquescunt, quasi dicamus [illegible] At nulla in hoc differentia esse potest: siue enim dicamus ægrè colliquescunt, siue ęgrè resarciuntur, sententia constat: quippe ea, quæ difficulter resarciuntur, difficulter colliquescunt, quod iam superiùs satis, superq; declaratum est.

Excepto osse, & neruo. Itaq; caro facillimè colliquatur, minùs facilè musculus, & inter musculos, difficiliùs illi, qui solidiores sunt: omnium autem partium difficillimæ colliquatu sunt, ossa, & nerui, & quæ osseam, aut nerueam naturam habent.

Quæ denudata sunt, ægrè transmutantur. Vallesius non transtulit *denudata*, sed *exercitata*: quam significationem græcum vocabulum tolerat. Ait ergo, exercitationem particulæ cuiusq;, nisi fortè nimia sit, facere ad illius soliditatem, nam facit ad consumptionem excrementorum, & succorum, quę redundant. Hæc expositio incertam nobis doctrinam tradit: cum enim Vallesius dicat, exercitationem conferre ad membri soliditatem, si nimia non sit, adhuc remanet dicendum,

dum, quænam exercitatio in quopiã particulari membro censenda sit nimia: neq; enim crediderim, viperarum caudas nimia exercitatione agitari, & tamen motu caudarum viperæ faciūt, vt ad illam extremitatem concurrant excrementa venenata, non autem, vt inde discutiantur; Nam si motus moderatus efficeret, vt pars ab excrementis defęcaretur, & firmior subinde euaderet, profectò cauda esset salubrior pars viperæ, vt potè magis defęcata: quod tamen non ita est, vt Galenus testatur his verbis: *Caudas verò, & extrema corporis amputamus, tanquam caudæ partes, puto, quia magis sordidum humorem ad se trahunt, nam frequenter cum moueantur, plurimum attrahunt, veluti & piscium caudas, ob assiduum motum, magis nutriri dicunt.*

Gal. de theria. ad Pison. c. 9

Placet igitur communem amplecti translationem, nempe, *Quæ denudata sunt*. Quid tamen denudatorum nomine intelligatur, obscurum est: quippe in corpore viscera omnia suis tunicis, pelliculis ve contecta visuntur: imò & cutis ipsa, quæ vniuersale totius corporis est tegumentum, sua cuticula contegitur. Quare cum solos dentes prorsus denudatos esse, contingat; cum etiam de ossibus nunc fiat sermo, quorum durities aliorum membrorũ duritiem superat, cum tandem dentes inter ossa connumerentur (vt mox patebit) meritò in præsente contextu, *Quæ denudata sunt*, dentes esse, censemus. Hi ægrè transmutantur propter duritiem, qua pollent, adeò vt, Plinio teste, hi tantùm inuicti sint ignibus, nec cum reliquo corpore crementur. †

Plin. li. 7. c. 6.

Igitur se ipsis in suo genere, hoc est, in genere ossium, difficulter transmutantur. Et cum omnia ossa duram sortita sint substantiam, hæc denudata, omnium durissima sunt, sic postulante eorum vsu: siquidem ad res duras frangendas inseruiunt. Quòd si Plinius ait, *Iidem flammis indomiti cauantur tabe pituitæ*, hoc nihil in contrarium facit, nam etiam.

Gutta cauat lapidem, consumitur annulus vsu.

Propterea ipsa se ipsis ægrius colliquescunt: Consonat cum procedente doctrina, quippe ea, quę difficulter transmutantur, hoc est, nutriuntur, difficulter colliquescunt, hoc est, resoluuntur.

DE STRVCTVRA MVSCVLI.

QVAESTIO VIGESIMA TERTIA.

1 DEferunt nerui è cerebro facultatem animalem, nempe sentiendi, & mouendi. Verumtamen ipsi sensationi sufficiunt, motioni autem, vtpote qui molles sunt, non ita: quare, *Qui nominantur musculi* (inquit Galenus) *illi sunt, qui neruos excipientes membra mouent*: quemadmodum enim pondera, quæ manibus mouere non possumus, vectibus adhibitis moliri consueuimus, sic corporis membra, cum neruis mouere nequeamus, ad ea mouenda musculos sumus consequuti. Quoniam igitur musculis instrumentum est motiuę facultatis, quam per neruos à cerebro recipere oportet, nullus est musculus, qui neruo non inseratur: sunt autem aliqui sine ligamento, nempe ij, qui mouendis ossibus non inseruiunt, vt sunt musculi mouentes linguam, labra, & oculos: hos, & similiter alios, quicumq; ossa non mouent, tendonibus carere dixit Galenus: carent autem tendonibus, quia ligamento carent, accepto hìc in peculiari significatu ligamenti nomine: cum enim tendo ex neruo, & ligamento sit compositus (propterea medium inter vtrumq; habet naturam) ex vnius defectu, nempe ligamenti, fit, vt tendo non coalescat; Alioquin vbi os aliquod moueri debet, musculus ossi colligatur,

G. de placit. l. 1 c. vltim.

Gal. de motu muscul. l. 1. c. 3

Cap. 21 ligatur, atq; ita fit tendo, qui *Cum ipse trahitur à musculo, erat contracturus os subiectum, connatum sibi: vinculo enim tuto quodam erat opus musculo cum osse à se mouendo, nec erat aliud adhoc aptius ligamento. Neruus autem, qui à cerebro procedit, via quadam existens virtutis motoriæ, vt eam communem faciat, simul extensus est, & commistus ligamento: & ita tendo factus est ex vtrisq;.*

1 Itaq; nerui riuorum in morem à cerebro, ceu ex quodam fonte, deducunt musculis vires: vbi primum autem musculos attingunt, multipliciter dissecantur, tandemq; in tenues membranosas fibras soluti, totum musculi corpus intexunt. Aliunde verò ligamenta, per quę, vt diximus, musculi ossibus colligantur, membranas circa ipsos gignunt, & quasdam intro propagines in ipsam musculorum carnem mittunt: quare præter riuos ex dispersione, dissectione vè nerui factos, riui alij disperguntur, hi venæ sunt, & arteriæ. Continetur prætereà in musculo tendo, qui cum ex neruo, & ligamento coalescat, neq; ita sensus est expers, vt ligamentum, neq; ita exactè sentit, vt neruus: & rursus ligamento mollior est, durior autem neruo. Porrò quatenus musculus arterijs, venisq; irrigatur, quorum beneficio iam musculus, veluti planta quædam est, quatenus verò a neruo diuaricationes suscipit, quoddam prestantius planta redditur, assumpto sensu, & motu voluntario. Ex dictis apparet, musculum partem esse organicam, quippe neruis, venis, arterijs, tendinibus, & propria tunica carnem contextam habet. Constat igitur partibus similaribus, & simplicibus, estq; proptereà pars dissimilaris, quam etiam dissimilaribus constare dicemus, si musculum diuidamus in principium, seu caput, in finem, seu caudam, in medium, seu ventrem. Horum venter magis carnosam habet substantiam, caput verò, & cauda neruosam magis.

3 Ceterùm quoniam in omni organo aliqua est pars simplex, cui præcipuè debetur actio; quæsitu dignum est, quenam predictarum partium sit, quę in actione mouendi principatum obtinet. Hoc si quæramus à Galeno, responsionem non sinè demonstratione accipiemus: quippe neruus prę mollitie, vt sensui aptus, sic motui ineptissimus est: ligamentum autem, cum ortum habeat ab ossibus, nullam mouendi facultatem habet: hęc namq; à cerebro dimanat. Conuenienter igitur, vbi membrum solo ligamine indiget, ibi solum est ligamentum: vbi verò solo sensu, neruus: vbi motu voluntario est opus, vtrumq: reperitur, videlicet mistum quoddam ex ambobus instrumentum, qualis est tendo, qui neruo quidem durior, ligamento verò est mollior: proinde & sensus minùs, quàm neruus, magis, quàm ligamentum, particeps.

G.12. de vsup. c.3.

4 Hanc Galeni sententiam amplectitur Thomas à Veiga præceptor quondam meus, quem tamen Andreas Laurentius nominatim reijcit, cum aliàs ab eodem multa, sepe auctoris nomine suppresso, accepta sibi arroget. In primis ergo Galenum contradictionis reum statuit, qui nonnunquàm, vt vidimus, tendini principatum tribuit, nonnunquàm autem neruo: quippe *Neruorum*, inquit, *fibræ per musculum dispersa prima sunt, quæ mouent*: Et alibi, musculus partim naturale est organum, partim animale: naturale, quatenus vena, & arteria constat: animale, quatenus neruo participat, à quo habet, vt motus voluntarij instrumentum sit. Verùm iniusta est isthęc accusatio: sibi constat Galenus, neq; vlla in eius doctrina contradictio reperitur; Nam cum dicit, neruorum fibras per musculum dispersas esse prima, quę mouent, harum fibrarum nomine tendinem intelligere, patet ex eo, quòd fibræ neruorum fibris ligamenti sunt mistæ, & ex vtrisq; simul resultat tendo. Cum ergo non possint dari in musculo fibrę neruorum, quin statim fibris ligamentorum misceantur, nec rursus possint dari hęc cum illis permistę, quin tendo efficiatur, quando dicit, fibras neruorum esse prima instrumenta motus, intelligit hoc nomine tendonem. Sed cur magis appellauit neruorum, quàm ligamentorum fibras, cum tamen vtrorumq; sint? Nempe quia à neruo mouendi

Thom. a Veiga.

G. de plen. c.5.

G. de vsup. cit.

di facultas communicatur. Hinc est, quod etiam ait, musculum, quatenus neruo participat, esse instrumentum motus, & organum animale: quia scilicet à neruo habet, quod facultate animali polleat: atq; ita, si neruus durior fuisset, non indigeret musculo ad exercendum motum: indiget ergo neruus consortio rei durioris, & sic ex coniunctione substantiæ duræ, hoc est, ligamenti, fit instrumentum aptum motioni, hoc est, tendo. Aliud ergo est facultatem communicare (hanc communicat neruus) aliud actionis instrumentum esse, tale est tendo.

5 Sed Laurentius magis delectatur suo inuentu: aitq; non tendinem, non neruum, non ligamentum esse instrumentum præcipuum motus, sed musculi carnem. Musculi, inquam, carnem (ait ille se ipsum declarans) non illam, quæ cuilibet parti particularis est, sed veram, & propriam tantùm, quæ tomenti modo fibris nerueis impacta, à neruea substantia distingui non potest. His verbis videtur existimare, duplicem esse carnem musculi: alteram, quam cuilibet parti particularem appellat (melius diceret omnibus partibus communem) alteram, quam tomenti modo fibris nerueis impactam esse, dicit. Verùm non ita est, sed vna duntaxat musculi caro censetur: hanc si simul cum fibris accipiamus, totum musculum esse dicemus, ac proinde dum quæritur, quæ sit pars precipua in actione musculi, si respondeat, esse carnem cum fibris, perinde esset, ac si responderet, esse totum musculum: quæ responsio inepta quidem foret. Si verò accipiamus carnem sinè fibris, præterquàm quòd non datur, sciat etiam oportet, carnem istam esse neruis molliorem: si ergo nerui præ mollitie non sunt apta instrumenta motus, longè minus apta erit isthæc caro.

6 Persuadetur ille ad suam hanc sententiam eo, quod Hippocrates, & Galenus carnis nomine musculum significant. Malè tamen hinc deducit argumentum: nam caro cum sit innata musculo, fibræ verò aduentitiæ, tum ex neruo, tum ex ligamento commodissimè potest musculo denominationem tribuere, non tamen hinc infertur, carnem esse in actione musculi præcipuum instrumentum. Est quidem caro maximè necessaria ad constitutionem musculi, quippe est substerniculum fibrarum, sed non est magis commoda ad mouendum, quam aliæ partes, imò potius tendone est commoda minus. Sic humor albugineus valde necessarius est in oculi compositione, & in visionis actione, non tamen idcircò est præcipuum videndi instrumentum, quippe humor crystallinus principatum obtinet, vt pote videndi actioni aptissimus.

7 *Nulla est*, inquit ille, *in animali particula, quæ citra carnem fibrosam voluntarie moueatur: mouentur autem quam plurimæ sine tendine*. Cui respondeo, nullam partem moueri sinè carne fibrosa, quia per carnes distenduntur neruosæ fibræ, quæ deferunt facultatem motricem: at sinè tendine nulla mouetur, nisi quę exiguum exercet motum. Verùm hic insurgit ille, aitq; tendinem non ad motũ simpliciter esse comparatum; sed secundùm quid, idest, ad validiores motus, & grauiores artus agitandos. At ego non sic admitto, sed tendinem sua mediocri duritie comparatum esse ad motum: vbi verò motus non est validus, tunc quia mollities non obstat, quò minus membrum moueri possit, mouetur quidem sinè integro tendine, non tamen sinè tendinis parte, hoc est, non sinè fibris neruorum, ex quibus simul cum fibris ligamentorum ipse tendo coalescit: desunt autem ligamentorum fibræ, quia partes illæ, quæ mouendæ sunt, non habent ossa, quæ ligamentis postulent connecti.

8 Adiungit, insignes à sexta coniugatione neruos accedere ad ventriculum, qui tamen voluntariam motum non exercet. Ita est: sed quid hoc ad præsens institutum? Nunquid nos dicimus, neruos esse instrumenta motus? Minimè. Sunt quidem delatores facultatis, non tamen instrumenti vicem gerunt. Quod autem addit, cutem animalium esse mobilem, hominum autem solam faciei cutem, sciat

oportet, id non ob carnem, sed ob fibras neruorum per cutem coalescentes in musculosam naturam, euenire: neq; enim magis carnea est faciei humanæ cutis, quàm sit cutis cæterorum membrorum: neq; animalium cutis à carne habet, quòd moueatur. Sunt ergo musculi instrumenta spontanei motus; & in musculis præcipua pars tendo.

AN DENTES SINT OSSA.

QVAESTIO VIGESIMAQVARTA.

1 Existimant aliqui, dentes inter ossa non esse connumerandos, ea præcipuè ducti ratione, quòd dentes sentiunt, ossa non sentiunt. Hos sophistas appellat Galenus, quos saltem oportebat declarare, si dentes non sunt ossa, in quo nam membrorum genere collocari debeant; nam non sunt cartilagines, non arteriæ, non venæ, non nerui, multoq; minùs adeps, pili, caro, glandulę. Cum igitur ex partium numeratione constet, nullum aliud membrum esse præter ossa, necessariò ad ossium numerum reduci debent. Sunt quidem dentes autogeni, hoc est, sui generis: cæterùm, quòd ad eorum naturam attinet, substantia sicca, densa, dura, ossea dici debet. Quòd si sentiunt, & in hoc dissimiles ab ossibus esse videntur, hæc conditio quodam modo extrinseca est, & ad naturæ prouidentiam maximè referenda: cum enim ossa ad sustentandam corporis molem sint data, si sensu prædita forent, continua molestia à membrorum pondere afficeretur animal. Ex altera parte si quid nocuum ad ossa accedit, sentitur: quippe tunica valde sensili, quam periostium appellant, conteguntur: & hæc sufficit, vt quę lædere possunt, sentiantur, præcipuè cum ossa intus latentia ab externis iniurijs raro offendantur. Dentibus contrarium omnino accidit: nam, & extra positi oportet, vt occurrentia lædentia promptè sentiant, & cum nullam molem sustineant, nullam molestiam ingerunt. Cur autem si occurrat intemperies præcipuè frigida, ita offenduntur, non autem si solutionem continui patiantur? Ratio reddi potest, quia sicut caro mollissima, quæ sectioni magis patet, difficilius tolerat sectionem, quã intemperiem sic dentes magis, quàm intemperiem, sectionem tolerant. Huius rationis inuentor fuit Thomas à Veiga preceptor meus eam elegantem esse, ait Andreas Laurentius, quamuis, more solito, auctorem non nominat: alias etiam idem Laurentius affert, vt, dentes, quia ob densitatem asperiores fieri fractura nequeunt, ideo non dolere. Alijs placet, ferrum candens vnà cum intemperie sensum auferre, vt in eschara. Aristoteles putat, frigido affici dentes, quia eorum meatus cum sint exigui, à frigido facilè superantur. Aretæus, occultam esse huius dubij solutionem, & soli Deo cognitam. Sunt, qui existimant, dentem non dolere, quia neq; sentit, sed neruum substractum esse, qui sentit, & dolet, penetrante scilicet illuc intemperie. Cæterùm sentire dentes, Galenus in se ipso cognouit, facta ex professo obseruatione: quippe manifestè percepit non dolentem modò, sed etiam pulsantem dentem, quemadmodùm carnosæ partes inflammatione vexatæ consueuerunt. Itaq; & dentem dolere, & aliquando etiam gingiuam, nonnunquam verò neruum, qui ad radicem dentis enatus, & substratus est, dolere, neruo scilicet imaginationem confusam, & indiscriminatam, incertam vè apud plerosq; exhibente, tamquam ipse dens doleat, testimonio Galeni constat. Deniq; affectum peculiarem dentes patiuntur, quem nisi sentirent, non haberent, hæmodian appellãt greci, & est quidam veluti stupor: contingere autem solet cibos acerbos, acres vè mandentibus. Plura è dentibus problemata innascuntur.

G. de off. c. 5.

Thom. à Veiga
Andr. Laur.

G. 5. local. c. 8.

cuntur: v. g. cur dentes semel renascuntur: cur totus dens reparatur, si sit euulsus, non pars eius, sit fractus: cur callo non obducitur, veluti reliqua ossa. Verùm hæc omnia ab Andrea Laurentio, qui ea diligenter pertractat, petenda sunt. *Andr Laur. l. 6. c. 12. q. 3.*

TEXTVS LV.

PVS ex carne, purulentum ex sanguine, & ex alia humiditate. Pus vlceris alimentum, pus alimentum venæ, arteriæ.

COMMENT.

QVamuis pus excrementũ quoddam sit, nihilominùs respectu materiæ, ex qua fit, alimentum dici potest, alimentum, inquam, corruptum, quod ex mox dicendis patebit. Interim consideremus, causam puris efficientem in præsens supponi: nulla enim eius mentio fit: hæc calor cum sit, non admodùm constat, num naturalis, an prẹter naturam dici debeat, quod tamen in controuersiam inferiùs deducetur. † Nunc ex hypothesi cùm Galeno in hunc modum dicamus: *Pus ex sanguine ortum habet, qui semimalam, vt quispiam dixerit, obtinet generationem.* *Hip. 2. aphor. 47.* Sed his Galeni verbis, oritur in præsentis contextus explicatione non exigua difficultas, quam dissoluere aggredior.

Pus ex carne, purulentum ex sanguine. Dixit Galenus, *Pus ex sanguine ortum habet*: & Hippocrates contrario modo, ait, *Pus ex carne, purulentum ex sanguine.* Nunquid Hippocrati magistro magno Galenus opponitur? At si id facere vellet, saltem Hippocratici dogmatis mentionem faceret. Præterea quomodò admitti potest, *Pus ex carne, purulentum ex sanguine*, si ex contento in phlegmonibus sanguine pus optimum conficitur? Sanguis quidem (& sic difficultas soluetur) in abscessu contentus simul cum carne, non solus per se ipsum in pus conuertitur: quod indicat cauitas, quæ, extracto pure, in vlcere relinquitur. Porrò hinc satisfactum manet Hippocrati dicenti, *Pus ex carne*: manet & Galeno, qui ait, *Pus ex sanguine ortum habet.*

Cęterùm quoniam sanguis, non inclusus, sed diffluens liquari potest à calore, tunc ex sanguine non pus conficitur, sed purulentum, hoc est, substantia non valde à pure distans, vt poté quæ, nec est cum putrefactione olida, neq; simpliciter bona, quæ partium nutritioni inseruit, sed media inter vtramq;. Cum autem media isthęc suos habeat gradus, poterit magis, aut minùs à suis extremis distare. Sic phthisicorum sputum purulentum valde fætidum putrefractioni admodum accedit: hypostasis verò, quæ in vrinis ante optimam crisim apparet, coctionis naturam refert. Hanc hypostasim puri, in abscessibus contento, comparat Galenus, estq; pars humoris à natura superati. *Gal. ...*

Et ex alia humiditate, Omnis humor, cum calore omnino prẹter naturam apprehenditur, in putredinem abit: si verò calor habeat aliquid naturalis admistum, conuertitur in substantiam purulentam. Quare quando Hippocrates ait, ab erysipelate putredo, aut suppuratio, intelligi debet suppurationis nomine, non perfecti puris confectio, sed substantiæ, quæ puris naturam imitatur: quippe licèt in præsente Hippocrates pus à purulento distinguat exactè loquens, nihilominùs alibi omnem humorem, qui adhuc putridus dici nequit, vitium tamen iam contraxit, pus ab eo appellari solet. *H. 7. aph. 20.*

Pus vlceris alimentum. Id est alimentum corruptum: nam ea alimenti pars, quæ ad partem vlceratam alimoniæ ergo accedit, ob intemperiem partis non conuertitur in substãtiam eius, sed in pus, quæ est substantia, simili-

tudinem aliquam, saltem in colore, à parte accipiens.

Pus alimentum venæ, arteriæ. Hoc spectat ad sedimentum in vrina, quod Galenus (vt infra dicemus) puri, in abscessibus contento, comparatur.

A QVO CALORE FIAT PVS.

QVAESTIO VIGESIMA QVINTA.

1 IN triuio est isthæc quæstio. Quidam, suppurationis auctorem calorem naturalem esse, putant, eamq; propterea coctionem appellant: alij è contra, putrefactionem esse, & à calore præter naturam fieri, aiunt: tertij media via incedunt. Singulas istarum opinionum à suis fundamentis pertractare, est animus.

Opinio eorum, qui, suppurationem ab innato calore fieri, dicunt.

Articulus Primus.

1 COctio operatio est naturalis, ac propterea à calore naturali fit, quod nemo vnquam negauit. Cum igitur suppuratio sit coctio, à naturali calore fieri necessariò debet. Quòd autem suppuratio coctio sit, ex Galeni, & Aristotelis doctrina elici potest: quandoquidem ille sic ait: *Vnum ex naturalibus operibus est ea, quæ in pus fit conuersio, & illic quadam perficitur coctio: cum autem quicquam coquere consilium est, quamplurimum, meo iudicio, spiritum seruari intus oportet.* Hic autem in meteoris habet hæc verba: *Quæ in tuberculis collecta sunt, dum ad suppurationem peruenere, coctionem receperunt, & cocta, victaq; à calore dicuntur.* Nec est, cur dicamus, à calore quidem, sed non à naturali calore: neq; enim dubitandum est, calorem, qui actionum naturalium est opifex, calorem naturalem esse, quod Galenus affirmat. Si igitur coctio naturalis est operatio, si suppuratio per coctionem fit, teste eodem, rectè infertur, suppurationem non ab alio calore, quàm à naturali fieri.

G. 5. simpl. c. 9

Ar. 4. meteor. c. 2.

G. 1. aph. 15. G. 2. de victu acut. 44.

2 Quòd si aliquis Galenum afferat, dicentem ibidem, nullum pus, quantumcumq; optimum, nutrire, aut partibus aliquibus alimentum esse posse, respondet, hoc non prouenire ratione caloris commutantis, sed potiùs materiæ, quæ apta est, suppurationem suscipere, inepta verò in substantiam aliti transire. Sic etiam nec vrina, nec fæces, nec alia excrementa, quæ tamen à calore naturali, sinè interuentu caloris præternaturam, suam formam accipiunt, nutrire valent, nisi aliqua pars, quæ in eis relinquitur non excrementosa. Vnde Auicenna, de coctrice facultate loquens, ait, *Eius operatio est in superfluitatibus, vt si possibile fuerit, eas in hanc mutet dispositionem, quæ vocatur digestio.* Quare ab eodem concluditur, puris generationem, coctionem naturalem esse: inquit enim, *Non generatur sanies bona* (sic appellat pus verum) *nisi à digestione naturali: quapropter, quæ est alba, læuis, & æqualis, consequuta est complementum digestionis:* quasi dicat, est perfectè cocta.

Ibid.

Au. 1. 1. doc. 6. c. 3.

Auic. 4. 4. tract. 3. c. 1.

2 Hæc tamen sententia manifestè redarguitur: quippe nusquam fit suppuratio, quin calor præter naturam adsit. Cur ergo requiritur eius præsentia, si in ea actione

actione nullas habet partes? Quòd si coctio appellatur, id meritò est, vt distinguatur à putrefactione: sic humores, febrem facientes, coctos esse dicimus. Si verò aliquis, hos etiam à naturali calore concoqui, dixerit, non sic effugiet: nam quod superiùs dicebatur, non contingere ratione caloris, sed ratione materiæ, vt illa potiùs in pus ineptum ad alendum, quàm in verum alimentum, conuertatur, non est vsquequaq; veritati consonans, quod ostendit vlcus, ad quod concurrit materia, alimonię quidem apta, sed quoniam partem vlceratam reperit, calore præter naturam affectam, non potest conuerti in substantiam aliti: conuertitur ergo in substantiam, quę non sit putrida, sed coctę similis.

Opinio aliorum, qui, suppurationem à solo calore præter naturam fieri, dicunt.

Articulus Secundus.

1 QVI suppurationem putredinis nomine designant, Hippocratem videntur habere auctorem, apud quem sic scriptum legimus: *Inflammantur enim vlcera tunc, cum ad suppurationem tendunt: suppurantur autem alterato sanguine, ac calefacto, donec putrefactus talium vlcerum pus fiat.* Et paulò infra habentur hęc verba: *Si qua caro ex telo contusa, & dissecta est, eam curare oportet, quò quàm celerrimè suppuretur; Nam & minùs inflammatur, & necesse est, carnes contusas ac dissectas putrescere, ac pus fieri, & eliquari, ac consumi, & postea nouas carnes nasci.* Galenus etiam putredinis nomen suppurationi tribuens ait, *Humorum autem putredo, quæ in vasis fit, similis est ei, quæ in inflãmationibus, atq; abscessibus accidit alijsq; collectionibus:* &c. Hoc magis expresse tradit, dum in methodo medendi verba, quę ex Hippocrate attulimus, explicat: quippe inquit, *Indicat hoc sermone* (nempe Hippocrates) *manifestò, solos eos vlceratarum partium affectus non esse siccandos, in quibus gigni quàm celerrimè pus cupimus: vtiq; quòd cum aliqua putrescentia pus fiat obiter docens:* Et quę sequuntur.

H. de vlcerib.

G. 1. diff. feb. c. 6.

G. 4. meth. c. 5.

2 Tandem probant suam sententiam, quoniam pus à calore partis inflammatæ fit: hic autem calor est veluti partis illius quædam febris, ac subinde est præter naturam: quare & suppuratio, putrefactio est, non coctio, & consequenter calorem præter naturam auctorem habet, non autem naturalem. Cęterùm hæc opinio, manifestam continet falsitatem: si enim suppuratione malignitas putredinis corrigitur, & quòd priùs putrefactum molestiam inferebat, suppuratum fit mite, quomodò potest suppuratio, & putredò vna, & eadem res ab vno, & eodem calore facta dici?

Opinio eorum, qui tenent, suppurationem à calore naturali simul cum calore præter naturam fieri.

Articulus Tertius.

1 MEdia tuta via est, eorum scilicet, qui tenent, vtrumq; calorem, naturalem, & præter naturam concurrere ad puris generationem. Dum vtrumq; calorem dico, non intelligo duos calores specie inter se distantes, sed

vnum ſub duplici rationes ac ſubinde ſub duplici denominatione. Sed poteſt ne vnus, & idem calor duas denominationes inter ſe contrarias ſubire? Poteſt quidem, quatenus ex duobus contrarijs, non in ſummo gradu exiſtentibus, fit vnum quoddam miſtum, particeps extremorum: ſic color medius, v. g. pallidus, aut viridis, fit ex albo, & nigro ſimul concurrentibus. Itaq; ex hoc miſto, quod medium eſt inter extrema, fit media etiam actio, quę extremarum exorbitantijs caret: e. g. optalmia laborantibus nocet aſpectus rei albę, quia albedo diſgregat, nocet & rei nigrę, quoniam nigredo congregat: vtraq; mutatio fugienda eſt: propterea eis pręcipimus, vt ſerico cęruleo, aut viridi vtatur, quippe hi colores medij carent vitijs extremorum. Calor igitur (vt ad rem noſtram reuertamur) naturalis concoquit, pręternaturam putrefacit, miſtus ex vtroq; miſtam edit actionem ex putredine, & coctione, qualis eſt ſuppuratio. Hoc Galenus voluit, quando dixit, *Si igitur natiuus calor de propria exorbitat temperie plurimùm, vt in corpore inanimi, putreſcit ſanguis: ſi verò vim ſeruet quandam, permiſta quædam cõmutatio de cauſa per naturam, & item præter naturam efficitur: ſiquidem cauſa naturalis concoquit, præter naturam putrefacit: vtra earum magis exuperet, per eam ipſam neceſſariò ſigna accedunt tum coloris, odoriſq;, tum etiam conſiſtentiæ.*

G. 1. prognoſt. vlt.

Hęc permiſta commutatio eſt illa, quam ipſe alibi appellat ſemimalam: quippe, (vt idem etiam alibi teſtatur) fit à calore quidem ingenito, ſed non planè vincente, nec puro, aut caloris pręter naturam experte. Quòd autem calor ſit miſtus, & mediam inter naturalem, & pręter naturam ſeruet conditionem, accidentia puris demonſtrant, nam nec adeò benè olet, vt ea, quę optimè ſunt concocta, neq; adeò malè, vt ea, quę omnino ſunt putrefacta.

G. 2. aph. 47. *G. 5 ſimpl. c. 6*

2 Opponet tamen aliquis, motum ad putredinem, & motum ad coctionem eſſe duos inter ſe contrarios: quare non poſſunt in vnum conuenire. Eſſe autem motus contrarios conſtat ex eo, quòd per putrefactionẽ mouetur humor à centro ad circunferentiam, (hinc eſt, quòd rei putreſcentis interiora ſiccantur ſecedente humiditate ad externa, & ſic miſtio diſſoluitur) in coctione humidum permiſcetur cum ſicco terreo, ac propterea contrarium habet motum, nempe à circunferentia ad centrum. Cæterùm admittimus quidem, rem vnam non poſſe duobus motibus contrarijs moueri, poſſe tamen vno ex vtroq; compoſito, & ſic motus ad ſuppurationem nec eſt omnino ad putredinem, nec omnino ad coctionem: eſt tamen vnus motus, vtriuſq; particeps.

3 Sed acquiret ne motus iſte compoſitus duos terminos ſibi inuicem contrarios? Maxime: putredo namq; ſimul, & coctio intenduntur. Conſtat hoc, quoniam materia in ſtatu morbi maiorem obtinet putredinem, vt pote quæ tunc maiorem febrem excitat, quàm in reliquis temporibus, quod non aliunde, quàm ex putrefactione euenire ſolet: maiorem item ſimul obtinet coctionem, quippe, vt Galenus ait, in ſtatus tempore exacta fit coctio. Hoc fit, quia calor miſtus indifferenter agens, particulas, quas ad cicurationem promptas reperit, cicurat, alias, quæ ad putreſcendum ſunt faciles, putrefacit: quemadmodùm enim moleſtrinæ rota compoſito motu fertur, ſurſum ſcilicet, & deorſum, hoc tamen ſecundùm ſuas diuerſas partes, ita motus alterationis, pro diuerſarum particularum conditione, diuerſas habet mutationes. Itaq; ſi in calore iſto id, quod præternaturam eſt, præualet, aut ſi in materia præualent partes, putredini ſuſcipiendę, aptæ maiores eluceſcunt putredinis, quàm coctionis notæ, ſin aliter, contrarium accidit.

G. 3. criſ. c. 5.

Vall. 5. cõtr. c. 4.

4 Valleſius, quòd putredo ſimul, & coctio intendantur, cauſam aliter, ſubtilem valde, excogitauit; Ait namq: verum eſſe, non poſſe duas qualitates contrarias ſimul intendi, quando altera earum neceſſariò ineſt rei mobili, cuiuſmodi ſunt calor, & frigus, candor, & nigrities. Cæterùm coctio, & putrefactio non ita ſe habent: poteſt enim aliquid eſſe nec coctum nec putrefactum, ſed crudum, cuiuſmodi

modi est humor in principio morbi, à qua dispositione, quæ vtriusq; termini priuatio est, non mirum si vnico motu res fiat vtrisq; extremo vicinior. Sic si aër, qui coloris est expers, pallidus efficiatur, in fine alterationis propinquior est tum albo, tum nigro, quàm erat in principio: quippe dispositio media minus distat ab extremis, quàm eorum priuatio. Cum verò Galenus dicat aliquando coctionem esse, quæ facit cessare putredinem, intelligit coctionem, quæ superuenit humoribus putrescentibus duntaxat, qui nullam elaborationem susceperunt, ac proinde superueniente coctione putrefactio illa melioris conditionis, quam fuit anteà, euadit. G.art.med.c.

5 Opponet tamē aliquis Galeni auctoritatem, qui de crudis excrementis verba faciens, in hunc modum inquit: *Bilem flauam, vel crudam, vel incoctam, vel concoctam esse pronunciamus: crudā quidē, quæ flaua admodùm est acris & malè olens: coctā autē, quæ pallidior, & minimùm malè olens.* E quibus verbis liquet colligere, bilem ante coctionem fuisse malè olentem, quod indicat putredinem: coctam verò minimum malè olentem, quod signum valde emendatæ putredinis est: & sic putredo non simul cum coctione intenditur, sed potiùs inualescente coctione putredo minuitur. Cæterùm pro Vallesio possumus respondere, initio quidem symptomata fuisse putredinis malignioris, quæ procedente coctione domari potuerunt: nihilominùs hoc non tollit, putredinem potuisse maiorem fieri in morbi progressu. Potest namq; putredo esse maior, non autem malignior: quod in febribus apparet, de quibus Galenus sic ait, *Debiles quidem, & paruæ febres quandoq; valde malignæ sunt: & aliæ calidæ atq; incendentes, vt stomacho angustiā, & calorē etiam statim intolerabilem afferant, nihil tamen habent nonnunquā periculosum.* Denique particulæ, quæ coquuntur, particulas, quæ putrescunt, mitiores quidem possunt reddere, putredinis verò immunes omnino efficere nequeunt. Et sic putredo simul cum coctione fit maior, fit etiam simul benignior. G.2.acut.44.

TEXTVS LVI.

MEdulla alimentum ossis, propterea callo obducuntur.

COMMENT.

FVerunt inter barbaros nonnulli, qui existimarunt, ossa non nutriri medulla, sed sanguine melancholico: quę opinio erronea omnino est: nam id, quod nutritur, non potest non referre nutrimenti colorem: quare ossa, si melancholico, ac subinde nigro alimento nutrirentur, nigra forent, non alba. Deinde etiam, si succus melancholicus esset ossis nutrimentum, deberent ossa eodem succo imbuta, sicut aliæ partes eo succo, quo nutriuntur.

Sed objiciunt illi quæ coquuntur coctione euadere calidiora: os autem est frigidius, quàm medulla. Quibus tamen respondendum est: quę coquūtur fieri calidiora, quàm erant ante, quàm coquerentur: medulla verò non concoquitur, vt fiat os, sed ab osse accipitur, & transmutatur per vim, quam singula membra habent conuertendi alimentum in se ipsa.

Medulla alimentum ossis. Quemadmodùm aliæ partes suo rore nutriūtur, sic suā medulla aluntur ossa: quæ, cum dura sint, difficulter nutrimentum per poros valde exiguos admittunt.

Propterea callo obducuntur. Quia scilicet fracto ossi plus nutrimēti transmittunt partes vicinæ, quam substantia illa dura possit admittere: qua propter exteriùs commoratur, & indurescit.

TEXTVS LVII.

FAcultas & potentia omnia auget, et nutrit, germinare facit.

COMMENT.

SYnomina sunt *facultas, & potentia*: in græco est duntaxat δύναμις est autem facultas, quæ nutrit, ac proinde auget; nempe facultas vegetabilis quam, iam diximus, sibi asciscere munus tum nutriendi, tum augendi à medicis dicitur naturalis, agitq; necessariò. Vnde vanæ sunt istius facultatis feriæ, quas Satyrus cum magno & suæ æstimationis, & veritatis detrimento, publicauit.

TEXTVS LVIII.

HVmiditas alimenti vehiculum est.

COMMENT.

IMpossibile foret, per tenuissimos meatus alimẽtum in vniuersas corporis particulas transmitti, ni substantia tenuis, cũ eo permista, vehiculi vice fungeretur. Iccirco confecto sanguine in iecore, non omnis serositas per emulgentes ad renes transmittitur, sed aliqua portio simul cum sanguine per venas abit, quę perfuncta suo munere ad vrinarias vias reuertitur. Hæc autem reuersio fit non solùm tractione renum (quippe hi non possunt ex longissimis regionibus humiditatem trahere) sed cum partes alimentum susceperunt, humiditas, quæ remanet tamquàm inutilis, & iam suo pondere molesta, expellitur & eò accedit, quò tractrix renum potest operari, atq; ita humiditatem proiicere, quæ materiam cum reliquo liquore vrinę præstat, secumq; affert partem humoris, in venarum capacitate commorantis: propterea contenta in vrinis signa sunt eorum, quæ in venis existunt.

Iam per difficiles nodos, quibus libellus de alimento totus inuoluitur expediuimus: quod an rectè sit præstitum, iudicent viri ingenui: qua conditione proposita, Satyrum, satyricosq; omnes excipio, excludo. Te alloquor, qui Mercurium fugiens ad tuam te confers Nemesim, quæ non minùs, quàm Bacchus itidem tuus, mentem turbat, ingenuitatemq; obliterat. Habes in hoc opere multa, quæ tuam licentiam frænabunt. Sin autem adhuc, pilæ lusoriæ in morem, saltare conaris, *Fortasse licebit* vt tu in tua paræmia præfers: cæterùm (vt ego in mea) *Dabis improbe pœnas*.

F I N I S.

IN-

INGENVO LECTORI.



Xpolitur, mehercle, mendis innumeris opus illud, quod, sine Auctoris vigili præsentia, Typographo cudendum demandatur, vt illud, non inepte, dici posse videatur, deficere opus Auctori, cui deficit Auctor: id autem, cum in cæteris veritatem obtineat, tunc vbi idem, vitales amiserit auras, longè euidentius cernitur. Hos vt ita dicam, scopulos qui videntur fere inaccessi, Ioannis Francisci Gerij non ignobilis medici, & de Repub. litteraria quam optimè meriti, assidua diligentia superauit: Mirum profectò, quantum impenderit laboris, vt hanc postremam sectionem purgaret, perpoliret, idq; tum ob characteris obscuritatem, tum quia, eidem, Auctor, vix primam manum admouerat. Excipe igitur, qua hilari exhibetur fronte, benigne lector, Commentariorum in Hipp. lib. de Alim. complementum, & Doctori Gerio, debitas gratias habere memento.

INDEX

INDEX QVAESTIONVM. QVÆ IN HAC QVARTA SECTIONE CONTINENTVR.

Quid

FINIS.

Adm.

Adm Illustris, & Adm. Reuerendus Dominus Nerius Iacopius videat libellum istum, & referat si in eo sit aliquid quod repugnet Catholicæ fidei vel bonis moribus vt typis mandari possit. Datum Florentiæ die XIII. Septembris 1632.

Horatius Quaratæsius vicarius Florentinus.

Opus de Alimento Domini Stephani Castrensis excudi posse affirmo tanquam à fide bonisq; moribus haud absonum licet in eo Satyrum se petentem remordeat. Quinto Nonas Octobris 1632.

Nerius Iacopius Canonicus Florentinus.

Imprimatur Florentiæ si placet Adm. R. Patri Inquisitori

Horatius Quaratæsius Vicarius Florentinus.

Ego Frater Antonius Franciscus Caballius ab Emporio Ord, Min. de Obseruantia Prouincię Tuscię in Conuentu Omnium Sanctorum Florentiæ, S. Theologiæ Generalis Lector. à Reuerendissimo Patre Clemente Egidio Generali Inquisitore Florentiæ deputatus ad videndum librum, cui titulus: *Commentarij in librum Hippocratis Coi de Alimento, Authore D. Stephano Roderico Castrensi Lusitano, Medicinam in Pisano Gymnasio primo loco docente*, an in eo aliquid sit fidei obstans, bonisq; moribus repugnans; vidi, & perpendi, legique quamplurima in Logica, & Philosophia pręclara, nonnulla in sacræ paginæ expositione Orthodoxorum Patrum mentem redolentia, excellentissima existimo ea quæ circa medicinam, nihil contra fidem, aut bonos mores reperio: Quia & si in alium inuehitur, vim vi repellit, imò rationibus, nonnisiq; lacessitus lacessit, ita vt videatur mihi Satyrum Satyrum peperisse. In quorum fidem, propria manu scripsi in Conuentu Omnium Sanctorum Florentiæ Die 23. Octobris 1632.

Imprimatur die 23. Octobris 1632.

Fr. Clemens Egidius Inq. Generalis Florentiæ.

Sebastianus Cellesius,

REGISTRVM.

ABCDEFGHIkLMNOPQRSTVXYZ

Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii.

Omnia ſunt duplex, exceptis Ii quæ eſt triplex & tot ſunt fol. 65.



FLORENTIÆ

Typis nouis Amatoris Maſſæ, & Soc. 1639.

SVPERIORVM PERMISSV.

CASTIGATIONES EXEGETICÆ

QVIBVS VARIORVM DOGMATVM veritas elucidatur.

AVCTORE STEPHANO RODERICO CASTRENSI LVSITANO

Sereniſſimi Magni Hetruriæ Ducis Medico, & in Piſano Gymnaſio Medicinam in ſupraordinario loco docente.

Poſt Auctoris obitum in lucem edita.



FLORENTIÆ,

Typis nouis Amatoris Maſſæ & Laurentij de Landis, M.DC.XXXX.

SVPERIORVM PERMISSV.

ILLVSTRISS. VIRO

RAPHAELI STACCOLO

INCLYTI MILITARIS ORDINIS S. STEPHANI,

ac Magni Hetruriæ Ducis intimo Auditori.

Franciscus de Castro Stephani filius. S. P. D.



BSERVANTIAM in te meam (vir Illustriss.) quam à Parente optimo hęreditario veluti iure acceptam religiosissimè semper colui, non aliter existimaui posse me testatiorem apud posteros relinquere, quam si postremum illius ingenij fœtum, hoc est Parentis (vt ipsemet affirmare solitus erat) amores, ac delicias tuæ fidei commendarem. Ad id præstandum acrioribus quasi stimulis currentem incitarunt, in immenso virtutum tuarum cumulo non postremæ, humanitas, & sapientia. Illa siquidem pollicetur fore, vt illius demortui prolem benignissimè amplectaris, quem in humanis agentem singulari semper complexus es beneuolentia: hęc vero spem facit futurum, vt nemo improbare audeat quæ ipse probaueris, nemo parui facere, quibus ipse auctoritate tua pretium feceris ac dignitatem. Tot igitur nominibus debitum tibi opus, immò vero tuum, pluribus commendare tibi superuacaneum existimaui: satis enim habebit & apud bonos commendationis, & apud improbos securitatis, si tui nominis inscriptionem gestabit in fronte. Vale.

In

In laudem

EIVSDEM ILLVSTRISSIMI VIRI

RAPHAELIS STACCOLI

EPIGRAMMA.



Erculeos humeros stellis satis esse regendis
Obstrupuit tanto pondere fessus Atlas:
Tu grauiora regis Florentis pondera Regni,
HETRVSCO tantum Staccole ATLANTE minor.
Iudice te Pietas, te vindice regnat Honestas,
Atq; ad nostra redit saecula prisca Fides.
Iam lætas iterum terras Astræa reuisit,
Virtutum & sanctos ducit ab axe choros.
Luxuries iacet, abiectis fraus exulat armis,
Et repetunt stygios impia monstra lacus.
Quos latij proceres armis peperere triumphos
Musa sile: tu plus Staccole inermis agis.

CANDIDO ET AMICO LECTORI

Franciscus de Castro S.



Iraberis fortasse Lector, has modo me tibi castigationes importunè obtrudere, quæ nocentium pœna potius esse videntur, quam quæ amæniorum Musarum, aut seueriorum studiorum consortium addeceant. Edico Tibi: suspende tantisper iudicium. Censura hæc, haud eius notæ est, sed nobilioris Artis, scientiæq; galeata defensio, quæ vel eo nomine mirum in modum te oblectabit, quòd in veritatis Aduersarios iustissimum stringet flagellum. Si vlla mihi fides, nunquam te, Lector, poterit pœnitere, has ad virtutes ad decus elaboratas castigationes in tuum patrocinium suscepisse: quod vt facias, votis omnibus te volui exoratum. Dudum inexorabile fatum exerta falce vitam Authoris abrupit, quo minus iam mireris si alicubi hiulcum, elumbatumq; opus videatur incedere. Sat erit ad tuum patrocinium promerendum, si nobilissimi Parentis sui vestigijs omnibus, aliqualiq; similitudine non destituatur. Ob id siquidem posthumis partubus, bonorum mortalium patrocinium iure debetur, quia generis nobilitatem, quòd posthumi sint, non amittunt, omnium autem, quibus insit aliquis humanitatis sensus fauorem inueniunt, quòd orbati parentibus, lucem vel inuiti ad aliorum arbitrium cogantur aspicere. Vale, lege, & lætare.

CASTI-

CASTIGATIONES EXEGETICAE

QVIBVS VARIORVM DOGMATVM Veritas Elucidatur.

AVTHORE Stephano Roderico Castrensi Lusitano.

CASTIGATIO I.

Quomodo Deus Opt. Max. cum naturali quolibet agente concurrat.

§. 1. quid sentiat licetus.



Sublimioribus inchoare oportet. in his sicut quodcumq; erratum est maximum, ita castigatio acerbissima. Sat bene tibi consuleres, si meteôra ista intacta relinqueres: quippe tui similes *Tolluntur in altum, vt lapsu grauiore ruant*. Acquiesce sapientis consilio, & noli altum sapere, sed time. Errorem quem in libello tuo de ortu animæ commisisti, indigitabo tibi, eius si te pœniteat, mihi gratias ages; sin, amplius in tua persistes sententia absona.

lib. 1. c. 9. pa. 36.

Appono tua met verba: magni momenti est nihil addere, nihil detrahere, nihil mutare. *Hęc omnia*, ais tu, *diligentius contemplari voluimus, vt appareret ex Aristotele, alijsq́; antiquis philosophis, ac omninò duce natura, de efficientia Dei nos nihil aliud posse asseuerare, nisi quod ad omnes effectus peragendos concurrat vt causa prima, & vniuersalis, non proxima, & immediata.*

Sic tu. cæterum Deum esse causam primam, hoc est causarum causam, esse itidem causam vniuersalem, qui negauerit anathema esto. Itaque verissima est tua prima enunciatio affirmatiua, nempè. *Deus concurrit vt causa prima. & vniuersalis*. Altera vero negatiua, videlicet. *Deus non concurrit vt causa proxima, & immediata* tam falsa est, quam quod falsissimum.

Tu tamen tuam sententiam triplici testimonio stabilitam tradere profiteris, primo Aristotelis, deinde aliorum veterum philosophorum, tertio luminis naturæ. Aristotelem non adducis, sed, vice illius, authorem libri de Mundo. Estò, hunc pro Aristotele recipio. Quid ergo inquit? nempe sic: *etenim cunctorum, quæ rerum natura complectitur cum seruator Deus, tum verò quæcumque in hoc Mundo quoquo modo perficiuntur, eorum omnium genitor est.* Nunquid his verbis negat author, Deum esse causam proximam, & immediatam? huic quæsito respondes tu, id colligi posse ex alijs locis in eodem capite, ex quo multa transcribis, quæ longum esset hic referre; sed, vt summatim dicam, Deum constituit author in suprema mundi sede; quare maiorem eius vim recipiunt ea quæ superius sunt, minorē, quæ inferius, vt pote quæ magis ab eo distant. Hoc consentaneum esse ais cum eo quod Aristoteles ait, in lib. de Cœlo, Videlicet conciliari a Deo rebus omnibus Mundanis esse, alijs clarius, alijs obscurius. Vtitur denique idem author exemplo Cambysis, Xerxis ac Darij: si enim Reges isti,

functione propria non administrant omnia, longè minus Deo ita facere conuenit, sed eum in summo loco esse collocatum decet, vt inde numinis vim per vniuersum dispergat.

Quod attinet ad antiquiores Philosophos, vnum duntaxat Platonem mihi affers, quem tamen sugillas. Ait ille, *animatum à nemine quam à Deo fieri posse*. tu autem ex tua penu elicis additionem, nempè fieri quidem, sed mediatè: *Deus enim*, ais tu, *dicitur omnium rerum causa efficiens, non quia omnia sigillatim ex eo immediatè procedant, sed quia ipse tribuit causis secundis & immediatis, vim, ac facultatem producendi suos effectus*.

Tertium testimonium, nempè natura, qua dicis cognosci Deum esse causam non proximam, & immediatam, omninò fuit à te omissum, magnum sane tuæ sobrietatis argumentum: quippè in re valde seria id quod præcipuum foret tanquam inutile, pertractare es oblitus. Hæc itaq; tua est sententia, cuius falsitatem detegere erit operæ pretium.

§ 2. *Concursum Dei esse immediatum, authoritatibus & rationibus stabilitur.*

TV qui Deum mediantibus causis secundis agere in hæc inferiora constanter tueris, Accede ad Angelicum Doctorem, qui vbi D. Io. c. 5. ait *pater meus vsq; modo operatur*. Hæc verba confundere, testatur, opinionem eorum, qui affirmant Deum mediantibus causis secundis, res producere. Vt iam hinc exsibilatus abire debeas. Vis ne confundi amplius? scito te vniuersam theologorum scholam tibi aduersantem habere. Audebis ne amplius tuam istam tueri opinionem? caue ne apud integerimos sacrosanctæ fidei censores malè audias. Quis te accusabit? nempe communis scholasticorum consensus, quippe ita de hac veritate sentiunt, vt de catholico dogmate. Patet ex D. Thoma cum suis thomistis. ex Alberto dicente tuam

D. Thom. 1. p. q. 105. ar. 5 & 1. 2. q. 109. et 3. cont. gen. c. 70 Alber. 1 dist. 35. artic. 7. Sco. 2. de. 1. & 37.

illam opinionem iam cessisse ab aula, & à multis recentiorum, hæreticam reputari. Nec verò Scotus à D. Thoma dissentit, imò in eadem cum Angelico Doctore sententia est. Quid Gregorium, quid Bonauenturam, Herueumq; commemorem? sit mihi instar omniũ D. Augustinus, qui varijs in locis contra eos qui tuam opinionem sequũtur, secutiue sunt, alacriter disputat. Fateor te fautorem habere Durandum, & alios Durando antiquiores. cæterum iam hodie non sine prauæ obstinationis labe poterit hæc sententia sustineri; quandoquidem plurimos habet sacros authores reclamantes.

Quia tamen tuum errorem duce natura cognosci posse asseuerasti, nec tamen rationem aliquam naturalem produxisti. Ego qui immediatum Dei concursum, naturali lumine cognosci posse, cum communiter sentientibus sentio, aliquam ex multis argumentationibus, quæ hanc veritatem stabilire queunt, tibi offeram. Et quoniam tu cum tuo authore libri de Mundo, quē in diuinis contemnere debueras, existimas ad regiam amplitudinem pertinere, vt non per se, verum subditorum ministerio gubernet, & similiter de Deo esse sentiendum; scire debes, Reges multa officia subditis demandare, non quia maior sit dignitas, ministris tamquam instrumentis vti, quam per se ipsum agere, sed ob impotentiam, neq; enim cunctis operibus sufficere, absq; aliorum ministerio possunt. Memineris socerum Moysis Iethro, consilium genero dedisse vt Centuriones, & alios Magistratus crearet, nō alia de causa, nisi quia solus Moyses tantum laborem non poterat sustinere Aliqua sunt officia, fateor, nimis vilia, & abiecta, quę Regem per se ipsum præstare dedecet, vt officium dispensatoris, aut coqui, & huiuscemodi: cæterum hinc ad Diuinitatem, argumentum transferri, nulla ratio tolerata neq; enim ab humanis ad diuina, in rebus saltem ad essentiam pertinentibus valet argumentatio: sicut ergo Solis radij

tadij, si loca vilissima illuminent, non propterea coinquinantur, sic diuina immensitas, quæ ipsa sola est omnia, non in rebus abiectis abijcitur, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*. Stultè ergo times ne diuinæ maiestati sit indecorum muscas, vermes, & scarabæos suo immediato concursu mouere ad opus: timor hic, vetulæ, aut rustico cuipiam conueniret.

Cum eodem authore libelli de Mundo, Deum in suprema sede collocas, & hinc infers, eum rebus inferioribus præsentem non esse, & ignoras Dei optimi Maximi in supremo cælo assistentiam non derogare eius immensitati, qua vbiq; est: si .n. ita esset illic, vt propterea ageret in Mundum inferiorem; duo sequerentur absurda: primum quia loco circumscriberetur (quod implicat cum Dei immensitate) alterum quod afferret secum negationem alterius loci, quod aduersatur eiusdem omnipotentiæ. Et tu ais Deum diffundere suam virtutem, cum tamen verum sit eum intimè esse in vnaquaq; re, conseruando illam?

Prætera turpiter Platonem explicas, qui ait *animatum à nemine quam à Deo fieri posse*. In primis enim admittis hanc enunciationem, si loquatur de prima viuentium creatione, quæ facta fuit in principio Mundi. At sic non erat cur dixisset *animatum*: nam tam animatum quam inanimatum in principio Mundi non nisi à Deo fieri potuit: quippe in Mundi exordio omnia per creationem, hoc est è nihilo productionem, facta fuerunt. Hoc autem adeo est Dei proprium, vt creaturæ non sit communicabile. Deinde sic Platonem explicas, vt cum dicit *animatum à nemine, quam à Deo fieri posse*, Idem sit, ac si diceret à nemine sine Deo fieri posse, *hoc autem* (ais tu) *non tollit quominus pater in generatione filij habeat rationē causæ effectricis proximè generantis formā sui effectus*. Itaq; cum dicas animatum à nemine sine Deo fieri posse, deberes cum D. Ioanne ampliorem efficere propositionem, hoc est *omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Quid tu auarè de Deo sentis? sine Deo nec animatum, nec inanimatum fieri potest. Deinde stulta est interpretatio, *à nemine quam à Deo* hoc est *à nemine sine Deo*. Plato excludit omne agens pręter Deum, tu includis omnia agentia, sed à Deo primo mouente mota. Deum facis causam remotam, quia sic non tollis alias causas esse proximas. At Theologi tibi dant causas creatas esse proximas, esse etiam Deum causam proximam.

Nouum tibi forsan videtur duas dari causas, quarum vtraq; proxima sit, nisi sint causæ partiales, quod Deo non videtur conuenire, cum partialis concursus impotentiam, ac subinde imperfectionem inuoluat. Desine tamen mirari: nam dupliciter tibi hanc nubem eripiam. In cuius rei gratiam suppono id quod D. Thomas adnotauit, nempè ex parte effectus hunc totum ab vna, totum ab alia causa fieri, ac propterea ex hac parte non dici causas partiales. Deinde accipio ex parte causarū. hæ cum sint diuersorum ordinum, non dicuntur partiales, & hæc sit prima responsio, quam libenter recipiunt Theologi. Altera quia ex eodem D. Thoma, non ex insufficientia virtutis, sed ex immensitate diuinæ bonitatis prouenit, vt non per se solam velit agere, sed simul cum alia causa: atq; ita licet Deus dicatur causa partialis, non denotat imperfectionem in Deo; quippe causarum partialium imperfectio prouenit ex eo, quod partialis concursus arguit impotentiam.

3. contr. gen.

Atq; ita manet tua illa expositio ad verba Platonis sopita: in qua tamen nequeo dissimulare, quod inquis, patrem esse causam effectricem proximè generantem formam sui effectus. Vbi quæso mentem habebas, quando dixisti patrem generare formam?

Sed reuertor ad locum vnde digressus sum, & tibi volo demonstrare, concursum Dei immediatum naturali

lumine cognosci. Manifestum est omnibus, res creatas conseruari à Deo immediatè. Si renuis, cogam te hoc modo: si id quod conseruatur pendet à causa conseruante creata, illa altera debet pendere ab alia, & sic datur processus in infinitum: si pendet ab increata, habeo intentum. Sed dices fortasse deueniendum esse ad aliquam causam creatam, quæ dependeat immediatè ab increata, & sic impediri processum in infinitum. Veruntamen aduertere debes, non esse maiorem rationem, cur hæc vltima pendeat ab increata, quam quod prima: si igitur prima non pendet ab increata, ergo nec vltima, cum omnes sint vnius, & eiusdem ordinis. Deinde conseruatur vnus ignis ab alio immediatè, à Deo vero mediatè, & postea extinguitur ignis: quid erit? nempe Deus concurret immediatè, ergo prius etiam immediatè concurrebat, ni velimus Dei potentiam limitare, vt nunc hoc, nunc illo modo concurrat, quod est absurdum. Iam ergo habes, res in suo conseruari pendere ab immediato influxu substantiæ increatæ, hoc est Deo opt. max. sed vt se res habet ad conseruari, ita etiam ad esse: sin minus, dic mihi cur Deus qui conseruat immediatè substantiam creatam, eandem immediatè producere non potest? Tandem vt se res habet ad esse, ita ad operari: habet se ad esse influxu immediato causæ primæ: igitur eodem operatur.

Deinde, inter causas eiusdem speciei nobilior causalitas est immediata, quam mediata: dixi eiusdem speciei, quia causa efficiens instrumentalis differt specie ab efficiente principali, & instrumentalis minus nobilis est, sed tamen immediata, efficiens verò nobilior, sed mediata, tunc sic. Deus concurrit in genere causæ efficientis, concurrit in eodem genere causa creata; si Deus concurrit mediatè, ergo causa creata, vtpote immediata, nobiliorem habet causandi modum: hoc quam absurdum sit, vnusquisq; videt. Quod autem causalitas immediata sit nobilior, patet, quia agere immediatè est agere absq; subsidio alterius; agere mediatè arguit impotentiam, siquidem requirit aliquid medium à quo adiuuetur. Nec mihi dicas, causam secundam ignobiliorem esse, quia agit dependenter: nam hinc te in contradictione deprehendam: nempè, est ignobilior, quia dependens, & est nobilior quoniam immediata. Et rursus est causa dependens, ergo est causa ignobilior; eius verò causalitas est immediata, ergo nobilior: hæc omnia in sese, dissonantiam non leuem habent. Extant apud sacros authores multa alia argumenta ad probandum, Deum immediatè concurrere ad actiones. verum pergamus ad alia.

§. 3. *quo genere immediationis concurrat Deus ad effectus producendos.*

NON vno duntaxat modo dicitur concursus immediatus, sed duplici: aut enim est immediatus immediatione virtutis, aut immediatione suppositi. Nomine suppositi hoc loco accipimus singulare per se subsistens. Itaq; immediatus immediatione virtutis est ille concursus, qui fit per virtutem non aliunde agenti communicatam: & quamuis hoc modo strictè loquendo, nullum agens creatum possit dici agere immediatione virtutis, quia virtutem habet sibi à Deo communicatam, est enim ens per participationem; nihilominus satis est ad immediationem virtutis, si virtus sit non ab alio ente creato communicata: sic Sol illuminat hæc inferiora immediatione virtutis, non autem Luna, quippè hæc lumen habet à Sole mutuatum. Immediatione suppositi agit id, quod nulla intermedia substantia agit.

Hic tamen duo occurrunt, quæ explicatione indigent: vnum est inuentum Ferrariensis, quem Thomistarum nonnulli sequuntur: videlicet, vt aliquid dicatur immediatum immediatione suppositi, non satis esse, vt inter

agens

agens & patiens nullum aliud ens per se subsistens sit medium, sed requiri etiam, vt concurrens sit solum absque societate alterius: & hoc modo, ait ille Deum non agere immediatè immediatione suppositi, quia non agit per se solum, sed agunt simul cum illo causæ secundę. Verum hæc doctrina nihil nouum nobis affert, nam si ita accipiatur immediatio suppositi, hoc est, vt concurrens sit solum, fatemur nos Deum non agere immediatè immediatione suppositi, quippe iuxta hanc doctrinã, necesse esset, vt ad concurrendum immediatione suppositi nullum aliud daretur agens, & sic incideremus in opinionem eorum, qui causalitatem rerũ creatarum auferebant, quam sententiam inuexisse videtur Plato, & sequuti sunt Platonici, sed explosa est à Peripateticis, & meritò: nam contraria sententia, nempe causas secundas esse verè causas consonat sacris litteris, vt constat ex Genes. *germinet terra herbam virentem* & rursus *producat terra animam viuentem.* Et Matth. 4. *terra fructificat, &* Luc. 21. *Videte ficulneam & omnes arbores cum producunt iam ex se fructum.* Itaque tota res pendet ex modo dicendi. cum ergo communiter dicatur immediationem suppositi esse cum nullum datur suppositum mediũ, & hoc videantur verba ipsa importare; non est cur negemus immediationem suppositi in Deo, quamuis sit etiam aliud suppositum agens, nempe res creata.

Alterum est inuectum à Suares, qui duplex ait esse suppositum immediatum, vnum in agendo, alterum in existendo. In agendo, ex. g. si vera esset opinio Scoti, qui docet Solem per suam formam attingere generationem auri in visceribus terrę, tũc Sol esset immediatus immediatione suppositi in agendo, non tamen in existendo, quia non existit ibi Sol per se ipsum, sed per suam immediatam actionem. Cæterum quamuis verum sit, Deum agere immediatione in agendo, & immediatione in existendo, non tamen est verum vtramque istam immediationem esse immediationem suppositi: nec rectè diuidit suppositum, in suppositum in agendo, & suppositum in existendo: nam sic non posset dici Deum agere immediatione virtutis, sed duntaxat immediatione suppositi vtroq; modo sumpta, & sic res deueniret ad quæstionem de nomine.

Quod autem immediatio in agendo, sit immediatio virtutis, patet: nam virtus qua Deus immediatè concurrit, vel est creata vel increata: Nõ est creata nã hæc est illa, quã Deus communicauit causis secundis, & iuxta quam dicitur Deus agere per causas secundas: si autem hanc creatam virtutem diceremus esse, per quam Deus ageret immediatè, hoc est virtute non aliunde communicata, incideremus in opinionem Durandi, quam superius reiecimus vno in tuo errore in cuius euersione immoramur. Si ergo non agit per virtutem creatam, agit per increatam, & sic agit immediatè immediatione virtutis increatæ. Hanc si Suares vocat immediationem suppositi in agendo, det mihi aliam virtutem, secundum quam Deus dicatur agere immediatè immediatione virtutis. Scio non daturum: crederem igitur manus daturũ si viueret.

§. 2. in princip.

De immediatione suppositi non est qui dubitet, nisi qui de immensitate Dei dubitauerit: nam si immensus est nullo loco includitur, aut mensuratur. Ergo est vbiq; ergo agens dum agit, præsentem habet Deum: si præsens est operationi, cur non concurrit cum illa? non ob impotentiam; absit enim vt tale quid imaginatione concipiatur: nõ quia redundaret talis concursus, nam nulla datur redundantia vbi infinitum est quod requiritur: supposito igitur quod requiratur Dei concursus, requiritur quidpiam infinitum: infinitum infinito additum non efficit redundantiam.

§. 4. requiri necessariò diuinum concursum ad actiones causarum secundarũ.

HActenus demonstrauimus agentia creata ita agere, vt simul ad actionem concurrat immediatè Deus. An verò concursus iste sit necessarius, & aliter fieri nequeat, inquirendũ est. Necessarium dico concursum, non ex parte Dei: nam certissimum est, Deum nõ agere necessariò, sed liberè; quicqd in contrarium senserit Aristoteles, sed necessitatem considero ex parte agentium naturaliũ, hoc est, vt ablato Dei concursu eorum actio cesset. Hoc rursus quæsitum, duplicem sensum recipit; vnus est an sit necessarius cõcursus Dei quomodocũq; hoc est p̃scindens ab immediato, aut mediato; alter an necesse sit vt concursus Dei sit immediatus. Nam licet iam sit demonstratum, concursum hunc esse immediatum, restat adhuc videre, an ita sit immediatus vt absque rerum creatarum deperditione possit esse mediatus.

Quod attinet ad primum, necessitas diuini concursus cum agentibus ad actiones omnes edendas, naturali lumine potest cognosci. Aduertendum tamen est, necessarium, vel dici simpliciter, vel ex Hypothesi. necessarium ex Hypothesi in præsenti est, vt supposito vniuersi ordine necessarius sit Dei concursus: & hoc quidem nemini dubium est: quippe ordo gubernationis postulat, vt causę secundæ à prima moueantur, & detur prima quæ moueat non mota; alioquin, duo sequerentur absurda, vnum quia daretur progressus in infinitum, cũ semper omne quod mouet, ab alio moueatur: est ergo deueniendum ad vnum primum motorem, qui moueat non motus. alterum absurdum est, quoniam peruerteretur ordo, & series rerum; siquidem darentur causæ secundæ absque causa prima. Necessarium simpliciter est, dum quęrimus vtrum implicet contradictionem, dari agens creatum, quod careat concursu Dei; & in hoc sensu pars negatiua sequenda est. tum quia illud agens creatum independens, extra Deum esset; ac proinde diuinę immensitati detraheretur: tum etiam quoniam cum agens agendo perficiatur, daretur aliqua perfectio quæ à Deo nõ foret, quod absurdum est dicere, & sacris litteris aduersatur, iuxta illud D. Iacobi, *omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est.* *in epist. n. 17.*

Quod attinet ad alterum quęsitum, an scilicet supposito diuino concursu, necesse sit vt talis concursus sit immediatus; responsionem recipit affirmatiuam: neque enim potest non esse immediatus concursus rei immediatè existentis, & immediatè agentis: sed Deus vbique adest per præsẽtiam, ergo vbique existit: cumque vbi existit ibi agat, vbique etiã agit: quare & existit, & agit immediatè pręsẽs reb⁹ creatis nã *in ipso viuimus mouemur, & sumus*, ac proinde *act. 17.* tã necessarium est Deũ immediatè cõcurrere, quam necessaria est immensitas ipsius Dei, *quem totus non capit orbis.* Probatur hęc veritas verbis sapien- *Sap. c. 7.* tiæ, *omnibus mobilibus mobilior est sapientia, attingit autem vbiq;* & alibi *at- Sap. c. 8. tingit à fine vsq; ad finẽ fortiter, & disponit omnia suauiter* D. Paulus similiter ait, *qui operatur omnia in omnibus.* *Paul. 1. ad Corin. 18:* Et Isaias, *omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* Plura accumulant sacri Doctores, à quibus referẽdis supersedere libet. Atq; ita si sapis resipisces, *Isa. 26.* & tuum illum libellum de ortu animæ, in quo rem theologicã Ethnicis commisisti, relictis sanctis patribus, & Theologis scholasticis, rescindes.

CASTIGATIO II

De Ecstasi.

EGimus de diuino concursu, qui si suspendatur, agens naturale manet ecstaticum, hoc est immune operationum, consequens ergo est, vt de ecstasi agamus, prius tamen aduertendum est Deum ita concurrere ad actiones omnes creatarum rerum, vt liberè ad quamlibet earum concurrat, ac proinde possit in qualibet actione concursum suum suspendere, cum alijs verò concurrere. Et hoc mente tenendum est ad ea quæ inferius sunt dicenda, ne cogamus ecstasim adeo omnes auferre functiones, vt nequeat aliqua remanere.

§. 1. *Deprehenditur licetus non semel in mendacio.*

VT veritas, quæ fuco non indiget, syncera appareat, extirpanda sunt aliqua tua mendacia, quæ eam obnubilant. In tuis igitur famosis disputationibus sic ais. *In ecstasi correptis animam ociari citra vllam diuini concursus suspensionem, proindeq; naturaliter, ac sine miraculo, nos olim tibi, multis rationibus ex rei natura deductis confirmauimus, quarum solutionem à te libenter audirem.* Tune mihi olim aliquid confirmasti? quid audio? num me olim noueras? num aliquis istas tuas confirmationes abs te missas mihi obtulit? somnias mi licete: somnia autem mentiuntur. Vbinam scripsisti tuas istas confirmationes, quarum solutiones scire desideras? nempe (vt ad marginem annotasti) in tuo illo magno chaos, hoc est, in opere de his, qui sine cibo &c. non semel sed ter. Videlicet lib. 2. c. 190. & eodem libro c. 200. & tandem libro 4, c. 65. His citationibus manu ductus, vt tuo desiderio satisfacerem, loca citata adire voluit. Legi, relegi, Volutaui, peruolutaui, & ne verbum quidem, quod ad rem hanc faciat inueni. itane ijs qui tua scripta lecturi accedunt fucum facis? sed hoc tibi sæpius exprobo, quia sæpius te in eo deprehendo.

Accedamus ad ecstasim, de qua (vt tu met fateris) multa scripsisti, *quæ à viris doctissimis non recipiantur* (forsan tuus Cantalicius recipiuntur voluit dicere) cæterum si ea quæ à te proposita fuerunt à viris doctissimis non recipiuntur, iam me quia à tuis propositis abhorreo, inter viros doctissimos cogeris reponere. Cæterum neq; à doctissimis, neq; à mediocriter instructis tua documenta recipi queunt. Non ne ibi ais, eorum qui ecstasi sunt correpti, animam rationalem occupari omnino in profunda cuiuspiam vehementis obiecti meditatione? *Procul dubio* (inquis tu) *quandoq; homines ecstasim pati, eamq; modo leniorem, modo profundiorem inficiari non posse putamus: id enim negantes Aristotelem reclamantem habebimus qui statuit homines in profunda meditatione occupatos non animaduertere singularia, quæ ob oculos habent.* Vbi nam hoc scripsit Aristoteles? respondes tu lib. 1. poster. tex. 30. immo hinc deducis in tui libri indice Aristotelem cognouisse ecstasim. Precor ego vos omnes, quos non piget hęc legere, vt Aristotelis librum adire velitis, & quærere an ibi aliquid, quod ad rē de qua agimus faciat, contineatur; quod si reperietis, me, meaq; opera odio habete. Loqtur ibi Philosophus de mathematicis, de quibus hæc verba profert. *Hi namq; habent causarum demonstrationes, & plerumq; non sciunt ipsum quod: quemadmodum qui vniuersale speculantur multoties nonnulla singularium nesciunt, quia non aduertunt.* sic ille. nunquid nō aduertere est ecstasim pati? caue ergo tibi dum deambulas inter columnas, ne inaduertenter in aliquam naribus impingas, hoc si accidat, ecstasim te passum fuisse poteris exclamare. Sed quomodo tu nunc ad defectum aduertentiæ refers ecstasim, qui alibi Zimaram iuniorem, & alios arguis quod dixerint, vehementer contemplantes, icdirco sensibus vllis vti non posse, quoniam animæ essentia, licet diuer-

de his qui sine cibo lib. 4. c. 65.

lib. 2. c. 190.

diuersis naturis constituta, vna est tamen: vnum autem non potest diuersis actionibus vehementius incumbere; ac propterea vbi vna animæ actio vehementior est, altera cessat; quod maior motus minorem obscuret. Non ne hoc est animam diuertere, ac proinde non aduertere? hoc illic impugnas, hic recipis.

§ 2. *Variæ ecstaseos acceptiones.*

NOmen ecstasis analogum esse dixerim: aliud enim significat apud medicos, aliud apud philosophos ethicos, aliud apud physicos, aliud apud metaphysicos, potius apud Theologos. In primis apud medicos ecstasis ægritudo est; quænam autem ea sit, non conuenit inter ipsos. Sunt qui ecstasim cum catalepsi seu catocho confundunt, qui affectus etiam dici solet congelatio, syderatio, detentio, apprehensio, morbus attonitus. Galenus alia via incedit: quippè ecstasim dicit esse mentis motionem, aberrationemq; vehementem & ferinam. Hæc si irrigante cerebrum atra bile oritur, melancholica ecstasis dicitur, habetq; vigilias comites, vnde contraria est comati; quippe in ecstasi hac, nulla datur quies, coma autem est delatio ad somnum. Verum ego tametsi sum medicus, non ago in præsens de ecstasi medica, sic et iã Fracastorius vt infra videbimus.

1. prorr. secti. 1. com. 14 & sect 2 co. 19. & sect. 3. c. 6.

Cæterum tam philosophi ethici, quam naturales, & metaphysici, conueniunt in hoc, quod ecstasis sit abstractio mentis à corpore, vt eam vocat Areopagita. Attamen prout ad ethicam spectat, animi passionum consectanea est, v. g. quæ ad ingentem iram, meroremue consequitur: quippè ex huiuscemodi motionibus animæ, nonnulli cecidisse exanimes narrantur. qui dum, veluti syncopizantes iacent, ecstatici dicendi sunt: dixi veluti syncopizantes: quia in syncope, patientes iacent veluti leni quodam somno correpti. eos potius lipothymia quàm syncope affectos dixerim: quippè in syncope, vitalis laborat virtus, & mortis periculum adest; in lipothymia, sola virtus animalis, hoc est sensus, & motus, non verò, vt in syncope, arteriarum pulsatio, adimitur. Deinde ex lipothymia nemo moritur, quemadmodum nec ex ecstasi, ex syncope verò mors sæpissimè oritur. Hic obiter duo tua errata detegere oportet.

Primum quia ecstasim cum apoplexia vnum commune habere ais, quod scilicet *apoplexia vehemens citissimè viuentes de medio tollit, debilis verò cum ægri vita, longius fœdus habet.* Putas ne eleganter te esse loquutum quando tardiorem interemptionem longius fœdus cum vita appellas? Legisti ne Hippocratem, qui ait *soluere apoplexiam fortem impossibile, debilem non facile.* Hinc ne elicis tardius hominem mori ex apoplexia debili, quàm ex forti? At Hippocrates non loquitur de termino apoplexiæ præscripto, sed de eiusdem curatione: soluere dixit, non solui. deinde non dixit longioris constitutionis esse debilem quam fortem, sed vnam terminari ad mortem, alteram euadere quidem interitum, sed difficulter. Præterea apoplexia quæ interimit semper est vehemens. nam debilis vt interimat mutatur in vehementem; augescente quippe malo, respiratio fit difficilior, maior stertor, languor maximus: sin minus dic mihi: quæ nam potest esse apoplexia vehementior, quam quæ interimit? igitur Hippocrates loquitur de apoplexię solutione, tu de eiusdẽ interemptione. duo magni viri estis, sed Hippocrates aliquantulo maior.

Alterum. Rogo te vt mihi ostendas, quomodo ista affinitas inter ecstasim, & apoplexiam possit cõsistere? nempe (vt suspicor) quia apoplexia debilis tardè ad intertium ducit; sicut etiam ecstasis! At apoplexia debilis, quamquam tardius interimeret quam vehemens, non idcircò interimeret tardè: quippe apoplexia vtraq; est morbus exactè peracutus. nisi velis cum magno tuæ inscitiæ incremento apoplexiam debilem ad morbos chronicos mittere, & sic confunde-

fundere apoplexiam debilem cum paraplegia, paraplexiaue, aut paralysi, in quã ista apoplexia debilis terminari solet, quodsi ita vis scitò te accipere diuersas ęgritudines tamquam vnam. deinde implicas in tuis dictis, quippe agens de apoplexia interimente, affers eam ex qua patiens mutato malo in aliud malum, euadit.

Pullulant errores tui, vt fungi. Promisi me duos tibi tuos errores ostensurũ Et ecce inter agendum emergit tertius. Ain tu in ecstasi homines mori? ita sane in libello de ortu animæ, ibi duplex genus mortis reperis, vnum est mors naturalis, quando propter extinctionem natiui caloris proximè corrũpitur animæ pars rationalis, cuius interitu mens, à corpore seiungitur, Alterum est mors fere supra naturam: de hoc secundo mox agemus, agamus prius de priore. Iam ego audiui mortem quandam dici naturalem, quia sequitur ad opera naturæ, qualis est illa quam decrepita inuehit ætas; alium præter naturam, quæ ad causas præter naturam consequitur, vt quæ accidit ex morbo, aut ex gladio, aut ex laqueo. cæterum omnem extinctionem caloris, mortem naturalem appellare, cui nam nisi tibi accidit vnquam? Præterea caue tibi à tuo loquendi modo: ais enim propter extinctionem caloris corrũpi proximè animæ partem rationalẽ. hactenus putabant omnes animæ partẽ rationalem esse incorruptibilem, tu nũc doctrinam affers ex qua possumus elicere optimum pronunciatum, nempè anima quoad suam partem rationalem est corruptibilis. hoc autem si verum est, dic sodes iuxta quam partem est incorruptibilis? necesse est vt respondeas incorruptibilem esse iuxta partem irrationalem. Vide in quas deducaris ærumnas. Alterum igitur mortis genus esse ais *fere supra naturam, quando in ecstasi diuturna, & forti, propterea quod mens non regit, gubernatue corpus, nec animas inferiores, hæ pereunt, à quibus ideo mens, & à corpore toto sequestratur.* Mortem supra naturam reperisti: præclarum inuentum. Sed quænam est isthæc nobilissima mors quã supra naturæ limites extollis? nempè quæ accidit ex diuturna ecstasi; vt tu ais. sed non ne tu ecstasim fieri dicis *quia mens ad centrum secum rapit, non partem, vt in leui, ac tenui speculatione: sed totum sensum, totumq; spiritum, ac animalis calorem, quo mens ad contemplandum vtatur, tamquam instrumento.* Interrogo nunc: ista ecstasis est ne miraculosa, an naturæ motu eueniens? si est supra naturam, (vt tu sentire videris, qui mortẽ ex illa ortam supra naturam esse ais) scito neminem vnquã in ecstasi quæ supra naturam accidit, fuisse mortuum, vt tibi inferius monstrabo: si autem ecstasis est intra naturę limites, profectò raptus iste caloris ad interna, vt interimat, non expectabit donec ecstasis sit diuturna, quod tu vis; sed momento temporis occidet, quemadmodum occidit mæror, lætitia, metus, quę sunt ecstases, seu raptus promptè interimentes. Tandem pluralitatem animarum in nobis constituis, de qua nunc nõ est agendum, sed tibi obsecundandum. Te igitur authore in ecstasi suspẽsio omnium animarum accidit, *quia cum in anima humana mens ad sensualem animam, & hæc ad vegetalem se habeat, tamquam forma ad materiam, cumq; materiei vbiq; proprium sit pati, ita vt ipsa quicquam efficere nequeat, nisi in virtute formæ sibi adnexæ; propterea fit vt anima sensitrix in hominẽ nihil agat, nisi adiuta ab intellectu; sic & vegetalis in nobis non operetur, nisi gubernata ab anima sentiente, eo modo, quo actus materiam gubernat, ac regit ad agendum. Vbi ergo contingat intellectum totum occupari in alicuius obiecti contemplatione; huius auxilio destituti sensus omnes, propria obiecta sentire atq; animaduertere nequeunt,* & quæ sequuntur: in quibus vteris exemplo apoplexiæ, in qua sentiens anima destituta spiritibus animalibus, & calore, quę sunt eius instrumẽta, feriatur, & secũ ad ferias trahit animam vegetalem, quæ & ipsa nullam actionem edit. In his quę à te dicta sunt, transeo myriades errorum: si enim singulis vellem obsistere, nimius quidem forem. Hoc solum quęro.

De ortu animæ l. 3. c. 12.

pag. 342. & alibi pluries.

nonne causam, cur in diuturna ecstasi mors accidat, hanc esse ais, nempe quia animæ inferiores, à superiore destitutæ feriantur? ita sanè. non ne ecstasim fieri inquis calore sese ad interna recipiente? maximè. Iam ergo vegetabili animæ, quoniam feriatur in ecstasi attribuitur quod sine nutrimento homo permaneat: hoc non negabis, imò hæc tua mens est. Sed tu etiam ais ecstasim diuturnam occidere: ergo interimit defectu nutrimenti. Vide in quas tricas dilabaris; nempe, propter ecstasim animæ vegetabilis, seu altricis, homo sine nutrimento viuit, & propter eandem ecstasim homo sine nutrimento moritur.

Itaq; præter ecstasim, quæ spectat ad medicos, estq; ægritudo quædam; præter aliam quæ pertinet ad ethicos, fitq; ab animæ passionibus, qualis est illa quã Leo Hebræus amatoriam vocat, de qua nos alibi: præter istas duas, inquam, datur ea quæ ad physicum spectat, & à naturalibus fit, causis vt à proprietate indiuiduali, sicut præsbytero Restituto accidere solebat, cuius meminit D. Augustinus, & alij, de quibus infra agendum est, aut à prædominio humoris melancholici, cui humori Fracastorius ecstasim adscribit, de quo etiam inferius; datur etiam quarta, quam metaphisicã, vel potius theologicam libet appellare, quę est abstractio proueniens à Deo ad contemplanda cælestia arcana; atq; hæc summatim dicta, seorsim sunt explicanda.

Dialog 3.

de ciuit. Dei c. ... & 2. de intell. in Turrio.

§. 3. *De Ecstasi morali.*

AD morales philosophos spectat ea ecstasis, quæ ad animi motiones consequitur, inter quas optimum locum obtinet ea, quam dixi amatoriã appellari, in qua (vt Leo Hebræus ait) *sensus, motusq; simul non naturalis, sed violenta quadam consequitur priuatio, quæ nec sensibus iucundam affert quietẽ, nec corporis defessas reficit vires, quinimmò, & digestionem impedire, & vniuersum corpus dissoluere, consumereq; videtur.* Sic ille. cæterum amatoriam hanc ecstasim cum mentis commotione esse, tarda respiratio declarat. Respirant per longa internalla amantes, & valde magnam efficiunt respirationem, quæ non nisi suspirio educto compleri valet: hinc ortum habent suspiria amantium: tardã autem, & raram respirationem, commotæ mentis signum esse norunt medici ab Hippocrate edocti: quippe hæc, phrenitidem præire solet.

Hæc ecstasis, commotio, seu resolutio amatoria, satis in sacris litteris liquefactionis vocabulo significatur, vt in canticis *anima mea liquefacta est, vt dilectus loquutus est.* Hac eadem phrasi in profanis vtitur Virgilius eclog.

Limus vt hic durescit, & hæc vt cera liquescit.

Vno eodemq; igni, sic nostro Daphnis amore.

Ab alijs etiam animæ passionibus eadem resolutio contingit, quæ tamen potius syncope, quam ecstasis debet appellari, vt à timore Saul Rex Israëlitarum, vbi à Samuelis spectro imminens exitium sibi & exercitui cognouit, exanimis cecidit, nec nisi multa Pythonissæ cura, animum recepit. Esther Regina cũ duabus pedissequis ad Artaxerxem Regem profecta, maiestate territa, animo destituta concidit. Achior Ammonitarum Dux, conspecto Olofernis capite, quod Iuditha retulerat, Bethuliam, animo deficiens, præ stupore in media concione cecidit. Extant etiam multa exempla apud profanos authores, à quibus referendis libens supersedeo.

§. 4. *De Ecstasi physica.*

APpello ecstasim physicam, eam quæ nec a causis moralibus, vt sunt animi passiones; nec à supernaturalibus, vt sunt reuelationes, & inspirationes diuinæ, sed ab ijs quæ ex vnius cuiusq; natura procedunt, ortum habet. Offert se in prima acie Præsbyter Ecclesiæ Calamensis, nomine Restitutus, cuius meminit D. Augustinus. Sed non magis ratio reddi potest, cur iste quando volebat, ad imitatas lamentantis hominis

minis voces, se abstrahebat à sensibus, & iacebat similis mortuo, quam cur alij, quos ibidem commemorat multa mirabilia agebant vt qui Cæsariem agitabat ad libitum, & qui vel alteram, vel vtraq; aurem sponte mouebat. Hæc omnia ad indiuiduales quasdam referenda sunt qualitates, nobis quidem non nisi euentu cognitas: quod si hoc ignorantiæ asylum est, præstat (vt iam alias tibi dixi) propriam ignorantiam fateri, quam eãdem ineptiendo detegere. tu verò, quod sic dixerim, me ignorantiæ patronum defensoremq; vocas. ego vt hanc effugiam notam, assentior tibi & nolo meã in hac parte ignorantiam detegere, sed quid tu dicas audire. quid ergo ais? nempe ineptias, at sic ad meam pristinam sententiam redeo, & malo ignorantiam mecum fateri, quam tecum ineptire. Negas te ineptire, expecta parum, tuas tibi ineptias conspicuas efficiam.

Similis Restituto fuit Clazomenius, quem Hermodorum appellat Plutarchus; Hermotimũ Plinius eiusque animam ait, relicto corpore errare solitam fuisse, donec aliquando corpus relictum inimici ejus, qui Cãtharidæ dicebantur, cremarunt, vt quasi venienti vaginam adimerent. addit Plinius animam huius vagam, è longinquo multa annuntiasse, quæ non nisi à præsenti sciri poterant, corpore interim semianimi. Vtriusq; idest tam Restituti, quam Clazomenij, tu historias recipis, & causam cur id eis acciderit, reddere conaris: ego ex aliorum testimonio tamquam fabulosas reijcio. Videamus nunc quis meliùs se gerat: ego ne quid veritatem huius rei nõ recipiens, eam prorsus ignorare me profiteor, an tu qui historiam recipiens, causamq; inquirens, non cessas ineptire? Suspicaris Restitutum fortasse tenuiore, paucoq; sanguine fuisse præditum, eaq; corporis constitutione, vt facilè consternaretur animo. ita estò: accipe igitur è sæculo illo in quo vixit Restitutus vsq; ad hoc nostrum, quotquot fuerunt, seu viros, seu mauis fęminas, (nam hæ paucioris sunt sanguinis & timidiores) audisti ne fuisse Restituto, vnum vel alterum similem? tu; similes das quam plurimos, siquidem ais Restitutum tale quid fuisse passum, *quale perpeti solent, qui nimo timore, contractis ad cor spiritibus, & sanguine omni, velut exanimantur: nam & hi sic animo defecti, nec puncti nec vsti sentiunt.* Rem miram narras, fidem faciant precor omnes, quicunq; ad legendam hanc tuam fabulam accedunt, an viderint vnquam aliquem qui præ timore, nec pungi se, nec vri sentiat, fortassis dabunt mulieres hysterico symptomate detentas. At hanc syncopem timor non immediatè sed mèdiatè efficit, hoc est mediantè vterino affectu. Tu ergo erras, qui causæ frequentissimæ, nempe timori tribuis effectum rarissimum, hoc est ecstasim. In hac ecstasi Restitutus tamquam mortuus quoad sensum tactus, nihilominus voces clamantium quasi è longinquo audiebat, huius rei etiam causam te posse reddere, existimas, aisq; hoc accidisse *quia tangendi functio fit in extima corporis superficie, vt ait Aristoteles, auditus verò functio celebratur in intimis capitis recessibus ad abditam cerebri substantiam.* Sed quod in extima superficie fiat tactus, non tollit quod fiat etiam in intima, alioquin viscera insensibilia forent, & sic nec dolores colici, nec nephritici, nec iecoris, nec pulmonis hominem vexarẽt. Quod auditus fiat in intimis capitis recessibus ad abditam cerebri substãtiam, videtur somniantis loquutio, non ne auditus instrumentum quatuor cauitatibus aurium, multisq; particulis, quas veteres agnouerunt, cõstat? Tertius error est, quod faciliùs deperdi posse tactum quam auditum censes, cum tamen quamuis ante mortem non videant, non audiant moribundi (quod signum ab Hippocrate affertur) nihilominus tactu non nisi in ipso mortis termino destituuntur. non ne tactus præstat necessitate sui alijs sensibus, sicut nobilitate visus? quid ergo vis id quod magis necessarium est, magis deperditioni esse obnoxium? Tandem si sensus qui magis intima habent organa, eo difficiliùs amitterentur, benè consultum

p. 235. 2. de anima tex. 109.

foret cum odoratu, sensu minime necessario, cuius instrumentum est cerebro contiguum, videlicet mamillares processus, & tamen nullus est sensus, qui facilius deperdatur, quam olfactus.

Ad Clazomenium accedo, de quo Plutarchus proponens opinionem eorum qui putabant animam eius è corpore solitam esse egredi, inquit. *Hoc quidem verum non est: non enim egressa est è corpore anima; sed identidem concedens, ac laxans genio compagem, circum cursitationem admisit; vt is multa foris audita, visa intro annunciarit*. Tu vero hæc Plutarchi verba exponens ais. *Hermodorum dormiuisse, ac genium illius, seu is fuerit malus dæmon, seu bonus Angelus, eo dormiente longiùs euagatum* &c. Itaq; Plutarchum differentiam inter cacodæmones, & bonos Angelos cognouisse reris, perinde ac ille Dionysium Areopagitam, aut Diuum Thomam, qui posteriores multo fuerunt, legisset; nec mirum: nam tu aliquando, sententiam quamdam Aristotelem à Galeno accepisse ais, cum Galenus multis post Aristotelem annis vixerit.

§. 5. *Cur impossibilis sit naturaliter, regressus animæ ad corpus.*

DEducit me Hermodorus Clazomenius in necessitatem inquirendi, supposito quod impossibilis sit naturaliter regressus animæ ad corpus, vndenam hæc impossibilitas ortũ habeat. Accedis tu in hoc certamen, exemplis onustus, sed nec illa tibi fauent, nec tu illis: non illa tibi, quoniam cum sint historiæ multorum, qui specimen exhibebant separationis animæ, quid nam tibi conferunt nolenti animam à corpore separari? non tu illis, quoniam cur acciderit illa apparens separatio rationem nullam reddis, sed ad præstigia confugis, tanquam ad ignorantiæ asylum, & tamen aliquando me, quod confugiam ad miracula increpas.

Cęterum si Pythagoram, qui eadem die, ac eadem hora simul fuit visus in Metaponto, & in Crotone, inter præstigiatores recenseri vis, quamuis nec Aristoteles, nec Ælianus, nec Apollonius, nec Patricius, quos tu refers, talem fuisse censeant, hoc tibi permitto. Si Pamphilum relatum à Platone, qui cum inter cadauera per dies decem iacuisset vita functus, domum tandem reductus; postridie rogo iam iam imponendus reuixit; & multa, quæ vidit apud inferos narrauit; si, inquam, hunc etiam præstigiatorem esse contendis, estò. Si septẽtrionales, quorum meminit Olaus Magnus, meminit, & Martinus del Rio, pręstigiatum sunt molitores, per me quidem tales censeantur. Verùm consulito A. Gellium, dabit tibi Cornelium Sacerdotem nobili loco natum, & castitate, reliquisq; virtutibus venerandum, qui cum commoraretur Pauij, repente mota mente, conspicere se procul dixit pugnam acerrimam pugnari, ac deinde alios cedere, alios vrgere, & subito exclamauit Cæsarem vicisse, quod eodem accidit die, quo Cæsar, & Pompeius inter se præliabantur. Hunc præstigiatorem fuisse non admittet Gellius, qui eũ præhabito commemorat encomio. Aristeus Proconesius ab Herodoto, & a Pyrio Platonico absq; vlla infamię labe nominatur. Itaq; tu, clausis, vt aiunt, oculis præstigia recipis, quæ tametsi non credere omnino barbara incredulitas foret; ea sola amplecti, & alia sublimiora non quærere, rusticitatis suspicione non caret.

lib. 15. noct. attic. c. 18.

Sed quando verissimum est, animam nõ posse naturaliter ad corpus regredi; videamus, quo tu, ad id probandum argumento vteris? nempe vno, vel altero debili, è triuio, vbi plura exquisita posses reperire. Ante omnia tamen te moneo, vt caueas ne falsis cauillationibus alios irretire velis, nam te ipsum irreties. Insurgis in me, quasi ego, ex mea sententia affirmem, Clazomenij animam è corpore egressam errare solitam, vagamq; è longinquo multa annunciare quæ nisi præsenti nosci non possent, ego ne hoc affirmaui? qui dixi *Clazomenij anima fertur relicto corpore* &c. non ne illud fertur te docuit, me alienam potius senten-

sententiam referre quam proferre propriam? Cæterum vtcumq; sit, conueniamus falsum esse animam posse extra corpus peruagari; hoc tamen tu impugnare cum velis, omnino quomodo inpugnandum sit ignoras, & in ipsa impugnatione arma hosti satis fortia præbes. Inquis igitur sic. *realis exitus, & separatio animæ à corpore ad locum ab eo distantem est mors animati.* dic quæso si hanc mortis definitionem recipis, cur negas vitam esse nexum animę cum corpore? non ne contrariorum eadem est ratio?

Deinde quænam tua mens est? separatio, inquis, ipsa est mors, à morte non datur regressus, ergo nec à separatione. At non discernis hic circulum, & principij petitionem. si separatio animæ à corpore est mors, quicumq; tibi negat à sæparatione dari regressum, negat etiam à morte: quare assumptum, & consequens apud te vna & eadem res sunt, Et conclusio tibi est etiam medius terminus. Altero argumento vteris, quod, si recte conspicias, coincidit cum priore: ais namq; animam non coniungi corpori, nisi ad eam disposito; & non separari naturaliter, nisi destructis illis dispositionibus, quę corpori nectebant animam eandem: addisq; dispositiones semel corruptas non posse viribus naturæ restitui: quippe natura non admittit regressum à priuatione ad habitum. Ita esto, sed non ne prior argumentatio ideo supponit non dari regressum à morte ad vitam, quia mors est priuatio? quid ergo superaddidisti? certè nihil. Quod vero attinet ad argumentationis fundamentum, hoc est, non dari regressum à priuatione ad habitum, axiôma est verum, sed quod ad rem non valde facit: quippe Albertus Magnus apud quem à priuatione in qua est inchoatio habitus, regressus admittitur, posset tibi respondere absentiam animæ factam ui abstractionis, & raptus adhuc in se retinere aliquod rudimentum dispositionum, quibus anima priùs corpori alligabatur. Tu autem vt in omnibus viam deseras veritatis, separationem istam factam vi raptus maiorem esse putas, quàm quæ fit vi morbi: nec consideras in raptu perseuerare calorem, & putredinis non adesse signa. præterea non ne tu fateris ex ecstasi posse sequi mortem? ergo mors est maius malum: nisi velis dicere ecstaticū, si moriatur meliùs se habere quā si in ecstasi perseueret, & sic ęrumnam maximam accidisse dicemus Præsbytero Restituto, & Clazomenio quoties ab ecstasi fuerunt librati.

Tu vero ad philosophiam docēdam mercede conductus, in re seria non seriò loqui mihi videris, qui multa solida argumenta non quæsijsti, cum tamen ea reperire non difficile negocium foret. Poteras in primis reuocare in mentem, materiam, secedente vnius indiuidui forma, non remanere omni forma separatam: ideo enim corruptio vnius dicitur alterius generatio, quia materia nec minimo temporis spacio vidua remanet. Si ergo forma, quæ semel abijt iterum reuertatur, occupatum inueniet domicilium, ac proinde oportebit vt occupantem foras eijciat; ad hoc præstandum deest ei potestas; quippe forma non habet ius in subiectum, quod non informat, ni velimus incidere in Auicennę errorem, existimantis animam vi cogitationis posse in alienum corpus aliquid operari.

Poteras etiam respicere ad causam indiuiduationis: cumq; anima reuersura, debeat esse ea ipsa quæ recessit, & efficere simul cum materia suppositum, quod sit idem numero cum eo quod perijt; necesse est vt regeneratum easdem habeat causas, quas habuit prius genitū; nempe habeat eosdem parentes, quorum forsan alter, aut vterq; non ampliùs existit; eundem locum, & idem tempus, ad quæ omnia naturaliter regressus non datur. Præterea cum materia sit indifferens ad omnem formam, forma quoq; indifferens ad omnem dispositam materiam, quis determinabit ea, quæ ex se sunt inditerminata? profectò solus Deus peculiari suo concursu: at concursus hic supra naturam est. Tandem poteras acquiescere verbis sapientissimi Iobi. *Homo vero cum mortuus fuerit, & nuda-*

& nudatus, atq; consumptus, vbi quæso est? quomodo si recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus arescat, sic homo cũ dormierit, non resurget, donec atteratur cælum, non euigilabit, nec consurget de somno suo si hac authoritate poteras vti, cur eam reliquisti, & inanes quæsijsti nęnias? Itaq; dum proprietates occultas odio habes, te manifesto dignum odio ob extremam impudentiam censent omnes.

§. 6. *Aliæ causæ ecstaseos physicæ.*

SIT etiam assuetudo, quæ ad facilem ducit ecstasim: quippe facilitas ista multiplicatis actibus acquiritur, vt facilitas scribendi, pingendi, memoriæ commendandi, recitandi, &c. quemadmodum ergo priores guttæ lapidem non excauant, sic nec priores actus facilitatem inducunt. Viri sanctitate præstantes, in solitudine animam à sollicitudinibus abdicantes, vni duntaxat obiecto incumbentes, faciles se ad abstractionem ecstaticam reddebant; primò quidem parùm, deinde magis, ac magis abstrahebantur. Sic ad eum perfectionis gradum ascendebant, vt quoties vellent, corporeorum sensuum penitus obliuiscerentur. Quid tu ad hæc? putasne exiguitate sanguinis, aut innata timiditate accidisse, vt ad libitum raperentur? At ne somnum quidem potest homo ad libitum capere, quanto magis ecstasim?

Porro ecstasis sanctorum hominum, non erat, vt tu ineptè putas, in vita: nam sese adaptabant ad mentis eleuationem: adaptatis autem necessariò superueniebat ecstasis, non quidem quia etiam si nollent abstraherentur, sed quia dispositio spontanea consectaneam necessariò habebat ecstasim: si enim quispiã ex his nollet rapi, facile id obtineret, nempe si contemplationis vim reprimeret: si tamen obstinatè inuitam ecstasim hanc appellas, estò, sed appella etiam inuitam sponsæ verecundiam, quæ se vltrò sponso videndam obtulit, potuit namq; non aduenire, sed post aduentum non potuit non erubescere.

Obiter hic contradictionem diluere oportet, quam tu in me non reperis, sed fingis. Dixi, posse quempiam à corpore se abstrahere, vel propter proprietatem indiuidualem; vel propter assuefactionem (assuefactionis vocabulum irrides, quod tamen posses non irridere) Attuli exemplum à viris sanctimonia præstantibus acceptum, addidiq; hæc verba. *Et multò magis diuino amore inflammati, crescente affectu, & comparata ob assuetudinem facilitate, addito etiam à corporis illecebris ob vitæ sanctimoniam recessu.* Insurgis tu oculatissimus contradictionum repertor, & me damnas, quod initio abstractionem attuli ortam ab assuetudine sola, & mox non ab ea sola fieri affirmo, sed ab amore, & recessu à corporis illecebris cooperante hoc vtroq; assuetudini. Ego ne solam, aut non solam dixi? næ tu mendax es atraphaxis. Dixi fieri ecstasim, vel propter proprietatem indiuidualem, vel propter assuetudinem: hanc nec solam, nec non solã proposui, quod si proposuissem, non adhuc mihi contradixissem: quę nam contradictio quęso est, si supponam ecstasim aliquando assuefactione sola induci, aliquando *multo magis* (sunt mea verba) addito à corporeis illecebris recessu. Itaq; non est contradictio, vt vides, neq; ego bilinguis sum, sed tu malè audis. Potest igitur consuetudo interdum esse abstractionis causa, interdum concausa.

Relicta tua inani cauillatione inter hos qui facile ob assuetudinem, & ob vim maximam cogitatricis abstrahebantur, reponendi sunt aliqui viri celebres, & in primis Socrates, qui (vt in conuiuio in oratione Alcibiadis narrat Plato) à Solis ortu vsq; ad Solem alterum Orientem, inconniuens, immobilis ijsdem vestigijs, & ore, atq; oculis in eundem locum directis, cogitabundus, & abstractus à corpore, stabat. Occurrit etiam Archimedes, qui in Syracusarum direptione, mente, & oculis in terrã defixis figuras geometricas, nihil de militum incursione cogitans describebat, & à milite, quem non animaduertit,

fuit

fuit occisus. Præter hos duos fertur Plato contemplationis intentione longè à corpore secessisse, tandemq; in ea ipsa abstractione, à corporis vinculis omnino decessisse. Xenocrates eius discipulus singulis diebus per horam à corpore abstrahebatur, vultum mutabat, & mira quædam inuenta, postea narrabat Plotinus sæpe à corpore soluebatur, quem Porphyrius eius discipulus quater solutum vidit: ipse etiam Porphyrius cum octauum supra sexagesimum annũ ageret semel inter contemplandum, semel à numine fuit correptus, vt ipse met narrat: quid alios plures commemorem, qui vt contemplationi se darent à corpore ad animi arcem confugerunt? Hinc Plato in Phædro auctor est philosophorum, mentes precipuè, alas quibus ad diuina volatur recuperare, quia semper diuinis incumbunt.

Potest igitur anima istorum, qui facilè abstrahuntur, non quidem è corpore euolare, nam sic ecstasis & mors idem essent, & ab hac non daretur regressus: adiunge etiam neminem eam efficaciam in abstractione habere posse, vt se ipsum interimat, hoc tamen tibi mox inferiùs ex professo monstrabo, sufficiat nunc dicere cum Ficino, læsionem animi, quæ à se ipso infertur, controuersiam potiùs esse quàm perniciem, itaq; citra interitum posse animam à corpore aliquantulùm segregari: aliquantulùm, inquam, hoc est quoad actiones transeuntes, non quoad immanentes, nec multò magis quoad actum informandi. Hec aliquantula segregatio parua motu primo, per inclinationem naturæ, magis, ac magis augetur (exemplo vtar D. Thomæ) lapis suapte natura descendit, & sic deorsum velociter fertur: Sed non ne potest motus iste deorsum aliquo impulsu fieri velocior? maxime: sic animus, qui iam, siue aspectu cælesti, siue ex qualibet alia causa, abstrahitur, cum potentia abstrahendi se reducit ad actum, per hanc actualem abstractionem tamquam per impulsum, magis, hoc est fortiùs abstrahitur, & sic fortiter abstractus, parum comercij cum corpore habet multum cum se ipso. Proinde non secus, ac lumen in lucerna (est comparatio Cornelij Agrippæ Auctoris Damnati) inclusum, quā aperta vsquequaq; diffunditur, neq; deficit, nam vbiq; est semper: sic anima, quæ lumen quoddam est (iuxta Ægyptiorum doctrinam) quatenus à corpore est soluta, eatenus omnem locum, omne tempus comprehendit.

Sed, ob ea, quæ dicta sunt, inquirere oportet, an ecstasis interimat, ad quod tu sine distinctione respondes, existimans ad omnem ecstasim posse interitum sequi. Verùm longè aliter res habet: nam si vera ecstasis foret illa, quam moralem esse diximus: nempe, quæ fit à passionibus animi, quam potius syncope, quàm ecstasim appellare debemus, hæc quidem mortem secũ affert. Multa sunt exempla hominum qui ex timore, merore, gaudio, immò etiã ex ira, licet renuente Galeno, perierunt, quin hæc syncope ipsa aliquando est mors: etenim repentinus interitus nihil aliud est quàm, syncope, ex qua patiens non reuertitur. Si autem consideremus syncopem diuinitus immissam, hæc non interimit: nã aliud est rapi per interitum, & hoc fit in instante; aliud per ecstasim, & hanc non immittit Deus, vt hominem è vita dissoluat; Testis est D. Paulus cui concessum fuit in ecstasim rapi, nec tamen perijt, quamuis hoc vehementer desideraret, quod significauit inquiens. *cupio dissolui, & esse cum Christo*. Ecstasis igitur, à summo Deo concessa, beneficium est maximum, per quod datur frui in hac vita gaudio ad solum animum spectante. si vero mors inde aduentura foret, quorsum id fieret per mediam ecstasim? Tandem si agamus de ecstasi, quam assuetudo, aut proprietas occulta affert, hoc est de facilitate abstrahendi se à corpore, hæc ecstasis, interimere nequit, cuius rei potissima est ratio, quia anima, quę est forma corporis, per se ipsam inclinat ad coniunctionem cum corpore, à quo per se ipsam separari nequit: quippe separatio isthæc, violentia quædam est, nihil autem potest violentiam sibi naturaliter infer-

inferre. Separatio igitur animæ vt forma est, cum sit violenta, est mors: eam sibi forma, hoc est anima, inferre nequit, potest tamen sibi inferre separationem ab operationibus, quippe hanc ferias, non inferias appellare possumus. An vero hinc sequatur animam esse in corpore vt in vase, alibi disquiremus.

Interim de ecstasi quam infert succus melancholicus aliquid dicere est operæ pretium: nam hæc quoq; physicam habet causam, humorem nempe ipsum atrum, per quem in qualibet arte excellentes homines extitisse affirmat Aristoteles. Huius rei potest esse ratio quoniam niger humor suapte natura, terræ sequitur conditionem: quemadmodum ergo terræ proprium est contrahi in se ipsam, non dilatari vt cætera elementa; sic melancholicus humor contrahens se, animam inuitat & iuuat, vt se in se ipsam colligat; Atq; hinc est, quod humor melancholicus animam cogit, vt in se ipsam collecta, à corporeis abstrahatur functionibus. Ex altera parte anima frequentibus agitata cogitationibus, spirituum resolutionem molitur, remanetq; corporis complexio multo magis terrea quàm priùs: Et sic sibi mutuas rependunt vices anima & corpus: ita vt illa melancholici humoris motum sequens, se colligat; hoc animæ agitatione spirituosam partem deperdens, euadat terreum. Quare dum anima in corporis ergastulo includitur, corpori ancillatur; nihilominus tamen suæ nobilitatis quodammodo memor, in corpus imperium conseruat.

Occasionem mihi præstat inquirendi hanc ecstasim melancholicam sententia Hippocratica, *si lingua repente incontinens fiat, aut aliqua pars corporis stupore elanguit, tale est melancholicum*. Galenus cur de repente facta linguæ impotentia ad proferendum, aut alicuius membri resolutio, sint melancholicæ ignorare se fatetur. Cæterum quamuis linguæ impotentia, partisq; resolutio, à pituita non minus, quam à melancholico humore possit fieri; nihilominus defectu aduertentiæ magis de repente hæc omnia accidunt: aduertentiam autem aufert profunda occupatio circa aliud; profundam autem mentis occupationem ad prædominium melancholiæ referendam esse nemo est qui ignoret; quippe siccitas facit ad aciem cogitationis, frigiditas ad firmitatem: quare flaua bilis, tametsi siccitatis est particeps; ob caliditatem tamen est mobilis: atra autem frigida & sicca, permanet in speculatione. Vnde Democritus dixisse fertur *splendor siccus mens prudentissima*. Nec verò nigredo atræ bilis impedit splendorem: nam quæ à sanguine fieri incipit, adustione splendescit: sapienter tamen animaduertit Fracastorius, non omnes melancholicos, eam melancholiæ naturam habere, quæ solet homines facere excellentes: si quidem humor hic, & calidissimus, & frigidissimus potest accidere, potest & temperatior: Refert etiam non parum, multus ne an paucus excesserit, & magis ac minus crassus, & reliqua, quæ præstat videre apud eum.

[Margin: 7. apho. 42.] [Margin: de intellectione dialog. 2.]

§. 7. *De ecstasi theologica, hoc est diuinitus data.*

Fit ecstasis supernaturaliter, suspendente scilicet Deo suum concursum, quem in superiore castigatione dixi esse omninò necessarium. In hac ecstasi duntaxat nutriendi actionem cessare posse dixi: tu me increpas quasi confugientem ad miracula, quæ tu, nescio cur, odio habes, ego vero rem naturali via impossibilē, supernaturali possibilē esse statuo, & non aliter; semper ne ego ad miracula confugio? si semper, aut saltem pluries; indigita mihi vnum vel alterum, in quo me deprehendas; sin minus deprehendam te in mendacio. Cæterum, vt meam euertas positionem fingis duplicem relationem. Vide quàm inaniter animam dum ecstasim patitur, duas pati vis relationes, (pati dixi quia eas miseræ animæ velut sarcinam ingeris) vna relatio est ad sui existentiam in corpore: altera ad suam operationem pariter

pariter in corpore. Videris mihi plures parturire relationes, quam fungos tonitrua. Anima dum ecstasim patitur, si adhuc in corpore commoratur, tam in ecstasi quam extra ecstasim relationes istas habet, nempe ad existere, & ad operari: si verò extra corpus peregrinatur; relationem habet ad corpus velut anima separata, & sic tuum istud inuentum abit in uentum. Adiungis ad vtramq; relationem necessarium esse animæ, Dei concursum: *quia nisi Deus concurrat vt causa gubernans animam operantem, ea nihil operabitur, si verò non concurrat vt causa conseruans, eadem anima non potest existere*. Porrò diuinum cōcursum bimēbri partitione diuidis; scilicet in concursum Dei gubernantis ad operationem, & concursum Dei conseruantis ad existentiam. Hæc tua diuisio, non solum inutilis est, sed etiam vitiosa.

Inutilis est: nam quorsum duplicem inuehis concursum, si sufficit vnus? Deus enim vno, & eodem nutu conseruat & gubernat; ergo vno, & eodem concursu ad existentiam, & ad operationem se gerit: sed dices posse Deum suspendere concursum ad operationem, remanente concursu ad existentiam, sicut ignis in fornace trium puerorum, suspendente Deo concursum ad operationem, non vrebat, & tamen existebat. At ego eodem iure tibi ostendo vtrumq; esse vnū: quippe non potest suspendi concursus ad existentiam, quin suspendatur ad operationem. Deinde existentia est ratio agendi, quare concursus ad rationem agendi, idem est cum concursu ad actionem: neq; differentia inter hos duos concursus reperitur nisi modalis, aut si mauis rationis ratiocinantis. Ad exemplum autem sumptum ab igne, à quo aufertur concursus ad agendum, remanet ad existendum, respondeo hoc non cogere vt duos concursus constituamus, sed duos modos vnius: quemadmodum enim vnus duntaxat est concursus ad operandum, potestq; suspendi quoad vnam actionem, non tamen quoad aliã: v.g. si suspendatur quoad calefactionem non autem quoad combustionem, sic vnus & idem concursus ad operandum & ad existendum potest vno modo suspendi quoad operandum, alio modo adesse ad existendum. Non ne Deus per eundem concursum, per quem creauit, conseruat? ita sanè: nam prima productio, & conseruatio, vna & eadem est actio; solaq; est differētia in connotatione, seu habitudine quadam, quia scilicet prima productio connotat rem, non antea existentem, quæ quidem connotatio, differentiam duntaxat modalem inuehit. Igitur & conseruantis concursus, potest esse, sine concursu creantis, & tamen sunt vnus tantum concursus, & concursus quoad existentiam potest esse sine concursu quoad operationem, tametsi nec realiter, nec formaliter differant.

Non solum inutilem, sed vitiosam simul diuisionem esse dixi: inutilem esse ostendi, vitiosam ostendam. Nonne vitiosa diuisio est in qua vnum membrū diuidens sub alio continetur? Vnde Albertus *diuisio vera*, inquit, *nunquam hoc efficit, vt vnum diuidentium cadat sub altero*, hæc autem tua diuisio concursum diuidit, in eum qui est ad existentiam, & in alterum qui ad operationem, cæterum in concursu ad existentiam includi concursum ad operationem iam diximus. Sed tu negabis quippe existimas dari posse existentiam sine omni prorsus operatione; vnde statuis animam in corpore existere vt in vase, nihil corpori conferentem: iam superiùs promisi & nunc iterum repromitto ostensurum me quam inanis sit isthac positio, expecta parum: neq; enim diu morabor.

Sed esto, tuam istam bimembrem diuisionē, quasi precariò admitto. Quid inde? nempe quia ego inquio animam nutritiuam feriari, suspendente Deo suum concursum; tu interrogas de quo concursu loquar? & supponis in primis me loqui de concursu ad operandum, & considerare Deum vt causam gubernantem: hinc infers iam citra miraculum, ac naturæ viribus, quantum sit ratione ani-

mæ; quoad eius existentiam in corpore nihil ei opus esse nutricatione. cur ita? *quoniam illa suspensio causa gubernātis* (ais tu) *est mera priuatio diuini concursus, nec habet aliquid positiui supernaturalis, quo si anima de se sine nutricatu degere queat in corpore, miraculosè in eo sine nutricatione detineatur, ac sustineatur.* Vide quam bellè sis argumentatus: sanè alba amussi: siquidem totam tibi admitto argumentatiomem, & tamen nihil proficis. Inquis igitur *suspensionem diuini concursus, esse meram priuationem;* esto; quid vltra? *priuatio*, inquis, *nihil positiui supernaturalis potest conferre animæ, quo anima in corpore miraculosè sustineatur si anima de se sine nutricatu degere queat.* Hoc totum ita sub conditione dictum, hoc est, *si anima de se sine nutricatu degere queat* admitto; verum anima de se sine nutricatu degere nequit, en quam facile tuus iste Achilles perijt. Ampliùs quamuis priuatio de se nihil positiuum possit producere, hoc non tollit quominus possit post priuationem, non tamen ab illa aliquid positiuum resultare. Tuo te conuincam exēplo. Abstulit Deus ab igne vim comburendi suspensione diuini concursus: hac priuatione nihil aliud potuit euenire, nisi vt pueri combustionem non paterentur, vnde nam ergo accidit vt sentirent *quasi ventum roris flantem?* certe hoc positiuum aliquid est, quod ablata vi vrendi resultauit: nempè (vt ait Theodoretus) aura frigida, & humida, quæ Sanctis multam afferret voluptatem. hanc quidem auram non producit priuatio, vt pote quæ nihil positiuum producere potest: nihilominus certissimum est ex priuatione rei cruciantis per quādam resultantiam emersisse auram oblectantem: eodem modo (vt ad rem nostrā accedamus) si Deus, suspensione sui cōcursus tollit operationem nutritiuæ animæ; nil prohibet existentiā, quę sine nutritione euanesceret, detineri posse, & sustentari, longè meliùs, quàm antea per aliquid positiuum supernaturale resultans. Et sic dupliciter supernaturalis est isthæc sustentatio, non autem naturalis, vt tu ineptè dicis: primo quia fit ad supplendum id quod supra naturam est, nēpe ablationem diuini concursus: deinde quia requirit præter priuationem, aliquid positiuum resultans.

Sed quoniam existimo te ignorare, quid sit istud resultare, seu istā resultantia, paucis te hanc subtilem metaphysicam à viris doctissimis receptam docebo. Cum omnis effectus per actionem suæ causæ effectricis producatur, si aliquid citra actionem producatur, iam non erit effectus causæ effectricis, sed quædam simplex emanatio, resultantiaue, neq; hic datur causa efficiens, sed necessitas cogens emergere; e. g. producat causa efficiens aliquid per suam causalitatem, actionemue. ecce tibi causa & effectus, quæ duo sunt correlatiua, necessariò igitur debet hic adesse relatio: hæc non fit per causalitatem aliquam: non enim datur actio causæ, quæ relationem attingat, emergit ergo per simplicem resultantiam, quia necesse est esse. Si hoc non percipis crassiore minerua tecum loquar, & aliud exemplum magis euidens tibi proponam. Percute membrum, soluetur continuum: causa igitur efficiens est percussio, solutio continui effectus: sed solutio continui, cum sit quid priuatiuum, non potest positiuum aliquid producere: at dolor adest, nunquid est effectus percussionis? non quidem immediatus, sed mediante solutione continui; nunquid est effectus solutionis? minimè, nam solutio est priuatio; ergo est quid ad priuationem necessariò resultans: & quamuis communiter dici soleat, solutionem continui esse causam doloris, scias medicos ad sensum magis quam ad metaphysicas rationes respicere: vera autem philosophia docet, solutionem cōtinui esse priuationem continuitatis, integritatisue, & causā doloris dici impropriè seu magis materialiter, aut per accidens, per se autem, seu formaliter non habere realem causalitatem.

Interrogabis forsan, si id quod resultat, necessariò resultat, vnde nam accidit in casu trium puerorum necessitas

auræ oblectantis? nonne satis fuit vt ignis non combureret, & sic pueri nullam paterentur molestiam? si consideras pueros iniustè vexatos, satis quidem foret, vt suspensione diuini concursus, supplicij immunes conseruarētur: si verò eosdem contemplaris constantes, & fortiter sese supplicio offerentes, omnemq; dolorem præ charitate contemnentes, eis merces debebatur: talis autem fuit oblectatio in medio igne. Tu verò, hanc forsan doctrinam irridis: scito tamen omnia illic miraculosa fuisse, adeò vt sacri authores, in illa historia octo reperiant miracula. primum, quia ignis micabat, & non vrebat, de quo dici potest: vox Domini intercidentis flammam ignis. Alterum, quoniam ignis non combussit eos, qui intra fornacem commorabantur, alios vero qui extra, & procul erant cremauit. Tertium, combussit vincula, quibus erant alligati, corpora autem non tetigit, ac ne vestimenta quidem. Quartum, in igne poterant respirare, & subinde loqui, & Dei laudes cantare. Quintum, descendit Angelus è cælo, qui cum ijs in fornace deambulabat, & flammas ab illis depellebat. Sextū, in illa fornace omnes tres pueri vnanimiter carmen, seu poëma elegans, doctum, & sublime composuerunt, & concentu cælesti cecinerunt. Septimum, ventus roscidus fuit immissus non solum refrigerans, sed etiam incredibili voluptate, suauitateq; perfundens. Octauū, solus Rex Nabuchodonosor vidit Angelum in fornace sub specie quidem hominis, sed habitu, & vultu splendidissimo, & cęlesti magis, quàm humano, quem tamen alij, qui iuxta Regem erāt non viderunt, vt scilcet maiore admiratione captus Rex, magis furorem suum in terrorem conuerteret. Meritò igitur quidam ait, in his pueris promissionem fuisse impletam, quam Deus ore Esaiæ
c. 43. fecit: *cum transieris per aquas tecum ero, & flumina non operient te: cum ambulaueris in igne non combureris, & flamma non ardebit te.*

Alterum tibi exemplum præstat Moses, cuius animam, inquis tu potuisse citra miraculum, ac physicè, licet feriatam ab actu nutritionis, quadraginta dies in corpore permanere. ieiunasse illum miraculosè admittis, negas tamen animam ieiunantis tandiù, non physicè, hoc est, miraculosè, in corpore mansisse. Itaq; ieiunium illud, apud te, miraculosum fuit, mansio animæ in corpore physica, Cur ita? nempè quia cum ecstaticus esset Moses, ecstasis verò fieret suspensione diuini concursus, suspensio est quid priuatiuum, ac subinde nihil positiuum potuit conferre ad permansionē animæ in corpore. Audi nunc, nutricatio fit agente calore in humidum dupliciter, primò, humidum radicale absumente, vnde oritur alimenti necessitas; deinde humidum alimentale perficiente, in quo consistit nutricationis ratio. Dic ergo quam operationem cessasse vis? priorem accipies, videlicet operationem caloris absumentis humidum radicale, vt possimus dicere Mosem (vt Galeni vocabulo vtar) adamantinum euasisse, sine vlla cibi necessitate. Hoc tu miraculosè factum agnoscis, quippe miraculosè ieiunasse ais; Ieiunauit miraculosè, ergo sine cibo miraculosè vixit: quippe physicè, tandiu viuimus, quandiu nutrimur: quid ergo garrire non cessas inquiens ieiunium miraculosum, permansionem animæ in corpore nō miraculosam habuisse. Tua argumentatio deberet in hunc modum procedere. Moses quadraginta dies sine cibo miraculosè transegit; sed sine cibo nemo potest nisi miraculosè viuere, ergo miraculosè quadraginta dies vixit. Instas tu inquiens, suspensio diuini concursus est priuatio, quæ nihil positiuum producit, ergo nihil supernaturale positiuum ex hac suspensione fuit productum, per quod vita sustentaretur, ergo sustentatio illa non fuit supernaturalis, si non supernaturalis, ergo fuit physica. Vel tu sophismatibus inuolutus, teipsum decipis, vel ijsdem vis lectori fucum facere. sed nequicquam. Etenim præter quam quod iam tibi dixi, à priuatiuo tametsi nihil possit per realē productionem effici, posse per resultantiam

emergere. Nunc addo, suspensione diuini concursus Mosen abstinuisse supernaturaliter à cibo, & supernaturaliter etiam seu miraculosè vixisse sine cibo; non solum quia miraculosè sustentatio resultauit, sed etiam quia cum naturaliter sequutura foret ad lōgum ieiunium mors, ecstasis supernaturaliter immissa, eum à morte præseruauit: quippe in ecstasi, quemadmodum suspenditur actio caloris in humidum, & remanet, vti dixi, ecstaticus adamantinus, ita & eius extinctio, quæ sequi deberet ad actionem, si actio daretur. Si verò interroges, quis nam est status ecstatici, neq; enim viuit si quidem cessat actio caloris, nec moritur quandoquidem non extinguitur calor? respondebo, ecstaticum non simpliciter dici viuum, sed aliquo auxilio supernaturali adiuuante; mortuum. Datur ne medium, inquies tu, inter vitam, & mortem? datur sanè, nimirum ecstasis; quæ quodammodo mors est; loquor ore D. Augustinis, qui agens de visione D. Pauli, sic ait. *Nisi ab hac vita quis sic quodammodo moriatur, siue omninò exiēs à corpore, siue auersus, & alienatus à corporis sensibus, in illam non inuehitur visionem.* Sic Augustinus, cui adhæret D. Thomas. Nonne somnus mortis imago appellatur? quanto ergo magis ita appellabitur ecstasis, quæ somnum valde efficacitate superat. Absit vt ego ecstasim mortem esse dicam: possum tamen D. Augustini, & D. Thomæ authoritatibus fretus, quodammodo mortem eā appellare. Atq; hæc sufficiant ad priorem partem tuæ argumentationis: nempe si dixissem suspensionem diuini concursus ad operandū esse eam, quæ requiritur vt homo sine nutricatione viuat.

de gen. ad lit.

2. 2. qu. 175. art. 4. sed cō-tra &c.

Accedo ad alteram partem, in qua sic me increpas. *Si autem agere te dicas de suspensione concursus Dei, vt causæ conseruantis, iam tunc in omnis ecstatici corpore non erit animæ, quod est absurdum asserere.* Siste parumper, & dic mihi, num Deus conseruet existentiam animæ, tam in actu primo, quam in actu secundo? si alterum istorum negas, multū detrahis de diuina potestate: si vtrumq; concedis, fac vt suspendat suum cōcursū quo ad existētiā in actu secundo, & remanebit anima in corpore existens in actu primo, & iam effugies tuū absurdū. Sed tu dices, suspendere concursum quoad existentiam in actu secundo pertinet ad Deum gubernantem, non ad Deum cōseruantem. At ego iam tibi dixi tuam illam distinctionem vanam esse; quippe Deus gubernat conseruans, & conseruat gubernans.

Sed quando per illud tempus in quo magna ecstasis durat, corpus remaneret sine anima, quod nam absurdum foret? non ne miraculosè anima separaretur & miraculosè corpus à putredine præseruaretur? putas ne sic multiplicari miracula, at miracula multiplicare vbi necessaria sunt, nullum absurdum est: solum non sunt multiplicanda sine necessitate. Adiungo sic non dari multiplicationem miraculorum; nam suspensio diuini concursus quoad existentiam supernaturalis cum sit, non inuehit corpori naturalem putredinem: neq; enim, (vt vtar tua argumentatione) suspensio diuini concursus, positiuam putredinis causam efficit. Sed quid moror in re, quæ facili negocio absoluitur? Quis tibi reuelauit velle me, vt in ecstasi suspēdatur concursus Dei conseruantis quo ad existentiam dumtaxat? profectò ex meis verbis nihil tale potuisti colligere; nam si Deus vt conseruans est, suspendat suum concursum quoad existentiam, iam non erit ecstasis, ergo mors, & ecstaticus non conseruabitur, ergo putrescet; est igitur absona tua hęc diuisio.

§. 8. *Ecstasis diuinitus admissa, in quo consistat.*

POteris, ex dictis addiscere, animam in ecstasi nobiliorem statum obtinere, quam extra ecstasim, vel in corpore, vel extra corpus. considera animam extra ecstasim in statu separationis à corpore, non ne imperfectionem subit? vtpote quæ forma corporis cum sit, non informat: considera rursus eandem extra ecstasim in corpore, nomine im-

imperfectum quippiam in ea est nō posse intelligere nisi per conuersionem ad phantasmata? At in ecstasi perfecta est ex ea parte ex qua est forma, siquidem tunc non desinit informare; perfecta itidem est ex alia parte ex qua est intellectiua, siquidem intelligit per species acquisitas & infusas, nec necesse est vt ad phantasmata conuertatur, nec tamen sic perit status physicus, sed *manente hoc statu* (inquit D. Thomas) *aufertur ab anima actualis conuersio ad phantasmata, & sensibilia, nec impeditur eius eleuatio in id quod excedit omnia phantasmata*. Quodsi dicas animam ecstatici

2.2. quæ. 175. art. 5. in corpore

cessare ab operationibus compluribus, quod imperfectio quædam est, respondebo plus nobilitatis acquirere ex modo intelligendi absq; phantasmatibus, quam sit illa quę deperditur ocio aliquarum operationum corpori animæque communium. Porrò ecstaseos perfectio in hoc consistit, vt scilicet intelligat veluti separata, informet velut coniuncta corpori.

Proprius characterismus, quo ecstasis cognoscitur, est quædam separationis similitudo, orta ex abstractione animæ à corpore, in qua abstractione, propriè consistit ecstasis; vnde Dionysius; *ecstasis*, inquit, *est abstractio mentis à corpore ad contemplanda cœlestia*, & D. Thomas ecstasim importare ait simpliciter excessum à se ipso, secundum quem scilicet aliquis extra suam ordinationem ponitur.

2.2. quæ. 175. art. 2. ad 1.

Tu autem, discedendo à laudatissimis authoribus, definis non per abstractionem mentis, sed per vnionem cū vno solo obiecto: quippe inquis & interrogas sic. *Quid aliud est maxima ecstasis, quam vnio totius animæ rationalis cum vno solo obiecto, vel valde intelligibili per contemplationem, quæ functio est intellectus, vel valde amabili per desiderium, & amorem, qui est actus voluntatis*. Itaq; distinctiuè loqueris duasq; propterea status vniones, scilicet vel per intellectum, vel per voluntatem: hæc disiunctiua loquutio efficit vt apud te possit esse ecstaticus quispiam, secundū intellectum Deo vnitus, secundum voluntatem seiunctus: rursus alius per actum voluntatis, hoc est per amorem summo illi bono vnitus, per actum vero intellectus ita segregatus, vt nihil interim de Deo cogitet: & sanè fateris dari idiotas sanctos, & sapientes prauos, in quo mihi videris somniare, siquidem statum ecstatici cum eo qui extra ecstasim est, confundis, neq; ea quæ à D. Thoma circa hoc scripta sunt degustasti. Iubet ille contemplari quid homini sit secundum naturam, quid diuina virtute ei sit supra naturam: statum igitur naturalem contemplator, qualis est quē anima habet in corpore naturaliter se habente, & inuenies animā corpori vnitam physicè, hoc est, vt formam, & tunc ei conueniet naturalis habitudo, hoc est, vt per phantasmata intelligat: sed ne persistas hic, perge vlterius ad statum ecstaticum: in hoc statu deperditur ne status physicus? minimè: iam tibi retuli verba ipsius, quæ nunc repetam: *manente hoc statu* (hoc est, statu physico) *aufertur ab anima actualis conuersio ad phantasmata*. En tibi ecstasim descriptā per abstractionem mentis à corpore, non per vnionem eiusdem cum vno solo obiecto. Sed tu respondebis in anima vtrumq; dari, nempe abstractionem à subiecto (vt ita dicam) & vnionem cum obiecto. At hoc non tolerant tua verba: memineris te dixisse, *quid aliud est maxima ecstasis quam vnio totius animæ rationalis cum vno solo obiecto*? Si nihil aliud est ecstasis quam vnio, iam tibi interclusum est iter, nec potes dicere esse duo, abstractionem, & vnionem.

Ceterum adhuc est quod dicere possis, nempe ecstasim definiri per vnionem in sensu causali, quemadmodum enim ira definitur, feruor sanguinis circa cor, quia vnum est causa alterius, ita ecstasis per vnionem. At in sensu causali, definitio non declarat essentiam rei: quare stultum est dicere definitū nihil aliud esse quam id quod in sensu causali esse dicitur. Deleto igitur tuam illam ecstaseos definitionem, factam per vnionem, & recipe eam, quam tibi porrigit Ange-

licus

licus Doctor, acceptam à Dionysio, scilicet per abstractionem.

Sed quæres fortasse, quod nam absurdum sequetur, si per vnionem cum Deo ecstasim definiamus? profectò quã maximum: nam præter quam quod vti dixi, definitio ita tradita, non explicat essentiam rei, est aliud deterius; nempè quia per vnionem animæ cum vno solo obiecto, non habet locum tua illa distinctio inter vnionem cum obiecto intelligibili, & aliam cum obiecto amabili. Hoc te docet Caietanus: quippe differentiam constituens inter raptum, hoc est abstractionem, & vnionem; raptum ait significare solam vim eleuantis, nulla ad hoc concurrente inclinatione naturæ; tua vero vnio, necessariò importat relationem vniti ad vnientem; quare potest ecstaticus rapi secundum vnam facultatem, non secundum aliam; vniri verò non potest nisi secundum omnes: quippè inclinatio à qua fit vnio, ab vna facultate ad aliam adiuuatur: hoc est per inclinationem ad amorem eleuatur cognitio, per inclinationem ad cognitionem augetur amor. non sic in raptu, in quo hæc facultas sine consortio illius potest violentiam pati; quare rectè D. Thomas nos docet, extra se poni animam, & secundum vim apprehensiuam, & secundum vim appetitiuam, quod diffusè tractatum reperies apud eum.

in epist. poster. ad Corinth. c. 12.

1. 2. qu. 28. art. 3

Itaq; aliud est vniri (quæ est tua loquutio) aliud est rapi (quæ est loquutio Sancti Thomæ) Rapiebantur Prophetæ etiam prophani ad prophetandum de Deo, qui tamen Deo non vniebantur: non ne Caiphas prophetauit nesciens quid diceret? At si vnitus foret sciret profectò. ex altera parte vniebatur Moses, & tamen non rapiebatur; vniebatur quidem: neq; enim aliter posset sublimium rerum acquirere cognitionem; non rapiebatur quod constat ex sacra pagina, loquebatur namq; cum eo Deus, vt amicus cum amico, sed de hoc inferius dicemus. In voluntatis autem effectibus, facilè tibi ostendam posse dari raptum sine vnione, & vnionem sine raptu, si attentè legas ea quæ D. Thomas scripsit. cum enim duas statuat species vnionis, nempè vnam, quæ realis est, v. g. cum amans est præsens amato; alteram quæ est secundum affectum; tametsi autem ista posterior sit formaliter amor, nihilominus prior, quæ realis est, affectus amoris censetur. Potest ergo homo rapi ad amandũ, neq; adhuc habere vnionem realẽ, atq; ita dicetur raptus sine vnione. Rursus potest voluntas vnita esse sine raptu: quippe raptus violentiam inducit, amor vero multoties fit ex similitudine, quod reperies apud eundem Angelicum Doctorem. Hæc doctrina stat quidem inconcussa, neq; est cur quispiam dubitet, posse animam abstrahi quoad vnam facultatem, non abstracta quoad aliam. Nihilominus iudicio multorum, Gerson optimè per abstractionem quoad omnes functiones ecstasim definiuisse censetur: inquit n. *ecstasis est raptus mentis cum cessatione omnium operationum in potentijs inferioribus.* Sic functiones tam apprehensiuæ quam appetitiuæ animæ com plectitur.

1. 2. q. 28.

1. 2. q. 27. art. 3

§. 9. *Vtrum anima possit esse in corpore, nihil eidem conferens.*

FOrma, & anima apud te complures producit surculos, quos omnes ex professo resecare, foret valde tædiosum, obiter tamen aliquid accipies, quod tibi aurem potest vellere, & admonere ne posthac in philosophiæ adytum perdem inferas. In primis *formas*, ais, *in materia bifariam existere posse, & vt actus in subiecto, & vt res locata in vase.* Hic grammaticam tuam rectiorem desidero: quippe solœcus est in hac loquutione. formam existere vt actum, & vt rem locatam debueras dicere. Verum grammaticos errores apud te non quæro, quippe his totus scates, venio ad binam existentiam. Forma inquis, vel est vt actus, vel est vt res locata. formam esse vt actum, nemo negat imo explodendum est illud (vt) nam forma non est vt actus, sed est ipse actus, atq; ideo cum addis formam esse vt rem locatam

iam eam eximis à ratione formæ. nam si non est actus, non est forma, neq; dici potest forma, id quod non informat.

Diuidis in primis formas, in substantiales, & accidentales. Et formas quidem accidentales, ais posse esse in subiecto, vt in vase, nihil illi subiecto conciliantes: exemplis tuam istam defendis positionē, si exempla euertantur, positio ruet. Inquis igitur formam accidentalem esse vt scientiam, quæ forma est intellectricis animæ apud Aristotelem. cæterum si saperes dissimulares hāc Aristotelis authoritatem, vtpote quæ contra te facit. scientiam namq; & sanitatem ait esse speciem quandam & formam, & vt actum susceptiuorum; scientiam scientifici, sanitatem vero sani. Si ergo scientia est forma, & vt actus scientifici, iam non est in scientifico vt in vase, sed vt actuans in actuato.

2. de anima tex. 24.

Alterum exemplum sumis *ex formis sensibilibus ab obiectis coloratis in medio productis: species enim ista in medio perspicuo reperiuntur purè in loco, nihil ad essentiam illius diaphani pertinentes.* Sed tu hic dupliciter deciperis: in primis enim hæres in æquiuoco: quippe, formę nomine, vel significatur species, seu figura, seu imago, & in hoc significatu licet visibilis forma sit in aëre vt in loco, nihil ad rem, de qua agis, facit; vel significatur id per quod materia reducitur de potentia ad actum; & in hoc sensu species visibilis non est forma, neq; est cur quæras num sit tamquam informās, an tamquam existens in vase: sed locum occupet disputatio. sit species visibilis forma actuans. Quando ergo est in aëre, ne consideres aërem vt elementum calidum, aut frigidum, neq; vt materiam respirationis, sed duntaxat vt medium visionis, & tunc non ne perfectiùs se habet speciebus visibilibus informatum quàm prorsus omni imagine obiecti expers? certe sine huiusmodi idōlis est in potentia medium, cùm illis iam est medium in actu primo, cum verò ea ad videntis oculum transmittuntur, est in actu secundo. quid ergo tu ad hæc? *actus*, inquis tu, *diaphani est*

2. de anima tex. 69.

lumen apud Aristotelem, non autem coloris imago in illuminato existens. Vide quid dicas: nam sicut verum est quod ais, apud Aristotelem lumen esse actum perspicui, ita falsum quod adiungis ipsum negasse coloris imaginem in illuminato existentem, esse simul quæ actuat medium. *Lumen*, inquit ille, *est actus perspicui*, adiungit tamen, *vt perspicuum est*. At vt perspicuum medij officio fungi actu possit, necesse est vt suum ei motiuum iungatur: motiuum autem diaphani, apud ipsum est color. quare licet diaphanum in esse diaphani actu sit per lumen, in esse tamen medij actu perficitur per imagines coloris. Tandem quid est color nisi luminis participatio? Philosophus ergo qui dixit lumen esse actū diaphani, non negauit colorem simul qui luminis participatio quædā est. immò (vt optimè notāt Conimbricenses) lumen, & color sunt causę partiales: verum tu in authoritatibus quas citas, potius es tui ipsius accusator, quam defensor. existit ergo imago hæc in aëre illustrato, nō (vt tu ineptè ais) nihil pertinens ad aërem, sed potius plurimum conferens ad aërem, nempe, vt est visionis medium. Similiter dicendū est de speculo, qui imaginē repræsentat: nam tu ais imaginem illam esse in speculo, nihil cōferentem, sed tāquā in vase. At ò insane imago illa non est forma speculi: quare parum refert, an ibi sit nihil conferens speculo. Deinde confert quidem; nam per illam imaginem, speculum redditur actu speculi munere fungens.

Addis exemplum sumptum ex geometra dormiente, cui expergefacto statim habitus geometriæ se communicat in formam perficientem, & hoc Aristotelem obseruasse obseruas. O te infelicem, qui semper in Aristotele quæreris aliquid, quod tibi prosit, inuenis quod nocet. Verba Aristotelis sunt hæc: *Propiùs autem, & remotiùs idem à se ipso potentia esse potest, vt geometra dormiens remotiùs, quam vigilans est, isq; remotiùs quam qui iam contemplatur.* Nunquid hinc colligi potest, dormiente geometra, geometricum habitum dormijsse? 2. gen. anim. c. 1.

mini-

minimè. Vide quid adiungat Philosophus *Sed enim huius nulla pars causa est generationis, sed quod prius extrinsecus monit, id causa est, nihil enim se ipsum generat, sed postquam generatum est se ipsum iam auget*: ex his verbis, poteris cognoscere, geometram dormientem iam habere geometricum habitum, tametsi remotiùs quam vigilantem. sed considera vlterius alium dormientem, qui geometra non sit: expergiscatur vterque: geometræ, ais tu, expergefacto se comunicabit habitus in formam perficientis, non tamen ita continget ei, qui geometra non est: cur ita? nempe nullum habebat habitus rudimentum; geometra verò aliquod licet remotius quã cum vigilat. iste ne habitus seu istud habitus principium rudimentumue conferebat ne aliquid intellectui dormientis? tu negas, aisq; fuisse in intellectu tamquam in vase. (2. de anima tex. 4) Ergo si nihil intellectui conferebat, intellectus geometræ & nõ geometrę dormientium pares sunt perfectione, quod tamen non tolerabit Aristoteles: quippe diuidens actum in primum, & secundum, scientiam ait esse actum primum, contemplationem vero actum secundum; & scientiam somno, contemplationem vigiliæ comparat. Siue ergo actus primus dicatur dum est in otio, secundus verò dum in opus incumbit, vt sentit cũ Auerroë Caietanus; siue, vt Simplicius, Themistius, & D. Thomas, actus primus sit principium operãdi, secũdus verò ipsa operatio; vtroq; modo habitus ille scientificus etiam per somnum est in actu primo. priore modo quia est in otio, secundo, quia principium est, ex quo profluit per vigiliam habitus reductus ad actum secundum. Est itaq; habitus dormientis quantũuis otietur, in actu saltem primo, at actus primus, non vti potentia sola, perfectio quædam est: quare intellectui dormientis geometræ perfectio ex illo habitu adest, quę nõ adest intellectui non geometræ dormientis: [redacted] aliquid ergo præstat habitus iste dormientis, quod tu dormiens non vidisti.

Addis authoritatem Aristotelis, dicentis intellectum esse locum formarũ. (3 de anima tex. 6.) Putas ne hinc posse colligi animam esse in loco, nihil ei conferentem? est quidem intellectrix locus in quem tam internorum, quam exteriorum sensuum imagines illabuntur, non autem in quo à primæuo ortu imagines consignantur. At locus iste aliquid recipit à formis, quę intellectui adueniunt.

Tu tamẽ aliud exemplum affers, quo mihi videris velle formas intellectui à primo exortu fuisse inditas: siquidem Platonicum te exhibes, & tamen Platonizãtes inter vulgus collocas inquiens. *Platonici vulgò statuũt, insitas esse, atq; innatas ĩ humanis animis rerũ notiones, quæ ab ortu intellectũ puelli minimè perficientes ob earũ exilitatem in eo sunt velut ĩ vase: at si vel à præceptore vel studio excolantur, statim validiores effectæ notiones illę sese exhibẽt, mẽtibus nostris in habitũ & in formam ipsas perficiẽtẽ, constituuntq; intellectũ in habitu, siue scientem, qui prius ignarus existebat.* Itaq; sic Ideas Platonis admittere videris, esq; trãsfuga ex Peripateticis castris ad Academica. Sed forsitan respondebis, te argumentari ad hominem, hoc est ad Sanctacrucium qui has Ideas admisit. (Vanitas argumentationis.) At vbi nam eas concessit? certè nullibi: sed dices Sanctacrucium in Galeni schola educatum Galeni Placitis adhærere debuisse: Esto; sed Galenus ne Ideas est amplexatus? nequaquam, erat tamen, inquies Platonicus, Platonicum fuisse nescio, sed Hippocraticum: si quidem in opere de placitis Hippocratis & Platonis, Hippocratem semper præfert. Quãuis autem Platonicus in aliquibus fuisset, non fuit in omnibus, quare vana tua est isthæc argumentatio, in qua pro fundamento accipis doctrinam, quam nec tu sequeris, nec is quem tu tibi proponis aduersarium. Sed volo respondere. Detur ideæ, quas tu notiones appellas: nunquid in puelli intellectu nihil præstant? vnde nam puerulis facilitas ad discendi, quam non habent bruta? respõdebit Platonicus ex imaginibus impressis, seu ex ideis, quæ intellectum efficiũt reminiscentiæ capacem: quippe nostrũ

scire

ſcire, apud eos, eſt reminiſci. Non datur autem reminiſcentia, niſi in homine, quia non niſi homo habet cognoſcentem potentiam imaginibus imbutam, per quas potentia iſthæc redditur capax noua ex veteribus extrahendi. Dic ſodes, non ne potentia cognoſcens bruti, verſatur circa ſingularia, & ſingularium memoriam conſeruat? ita ſane; cur ergo non reminiſcitur? quia non diſcurrit: ſed cur non diſcurrit? quoniam ſcilicet deeſt illi perfectio quædam, quã habuiſſet, ſi notionibus, ſeu idæis quas habet humana potentia, fuiſſet exornata. non ſunt ergo notiones vt in vaſe, ſed aliquid conferunt.

Tandem theologico vteris exemplo, & confuſa quadam loquutione. vis dicere Angelos habere ſpecies eorum mentibus impreſſas, & concreatas, quæ ſpecies dum non inſeruiunt rerum cognitioni ſunt in Angelo tamquam in vaſe, minimè eius intellectum adornantes perficienteſue. Conſidera ergo Angelum in illo priore, antequam habeat ſpecies vel à ſummo Deo impreſſas, vel ei innatas. quid prohibet ita Angelum conſiderare, quaſi abſtrahendo ab omni ſpecierum ornatu? tunc in quo ſtatu dices eſſe Angelicum intellectum? dices profectò eſſe in potentia ad ſuſcipiendas tales ſpecies. conſidera rurſus intellectum Angelicũ præditum ſpeciebus. quid tunc augebit ſupra priorem ſtatũ? nempè actum primum: erit ergo intellectus nondum intelligens in actu primo per ſuas ſpecies. Tandem intelligat, erit jam in actu ſecundo. Sed eſt ne actus primus perfectio quædam? quis dubitat? anima perfectio eſt corporis organici, & eiuſdẽ actus primus. euaneſcit igitur tua thoelogica penſitatio immò tota doctrina formarum accidentalium, quas in vaſe includere voluiſti.

Tranſis ad aliam quam appellas formam analogicè dictam, quam appellationem extrahis ex Ariſtotele: nempe quia ille ait. *Solus enim eſt maximè ipſius formæ ignis: quia natus eſt ferri ad terminum*. Cæterum non hinc debuiſſes inferre ignem eſſe, analogicè formã; quippe non formam ſed formæ, hoc eſt formalem appellauit, quoniam tendit ad locum maximè formalem, hoc eſt ad concauum Lunæ, qui locus eſt terminus continens omnia ſublunaria. Verum nolo de ſingulis diſputare. ſit ignis forma analogicè, nunquid continetur in mixto tamquam in vaſe? tu affirmas inquiens *ignis in calce noua ineſt latens vt in vaſe, quippe calx frigida eſt tactui, nec vrit, vbi vero calci recenti aqua fuerit affuſa, illico latens intra eam ignis exerit ſeſe in euidentem flammam, ſeſeq; materiei dudum ſubſtractæ nouiſſimè communicat in formam miſti à prædominio ignei: non eſt enim ignis ille genitus ab aqua: quoniam contraria mutuo ſeſe corrumpere ſtudent natura ſua, nec vnũ alterum generat cum omnis eſſentia ſibi ſimilem procreet.* Et quæ ſequuntur. Expunge precor illam flammam euidentem quam dicis excitari in calce affuſa aqua: ebullit quidem calx, & fumat, cui Galenus aſſimilat laborantes febre ecthica, qui incaleſcunt mox à cibo. expunge rurſus illam formam miſti à prædominio ignei: nam ignis non eſt ignei miſti forma: nam miſto omnia miſcibilia dant eſſe miſti, aliqua magis, alia vero minus. Porrò video te velle elementa latere in miſto, de quo tamen adhuc ſub iudice lis eſt: ſed ſi latent, aliquid quidem dum latent præſtant, nimirum efficiunt vt miſtum ſit miſtum, quippe miſtio authore Ariſtotele eſt miſcibilium alteratorum vnio: cur ergo ignem latentem dicis eſſe vt in vaſe? num omnia quæ latent, vt in vaſe eſſe dicuntur, Reſpice ad tuum calorem habitualem, immò non tuũ, quamuis te inuentorem illius eſſe gloriaris: iſte calor (vt tu met affirmas) non ſe prodit: num propterea eſt vt in vaſe? ſcilicet eſſe vt in vaſe aliquid, idem eſt ac ſi dicamus eſſe prorſus inutile: inutilis ergo eſt iſte habitualis calor, quorſum ergo illum nobis quaſi per vim ingeris? cætera quæ in hanc rem affers, indigna ſunt quæ legantur.

2. de ortu & inter. tex. 50.

Formam ſubſtantialem aſſiſtentem ais eſſe in ſubiecto tamquam in vaſe. Idq;

Idq; exemplis probas. Primam aciem ducit nauta dormiens in naui, quem ais in ea, vt in vase contineri, & nihil eidem communicare, expergefactum autem sese illi exhibere in formam gubernantem, mouentemq; nauigium. Dormiat igitur nauta in naui tamquam in vase, dummodo non appelletur forma substantialis: An nescis ad formam substantialem duo requiri, vnum vt sit principium essendi substantialiter ei, cuius est forma; alterum quod ex priore sequitur, vt forma, & materia in vnius compositi naturam, & in vnũ esse totius coalescant? Tu igitur, qui nautam formam substantialem nauis esse vis (vt ostendit capituli inscriptio) vade & ex nauta, ac naui fac coalescere vnum compositum per se: vade rursus & fac vt nauta suo nauigio sit principium essendi.

Nec solum nautam dormientem, sed vigilantem etiam in nauigio inepto, in vase esse ais: cur ita? nempe quoniam nauta nauigio inepto nihil conferre potest. Similiter existimas nauem aptam de salo in solum traductam, esse tamquam vas nautæ etiam vigilantis, quippe sic nauta nihil confert nauigio ad munus nauigandi. At tu si ita pergis plura conficies vasa quam centum figuli: nam qui sedet in saxo erit ibi tamquam in vase, nihil enim saxo confert quod ad ad saxi naturam pertineat sic etiam in lecto tamquam in vase est quispiam dormiens, aut etiam vigilans. Scire vellem an tu in cathedra sis tamquam in vase, cui nihil confers? scio tamen cathedram in te esse non tamquam in vase: quippe tibi mercedem confert.

Persistens in huiusmodi nugis, ais, Dæmonem in statuis assistentem respõsa dare, citasq; Aristotelis historiam, quæ nihil facit ad probandum dæmonem in statuis illis esse tãquam in vase. Rectè quidem hoc tibi exemplum inseruiret, si dæmon esset aliquo modo assistens forma illarum imaginum. Num circumforanei nugiuenduli, qui ex occulto imagines homũculorum mouent, easq; simulant loqui, dicentur esse harum imaginum formæ? at sic asinos sarcina rũm quas gerunt formas assistentes appellabis.

Concludis tandem sic. *Formæ assistenti conuenit esse in materia tamquam in vase ad differentiam intelligentiarum quæ cœlo assistentes illud animant, & viuificant, decreto Aristotelis.* Formas igitur assistentes hactenus à te relatas (quæ tam sunt aptæ ad formã, quam tu ad lyram) ais esse in materia (quæ illarũ materia neutiquam est) tamquam in vase: & hoc te dicere profiteris ad differentiam intelligentiarum, quæ cœlis assistunt, quasi nolis istas intelligentias esse formas assistentes, easq; cælum animare, & viuificare. At si quid formæ assistentis nomen meretur, sunt intelligentiæ istæ, cœlos autem non animant, neq; viuificant, nisi velis cœlos esse animatos. Vis, inquam authoritate Aristotelica fretus? Sed Philosophus non dixit Cœlos ab intelligentijs viuificari, quod est idem ac si diceret vitam habere, hoc tu illi falsò attribuis: animatos esse inquit, & habere in se principium motus; nempè accipiens cœlum simul cum intelligentia: & sic animati quidem sunt anima assistente, quæ non est ibi tamquam in vase sed præstat sphæris cęlestibus principium motus: splendescit hic tua ignorantia; si quidẽ formæ, quas assistentes vocasti, & tamquam in vase collocasti, non sunt formæ; forma quam ab assistentibus exclusisti, hoc est intelligentia, forma assistens est, & non est tamquam in vase. 2. de Cœlo tex. 13.

Transis ad formam substantialem, quam totius appellas, de qua sic ais: *in propria materia, velut in vase, diutule permanere potest, nihil illi conferens, quod præclarè docuit nos Aristoteles alicubi asserens terminum à quo incipit motus augmenti, seu id ex quo corpus viuẽs augetur, non esse illud potentia corpus, & magnitudo, actu vero incorporeum, & sine magnitudine, quod ita existit in corpore quanto vt non sit aliquid illius neq; secundum se, neq; secundum accidens, sed in eo, vt in vase contineatur. &c.* Præclarè fateor te docuit, Aristoteles, sed tu non præclarè ab Aristotele didicisti. 1. de gen. & corru. tex. 28.

cisti. Aristoteles loquitur de materia, tu eum audis ac si loquatur de forma. nonne verba Aristotelis sunt: *propterea quod, vt in vase aqua inest, materia eius.* hinc ne colligis inesse formam vt aquã in vase? Agit de materia accretionis habeatne actu magnitudinem, an magnitudinis sit expers. & inter cætera absurda, quæ sequuntur si quis dicat accretionem versari circa aliquid magnitudinis expers, quod existat in alio ita separatum, vt nec eius sit pars, neq; accidens, vnũ est quia sequeretur, id quod gignitur debere exire ab alio ex quo gignitur, v. g. aërem ex aqua tamquam aquam ex vase. itaq; non solum differs à magno præceptore quoniam ille loquitur de materia, tu autem de forma; sed etiam quia ille affert tamquam absurdum exire genitum à generante, vt aqua exit ex vase, tu affers tamquam optimam doctrinam, inesse formam in materia tamquam aquam in vase.

Statuis præterea formam partis præter formam totius. de hoc in præsenti non ago, nam omnes tuas maculas abstergere velle, infinitus foret labor. Istius modi formam dicis esse posse in materia sicut in vase nihil illi conferentem. primum exemplum, quo hoc stabilire conaris, sic habet. *In nutricatu, & in augmento, vbi alimentum vltimum probè digestum applicatum fuerit vndiq; agglutinatumq; parti nutriendæ, sed nondum in partis illius substantiam transmutatum, tunc verè anima, & forma illius partis in eo nutrimento inest vt in vase.* Quid audio? alimentum ne nondum in partis substantiam transmutatum habet in se verè animam, & formam illius partis? At anima, & forma introducitur in instanti: erit ergo verum dicere in hoc instanti alimentum est animatum, & in eodem non est transmutatum. Quid erit tunc alimentum istud? nam non est alimentum, quia iam habet formam membri: non est membrum, quia nondum est in membri substantiam transmutatum. erit igitur tertia quædam substantia animata, ac proinde tertium quoddam animal nouum & inauditum, quare & monstrum. ecce monstrum. ignarus peperisti? spectandum exhibe, obolum feres. Perge igitur: adiungis mox sese illi nutrimento communicaturam esse in formam & animam: dum scilicet alimentum in alendæ, augendæq; partis substãtiam transmutabitur. Non ne dixisti prius, formam & animam partis alimento inesse? ita sanè; cur ergo addis mox se communicaturam esse in formam & animam? scio quid respondes: nempè prius erat vt in vase, assëtior: erat vt in vase, sed erat ibi. putas ne formam, & animam inesse materiæ non suæ? si ita est, quemadmodum constituis animam in alimento hoc est in materia nondum sua, tamquam in vase, constitue eam in poculo tamquam in vase: nam sic quoq; est in materia non sua: Ad probationem dogmatis, authoritate Aristotelis, vt soles, abuteris. Ait quidem Philosophus augmentum fieri secundum formam, nõ secundum materiam. Sed quid hoc ad Bacchum? Vult Aristoteles id quod augetur, augeri quoad formam, seu quo ad partes formales, non autem quoad materiam, seu quoad partes materiales, hoc declarat exemplo mensuræ, qua aqua mensuratur, nam mensura semper eadem est, aqua vero alia atq; alia: sic forma partis quæ augetur, eadem semper manet, materia verò ex hoc aut illo alimento, hæc aut illa est: hoc autem non significat formam inesse materiæ (quantumuis sit velut in vase) antequã alimentum transmutetur. Dic obsecrò per quid mutatur alimentum? nempè per aduentum formæ: quomodo ergo erat forma prius quam transmutatio?

Ar. 1. de gene. & corrupt. tex. 35.

Assumis ex eodem Aristotele dicente in excremento inesse principium vitalé, esse ibidem animam: quippe anima est principium vitæ. Itaq; in excremento animam collocas tamquam in vase, nimirum in vase fœtido. Principium vitale, quod in excrementis reperitur, cõsistit in dispositionibus ad productionem viuentium, quæ ex putredine oriuntur: dispositiones autem ad animæ introductionem non sunt anima, siue in vase, siue extra vas. Tu citas Aristotelé quasi

2. de gen ani. c. 3.

2. de anima tex. 36. dixerit animam solam esse principium vitæ, & tanto Philosopho falsum dogma falsò attribuis: neq; enim solam animam dixit esse principium vitæ, sed esse causam in omni genere causæ, causam, inquam, & principium, sed tu in principio æquiuocasti, principia enim (vt docet Aristoteles) alia sunt in existentia rei, alia extra rem: hæ duæ principij acceptiones, ex septem quas affert, præsenti negocio inseruiunt. Verba eius sic habent. *Aliud autem* (nempe principium) *à quo primo existente fit, vt nauis carina, & domus fundamentum, animalium quoq; quidam cor, quidam cerebrum quidam quodcumq; tale contingit putant. Aliud verò à quo primo non existente fit, & à quo primò natura aptus est motus, & transmutatio inchoari, vt proles ex patre & matre & bellum ex contumelia*. Itaq; anima est principium vitæ manens intra rem, cuius est principium; excrementum verò, seu dispositiones in excremento existentes, sunt principium vitæ manens extra. Inquis præterea *priuationem aliquando post corruptionem præcedentis compositi, & generationem noui in hoc ipso permanere, adeo vt genitum constitui dicatur per accidens ex priuatione: si quidem in genito priuatio pristina remanens, in eo non pertinet vt forma, cum sit illius formæ oposita, quare in illo inerit nihil ad ipsum attinens velut in vase*. Sic tu: vos autem risum teneatis amici, nam in presenti non deerit vobis multiplex ridendi occasio. Ex Aristotele desumis priuationem aliquando post corruptionem permanere. At tu gratis addis illud (aliquando) permanet priuatio semper, sed ita permanet vt nihil tuum dogma iuuare possit, idest, non permanet per se, verum per accidens, seu per aliud quatenus scilicet compositum constituitur ex materia, cui priuatio accidit. Sic autem non aliquando, sed semper materię priuatio accidit, est ergo in composito per aliud, hoc est, per materiam. Quare dicetur, esse in vase per aliud: sed esse in vase, est esse in loco, & sic priuatio erit tamquam Rex, qui per suos proreges dicitur longinquis regionibus adesse. Amplius tu inquiris formas, quę possunt in materia esse tamquam in vase, & reperis priuationem, quam formæ contrariam esse fateris. Præterea, cum debeas nobis ostendere, rem quæ aliquando existat in subiecto, aliquid ei conferens, posse aliquando eidem nihil conferre; offers priuationem, quæ nunquam potest quicquam conferre, siquidem (vt tu met fateris) ex priuatione, nihil positiuum potest emanare. Tandē vt semel concludam, dic mihi quid est priuatio? respondebis esse negationē formæ in subiecto apto, &c. Cæterum, si priuatio est negatio entis, priuatio est non ens, si non ens, est ergo nihil. Tu tamen adhuc persistis in tuo errore, affirmans priuationem re ipsa esse formā præcedentem, idque Aristoteleo decreto tibi notum esse: profersq; non vnum sed plura loca ex quibus hæc assertio est eruta: omnia tamen nihil ad rem faciunt: semel duntaxat sic ait; *priuatio forma quodammodo est*; non dixit simpliciter esse formam, neq; hoc poterat dicere vir Philosophus: quippe priuatio est negatio formę; sed dixit priuationem esse quodammodo formam, prout scilicet subiectum afficit, & suo modo informat. confice ergo argumentum in hunc modum. priuatio est forma prout afficit subiectum: ergo est forma non velut in vase, quia si esset velut in vase, esset prout non afficit subiectum; vides quàm facili flatu, tuæ cadant turres; subuentanea parturis. Quicquid autem adiungis de pluralitate formarum in vno subiecto, tuæ farinæ esse agnoscent omnes.

1. Phys. tex. 50. 56. 64. 68. & 2. phy. tex. 15.

5. metap. tex. 1.

An rationalis anima possit esse sicut in vase, paulo post requiram. Et in hoc à tuo recedam ordine, qui præposterè prius de rationali egisti quam de vegetatrice & sensitrice, parum memor ordinis, quem seruare oportet. Itaq; ego intellectiuam vltimo loco reponam, vt explicem quid fiat in ecstasi, cuius gratia reliqua hactenus prælibauimus. Porrò, *certum est*, inquis, *in ortu viuentis, naturam eum ordinem seruare, vt primò mate-*

materiam disponat, disposita dein animam conciliet, deinceps alio instante natura anima in corpore suscepta in eo maneat, vlterius manens in eo, ipsum viuificet, ac postremo viuificatum ad vitæ functiones obeundas promoueat. sic tu. dic ergo, instantia ista, quæ tu appellas naturæ, efficiunt ne ordinem temporis, ita vt inter duo instantia mediet tempus? non quidem, nam sic non oporteret addere (naturę) sed sufficeret dicere (instans) igitur efficiunt ordinem naturæ, vt id quod in priore sit, naturæ duntaxat ordine præcedat, non tempore. si igitur non datur prius tempore, nec posterius ab introductione animæ in corpus ad viuificationem, & ad functionum manifestationem, ex consequẽte non datur tempus in quo anima sit sicut in vase. Deinde tu adiungis hæc: *qua ratione profecto contingere potest, vt anima corpus à se viuificatum, nõ statim ad vitæ functiones edendas promoueat*. Sit ita, non promoueat anima corpus ad edendas functiones, corpus, inquam (vt tu ais) à se viuificatum. quid igitur agit anima dum non promouet corpus ad edendas functiones? nempè illud viuificat (vt tu met fateris) ergo iam non est in corpore sicut in vase: nam vas non viuificatur ab aqua quam continet: non ne dicis formam, quando est sicut in vase, nihil corpori conferre? at anima viuificans corpus confert ei vitam, parum ne hoc tibi videtur? Itaq; iam ex tuismet verbis comprehenderis, meliùs deprehenderis in fraude, qua irretitus potes de te ipso conqueri. Posse quidem manere animam, vt actum primum à secundo seiunctum (quod tu vis) tibi concedo. sed nunquid in actu primo nihil confert anima corpori? quænam ergo est differentia inter id quod est in actu primo, & id quod est in potentia?

Qua, plantarum semina, animalium conceptus, in actu primo esse tibi do (licet alibi circa hoc disputauerim) sed ibi ne anima est tamquam in vase? at aqua non facit vt vas sit vas, forma vero facit vt oua sint oua; & vt semina huius, aut illius plantę suã peculiarem habeant naturam, sic & animalium conceptus. Putas ne vinum efficere, vt poculum sit poculum? at cum fœcundum laticem exhausisti, quid existimas tibi in manu remanere? num poculi cadauer?

Consideras varios animę gradus: nempè priorem cum anima indita est corpori, antequam corpus ab anima accipiat viuificationem: quippe cum viuificatio sit opus quoddam, at opus præsupponit id cuius est opus. sit ita: prius est animam existere, deinde eandem operari: Sed qua prioritate est prius? tumet fateris esse prioritatem naturæ. vis ne ex prioritate naturæ colligere distantiam temporis?

Addis plerumq; contingere, vt non simul cum vitæ functionibus vita aboleatur, sed potius prius obliterari cunctas vitæ operationes, deinde viuens interire, & in medio tempore, sæpè non exiguo, animæ solummodo viuificanti subditum corpus, sed in eo nullam penitus vitæ actionem obeunti: sic etiã euenire, vt vbi defierit anima corpori vitã cummunicare post mortem, possit in cadauere diutulè manere, velut in vase. ecce alter error non minor priore. A quo nam didicisti, anima corpus viuificante nullam penitus vitæ actionem adesse? non ne in ijs qui de repente intereunt, vt cognoscamus an penitus sint vita fũcti, an aliquod operationis vestigium supersit, tam ex pulsu, quam ex respiratione inquirimus? nonne viuificari, & vitæ operationes exercere, solo ordine naturæ differunt? tandem si anima viuificat, quamuis cessent aliæ operationes, iam non est tamquam in vase: neq; enim vas (vt prius tibi dixi) à vino viuificatur. Sed post mortem ais adhuc diutulè remanere animam in corpore, de hoc mox inferius agemus, interim scito separationem animæ à corpore, id est, mortem, fieri in instante. animam autem separatam, vbicumq; maneat, iam non manere vt formam in materia, quid interest an maneat sicut in vase? certè si generaliter quæris vtrum aliquid sit in alio, sicut in vase, reperies corpus remanere in veste, magistrum in cathedra,

dra, pecuniam in marsupio, supellectilem in arca tamquam in vase, sed quod disputationi occasionem præstat, est quęrere an forma manens adhuc forma materiæ, maneat in eadem materia nihil ei conferens, sed tamquam in vase: hoc si probasses, magnus Apollo fores: cætera futilia sunt, & ad præcipuam intentionem nihil spectantia.

Tertius tuus error est, quod supponit, animam immorari in corpore, dum adhuc calor adest, licet in infimo gradu, quo gradu extincto, anima prorsus abit fathiscens, si corruptibilis extiterit, separata; permanens autem, si fuerit incorruptibilis. At cum illo caloris gradu infimo, eam vis esse ociosam sicut in vase. Dic age, calor ille in infimo gradu existens, est ne aptus retinere animam corpori alligatam? quis dubitat? sed tunc quid præstat? ociosam esse respondes. quorsum ergo retinetur? něpè vt quoad potest vitam corpori conciliet. ociosam ne putas animam quæ corpori vitam conciliat? deinde corpus, extincto illo gradu caloris, quid erit? nempe cadauer. At iam prius aliquid corpori anima conferebat, per quod corpus nõ adhuc in cadauer abierat. Non est ergo anima in corpore sicut in vase, est tamen in te vas sicut in corpore.

Excrementum, ex quo sponte nascentia gignuntur, purum, putumq; cadauer esse ais; esto. adiungis formam, & animam à qua velut ab efficiente vniuoco proximè fiunt isthæc viuentia, præexistere in materia, quæ cadauer est, tamquam in vase. Duo hic intolerabilia asseris: vnum est ab anima seu à forma, tamquam ab efficiente vniuoco fieri viuentia, in quo causam formalem cum efficiente ignoranter confundis; alterum quia animã sponte nascentium pręexistere ais, quod ne animæ quidem rationali concedi potest. At sponte nasciturum, in excremento est in potentia quare in potentia etiam est eius forma, seu eius anima. nunquid id quod est in potentia, est tamquam in vase? reperisti ne vnquam, dum celebrabas bacchanalia vinum in potentia intra suum vas? sane vini potentia, non vinum in potentia te ita scribere coëgit. Bis, & ter hanc pręexistentem animam, seu potius hanc animam impossibilem in medium adducis, ita vt nihil sit alind, quam idem per diuersa.

Sequitur tuo ingenio dignissima argumentatio: inquis enim sic: *ex eo quod anima in viuente est id, quo primo est, & operatur, colligit Aristoteles animam esse in corpore tamquã aliquid ipsius corporis: ita sanè ab opposito, ex eo quod anima in cadauere non est id, quo cadauer viuit, & operatur, colligere necessario debemus animã in eo corpore inesse tamquam nihil ipsius, ast vt in vase*. tu supponis tamquã alibi probatum, cadauer esse materiam viuentis sponte gignendi; & ibidem ais adesse formam, siue animam eiusdem viuentis gignendi, sed cur gignendi, non autem geniti? Adest materia cum sua forma, & nondum est genitum id quod gigni oportet? quid detinet hanc generationem quominus fiat? num existimas in vno instanti, formam produci, in alio viuens gigni, & cum inter duo instãtia mediet tempus, toto eo tempore erit forma in materia sicut in vase. At in eo instanti in quo forma producitur, in eodem fit generatio, neq; temporis ordo datur, tametsi detur ordo naturæ. Cæterum Aristotelem velle in tuam sententiam trahere, summa fatuitas est: cum enim Aristoteles dicat *quodammodo plena esse anima omnia*, tu quasi illud *quodammodo* nullius sit momenti, animas per omnia dispersas existentes facis. At Aristoteles se ipsum ita explicat, vt si saperes, eius authoritas dissimulanda tibi potius foret quam publicanda. Nonne tibi ait: *humor in terra, spiritus in humore, calor naturalis in vniuerso inest ita vt quodammodo plena sint anima omnia?* Attende iners. Non dixit animarum sed animæ, quippe tametsi non statuat cum Platone animam mundi, non negat esse dispositionem quandam vniuersalem quæ quasi Mundi anima sit. Quid ergo miserum Aristotelem laceras cogisq; id dicere, quod nunquam somniauit?

3. gener. anim. c. 11.

Multa

Multa deinde congeris, quę non magis ad rem faciunt quā excipiēdo Leoni subula. Video tamen te, post multa concludentem sponte generans esse priuationem animæ viuentis. non ne paulo antea dixeras priuationem nihil positiuum agere posse? at generare sponte nascentia positiua est actio, positiuum habens terminum. Addis priuationem istam esse animam labefactatam, anima vero labefactata, anima adhuc est, non priuatio animæ. Pergis inquiens animam sentientem, & videntem esse habitum in animali se habentem: anima ne est habitus? at existimabam hactenus, in anima posse esse habitum, immò non in anima sola, sed in toto composito. Si ergo anima est habitus, cum habitus sit qualitas, animam repones in prædicamento qualitatis. Porrò persistens in priuatione, quæ tibi anima labefactata est, interrogas quid cæco tribuit anima visiua facultasue visoria? quasi dicas, nihil. Ridete lapides. adeo ne bardus es, vt putes animam visiuam facultatemue visoriam, esse vnam, auditoriam verò alteram, tertiam olfactoriam & sic de alijs? An nescis vnam duntaxat esse sensitiuam, quæ in oculis videt, in auribus audit, in naribus olfacit, in lingua gustat? Cætera quæ in rem hanc adiungis eiusdem sunt generis cum præcedētibus quę percurrendo defessus sum: precor igitur omnes, qui causam hāc iudicare velint, vt quæ prolixè scribis patienter legant, nam vel monstrante nemine tuas agnoscent nugas.

Ad ecstasim me confero, in cuius gratiam alia tua deliramenta tamquam hydræ capita truncaui. Inquis igitur *in ecstasi rationalem animam, & alias inferiores animę humanæ partes, nullum ferme corpori subiacenti adiumentum afferentes, non à corpore alienari re ipsa, sed in corpore quasi vt in vase contineri, formæ naturam quodammodo exutas.* Adesto parumper. cum dicas *nullum ferme corpori adiumētum*, iam fateris aliquod, nam alioquin cur addis illud *ferme*? cum dicas *formæ naturam quodammodo exutas*, iam admittis aliquo modo formę naturam esse indutas: cum præterea adiungas *quasi vt in vase*, iam agnoscis non contineri vt in vase, sed quasi vt in vase. te igitur tua verba ligant, vt taurorū cornua funes.

Pergis eruditus, & multorum dicta, scriptaue colligis, qui animam humanā rationalēue in cadauere permanere dixerunt. In primis affers vetustam sapientum virorum opinionem, existimātium animas eorum qui rationi minime paruerūt, aut qui miseri ante diem, violenta morte obierunt, non deserere sua corpora, sed vna cum ijs in sepulchris degere. Affers Ammonium, affers Porphyrium, Plotinum, Macrobium & alios. Sed quorsum? res perridicula est: nempe vt adiungas omnia à præcitatis authoribus deprompta, non esse omni ex parte vera. Dic tu iners si non vera, cur à te adducta? si adducta, cur falsitatis insimulata?

Recipis tamen Martinum del Rio, & plerosq; alios asserentes animas rationales defunctorum, posse in corpore aliquo velut in vase, per aliquod temporis interuallum contineri, absq; eo quod corpus illud animent, atq; viuificent. Similiter ais apparentes mortuorum animas in corpore sibi assumpto, esse velut in vase, siue corpus aëreum sibi assumpserint, siue cadauer: aut proprium, aut etiam alienum. Sic etiam occulto præpotentis Dei iudicio, defunctorum animas posse habere locum peculiaris sui purgatorij proprium cadauer: Angelos etiam interdum assumere sibi corpora, vt possint cum hominibus conuersari. Omnia hæc vno verbo tibi in auras dissoluam. dummodo mihi priùs dicas an ista quæ narras naturaliter fiant, possintue fieri, an sint effectus supra naturam? si fieri naturaliter dicas, teneris rationem reddere cur non semper ita accidat: nam quod naturaliter fit, semper fit, nisi accidat impedimentum, si verò fieri supra naturam admittas; ego inuicem tibi hoc concedo: quis enim dubitat, posse Deum efficere, vt anima in corpore commoretur nihil corpori conferens? Aduerte tamen in hac ecstasi,

stasi, ecstaticum viuere quidem; sed vitam alterius ordinis. quippe vitæ essentia consistit in actione calidi in humidum: si autem per diuinam potentiã impeditur isthæc actio, vita tamen remanet, vita erit alterius ordinis, hoc est supernaturalis, miraculosa, & vt sic dicam autogena, siue sui generis. His positis, tu tibi respondeto: erit quidem in ecstasi, anima in corpore vt in vase, nõ tamen naturaliter, tu autem, dum quæris quid naturaliter, possit fieri, reperis quid fiat supra naturam, ac proinde quadrat in te prouerbium, thesaurum quærebas reperisti laqueum.

§. 10. *Vtrum Moses fuerit ecstaticus.*

MOrabamur in ecstasi theologica, in cuius contemplatione sese inquirendum offert, an Moses qui bis cum Deo per quadraginta dies fuit cõmoratus, ecstasi fuerit correptus: in secunda vice nec cibum nec potum sumpsisse narratur, in priore non fit huius rei mentio, sed manifestè supponitur: neq; enim credibile est, illum dum apud Deũ commorabatur interpolasse diuinam visionem, & se ad cibos accipiendos diuertisse. Porrò hæc quæstio an scilicet fuerit ecstaticus, aliam prærequirit, hoc est num viderit essentiam diuinam. etenim si Deum vidit in sua diuina essẽtia, non potest esse dubium ecstasi fuisse correptum: cum possibile esse nequeat intellectum ad summum omnis contemplationis culmen eleuatum, non rapuisse hominem extra se. Quod si D. Paulus dixit *siue in corpore siue extra corpus nescio.* non propterea dubitauit an in illo raptu eleuauerit se supra se; verum dubitat an in illa eleuatione anima cessauerit corpus informare, an vero quoad potentias duntaxat fuerit eleuatus.

Ex. 20. Quod ergo Moses diuinam essentiã viderit, tu mihi vnum affers Abulẽsem, qui sub conditione loquitur, videlicet si vidit diuinam essentiam, vidisse alio ignoto loco, & tempore, potuisses afferre Lyranum in numeros, qui vbi, &
Nũ c. 12 quando fuerit concessa talis visio, se ab aliquo doctore determinatũ nõ reperisse ait, de visione autem nõ dubitat. Quamplurimos alios summæ authoritatis viros adducit author theatri Seraphici, qui existimant Mosen in hac vita vidisse diuinam essentiam, sed mihi instar omnium est Angelicus Doctor, præcipuè quia D. Augustini authoritate fretus ita sentit: cuius tibi transcribam verba. Quæres ergo vtrum Moses fuerit excellentior omnibus prophetis, in 2. 2. quæ. 174. art. 4.
corpore articuli sic ait: *Moses ergo fuit alijs excellentior: primo quidem quantum ad visionem intellectualem, eo quod vidit ipsam Dei essentiam, sicut Paulus in raptu (sicut Augustinus dicit 12. super genesim ad litteram. Vnde dicitur numer. 12 quod palam non per ænigmata Deum vidit.*

Tria hinc elicio. primum hic fieri parallelum inter Mosen & Paulum, vt etiã idem D. Thomas facit alibi sic scribens, *nam sicut Moses fuit primus Doctor Iudæorum, ita Paulus fuit primus Doctor gentium.* Iuxta hanc paritatem accipe q. 175. art. 3. ad 1.
id quod scribit D. Augustinus ad Paulinam: nempe diuinam substantiam videri potuisse positis in hac vita, sicut à Mose, & Paulo, qui raptus audiuit ineffabilia Dei, *quæ non licet homini loqui.* Hæc autem videntur esse ea quę pertinent ad visionem Beatorum, quæ excedunt statum huius vitæ iuxta illud Isaiæ, *oculus non vidit Deus absq; te, quæ præparasti expectantibus te.* Is. 64. b.

Alterum, quod elicio est, summopere congruenter à D. Thoma probari Mosen vidisse diuinam essentiam, probatione deducta à verbis numerorum: *Ore enim ad os loquor ei: & palam & non per ænigmata & figuras dominum videt:* quippe per hæc verba significatur Mosen vidisse Deum intuitiuè quemadmodum eum vident Beati in patria, quod me docuit Doctor gentium D. Paulus 1. ad Corinth. 13.
inquiens, *videmus nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciẽ.* si ergo *tunc* hoc est in patria videbimus Deum, non per ænigmata, sed facie ad faciem, Moses, qui in hac vita eodem modo Deum vidit, more Beatorum eum

vidisse

vidisse dicendus est, nempe more comprehensorum, ac subinde vidisse diuinam essentiam. Dixi ergo Mosen intuitiuè Deum vidisse; quoniam intuitiua cognitio, ex sententia D. Gregorij, (quicquid alij aliter sentiant, quos refellit doctissimus Antonius Burgus) est cognitio rei immediata; cognitio verò abstractiua est cognitio mediata, ex alio scilicet obiecto deducta. Igitur Moses, qui non per speciem, aut per ænigmata, sed facie ad faciem Deum vidit, non eũ vidit cognitione abstractiua, id est abstracta aliunde, non ab obiecto, sed vidit cognitione intuitiua, hoc est non deducens aliunde eam, sed directè in se ipsa percipiens.

in c. dist. 3. q. 3. art. 1.

parad. 4. de habitu scientiali c. 1.

Tertium, quod elicio est, quod dum D. Augustini totam fere paginam transcribis, eo vsq; accedis, quo tua te peruicacia ducit; tunc gradum sistis, neq; ampliùs progrederis, quia scilicet impegisti in veritatem, quam angue peius odio habes; D. Thomas veritatis indagator vlteriùs progressus est, & reperit veritatem; nempè in eodem capite à te citato in verbis vlterioribus. Ego verò qui Angelicum Doctorem, ex D. Augustino sententiam tibi contrariam elicere vidi, non acquieui donec in fonte vidi, corruptam intuis cacographijs esse veram doctrinam. Irascetur tibi D. Augustinus, cuius verba dissimulasti, irascetur D. Thomas, quoniam abutueris authoritate, qua ille est vsus. ille siquidem ex eo capite D. Augustini, deducit Mosen vidisse essentiam diuinam, ex quo tu fraudulẽter vis deducere oppositum. Irascentur deniq; omnes, quotquot vident te in re valdè seria assumere, D. Augustini verba ad fucum lectoribus faciendum.

Cur non declarasti cum D. Augustino, ea quæ hactenus scripserat, figuratè, vt ipse ait, esse accipienda? cur non transcripsisti ea quæ inferiùs ipse ille scripsit in hunc modum. *Illo ergo modo in illa specie, qua Deus est, longè ineffabiliter, secretius, & præsentius loquitur loquutione ineffabili, vbi eum nemo videns viuet vita illa, qua mortaliter viuitur in istis sensibus corporis: sed nisi ab hac vita quisq; quodammodo moriatur, siue omnino exiens de corpore, siue ita auersus, & alienatus à carnalibus sensibus, vt meritò nesciat, sicut Apostolus ait, vtrum in corpore, an extra corpus sit, cũ in illam rapitur, & subuehitur visionem.* Subuectus itaq; fuit D. Paulus ad illam visionem, nempe ad tertium cælũ, quo nomine cælum empyreum tu intelligis, quod poteras addiscere ab eodem D. Augustino, dicente. *Hoc tertium visionis genus, quod superius est, non solùm omni corporali, quo per corporis sensus corpora sentiuntur, verum etiam omni illo spirituali, quo similitudines corporum spiritu, & non mente cernuntur tertium cælum appellauit Apostolus.* Hæc omnia debuerant te absterrere, ne D. Augustinum, quem D. Thomas dicentem Mosen vidisse diuinam essentiam adducit, ad probandum contrarium adduceres.

De Gen. ad litt. l. 12. pag. 283. col. 1. in meo cod.

Quorsum prẽterea auxilium Cornelij à Lapide imploras? si enim ipse Augustinum, & Lyranum sibi contrarios esse fatetur, cur illi maiorem fidem quã his haberi vis? Cornelius à Lapide in Exod. sic ait. *Sexto Lyranus sequutus D. Augustinum, censet Mosen in raptu Exod. 33. vidisse Dei essentiam, & declaratum ei esse nomen tetagramaton: hoc enim significat Dei essentiam, sed veriùs est Mosen non vidisse Dei essentiam.* Porrò Lyranus, adde, & D. Thomas, voluerunt sequi D. Augustinum, tu contempto tanto viro vis potius adhærere lapidi. Relinquam te igitur, & cum viris apprimè doctis Mosen vidisse Dei essentiam constanter affirmabo.

Exod. c. 6.

Sed quando Cornelius à Lapide prẽualeret, & Mosen non vidisse Dei essentiam obtineret, putasne idcircò non fuisse ecstaticum? At scire debes plures fuisse ecstaticos, qui diuinam essentiam non viderunt. Nam non est vnde nobis constet Ezechielem vidisse diuinam essentiam, & tamen constat ex ipsius testimonio, cui credere fas est, eum fuisse ecstaticum. inquit enim de se ipso, *spiritus eleuauit me inter cælum, & ter-*

ram, & adduxit me in Hierusalem in visione Dei. Sed animaduertas volo, hanc visionem fuisse abstractiuam: si foret intuitiua, vtiq; declararetur, sicut de Mose dictum est facie ad faciem, & non per ænigmata Deum vidisse: eleuationem autem istam Ezechielis, ecstasim fuisse, tenet Ioannes Franciscus Mirandulanus. Hic obiter noto, deceptum te fuisse cum Tostato, quem citas, dicente ecstasim non fuisse in viris veteris testamenti.

de rerum prænot. lib 2.c.9

Itaq; relictis authorum dictis, quibus tu, seu perperam intellectis, seu erroneè citatis, siue mutilatè transcriptis, abuteris, rationem nobis aliquam ex isto tuo cauilloso cerebro depromito, qua persuadere possis, non fuisse Mosen ecstaticum. In primis me Scaligero socium adiungis. non pudet me huius societatis. Deinde me aggrederis inquiens ea quæ ego propono, duo mirabilia in se continere, vnum est in ecstasi magna suspendi, & ociari functiones omnes, ac præcipuè operationes animæ rationalis. Hoc placitum me hausisse ais ab scaligero seniore, & à te iampridem euersum. Cæterum non ita magna res est isthæc, vt opus fuerit eam ab alio subfurari, nec si fieret, inde mihi accederet pudor. Quod autem à te sit euersum, nō tu iudicare debes: aliorum iudicium esto.

Incipe igitur euertere hoc dogma. loquimur de ecstasi Theologica quæ est supra naturam: tu autem, quæ tua est genij, ingenijque confusio ecstasim morbum, & ecstasim physicam in medium affers, & illuc nos remittis, vbi de hac nihil, de illa parum scripsisti.

de his q sine cibo lib. 4. c. 68.

Alterum miraculosum quod reperis est. *Mosen in monte dum susciperet à Deo legem, correptum fuisse illa ecstasi, quæ inter magnas maxima fuerit*: cur autem hoc tibi videtur miraculosum, & forsitan inauditum? nempe quia hinc colligitur, Mosen in illis quadraginta diebus (iuxta meam & Scaligeri sententiam) nullas exercuisse penitus functiones animæ rationalis. Hoc ego tibi libens admitto, admitteret similiter etiā Scaliger. Quid inde? nempe ais repugnare sacræ paginæ in qua legimus, Dominum ad Mosen in monte loquutum fuisse, & Mosen preces ad Dominum pro populo fudisse, longamq; satis orationem habuisse. Tunc tu interrogans, & veluti parta victoria exultans adiungis: *An non tunc Moses orans exercebat functiones rationalis intellectus, & voluntatis?* Exercuit quidem operationes intellectus, & voluntatis, verum has adhuc non appellabo functiones rationales: nam, vt ait D. Thomas, intellectus nomen sumitur ab intima penetratione veritatis, nomen autem rationis ab inquisitione, & discursu. Hebes valdè es, qui toties repetitam doctrinā adhuc nō percipis. Nonne tibi sæpius dixit Angelicus Doctor, in ecstasi intellectum munere suo fungi absq; conuersione ad phantasmata? igitur & intellectus, & voluntas in illa ecstasi magna operabantur non per organa corporea, quare operationes rationales, hoc est animæ ratiocinātis, phantasmataq; speculātis cessabant. Secus autem intellectuales, hoc est intellectus extra corpoream molem operantis. Dic quæso, Angelus est ne rationalis? minimè: & tamen est intellectualis: iam ergo poteris considerare intellectiuum sine rationali.

2. 2. q. 49. art. 5. ad 3.

Sed dices animam etiam separatam dici animam rationalem, Angelo verò nunquam competere hanc appellationem. Respondebo hinc non argui animam separatam indigere organis, quibus non indiget Angelus, sed solum colligitur animam intelligere per modum discurrentis, Angelum verò per modum vnico intuitu omnia comprehendentis, quod pulchra comparatione declarat D. Thomas. *Angeli*, inquit ille, *illum gradum tenet in substantijs spiritualibus, quem corpora cælestia in substantijs corporeis: nam & cælestes mentes à Dionysio dicuntur: est autem hæc differentia inter cælestia, & terrena corpora; quod corpora terrena per mutationem, & motum adipiscuntur suam vltimam perfectionem: corpora verò cælestia statim ex ipsa sua natura suam vltimam perfectionem habent: sic etiam & inferiores intellectus, scilicet hominum, per quemdam*

1. p. q. 58. art. 3. in corpore.

dam motum, & discursum intellectualis operationis perfectionē in cognitione veritatis, adipiscuntur: dum scilicet ex vno cognito in aliud cognitū procedunt. Si autē statim in ipsa cognitione principij noti inspicerēt quasi notas omnes cōclusiones cōsequētes, in eis discursus locum non haberet, & hoc est in Angelis, quia statim in illis, quæ primo naturaliter cognoscūt, inspiciūt omnia quæcūq; in eis cognosci possūt: & ideo dicuntur intellectuales, quia etiā apud nos, ea quæ statim naturaliter apprehendantur, intelligi dicuntur. Itaq; (vt idem alibi ait) Angelus dicitur intellectus, & mens quia tota eius cognitio est intellectualis, cognitio autem animæ partim est intellectualis, & partim sensitiua: exuitur ergo pars sensitiua per ecstasim, hoc est, per abstractionem, sicut per separationem, & remanet sola intellectiua. Hoc autē ita fieri posse colliges ex eodē, quippe anima separata (idē intellige de abstracta) *est quidē separata secūdū virtutē intellectiuā; quia virtus intellectiua nō est virtus alicuius organi corporalis, sicut virtus visiua est actus oculi: intelligere enim est actus qui nō potest exerceri per organum corporale, sicut exercetur visio, sed in materia est in quantum ipsa anima, cuius est hæc virtus, est corporis formaliter, & terminus generationis humanæ. sic ergo Philosophus dicit 3. de anima quod intellectus est separatus, quia non est virtus alicuius organi corporalis*

1. p. q. 54. art. 3. ad 1.

1. p. q. 76. art. 1. ad 1.

Ad statutum ergo iter reuertamur. Iam puto te conuictum esse in hac parte, qui putabas in ecstasi, functiones animæ rationalis non cessasse. cessarunt quidem exerceri in corpore, & hæc est cessatio, quæ requiritur, communis animæ separatæ, & abstractæ. Perge igitur melioribus auspicijs.

Porro non contentus ijs, quæ hactenus de cessatione operationum animæ rationalis dixeras, audacior factus sic inquis. *Immo verò, non ne sensus operationes edebat, audiens verba Dei loquentis? non ne mouebat ipse linguam & labia colloquens cum Domino, & Deum orans pro populo? quare sensitricis, & motricis animæ functiones moliebatur, proindeq; non erat in ecstasi maxima, quæ motū omnem corporis, & partiū tollit, sensumq; penitus omnem adimit.* Plebeio tu quidem polles intellectu; siquidem cum plebe, putas colloquium inter Deum, & Mosen motione linguæ & labiorum fuisse actum. Si verò mihi afferas Cornelium tuum à Lapide dicentem, *non per phantasmata, & visiones, sed exterius clara voce Deus respondebat Mosi, vt Hebræi Deum cum Mose Legislatore suo loquentem audirent*, non displicebit mihi, id aliquando factum fuisse ad illum finem, hoc est, vt ab Hebræis audiretur. Verum id miraculosè quidem, & sic adhuc eximitur à naturali loquendi functione. Hoc ne gratis dictum putes mittam te ad eundem Lapidem, quippe ait, *Hinc miraculosè factum videtur, vt Mosis vox à toto Israële; id est à duobus, vel tribus hominum millionibus audiretur*, & reliqua, quæ ibi in hanc sententiam congerit. Cæterum colloquia inter Deum, & Mosen motione linguæ, & labiorum fuisse habita, tam stultum est dicere, quā quod stultissimum. D. Augustinus tuæ consulens eruditioni, agens de loquutione Dei cum Mose sic ait: *longè ineffabiliter secretius & præsentius loquitur loquutione ineffabili.* Quam existimas esse ineffabilem loquutionem, nisi eam quā auris nō audiuit, nempe cuius terminus est verbum mentis? Duplicem esse propriè dictam loquutionem nos docet idē Augustinus asserens in nobis duplex esse os, vnum corporis, alterum cordis, quod ipse elicit ex verbis Christi Domini: *non quod intrat per os coinquinat hominem, sed quæ exeunt de ore, hæc sunt quæ coinquinant hominem.* Vbi dum ait *non quod intrat per os* loquitur de ore corporis dum vero ait *quæ exeunt de ore* loquitur de ore cordis. Itaq; si duplex est os, duplex est loquutio. Nec existimes loquutionem istam mentalem, non esse veram loquutionem, sed esse quandam imaginationem vel phantasma disponens ad loquutionem; cum verò phantasia Carthaginis D. Augustinus verbum appellauerit, interpretationem accipiendam es-

vbi sup.

lib. 15. de trinit. c. x.

Matth. c. 15.

In 1. dist. 27. q. 1. ad 1. se à subtili doctore, nempe dici verbum causaliter, non formaliter. Melius namq; videtur dicẽdum, loquutionem propriè dici, quoniam qui Deum orat, cũ Deo loquitur, orare autem vnusquisq; potest mente sola, absq; vocibus exterius resonantibus. Sic D. Paulus dicebat *orabo spiritu, orabo & mente* & in Ecclesia-
1. ad Corinth. 14 c. 3. stico qui cogitat loqui, dicitur *loquutus sum in corde meo dicens*. Num ad loquutionem istam mentis necessaria est linguæ, & labiorum motio? At D. Paulus ait *si linguis hominum loquar & Angelorum*, & tamen Angeli non habent linguas, & se inuicem alloquuntur; mente scilicet; nam vocibus carent. Deus ad Angelos loquitur, & Angeli Deo respõdent. Vnde apud Iob ad Satan *dixit Dominus vnde venis?* cui respondit Satan. Dic queso Deus ne voce humana & linguæ motione opus habet? eodem modo loquitur Deus cum Angelo, sicut lo-
1. p. q. 153. art. 3. quitur Angelus cum Deo; quod nobis tradit D. Thomas. Sed quid plura? n one aliquando Deus ad Mosen tacentem dixit, quid clamas ad me? euanescit ergo tua isthæc obiecto de motu linguę, & labiorum: quippe potuit ecstasi maxima correptus Moses, loqui cum Deo, neq; linguam, aut labia mouere, neq; operationem aliquam exercere corporalem, sed solius mentis eleuatæ supra seipsam: tu autem pernicioso scopulo adhuc hærens, ais Mosen loquutum fuisse cũ Angelo. Hoc tibi facilè admittã, immò pleraq; in sacris litteris à Deo facta narrari quæ Angelorum ministerio facta sunt (quamuis vbi nomẽ Tetragrãmaton reperio, adduci nequeo vt credam alteri, quam Deo actionem attribui) sed quod attinet ad promulgationem legis, quamplurimos sacros authores, inuenies, qui per Angelum fuisse factam opinantur. His ego assentior. Verum Angeli, cum alicui ministerio applicantur, nõ semper figuram humanam induunt, neq; hoc contigisse credendum est, nisi cum expresse ita factum narratur. Videbis Raphaelem apud Tobiam, de se ipso narrantem modum quo figuram humanam susceperit: est enim modus peculiaris, quo Angelica natura cum hominibus conuersatur interdum, non semper. Non ergo impossibile tibi videri debet, Mosen ad colloquendum cum Angelo, qui spiritus est, & corporeis oculis cerni naturaliter nequit, ecstasi fuisse correptum. Tu verò proteruiens hoc negas, & disputandi auidus, vt sit disputationi locus, si ecstasim passus fuit, eam fuisse ecstasim voluntatis, quasi precario concedis. Melius tibi foret, vt ne hoc quidem admitteres; secus ludibrio eris apud eruditos. Dic ergo sciole, quęnam est isthęc voluntatis ecstasis? nempe ea, quam me omisisse ais. hanc omissionem, quasi graue quoddam probrum exprobras. Porrò apud te ecstasis voluntatis est, in qua *formaliter eleuatur voluntas ad summum bonum, & ardenter ipsum amando, per actum desiderij Deo vnitur potius quàm per actum speculatricis intellectionis*.

Cæterum, tametsi ecstasis sit effectus amoris (id à D. Thoma libenter recipio) 1.2. q. 28 art. 3. nihilominus amor vi apprehensiua ecstasim parit, videlicet dispositiuè afficiendo amantem ad cogitandum de re amata. quare etiam si directè amor vi appetitiua ecstasim efficiat, nihilominus ab eodem Doctore addisces raptum per- 2.2. quæ. 175. art. 2. tinere ad vim intellectiuam, causaliter verò ad partem animæ appetitiuam referri. Fundamentum huius theoriæ est, quoniam raptus est propter propriã inclinationem eius quod rapitur (vt iam superius satis est inculcatum) motus autem appetitiuæ virtutis, est quædam inclinatio ad bonum appetibile. Vnde *propriè loquendo* (ait ipse) *ex hoc quod homo appetit aliquid, non rapitur, sed per se mouetur*. Si verò raptus consideretur respectu ad suam causam, potest quidem causam habere ex parte appetitiuæ virtutis, quatenus videlicet appetitus vehementer affectus, hominem ab aliis omnibus operationibus distrahit.

Ex his cognosces tuam accusationem inanem esse. nam tametsi tibi concedã, Mosen summa vi amoris fuisse raptum, nihilominus secundum potentiam apprehensiuam erat occupatus, ac proinde ab omnibus potentiis inferioribus abstra-

abstractus. Hoc tamen tu negans, rationem adducis: inquis enim. *Mosen potius ecstasim voluntatis habuisse quàm* pag.232 *intellectus speculatiui: quia difficilima diuinorum operum, vel attributorum. Mysteria meditatus sit: nam ibi solum à Deo legem habuit, præceptis intellectu facillimis comprehensam, & amorem, charitatemq; erga Deum, & proximum mirè spirantibus.* Ita tu: cæterum vide quid dicas.

In primis, quis tibi reuelauit Mosen nō de alio, quàm de lege cū Deo fuisse colloquutum? Adeo ne es procax, vt quid inter Deum, & Mosen actum sit velis penetrare? Deinde diuinam legem, tametsi præceptis intellectu facillimis comprehensam, arcanis fundamentis non fuisse stabilitam arbitraris? Num tibi soli non videtur. *Lex Domini immaculata conuertens animas; testimonium Domini fidele sapientiam præstans paruulis?* Parua ne res tibi videtur, & intellectu facillima lex, quam Deus optimus maximus, magno comitatu, apparatuq; fulgens sancire voluit. Porrò magnificētiorem fuisse visionem existimat Caietanus, quàm significet Moses: siquidem in Deuteronomio scribitur, Deū apparuisse cum sanctorum millibus: Nunquid ad legem intellectu facillimā tanto opus fuit tempore? neq; enim spatio breui, vt alias solebat, cum Deo commoratus est Moses, quod constat, ex eo quod dixit *Ascende ad me in montem, & esto ibi* id est (Saliano interprete) diuturniorem ibi tracturus es moram vt propterea, populi res ad longiorem absentiam tuam, ordinare te oporteat.
34. *Daboq; tibi tabulas lapideas, & legem ac mandata quæ scripsi: vt doceas eos.* Num leue tibi videtur negocium istud, de quo in Exod. sic: *fuit ergo ibi cum Domino Moses quadraginta dies, & quadraginta noctes; panem non comedit, & aquam non bibit, & scripsit in tabulis verba fœderis decem?* Hinc ergo ecstasim maximam, & non interpolatam fuisse elicio. non interpolatam quidem: nam quis dicet hominem cum Deo commorantem, fuisse aliquo spacio temporis ociosum,

cum

maximam verò ex gloria, quæ redundauit in Mosen: quippe egressus inde, cornutam habuit faciem, hoc est, illustratam, radiantem, glorificatam, vnde D. Paulus, vocat gloriam vultus Mosis. Itaq; conuersatus cum Domino, euasit 2. ad Corinth. c 3 secundum mentem diuinis arcanis illustratus; secundum faciem diuino splendore glorificatus. Deniq; vna ex causis 1. 2. q. ob quas excellentior reliquis Prophetis 174. ar. statuitur Moses, est quia loquebatur 4. populo, quasi legem proponens de nouo, alij verò quasi persuadentes ad obseruationem legis. Si ergo legem proponere arguit præstantiam Prophetæ, certè lex magni momenti, & intellectu non facilis sed magnis mysterijs prægnās censenda est.

Sed quando tibi hæc omnia è mente exciderunt; deberes saltem considerare legis expositores relictos fuisse septuaginta duos, quibus curę erat legis difficultates enodare. Vera igitur interpretatio legis, Mosi diuinitus data, & ad alios, non in scriptis, sed viuæ vocis oraculo deriuata, quæ dicitur cabala, nobis ostendit profunditatem legis diuinæ, nō nisi à datore eius, hoc est à summo Deo scaturijsse. Tu forsan vnus es ex hominibus, quos Picus Mirandula nomen cabala, tamquam quid horrendum, pertimescentes irridet. Imò ex eorum numero esse videris, quos idem Picus reprehēdit, qui Mosis, librum argumento sumpto à verborum cortice quasi quidpiam triuiale contemnunt. Apage cum tua inani arrogantia qua res sacras contaminas.

Iam ergo tibi ostendi, ecstasim Mosis fuisse secundum partem apprehensiuam formaliter, licet causaliter ad partem appetitiuam referri possit, quod gratis tibi concedo: neq; enim dissentire vlla necessitas cogit. Sed tu ecstasim Mosis, opponis ecstasi D. Pauli, & illam voluntatis, hanc intellectus fuisse ais. fuit quidem D. Pauli ecstasis secundum partem apprehensiuam, sed fuit etiam secundum partem appetitiuam; Hoc te docet D. Thomas, à quo semper siue spontè, siue inscienter discedis. Sed hoc

obiter

obiter, ad D. Paulum reuertor, quem secundum intellectum ecstaticum fuisse prædicas, eumq; opponis Mosi, quē dicis si ecstasim habuit, eam habuisse voluntatis. Vtrumq; diuinam essentiam vidisse cum Augustino, & Thoma constanter teneo (tu sequere alios) Dic fodes qui videt essentiam diuinam, nonne saltem pro tunc est beatus? impius es si de hoc dubitas. Nonne beatus dicitur comprehensor? ita sanè: ergo tam beatus perfectè, quam beatus pro tempore comprehensores sunt, ac proinde in essentia diuina, quam vident, intellectus eorum ditescit sublimi rerum cognitione. Iam igitur admittes Mosen ecstasi correptum secundum intellectiuam partem fuisse ecstaticum. Deinde, potestne aliquis essentia diuina frui absq; oblectatione? absit vt hoc mentis compos aliquis ex ore euomat; ergo habes Paulum secundum voluntatem fuisse in suo raptu vel ecstasi eleuatum. Sed de Paulo plura inferiùs.

§. 11. *Quomodo voluntas feratur in obiectum.*

Viri sanctitate celebres assueti valdè diuinarum rerum contemplationibus possunt abstractione à sensibus hoc est ecstasi corripi, tum ob assuetudinem, tum ob affectum amoris: quippe assuetudo facilitatem efficit, amor vim auget, sanctitas recessum abstrahenti animæ præparat. Hi se intra se, quodammodo recipiunt, quodammodo à se ipsis egrediuntur. Se recipiunt quoniam mens ingente obiecto occupata, omnia alia contemnit, & duntaxat circa magni hospitis apparatum satagit: egrediuntur autem per voluntatem, quæ ad id quod vult rapitur. His similia, & consentanea scripsi in tractatu de asitia. Quid tu ad hæc? nempè meras nugas: incipis imperiosè, progrederis ridiculosè. inquis ergo sic: *age dic mihi à quo rapitur voluntas*. Hac interrogatione satis inscium in re admodum manifesta te præbes: quippe nihil magis notum est in morali philosophia, quam intellectum ad se trahere obiecta, voluntatem ad obiecta trahi. Ratio fundamentalis huius rei est, quia verum, & falsum est obiectum intellectus, bonum & malum obiectum voluntatis; rursus (vt elicitur ex Aristotele) verum & falsum est in intellectu, bonum & malum est in obiecto externo; quare intellectus, vt intelligat, & fiat idem actu cum suo obiecto, necesse est vt conuertat se ad se ipsum, siquidem in se ipso (vt diximus) habet suum obiectum: vt autem voluntas operetur, necesse est vt abeat ad suum obiectum, quod extra se habet.

c. 26 pag. 92.

6. meta-phis.

Si verò dicas, hinc non inferri aliud, nisi voluntatem tendere ad suum obiectum, non verò rapi à suo obiecto; oportet vt recorderis, obiectum voluntatis esse extra: quare vt sequatur voluntatis in illo operatio, vel obiectum debet trahi à voluntate, vel voluntas ab obiecto. obiectum non potest trahi, vtpote improportionatum, nullas habens species per quas proportionetur (quippe solæ potētiæ cognoscitiuæ mediantibus speciebus agunt) necesse ergo est, vt volūtas feratur ad obiectum. Sed adhuc instabis, inquiens; si obiectum non potest trahi, quia est improportionatum; eiusdem improportionis iure non potest trahere: sicut enim corpora cælestia non possunt comburi ab igne propter improportionem substantiæ, ita ignis ob eandem improportionem non potest ea comburere: quippe proportio vicissitudinaria esse debet, tum agentis ad passum, tum passi ad agens. Cæterum scias oportet diuerso modo se habere agentia naturalia, quo se habent agentia intellectualia; agens quippe naturale versus suum passum semper eodem modo se habet, neq; immutatur: quare improportionem quam reperit agens erga passum, eandem reperit passum erga agens. At intellectualia agentia variantur; vtpote aliunde habent quo possint immutari. Itaq; voluntas posset ad se trahere bonum, quod est eius obiectum; sed obstat improportio, quippe bonum nullam speciem potest immittere in voluntatem; quia (vt diximus) species

sunt

sunt propriæ potentiarum cognoscitiuarum: est insuper obiectum separatum, quare nõ potest fieri actio immediatione suppositi: ex altera parte voluntas, specie quam potentia cognoscitiua illi communicauit, redditur quodammodo informata, atq; ita eius obiectum, nempe bonum, quod ex se attractiuum est, ab illa, prout sic, potest trahi: nam potentia quæ absq; specie sibi communicata erat voluntas in potentia, per speciem fit voluntas actu, & virtutem habet actu, qua mediante obiectum, quod est attractiuum, potest in voluntatem agere mediatione virtutis.

Sed nonne appetitiua (dicet aliquis) potentia, & cognoscitiua sunt diuersæ? qui fieri ergo potest, vt species pertinens ad cognoscitiuam informet appetitiuam? hinc enim sequeretur posse nos per voluntatem cognoscere, quod est absurdum. Respondeo speciem cognoscitiuam non afficere voluntatem intrinsecè: nam sic mutaretur essentia voluntatis, & ex appetitiua fieret cognoscitiua & tunc remaneret voluntas sub alia essentia, quod neq; diuinitus accidere potest: neq; enim, vel etiam potestate diuina mutari possunt essentiæ, remanentibus ijsdem rebus. Non ergo voluntas afficitur intrinsecè à specie cognoscitiua, sed extrinsecè: sicut impulsus afficit rem quæ mouetur. Vnde Aristoteles voluntatem ait esse mouens motum: mouens, quia impellit animam ad obiectũ, hoc est ad bonum apprehendendum: motum, quatenus à bono, quod est attractiuum trahitur. Hac authoritate Aristotelis fretus D. Thomas, admittit voluntatem esse passiuam, nec propterea esse quid violentum. quippe passiuum violentum est contra intentionem ipsius passiui. Quemadmodum ergo sentire est agere, & tamen (vt ait Aristoteles) sentire est quoddam pati, nempe agere quatenus per sensationem elicitur actio, cuius ipsa sensatio terminus est; pati verò quatenus fit receptione obiecti: eodem modo voluntas est passiua quatenus trahitur ab obiecto, actiua autem quatenus obiectum afficit, & à volunta-

3. de anima.

1. 2. q. 6. art. 4.

te fit volitum. male itaque ais. *voluntatem esse principium merè actiuum*. expunge ergo illud *merè*, ni mauis merus esse idiota.

Hanc meã, immò communem, veritatem, vis conuellere recurrens ad libertatem facultatis: si enim libera est, nulli violentiæ obnoxia, violentiam pati nequit, ergo nec rapi. Sed tu istud rapi accipis ita vt raptu violentia inferatur. cũ tamen deberes longè aliter accipere, rapi enim dicitur, hoc est cogi ad operandum. Tunc ergo melior tibi datur insurgendi, proteruiẽdique occasio: quippe, cogi, & violentiam pati, videntur non differre inter se. Siste parumper & considerato, eum qui violentiam infert, cogere quidem, non tamen è conuerso qui cogit violentiam inferre necessar. ò: admitto ergo, cum aliquis violentiam infert tibi, vt sis bonus, te cogere ad probitatem, sed potest te cogere nullam inferendo violentiam. D. Thomas est huius doctrinę optimus magister, quam syllogismo perfecto comprobat, inquiens. *motus voluntatis sequitur motum intellectus: sed intellectus aliqua intelligit naturaliter, ergo & voluntas aliqua vult naturaliter*. Præterea: nonne voluntarium & violentum sunt duo opposita? maximè: at voluntarium & coactum non sunt duo opposita: quippe *voluntas coacta, voluntas est*: si autem à diuinis ad humana potest in præsens argumentum trahi, (vt quidem potest, nam si in diuinis conceditur, iam saltem non implicat contradictionem) nonne Deus se libere amat? ita sanè, non ne ita se amat, vt non possit se nõ amare? quis dubitat? at in Deo violentiam admittere impium foret dogma.

1. 2. q. 10. art. 1

Sed persiste in comparatione inter intellectum & voluntatem, & reperies hac veritatem satis superq; corroboratam. finis vltimus eo modo se habet in appetibilibus, sicut prima principia demonstrationum in intelligibilibus: at intellectus non potest non assensum præstare primis principijs; sic ergo voluntas non potest non ferri in finem vltimum. immò voluntas præcognitione boni, ad volen-

volendum necessitatur: est enim (vt dixi) prçcognitio veluti impulsus quidam, qui voluntatem mouet: est ergo voluntas rectè ab Aristotele dicta mouens, & motum, respectu diuersorum; mouens respectu animç quam trahit ad obiectum, motum respectu sui dum ab obiecto prçcognito trahitur.

Quorsum ergo affers verba sacrosancta euangelij, *regnum Cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud?* Non ne vides prius regnum Cælorum præcognitum vt maximum bonum, rapere ad se voluntatem, vt postmodo voluntas huic obiecto inhærens, animam, seu potius totum hominem trahat ad incumbendum expugnationi, seu mauis raptui regni cælorum? nonne consideras illud *violenti* non dici de voluntate, sed de anima, aut de homine aspirante ad regni cælestis possessionem?

In his quæ hactenus à me dicta sunt, tua versutia reperit mordendi occasiones. Dixi, hominem ecstaticum per intellectum se intra se recipere, & ad se trahere obiectum quod meditatur valdè intelligibile; postea dico animam ecstatici relinquere corpus immotum, & intellectu circa altissima quæq; peruagari. Apud te contradictio non parua, hic latet: hanc accusas iudicio tuo, malè sano. Sed sic increpando detegis te non intelligere distinctionem realem, quæ est inter animam, & eius potentias. Responde ergo, & dic quid est quod corpus immotum relinquit? anima ne, an intellectus per se duntaxat? animam teneris dicere: nam hæc est qua absente corpus immotum manet. at dum anima peruagatur, intellectus vbi nam est? nempe cũ anima; neq; enim (vt puto) dabis intellectum ab anima separatum, qui etsi (iuxta opinionem aliquorum) diuina virtute separari queat ab anima, tamen ita separatus non potest intelligere: quippe quemadmodum neq; à Deo solo actiones vitales vitaliter elici queunt (vt pleriq; nostræ ætatis Philosophi existimant) sic neq; elici possunt à potentia, nisi cum hæc ipsi animç inhærescit, atq; intimè coniuncta est neq; cum Auerroë

3. de anima com. 5.

vnum dabis intellectum separatum, quæ opinio licet etiam fuit Theophrasti, Themistij, & Simplicij, iam penitus exoleuit.

Habemus ergo iam animam, quæ per ecstasim corpus relinquit, secum habere intellectum, qui sine anima operari nequit: operetur ergo: num effugiens animam? minimè, sed in ipsa anima existẽs: itaq; anima est quæ peruagatur intellectus autem dum est in anima ecstatica, recipiens se in se ipsum operatur. Dic porrò, non ne in naui Oceanum percurrente potest includi Philosophus, qui secum tacitè meditetur? quis dubitat, iam ergo & verum est, ecstaticum peruagari, & verissimum simul, intellectum ecstatici intra se ipsum colligi, vt meditetur. Et ecce tua prima accusatio, euanescit.

Transi ad alteram contradictionem, quæ ab hac dissimilis non est. Dixi voluntatem secum totam ferre animam, neq; enim anima sic vehementer occupata, potest partim vni, partim alteri obiecto inseruire, sed tota permanet in vno solo. Tunc addidi hæc verba: *idcirco mihi videtur D. Paulus in vera ecstasi quam fuit passus dixisse: siue in corpore, siue extra corpus nescio: aderant in eo summa intellectio, & summa delectatio.* Hic etiam contradictionem reperis: nempe sic: *si hæc vera sunt, non ergo verum est quod voluntas totam animam secum ferat: & quod anima vnius hominis non sufficiat duabus actionibus vehemẽtibus simul edendis.* itaq; enthimema conficis in hunc modum D. Paulus in vera ecstasi dixit *an in corpore, an extra corpus nescio*, aderantq; in eo summa intellectio, & summa dilectio, ergo voluntas non fert secum totam animam, neq; anima vnius hominis non sufficit duabus actionibus vehemẽtibus: cur autem non probasti sequi hoc ad illud? nempe quia mea ipsa verba in se continent responsionem ad id quod cõtra illa affers. Sufficit quidem anima Pauli duabus vehementibus actionibus simul edendis: hoc ne potuit assequi naturaliter? minimè: ideo ergo ait vidi arcana Dei, siue in cor-

in corpore siue extra corpus nescio: vidit ergo per modum beatorum quis ergo negabit beatos in patria summoperè Deum diligere, summopere etiam in contemplatione esse occupatos? Dixi ergo animam vnam non sufficere duabus actionibus vehementibus, & addidi idcircò D. Paulus, qui duas vehementes actiones simul edidit, confessus est se arcana Dei vidisse, & nescire an in corpore, an extra corpus: vtroq; enin modo poterat beatorum cōditione à summo Deo exornari. In fumos ergo abijt tua isthæc secunda contradictio.

Ne tamen neges, Paulum has duas actiones valde vehementes simul edidisse; id tibi demonstro: nam quoad dilectionem, hæc adeo fuit magna, vt ipse dicat *cupio dissolui, & esse cum Christo.* Magna ergo erat charitas: quippe maiorem charitatem nemo habet, quàm vt animam suam quis det pro amico suo: ergo summus amor quem habuit in raptu, post raptum non cessauit; quo ad intellectionem, eam fuisse supra naturam ostendunt, squamę ex oculis decidentes: oculorum nomine intellectus speculatiuus accipi solet. Deniq; D. Thomas ex verbis ipsius Pauli colligit, voluntatem eius in raptu fuisse summoperè gauisam: nam non solum se raptũ fuisse ait, sed adiunxit ad tertium cælum: nomine tertij cęli significatur paradisus, at paradisus significat voluptatem, voluptas ad voluntatem spectat. Tandem Paulum vidisse Diuinam essentiam receptissimum est; putas ne ergo diuinam essentiam posse videri absq; summa oblectatione? putas ne etiam intellectionem posse vehementiùs occupari, quam in visione Diuinæ essentiæ? tertio putas ne hoc potuisse animam assequi per suã naturam, an eleuatam ad statum supra naturam? hæc omnia ni te conuincunt lapideus es.

Tertia condictio quam excogitasti, est huiusmodi. Dixi in magna ecstasi omnes functiones tam rationalis, quam irascibilis, & concupiscibilis animæ suspendi; & paulò post addidi, in apoplexia, epilepsia, & id generis alijs, mentem sopitam iacere, in ecstasi subleuari, & viuaciter contemplando cælestibus vniri. Tu insurgens ais, *non ergo verum est magnam ecstasim esse, in qua functiones omnes, tam rationalis, quam irascibilis, & concupiscibilis animæ suspenduntur.* Hanc obiectionem, vt soles, improbatam relinquis. conficere ergo videris syllogismum sic: in magna ecstasi suspenduntur omnes functiones, ergo non est verum tunc animam subleuari, & cælestibus vniri. Quid audio? num quia anima suspenditur, non subleuatur? subleuatur anima, & sic relinquit omnes operationes, quas in corpore existens per organa corporea exercebat. Quamuis autem operationes quæ per organa eduntur, & aliæ quæ sine organis, sint ejusdem speciei, sufficit in præsens animam acquirere modum operandi diuersum, vt dicatur subleuari, & relinquere operationes per organa editas. exemplo hoc tibi ostendam. ignis gehennæ, cum eleuatur ad cruciandas animas, vt admonet inter alios Rusca Mediolanensis, nihilominus idem ignis gehennæ suspenditur ab actione qua materiam consumeret: quippe sic subleuatus, non indiget materia in qua sustentetur: eodem modo anima suspenditur ab actione corporea, & eleuatur ad actionem spiritualem. suspendi animam, & exaltari in admiratione satis demonstraui in meis commentarijs ad Hippocratem de alimento.

§. 12. *An Prophetæ fuerint ecstatici.*

EXistimas (& Tostatum tuæ opinionis authorem habes) ecstasim non fuisse in viris veteris testamenti, eo quod non fuerint eleuati ad contemplanda ea quæ spectant ad Diuinam essentiam. Ceterum iam Mosen Diuinam essentiam vidisse constat: vnde vnum ex primis veteris testamenti habemus, qui ecstasim fuit passus: si autem nomine veteris testamenti comprehendas sæcula omnia ante aduentum Christi habebis etiam Adamum ecstaticum: quippe somnum, quem in illum immisit Deus, simul

pag. 34.

ad 2. paralip. c. 11.

simul fuisse ecstasim optima coniectura fretus Pererius tradit, concludens fuisse quidem somnum, sed talem, vt in eo ligatis sensibus, soluta mens, & diuinitus illustrata, tum ea, quæ eo tempore agebantur, cerneret, tum futura mysteria intelligeret.

Sed vt ad Tostati rationem accedam, quid oportet hominem in ecstasi eleuari ad contemplanda ea, quæ ad Diuinam essentiam spectant? Demus Ezechielem eleuatum ad contemplandam Hierusalem; demus alios Prophetas, propter alia huiusmodi fuisse à sẽsibus eleuatos; nonne tunc erit ecstasis? profectò cum ratio formalis ecstaseos consistat in abstractione à sensibus. reliqua quæ concurrunt, sunt circunstantię accidentales quæ adesse & non adesse possunt absq; eo quod ecstaseos natura, & ratio auferatur.

2. 2. q. 173. art. 3. Porrò, quando D. Thomas quærit, vtrum visio prophetica semper cum abstractione à sensibus fiat, videtur quærere vtrum prophetica visio semper fuerit ecstatica. & in hoc sensu patet iam in vetere testamento ecstasim fuisse, manesque conuictus, qui negas veteres Prophetas fuisse ecstaticos, quæ negatio simpliciter prolata, vim habet vniuersalis negatiuæ.

Hic te monere volo, iuxta communiter receptam diuisionem, qua ecstasis alia maior, alia minor esse dicitur, Adamum magna ecstasi fuisse correptum. quippe extractionem costæ non sensit, neq; sensibiles habuit imagines. Moses tamen longè maiorem ecstasim fuit passus, quam ego inter maximas repono: quandoquidem quadraginta dies sine cibo, & potu mansit cum Deo, & inde tantam acquisiuit gloriam, vt in corpus redundauerit. Duplex tamen fuit ascensus Mosis in montem, sed in posteriore credibile est Deum vidisse, non oculis carneis, sed sola mente: fortassis autem oculis carneis videre Deũ erat eius postulatio, quam non potuit obtinere, ne scilicet ante Christi aduentum, oculi carnei hoc priuilegiũ haberent. Primogenitus mortuorum, hoc est, mortalium Christus à D. Paulo appellatur, solus ergo iure primogenituræ hoc habuit.

Moses præterea cum reliquis Prophetis fuerit excellentior, par est eum maiorẽ ecstasim habuisse, reliquos minorem: reliqui siue per somnum, siue per vigiliam imagines quasdã accipiebãt sensibiles, quæ aliquid sensui offerebant, ex quo aliud mẽti represẽtabatur, e.g. Hieremię ostensa fuit olla accensa, quę ciuitatis incendium significabat: Ioseph vidit spicas, & boues, fertilitatem, sterilitatemue designantes. Sed ecstasis maior est qua ostenditur res, non quæ aliquid aliud, sed seipsam significet, v.g. Isaias vidit Dominum sedentem. *cap. 6.* Quamuis autem Prophetę videntes appellarentur, quasi per visionem duntaxat, reuelationem acciperent, nihilominus satius est dicere, videntes fuisse dictos, quia (vt supra diximus) oculus sumitur pro mente, & lumen supernaturale, quo illustrati fuerunt Prophetæ ad mentem spectat. Quare per auditum etiam potest fieri prophetica reuelatio.

Dupliciter autem per auditum contigisse scimus; primò cum iubetur Propheta aliquid simpliciter denunciare. Vt quando Deus Ionæ imperauit, vt Niniuitis euersionem vrbis prediceret, & hęc reuelatio est excellentior quàm altera, in qua Propheta iubetur aliquid agere, ex quo eliciat doctrinam, vt quando Oseas fuit missus accipere vxorem adulteram. Tandem omnium maxima est (vt constat ex D. Thoma) in qua intelligibilis veritas, & supernaturalis, absq; imaginaria visione ostenditur, atq; hanc ait excedere rationem prophetiæ propriè dictæ, & addit, *consequens ideo est, vt gradus prophetiæ propriè dictæ distinguantur secundum imaginariam visionẽ.* Hinc forsitan orta est dubitatio, inter aliquos, qui disputant, an Moses sit in numero prophetarum: quippe ecstaticus quidem fuit, sed ecstasi adeo sublimi vt prophetiæ rationem excedere videretur. Et profectò Moses, quatenus Diuinam essentiam vidit, conditionem Prophetarum superauit: attamen habuit alias visiones, quæ à prophetica condi-

conditione excludi nequeunt. Potuit autem interdum Prophetæ munere fungi, interdum Prophetarum excedere conditionem: non enim prophetia est habitus, qui manet, sed actus qui nunc existit, nunc cessat existere, quod ex professo probat D. Thomas.

Actus prophetiæ à Deo cummunicatus, vt plurimum, probitatem morum requirit: hæc autem probitas est veluti dispositio quædam ad recipiendum lumen supernaturale. dixi (vt plurimum) quia non est necessaria, sed congrua; quamuis autem dicatur in psalmis *non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis*; hoc non tollit fuisse aliquãdo diffusum extra Israëlitarum familiam donum prophetiæ, ita vt vnus vel alter proselyta, seu aduena huius doni particeps fuerit.

Itaq; etiam inter improbos, & inter alienigenas, Propheta aliquis fuit inuentus: nam & Saul inter Prophetas. Tu autem, ne tibi desis, hanc veritatem destruere satagens, me arguis quod potuerim melius Caiphæ prophetanti inter improbos Prophetas locum dare, & me increpas, quod ego totus in vetere testamento non attingo nouum; quod qua veritatẽ sit dictum ex meis scriptis, in quibus semper noui testamenti fit mẽtio, vnusquisq; agnoscet & in tuam perfrictam frontem expuet indignatus. Caipham omisi quia prophetauit, nesciens quid diceret. Saulem memini quasi exemplum improborum vatum: Sibyllam autem pro exemplo prophanorum: tu autem ignoras, quid inter improbum & prophanum intersit, ac proptерea putas illum à prophanis quasi ab improbis separari: nunquid quia Sibylla meritò ab Eusebio ob mores laudatissimos celebratur, definit prophana esse. At Iob, Cyrus, & pleriq; alij insignes probitate viri narrantur, qui tamen erant prophani, hoc est extra Ecclesiam quæ tunc intra Israëlitarum terminos claudebatur. Sed quorsum hic paginas imples adducens Sybillæ carmina è græco translata? cur etiam in translatione relinquis Diuum Augustinum? An tibi pluris est Sybilla, quã eximius Sacer Doctor?

CASTIGATIO III

De vita, & ijs quæ ad vitam spectant.

§. 1. *Quis sit nexus animæ cum corpore.*

ROgaui te in meo tractatu de astutia, in quo consistat nexus animæ cum corpore? tu quo polles acumine me arguis quod pag. 113 cum falsitatis tuum dogma accusare deberem, hoc non præstiti, sed ad hanc interrogationem confugi. At ego ne te inauditum damnarem, prius audire volui, quid pro tua sententia defendenda afferre posses. Itaq; hanc meam responsionem, inquis, apertis verbis ab Aristotele damnari. Profero ergo hæc aperta verba: ait nempe Aristoteles, *si notum sit animam esse actum primum corporis naturalis, non oportere quærere si vnum contingat ex anima & corpore, sicut in arte factis, si vnum fiat ex cera & figura.* Hæc ne sunt aperta verba? nihil minus: quippe Philosophus non prohibet quærere, quo nexu copuletur anima, & corpus, sed vtrum ex vtroq; fiat vnum, quippe hoc tamquam manifestum omittendum est, quo vero nexu id fiat, quæsitu quidem dignum est. Sed tu videris existimare fieri quidem ex anima & corpore vnum, sed fieri nullo nexu: sed satis esse quod anima sit forma, seu actus corporis ad hoc vt per se sine aliquo nexu ex ambobus fiat vnum. si ita sentis, tibimet contrarius es (nec mirum) vtpote qui & in libro de ijs qui sine cibo, & in libro de ortu animæ, vinculi nectentis animam cum corpore mentionem fecisti. Oportet mendacem esse memorem.

Sed ex sinu tuæ liberalitatis depromis responsum ad interrogationem quã damnasti, aisq; *nexum corporis, & animæ consistere in essentiali propensione, quam habet tum corpus naturale organizum ad vitam, tum anima ad corpus na-*

turale organicum viuificandum. sic tu: cæterum iste tuus nexus,nodo gordiano est fortior: nodus quippe gordianus, si non solui,at certè secari poterat;iste tuus nec solui,nec secari potest. In primis nõ potest solui: etenim quantumuis animã à corpore separes,semper nodus ille remanet,nempe propensio animæ ad corpus. Nec dicas animam separatã habere propensionem in potentia,coniunctã in actu; nam propensio ex se potẽtia est, siue actum pariat,siue non. Deinde licet anima separata habeat propẽsionem ad corpus,corpus separatum nõ habet propẽsionem ad animã: nã corpus separatũ ab anima, sub aliqua forma existit, & ad illam habet appetitum complacentiæ. Tertio nihil hæc tua responsio affert,quod imbuat intellectum,nam cum interrogaris quid sit nexus, respondes esse propensionem, at ego eodem,quo prius ,iure, denuò inquiram qualis sit isthæc propensio? vel enim est necessaria vel libera; si necessaria, cum semel nectet non amplius soluet: si libera, potest actum producere & non producere, atq; adeo hæc libertas importabit secũ spontaneum discessum & reditum ad nexum, ac subinde ad vitam, & ecce tibi vtroq; modo immortalitas, scilicet aut quia necessarius nexus solui nequit, vel quia liber & semel sectus potest iterum refici.abeat igitur in auras tua ista propensio, quæ infelix est.

Nec tamen te pudet in exiguo interstitio nutare, ac opiniones diuersas proferre.ecce iã aliam responsionem affers, inquiens nexum esse primam participationem animæ cum calore. At Aristoteles hac definitione quid generatio sit nobis tradit: iam ergò existimas,nexum esse generationem. Sit ita, sed iste nexus, seu ista generatio (vt tu vis) tribuit viuenti quod sit viuens. nunquid ergo generatio fit in vno instante, vitã autem in altero? si admittis, cum inter duo instantia mediet tempus, dabitur tempus in quo genitum non sit viuens, & sic generans non produxit rem viuentem. quod an absurdum sit,iudicet vnusquisq; Ergo in vno,& eodem instante fit generatio viuentis, & fit viuens. at in vno, & eodem instante non datur prius & posterius, iam ergo nexus & vita fiũt simul,quod tu negasti arguens me quod vitam dixi esse nexum. Dices tamen nexum esse generatione priorem, non tẽpore, sed natura: ego tamen neq; tibi tua somnia concedam, quippe suapte natura,principium rei est pars ipsius:incipiat ergo actio ista momentanea, quã tu dicis esse natura priorem;at cũ sit momentanea,cum incipit deberet esse pars totius;momentaneum nõ habet partes, ergo suapte natura, cum incipit est tota.

Aliter etiam tuam detego ignorantiam. Ais primum à generante coniungi animam corpori, deinde animam coniunctam tribuere viuenti esse viuens, ac propterea non admittis vitam esse nexum. considera ergo animã in illo priore, quando coniungitur anima corpori antequam tribuat viuenti esse viuens. quid tunc tribuit corpori ista anima? iã scio quid respondes: videlicet nihil tribuere, ac proinde animam esse in corpore tamquam in vase. Hanc stultitiam alibi satis, superq; refutaui. nunc quid ex tuis dictis sequatur, paucis tibi ostendam: nempe animam corpori nexam & nihil corpori tribuentem esse formam corporis, & non esse corporis formam. est quidem forma, quia nexa est nexu naturali, at anima naturaliter corpori nexa, certè compositum physicum facit, compositum autem physicum, fit ex cõponentibus physicè vnitis. Sin minus si nexus iste non vnit physicè, quomodo vnit? num artificialiter? erit ergo ex anima & corpore, quoddam artefactum num supernaturaliter? fient ergo quotidie tot miracula quot homines generantur. Non poteris igitur effugere,& negare animam corpori vnitam, esse corporis formam;sed simul non erit forma, quippe forma dat esse rei. tua verò ista anima,nihil præstat vasi in quo eam includis.

Mirentur omnes, aut saltem rideant postquam nexũ dixisti esse propensionem & insaniens addidisti nexum esse generationem. tertio in eadem pagina

(quis

(quis hoc credat) ais nexum esse calorem: sunt tua hæc verba. *mors consequitur, vtpote soluto vinculo, quo nectebatur anima corpori: calor enim tale vinculum est*. Sed videamus qualis nam sit tertius iste tuus nexus. Aristoteles definit vitam inquiens esse mansionem animæ cum calido, hoc est cum calore (in hoc nulla sit controuersia) ergo calor, quem tu dicis esse nexum, ingreditur definitionem vitæ, ergo pertinet ad essentiam vitæ, ergo perperam tu ais, me perperam dixisse nexum esse vitam. Deinde, non ne Aristoteles definit mortem per extinctionem caloris? ergo iure cõtrariorum, vita per caloris præsentiam debet definiri. Tu subterfugis, aisq; Aristotelem non mihi fauere, quippe non affert mortis definitionem, sed causam. Quis tibi hoc reuelauit? num tibi ad aures hoc dixit ipsemet Aristoteles? num aliquam coniecturam potes facere ex verbis, quæ scripta reliquit? libellus inscribitur de vita & morte, & tu non vis vt ibi vitam, & mortem definiat? profectò diminutus esset magnus philosophus si definitionem rei de qua agitur, omitteret. Sed perge vlterius: ille ait mortem esse separationem animæ, & sic (tuo iudicio) mortis causam appellat mortẽ: ego vitę causam appello vitam, cur ergo perperam ita appellaui? Receptui igitur canere oportet. Dixi nexum animæ esse vitam: hoc impugnas. da mihi ergo animam corpori nexam, ita tamen vt non adsit vita; erit ergo tale corpus habens sibi animam nexam cadauere. iam habemus ex te cadauer animatum. Vide in quas incidas calamitates.

de vita, & morte

§. 2. *An calor sit agens necessarium.*

AGens naturale agit ex necessitate naturæ, & hac conditione opponitur agẽti libero: sed dicet aliquis, nõne qui liberè agit, naturaliter agit? profectò si naturaliter intelligamus hoc est, non aduersante natura: non autem, si dicamus naturaliter, hoc est absq; cognitione, quę spectat ad facultatem animalem, quam à naturali, alias vegetatiua, distinguunt medici. Non ne duo motus sunt in nobis, ambo naturales, hoc est naturæ non repugnantes, quorum alter est liber procedens à virtute libera, nempe à facultate animali, vt deambulatio; alter necessarius, procedens à sola natura, nempe motus à grauitate deorsum? hinc ergo iam patet, quomodo agens naturale dicatur necessarium.

Quoniam ex hac necessitate naturæ qua calor agit, sequitur calorem semper agere, ac proinde vanam esse tuam illam caloris ecstasim, quæ non magis possibilis est, quam sit possibile ex arena funiculum nectere: tu varias excogitasti technas, omnes inaniter fabricatas, & primò dicis necessarium dici, *quod semper agit actione illa qua consumat humidum, tum obtinentem resistentiam æqualem actiuitati caloris, tum viribus, & mole separantem vires caloris*, atq; hoc modo negas agens naturale hoc est calorem (nam de hoc agimus) semper necessariò consumere coniunctum sibi humorem. At hoc æquilibrium rarum esse, tibi suo loco ostendam: nunc omissis plerisq; à te inaniter iactatis, in quibus ostẽdis te non agnoscere differentiam inter agentia libera, & necessaria, siquidem formicas mihi adducis, quæ horrea in æstate complent, & hirundines, quę soboli suæ educandæ nidificant, araneas, quæ telas texunt, vt muscas venentur non ne hæ omnes liberè agunt, hoc est facultate animali, quæ secundum naturam quidem est, sed non dicitur naturalis, prout naturalis facultas est alia à facultate animali. Adducis etiam plantas, quæ folia emittunt ad tutelam fructuum, & non consideras plantas cum primum eis adest succus ad emittenda folia, ea incessabiliter & sine interruptione emittere, & hoc est agere necessariò vt tibi mox demonstrabo.

pag. 250

§. 3. *De actione interrupta.*

SAtis iam tibi tum hic, tum in commentarijs ad libellum de alimento, discrimen inter agens liberum, & necessarium exposui. Ad contumelias autem, quas

pag. 157

quas turpiter in me conijcis; legentium stomachus tibi respondeat: nunc quoniam naturales fúctiones posse intermitti autumas; hunc errorem silentio præterire nequeo. Vt autem filum orationis cum superioribus nectam; affero tibi Galeni verba instituentis discrimen prædictum inter functiones animales, & naturales. *Cum sensus, & voluntatis motus (ait ille) propria animalium sint, nutritio, & auctio, plantis etiam communia: fuerint non immerito priora duo animæ, posteriora naturæ ipsius opera.* Relictis ergo animalibus functionibus ab animali facultate in cerebro originem habentibus, ad naturales me confero. Harum quædam sunt ad tempus; quædam verò per omne vitæ tempus. Hæc diuersitas oritur ex eo quod illæ sine quibus vita non constat, vt nutritio, vitæ durationem comitantur; alia verò ex quarum agendi perpetuitate sequeretur damnum (v. g. generatio, quæ si semper fieret dissolueretur animal, & augmentatio, quæ si non desineret, deduceret viuens vltra terminum suæ magnitudinis) ad tempus agunt. Porrò agendi necessitatem tribuit natura prioribus, quia non deficit in necessarijs: necessitatem hanc posterioribus denegauit, quoniam non abundat in superfluis.

initio oper de facult. natur.

Tu vero, ex eo quod aliquæ facultates naturales, vt augmentatio, & generatio non fiunt semper, putas eas intermittere: hæres tamen in æquiuoco: nam aliud est vnam, eandemq; actionem fieri non iugi quadam vi, sed per plures intermissiones, vt ita dicã saltuatim; aliud vnam numero actionem desinere, & post aliud tempus aliam incipere; e. g. gutta cauat lapidem, non continua, sed interpolata actione; torrens autem qui in æstate desinit, rediturus in hyeme, non dicitur interrumpere actionem: facit hanc diuersitatem exiguum, & vix perceptibile interstitium, quod est inter vnam, & alteram guttam, magnum verò quod est inter torrentem & torrẽtem; quare guttæ actio interrumpitur, torrentis desinit. Eodem modo functiones, quæ desinunt, non propterea quòd desinant dicuntur agere interruptè: nam interruptum; intermissũ mue imperfectum est, & non nisi in vltima intermissione suum habet complementum: at istud quod desinit, quando desinere cæpit erat perfectum. Debueras igitur considerare, aliud esse agere ad tempus, aliud interruptè.

Attractio, retentio, concoctio, expulsio, actiones sunt facultatum ministrantium: ministrantes ita appellantur, quod nutritionis ministræ sunt. si nutritio toto vitę tempore durat, eas etiam per totam vitam durare necessarium est: neq; enim sine ministrantibus potest nutritio celebrari. Hinc colliges, has esse ex earum genere, quæ nunquam desinunt. videamus ergo an sint ex alijs quæ agunt interruptè. Ab hoc dubio facilè me expediam: cum enim fiant à calore iugiter operante, quis negabis eas iugiter non saltuatim, guttatimue fieri? At putabam me facilè posse expedire: non ita est; ades namq; tu remora, veritatis, aisq; *medicos omnes ad vnum verè confiteri singulas istas actiones, vna excepta versione alimenti in substantiam viuentis de qua plures ambigunt, aut aliter sentiunt, esse interpellatas.* Medici ne omnes ad vnum ita sentiunt? profer to ex omnibus saltem vnum: taces, ergo immendacio deprehenderis. Cæterum video te cum plebe sentire: existimas nãq; cibos sumere, & nutriri, vnam, & eandem rem esse. accusas namq; quod dixerim vintriculum semper attrahere, semper retinere, semper coquere, & expellere cibaria: At ego cibaria non dixi, sed alimentum, an verò inter vtrumq; sit differentia Hippocrates, & Galenus te docebunt: quippe apud eos cibus nõ est alimentum, sed est futurum alimentum: circa alimentum semper attractrix, retentrix, coctrix, expultrix negotiantur, neq; tuæ feriæ vnquam adsunt: de hoc vsq; ad nauseam iam in commentarijs est dictum. sufficit nunc scire corpus defectu cibi absumi, quia calor semper agit: quare si non suggeratur ei materia proueniens ab extrinseco, conuertitur in substantiam internam, eamq; absumit

sumit,& hinc addisce agētia illa naturalia, quæ necessariò agunt, qualis est calor noster, non agere præuia cognitione, ac proinde calorē posse agere in perniciem, absumendo scilicet id, quod, si cognitione duceretur, conseruare deberet. Quid de expultrice? putas ne tunc solum agere cum fæces expelluntur? at agit semper quia semper deponūtur, cōtinua enim actione caloris, purum segregatur ab impuro.

Quid verò de nutritione dicendum est? sanè quoniam tamdiu viuimus, quādiu nutrimur; constat nutritionem esse ex his, quæ non desinunt in tota vita. Potest ne interrumpi? tu ad tuam ecstasim caloris, ad tuas ferias recurre, risumq; hominibus concita: ego in actione iugi caloris persistam, quam tu coactus fateberis. Nā dic mihi, in interuallo quantumuis breui adest ne calor & humidum sicut antea, an alterutrum deest? si dicas adesse vtrumq; vt antea debitè dispositum, cur non fiet actio? si dicas deesse alterutrum, cur vita quæ in permansione vtriusq; consistit, non desinit? deinde si calor semel extinguitur; quomodo naturaliter reficitur? si humidum exsiccatur, in quo nam sustentatur calor? deinde si caloris innati munus est materiam conficere, in qua sustentetur (quare Galenus non patitur calorem hunc flammæ comparari) quomodo potest dari calor naturalis cum defectu humidi? immo potius Galenus multoties calorem naturalem humidum esse dixit: sed omnia hæc iam alibi sunt declarata, & quod de nutritione est dictum, de augmentatione similiter dici debet: vtrobiq; enim est eadem ratio.

Quid generatio? est ne continua? tu quoniam vides generationem non esse perpetuam, putas non esse continuam; nec maior potest esse amentia. Plures fateor sunt generationes, per quas plures filij generantur: sed cum primum semen conceptum incipit in prolem conuerti, ne momento quidem temporis deseritur à natura.

Verum, vt te conuincam, placet mihi tecum conuenire, & generationem actionem interruptam constituere: interrumpamus illam; at instantanea est, non potest interrumpi, ergo neq; ego tecum conuenire. Negas ne esse instantaneam, at ego negare hoc nequeo, sciēs generationem esse per quam res incipit esse; incipit autem esse per introductionem formæ, (forma quippe dat esse, & constituit ens in actu) forma substantialis producitur in instanti, & in instanti informat atq; dat esse. neq; enim in vno instanti producitur, in alio dat esse: hoc iam superius demonstraui. forma itaq; substantialis, substantia est, & producitur per primum sui esse, hoc est in instanti: instans non potest diuidi, ergo nec mutatio, quæ fit in instanti.

Deinde, communis opinio celebrium virorum tenet, alterationem esse continuam: cum ergo generatio comitem habeat alterationem, non potes negare absq; celebrium authorum exsibilatione generationis continuitatem. Demum actio dicitur non interrupta, vel quia est continua, vel quia est instantanea: vtrūq; tibi demonstraui; & similiter errorem tuum exprobraui. I nunc, & discipulos meos admonito, ne meæ sententiæ acquiescant.

§. 4. *Soluuntur quædam sophismata.*

DIxi Conimbricenses mihi displicere, qui dixerunt non opus esse vt natura, quoad conuersionem alimenti in substantiam aliti, semper in actu sit. Rationem addidi: quia qua ratione vna ex actionibus naturalibus (sunt autem hæ attractio, retentio, coctio, expulsio) eâdem cessare nequeūt omnes. Tu retorques argumentum, & ais, ergo ex opposito qua ratione vna cessare potest, cessare possunt omnes. Ita est, sed quænam est ista vna quæ cessare potest? respondebis esse nutritionem: nonne vides te principium petere, & circulum committere: probare debes nutritionem cessare, & probas cessare reliquas quia cessat nutritio. quis te docuit sic argumentari?

Deinde subdolè mutas terminos: ego

affero

affero attractionem, retentionem, tres coctiones, expulsionem, quæ omnes se necessariò consequuntur, tu alias affers, inter quas non est necessaria connexio. Affers appetentiam, quæ opus animale est magis quam naturale, affers ciborum sumptionem in ventriculo, & ais nemi-nem mihi concessurum, calorem in vẽtriculo semper attrahere, concedet quidem princeps Auicenna, qui, *tolerare famem*, ait, *stomachum replet crudis humoribus*. cur ita? nempe quia attractrix semper agit: quod si non offerantur cibi, aget circa humores, immò & circa carnes: propterea (vt tibi dixi ex Hippocrate) sine cibo corpus absumitur.

Ecce nouo sophismate armatus in campum exis, potentias subordinatas ad inuicem non posse simul agere, sed vnã post aliam. Hoc ego tibi concederem in primo generationis puncto, in quo portio alimenti attracta est, ociante adhuc retentrice: & retenta nondum agente coctrice: at postquam alimentum semel suggeritur, & omnes continuo affluxu materiæ fruuntur continuo in labore sunt. Attuli tibi exemplum sumptum à Cyclopibus. Brontes ferrum ignire non cessat, Steropes quatere, Pyragmon immergere: semper tamẽ laborant non circa eandem ferri portionem, sed circa varias continua suggestione aduenientes.

Addis hæc verba, *nutritiua semper adest, sed non semper operatur*, & repetis differentiam inter nutritiuam, & nutrientem. Dic ergo si semper adest, cur non semper operatur? num ob defectum materiæ? at iam tibi sæpius dixi, materiam non deesse: quippe si cibus desit, concurrunt humores, & carnes. tandem do tibi vt nulla adsit materia, da tu inuicem mihi, vt vita statim desit, & sic tuæ feriæ erunt inferiæ. num ob æquilibrium? at in æquilibrio datur actio: nempe tonica: hanc tu non negas, exemplo ductus duorum colluctatorum pares vires habentium. At dices, hæc actio non absumit, & sic viuitur absq; noui alimenti necessitate: Respice ad effluxus continuos, qui fiunt à calore & reperies necessariò humidum à calore absumi, nisi alterum denuo suggeratur: sin minus vnde nam exeunt isti continui effluxus? Vrgebis adhuc, in paritate caloris & humidi non dantur effluxus. At tu concedis calorem attenuare quidem posse, absumere autem aliquando non posse, da mihi humidum à calore attenuatum, dabo tibi necessarium effluxum. Sed nolo amplius progredi, tuas nænias vnusquisq; percipit, irridet.

§. 5. *An citra mortem ocietur altrix anima.*

HÆc est summa totius controuersiæ, ad quam omnia quæcumq; diximus, & quæcumq; dicemus, referenda sunt. Aphrodisæus ait, vacationem à sensuum officio esse somnum, ab altrice facultate mortem. Rectè quidem: nam quod attinet ad sensus, per somnum quomodocumq; ligantur; quod attinet ad alitionem, non nisi morte perit: quippe tandiu viuimus, quandiu nutrimur. Tu verò hic vitium reperis, quippe comparatur sensuum officium altrici facultati, comparatio verò inter officium, seu actionem, & facultatem inepta est. At nulla hic fit comparatio. Sed quemadmodum si quis diceret post mortem oculus est æquiuocè oculus, intellectus verò idem post mortem permanet: non hic comparatur organum, hoc est, oculus, cum potentia hoc est, cum intellectu, sed vtriusq; dispar fit mentio.

Verum, sit ita, vt libitum est tibi: corrigamus errorem, & comparemus vel actionem cum actione, vel facultatem cum facultate: vide quam sim promptus ad concordiam. Dicamus ergo cessationem à functionibus potentiæ animalis esse somnum, ab actionibus potentiæ altricis esse mortem. putas ne hoc esse falsum? putas quidem: quoniam Aristoteles inquit cessationem ab officio altricis animæ, esse quid simile somno. Rectè quidem dixit Aristoteles, sed quid simile somno, est mors; *Stulte quid est somnus gelida nisi mortis imago?* est somnus

2. de anima tex. 5.

ius mortis imago, & mors imago somni; sed non hinc concluditur mortem esse somnum.

Præterea Aristoteles, quem tu citas, non dixit vacationem ab officio altricis esse quid simile somno. loquitur de actu primo, atq; ait *somnus autem scientiæ operatione vacanti similis est.* quo iure ergo hæc verba trahis ad animam altricem? nempe eo, quo cuncta authorum placita soles corrumpere. sed perge ab actionibus ad facultates.

Cessante facultate sensitrice, desinere animal esse animal, cessante nutritiua desinere viuens esse viuens, est tua sententia, ita ne? Accipiamus ergo aliquod indiuiduum, v. g. sit Socrates. desinat in eo esse animal propter absentiam facultatis sensitricis; non tamen desinet esse homo, quia nec desinit esse Socrates, ecce iam dabis hominem, qui non sit animal: adeo bardus es, vt ignores gradus metaphysicos pertinere ad essentiã rei? Rursus viuens per absentiam nutritiuę facultatis desinit esse viuens, erit tamen adhuc animal, nam tu solam nutritiuæ facultatis absentiam supponis; igitur dabis animal quod non sit viuens, videtur ne tibi hæc congrua doctrina? Datur quidem viuens, quod non dicitur animal, iccirco Aristoteles qui semper animalia & plantas distinctè, & quasi duas res diuersas commemorat, scriptũ reliquit, plantas viuere quia ad omnem loci differentiam porriguntur; quippe non viuentia ad vnum locum determinata sunt, viuentia ad opposita: cum autem quatuor sint vitalium operationum genera, nutritio, sensatio, motus progressiuus, intellectio; sufficit ad vitam, vt vnum solum opus exerceatur. Alexander, cuius transcribis verba, quam tibi faueat tu videas. trahere conaris illum vt dicere videatur augmentum non esse in omnibus ætatibus, sed in prioribus, nutritionem vero nullam sibi vitæ partem determinare. nec propterea nos cogere vt dicamus nutritionem fieri sine intermissione. At verba Alexandri sunt hæc: *alitur enim semper animal dum est* & hæc verba respondent verbis Aristotelis, quæ sic habent. *eo vsq; viuunt quousq; possunt alimentum accipere.*

2. de anima tex. 14.

Tandem tres modos affers, quibus potest aliquis viuere ociante altrice anima. Primus est si detur æquilibrium iam toties decantatum, & inferiùs repetendum. In hoc æquilibrio iam dixi animam altricem non esse in ocio, deinde neq; posse diu perdurare. hæc suo loco dilucidantur. Secundus est per ecstasim caloris. At ecstasim in qua vegetans anima suspendatur, non nisi diuinitus posse accidere iam supra demonstratum est. Tertius modus, si humidum sua mole superet calorem. at sic non durat vita, sed aduenit per suffocationem interitus, qualem furcifero tibi laqueus parabit.

CASTIGATIO IV.

De calido & humido.

§. 1. *Calorem naturalem & humidum radicale, esse duas substantias.*

MVlta hic supponenda sunt, alibi pertractata. Calorem innatum, & humidum radicale duas substantias appellant medici, non támen ignorantes calorem esse qualitatem, sed cum addunt innatum aut naturalem, substantiam significare profitentur. Nec verò hęc acceptio caloris pro substantia abhorret à doctrina Aristotelica: quippe magnus Philosophus, *calor*, inquit, *inest in semine omnium, qui facit vt fecunda sint semina, & hic non ignis, sed spiritus, qui in semine spirituosoq; corpore continetur, & natura, quæ in eo spiritu est, proportione respondens elemento stellarũ.* De humido consule Albertum Magnum, qui tibi ait, humidum corporis animalis esse corpus fluidum, liquidum, in quod in primis, per digestionem secundam cibus nutriens conuertitur. Ex aduerso medicos agnoscere calorem vt qualitatem, accipe à Galeno aduersus Lycum, cuius hæc sunt verba. *Re-*

2. gener. anim. c. 3

de anima. lib. lib. 3. tract. 2. c. 3.

c. 6.

 ctè

ctè dicemus quod intẽsiore caliditate est, etiam si in minore substantia reperiatur: & iterum. *connatus autem calor ab efficacissima, quæ in eo est qualitate innatum calidum appellatum fuit*, & infra. *nam vt duæ sunt in vniuersa rerum natura, quæ per halitum facillimè digerantur qualitates, caliditas, & humiditas; sic è diuerso quæ perdurent duæ siccitas, & frigiditas, quod nihil videri mirum debet: siquidem puerorum ob humiditatem & caliditatem facilè difflantur corpora; senum verò non facile, vt qui frigiditate, & siccitate coagmentatam substantiam obtineant*. Perperam igitur constituis discrimen inter medicos & philosophos, cum omnes simul consentiant. Quamuis autem qui propriè loqui vellet, calorem diceret qualitatem, calidum substantiam, & sic humiditatem & humidum: nihilominus reperio authores omnes hanc proprietatem contemnentes, nunc caloris nunc calidi nomine pro vna & eadem re vti.

Neq; verò apud medicos, humidi per se mentio fit, nisi quando expresè aliquam caloris actionem volunt proponere; quippe tunc calidum agere in humidum dicitur: si vero actionis non fiat mentio, tunc calidum & humidum confunduntur, vnde Galenus calorem naturalem humidum esse dixit, planè vtramq; substantiam in vnam coalescentem significans. Deniq; in aphorismis caloris nomine, & qualitatem & substãtiam intelligi vult; quippe ait, Hippocratem dicentem eos qui crescunt plurimum habere calidum innatum ad substantiam respexisse, quod si caloris nomine, non intelligeretur etiam alibi qualitas, non erat cur nos doceret eum ad substantiam non ad qualitatem respexisse.

2. de nat. hum. com 13. 1. aph. 14.

Insurgit tamen hic non leuis difficultas: nam sicut aër calidus & humidus est, neq; in eo calidum agit in humidum, sic calor naturalis qui calidus & humidus à Galeno statuitur, nullam in se caloris in humidum actionem continebit. Cui respondeo in elementis duas qualitates quibus vnumquodq; eorum præditum est non agere in se inuicem beneficio formæ, cuius est totum compositum conseruare, v. g. in igne non agit calor in siccitatem, neq; in aqua frigiditas in humiditatem, & sic de reliquis: forma enim vniuscuiusq; elemẽti destinatas sibi habet qualitates. Quod sic probo: forma v. g. terræ, prout forma terræ est, dat terræ, esse siccam in summo & frigidam prope summum, quod si harum qualitatum proportio transmutetur, & ab intrinseco alias sibi qualitates ascilcat, iam terra trãsmutabitur in aliud elementum. dixi ab intrinseco, quoniam elementa redduntur impura per trãsmutationem qualitatum ab extrinseco: Vt si terra ob pluuiam fiat humida, non desinit esse terra, quia humiditas ei aduenit ab extrinseco, desinit tamen esse pura terra. Hæc ergo est ratio, cur naturâ inditum est vnicuiq; elemento vt contineat in se duas qualitates, quarum neutra pugnet cum altera.

At vero substantia calidi innati componitur ex calido & humido, ita tamen vt calidum semper agat in humidum: cuius rei ratio est, quoniam in elemento sunt duæ qualitates in vna substantia, & ideo dicuntur esse simplices substantiæ, cum ergo non accidens, sed substantia agat, cum rursus nihil agat in se ipsum, fit vt inter duas illas qualitates non detur actio. calor vero innatus, & humidum radicale sunt duæ substantiæ, & possunt inuicem agere, prout diuersis qualitatibus sunt præditæ; istæ; autem duæ substantię, vnica duntaxat quantitate vestiuntur: inest igitur calor per modum formæ, & humidum per modum materiæ, atq; ita efficiunt vnum compositum. sed tu dubitas, quæ nam istarum fuit prius sine altera, neq; vides nũquam seorsim extitisse, quemadmodum nunquam extitit materia sine forma. Vrgere tamen potes formam, & materiam esse duas substantias incompletas, calidum vero & humidum duo completa. Vrgere desine: nam duæ substantiæ non sunt incompatibiles, quoniam sunt completæ, sed quia diuersas habent quantitates: quippe ratione quantitatis duo

corpora

corpora non possunt naturaliter sese inuicem penetrare. Quod autem duę substantiæ completæ non se impediant, si carent quantitate, ostenditur, tum quia (vt dictum est) incompossibilitas, ex parte quantitatis prouenit, tum quia, substantia sine quantitate, est substantia incorporea, ac proinde substantiæ spiritualis vicem gerit: substantiæ autem spirituales possūt quamplurimę esse simul: constat hoc ex cacodæmonum legionibus, quæ erant intra dæmoniacum, e quo Christus Dominus erat eijciens diabolum, vt habetur in Euangelio Matthei.

§.2. *Vtrum humidum sit pabulum caloris.*

COgit me tua procacitas, in re manifesta, diutius quàm oportet immorari. Nihil magis commune est apud omnes tum veteres tum neotericos, quā humidum esse pabulum caloris: tu hoc negas: vt vt sit, reclamantibus præcipuis scientiæ naturalis proceribus hoc facis. Primam aciem ducat mihi omniū bonorum pater Hippocrates, qui sic ait. *ob hanc sanè causam, igni quidem, vbi ad extremitatem aquæ peruenerit, deficit alimentum: auertitur igitur eò vnde nutriri potest.* peruenire ad extremitatem aquæ (sic explicante doctissimo Ponze) est vbi ignis ad superandam vltimam aquæ portionem accedat. Addit deinde Hippocrates *aqua vero vbi ad extremitatem ignis peruenerit, deficit motus.* hoc est quemadmodum aqua ad vltimam portionem accedens, ignem perducit ad vltimum exterminium, sic ignis ad vltimā portionem accedens, efficiet, vt motus deficiat. Atq; duos modos nobis insinuat quibus ignis extinguitur. primus per resolutionem, quando scilicet aqua ad vltimam portionem peruenerit, hoc est quando alimentum iam iam defecturum sit; alter per suffocationem, quando alimentum redundat superante scilicet aqua, & deducto igne ad vltimum exterminium.

in lib. de diæta.

Si vero quis roget, cur ignis hoc est calor naturalis, quando materia est in vltimo exterminio, eam non auget? nō ne caloris naturalis est materiam suam præparare, augere? ita sane. verum ignis in vltimo exterminio, hoc est in summa debilitate nō potest vitales operationes edere: ideo adiūgit Hippocrates. *Sistitur itaq; in hac, cum vero steterit non amplius potes est, sed illabente igne ad alimentum cōsumitur, & propterea neutrū penitus superare potest.* Nota verbum illud *sistitur* quasi dicat, non amplius vitaliter operatur, quia *non amplius potens est.* quare cęco impetu ignis delabitur in alimentum: quippe licet nō agit vitaliter propter suam exiguitatem, & sic non præparat materiam; at saltem retinet naturam ignis & illabitur ad alimentum, hoc est illud absumit, quod prius præparabat.

Hæc arcana doctrina diuini Senis te cōfundere debuisset. persistis ne adhuc? vade ergo ad Galenum, is tibi dicet calorem naturalem alimento nutriri velut ignis nutritur congerie lignorum, & iterum alibi calorem animalium, indigere ait, & simul desiderare copiosam humiditatem. Sed tu velles vt expresse diceret humidum esse pabulum caloris. In aphorismis vt probet decrepitos non posse longam inediam tolerare, paucis tamen egere cibis, vtitur exemplo sumpto à lucerna, quod exemplum alibi ex professo pertractat.

6. epid. sect 5. cō 32.
3. de caus puls. c. 10
1. aph. 12
de vtilitat. resp.
Arist. de longit. & breuit. vitæ c. 3.
de resp. c. 3. & sect 3. probl. 5.
2. meteor c. 2.

Sed iam ad Aristotelem accedamus, qui comparans flammam cum naturali calore, alimentum flammæ commemorat, & illud comparat alimento caloris: alibi etiam eandem repetit sententiam, & similiter in problemmate. quære alia loca apud eundem: neq; enim tibi deerunt. Sed tu contemptis ijs, in quibus Aristoteles inquit ignem nutriri nutritione scilicet impropria, vni te addicis in quo Aristoteles negat ignī nutritionem, nempe propriam: quod autem propriam nutritionem neget apparet ex ratione, quam adhibet, quia scilicet flamma non eadem existens permanet vllo tempore: ac si dixisset flammæ plures partes sunt, plura indiuidua, ac proinde non nutritur propria nutritione, quia

vnaquæq; pars denuò generatur ; non sic in viuentibus, quorum propria est nutritio, & vnicuiq; parti per nutritionem acquisitæ acquiritur forma totius.

Nihilominus inter omnia quæ impropriè nutriuntur, hoc est inter omnia non viuentia, ignis magis omnium propriè nutritur. hoc nos docet Aristoteles, rationem huius rei adiungens: quia, *ignis quàm reliqua magis formalis est*. quid appeller magis formale in Commentarijs de alimento tibi declaraui.

Sed videtur humidum non posse esse pabulum caloris: cum enim dictum sit calidum, & humidum esse duas substantias simul vnitas, non daretur distantia inter agens, & patiens; ac proinde actio esset quasi eiusdem in se ipsum. Respondeo tamen, calidum non agere in humidum eiusdem partis; ita vt illud corrumpat: quia forma in eadem parte materiæ non potest habere contrarias dispositiones, ita vt per illas conseruetur, & corrumpatur.

Plura alia possem adducere, quę tuũ captum excedunt, verum ad Albertum Magnum te remitto, qui caloris viuifici animalis humidum ait esse subiectum, & pabulum, quod quidem duplex est; primum seminale, quod ex tribus humoribus constituitur, nempe seminis maris, & fæminæ, & sanguinis menstrui; alterum nutrimentale, & hoc adhuc duplex: vnum plenè assimilatum, aliud non plenè assimilatum, quod tamen in membris & ad menbra tractum est, quod restauratiuum & augmentatiuum est humidi radicalis.

de morte & vita tract. 2. c. 6.

§. 3. *Quid sit humidum radicale.*

QVemadmodum sunt aliqui qui multiplicantes caloris species, alium inquiunt esse calorem elementalem, alium naturalem, celestem alium; sic etiam humidum in varias species diuidunt, nimirum in elementale, & alimentale, & primigenium: hoc primigenium est quod radicale appellatur. Hanc appellationem damnat, tamquam barbaram, Fernelius grammatica magis, quam philosophica censura. Mihi neq; caloris neq; humidi species multiplicare placet, non tamen nego aliquas eis aduenire conditiones, quæ diuersitatem aliquam dummodo specifica non sit, constituant. Itaq; omnis calor procedit ab elemento ignis; omne humidum ab elemento aëris. Sed de calore alibi datur occasio, de humido nunc agamus.

Porrò humidum in viuente acquirens viuentis proprietates, fit pars viuentis; & in semine implantatum, toto vitæ tẽpore viuentis in corpore iugi quadã successione, vt aqua in fluuio, permanens, vocatur primigenium; quia primo nobiscum est genitum: dici solet substantificum, vtpote quod complemento substantiæ nostræ inseruit: Fernelius vitale, & salutare ob eandem causam vocat; quod multi etiam noncupant viuificum: humidum etiam radicale, quasi à prima radice nobis inditum.

Sed quoniam humidũ istud cõtinuos patitur effluxus, refici postulat ab humido alimentali, quod scilicet ab alimentis spagyrica quadam naturæ industria extrahitur: non tamen est à primigenio specie distans, sed perfectione duntaxat quo enim perfectius euadit, eo magis in primigenij naturam abit. Huius humidi alimentalis quatuor sunt gradus, per quos ad perfectionem primigenij accedit. Hi sunt, quatuor secundæ humiditates, quas Auicenna à Galeno videtur recepisse, vt considerat Valesius in controuersia huic rei dicata; prima in osculis venarum existens nomine caret; altera dicitur ros, tertia gluten, quarta cambium.

Tametsi autem humidi in nobis aliqua pars sit magis aquea, alia verò pinguior; nihilominus omne humidum prouenit ab elementis; sin minus cogemur qualitates primas multiplicare, quod est absurdum. Itaq; vna est humiditas varijs tamen vestita conditionibus. In hanc agit calor, videlicet in humidum alimentale & adhuc imperfectum, illud perficiendo; in primigenium autem illud absumendo; non quod calor

cogni-

cognitione ductus hoc humidum perficiat, illud depascatur; sed quoniam calor per se non agit neq; enim accidentium est agere: agit quidem substantia prout qualitate hoc est accidente imbuta: ergo substantia nostri corporis suo calore prędita agit; & actio agentium naturalium tota est in assimilando passum agenti. quare substantia nostri corporis beneficio caloris, humidum alimentale quod initio est dissimile, nititur simile reddere. Si verò hic sisteret neq; vlterius progrederetur, vtiq; corpus nostrum, vt Galenus ait, foret adamantinum. Verumtamen, cum calor necessariò & semper agat, necesse est, vt humidum substantificum, quod iam est pars corporis nostri, corripiat: similitudinem non potest ei imprimere, quippe iam est omnino simile, ac proinde natura non indiget amplius calore, vt perficiat alimentum: calor ergo tametsi naturalis, agit adhuc, est enim agens naturale & necessarium, sed agit vt elementale, attenuans substantiam, quæ plus nimio attenuata effluit; & hi sunt continui effluxus, qui alimenti necessitatem inducunt. Hoc tibi, exemplo à Galeno petito, demonstrabo. siccitas vsq; ad ętatem consistendi nobis vtilis est: quippe indurat membra, & ea animalibus functionibus efficit aptiora. Si in hac consistendi ętate siccitas non vlteriùs progrederetur, sed noua (vt Galeni phrasi vtar) fieret reelementatio, corpus nunquam senesceret: at quia hoc impossibile est, oportet vt siccitas, quæ hactenus vtilis fuerat, reddatur perniciosa. Eodem modo, in nostro instituto, calor agit in alimentale humidum vtiliter, nempe illud perficiens: cum iam non habeat quid perfici postulet, agit perniciosè in humidum substantificum, illud nempe absumens. Hæc non tibi cuius stomachus ad optimæ doctrinæ odorem nauseat, sed viris doctis scripta esse volo

§. 4. *An calor, & humiditas duo sint contraria.*

Contrarium calori esse frigus quis negabit? vnum vni esse contrarium si tu negas, cum Aristotele pugnã suscipito. nam hoc axiôma ab eo est depromptum: At non omnino negas, sed cum distinctione recipiendũ ducis, aisq; vnum vni esse contrarium secundum formam, non secundum materiam. hæc distinctio est ad quam confugiunt indocti sed illam à te, quasi ab vno illorum, recipio: sed dic priùs mihi quid appellas secundum formam, quid secundum materiam? tu te ipsum declaras, adiungens, vnam & eandem rem, vbi secundum duas rationes consideratur, duo habere contraria: si hoc ita est, inter formale, & materiale differentia est rationis, non autem realis. Hoc te didicisse ais cum esses philosophię tyro, ita mihi videtur: sed tu ò veterane cur errores in tyrocinio commissos, in senili ætate non corrigis? 5 metaph

Da ergo mihi contraria, quæ materialiter non habeant vnum sed plura sibi contrariantia. das auaritiam, quę duo habet contraria, prodigalitatem, & liberalitatem: das vnum quodq; vitium, cui opponitur virtus; & vitium aliud extremum: das mediocritatem, cui opponitur extremũ vnum superius, alterum inferius. Hæc tu contraria exhibes. num contraria propriè? (nam de his loquimur, quando absolutè loquimur) at contraria propriè sub eodem genere maximè distant: non possunt maxime distare hæc, siquidem sunt media respectu alterutrius extremi: iam ergo non mihi dedisti contraria quæ expostulauit Aristoteles quando dixit, vnum vni esse contrarium.

Perge vlteriùs: tu admittis vnum vni esse contrarium secundum formam, non autem secũdum materiam: ita ne? prorsus ita. affers auaritiam, cui duo contraria tribuis: hæc debent esse contraria secundum materiam, at ego & auaritiæ & liberalitatis, & prodigalitatis vnam & eandem

eandem materiam esse agnosco, nempe diuitias, modum tamen vtendi ijsdem diuersum. affers rursus vitium cui aliud vitium extremum, & virtus opponitur: hęc ne duplex oppositio tibi materialis est, non formalis? tandem mediocritatem respicis versus duo extrema, hæc etiam oppositio tibi materialis est; audiant hoc metaphysici, & quam bene Aristoteles sit à te explicatus iudicent.

lib. 5. c. 8. Aristotelem ais in in ethicis dixisse extrema medijs contraria esse; sunt quidem contraria eo modo quo esse possunt, nempe impropriè, siquidem propriorum definitio eis non congruit. & in anteprædicamentis dixit, malo aliquando malum contrarium esse, aliquando bonum: hoc etiam improprijs contrarijs conuenit, nec sibi est contrarius Aristoteles, qui in metaphysicis profitetur, vnum vni esse contrarium, & seipsum declarat hoc accipiens, contraria nempe ea quæ extrema sunt. Præterea tu colores qui sunt inter album & nigrũ medios colores appellas, rectè quidem, sed contrarios esse ais nigro, aut albo. si contraria sunt extrema, quomodo ea quæ media sunt, contraria esse possunt? Tu inquis hos medios colores contrariorum rationem habere cum nigro in genere coloris absolutè, habent ne rationem contrariorum in genere? at contraria in genere conueniunt, & sub genere maxime distant: quomodo poteris hæc simul in concordiam ducere? digna ne est hæc loquutio philosopho veterano, vt cum dicendum foret duo sub genere inuicem contraria esse, dicas in genere esse contraria?

Accedamus ad calidum, & humidum, quæ duo iam ferè resipiscens admittis non esse contraria, sed parum duras in tua resipiscentia, quippe ais *calidum, vt calidum contrarium non est humido, at calidum vt actiuum, humido vt passiuo formaliter ac propriè contrarium, & verè contrarium est*. Hoc te docuisse, adiungis Aristotelem, asserentem actiua, & passiua simpliciter esse inter se cõtraria. Vide quid dicas, Aristoteles enim, & rarò decipi, & nunquam decipere solet. Philosophus ne maximam distantiam inter agens, & patiens requirit, hoc est, requirit veram & propriam contrarietatem? immo admittit similitudinẽ, dummodo in aliqua minima re sit contrarietas, in minima autem re non est contrarietas propria. Neq; vero est, cur ab instituto diuertamus. tu dicis perpetuum esse omnibus contrarijs, vt transmutentur in se inuicem; dummodo viribus nõ coæquentur: ergo si viribus coæquentur vel non sunt contraria; vel dabuntur cõtraria, quæ in se inuicẽ non transmutantur. Deinde tu contraria; definiens contrarius es Aristoteli. siquidem Aristoteles contraria definit, inquiens contrária esse quæ se mutuo expellunt; tu vero contraria inquis esse, quæ in se mutuo transmutantur. Tandem si passiuum, & actiuum sunt verè & propriè contraria, si rursus contraria in se mutuò transmutantur, si præterea calor agit in humidum transmutando, debet calor repati ab humido, & sic agente calore in humidum, calor euadet humidior. quare tuo sanè insano iudicio humidum à calido non exsiccabitur.

§. 5. *An calor & humidum ita se habeant, vt ad motum vnius moueatur alterum.*

QVando dixi calidum, & humidum duas substãtias simul vnitas adeo esse, vt ad motum vnius moueatur altera, non intellexi vtramq; vnũ & eundem sequi motum, sed quoniam vna mota, altera non quiescit: sic ad motum Lunæ mouetur mare, & conchylia: sic ad motum Solis mouentur anni tempora: sic deniq; duo colluctatores inter se coniuncti mouentur simul, tametsi motibus diuersis. itaq; ne quærito identitatem similitudinemue motus, sed simultaneam vtriusq; mutationem. Luna mari & conchylijs, Sol aëri immediatione virtutis coniunguntur. Hæc veritas non tibi arridet: sed quænam vnquam tibi arrisit veritas? ais itaq; calidum auolare posse ad æthera quo propensum est, ad eius motum humido non

ascen-

ascendente, & hoc exemplo putas veram doctrinam debellasse. Age vero, & quod verbis pollicitus es, re nobis præstato: fac vt auolet calidum ad æthera, humido non ascendente. eia, quid stas? auolauit ne à te cerebrum? Dic vlterius, ascendere ne vis calorem, qui qualitas est, an substantia? de qualitate non loquimur, & quamuis loqueremur, qualitas non transit de subiecto in subiectũ: ascendat ergo substantia, hanc humidã simul esse testantur effluxus qui continuò per insensilem transpirationem à nobis exeunt. si vero dicas effluxus febrientium esse siccos, non hoc tibi concedam, nisi comparatiuè hoc est comparatione facta ad sanorum effluxus.

Tu vero non vis fumi exemplum ab effluxu nostri corporis, cum tamen propri jssimum sit, quandoquidem de calore naturali proprio viuentium nobis est sermo. Amplecteris potius exemplum quod tibi lucerna suppeditat, sed non ad lucernam elaboratum: nam tu lucernam affers cuius flãmula, sæpe sursum procul ab ellychnio extollitur remanẽte liquore in lucerna si eam ponamus ardentem in maiore flamma etiam toto consumpto humore. Hic omitto quod ais flammulam attoli procul, hoc non curabo, sicut nec etiam an oleum remaneat, an non remaneat. Sed non ne vides flammam secum tulisse humidum in quo sustentabatur, reliquisse verò illud quod erat futurum pabulũ? Hoc autem dupliciter probo.

Primò, quia oleum, quod remanet in lucerna nondum fuerat apprehensum à flamma, ergo nondum erat substantia humida calido vnita. Deindę quia flamma, ex Aristotele, est fumus ardens, fumus autem (ex eodem ibidem) est ex aëre, & terra, ergo est humidi particeps, immò (ex eodem in meteôris) flamma propter continuũ humidum, & siccum, quæ permutantur, fit; iam ergo flamma secum fert humidum, hoc addiscito ab Alberto Magno dicente. humidum triplex esse in lampade, vnum quidem, quod continet flamma cum ellychnio, & hoc est, quod est quasi ignis materia, & subiectum ex ellychnio eductum in ignem per calorem ignis: secundum est quod iam ellychnio est imbibitum, & quod iam igni sufficienter præparatum est; tertium est, quod ellychnio in tota lampadis capacitate trãsfusum est, quod calor nec calefacit, nec attraxit in ellychnium.

2. ortu, & inter. tex. 28. 2. meteor c. 2.

lib. de morte & vita tract. 2. c. 6.

Addis præterea calidum à frigido extingui posse illæso humido, vt accidit animalibus frigidioribus quibusdam hyeme latentibus, quod notauit Galenus. At tu Galeni authoritate abuteris: quippe ille, animalibns natura frigidioribus calorem innatum à frigore hyberno superariait, adeò vt quędam simillima mortuis iaceant; alia prorsus moriantur; comparatq; hæc animalia homini, qui aqua frigida lauatur, siquidem si debile corpus habeat, frigescit, atq; offenditur; si verò robustum, primùm quidem calor innatus ad interiora refugit, ibiq; se ipsum colligit, postea vero ad exteriora remeat multo quam antea fortior. Num Galenus dixit hoc fieri illæso humido? reponatur isthæc tua fabula inter solemnia mendacia: vt hæc etiam opinio, qua putas calidum innatũ, quod refugit ad interna, & remeat ad externa, esse substantiam calidi, prorsus humido spoliatam. Non ne iam sæpius audiuisti, calidi innati substantiam constare ex calido & humido, appellari verò calidum innatum ab efficaciore, quæ in eo est qualitate?

1. aph. 15.

Persistis adhuc, Hippocratemq; in auxilium vocas, sed Hippocrate non minus quam Galeno abuteris. Nihil in aphorismo à te citato reperitur, quod ad rem hanc faciat. Concessi tamen tibi immò supposui, calorem abijsse, quid ergo remanet nisi morticinum? Ridicula res est: cum morticinum dixi grammaticam induis togam, & discrimẽ constituis inter mortuum & interfectum, & morticinum dici autumas cadauer viuentis sponte sua mortui, non ab externa violentia. Gratianus comicus non magis nec melius saperet quam tu. discedat calor, remanebit morticinum, tu velles ut dicerem remanere cadauer, & in hoc

1. aph. 3.

hoc magnā vim facis, at ego vim facio in discessu caloris ex quo id quod remanet si non vis vt sit morticinum, sit ergo mortuum.

Irrides me, qui, dum agimus de æquilibrio caloris, postulem vt calor moueat secum humidum; & non intelligis inter duo ęqualiter agentia dari motum scilicet tonicum: vade ad tuos colluctatores, quos pari virtute præditos attulisti pro exemplo, nunquid non mouentur? quid ergo agunt? respondebis esse ociosos: otium ne sudorem mouet, & vires frangit? Sed pergo vlterius, non ne in æquilibrio caloris & humidi, potest moueri calidum, & ferre secum humidum sibi æquale? immò maximè: & quia æqualia sunt, neutrum vincet, sed vtrumq; pari motu ciebitur. dum ergo mouentur, motu humidum exsiccabitur, & peribit ęquilibrium.

Videant omnes quam fugam quęsieris: nempe me superius de motu locali loquutum fuisse, nunc loqui de motu alterationis. Ego ne superius de motu locali loquutus sum? si mentiri cupis testes remoue. qui nam sunt testes? tu ipse. nonne mihi optionem dedisti vtrum loqui vellem de motu alterationis, an de motu locali, & vtrumq; tuis sophismatibus impugnasti? quid modo vis me astringere ad motum localem, si ex tuis dictis constat me non id declarasse?

Sed vtar mea solita liberalitate: estò, superius de motu locali loquutus sum, fateor; at nunc nō de motu alterationis, sed de motu locali etiam loquor. Sed tu exsiccationem ais esse motū ad qualitatem non ad locum, ac proinde esse alterationis motum. Nonne sæpius audisti nos cum loquimur de calido & humido, intelligere substantiā non qualitatem? cum ergo dicimus humidum exsiccabitur, perinde est ac si dicamus humida substantia deperdetur. est ne motus ad substantiam motus alterationis? si hoc asseris, tui te irrideant pueri. esse autem humidi exsiccationē deperditionē substantię addiscito ex Aristotele dicente *humidum nullum mutatur sine succo*. & (*4. meteor. sum. 1. c. 4. tex. 21*) alibi *humidum nec vllum est sine corpore, sed necesse est esse aquam, vel habere aquam*. Deperdita igitur vna humidi parte, jam ex æquilibrio calidi & humidi, conuertetur in quandam imparitatem. (*2. de anima sum. 4 c. 7. tex. 113.*)

Probas meæ positionis impossibilitatem, quia calidum cōsumens humidum, debet viribus prævalere patienti humido, & qua ratione calidum æquale consumere potest vnam portionem humidi, eadem ratione negari nequit ab humido parem calidi particulam suffocari, atq; extingui valere; adeòq; semper conseruari æqualitatem: quemadmodum in duobus colluctatoribus ęqualiter fortibus, quorum vterq; pariter debilitatur. Patienter tecum me geram, vt & scientia & patientia mihi ad eliciendam veritatem inseruiat. sint quatuor calidi gradus, quatuor item humidi; licet ergo sint pares, nihilominus quia caliditas est magis actiua, vnus gradus caloris superabit vnum humiditatis; ita ne? ita sanè. at ne pereat æquilibrium, ais tu, vnus alter gradus humidi suffocabit vnum gradum calidi, & sic remanebit paritas, seu æquilibrium. Sed dic mihi, dum erant pares gradus calidi, atq; humidi, humidum non suffocabat calidum, & tamen postquam calidum superauit & mansit superius, suffocabitur ab humido: quis hoc tolerabit? ego sanè, qui initio patientiæ me addixi.

§. 6. *Responsio ad quatuor argumenta.*

PRoponis mihi quatuor argumenta sine acumine, sed valde obtusa. primò arguis, quod nos agimus de æquilibrio, quod ego destruere satago, & propono hominem calidi temperamenti, quod ab ęquilibrio procul abest, deberē potius dicere temperamenti calidi, & humidi: quippe hæ duæ qualitates prædominantur; & à prædominante fit denominatio ex Aristotele. Verū ne quęso in his, quæ inutilia sunt, hæreas: denominatio semper fit ab eo, quod præstantius est, calor autem suā habet pręstantiam, propter quam etiam si non solus

lus prædominetur, sufficit quod eius prædominium sit simul cum alio, vt solus tribuat denominationem. millies tibi hoc repetij ex Galeno aduersus Lycum.

Alterum: si homo delectatur exercitijs, ais tu, iam ab ijs exsiccatur, ac proinde nō ab interno principio. hic magnas excitas turbas, quod ego videar exercitia inter causas internas reponere. Quis nostrûm errauit, num ego qui exercitium inter causas internas reposuisse tibi videor, non tamen repono: an tu qui non intelligens, quomodo causæ externæ in nos agant, me iniustè cauillaris? Accede propius, addisces. causæ externæ, quas etiam procatarcticas appellant medici, sunt causæ remotæ, & hæ non tollunt causas proximas, immo externæ internas gignunt. Ne recedamus ab exercitio: *si impurgatus laboraueris*, inquit Hippocrates, *vlcera erumpent*. hoc est si impurum habens corpus, te exercueris, ægrotabis (omnem morbum esse vlcus dixit Hippocrates) quomodo exercitium morbos excitauit, seu si mauis vlcera? profectò quia prauum humorem in corpore impuro existententem concitauit. quæ nam est remota causa vlcerum, siue ægritudinis? exercitium: quæ nam proxima? humor prauus concitatus. immò vero sapientissimus Hippocrates, has causas procatarcticas magis occasiones quam causas voluit appellari, inquens *occasiones vnde ægrotare cœperunt*: hæ ad cognitionem aliquid conferunt, ad curationem prorsus nihil in doctrina Galeni. iam ergo ab exercitijs exsiccari potuit corpus tam quam à causa remota, potius ab occasione, nihilominus à causa propria & vera fuit exsiccatum, nempe à calore per exercitia aucto. Euanuerunt itaq; duo priora argumenta. accede ad tertium melioribus auspicijs. Tertio inquis mihi dicenti hominem calido temperamento præditum exercitijs delectari, opponi Galenum dicentē. *sunt vero ex ijs, qui impensè calido temperamento sunt, qui exercitari non desiderant, sed abundè ijs satisfaciunt, inambulatio, balneum, & ex oleo mollis frictio*. Quid ergo vis colligere ex his Galeni verbis? nempe esse aliquos ex ijs, qui calido temperamento sunt præditi, quibus non placet exercitatio. Ego verò non istos accipio pro exemplo, sed alios quibus placet exercitatio, ecce cessat controuersia. Rursus quæris cum homo calido temperamento sit præditus, quid opus habet exercitio, vt vegetior eius calor reddatur? Tu mihi videris velle huius hominis agere pædagogum: at ille non est pædagogorum audiens dictis nonne apud Hippocratem ille qui calidus erat supercænauit, & incidit in febrem? nonne sunt multi, qui parum sanitati suæ consulunt? vnum ex his accipio, & an exercitio exsiccetur inquiro, cæterum tu calidis exercitium prorsus interdicito, ego moderatum concedam. Quarto tandem meam logicam irrides quia in meis præmissis ne verbū feci de celeri consumptione humidi ab interno principio, & sic male fabricaui conclusionem quæ statuit æqualitatem virium caloris & humoris destrui debere intra spatium temporis exiguum. ego ne argumentationem, syllogismumue vllum confeci? Præmisi motu humidum exsiccari, & deperdita vna illius parte inæqualitatem caloris & humoris remanere. Num pars vna humoris vt motu exsiccetur, indiget diuturnitate? quis hoc dixerit? ergo iam per se patet, inæqualitatem à principio interno intra exiguum spacium temporis deperdi. patere dixi, quia id quod præmiseram nemo negare potest. tu ne reperis hic formam syllogisticam, quam ego ne sōniaui quidem?

a. sanit. tuend. c. 33. p. 107.

§. 7. *Quod nam sit coniugium calidi innati cum humido radicali.*

INdissolubile esse dixi calidi cum humido coniugium, *quod non soluetur nisi quando per interitum, alterum eorum euanescat*. Tu insurgis, & quæris sic. *An non fieri potest, vt vterq; simul per interitum desinat esse?* Admitto fieri posse vt vtrumq; simul per interitum

desinat esse (vtrumq; dicere debueras qui lapsu grammaticali dixisti vterq;) sed hoc non destruit meam positionem; nam si coniugium non dissoluitur, nisi alterum eorum euanescat, multo magis dissolueretur, si vtrumq; euanescat: nam si de quo minus, multo melius de quo magis, debueras in meis verbis subintelligere *saltem* vt remaneret oratio sic *quod non soluetur nisi quando per interitum saltem alterum euanescat.*

Sed tu, postquam dixisti fieri posse, vt vtrumq; simul per interitum desinat esse, vlterius pergis & alterum alteri superesse impossibile reputas. Inconstantiam puerilem in tuis dictis praete fers. Sed ais ne? tu qui non patiebaris calidũ & humidum esse substantias duas vna quantitate vnitas, nunc vnam sine altera superstitem esse non posse autumas? cur ita? nempè *quia desinente calore naturali, qui est veluti forma humidi, desinit humidum.* Non ergo est forma, sed est veluti forma, ac proinde non omninò ei conuenient formæ proprietates: poterit ergo humidum sine calido esse. Deinde non ne tu concedis calorem extingui posse per soffocationem, quando scilicet humidum excedit debitam portionem? extinguatur ergo calor soffocatus: quis humidum dissipabit? Ais pręterea desinente humido, desinere calidum qui sine humido non consistit: cur non consistit calor sine humido? num quia ab eo nutritur? at hoc iam negasti: num quia humidum est materia, sine qua non existit forma? at tu dixisti esse velut materiam; ergo aliquantulum sine forma subsistet, alioquin erit vera materia. Tandem ais coniugium calidi & humidi non esse Europæum, in quo alter coniugum potest superstes manere sed Indorum, in quo vxor pereunte viro in ignem se pręcipitem dat. At tua comparatio vana est: nam apud Indos licet vxor in eodẽ rogo cum viro crementur, nihilominus moriente vxore vir manet superstes, elige nunc inter calidum & humidum quod nam vices gerat fœminæ: hoc non poterit sine altero remanere, aliud vero quod virum represen-tat, potest. Eruditus videri vis, & indoctus euadis.

Concessi tibi, vt eligeres quod nam istorum velles esse masculum, an fœminam, quia scilicet tu non vis mihi concedere calorem semper masculi vim obtinere, quod tamen mihi concessit Hippocrates, qui posse ait, semen masculum à fœmineo superari & tamen esse masculum, tu calorem tunc duntaxat masculum esse admittis, cum superior est. In hoc tuam solitam logicam ostendis; nempe calor tunc cum superior est viri vices gerit, & cum viri vices gerit superior est: & non vides calorem suapte natura agentia reliqua, actiuitate superare: licet autem aliquando superetur mole, nihilominus suam virilitatem non amittit; sicut in coitu semen masculinum etiam cum superatur, masculinum adhuc est. Hoc tu ignoras, adeo tamen superbus es, vt dicas coniugium istud dissolubile non esse, quia hoc ex tuis placitis elici nequit. ego de placitis Hippocratis, & Platonis scriptum à Galeno librum scio, de tuis placitis nihil adhuc scripserunt homines: deinde indissolubile dici non admittis; quippe omnia orta intereunt, at ego ea quę solo interitu dissoluuntur, indissolubilia esse putabam: id enim solubile appello, quod potest solutum adhuc permanere, indissolubile vero, id quod solutione perit. Tu somnium quoddam nobis narras, vnum hominem ex duobus masculis conficiens, quando scilicet calor vtrinq; æqualiter abundat; alterum ex duabus fœminis, quando calor vtrinq; est æqualiter inferior. Cæterum in tuo isto æquilibrio nolo amplius immorari, satis in commentarijs de alimento actũ est, satis etiam & valde doctè doctissimus Tortonensis Episcopus in suis symbolis vulgari sermone, sed sublimi stylo, tuam tibi exprobrauit vesaniam libet ad alia pergere.

te mouendi, quam describi debet.

§.8. *Quomodo calor competat viuenti.*

pag. 76. AIs in tuo libro de ortu animæ, calorem non competere viuenti quatenus viuens est, at hactenus putabant omnes, id competere alicui, quod eius definitionem ingreditur: quippe si ingreditur definitionem essentialem, competit essentialiter, sin minus saltem accidentaliter. at in definitione vitæ continetur calor: est enim Aristoteli vita permansio animæ cum calore. Sed tu ais viuens mistum remanere etiam post obitum, iocose sane viuens ais post obitum. dic ergo mihi, competere aliquid est conuenire soli, ac semper, non ne satis est quod conueniat omni? at calor omni viuenti conuenit, conuenit etiam non viuenti: at viuenti quatenus viuens est conuenit per actionem vitalem, quatenus mistum per elementalem: actio vero vitalis est quæ pabuli refectioni incumbit, elementalis quatenus eiusdem absumptionem molitur.

CASTIGATIO V.

Quomodo se habet calor ad motum.

§. *Vnic. An calor mobilitatem præstet, mobilitas calorem.*

PRonunciatum confeci, cuius duæ sunt partes: prima, *à calore prouenit mobilitas*. Hanc deducunt authores in controuersiam, eaq; nonnisi sub mille conditionibus accipiunt, quam tu simpliciter & absolute recipis, & nihil in meo tractatu est de quo non dubites, nisi hoc de quo iure posses dubitare. Cæterum si mecum conuenis nolo amplius te solicitare. Altera pars pronunciati est, *à mobilitate prouenit calor*: hoc communi consensu, experimentoq; confirmatum reijcis, sed cur? nempe quia mobilitas potentia est ad motum, nec potest producere effectũ actu existentem, hoc est calorem, citasq; Aristotelem, qui ait quoslibet effectus prouenire ab efficiente actu, non potentia. assentior Aristoteli, sed antequam tibi respondeo, te moneo vt meum pronunciatum intelligas, quod non intellexisti. ego dixi in prima eius parte *à calore prouenit mobilitas*. tu recipis quia *motus*, vt dici solet, *est causa caloris*, at ego mobilitatem dixi esse effectũ caloris, & iuxta tuam expositionem causæ in actu tribuo effectum in potentia, quod Aristoteles non negat, nam ille solum negat causam in potentia producere effectum in actu: quod vero causa in actu producat effectum in potentia non negauit, nec negare posset: nam generabile est quid in potentia productũ à generante actu. 3. phys. tex. 17.

Sed tu ais, mobilitas est quid in potẽtia, non potest gignere calorem qui actu existit. Sed vellem vt mihi (si philosophiam saltem è limine salutasti) probasses mobilitatem esse quid in potentia: dices te id probare dum per diuersa mobilitatis significata discurris, inquiens mobilitatis nomine duo posse intelligi, vnum est propẽsio ad motum absolutè; alterum est, propensio ad motum celere facilè subeundum. Primo modo posse nunc accipi negas: nã aqua, terra, glacies, grando, nix frigidissima, corpora sunt sine calore mobilia, ita quidem; & tu hinc poteris elicere hanc cõsequentiam, ergo non omnia mobilia, sunt mobilia à calore: concedo totum: ego enim dixi mobilitatem esse causam caloris, non dixi omnis caloris. tu, quæ tua est logica, propositionem indeterminatam ad vniuersalem affirmatiuã determinas. Nunquid si dixero, generosum vinum mittit falernus ager, non mittent aliæ regiones vinum generosum? sic etiam cum dicerem homo est cæcus, ostenderes falsitatem propositionis quia multa sunt animalia cæca præter hominem. heus tu ne logicè loquaris ante quam logicã addiscas, & scias propositionem vagam resolui in singularem, non in vniuersalem.

Secundo modo accepta mobilitate, pro facilitate ad celerem motum, hanc

etiam acceptionem improbas; propositis exéplis. *celũ inquis tu, præsertimq; primum mobile nuncupatum mobilissimum est rerum omnium, cum tamen immune sit prorsus ab omni calore.* Quis hic nõ ridebit, ! nos loquimur de mobilitatè vnicuique naturaliter indita, tu affers exemplum à mobili quod ab impellente angelo mouetur. Adhuc in ætate senili adeo puer es, vt ignores cælum non moueui à propria forma, ac proinde quamuis supponeres cælestia corpora esse niue geluque frigidiora, non idcircò probares ea esse impulsus incapapacia. Primi mobilis motum Aristoteles Deo immediatè tribuit, vt sentiunt grauissimi Authores. sed, quicquid sit de huius quæstionis veritate, certissimũ tamen est nec primum mobile, neq; aliud ex corporibus cælestibus moueri à propria forma quare ineptè exemplũ affers sumptum à motu celestium sphærarum. quæ impulsu mouetur, cũ nos quærimus an mobilitas præstetur à calore. Perge igitur accumula plura exempla, *Pulueres terræ* (iniquis tu) *atomiq; per aëra volantes, quin & venti, qui sunt exalationes frigidæ de terra sublatæ sine calore donantur summa mobilitate*: sed hæc nobis minutatim decantato. terræ puluerem, & atomos sine calore esse ais: vnde nam id probas? quid nisi calor hæc corpora tenuauit? Deinde ventos dicis esse exalationes frigidas de terra sublatas sine calore. Apprimè tenes doctrinam meteororum: exhalationes ne, & vapores eleuantur sine calore? valeat Aristoteles cum suis meteôris; habemus Aristotele doctiorem. Hic mundi ordinem variabit, & nobis ostendet quo modo sine calore possint exhalationes eleuari. Hactenus delirabant Aristotelici cum suo præceptore existimantes vapores quamuis ab aqua eleuatos, esse calidos & humidos, exhalationes è terra sublatas esse ignearum impressionum materiã. Vlteriùs, neruos proponis tẽperamẽto frigidos, & tamẽ mobilissimos: cur mobilissimos esse ais? nũ quia mouẽdi facultas per eos fertur? At nerui nec mouẽtur, nec moueri possũt, nec facultate mouendi, quam deferunt, vtuntur, nec per eos membra motum immediatè accipiunt, sed per musculos. Oculos habes, & non vides. non ne in oculo sunt nerui sensui inseruientes, videlicet optici: sunt & nerui, quibus musculi inseruntur facientes ad motum. Vbi nam reperisti neruos tuos istos mobilissimos? Tandem (quod felix, faustumq; sit) medicum agis, & ichores nobis proponis, quos dicis esse frigidos, & mobiles; non est cur hic tecum disputem de ichorum natura: disputa cum Galeno, qui tibi ait, quemlibet quatuor humorum suum habere ichorem, & hoc Platoni acceptũ refers, addisq; *Different autem inter se secundum eorum scilicet humorum naturas quorum serum esse dicetur.* Sed quando tibi concederem (quod nequaquam concedi debet) ichorem esse frigidum; vnde nam colliges exquisitam ichoris mobilitatem: certe ichor vnusquisq; cũ suo humore est simul, neq; magis quam humor mouetur. Vide ne ichores cum dixeris, spiritus dicere volueris, quos Hippocrates impetum facientes appellauit: hi quidem mobilissimi sunt, sed simul ignei, nec potes negare spirituum mobilitatem prouenire à calore. 6. epid. sect. 2. cõ 38.

Nõ cessas garrire, sed à motu locali ad motũ alterationis te conuertis, inquiens aërem igne minus calidum esse, & tamẽ multo alterabiliorem. Si adhuc in motu locali persisteres, igni maiorem quam aëri mobilitatem concederes. Sed ignẽ in sinu seruasti ne moueretur localiter, & solum alterationis motum sensisti, sentiesq; adeo vt combustus maneas. Quid ergo ais? num aërem esse alterabiliorem igne? At ego tibi axiõma propono nempe *propter quod vnumquodq; tale, & illud magis.* Et antequam quæram, an aër sit igne alterabilior: quæro an aër sit valde alterabilis: & inuenio esse alterabilem valde. Vnde nam illi hæc alterabilitas? nempe propter ignem, cuius est particeps: num propter ignem est alterabilis aër? ergo & ignis est magis alterabilis. Dubitas ne, & in dubium reuocare vis, vt dem tibi ignem magis alterabilem quam sit aër? ego à te quæram

vt des mihi ignem alterationis capacem, dabo tibi eundem alterabilitate omnia superãtem. An nescis alterari esse quoddam pati? adhuc ignoras ignem semper agentis vices obtinere? sed dices ignem pati, cum extinguitur; hoc tibi ostendit maximam ignis alterabilitatem: nam aqua, & reliqua quæ alterantur, possunt in via subsistere, & sic antequam detur aqua summè calida, datur tãtum tepida: at ignis cũ incipit vinci non sistit, sed ad extremum accedit, & sic nunquam reperies ignem, nisi aut adhuc non alteratum aut iam in extremo alterationis constitutum. Quid ergo argumentum conficis ad probandam alterandi facilitatem, in eo quod alterationis est incapax? Tu te infeliciter implicas: inquis enim: *ignis calidissimus omnium, vt est maximè alteratiuus ob summam sui actiuitatem ita minimè alterabilis*. Est ergo, te iudice maximè alteratiuus, idest maximè actiuus; & eodem iure minimè alterabilis, seu minimè passiuus. perperam ergo ignem in exemplum assumpsisti eorum, quæ alterationum capacia sunt. Et ecce tua exempla euanuerunt.

CASTIGATIO VI.

De hominis anima.

§. 1. *Quomodo anima hominis in se contineat sensitiuum gradum, & vegetabilem.*

OPtimo sanè consilio librum de ortu animæ humanæ edidisti; eum suffuratus es (vt perhibetur) à Pendasio hero tuo. Si ergo contra huius opusculi placita argumentari vellem, cum Pendasio optimo philosopho litem suscipere viderer. Cæterum in promptu est excusatio: nam dum scripta heri furtim transcripsisti, aliquid tu de tuo addidisti, hoc autem quid aliud fuit, quam totam perdere opellã: errores ergo qui ibi satis magni apparẽt tui sunt, cætera Pendasij.

pag. 4. Ais ergo animam hominis, gradus animæ, rationalem, sensualem, vegetabilemq; formaliter in se continere, quo nil magis absurdum potest excogitari; sed quod peius est, rem admodum seriã quasi ludibrio accipis, & paulo infra animam intellectiuam, ais, vel formaliter, vel præstantiorum formarum modo eminenter in se continere animas inferiores, vegetabilem, nempe, & sensitiuam. Heus tu, veritas vna est, nec te tua ambiguitas erroris immunem faciet: formaliter in anima diuersos gradus contineri ais; hanc ego falsitatem impugnandam suscipio. Sed video te discrimen constituere inter animam humanam, & animam rationalem: ideirco anima humana vis contineri tres gradus, vegetabilem scilicet, sensitiuum, rationalem; quando autem animam rationalem dicis, contemplaris solummodo eam partem animæ, quæ rationalis, siue intellectiua est. Fatuam proponis doctrinam, & quandam distinctionem talem, vt eam potius confusionem possimus appellare. Accipe animam rationalem à parte rei, hæc ne vnquam sine sensitiua, & vegetabili reperitur? si ergo anima rationalis à parte rei habet vt simul sit sensitiua, & vegetabilis; quorsum eam separas ab anima humana?

Constitue mihi animam rationalem à parte rei, neq; per intellectum aliquid abstrahas, neq; eam per inadæquatos conceptus multipliciter concipias, neq; distinctionibus diuidas, sed habeat quantum suapte natura habere potest. Nonne hæc est forma hominis? immò maximè? nam forma est quæ dat esse: at hominis esse consistit in rationalitate: ergo si est forma hominis, erit principium omnium operationum eiusdem: quis dubitat? erit ergo principium sentiendi, & vegetandi, ac proinde cum hæc omnia reperiantur in anima rationali, stultum est diuidere animam rationalem ab anima humana.

Obijcies forsan, animam rationalem esse principium formale nõ effectiuum: sed hæc obiectio non est obolo æstimanda: quippe eadem est ratio animæ in vno aut in alio genere causæ cõsideratæ: hinc

hinc est quod licet causa formalis causet informando, potest Deus supplere concursum eius, efficiendo. Deinde anima per idem est principium radicale operationum, per quod est principium formaliter constituens operantem: si igitur anima rationalis per se ipsa constituit formaliter operantē, per se ipsa est principium radicale operationum. Nec mihi dicas animam rationalē cōsiderari vt rationalis est, abstrahendo à reliquis operationibus, quas habet per quas dicitur anima humana. Hanc responsionem non tolerat pactum à principio celebratum, nempe non habere hic locum inæquales diuisionum conceptus, & operationes nostræ mentis.

Præterea non aliter distinguuntur isti gradus, quam in ordine ad operationes, sed si in ordine ad illas non est necessaria ista distinctio (siquidem ex natura rei operationes sunt in anima vt in suo radicali principio) neq; similiter in ratione informandi erit talis distinctio necessaria. Est ergo anima rationalis vnum eminens, & quasi vniuersale principiū tantum; neq; oportet in ea fingere varias entitates, per quas anima rationalis mutet appellationem, & vocetur anima humana: sin autem vis in anima fingere has entitates, finge eas in omni genere agētium respectu diuersorum effectuū, vt in Sole respectu indurationis luti & liquefactionis ceræ. Et ignis respectu attenuationis, rarefactionis, calefactionis, combustionis, & sic multiplicabis stultè, hoc est, tuo modo, entitates. Tandem considera ea quæ in inferioribus distincta sunt, in superiore principio esse vnita, & in illo superiore eminenter inferiora contineri, quare non exiguo errore dixisti, in anima esse formaliter gradus, quos rectè dixisses esse eminenter.

§. 2. *De indiuisibilitate animæ.*

HYdram secare libet: errores tui ex vno plures pullulant: non deerit aliquando Philoctetes quispiam, qui admoto igne totum comburat monstrum. Nunc verò, quando vegetatiuum, sensitiuum, rationale formaliter in anima existere dixisti, dic quæso, in bruto inest ne formaliter sensitiuum, & vegetabile? ita sanè: iam ergo das in vno composito duas formas substātiales, hoc est, duas animas; Pari ratione in homine dantur tres formæ, nempe vegetabilis, sensitiua, rationalis. Hoc sit primum absurdum. Nec effugies si dicas esse plures gradus vnius formæ, non plures formas inter se distinctas: nam ego quæram à te, quid appelles nomine graduum? sunt ne entitates reales realiter inter se distinctæ? at cum formaliter insint, formaliter distinguuntur, ergo per suas formas: quare cum gradus appellasti, in formas incidisti. Si verò gradus isti non sunt entitates, sed quædam entia rationis, per quæ res accipit intensionem, vt in qualitate, aut extensionem, vt in quantitate, sanè sola ratione differunt inter se: quomodo ergo vis inter res distinctas ratione, dari proprietates realiter distinctas? quod ita esse demonstro, (& erit alterum tuum absurdum) Sensitiuum & intellectiuum differunt sola ratione, & tamen intellectiuum est immortale indiuisibile, sensitiuum mortale & diuisibile: hæ autem passiones sunt à parte rei, nec indigent mentis ope.

Itaq; animam humanam dicis esse compositum quoddam ex vegetali sensitiuo & rationali, ergo in anima humana includitur anima rationalis: turpis ergo est diuisio, in qua vnum membrum diuidens includitur in alio, & ecce tertiū absurdum. Dices tamen animam separatam esse animam rationalem, animam corpori coniunctam, esse animam humanam, sed non ne separata, & coniuncta est eadem numero? ita sanè. sed tu ais separam continere duntaxat rationale, coniunctam verò, rationale, & irrationale, & secundum rationale esse mentem immortalem indiuisibilem, secundum irrationale esse formam diuisibilem, &c. Hæc doctrina in philosophia morali rectè fluit, & D. Paulus agnouit in se legem membrorum, hoc est partem irrationalem, contrariam legi mentis,

tis, hoc est parti rationali. Sed videamus quantum possit in physica auscultatione.

Anima est forma corporis: vel ergo informat prout est rationalis, vel prout est irrationalis, vel prout est vtrumq; simul. Si prout est rationalis, cum quicquid dat esse det operari, operationes omnes erunt ab anima rationali, nec est cur irrationalem ei adiūgamus: Si prout est irrationalis; cum ex anima irrationali informante, & materia informata fiat vnum compositum physicum; iam non erit cur materia appetat animam rationalem; neq; cur anima rationalis, materiæ adiungatur, immò cum suapte natura immaterialis sit, nulla vi ad corpus trahi poterit. Si tandem informat prout est vtrumq; simul, nempe rationale, & irrationale; duo sequentur absurda; vnum est, animam rationalem fieri perfectiorem addito sibi imperfecto: nam irrationale imperfectum est, animam verò esse formam perfectio. alterum absurdum, quia cum effectus sequatur deteriorem partem suæ causæ, compositū emergens ex rationali, & irrationali, erit irrationale.

Sed nolo te ad plura deducere absurda: solum cum formas ab operationibus dignoscamus, sitq; hominis proprium intelligere, & ratiocinari, quis negabit animam etiam quoad gradum, ex quo huiusmodi fluunt operationes esse propriam hominis formam? quis etiam negabit animam intellectiuam, quæ in hoc vitæ statu non operatur nisi conuertens se ad phantasmata, habere ordinem ad corpus? hic autem ordo supponit naturalem quēdam nexum inter vtrumque, nec potest esse alius quam formæ cum materia.

Turpiter ergo ais intellectiuam animam non esse formam totius naturę humanæ, quod non solum est contra veram philosophiam, sed contra fidem: Audi verba sacri cōcilij Viēnēsis. *Quisquis deinceps asserere seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis seu intellectiua non sit forma corporis humani per se & essentialiter, tamquam hæreticus sit censendus.* (*de trinit. §. 2.*)

Hoc statuto, scilicet animam rationalem, etiam quoad gradum rationalitatis esse veram hominis formam, reuoca in memoriam animam vegetatiuam esse formaliter in plantis, in brutis verò formaliter sensitiuam, eminenter autem vegetatiuam: hoc autem nihil aliud est, nisi animam illam vegetabilem quæ erat forma plantæ, iam in brutis non esse formam, sed gradum quendam, dignitatemue (vt sic dicam) eminenter existentem in bruto. Cæterum tam vegetabilis plantarum anima, quam sensitiua brutorum, materiales quidem sunt, licet incorporeæ (nā licet omne spirituale sit incorporeum, non omne incorporeum est spirituale) sunt, inquam, materiales quia educuntur de potentia materię, atq; proinde possunt extendi: ad extensionem sequitur posse diuidi non per se (nam hoc est proprium quantitatis, qua carent) sed per aliud, ratione scilicet materiæ cui inhærent, & cuius participant conditiones, propter quas dicuntur materiales.

Anima rationalis, quam tu fateris esse velut punctum indiuisibile (sed perperam nam punctus refertur ad situm, anima ad virtutem seu potentiam) continet in se eminenter gradus inferiores, nempè sensitiuum, & vegetatiuum; hi autem gradus cum non sint formæ, nec insint formaliter, sed tantum eminenter, non efficiunt, vt anima rationalis, quæ est vti punctum, suam amittat indiuisibilitatem. Remanet ergo anima rationalis cū suis gradibus inferioribus indiuisibilis veluti prius, & est tota in corpore, & tota in qualibet corporis parte, estq; in corpore non circunscriptiuè, sed definitiuè, neq; enim est velut in loco, vt eius partes, corporis partibus correspondeant. Neq; necesse est eos gradus, qui non nisi eminenter insunt, præstare animæ diuisibilitatem, ita vt eadem prorsus concepta vt rationalis sit indiuisibilis; concepta, vt habens gradus inferiores sit diuisibilis: iam supra dictum est animam hoc vel illo modo conceptam, differre à se ipsa sola ratione, diuisibile autem

autem, & indiuisibile inesse à parte rei.

Si errores omnes, quotquot in illa cacographia de ortu animæ scriptis mādasti percurrere vellem, processus fieret in infinitum: non possum tamen non te reprehendere, quod mordicus defendas plures animas posse dari in vno cōposito quia ex vna tamquam ente in potentia, & ex alia tamquam ex ente in actu, vnū ens vnaq; forma resultat. Quid stultius dici potuit? forma ne quæ est actus componitur ex ente in actu, & ente in potentia? forma ne est quidpiam compositū? num in isto cōposito id quod est in potentia potest edere operationes? at operationes animæ vegetatiuę, quam tu dicis esse in potentia, actu eduntur: apage cum tuis istis nænijs, & si sapere vis, addisce à doctioribus, qui te docebunt animam rationalem esse formam informantem, & hanc ita esse totam in toto, vt simul sit tota in qualibet parte: nam si non esset tota in qualibet parte, esset pars eius in aliqua parte, & sic esset diuisibilis. Docebunt te item non omnes formas esse diuisibiles. quippe diuisibilitas est attributum quātitatis; formę autem, saltem animalium perfectorum non sunt quantę. Quod si brachium amputetur, forma quæ illic erat, nec restringitur nec perit: quia si desineret pars illa quæ brachium informabat, iam haberet partes integrales; si restringeretur occuparet minorem locum; at illa nō est in corpore vt in loco circumscribente. Tu dicis mentem esse quasi punctum indiuisibile: at punctum suam habet vbicationem: vbi nam vis esse istud vbi? nēpe in cerebro: in toto ne, an in parte eius indiuisibili? non intelligis spirituale esse indiuisibile alia ratione ac punctum: nā punctum est indiuisibile quia est vltima exiguitas, nec habet aliam minorem in quam diuidatur. at substantia separata est indiuisibilis, quia quantumuis per impossibile diuideretur, semper maneret indiuisa, hoc est tota in qualibet parte. sed quid plura? vbi est anima rationalis, ibi est mens: quoties tu illi membrum assignas, iam facis eam potentiam organicam, quæ indiget membro in quo fungatur suo munere. Sed dices; num mens est in calcaneo? & ego quæram, num oculus sit in calcaneo? cur ergo in cerebro mentem collocamus? quia nempe ibi sunt potentiæ rectrices, menti inseruientes.

§. 3. *An anima rationalis à Deo creetur, & corpori infundatur, an à virtute seminali oriatur.*

MAlè sentis, & loqueris, dum ais sectam, quam plurimi sequuntur illam esse, quæ censet essentiam animæ humanæ totam à superis indi fœtui in vtero degenti. A superis ne? at sic superorum appellatione Angelos etiam comprehendes, cumq; animæ per creationem producantur, concedes Angelis potentiam creandi. hoc autem falsum esse, & theologi tibi demonstrant, & ego suo loco subiungam. Si vero (vt par est) nulla creatura creat, cur solum Deum Optimum Maximum superos esse dicis? arridet ne tibi gentilium Deorum multitudo non solum inanis, sed etiam turpis?

Deinde, cum eorum qui rectè, & theologicè sentiunt, sectam esse velis, ignorare videris, quid nomine sectæ accipiēdum sit. Secta, si nescis, vel sumitur à sectando: & tunc quando partes inter se diuersa sectātes significare volumus, sectæ vocabulo vtimur: vel à secando; & sic nomine sectæ dicimus diuisos in diuersas opiniones. Vt cumq; tamen accipiatur, semper sumitur in malam partem: cum ergo hæc opinio habeat communem Sanctorum Patrum consensum, erroneum est tuum pronunciatum.

Porrò, produci animam per creationem, perinde est, ac si dicamus eam à Deo produci: quare vt probemus produci animam à Deo, sufficit probare eam per creationem produci. Hoc autem probari multipliciter posset, sed vnā vel alteram rationem attingam, vbi plures non desunt. Anima ergo vel generatur per se, vel per accidens, vel creatur ex nihilo. non generatur per se, quia

non

non constat ex materia, & forma, nec generatur per accidens, hoc est ad generationem alterius, nam cum sit forma corporis, oriretur ad generationem eius ex virtute seminali; reliquum ergo est vt fiat per creationem. Ampliùs, si anima non producitur per creationem, producitur per generationem à generante, generans est agens corporeum, cumq; anima sit quidpiam spirituale, agés ageret vltra suum genus, quod est absurdum. Sed ne in hoc immoremur, satis est errorem hunc esse valde damnatum (hæresim vocat D. Thomas) vtpote qui animæ immortalitati palam officit.

1. p. q. 118. art. 2. cōtra gen c. 86. D. Aug. de hæres.

Non possum hic tenere risum cum audio duas Aristotelis sententias ita à te explicatas, vt si per impossibile verum foret eam fuisse Philosophi mentem, nō Philosophus esset, sed bos. Prima est, cum dicat Aristoteles *Sol & homo generant hominem*. Solis nomine Deum intelligi. in primis da mihi alibi Deum ab Aristotele Solis nomine fuisse appellatū. Deinde si ita intelligimus, vel Deus concurrit suo concursu vniuersali, & sic poterimus similiter dicere, Sol & homo generant bouem, Sol & homo generant paleas, & quicquid aliud volueris. quare nihil speciale dixit, nec oportebat hanc generalitatem dicere. Si verò Deus concurrit peculiari concursu, cum peculiaris concursus sit miraculosus, vnaquæq; hominis generatio vnum esset miraculum. Altera stultitia est, cum Aristoteles dicat oportere Mundum hunc supernis lationibus esse continuum, vt inde omnis eius virtus gubernetur; supernas lationes ais esse Deū; sed dic quæso, quorsum Aristoteles ad actionem Dei in hæc in inferiora cōtinuitatem cælestium lationum cum his inferioribus inquisiuit? nunquid non potest Deus agere nisi per continua? Caue sis, ne dum pius esse vis in impietatem incidas. An nescis Deo omnia esse connexa siue inter se continua sint, siue disiuncta? Non ne Aristoteles in illo opere agit de meteôris, quæ à supernis lationibus pendent, & gubernantur, vnde Astrologi, pluuias, & ventos, & reliqua huiusmodi solent prædicere? & non ne Deus propter immensitatem suam, est etiam in vacuo? quorsum ergo ais oportuisse mundum hunc inferiorem Deo esse continuum? quasi vero citra hanc continuitatem, virtus Diuina nequeat ad nos transmitti.

Reuertor ad pensum, & te iterum moneo, vt agnoscas aliud esse admittere plures animas, aliud plures gradus vnius animæ: illas non nisi in diuersis subiectis reperies, hos in singulis. Viuit fœtus ab humano semine in vtero materno plantatus: viuit, inquam vita plantæ, hoc est habet animā vegetabilem: quippe embryon statim ac coagulatum est, materno sanguine nutritur, augetur; neq; per primos illos dies aliquod sensus, motusue arbitrarij specimen præbet. deinde tempore destinato, obscuro quodam motu incipit moueri, signum aduenientis animæ sensitiuæ, cuius aduentu vegetatiua recessit, mansitq; vegetatiuus gradus, hoc est vegetatiua, quæ formaliter inerat, eminenter inest: pergit vlteriùs, & suo tempore recedit sensitiua ad aduentum rationalis; hæc autem rationalis excludit sensitiuam, quæ non amplius inest formaliter, sed tam sensitiua, quam vegetatiua eminenter sub rationali continentur. Hunc progressum demonstrat D. Thomas quorumdam animalium exemplo, quę ex putri materia oriuntur: in horū enim generatione primum quidpiam imperfectum, deinde aliquid melioris notę emergit. Quod si hoc imperfectis animalibus contingit, quid ni fiat in alijs, quę perfectiora sunt?

Rogabis forsan, quis occidit animam vegetatiuam, quando aduenit sensitiua? quis sensitiuam ad præsentiam rationalis? Conimbricenses aiunt, cum prima sit via ad secundam, secunda ad tertiam; priores ambas recipere initio tales dispositiones cum quibus non nisi certo spatio perseuerent, cedantq; principi formæ, cui præeundo, istiusmodi veluti satellitio famulantur. Potius videtur dicendum, embryon magis ac magis elaborari, & hac maiore elaboratione recipere dispositiones aptas ad reci-

recipiendam nobiliorem formam, ad cuius introductionem prior absorbetur propter incompossibilitatem. Sed quis eas facit incompossibiles? nempe inconueniens pluralitatis formarum? neque enim informante vna posset alia informare. esse autem incompossibiles plures simul formas in eodem subiecto alibi te docebo.

pag. 100 Sed non præteribo id quod ais, conceptum in primo quadragenario habentem vtramq; animam, nempe vegetalem & sensitiuam specie differre ab omni planta, & ab omni brutorum genere: & licet careat intellectu, tunc etiam quadamtenus hominem vocari posse; immò esse hominem incompletum, ita vt possit dici, homo hominem generat. Hęc abs te dicta ab omni recta philosophia abhorrere palam fit omnibus, qui vident meras nugas his verbis cotineri. Dic ergo, dabis ne vegetabile quod nõ sit planta, sensitiuum quod non sit animal saltem ex brutorum ordine, quid ergo sunt? nempe, ais tu, sunt homo quadamtenus, seu homo incompletus: das ergo hominem ante quam accedat rationale: erit ne eiusdem speciei cum alijs hominibus? at alij homines distinguuntur specie à brutis per rationale, hic tuus homo non habet per quod differat. Deinde hominem esse ais incompletũ; quid incõpleti nomine significas? num minus hominẽ quam alios? at homo est substãtia, & substãtia nõ suscipit magis nec minus. Tandem si (vt tu dicis) homo hominẽ generat, quicũq; hominem sic genitum, & nondum rationali anima præditum occiderit, homicida erit, ita ne? at si sic existimas, scito te sacrorum canonum decretis aduersari, disponentibus non committi homicidium ab eo qui fœtum in vtero occidit ante infusionem animæ, videlicet rationalis, quod nondum dici possit natum esse hominem. caue ne præceps ruas.

c. sicuti 32. quest c. 2.

§. 4. *In quo conueniant, in quo rursus dissideant Angelus, & anima separata.*

PAululum eleuemus à corporeo inquinamento animam, eamq; in statu separationis à corpore consideremus: quod, vt melius peragatur, comparatio instituenda est inter ipsam, & Angelum. Nam in hac comparatione multa similia, multa rursus dissimilia reperiemus.

In primis, si ante oculos proponimus punctum, in quo productus fuit Angelus, reperiemus eum cum primum creatur, statim in actu primo & completo operandi constitui; si verò conuertimur ad animam, statim ac separatur, per species sibi inditas, & per propriam mouendi potentiam ad operandum expeditur. Itaq; id quod accidit Angelo cum creatur, accidit animæ cum separatur.

Secundo anima, non minus quàm Angelus, sortita est eleuationem operatam supra materiæ conditionem, & à corpore independentem; & hinc colligitur eam non dependere à materia, quo ad suum esse: quippe vt vnumquodq; operatur ita est. Hinc autem tu colligis animam rationalem & animam humanam differre inter se: anima namq; humana sine corpore nõ operatur. Vellem vt adiungeres quænam sit isthæc differentia: certe realis non est; etenim anima quæ in hac vita peccauit eadem est ac illa quæ separata punitur: non est formalis: siquidem non sunt diuersæ formæ; hoc tu negas, aisq; animam humanam esse compositam; rationalem vero simplicem; cæterùm si humana anima est composita, non est forma; nam compositum constat ex materia, & forma, vnde illa forma ex alia constaret, & alia ex alia, & sic daretur processus in infinitum. Deinde tu ais formam seu animam humanam constare ex rationali, & irrationali; sed rationale & irrationale sunt sibi inuicem contraria, constabit ergo ex contrarijs: contraria autem

in eo-

in eodem subiecto existere nequeunt nisi in gradibus remissis; formæ autem substantiales, substantiæ cum sint, non intenduntur nec remittuntur. Tandem conficis argumentum ad probandam animæ humanæ compositionem in hũc modum: simplicis essentiæ, simplex est potentia, simplex & actio; at verò animi nostri potentia, actioq; multiplex apparet; ergo & anima nostra multiplicem habet essentiam non simplicem. Addis præterea nullam, præter primam, simplicem omninò essentiam reperiri posse, & sic terminos & mutas & confundis. dic quæso quis nam hic loquitur de omnimoda simplicitate, quæ actui purissimo, id est, Deo duntaxat conuenit? non ne agnoscis te psallere extra chorum? volo te reducere intra cancellos: esto nihil sit simplex nisi prima essentia; at in hoc sensu etiam anima rationalis non est simplex; ergo in hoc sensu est composita; ergo in hoc sensu non differt ab anima humana. ergo si anima humana differt quia composita, oportet simplicitatem in alio sensu accipere. iam ergo nihil valet tuum istud argumentum, quod asinitatem sapit. Sed quando velis animam istam humanam componi ex rationali & irrationali, cur adiungis partem animæ humanæ esse mortalem & corruptioni obnoxiam? num putas animam secundum hanc partem non esse formã? si nõ est forma quid aliud est? si est forma, formas nec generari, nec corrumpi docet te communis Philosophorum magister. Sed en quo me inuitum trahit tua isthæc diuisio in animam humanam, & animam rationalem.

pag. 181

8. metaphys. tex 14.

Tertiò commune est animæ, & Angelo non esse in loco nisi æquiuocè ad corpus, vt ait D. Thomas: corpus enim est in loco per hoc quod applicatur loco secundum contactum dimensiuæ quantitatis, quæ nec in Angelo, nec in anima separata est, sed est in eis quantitas virtualis. Per applicationem igitur virtutis ad aliquem locum dicuntur esse in loco. Nam substantia incorporea, sua virtute contingens rem corpoream continet ipsam, & non continetur ab ea. si ergo anima est in corpore vt continens non vt contenta (quod communi consensu patet) multo magis separata a corpore erit in loco vt continens & in hoc similis est Angelicæ naturæ.

p. 1. q. 52 art. 1.

Quartò, quemadmodum Angelus, ita & anima non potest esse simul in pluribus locis: sunt enim virtutis finitæ, quę non se extendit ad omnia, sicut se extendit Deus, qui est infinitæ virtutis, ac propterea omnia amplexus sui immensitate pertingit: quare non solũm est in pluribus locis, sed vbiq; Itaq; Deus, causa nempe vniuersalis in toto vniuerso operatur, creatura finitam virtutem possidens, ad vnum determinatum tantummodo extenditur. An vero diuina virtute possit hoc fieri, vt scilicet vnus Angelus, vnaue anima sit simul in pluribus locis, non caret difficultate. De Angelis quidem videtur non posse fieri: nam si posset, Angeli assistentes, essent simul ministrantes, cum tamen D. Thomas partem negatiuam tueatur. De anima etiam videtur negandum, quippè Clazomenius, & alij de quibus supra, cum de ecstasi loqueremur, egimus (licet narretur eorum animas pernagasse quia multa procul facta referebant: & tamen corpus non deseruisse, nam alioquin corpus fuisset cadauer & reditus ad illud fuisset resurrectio.) nihilominus vel inter fabulosa commenta recensentur, vel non deferente corpus anima, potuerunt ad illam rerum idola è longinquo deferri, modo quodam supra naturam: & sic proprietate quadam indiuiduali lipothymizabant, & priuilegio peculiari in lipothymia instruebantur. Cæterum hoc verissimum est, contradictione inuolui eum, qui dixerit vnam animam, vnumue Angelum posse simul esse in pluribus locis: quod sic probo. tametsi substantijs spiritualibus non conueniat esse in loco, vt conuenit corporibus, nempe circumscriptiuè, prout commensurantur loco, conuenit eis esse definitiuè, hoc est ita esse in vno loco, vt non sint in alio. tunc sic: anima ita est in hoc loco, vt non sit in alio; ergo esse in

art. 2.

q 212.

hoc, & simul in alio inuoluit contradictionem: quicquid autem contradictionem inuoluit, non subiacet diuinæ potentiæ, Deus autem nec circumscriptiuè, nec definitiuè est, quare est vbiq; Si quis est autem dicat: anima in corpore tota in qualibet parte, quare est in diuersis locis simul: quod si hoc conuenit ei dum est in corpore, longè melius conueniet in statu separationis. respondeo esse totam in qualibet parte & totam in toto, nempe totam in toto per modum informantis, totam in qualibet parte per applicationem virtutis.

Quinto. Nec duo Angeli in eodem loco, nec duæ animæ in eodem corpore dari possunt: nam tam Angelus quàm anima dicuntur esse in loco (vt iam diximus) per hoc quod immediatè contingunt locum, per modum continentis perfecti. plures autem impellentes nauim non ita se habent vt vnusquisq; sit perfectus motor, sed ex omnibus fit vnus motor perfectus. Opponet tamen aliquis, hominem à cacodæmone correptum, in quo datur anima, & dæmon simul: sed respondetur animam & dæmonem non comparari ad corpus secundũ vnam, & eandem habitudinem causæ: quippe anima est causa formalis, non autem dæmon, & est responsio sumpta à D. Thoma. *q. 53. ar. 1. ad 3.*

Sexto conueniunt in motu. Hæc conuenientia elicitur ex D. Thoma, qui sic ait: *eiusdem rationis est Angelum beatum moueri; & animam beatam moueri; sed necesse est dicere animam beatam localiter moueri, cum sit articulus fidei, quod Christus secundum animam descendit ad inferos, ergo Angelus beatus mouetur localiter.* *q. 53. ar. 1. in corpore.* Addere tamen oportet sicut diximus de loco, nempe tam Angelum, quàm animam esse in loco æquiuocè, sic esse dicendum de motu. Porrò quemadmodum nõ sunt in loco nisi per contactum, ita non mouentur nisi per diuersos contactus successiuè, & non simul, absq; eo quod commensurentur ad locum. Sed quæret aliquis, an isti contactus sint continui? respondetur posse in his continuitatem quandam inueniri: quia nihil prohibet assignare Angelo, & animæ, locum diuisibilem per contactum suæ virtutis, sicut corpori assignatur per contactum suæ magnitudinis. Sicut ergo corpus successiuè, & non simul dimittit locum in quo prius erat, & sic motus eius est continuus; sic potest totum locum simul dimittere, & toti alteri simul applicari, & sic motus non erit continuus.

Septimo, anima, & Angelus nunquam prorsus ab intelligendi actione cessant, sed in aliquam semper cognitionem incumbunt. Quæstio est valde controuersa, quam videre quis poterit, tùm apud theologos, tum etiam apud Conimbricenses. *in tract. de anim. separ. disput. 4 art. 1.* Mihi affirmatiua pars magis arridet: quoniam tam Angeli, quàm anima vitam sui ordinis habent: viuentia corporea si cessent ab omni prorsus operatione, emortua censentur, (quod tu negas, existimans posse dari ferias altricis animæ) ergo viuentia spiritualia si cessent ab omni operatione, emortua erunt: at emortua esse nequeunt, ergo nec ab omni operatione cessare. Deinde anima, & Angelus se agnoscunt, & in cognitione sui, maximam percipiunt delectationem, vtpote circa obiectum nobilissimum, atq; pulcherrimum: sicut ergo dolor vehemens perenniter afficit patientem, sic vehemens delectatio, ac proinde perenni sui ipsius intuitu tam anima, quàm Angelus fruetur. Tandem licet à cognitione sui possent aliquando diuerti, non tamen ab omni prorsus operatione intellectus cessare queunt: quippe cessatio hæc, dum anima est in corpore, nunquam, nec etiam per somnum contingit; demus autem contingere dormientibus, id accidit, quia animal, sensuum qui per organa corporea agunt actione defatigatur, ac proinde postulat ad refectionem otium. Sed anima extra corporea organa tantum abest vt agendo defatigetur, quin potius perficitur; quod si hoc in anima est verum, multo magis in Angelo, vtpote qui magis quàm anima est actuosus. Nec vero theologica consideratio ab hac doctrina abhorret: nam

tam

tam anima quam Angelus, vel sunt in numero beatorum vel damnatorum: beatis concedere otium, esset detrahere de beatitudine; damnatis, à supplicio cessatio vlla non datur. ergo iugis est actio intellectiuæ substantiæ. Nec est cur aliquis dicat; si substantiæ separatæ non possent non exercere intellectiuam potentiam, essent agentia necessaria, non libera; quod multum nobilitati earum derogaret: ex altera parte nobilitas earum vltra debitum augeretur, essentq; æquales Deo, nempe infinitę perfectionis, & immensæ capacitatis, siquidem non determinatè, sed potius agerent indeterminatè: nemo, inquam, ita obijciat, nam facilem habebit responsionem.

Quod attinet ad libertatem, quamuis agens quod agit necessariò, seu ex necessitate naturæ, semper agat; non tamen ex opposito, quicquid semper agit, agit ex necessitate naturæ: nam Deus semper agit, & tamen non agit ex necessitate naturæ, sed liberè. Differentia inter agens necessariũ, & agens liberum non consistit in eo quod agens necessarium semper agat, agens vero liberum, modo agat, modo non agat. Sed consistit in hoc, quod agens necessarium semper agit ad vltimum potētię, agens vero liberum potest se ad libitum cohibere, aut dilatare; e. g. respiratio fit ab agente libero, hoc est, à facultate animali; quamuis autem semper fiat (quippè necessaria est ad vitam) nihilominus possumus eam ad libitum intēdere & remittere. At vero pulsatio arteriarum, quæ fit à facultate non libera, nempè à vitali, quæ ad vegetabilem reduci potest, necessariò operatur, & operatur quantum potest, nisi ab aliquo impedimento cohibeatur. Itaq; Angelus & anima agunt liberè contemplando, quoniam ad diuersa obiecta diuerti possunt.

Quod attinet ad infinitam perfectionem, & immensam capacitatem, quam Angelus, & anima videntur habere, si semper agant. nullum est inconueniens aliquid esse infinitè perfectum, & immensè capax syncathegorematicè, hoc est, habere perfectionis gradus non tot, quin plures. Sed dicet aliquis, hinc sequeretur Angelos omnes esse æquales: respondeo esse quidem æquales in genere substantiæ spiritualis, habere tamē alios alijs plures gradus perfectionis & capacitatis, sicut plures homines in natura humana sunt æquales, nihilominus puer, adolescens, & senex, differunt in gradibus perfectionis, & capacitatis. Adhuc tamen est, quod obijci possit. Nimirum, si omnes Angeli possunt syncathegorematicè acquirere in infinitum gradus perfectionis, omnes habent parem capacitatem: quippè infinito nihil est maius. Respondeo ratione generis (vt dictum est) omnes esse pares, siue sint eiusdem speciei, siue (cum D. Thoma) diuersæ. Omnes itaq; sunt administratorij spiritus ratione angelicæ conditionis, ratione vero ordinis, sunt diuersæ capacitatis, ita vt conueniat naturæ angelicæ perfici in infinitum, ita tamen, vt vnicuiq; ordini sua perfectio cōueniat, quod probari solet exemplo filiorum, quorum aliqui sunt maiores, alij minores, vnusquisq; tamen habet vestes proportione pares, licet magnitudine diuersas. Verum de hac conuenientia satis, accedamus ad aliam.

Octauo. tam anima, quam Angelus sunt immortales. Quid de immortalitate animę senserit Aristoteles in dubiũ vertunt authores: melior tamen pars tenet eum existimasse animam esse immortalem, & instar omnium mihi sit Theophrastus, qui diù Aristotelem in Lycęo deambulātem audiuit, vnde credibile est pręceptorem de re tanti momenti interogasse, testaturq; eius mentem fuisse, mentem esse immortalem. Sed quicquid decreuerit Aristoteles, fides certè immortalitatem animę decreuit: & præter fidem, idem ostendit humana ratio: potest namq; naturali lumine immortalitas animę cognosci. Multos in hac demonstrāda excelluisse scio, sed inter omnes primum locum tenet Marsilius Ficinus, quem philosophię delicias iure possumus appellare: supersedendum

ſedendum igitur eſt ab hac prouincia, & duntaxat ſupponendum tamquam receptiſſimum, tam Angelos, quam animam per creationem fuiſſe productos, hoc eſt productionem ex nihilo habuiſſe: ergo finire nequeunt, niſi per reductionem in nihilum: quemadmodum enim quod genitum eſt, per corruptionem definit, ita quod ex nihilo diuina poteſtate eſt factum, eadem imperante in nihilum reduci poteſt, nec aliter deſerere ſuum eſſe. Si quis autem dicat à nobis ſuperiùs in viuentium ordine fuiſſe collocatos Angelos, & animam: quicquid ergo viuit vitam habet, ergo per priuationem vitæ, eſt morti obnoxium; Reſpondemus ſubſtantias ſpirituales eſſe quidem viuentes, cæterum ſui generis, ac proinde illis competere ſui generis mortem. Solus enim Deus ita eſt immortalis, vt nullo pacto queat aboleri, creaturæ immortales ſunt ſuapte natura, ſed creatori obnoxiæ à quo eſſe acceperunt, & poterunt rurſus reduci in non eſſe. Sed poterit ne diuina poteſtate fieri, vt anima, aut Angelus non per reductionem in nihilum, ſed per corruptionem ſubſtantiæ intereat? Reſpondeo negatiuè, nam quicquid contradictionem ſecum neceſſariò inuehit extra diuinæ potentiæ amplexum remanet; ſed eſſe ſpiritum, & eſſe corruptioni obnoxium, eſt mera contradictio; quippe corruptio eſt paſſio corporea, & ſubinde ſupponit corpus, in quo fiat: eſſe corporeum, & non eſſe corporeum ſunt contradictoria: non eſt corporeum id quod eſt merè ſpirituale, vt anima ſeparata, & Angelus; eſt corporeum id quod corruptionem pati poteſt. hæc duo tamquam incompoſſibilia effugiunt diuinę poteſtatis vim. Tu autem, qui animam humanam compoſitam eſſe dicis, & ex parte mortalem; da mihi vnum totum compoſitum ex duobus entibus toto genere diuerſis, hoc eſt ex mortali, & immortali; quod nam eſt iſtud totum? num phyſicum? at totum phyſicum conſtat ex materia, & forma; in hoc compoſito ex mortali, & immortali, quæ nam eſt forma? quæ nam materia? num totum integrale? at ex mortali, & immortali, quid poterit vnum reſultare? tu dicis reſultare vnum, quod partim ſit mortale, partim immortale: at hoc ita erat prius, antequam ex duobus vnum coaleſceret: oportet ergo, vt ſit vnum, miſtam naturam habens ex mortali, & immortali, quemadmodum ex calido & frigido fit tepidum.

Nono, tam in Angelo, quam in anima datur liberum arbitrium, ineſſe autem liberum arbitrium Angelis probat D. Thomas: ineſſe animæ ſeparatæ non 1.p.q.59
eſt negandum: quippe liberum arbitriũ art. 3.
ineſt homini per animam, quare illud anima ſecum defert quãdo eſt ſeparata: neq; enim libertas voluntatis eſt ex ijs quæ per organa corporea exercentur.

Decimo, tã Angelus quã anima ſeparata cognoſcunt ſingularia. Verũ quidẽ eſt ſingularia percipi ſenſu. Verum itidem eſt animam ſeparatam, non magis ſenſuum miniſterio vti, quam Angelus: attamen vtraq; natura ſpecies à Deo accipit per quas & vniuerſalia, & ſingularia cognoſcit: nam ſcientia rei eſt cauſa rerum, vt docet D. Thomas: cum 1.p.q.14
igitur Deus cognoſcat vniuerſalia & par art. 8.
ticularia, producit ſpecies quas infundit in Angelum & animam, repreſentantes vniuerſalia & particularia. Si quis autem dicat, quemadmodum ſenſus non poteſt eleuari ad cognitionem vniuerſalium, ſic nec intellectus, deprimi ad cognitionem ſingularium, reſpondeo ſenſum non eſſe capacem præciſionis, quæ neceſſaria eſt, vt fiat vniuerſale: nempe præſcindendo à particularibus; cum igitur præciſio ſit opus intellectus; implicat fieri vniuerſale à ſenſu, quippe fieret à ſenſu vt ſupponitur, & non fieret à ſẽſu, quoniã fieret per operationem intellectus, at vero intellectus poteſt deprimi ad particularia, quatenus quicquid poteſt inferius, poteſt etiam ſuperius. Sed poteſt adhuc dici ſpecies particularium eſſe obiectum ſenſus: quia ſunt materiales; ſi autem abſtrahantur à materia, abſtractionem iſtam non poſſe fieri niſi prius percipiantur nõ abſtractę; reſpondeo, quod hoc minus eſt intel-

lectus

lectus agentis, dum est in corpore, at extra corpus non potest fieri. nam species quæ à Deo sunt, representant singularia, vt in Deo sunt: nempe spiritualizata. Si queras à quo determinentur ad hic, & nunc; respondeo determinari à Deo, ac proinde hominum preces vt audiantur à Sanctis, vel ab Angelis, prius à Deo audiri, qui permittit eas audiri à superis. sed possunt ne determinari ab habitudine aut affectu aliquo? Conimbricenses concedunt, quippe anima diuitis terminabatur ad fratres in mundo commorantes propter affectum, in ipsos: cæterum quamuis verum sit, posse inter spiritualia, & corporalia sympathiam aliquam esse. vt de ruta & alijs quæ demones fugant, circumferri solet. Hoc autem licet admittam, nihilominus bene dispositæ voluntatis ordo postulat vt ita Deo datori specierũ sit subiecta, vt nonnisi illo permittente ijs vtatur. Adhuc tamen vrgebis cacodæmones qui non bene dispositam voluntatem habent, singularia etiam percipere; Respõdeo cacodæmones etiam non posse diuinum imperium subterfugere, nec cognoscere aliquid plusquam eis à Deo permissum sit quod si cacodęmon obstitit Michaëli. id quoq; permittente diuino Numine factum fuisse censendum est.

Dictũ est in quibus Angelus, & anima conueniunt; restat inquirere in quibus dissentiunt. In primis se offert communis denominatio, qua Angelum intellectum, siue mentem solemus denominare, animam verò non ita: nempe quia tota Angeli cognitio, intellectualis est, cognitio vero animæ aliquid sensualis habet admistum, quatenus scilicet species per quas intelligit, prius fuerunt sensatæ, deinde factæ insensatæ beneficio intellectus agentis, dum illa in corpore commoraretur.

1. p. q 75 art. 9. Secundo, quia anima rationalis & Angelus differunt specie vt D. Thomas ex professo probat, & præterea Angelus nobilior est quàm anima. Non defuit qui inter Angelos, & animas rationales, paritatem agnosceret, quem errorem Origeni attribuit D. Thomas, & alij, satis ab ipsis refutatum. Non defuit etiam, qui Angelos animæ rationali inferiores faceret, in quo errore versatus fuit Georgius Venetus; quippe Angelorum damno homines voluit exaltare. Eius præcipuum fundamentum est, quia (vt ait Aristoteles) vnumquodq; id simpliciter esse dicitur, quod in eo est optimum: at inter animas rationales anima Christi est optima, & superat naturam Angelicam, ergo simpliciter anima rationalis dicetur Angelos superare. quod si dicamus verum esse animam Christi Angelis esse superiorem, spectata supernaturali dignitate, respondet Venetus gratuita dona accommodari recipientium naturis: quare dignitas illa gratuita & supra naturam, supponit naturam excellentiorem, quam sit natura Angelorum. At licet concedamus gratuita priuilegia recipientibus accomodari, vt plurimum; hac tamen lege diuinã potentiam non adstringemus, ita vt non potuerit aliquando recipientis naturam excedere, vt re vera & in Christo Domino, & in Beatissima Virgine excessisse tenemur fateri. Si quis deinde sententiam Veneti vellet corroborare authoritate D. Lucæ. *maior est qui recumbit, quàm qui ministrat*; cum Angeli sint administratorij spiritus, non solum Dei, sed etiam hominum; Respondebo ministrantes quidem esse inferiores recumbentibus, quando ij qui ministant à recumbentibus imperantur: cæterum Angeli, quando homini ministrant, non sequuntur imperium hominis, sed omnipotentis Dei, quod ex sacra pagina colligitur. Adhuc tamen vrgebit quispiam: nam cacodæmones dona naturæ non amiserunt, sed Angelicam retinent, & tamen inseruiunt hominibus, veniũtq; ad eorum iussa coacti. Respondeo id nõ fieri ex imperio hominis in Angelum, sed ex pacto inter vtrumq; siue tacito siue expresso, de quo videndus est. Martinus del Rio. Vlterius posset aliquis in Veneti confirmationem adiungere, id quod vltimum est in executione, esse primum in intentione: cum igitur homo creatu-

[Right margin notes: 10. eth. c. 7. — c. 22.]

creaturarum vltima sit, erit prima in intentione, ac proinde erit finis: causa autem finalis nobilior est, quam id quod in finem tendit. Sed respondetur non semper vltimum in executione, esse primum in intentione, sed duntaxat quando vnum ordinatur ad aliud: Angelicam vero naturam ad hominẽ ordinari quis dixerit? Deinde quamuis concedatur, hominem esse finem Angeli, erit finis cuius, hoc est cuius gratia facti sunt Angeli, at finis cuius non solet esse nobilior quam id quod ad finem ordinatur. finis qui nobilior censetur, est finis cui, quo pacto Deus est finis cui ordinantur omnes creaturę.

Est igitur vera minoritas hominis comparatione Angelorum, vnde in psalmis scriptum est, *minuisti eum* (scilicet hominem) *paulo minus ab Angelis*. Videlicet *minuisti* donis naturæ: nam dona gratiæ multo ampliora fuerunt in Christo Domino, quam in supremo Angelorum: quippe omnibus creaturis gratiæ donis anteferuntur à D. Paulo. Deinde, anima est ens incompletum: quippe ex ea & materia, vnum completum physicum euadit. Satis ergo demonstrata manet animæ ab Angelo diuersitas specifica, & eiusdem animæ ad Angelum notissima inferioritas.

Tertio. Ex hac inferioritate germinant aliæ differentiæ, quarum vna est, Angelicam cognitionem fere nunquam esse discursiuam, cognitionem verò animæ fere semper discursiuam esse. Addidi vtrobiq; illud fere; quia ex vna parte nihil prohibet Angelum in ijs, quorum non est valde capax, posse discurrere: ex altera, anima circa prima principia sine discursu versatur; in visione etiam beatifica sine discursu intelligit, & tandem per scientiam infusam potest sine discursu cognoscere: quamuis enim scientia in primum parentem infusa fuerit discursiua, hoc non tollit posse infundi à Deo hominibus scientiam, qua simul & præmissæ, & conclusiones percipiantur: quamuis enim separata non habeat phantasmata, nihilominus discurrere non tam ratione phantasmatum, quam ratione rationalitatis conuenit, ac proinde (vt diximus) Angelus dicitur intellectuus, anima vero dicitur rationalis.

Quarto. Angelo initio suæ creationis indidit Deus species intelligibiles, per quas cognoscit; animæ vero non in creatione, sed in separatione: vnde solet dici separationem animæ esse similem creationi Angeli, atq; ita in hac similitudine dissimilitudo inest; quippe quod Angelo est creari, est animæ separari: hoc autem dissimilitudo est, accipere autem species, similitudo: sed aduerte aliam dissimilitudinem, nempe Angelum non habere alias species nisi inditas, animam & inditas & acquisitas. ratio huius diuersitatis est, quoniam Angelus non habet vnde species illas possit accipere; anima verò intellectum agentem habet, per quem à sensibus possit idôla extrahere. hæc idôla secum defert cum separatur: & quoniam intellectum agentem non defert, hic enim non est necessarius in statu separationis, tunc si anima speciebus indiget, ei à Deo induntur, sicut inditæ fuerunt Angelis. Itaq; intellectus humanus (ex Aristotele) initio suæ creationis est tamquam tabella, in qua nihil est depictũ, cui accedit intellectus agẽs, & phantasmata à sensibus accepta illustrat, facitq; ex sensibilibus insensibilia, & tandem intelligibilia reducit in actũ. separata vero anima depicta est figuris ex hac vita delatis, quod si alijs indiget, eas Angelorum more accipit.

Quinto. In animæ intellectu datur falsitas, in Angelico verò minimè. Videndus est circa hoc D. Thomas. qui iuxta Aristotelicam doctrinam tenet, falsitatem non dari in simplici apprehensione, sed in componendo, ac diuidendo: cum ergo Angeli cognoscant per simplicem apprehensionem, decipi nequeunt; decipitur tamen humanus intellectus, sed per accidens, vt patet ex eodem: quippe potest definitio non congrua definito adaptari, & sic ex errore compositionis oritur falsitas; Angelus verò est incapax falsitatis, nam in rebus naturalibus simplici apprehensione vtitur, in supernaturalibus autem cum rectè dispositam

1.p.q.58 art.5. 9.metap. tex.22.

sitam habeat voluntatem ad opera Dei, non versatur circa ea, nisi iuxta ordinem dispositionemq; diuinam. Sed quid dicendum de cacodæmone cuius voluntas perperam disposita est? hic sanè circa rem naturalem decipi nequit, quia eius simplex est cognitio, circa rem supernaturalem quæ voluntatem rectè ordinatam requirit, procul abest à vera sapientia, ac proinde potest decipi.

Sexto. Anima separata habet propensionem ad corpus quam Angelus nō habet: & quidem de Angelo certissimū est; nihil enim habet commune cum corpore: immò verò quoties iussu Dei corpus accipere oportuit, illud accepit ex aëre condensato, quod non sibi naturaliter vniuit, neq; per id vitales exercuit functiones. Sed fuit quoddam (vt ita dicam) humani corporis specimen. videndus porrò est D. Thomas, ne quod ab illo doctissimè scriptum est inani labore transcribamus. illud tamen certissimum est, corpora ab Angelis assumpta, licet habeant figuram organicam, non esse verè organica: quid enim prodest figura, si desunt potentiæ vitales inhærentes materiæ? si autem dixeris Angelos posse operationes vitales exercere, vt est loquutio, quæ non est apparenter vera vt comestio, sed realiter eadem cum loquutione viuentium; respondeo bene posse aëris repercussione fieri loquutionem, quæ cū nō procedat à principio vitali, non est vitalis actio. Anima verò separata, cum naturaliter corpori cuius forma est, insit, quamdiu à corpore abest illius desiderio tenetur. Num propterea in statu separationis violentiam patitur? minimè. nam violentia ibi est, vbi effectiua vis in contrarium ducit, vt lapidi sursum impulso inest vis effectiua descendendi deorsum, at anima non habet vim effectiuam, quæ illam ad corpus impellat. Num in statu separationis est contra naturam suam? nequaquam: etenim si status separationis esset contra naturam, regressus ad corpus esset naturalis; quare mortuorum resurrectio naturali lumine cognosceretur, quod tamen esse falsum constat, vel maximè ex eo quod inter articulos fidei resurrectio ponitur; fides autem non habet meritum vbi humana ratio præbet experimentum.

1.p.q.51 art.2.art 3.

Cum ergo status separationis non sit naturalis; alioquin status coniunctionis esset contra naturam: cum præterea nec sit violentus, nec contra naturam, quid erit? scire oportet, quemadmodum multis modis aliquid secundum naturā esse dicitur, sic multis modis dici etiam contra naturam, ex quibus vnus est, qui licet naturæ non omnino repugnet, nec eam destruat, nihilominus eidem non est congruus, & propriè dicitur præter naturam. sic inter morbum & mortem differentia est, quod mors sit contra naturam, hoc est, cum destructione propriæ naturæ; morbus præter naturam, nempe naturæ non conueniens, quamuis eam non prorsus destruat. eodem etiam modo violentum id dicitur, quod præter naturam est; Vnde Aristoteles sæpissimè eam accretionem violētam appellat, quæ præter naturam excurrit. Porrò, qui distinctè loqui velit statum separationis non violentum, non contra naturam, sed præter naturam appellabit.

Si quis autem dixerit statum separationis esse nobiliorem quam sit status animæ in corpore, iam ex dictis erroris conuincetur: siquidem ille status est nobilior atq; præstantior, qui magis naturæ congruit: cum ergo habitatio animę in corpore magis conueniat animæ, quā esse à corpore separatam, præferre debemus statum habitationis, statui separationis. Cæterum, dicet aliquis, in statu separationis, animam exornari speciebus à Deo inditis, quæ sunt illustriores & præstantiores quam eæ, quas anima ex phantasmatibus extraxit. Respondeo tamen, species istas non ad ornatum esse inditas animæ, cum separatur à corpore, sed in supplementum, quasi earum beneficio suppleatur defectus intellectus agentis; quem, vt diximus, anima secum non detulit. Si adhuc obijcias animam dum in corpore est, corporis ancillam esse: Vnde mores animi corpo-

corporis temperamentum sequuntur. Respondeo mores, qui sequuntur temperamentum, quamuis dicantur esse animi, non esse tamen solius animi, sed totius, vnde est illud vulgatum Aristotelis, dicere animā irasci, perinde est, ac si dicamus animam filare, aut texere. Animo igitur tametsi dum in corpore est, aliquantulam subeat conditionis seruilis notam, nihilominus nullius momēti est præ commoditate, quam recipit, ex coniunctione cum materia. quæret tamen aliquis, quænam sit isthæc commoditas. respondeo, de ratione intrinseca animæ esse, vt sit forma hominis, tunc autem res in sua perfectione est, cū id habet totum, quod est illi intrinsecū: at anima non habet rationem formæ, nisi cum informat. proinde etiam cum actus sit nobilior potentia quando actu informat, nobiliùs se habet, quam cum est in potentia ad informandum. Si quis autem dixerit perfectionem animę separatæ esse adeo intensam, vt cum est in corpore, non possit intentior esse; ego cum Caietano dicam hanc perfectionē quam habet anima in corpore, esse extensiuè maiorem, quia tunc & est anima & est forma; separata autem tantummodo anima est.

Si quis interroget; hæc propensio, quam habet anima ad corpus, tamquam ad statum nobiliorem, est ne ad omne corpus, an ad illud duntaxat, quod prius informauit? Pythagoras aut quispiam eiusdem sectæ responderet, propensionem animæ esse ad omne corpus, etiam brutorum. Nihilominus cum Iob dicat *in carne mea videbo Deum, ipse & non alius*, ac subinde sit de fide, vnumquēq; resurrecturum cum suo corpore; consentaneum est, hoc diuino consilio esse factum, vt sero licet, resurrectio propensioni animę, ad suum peculiare corpus accommodaretur.

Septimo, differunt anima & Angelus (hoc etiam ad inferioritatem animę spectat) quia Anima ex sua natura corpori vnibilis cum sit, modum intelligendi habet minus sublimem quam Angelus: licet enim quoad species inditas, Angelo æquiparetur, nihilominus habet alias quas in corpore habitans acquisiuit, & hæ sunt Angelicis valde inferiores, quare meritò, D. Thomas ait animam tenere inferiorem intellectualitatis gradū immò in his, quæ naturaliter cognoscit in operatione quodammodo, comparatione Angeli retardatur: tametsi enim iam à tenebris materiæ sit expedita, nihilominus species è corpore delatæ, nūquam possunt inditis adæquari. 1.p.q.75 art.7.ad tertium.

Octauo tandem & vltimo, in eo vel maximè splendescit nobilitas Angelicæ naturæ vltra naturam animæ, quod Angelus cognitionem accipit perfectam, anima, non nisi confusam & imperfectā; animæ enim naturaliter competit corpori vniri, naturaliter ergo per corporea instrumēta, hoc est per phantasmata intelligere. cum ergo est extra corpus non iam per conuersionem ad phantasmata intelligit, sed per conuersionem ad seperiora, qui modus intelligendi, licet sit nobilior, est tamen supra naturam animæ, sicut præter naturam est ei, esse extra corpus: ergo in anima separata inuenitur intelligere per influxū diuini luminis, sicut reperitur in omnibus substantijs intellectualibus. Lumen autem illud in principio est vnum, & simplex, & quanto magis creaturæ intellectuales distant à primo principio, tanto magis diuiditur illud lumen, & diuersificatur, sicut accidit in lineis à centro egredientibus. ergo animæ separatæ, quæ sunt inferiores cuilibet naturę Angelicæ, accipient influxum valde debiliorem & confusum; non ex defectu influentis (absit isthæc impietas) sed quia conuenit ordini creaturarum, vt per suos gradus disponantur. Aduertere tamen oportet hunc intelligendi modum, quē dicimus esse supra naturam, non excludere modum naturalem per species à corpore deductas, immò etiam dici posse naturalem, quoniam quicquid ab authore naturę fit, naturale esse censetur. quid enim magis creaturarum naturę congruit, quam à creatore illustrari? 1.p.q.89 art.1.

CATIGATIO VII.

De permistione rerum secundum grauitatem, & leuitatem.

§ Vnicus. Vtrum ea quæ grauiora sunt meliùs coniungantur quam quæ leuiora.

SCripsi in opere de meteôris microcosmi, quem tu lacerare inaniter cupis, hæc verba *iuxta pondus à natura concessum, corpuscula considerantur grauia inferiùs, minus grauia superiùs, atq; ea quæ grauiora sunt meliùs coniunguntur: hinc terra densitas.* Insurgis & quasi per irrisum negas, grauiora meliùs coniungi posse. Exemplo arenæ, quæ grauior est quam aqua, aut oleum, & tamen arenæ granula nequaquam coniunguntur; aquæ aut olei guttæ facillimè. Sed hæc tua redargutio nulla est. Dixi ne ego, quæ duriora sunt meliùs coniungi? At quando tu exemplum adhibes, in quo solida cum liquidis comparas, mollia cum duris confundere vis: illudere paras, illusus remanes. Accipe ergo duo æqualiter liquida, sed vnum altero grauius: nempe hinc metallum fusum, illinc oleum, aut aquam certè vtrinq; par mollities est, sed in metallo maior grauitas: tunc vide an meliùs coniungantur, inter se metalli fusi guttæ, an guttæ olei siue aquæ, facilè euanuit isthæc tua techna, quære aliam si sapis. Alia, inquis, te ex meo libro de meteôris microcosmi impugnasse, & lectorem ad disputationem primam remittis, verum ibi nihil reperio: perge impugnando, nam sic mei operis detegis dignitatem.

CASTIGATIO VIII.

De comparatione animæ ad corpus.

§. 1. An detur proportio aliqua inter animam, & corpus.

QVo nam animo quæso meum de meteôris microcosmi opus legisti? num velut serpens hæliru contaminans omnia? qua nam etiam fronte tu mihi non rogatus consilium das? nempe vt si velim non indoctus audire (audiri, vel potius haberi debueras dicere) ne proponam viris doctis meum istud opus legendum, ego nec doctis nec indoctis proposui librum legendum, sed in publicum omnibus exhibui, accesserunt viri docti, & sicut apes multa inde in mellificium acceperunt: accessisti tu, & quicquid tetigisti veneno inficere curasti, sed frustra: in te cudetur hæc faba.

Dixi ergo in libro de meteôris microcosmi, inter corpus sensibus expositum, & animam incorpoream, nulliq; sensui subiectam, nullam omnino esse proportionem. Hoc dogma falsi insimulas: cur ita? nempe quoniam, ex Aristotele proportio est inter mouens & mobile. In primis hac tua redargutione, quam in Aristotelica doctrina fundasti, Aristotelicæ doctrinæ desertor mihi videris. Putas ne animam ad corpus se habere, vt mouens ad mobile? iam ergo incidis in sententiam Platonis, immò & Anaxarchi, qui à Nicocreonte Cypri tyranno in mortarium saxeum coniectus, ibiq; ferreis malleis contusus identidem illud repetijt, *tunde, tunde Anaxarchi follem: Anaxarchum enim non tundis*: quibus verbis indicauit corpus externum quid esse homini, nec ad eius naturam pertinere. Verum ab hac tua errandi infelicitate supersedere libet. lib. 1. c. 3

Quid ad improportionem, quam ego inter corpus & animam reperio? Memineris me dixisse inter corpus sensibus expo-

expositum, & animam nulli sensui subiectam: quare indicaui non mihi esse propositum considerare animam, & corpus iuxta externum quendam affectum mouentis & mobilis, sed iuxta internam denominationē, qua anima dicitur substantia spiritualis, corpus corporea substantia. atq; iuxta hanc intrinsecā proprietatem, quæ ab essentia vtriusq; profluit dixisse nullam esse proportionem.

Rursus, considerato incorporeum non dicere corporis priuationem: priuatio enim est in subiecto suapte natura apto, vt cæcitas in oculo apto ad visionem: at spiritus non est suapte natura aptus ad corporeitatem, vt sic dicam, propterea incorporeum non dicitur priuatiuè de spiritu, sed negatiuè, vt non lapis, non homo. huiusmodi quippe negationes, dicuntur de ijs quæ natura sua ei quod negant non conueniunt, vt lapis est non homo, & homo est non lapis.

His ita constitutis, dic mihi quæ nam potest esse maior improportio, quam inter duo negatiuè opposita. putas ne inter lapidem qui est non homo, & hominem, aliquam esse proportionem? si ita existimas insanus es. Si vero inter lapidem & hominem improportionem agnoscis, agnosce illam inter corporeum & incorporeum, seu mauis inter corporeum & non corporeum, nam particula (in) latinis veluti græcis (ἀ) & priuationi, & negationi inseruit.

Sed tu instas motorem ad mobile habere se vt agens ad passum; inter agens vero, & passum proportionē quandā dari: quippe proportio est, qua duo inter se maxime distantia ad affinitatē reducuntur, vt possint inuicem agere, & pati. At debueras considerare agens & patiēs vel opponi ex propria essentia, & ratione intrinseca, ita vt agens nitatur conuertere in suam naturam passum & inter hæc duo datur proportio, affinitas, communitas naturæ, reactio: vel opponi propter imperantem duntaxat vim agētis, & potentiam obedientialem patientis: & inter hæc duo licet agendi, & patiendi respectus quidam detur, nulla tamen datur proportio, & affinitas naturæ. vt inter cælum, & hæc inferiora. Porrò inter mouens, & mobile respectus est extrinsecus, nulla tamen requiritur affinitas naturæ. Dic sodes, non ne Plato, qui animam motorem esse dixit, corpus mobile, comparauit animam nautę, corpus vero naui? quænam ergo proportio naturę est inter nautam & nauim? est quidem respectus quidam extrinsecus, qui non euertit meam propositionem, nempe inter corporeum & non corporeum non dari proportionem.

Adhuc tamen instabis quod dixerim inter motorem, & mobile esse respectū extrinsecum, & dices nihil magis intrinsecum esse animæ, quam corpus mouere. Sed Aristoteles te tui erroris admonere potest, quippe ait, animam cum corpus moueat secundum alium motum à motu proprio, hoc est à motu grauium, impossibile esse vt fit sine fatigatione atq; labore. Si ergo est cum labore motus quo anima corpus mouet, non est animę intrinsecus, quod enim intrinsecum est, & de essentia rei, nec fatigat, neq; laborem inducit: fatigantur organa corporea sentiendo, intellectus intelligendo non fatigatur, organis extrinsecum est sentire, intellectui intelligere intrinsecum. *2. de cælo sum. 2. c. 3. tex. 6.*

§. 2. *Vtrum inter animam, & corpus detur aliquod medium.*

Medium aliquod dari oportet inter animam & corpus: hoc in prędicto opere de meteoris microcosmi semel asserui, hoc iterum affirmo. Medium autem istud animę propter suam tenuitatem, corpori propter suum corpus, quo non caret, accommodatur. tales sunt spiritus, sic nuncupati, non quod sint corporis expertes, sed incorporeitati proximè accedunt. Hanc doctrinam à doctissimis quibusq; viris (inter quos tibi offero Fernelium) receptā, tu in tua schola non recipis, nec mirum; vera est: veritas à liceti lyceo exulat. quo nam igitur nomine eam excludis? nempè, quoniam duo continet contradictoria, & inter duo contradictoria non

datur

datur medium. Duo ne contradictoria putas esse corporeum, & incorporeum? Vide quid dicas; nec mihi confundas duo contraria cum duobus contradictorijs: nam duo contradictoria simul vera Deus non potest facere; duo autem contraria in eodem subiecto potest sustentare; si autem ad libitum contraria mutaueris in contradictoria, ad libitum potentiæ diuinę detrahes, quod maiori stultitia factum videbitur, quàm fuit illa qua turris babylonica erigebatur.

An nescis contradictionem spectari in enunciationibus; contrarietatem in rebus? Sed tu forsitan dices, quia res est, aut non est, propositio vera est aut falsa: si ergo veritas aut falsitas enunciationis pendet à rebus, vt duę res contrariæ dari queant, necesse est admittere duas propositiones cōtradictorias simul veras, & sic tam contraria quam contradictoria impossibilia sunt apud Deum: nam vt vna propositio contradictoria excludit alteram, sic vnum contrarium alterum excludit: quippè contraria dicuntur esse quæ ab eodem subiecto se mutuò excludunt. At tu nescis inter duas res contrarias exclusionem esse realem: sic res quędam nigra, rem albam excludit, hæc autem realis exclusio fit per actionem, nempe nigri agentis in album, aut albi in nigrum; potest autem Deus ab ista actione suum suspendere concursū, ac proinde non dabitur actio, nec victoria, quæ sequitur ad actionem, vnde non erit contrariorum exclusio, quapropter remanebunt simul per potentiam diuinam, hoc est per suspensionem diuini concursus. At vero in contradictorijs longè aliter res habet: nam duæ enunciationes contradictoriæ, essentialiter inter se differunt, Deum autem non posse mutare essentias rerum manentibus ijsdem rebus, consensu omniū theologorum constat. Itaq; possunt esse simul albedo, & nigredo; non possunt simul esse veræ duæ propositiones *hoc est album, hoc non est album*. Impossibilis tibi videbitur hæc sententia. nam si nigrum est non album; si nigrum simul cum albo esse potest in eodem subiecto cur non de eodem etiam subiecto erit verum dicere *hoc est album, hoc non est album*. Demens es, qui non agnoscis sophisma latens in hac techna. Possunt quidem esse veræ istæ duæ enūciationes *hoc est album, hoc est non album:* quia termini harum propositionum sunt duę res contrariæ, album & non album, videlicet nigrum, istæ autem duæ res, contrariè non contradictoriè opponuntur, si vero dicas *hoc est album, hoc non est albū* istæ duæ, contradictorie opponuntur, & vna destruit alteram, & non possunt esse simul verę. Adhuc persistes dicens idem est dicere *album est non album*; ac si dicamus *album non est album*. Hoc tibi negabo: etenim si dicas *album est simul non album hoc est nigrum*, dabis mihi duas res contrarias quæ simul per diuinam potentiam dari possunt: si vero dicas *album non est album* mutans copulā mutabis sensum & dices de eodem affirmari & negari albedinem, & efficies duas propositiones quarum vna destruit alteram.

Nec mihi exempla afferas extra chorum: nam scio has propositiones homo non est animal, & homo est non animal parem vim habere. ego vero assumo duo contraria, quæ inter se accidentaliter differunt, possuntq; diuina virtute esse simul. Accipe igitur calorem & frigiditatem, possunt simul esse diuinitus: ergo verum est dicere *calidum est frigidum, ac subinde calidum est non calidum*, non tamen verum est dicere *caildum non est calidum*: ratio huius diuersitatis est: quia cum dicimus *calidum est non calidum* asserimus duo contraria esse simul; quādo vero dicimus *calidum non est calidū* prædicatum destruit subiectum. Deniq; per suas æquipollentes declarabitur vis harum præpositionum: *calidum est non calidum*. æquipollet huic *calidum* (ex hypothesi per diuinam potentiam) *est simul non calidum, idest frigidum*: nam duo contraria sunt, & per diuinam potentiam simul stare possunt. At *calidū non est calidum* æquipollet huic *id quod dicitur calidum non dicitur calidum*, & est contradictio, quæ diuinam subterfugit

fugit potestatem.

Iam ergo habemus corpus & spiritũ, seu corporeum & non corporeum, quæ duo sunt contraria, perperam à te contradictoria fuisse appellata. Perge igitur, nõn ne dantur contraria medium habentia? immò maximè & media bifariã accipi solent; vel per participationem extremorum vt tepidum, quod caloris, & frigoris est particeps; vel per extremorum negationem, vt liberalitas quæ & auaritiam, & prodigalitatem negat.

Accedo ad spiritus nostri corporis, qui sic appellantur, non quod sint substantia spiritualis corporeæ opposita; sed quia sic libuit medicis substantiam tenuissimam, & inconspicuam appellare. Sunt tenuissimi, ergo corpoream proprietatem participant: quippe tenuitas debetur corpori: neq; enim Angelos, aut animam separatam dicimus esse tenuem; rursus sunt inconspicui, ergo participant proprietatem substantię spiritualis, quę oculis non conspicitur. Quare per participationem extremorũ sunt medium inter corporeum, & incorporeum. Deinde ex axiomate Areopagitæ *supremum infimi attingit infimum supremi*: At suprema corporis dignitas est subtilitas, quam acquirent corpora beatorum, & per quam spirituali substãtiæ ferè accedunt: infimum animæ, & Angeli est esse inconspicuum, omnes enim aliæ dignitates, vt intelligere, illuminari à Deo, liberè operari, non pendere à materia, omnes, inquam, hæ proprietates excellẽtiores sunt quã inconspicuitas. immò multoties, vt aliquid agant coguntur inconspicuitatem dissimulare, & se sub corpore aliquo fictitio, aëreoue repræsentare; cum ergo substantiæ spiritualis infimum sit in conspicuitas, cum substantiæ corporeæ supremum sit subtilitas, si hæc duo in spiritibus nostri corporis se attingunt, profectò spiritus nostri corporis aptissimum medium, censeri debent quo anima corporis & corpus animæ imperio subijcitur.

de diuin. nomin. c. 7.

§. 3. *Vtrum spiritus nostri corporis sint instrumenta, quibus anima in corpore operatur.*

MEmineris me ibi dixisse hos spiritus, quos media esse asserui, esse quidem media nempe vt instrumẽta: mea verba sic habent. *igitur tam inter animam, & corpus hominis; quam inter Mundi animam, & visibile vniuersum; spiritus hi mediant, animarum non vincula sed instrumenta, quibus etiam vis corpori adhibetur.*

Quoties admirabilis ordo vniuersi considerandus proponitur, aptissimum fundamentum sumitur ex præcitato Areopagitæ axiomate. Attende nunc ad connexionem rerum creatarum, & considera substantias spirituales, supra corporalia omnia esse excellentiores. Accipe igitur substantias istas spirituales per suos gradus à supremo, nempe à Deo vsq; ad animam rationalem, & descende per omnes hierarchias, inuenies istius supremi infimum esse animã hominis. Rursus corpora omnia assume, ab infimis inanimatis ascende ad animata imperfecta, dehinc ad perfecta, postea ad perfectiora, demum ad corpus humanum perfectissimum omnium corporum, & in hoc supremo corpore quid nobilius est, nempe spiritus ille, quem Aristoteles πνεῦμα ἔμφυτον, id est spiritum innatum appellat. Vt igitur ordo seruetur, hoc supremum infimi, hoc est iste spiritus innatus, attingere debet infimum supremi, quod diximus esse animam. Quod si non attingeret, quomodo posset commercium aliquod esse inter animam & corpus, quæ duo, ratione naturæ dixi superiùs (te renuente) esse inter se valde improportionata? profectò non posset dari correspondentia illa, qua anima corpori ancillatur, & corpus animæ. Itaq; instrumentum est id per quod agens passo proportionatur, quamuis aliàs longanimis inter vtrumq; sit improportio.

Si quis autem dixerit, membra nostri corporis esse actionum instrumenta, & propterea organa appellari, esse etiam tempe-

temperamentum instrumenti vices gerens, & tum ob exquisitam temperiem, tum ob compositionem aptissimam, manum instrumentum instrumentorum dici; respondendum est temperamentum, & organa, seu membrorum constitutionem esse instrumenta operationum vt operationes sunt duntaxat; at spiritus, esse instrumentum operationum vt vitales sunt: quippe, vt vitales sint, debent procedere à vitali principio, vitalis autẽ vis à corde spiritibus per se & primo cõmunicatur. Hinc est quod Aristoteles hosce spiritus dixit esse corpus quoddã elementis diuinius: cum nullum elemẽtorum perueniat ad præstantiam operationum earum, quæ spirituum ministerio perficiuntur. sunt igitur spiritus corpus quoddam æthereum; proportione respondens (vt Aristoteles ait) elemento stellarum.

Exultas fortasse quod corporis præstantiam in tenuitate reperiam ego qui crasso sum corpore, ac propterea ab omni præstantia prorsus alienus. Siste parumper, lepidam tibi sed veram historiam narrabo. Galeottus quidam Martius robusto ingenio disciplinas omnes complectens, cum in foro Veneto, ad geminas columnas constitutus esset, vt impetrata venia, se falsa quædam in sacra, moraliq; philosophia scripsisse fateretur: subita dicacitate effecit vt exortus in turba risus iudicium euerteret. Nam cum forte non ignobilis Venetus, è turba proximus, strigosa proceritate, & impudicæ vxoris probro insignis traductum ludibrio, præ pinguem porcum appellasset (erat Galeottus vasto obesi corporis pondere, & abdominis mole tumẽs) ex templò ad Venetum respiciens ridente ore: pinguis, ait, porcus, quam macer hircus esse malo.

§. 4. *An puriorum spirituum haustu intellectus purior euadat.*

INter cætera, quæ in prædicto opere de meteôris microcosmi à me scripta à viris doctis laudata reperiuntur, vnũ est, ratiocinium illud, quo quicquid Plato de dæmonibus scriptum reliquit, spiritibus nostri corporis exactissimè accõmodo. ibi sic inquio. *Dæmones aliquo in loco litteras docentes, dicemus esse puriores in eo loco spiritus, quorum haustu spiritus purior redditur: mũdani enim hi spiritus alibi purissimi sunt, vt pote à Sole illustrati, alibi impuri, videlicet à Saturno turbidi nimis facti, vnde Euboici crassi valde ingenio sunt, Thessali ingeniosi.* Tu vero hanc sublimem considerationẽ crassa quadam Minerua deprimere conaris, sed tuo solito infortunio: quippe tuæ ridiculæ redargutiones quibus videri vis argutus, obtusum te hominibus ostendunt.

Inquis ergo illud à me esse dictum *quasi Galenus, & Aristoteles ineptiant, quorum ille scribit ingenij differentias non exteriorum spirituum haustum, sed corporis internum temperamentum consequi. & hic non solum carnis mollitiem eadem ratione significare hominem ait, aptum mente, duritiem è contra ineptum: sed etiam melancholicos, qui omnes saturnini sunt, esse ingeniosiores.* Sic tu, qui Galeni librum citas, & peream si illius paginas peruolutasti. Sed solo titulo contentus tuam redargutionem formasti. Inscribitur quidem libellus *quod animi mores corporis temperamentum sequantur*: quod tu tamen addis ab eo esse dictum non puriorum spirituum haustum ingenij differentias consequi, tam falsum est, quam quod falsissimũ. immò si hoc negaret sibi contradiceret, quippe millies alibi aërè; inquit temperamenta immutari, aër autem spiritus ille est qui respiratione transpirationeq; hauritur, quod addiscere potes ex Hippocrate in libello de flatibus. Ipse ibidem spiritus simul cum cibo per os ingredi affirmat: aër igitur materia, saltem partialis, spirituum nostri corporis est, & spiritus nostri corporis ad temperamentum spectat Quod vero spectat ad Aristotelem, carnis mollitie hominem mente aptum significari, dixit, sed num propterea negauit spirituum puriorum seu purioris aëris haustu, spiritus qui ex aëre fiunt illustrari? melancholicos dixit esse ingeniosiores, esto: nunc non disputo quinam

Galenus quod animi mores
Ar. 2. de anima tex. 94.

nam sint isti melancholici, tu id quærito apud Fracastoriũ in suis dialogis & apud Ficinum de studiosorum sanitate tuẽda. Sed dic quæso num propterea melancholici isti in aëre puro non gignent sibi spiritus illustriores, in denso & turbido obtusiores? Vade ad eundem Marsiliũ, lege libellum aureum de vita cælitus cõparanda, & ibi hanc, quam ab eo accepi, doctrinam addiscito. Si tamen Ficinum quod Platonicus sit, tu magnus peripateticus odio habes, magnum habes peripateticum Albertum Magnum, qui tibi ait aërem alteratum à qualitatibus corporum cælestium, mouere appetitum in animalibus, & intellectum practicum in hominibus. & alibi, aëre dempto, non esse, nec nutriri spiritus in corpore animalis.

8. phys. tract. 1. c. 10. & c. 92.

l. 1. tract. 1. c. 105

CASTIGATIO IX.

De gradibus temperamentorũ.

§. *Vnicus. An dari possit corpus summè siccum, moderatè calidum, & summè calidum moderatè humidum.*

QVatuor sunt qualitatum combinationes, ex quibus Aristotelica schola quaternarium elementorum colligit: videlicet calidum in summo & siccum prope summum, & est ignis; frigidum in summo & humidum prope summum, & est aqua; humidum in summo & calidum prope summũ, & est aër; siccum in summo & frigidum prope summum, & est terra. Non mihi placere dixi in meteôris microcosmi hunc modum colligendi numerum elementorum; atq; addidi: *Hæc si ita sunt, rependam Aristoteli pro his quatuor elementis, quatuor alia elementa, vocentur vt vult: pro igne summè calido, & moderatè sicco, dabo aliam combinationem summè sicci cum moderatè calido; pro aëre extremè humido moderatè calido, dabo summè calidum cum moderatè humido; pro aqua quæ plus habet frigoris quam humiditatis, afferam maiorem humiditatem cũ minore frigiditate; pro terra extremè sicca & mediocriter frigida, extremè frigidum afferam cum moderata siccitate.*

Hæc proposui, non quia combinationes istæ meæ dentur; sed quia dari possunt, & sic ex ijs quatuor alia elemẽta vltra quatuor priora ab Aristotele vulgata possunt confici. Itaq; vt meum argumentum suam vim habeat, non necesse est, vt coroborationes quas propono dentur, sed sufficit dari posse: cum ergo sint possibiles, & possibili posito in actu nullum sequatur inconueniens, fiet vt ex suppositione, nempe si ex combinationibus quatuor ab Aristotele adductis quatuor colliguntur elementa, nullum erit inconueniens ex alijs quatuor combinationibus alia quatuor elementa colligere. Itaq; non ego enunciatiuè quatuor meas combinationes actu dari asseueraui, sed eas possibiles esse, & subinde esse possibile numerum elementorum ad octonarium producere.

Quid tu ad hoc? nẽpe impossibile esse censes in primis dari corpus summè siccũ moderatè calidum; nã siccitas est lima caloris. est quidem siccitas lima caloris, nõ quæ augeat gradus caloris, & ex calore vt quatuor efficiat calorem vt octo: potest quidem siccitas calorẽ efficere mordaciorem: sic effluxus febrientium acriores sunt quam corporum naturaliter se habentium, sic calor febrilis acutior nõ tamen intensior calore natiuo, sic tandem iuuenum calor æqualis est calori adolescentium, cum maiore tamen siccitate. Demonstratione etiam tibi hoc fieri posse ostendo. Detur corpus summè calidum & summè siccum: hoc tu fieri posse non negabis, qui siccitate augeri calorem credis: augeatur calor à siccitate vt summum. ecce summa siccitas & summus calor. introducatur frigiditas, hæc introduci potest sine humiditate, nam terra frigida est & sicca. ad introductionem frigiditatis minuetur calor, non minuetur siccitas, ecce remanebit corpus moderatè calidum, extremè autem siccum. Negabis forsan in corpus

pus extremè calidum posse introduci frigiditatem, quippe quæ minus actiua est quam calor. At ignis summè calidus est, & ignis mistionem ingreditur, mistio verò, non fit nisi per refractionem qualitatum: oportet ergo vt ignis aliquid possit de summo calore remittere, alioquin semper destructionem, nunquã mistionem moliretur.

Alteram combinationem etiam censes impossibilem. videlicet summè calidum cum moderatè humido, quippe, ais tu, summa caliditas absumit statim moderatam humiditatem; & necessariò iungitur summæ siccitati. & præterea humiditas retundit aciem caloris, & cum summo calore durare vnquam nequit. Ais ne summam caliditatem absumere statim humiditatem? ita sanè, at statim tempus aliquod importat: neque enim in instante qualitas aut oritur aut perit, sed in tempore: iam ergo spatio aliquo temporis durabit humiditas cum summo calore: iam ergo combinatio isthæc non est impossibilis. Deinde demus summam caliditatem cum summa humiditate: isthæc caliditas aget ne in humiditatem absumẽdo illam? aget quidem, nam maior est actiuitas caloris quam resistentia humiditatis, cum caliditas primum locum obtineat inter qualitates actiuas; humiditas secundum inter passiuas. Agat igitur: non ne ista actione minuetur humiditas? quis dubitat? euanuerunt tuæ oppositiones, & te euanuisse possum affirmare.

CASTIGATIO X.

De anima cæli.

§. *Vnicus. An orbes cælestes sint animati.*

MVndi animam, cum Platone Platonicisq; omnibus, immò cum Aristotelicorum non paucis, initio mei operis de meteoris microcosmi, statui, & tamen infra cap. 10. Cælos animatos statuere nefas esse dixi. Hic tu reperis contradictionem, nam cæli sunt mundi partes & totum illud animatum dici nequit cuius nulla pars sit animata: vel saltem cuius partes præcipuæ non sint animatæ: hoc vltimum addidisti: nam siue partes sint præcipuæ, siue nõ præcipuæ, semper, vt partes sunt, animæ totius participes esse debent.

Pergis inquiens: *mundi enim partes sunt cæli, & elementa: nam mista corpora sunt mundi fructus, & partus non partes*: hic, vt luderes similitudine vocabulorum, mundi partus non partes dixisti, mundum fecisti parturientem parum philosophicè, vt soles, nam simplicia corpora non sunt partus elementorum, sed sunt ipsamet elementa inter se permissa. Nunquid partus in suos parentes redibit? at mista ad elementa redire dicuntur. parere elementa dixisti, & stultitiã peperisti.

Cæterum, cum plures sint mundi acceptiones; tu mundum confusè dixisti, & non considerasti, mundum simpliciter dictum esse mundum sublunarem, seu (vt Aristoteles loquitur) mundum hunc inferiorem. Instabis forsan ab Aristotele esse dictum, munudm hunc inferiorem supernis lationibus esse continuum, vt inde tota vis eius gubernetur. Sed tibi respondetur, non ne mundi huius inferioris nomine significauit distinctionem inter mundum inferiorem & superiorem: nempe inter sublunarem & cælestem? iam ergo sunt duo mundi inter se distincti. quod vero attinet ad continuitatem, licet de ratione partis sit cõtinuam esse suo toti, non tamen de ratione totius est, vt quicquid sibi continuum est, eo ipso sit eius pars: nam pili & vngues sunt continui cum nostro corpore, & tamen non sunt eius partes. Nec respondeas pilos, & vngues esse excrementa: nam vt ostendam dari aliquid continuum cum suo toto & non esse partem totius, satis est vt pili, & vngues sint continui & tamen non sint partes.

Sed dic quæso, non ne partes cum toto communes esse debent saltem in ma-

teriæ? at materia cælorum specie differt à materia horum inferiorum. Non ne partes cum toto eandem conditionem subire debent ratione corruptibilitatis, & in corruptibilitatis? at orbes cælestes sunt incorruptibiles, cætera omnia corruptibilia. si vero dicas elementa incorruptibilia esse, id tibi negabo: nam tametsi totum elementum ob suam magnitudinem corrumpi nequeat, tum quia dum pars vna corrumpitur altera reponitur, tum quia non habet aliud, in quod corruptum abire possit; nihilominus corrumpuntur elemẽtorum partes. Quid plura? non ne elementa suapte natura alterabilia sunt? at omne alterabile suapte natura, est suapte natura corruptibile. quæ intemperies isthæc cælos facere mundi partus, vt si mundus sit animatus, sint animati etiam ipsi? Dices forsan, cælos etiam esse corruptibiles; sed diuina voluntate, quæ maius, potentiusq; est vinculum, incorruptibiles permanere. Sed ne quæso ab Aristotelis castris ad Platonica sis transfuga. quando enim Plato diceret cælos esse corruptibiles, sed diuina voluntate per mansuros incorruptos, vtiq; tolerandus foret: sed id quod est corruptibile, fieri incorruptibile durum quidem est; neq; enim possunt mutari essentię rerum manentibus ijsdem rebus: corruptibilitas autem, & incorruptibilitas ad essentiam rei pertinent; non sic autem corrumpi, aut non corrumpi: exemplum habes in rationali: est quippe de essentia hominis; ratione vti aut non vti, non ita. Auferes ab homine rationem, nõ autem rationalitatem.

Si vero quæras à me, quid mihi persuasit vt mundum facerem animatum, cælos verò inanimatos, rationem meæ assertionis reddam, non tibi, sed doctioribus. Nec vero exactissimas alioquin, sed tamen ab alijs prolatas rationes hic afferam, vnam vel alteram duntaxat subiungam quæ in præsenti contemplatione locum habere videntur. Possumus ergo vel à supremo descendere, vel ascẽdere ab infimo, nam vtrinq; par est ratio. A supremo sic. Deus summè vnus, vna ideali ratione, vnoue exemplari omnia architectatur, ita tamen vt ex illa fæcundissima idea multę spargantur ideę, quibus vniuersum opus completur. complexum, primæ illius ideæ notionem habet, quæ reliquas in actu conseruat, & eis tribuit tam esse, quam operari. cognitio autem qua Deus cognoscit, veritatem rebus attribuit, ecce iam vnum verum ex quo reliqua sunt; hoc vnum si non est anima, quid aliud esse potest? sed dices posse habere rationem formæ, non tamen animæ: at sic iam teneo vnam esse formam totius mundi. hæc præstantissima esse debet: quippe ad præstantissimum compositum concurrit; cur ergo formam præstantissimam animam appellare dedignaris?

Sed age vice versa ab infimo ascendamus. Materia prima, qua nihil magis abiectum dari potest, non est hoc aliquid, seu est quidpiam imperfectum, & (vt ait D. Augustinus) prope nihil: fit autem aliquid perfectum per formę presẽntiã. formarum magnus est numerũ; qui totius vniuersi capacitatẽ implet: si ergo formę istæ plures actu, seu plures actus sine nexu aliquo existant, vniuersũ erit aggregatum quoddam ceu aceruus lapidum, & sic in ratione totius abiectã sortietur naturam: vt autem sit totum perfectum & nobile, oportet vt formę istæ, potius composita omnia ex formis & materia nexu aliquo vniantur, ex quo sympathia ĩter partes resultet, istud vnũ forma formarum appellabitur: quippe formis singularium tribuit esse formas in vniuersali quodam coeuntes. coeunt ergo in vna forma. hæc si non sit anima sequitur absurdum ingens, nempe partes animatas esse præstantioris naturæ suo toto: sit ergo anima: sed nonne absurdum est partes mundi inanimatas esse partes totius animati? minimè: nam inferius continetur in superiore, non autẽ superius in inferiore.

Mundus ergo, cum sit quidam ornatus ex multis compositus, est quodammodo corpus organicum, cuius diuersæ operationes per sympathiam quandam respiciunt vnius rationem, ac proinde

vnius

vnius formam, animamq; habere decet. At orbes cælestes, corpora omnino simplicia, qui motum cui sunt dicati non per se ipsos sed per impulsum præstitum ab intelligentia, quam sibi vnitam habent moliuntur, non habent vnde nobis suspicionem præbeant animæ informãtis, sed solius formæ, à qua recipiunt esse. quid enim habent in suis operationibus quod animam sapiat: motus, vt dixi, ab externo est; lux conuenit corpori valde tereti, vt igni calor & splendor; reliquæ etiam qualitates quas influunt in hæc inferiora, sunt effluxus quidam, quales à corpore etiam inanimato prouenire solent, nulla figura nisi circularis, nullus membrorum ordo, nulla inter partes sympathia; quare corpora quidem præstantissima sunt, sed cuilibet vermiculo inferiora.

CASTIGATIO XI.

De Manucodiata.

§. 1. Vnde nam nomen Manucodiata, pulchritudo coloris, specierum diuersitas.

ERgone tu, qui sciolus es, & omniscius vis videri cum pluries agas de Manucodiata multa scitu digna omisisti? & tamen in alijs contemplationibus valde prolixus, longè petitas rhapsodias amplecteris adeo vt sæpissimè in te quadret illud Horatianũ: *fortaße cupressum scis simulare*. Manucodiatæ nomen vnde nam originem habeat te latuit: non latuit tamen Aldrouandum virum eruditum, cuius iure victitasti. Is quoniam hæc auicula præcipuè in Molucorum insulis, non nisi mortua, reperitur in terra, & in mari non (vt ineptè ais) in infima aëris regione (in aëre viuæ volant aues, si moriantur concidunt) quare ad Molucorum linguam recurrens ait, apud eos Manucodiatam significare Dei auem; appositè quidem: nam occulta est eius vitæ ratio, occultum autem diuinum appellamus; sic accipi solet Hippocraticum illud, *si quid diuinum in morbis est*. Vulgus eam, paradisi auem appellat, siue ob eandem rationem; quippe locus paradisi, ab vniuersali inuadatione nobis occultus est; siue ob miraculosum vitę genus, quod eam non alterius regionis quam paradisi facit indigenam; seu ob pulchritudinem, sic enim iucunda omnia ad paradisum voluptatis solemus referre.

Displicet mihi Scaliger qui vnam describit, perinde ac si non sint plures. Aldrouandus quinq; species diuersas nobis tradit: ego quidem numerum certũ affirmare nequeo, attamen plures in Lusitania ab India allatas vidisse, omnes ad admirationẽ pulcherrimas possum affirmare. Earum fere omnes corpore erant exiguo, quare immerito idem Scaliger Cardanum sugillat, quod dixerit hanc auiculam corpus habere hirundinino æquale: talem enim à se visam scribit. Suspicatur tamẽ Scaliger hanc fuisse adhuc iuuẽculã, nec totum sui corporis augmẽtũ assequutam. Desinat autẽ reprehendere: etenim, inter varias species, nil prohibet alias maiorẽ, alias minorẽ habere terminum magnitudinis, quod Aldrouando placere video. Demũ si corporis molem spectemus, exiguæ vt plurimum sunt, si caudam, alasq; expansas intueamur, amplissimæ sunt.

Quod autem Cardanus ait, Manucudiatam non morbo, sed senecta dissolui, non debuit ab Scaligero increpari tamquam falsi, sed tamquam temerè loquutus sit. nulla enim est ratio, qua verum ne an falsum hoc sit probari possit. Dicet aliquis fortasse viuidum colorem, qui in hac auicula mortua visitur, argumento esse eam non ex morbo perijsse. At color, quem morbus defœdasset, tũ senectus tum mors multo magis possent defœdare. Hoc autem longè miraculosius est quàm reliqua, quæ de hac auicula narrantur: quippe multorum annorũ spatio in illo cadauere varij colores omnes exactissimi spectantium oculis gratissimi perdurant, neq; præcedente interitu, neq; subsequente temporis diuturnitate hebetantur.

§. 2. *De Manucodiatæ cibo*.

EXcusationem tuam accipio. ita esto, neq; tu aliud de Manucodiata scire curasti, nisi an ex eorum animalium sit genere, quę à cibi abstinentia viuunt. Quid igitur sentis? nempe sit. *Deinceps autem, Apodem illam auem Indiæ Manucodiatam, totum sua vitæ tempus in superno aëre degentem, longiorem abstinentiam tolerare probabile est: quippè rara supra nubes in alimentum sibi comparare potest insecta, & huiuscemodi alia solidiora corpora.* Ita ne ais? At ego oppositam amplexus sum sententiam, inquiens. *Manucodiata in aëre viuit, sed non ex aëre: nam ibi etiam volatilia venari potest, quibus alatur, vt pisces piscibus.* Si ergo tuis dictis mea sunt pugnantia, atq; contraria, cur me appellas furem? & tuam placentam surreptam esse conquereris, atq; tuam conclusionem omissis probationibus in meo libello, tamquam meam, à me fuisse recitatam? scio quid sis responsurus, videlicet te alibi aliter fuisse loquutum, his verbis. *Quod autem vltimo de manucodiata proponitur, id vel exotericam postulat ab Scaligero subtilitatem. si enim auis ea nunquam visitur in hoc aëre infimo, nisi mortua, profectò in aere illo supero, in quo viuit, genita est, si ergo ibi materia est illa mista, ex qua oritur: si sponte oritur; cur ibidem esse nequeat ex qua nutriatur? Amplius, si ibi a parentibus gignitur, & viuit Manucodiata, quid prohibet alia etiam oriri, tum semine tum etiam sponte eodem loco insecta, & viuere, quibus illa nutrimenti vice vtatur?* & quæ sequuntur, mox inferius ponderanda. Ecce tu qui defectu cibi Manucodiatam longiore abstinentia vti iam superius dixeras, nunc ei mensam paras opiparam, ex varijs insectis, à natura paratis. Igitur prius quam me furti reū apud iudices constituas, constituam te reum contradictionis, atq; inconstantiæ, atq; etiam (licebit dicere) vinositatis: neq; enim aliter tanta obliuione potuisti opprimi, vt intra paucissimas paginas adeò manifesta labores contradictione.

Ampliùs, si tu sentis insecta, ex putri materia, in superiore aëre ad Manucodiatæ cibum gigni, & viuere, & huius doctrinæ te inuentorem esse potes iactare (quippe singularis est & à nemine prolata) ego qui communem aliorum sequor, qui potui tuam furto rapere? Alij ne fuerunt, qui in regione aëris in qua volitat, Manucodiatā sibi victum quærere existimarunt? immò maximè: offero tibi Aldrouandum ita nobis referētem. *Quare solidiore cibo ipsis, meo quidem iudicio, opus fuit, quem cum aer ipse, tū maximè arbores, aliaq; eminentiora loca suppeditare poterant insecta nempe, ea quę tum volacria, tum aptera, ad quorum venatum rostrum illis natura grandiusculum dedit, fatesq; robustum, & quodam modo aduncum.* Offero etiam Libauium, cuius hæc sunt verba. *Manucodiata Georgio Agricolæ, de subterraneis, non videtur solo aëre viuere, & incremētum capere, sed vna bestiolis in eo captis.* li. 1. Batrachio. rum ca. 13 Non potui hoc apud Agricolam, inuenire. vt vt sit, multorum sententia est, quā amplectitur doctissimus Episcopus Tortonensis: si ergo me raptorem vis appellari, saltem multorum, non tuarum rerum raptor ero. multorum, inquam, à quibus nõ me accusatum iri certo scio, vt potè cum rectè agnoscant, posse eum qui cum alijs sentit omni suspicione furti carere. Pudeat te ergo huius inanis accusationis.

Cupio deinceps scire, an hæc tua cōclusio, quam tibi surreptam quereris sit veluti altera Helena digna rapi. ego quidem non in ea pulchritudinē veritatis agnosco: percurramus singula. *Si auis hæc*, inquis, *nunquam visitur in hoc aere infimo nisi mortua, profectò in aere illo supero in quo viuit, genita est.* Hoc tibi precario admittam, alioquin nulla me ita sentire necessitas cogit: non ne anates palustres semper in aqua visuntur, & tamen extra aquam gignuntur? Piscium genus multiplex cum pariendi tēpus instat, ad terram exit, reliquo tempore in aqua commoratur. Addis præterea: *si ergo ibi materia est illa mista*,

ex qua exoritur, si sponte exoritur, cur ibidem esse nequeat ex qua nutriatur ex hypothesi argumentaris, inquis, *si sponte oritur*, hoc est, si supponamus eam sponte oriri, dubitantis loquutio est. Sed quomodo admittenda est isthæc hypothesis, si tu statim eam destruis? quomodo constare potest isthęc dubitatio, si tu statim post indubitanter loqueris? nõne paulo intra me inuitas, vt cum Cardano, probabili, vt ais, argumento dicam, huic auiculę non spontaneum, sed ex semine, ac ouo, ortum esse? Vel ergo argumentum ex hypothesi, quam respuis, non valet; vel si hypothesis tenet, tu tibi met contrariaris.

Pergis vlterius sic. *Amplius si ibi a parentibus gignitur, & viuit Manucodiata, quid prohibet alia etiam oriri tum semine, tum etiam sponte eodem loco insecta & viuere, quibus illa nutrimenti vice vtatur.* sic tu: quoniam autem quæris, quid prohibet insecta oriri in eodẽ loco, siue ex semine, siue sponte; responsum tibi dare oportet. prohibet insecta oriri in supera aëris regione (hæc enim est in qua oritur Manucodiata) quoniã insecta ista vel erunt volatilia, vel aptera: si aptera statim cadent; nec poterunt seruari ad Manucodiatæ cibum; si volatilia, ex quanam materia gignentur? respondes *ex vapore, ac exhalationibus ascendentibus inuicem commistis calore Solis.* Ita ne? at quænam est materia Manucodiatæ? puto te responsurum eandem; neq; enim aliter poteris respõdere. cur ergo ex ijsdem exhalationibus, ac vaporibus calore Solis in eadem supera regione permistis non gignentur similiter Manucodiatæ? ecce dum cibũ huic auiculæ paras, das nobis alias eiusdem speciei auiculas, & sic ipsæ vix ortæ se ipsas inter se comedent. Deinde insecta ista comparas cum animalculis, quæ simul cum pluuia in terram cadunt, & tamen vis insecta in superiore aëris regione oriri *ex odorata exhalatione ab aromatibus subiectis scaturiente cum vaporibus, & aere commista.* Optimam sanè & suauissimi odoris miscellam conficis ad generationem insectorum, quid melius posses reperire ad ipsas Manucodiatas gignendas.

Cæterum libet parum ludere. dicis insecta illa animalia esse Manucodiatæ *cibo, & victui deseruientia*, cum ergo cibo victũ addas, victus nomine aliquid vltra cibum significas: rectè quidem; victus enim apud medicos non solo cibo, ac potione constat, verum etiam omnibus alijs, vt ocio, exercitatione, balneis, venere, somno, vigilijs & quibuscũq; quę quouis modo in corporibus nostris fiũt, vt Galenus præcipuè author est. Apud grammaticos, victus nomine continentur, quæ esui, potui, cultuiq; corporis, quæq; ad viuendum homini sunt necessaria. Apud iuris consultos, verbo victus eadem intelliguntur, vestes quoq; victus habere vicem, ait Labeo. Vestiarium etiam, & habitatio, hæc omnia verbo victus includuntur. Quare si insecta tua, inseruiunt cibo, ac victui Manucodiatæ, iam hæ auiculæ, ex tua liberalitate, habebũt vnde nutriantur, vestiantur, viuant, & habitent.

3. epid. sect. 3.

ff. de ver. sig. & l. fin. ff. de ali. leg.

Bellum deinde suscipis cum Scaligero, & te Cardani exhibes defensorem, aisq; rectè à Cardano esse dictum Manucodiatas aëre puro non nutriri: quippè aër purus non concrescit. Accipe ergo impurum aërem, qualis est iste infimę regionis, concrescit ne? si admittis petam à te in media hyeme frustulum concreti aëris, dabo tibi inuicem Aristotelem dicentem aërem incongelabilem esse. ergo vt ostendas aërem non concrescere, puritatem in eo requiris. siquidem impurus etiam concrescere nequit. At Scaliger non putauit venturum aliquem, qui puritatem aëris pro causa ob quam nutrire non valet, afferret: putauit sanè, posse dici aërem ob sui tenuitatem non esse aptum vt nutriat. At puritas & tenuitas diuersæ res sunt: sed esto, sint vna & eadem: tu puritatem dicis, quam tenuitatem voluisti dicere. Sed non ne iam ab Scaligero tibi erat satisfactum; quippè ait *qui dedit illi aerẽ pro cibo dedisset etiam concretionem aëris ad cibum* si tibi hæc Scaligeri responsio displicet, debueras eam impugnare, & impu-

de gen. anim. li. 2. c. 2. in fine.

impugnasses libenter. Nihilominus si (vti soles) dixeris hoc esse confugere ad miracula; respondebo pro Scaligero, vbi reliqua miraculosa sunt (vt cernitur in Manucodiatæ cibo, volatu, vitæ singularitate) non esse præter rationem vt tot miraculis vnum adijciatur.

Pergis contra Scaligerum, inquiens *voluntarium esse assertum non esse animalia nota nobis*, ea scilicet, quæ Manucodiatæ in cibum inseruiunt. *Quid prohibet*, inquis tu, *ibi esse pyraustas, muscas, & alia id generis?* in hoc tibi aduersaris, qui dum victum Manucodiatæ parabas, insecta quædam somniasti, sic inquiens. *animalia vero illa Manucodiata cibum suppeditantia, licet nobis nota non sint, non propterea tamen nota non sunt*, si ergo illuc animalia nota ascendunt, vt pyraustæ, muscæ, cur ignota esse dicis? deinde quęnam tua est isthæc dementia, pyraustas, & muscas ad superam aëris regionem deducere? queruntur aquilæ quod eas insectis inferiores facias. Iam ergo in certamine volatiliũ cum aquila, musca te habebit fautorem. ignoras pyraustam seu pyralem quandiu est in igne duntaxat viuere, longiore paulo volatu emori. Vnde pyraustæ interitus abijt in prouerbium? De musca autem quid dicam? num ad superam regionem potest volare, quæ non accedit ad excelsiores domos, & circa mensas est eius frequens volatus, quod etiã abijt in prouerbium?

chil. 1. cent. 9. n. 51.

chil. 4. cent. 7. n. 43.

Interrogas rursus Scaligerum, cur non ibi sint animalia ignota nobis, quibus tamen alatur Manucodiata: Sed tu hactenus animalia nota præbuisti, nempe muscas, & pyraustas, cur nunc adiungis ignota? tot epulas huic auiculæ in mensa offers, vt videatur semper conuiuas inuitare ad opiparum conuiuium. Sed, extra iocum tu interrogas, si materia est illic mista in qua Manucodiata oritur, si sponte oritur, cur ibidem esse nequeat ex qua nutriatur? posset Scaliger respondere nolle se multiplicare species, cum nutrimentũ aliunde adueniens sine noua insectorum, & inaudita productione possit à natura suppeditari, nihil interim immutato ordine vniuersi.

Tu vero poteris axiomata philosophica in rem tuam trahere, quorum primum esto, naturam non deficere in necessarijs, deficeret autem si nutrimentum non nisi aliunde transmissum Manucodiata haberet: quippe multoties impedimenta pullularent, quę obstarent quo minus huiusmodi transitus fieret, & misera auicula fame periret. At ego possibile esse inquio, materiam ibi gigni, non necessarium. Quare si aliquando transitus alimenti impediretur, non desineret natura ibidem cibum fabricare: sic hominibus sæpè ob impeditum commeatum deest frumentum, nec tamen deest modus subueniendi necessitati alimenti. Præterea si casu impeditur transmissio nutrimenti, scito naturam non præcauere ijs, quæ fortuitu euenire possunt, satis est quod non reddat impossibile præsidium.

Alterum axioma est, frustra dari potentiam quæ non reducitur ad actum, si ergo potest in illa regione alimentum gigni, reducatur hæc potentia ad actum, & alimentum gignatur, neq; aliunde expectetur. Omitto multa quæ in huius axiomatis gratiam afferri possent, cæterùm relictis omnibus, nos supponimus materiam esse in supera aëris regione ad insecta gignenda. Hęc tamen materia est sub aliqua forma, nempe vaporis, exhalationis, aut cuiusuis alterius rei, est ergo materia sic informata in potentia ad suscipiendas alias formas, ac proinde est in potentia passiua. At potentia passiua, vt talis est, perfici debet quolibet actu, vel aptitudine: non est enim de ratione potentiæ passiuæ, vt sic, semper esse sub actu suo, est autem de ratione eius, vt ei correspondeat actus, qui possibilis sit, iuxta proportionem ipsius potentiæ. Itaq; sufficit vt materia illa, quam tu supponis esse in aëre, & quæ potentiam passiuam habet ad formas insectorum, perfecta dicatur, iuxta proportionem ad actum, tametsi non sit sub illo actu. Proportio autem consistit in hoc, vt si potentia sit merè naturalis, actus etiam merè naturaliter possibilis sit.

ſit. Hæc tibi forſitan metaphyſica videntur, & quidem ſunt, ac proinde tuũ captum excedunt: ſono a cmpanæ, niſi Campana quoq; claudicat, innoteſcent.

Poteris vlterius argumentum ducere ex alio axiomate, videlicet Poſſibili poſito in actu nullum ſequitur inconueniens. cum igitur ego poſſibilem ſtatuo hanc inſectorum generationem in aëre, quod nam eſt inconueniens propter quod non ponitur in actu? ego quidem non hanc excludo inſectorum generationem propter aliquod inconueniens quod ex ea oriatur, ſed ducor alio axiomate, videlicet Fruſtra fieri per plura, quod per pauciora ęquè commodè pręſtari poteſt. ſi ergo abſq; multiplicitate ſpecierum poteſt Manucodiata habere ex quo nutriatur, cur ſpecies ſine neceſſitate multiplicabo?

Quære igitur aliquem, qui tibi in hac inſectorum noua productione conſensũ præſtet: nec te eum inuenturum pro cõperto mihi eſt. Nam beſtiolæ iſtæ atq; inſecta producuntur in minore numero quam oportet, & tunc verè dicerem naturam deficere in neceſſarijs: vel producuntur in maiore, & ſic deberent redundare aliqua inſecta, quæ ſuo pondere ad terram ferrentur, & tunc nobis innoteſcerent, & immeritò ea ignota appellares: vel tot gignerentur quot neceſſaria ſunt, adeò vt vna nec deſit, nec ſuperſit, hæc autem menſura vel tua eſt, ſcilicet vana; vel non tua, ſcilicet miraculoſa. & vtroq; modo extra philoſophiam. Addo inſecta iſta in aëre commorantia alimentum expoſtulare; hoc alimentum vnde nam aduenieт? nunquid ibi horrea conſtituis, & alimentum iſtud alimentum alimentorum appellabis?

Ais abeſſe à veritate Manucodiatam nutriri rore, & licet Cardanum non nomines, ab eo tamen recedis, qui inter alios, rorem huius auiculæ nutrimentum eſſe putauit. Sed cur hanc ſententiam falſam iudices, indicas: nempe quoniam in ſupero aëre, in quo Manucodiata habitat, ros non reperitur, ſed eius origo eſt apud nos in aëre inferiore teſte Ariſtotele in meteoris. Sed cur non attuliſti

1.meteo. c. 11.

alias efficaciores rationes? Plectendus ſanè es, quod in re facili fueris diminutus. Non ne conſideraſti rorem non gigni omni tempore, nec niſi in die ſereno? Deinde quomodo rorem excipiet? reſpondebit quiſpiam excipere rorem roſtro, quo tamen carent. Porrò non niſi certo anni tempore, certa diei hora, parum apto roſtro quid accipient? nempè tantum quod alere non ſufficiat.

Tandem Scaligerum, qui tamen plures ſuæ opinionis habet ſocios, inſectaris, quod Manucodiatã dixerit aëre victitare, ſeu (quod idem eſt) viuere ſine cibo. Verum ante quam hanc pugnam incipias, explica nobis tuam de Manucodiatæ cibo ſententiam. Nulla mora eſt: ſic te explicas. *Deinceps autem Apodem illam auem Indiæ Manucodiatam totum ſuæ vitæ tempus in aëre degentem, longiorem abſtinentiam tolerare poſſibile eſt: quippè rara ſupra nubes in alimentũ ſibi comparare poteſt inſecta, & huiuſcemodi ſolidiora corpora.* Sed quęnam eſt iſthæc longior inedia, quam tribuis Manucodiatæ? nempe lõgior quàm vt poſſit, calore in humidum agente vitam ſuſtentare: alioquin omne animal, etiam homo poteſt tolerare inediam tandiu, quandiu humor non ſit omninò a calore abſumptus. Itaq; tuo iudicio Manucodiata tolerat longiorem inediam, quàm pro ratione caloris in humidum agentis. Erit ergo huius inediæ cauſa eadem ac illa, quæ facit vt animalia per menſes ſine cibo viuant, hoc eſt erit apud te vel caloris æquilibrium, vel ecſtaſis, vel quidpiam ſimile (de hoc in præſenti nõ diſputo) Habemus iam Manucodiatam obtinentem à natura cauſas diuturni ieiunij. Sit v. g. ieiunium vnius menſis. Sed finito hoc menſe, quid impediet eaſdem cauſas adhuc permanere? permaneant per alterum menſem; & ſic per tertium, & ampliùs per totam vitam. Incidiſti demẽs in laqueum quem paraſti. Non ne vides te in opinione comprehẽſum quam in Scaligero reprobaſti? ille dixit Manucodiatam aëre victitare: hoc perinde eſt, ac ſi diceret nullo cibo; tu nullo cibo Manucodiatam ſuſtentari aſ-

ſeris,

ſeris, parum ergo vel nihil ab eo differs, à quo differre plurimum ſtudes. Sed de cibo aut inedia Manucodiatæ plura diximus quam oportuit, ſed oportuit tuam frænare licentiam.

§. 3. *An Manucodiata careat lingua.*

l.3.c.20. INuenio apud te hæc verba. *Quod autem Manucodiata Braſilica linguam non habeat, id ſuſpectum eſt, habent ſi Apodes Molucha, cur & non Braſilica?* videris aut apud Scaligerum; aut apud quempiam alium hanc hiſtoriam inueniſſe; in qua tria reperio, quæ indigent caſtigatione, vix plura ſunt verba. Inprimis Braſilicam Manucodiatam nobis exhibes. dum authorem aliquem non citas, qui Braſilicam iſtam auem tibi oſtenderit, mendacij te inſimulo. In Olyſſipponenſi ciuitate patria mea, quo frequentiſſimè è Braſilica regione appellunt naues, pſittacos varios, tum corporis magnitudine, tum colorum varietate vidi; Manucodiatam Braſilicam tamquam figmentum reijcio. Deinde cum ſuſpectum tibi eſſe dicas, id quod nemo hactenus dixit, ſuſpectus mihi es de vaniloquentia, ita vt hoſtem fingas quē ferias.

Tandem cum dicas, ſi Apodes Molucæ cur & nō Braſilicæ, dixiſſes melius cur non & Braſilicæ. ò eximiam logicā! nempe quia Æthiopes ſunt nigri cur & non Itali. Dicemus eodem modo ceruę omnes (teſte Ariſtotele) in monte Aſię Elapho nomine apud Agrinoſſam, quo loco Alcibiades mortem obijt, ſciſſa aure ſunt, ergo ceruæ aliarum regionum ſciſſa ſunt aure. At ſic non erit verum quod Philoſophus addit, nempè hac nota ſi locum mutarint, dignoſci. In Cilicia capræ tondentur, vt alibi oues: in Africa, arietes ſtatim cornigeri generātur, nec ſolum mares (vt Homerus ſcribit) ſed etiam fœminæ: contra in Ponto per prouinciam Scythicam nullis cornua enaſcuntur. Plura reperies apud Philoſophum exempla animalium, quæ ſub vna eadem ſpecie, in diuerſis tamen locis, varias ſortiuntur proprietates. Quare perperam, tuo more, ex Molucæ Manucodiata ad Braſilicam, ſi qua eſt, argumentum deducis.

l.6. de hiſto. an. c. 29.

Vlterius tu diſputandi auidus, tametſi Ariſtoteles dicat omnia, tam ſanguinea, quam exanguia habere eam partem, qua ſapores ſentire poſſit, non vereris concedere *ad diſputationem* Manucodiatæ deeſſe linguam. ò egregium veritatis indagatorem! vbi nam apud artis proceres reperiſti vt vnum poſtulet veritas, alterum diſputatio? exiſtimabant hactenus omnes, cum Varrone, diſputare eſſe valde purum facere; tu vero diſputando, id quod purum eſt, facis impurum. Gratulor ergo tibi, qui ne diſputationi deſis, veritati deeſſe vis; ſed tuam ſequi ineptiam oportet. Sit ita, careat lingua, ne tua lingua careat ineptijs: quid inde? erit quidem ſine lingua (ais tu) non tamen erit ſine cibo, immò ſine guſtu. Prodigioſam rem narras: accinge ergo te ad probandum tuam iſtam monſtroſam doctrinam. Prius ergo probas, licet ſine lingua ſit, non eſſe ſine cibo: quippe plantæ ſine lingua nutriuntur, & præter plantas conchylia; & inſectorum infima, mediæq; inter plantas, & animalia naturæ, Zoophyta nuncupata. Riſum teneatis amici. plantas, & conchylia, quæ à plantis parum abſunt, immò plantas ſimul & animalia eſſe dixit Ariſtoteles, lingua carere ais, & tamen cibum ſumere. In primis caue tibi ab Ariſtotele, qui linguam omnibus teſta intectis ineſſe inquit, qua & guſtāt, & cibos capiunt, & hoc diffuſe tractat. At his linguam deeſſe admittis non quia ita ſe res habeat, ſed ad diſputationem, quare apud te plantæ linguam habent, & alia etiam animalcula. negas? at nos in eo ſumus, vt oſtendas ea quæ linguam habent, perinde ac ſi non haberent cibos capere. quid ita? attende parumper. Incumbit tibi probare animalia, quibus natura linguam tribuit, licet eam non haberent, potuiſſe cibos ſumere, & affers pro exemplo plantas, atq; conchylia vel ergo plantis, & conchylijs ex natiua corporis conſtitutione non conuenit linguam habere, vt nec talpæ oculos,

1. de part anim. c. 17.

1. de p'at c. 1. de hiſto. anim. l. 4 c. 7. l. 2. de part. an. c. 47.

los, & sic ineptum est exemplum, veluti si ad probandum hominem sine oculis posse quocumq; velit progredi, afferas pro exemplo talpam quæ caret oculis,& tamen progreditur. At alius est hominis alius talpæ progressus. Sic plantarum conchyliorumq; alia est cibatio, alia perfectorum animalium. Vel conuenit quidem plantis & conchylijs habere linguam, quam tamen non habent, & sic tacitè naturam arguis, quæ plantis linguam denegauit :argueres etiā apertè, quæ tua impietas est.

de rhetor. ad Alex. c.8. Amplius exemplum, vt congruat, debet esse, authore Aristotele, res similis ijs, quæ facta sunt, ijs vero de quibus loquimur, contraria. Sit ita: nempe plantæ sint contrariæ animalibus in ijs de quibus loquimur, hoc est animalia habeant linguam, plantæ non habeant. At in his quæ facta sunt scilicet in modo quo cibantur similitudo adesse debet, ac propterea vel animalia radicibus, vel plantæ ore cibum capient. Desinat iam homo arbor inuersa appellari, nam te authore, iam suapte natura plantarum more cibos capit.

Tandem cum *ad disputationem* admittas Manucodiatam posse sine lingua esse, ex hac hypothesi absurdum pullulat nō leue, videlicet Manucodiatam nutriri, vel rore, quod tu improbasti, vel aliquo succo, qui rori sit similis, & hoc similiter improbandū est, ni velis vt tua illa insecta in mortario pinsantur, & ex ijs, velut ex pullo, gallinaceo siccus exprimatur. Hoc negare nequis: nā sine lingua non potest solidior cibus versari in ore vt teratur.

Postquam tibi videris satis demonstrasse partem priorem, hoc est, animal quamuis sine lingua foret, non propterea futurum *sine cibo*; accedis ad alteram videlicet *nec sine gustu*. Verum non magis te feliciter geris in secunda, quam fecisti in prima. Vis ergo sine lingua dari gustum; quippe aderit linguæ proportione respondens membrum, vel etiam sine alio membro in ore, & palato gustus erit. In primis da mihi istud linguæ proportionale membrum, erit quidem in ore, nam per os cibus ingreditur, & illic trituratur: erit insuper mēbrum carnosum: nam neruosum, aut osseum ineptum est: erit substantiæ spongiosæ vt saporis vehiculo facilè imbuatur. At dum linguæ proportionale mēbrum quæris in linguam incidisti.

Vlteriùs tu sine lingua, sine membro quod linguæ proportione respondeat, gustum admittis, quoniam præter linguam, alias etiam partes v.g. palatum gustandi vi pollere ais, & Aristotelem recipis dicentem in priore linguæ parte sensum maximè esse exquisitum, qui tamen non inficiatur in alijs etiam membris circumuicinis gustandi sensum adesse. Existimas ne Aristotelem nasum habere cereum, vt eum quoquo versus queas trahere? Duo citas philosophi loca: in vno, ne verbum quidē est, quod faciat ad hanc rem, in altero totus tibi est contrarius: nam ibi linguam voluit significare paraphrasi quadam inquiens: *membrum quod ad sentiendum datum est* (ad sentiendum, inquam sapores) ita linguam appellat. Quid plura? gustatus instrumentum linguam esse dixit Galenus. Sed tu dices, nunquid propterea negauit, alia etiam membra esse gustandi instrumenta? immò negauit: nam vnius sensus vnum est instrumentum: quemadmodum enim instrumentum visus est humor crystallinus, reliquæ autē partes oculum componentes coadiuuāt, ita vt sine crystallino non fiat visio, sine aliqua ex alijs fiat; sic linguę substantia est instrumentum gustus, concurrentibus alijs, quæ linguam complent. Hoc ergo considerandum est in vnoquoq; membro dissimilari, seu organico, hoc est ex multis composito, vt scilicet quod ex componentibus est autogenum, neq; cum alio consanguinitatem habet, istud sit cui actio debetur. Da mihi carnem fungosam, quæ habeat eandem substantiam cum carne linguæ, vt neruus cum alijs neruis, os cum alijs ossibus: certè non dabis. ergo ista est autogena, ac subinde est illa, cui peculiaris actio, nempe gustandi debetur. reliqua membra v.g. palatum, pharynx concurrunt quidem, sed non sine lingua. quare Lucretius, quem

2. de hist. anim. cap 11.

2. de par. anim. cap 17.

de instru. odorat. c. 2.

quem tu citas, & tibi fauere putas, ait.

Deinde, voluptas est è succo in fine palati.

Merito collocans voluptatem in palato: sed, si rectè aduertis, *Deinde*, hoc est, postquam cibus linguam prius tetigit, linguam, inquam, ad quam discernere sapores spectat. Hinc est quòd Galenus, vt diuersitatem saporum reperiamus, rem cuius saporem inquirit, lingua contingi iubet. Abs te ergo qui auiculam sine lingua, non tamen sine gustu fingis, aliqua scire vellem: & in primis, dum linguam negas, negare etiam teneris tunicam, quæ linguæ, ori, palato, æsophago, ventriculo, intestinis communis est. ita ne? quid ni? Si ergo communitas ista desit, iam dum cibus dilabitur, non erit tunica qualitate saporis imbuta, ac proinde nec os nec palatum saporem sentient. Respondebis forsan, tunicam quidem adesse, quæ vestiat reliquas partes, licet non adsit lingua, quã vestiat. si ita ais, & tunica sine lingua sufficit ad discernendos sapores, frustra ponitur lingua vt inseruiat gustui, sed solum ad alios vsus: si non inseruit gustui, malè Aristoteles præcitatus ait; eius priprimorem partem sapores exactissimè sentire.

1. simpl. c. 37.

Deinde, cum lingua sit trium actionum organum: nimirum motionis commodæ ad triturationẽ ciborum, loquutionis, & gustus, neruos accipit ad hæc tria necessarios: hoc est, tria neruorum paria, quæ per linguam disseminantur; priora duo per tunicam sparguntur, & gustui inseruiunt; postremum in linguæ musculos ad motum, & loquutionem diuaricatur. fateor illa duo paria, quæ gustui inseruiunt, palatum etiam attingere: non tamen ibi gustus sensum perficiunt: quippe pars ea non est apta huic muneri peragendo, quippe nec mollitiẽ nec raritatem, fungositatemue habet, quę requiruntur ad percipiendos succos saporiferos. Si ergo linguam negas, negare debes hos neruos. nam quorsum transmittentur in partem non aptam muneri cui sunt dicati? itaq; si linguam tollas, & subinde hos neruos, gustum cogeris etiam tollere, ac propterea falsa est tua illa propositio sine lingua posse animal esse, non tamen sine gustu. Gustum autem deesse vbi desint nerui delatores huius sensus, ostendit tibi historia, cuius adhuc fortasse Patauij memoria conseruatur. Vide an extet adhuc ibi officina aromatarij ad insigne Angeli, forsitan Lazari vitri voracis nomen nõdum est deletum. Erat homo, potius monstrum omnia indiscretè vorans, saxa, ligna, animalia viua, carbones, nihil inter sapores distinguens. Aromatarius Martinus nomine pactus est cum eo, proposito pretio si carbones deuorasset. At Lazarus non solum carbones, sed saccum insuper in ventrem ingessit. Aromatarius persoluto pretio, comminatus est, si amplius ad officinam accederet, veritus ne se, vasa, & tabernam totam ederet. Hunc post obitum secuit celeberrimus anatomicus *Realdus Columbus* (apud quem hæc historia extat) & se reperisse ait, quartam neruorum coniugationem, quæ gustus gratia in alijs hominibus, à natura producta est, nec ad linguam, nec ad palatum reptare, sed ad occipitium reflecti.

Sed relicto Lazaro vitri vorace ad te redeo, & occasionem reperio concitandi risum lectoribus: nam postquam Lucretij carmine probasse te putas posse animal esse sine lingua, non tamen sine cibo, hanc sententiam experientiæ committis demonstrandam: & sic ais. *Et ratio experientia adiuncta huic dogmati fidem facit aptissimam: constat enim homines quacumq; de causa truncos, & radicitus lingua extirpatos, non omninò gustu carere, at obsoniorum saporem permanere.* Heus tu qui rationem experientiæ adiunctam te afferre profiteris; debitor es rationis, neq; enim vllam attulisti: experientiam, quæ fidem, vt tu dicis, facit aptissimam, nihil salis in se habet. proponis hominem lingua truncũ, atq; hunc sapores sentire ais, nec mirum nam pars linguæ quę trunca remanet, sensum saporis adhuc habet. Tu tamen vlteriùs

pergis

pergis,& homines affers lingua extirpatos(parum latinè, debueras dicere queis lingua est extirpata) interrogo nunc homines istos vis ne viuos esse an mortuos? si viuos, rem impossibilem somnias: nempe homines extirpata lingua superstites; si mortuos magis impossibilem, videlicet post mortem sapores percipi obsoniorum? Adhuc ne ignoras linguam se ipsa, arterijsq; ac neruis & venis non paucis palato alligari adeò vt absq; animalis interitu extirpari nequeat? Tu vero tamquam rem manifestam constare ais huiuscemodi homines quibus qualibet de causa, lingua radicitus fuit extirpata, sapores sentire. Nun-
ps. 136. quid quia reperisti in psalmo *adhæreat lingua mea faucibus meis*, atq; hoc quod imprecatur sibi vates non esse naturale putas? At Psalmographus imprecationem istam non tuo palato inseruientem accommodauit, sed eam sic intellexit ac si diceret, *adhæreat lingua mea* immota *faucibus meis*. Vel si mauis linguam faucibus adhærere præter naturam foret, quippe naturaliter adhæret palato. sume quod velis, & tuæ obiectioni satis erit factum.

Porro lingua non secundum se totam sed secundum radicem duntaxat adhæret, ita scilicet, vt remaneat mobilis & apta ad motum, triturationemq; immò verò, si propriè loquendum est, non dicitur adhærere: nam quæ adherent, contigua sunt, lingua corpori est continua, alioquin non esset pars viuens neq; forma totius informaretur. Si Phalaris aliquis nostro æuo regnaret, is tibi linguã iuberet extirpari, vt conspiceret quam aptè lingua radicitus extirpata, cibos sumeres.

§. 4. *An Manucodiata careat pedibus.*

DIcitur apus, fateor, sed sunt aliæ etiam aues apodes, quæ pedes exiguos habent: nam priuans nomen, tametsi rem non omnino priuet, satis est quod eam exiguam esse denotet, & adeò exiguam vsuis vsibus vix inseruire possit. Hoc iam satis tibi alibi enucleaui. Sic apnæam dicimus cum vix perceptibilis est respiratio; apepsiam, cum fere extincta est coctio, & pleraq; alia. Sed ne videar extra chorum psallere, Aristotelem habes, qui te hoc doceat, inquiens, apodes à paruitate pedum vocari: & auiculas ex hirundinum genere, hirundinibus valdè similes, quæ cypselli appellantur, vulgò *rondoni* ille apodes appellat. Scimus autem has pedes habere, licet exiguos, ita vt si ad terram cadant, non possint inde euolare, quippe ad volandum oportet vt prius se in pedes erigant, eas tamen natura mirabilem docuit industriam: nempe in loco aliquo prærupto consistunt, inde se præcipites dant, dum vero ruunt, volatum in aëre accipiunt, & alarum beneficio aëra tranant. Itaq; ab hac Aristotelis apode, Manucodiatam nonnulli apodem indicam appellant: cur non ea etiam, eandem habebit industriam: nẽpe edocta à natura eandem industriam, vt scilicet in præcipite aliquo saxo sedeat, & inde præceps ruens volatum exerceat? At, dicunt aliqui, nemo eam viuam vnquam conspexit. Respondet tamen Aldrouandus sic. *Si quispiã nidum illarum a nemine repertum esse arguat, is plurimarum auium natura ignarus statuendus est, ac rapacium in primis, quæ in desertissimis, altissimisq; rupibus extra humanum conspectum nidos suos condunt*. Sic ille; quid ergo prohibet in regione valdè inculta auiculam degere, quæ naturæ instinctu occultari gaudeat? Certè hoc minus miraculum est, quàm eandem semper in aëre supremo volitantem collocare.

(margin: 1. histor. an. c. 1.)

Quod si quis dixerit, hoc proprium, & peculiare esse Manucodiatæ, vt numquam terram attingens, semper in aëre degat; Interrogo, an degat semper volans, an aliquando quiescens? Si semper volitare respondeat, ego Aristotelẽ illi offeram communem magistrum, qui neq; motum perpetuum, neq; perpetuã quietem in rebus admittit. Si verò respondeat quiescere quidem in aëre hoc ego nequaquam admittam: nam cur mortua in terra reperitur? nempe quia

(margin: 8. phys. tex. 26.)

 cum

cum ob mortem omnis desit facultas, omnis actio cessat, ac proinde non potest amplius in aëre sustineri; ergo viua aliquid agens erat, ergo non quiescens. Vides ne miluos, & alias volucres expansis alis, in aëre, tam quam quiescentes persistere? at non quiescunt. Mors hoc detegit, quippe si moriantur, subitò ad terram cadunt. Hoc quietis specimẽ à Galeno motus tonicus appellatur: appella, si mauis, actionem tonicam. Sic cymba aduerso flumine vecta, si tanta fluentis deorsum aquæ vis sit, quantus impetus venti, aut nautæ, aut vtriusq; sursum impellentis, non mutat locum, & tamen non quiescit. quia impellitur sursum deorsum, sed æquali impetu. Sic duo colluctatores, si pares habeant vires persistent in eodem loco, nihilominus non quiescent, cuius rei signum est quod fatigantur; ex ocio vero non oritur labor.

Displicet mihi Scaliger, qui hoc non intelligens, affert exemplum ab homine natante acceptum: quippe tametsi non moueatur, ab aquis sustineri extensis brachijs obseruatur. At ò Scaliger obseruaui ego homines natandi peritos ita facere, & in aquis supinos, immobiles, & veluti demortuos sustentari: obseruaui etiam natandi imperitos, qui hoc præstare nequibant, sed demergebantur. Vnde suspicatus sum aliquod artificium hic occultari, sit artificium, ergo actio; sin minus dic mihi cur periti sustentantur, imperiti submerguntur? Quare optimè Mercurialis ait, Manucodiatam, & volucres alias, quæ expansis alis in aëre cõmorantur non quiescere, sed duobus motibus contrarijs agitari; altero corporis deorsum à natura acti, altero animæ sursum contra naturã corpus mouentis: poterat quidem Mercurialis illud contra naturam omittere, ne viuentis motum quoquo versum videretur appellare contra naturam. Tandem Manucodiatæ somno est opus: nã quod caret alterna requie durabile non est, dormire autem in aëre non magis licet quàm in aëre ociari: at iam diximus non dari ocium in aëre, dicemus nunc, neq; somnum: quippe somnus est ocium animæ, vt eum appellat Aristoteles.

gymna. l.3.c.3.

1. ethic

§. 5. *An Manucodiata sit ouipara.*

ANceps es, neq; affirmare audes quidpiam circa huius auiculæ generationem. Si saperes non ambigeres: quippe res est manifesta. Suspicaris eã sponte nasci; si sponte, ergo è putredine; id ita fieri posse tibi persuades argumento insectorum, quæ cum pluuia decidunt: at hæc in regione aëris infima fiunt, Manucodiatam supernè vltra nubes collocas. Sed qui fieri potest vt ex putredine oriatur auicula, quæ neq; mortua per complures annos putredinem olet. Abi igitur cum ista tua inani suspicione, quam ne obolo quidem emam. Cardanum, aliosq; non paucos audito, asserentes ouiparam esse, non tamen vno eodemq; modo loquuntur omnes. Cardanus, vt pote qui hanc auem putat nunquam ab aëre, dum viuit discedere, similiter existimat eam in aëre incubare oua *Masculi*, inquit, *dorsum sinuatur intus, in eamq; cauitatem oua fœminam facere ratio ipsa docet, cum & ipsa fœmina cauum habeat ventrem, vt sic vtraq; cauitate possit oua incubare. Masculo hæret in cauda filum lõgius tribus palmis, coloris nigri, medium inter quadratum, rotundumue neq; crassum, neq; admodum tenue, verum ei non absimile, quo crepidas cerdones consuere solent. Hoc existimamus dum fœmina oua incubat alligari firmius illam masculo.* Ita se habet Cardani coniectura. Aldrouandus non filum vnum caudæ hærens agnoscit, sed duos dorso annexos, trium & amplius palmorum longitudine, eius figuræ, quam Cardanus descripsit, sed in alios vsus, videlicet, vt geminorum filorum ope, non modo quiescere in arboribus, verum nidulari etiam, & in proprijs nidis incubare possint. Hanc opinionem meritò ipse sacris litteris conformem esse ait, quippe aues in terris nidificare traduntur. Alij sunt, qui fœmellas receptaculũ quoddam sub alis in quo oua deponant, habere existimant. Verum tam hæc

opinio

opinio quam illa Cardani autopsiæ claritate obscuratur: nemo enim huiusmodi cauitates vidit vnquam.

Atq; hæc sunt, quæ mirabilem istam auiculam contemplantes colligere potuimus. Porrò eius vita, locus, forma, origo, omnes in admirationem rapit, quare præclara ingenia ex Manucodiatæ singularitate, cudendis emblematibus sumpserunt occasionem. Inter quos Alexan-
embl. 78 der Ferra nobilis Alexandrinus, relatus à Luca Contile, pulcherrimum quoddã fabricauit: vt enim significaret, spretis caducis humanæ vitæ rebus, altiora esse quærenda, auem egregiæ naturæ, quæ nunquam in terris visitur accepit, adiungens hæc verba SINE PONDERE SVRSVM. Ad cuius imitationem Aldrouandus in agello suo eandem auiculam depingi voluit cum hisce verbis, SIC ANIMVS PETIT ALTA. Nouissimè Illustrissimus Paulus Aresius, Tortonensis Episcopus, qui sacra emblemata vulgari sermone, ad concionatorum vtilitatem, summo ingenio, & eruditione conflata, edidit; vt D. Ioannis Baptistę vitam ab illecebris huius mundi segregatam commendaret, & eum in eremo ab oculis hominum ereptum nobis ante oculos proponeret, hac etiam auicula vsus est, cui verba hæc apposuit. NON MANDVCANS NEQVE BIBENS. Si quis autem velit significare, probatę vitæ hominibus post mortem, voluptatem esse repositam; hanc auiculam mortuã in galeis cristatis exultantium equitum gestari solitam, depingi iubeat: nempe vel galeam, vel galerum, cui cristarum instar superemineat Manucodiata, & subtus hanc inscriptionem MORTVA EXVLTO. Quod emblema probis viris propono non improbis, quorum guttur patens sepulchrũ lingua dolis scatens haud exultabit in gloria.

INDEX

INDEX CASTIGATIONVM

Quæ hoc libro continentur

CASTIGATIO I.

Quomodo Deus Opt. Max. cum naturali quolibet agente concurrat.

CASTIGATIO II.
De Ecstasi.

CASTIGATIO III.
De vita, & ijs quæ ad vitam spectant.

CASTIGATIO IV.
De calido, & humido.

CASTIGATIO V.
Quomodo se habet calor ad motum.

CASTIGATIO VI.
De hominis anima.

Videat R. P. Gregorius della Bella Ordin. Minorum de obseruantia an in præsentibus Castigationibus contineatur quid Pietati Christianæ, bonisuè moribus aduersum & referat D. hac die 23. Octob. 1637.

Vincentius Rabatta Vic. Gener. Floren.

Has Castigationes D. Stephani Roderici Castrẽsis peruidi: & quasi funiculo triplici, nẽpe Theologico, Metaphysico, Philosophico opprimentem se verberat, ac si satyricè, non nisi Satyrum redarguit. Nil contra pietatem Christianam & bonos mores inueni, vexatum se tantum redimit: ideo difficilè soluetur. Typis mandari posse arbitror: in quorum fidẽ propria manu subscribo in Conuentu omniũ Sanctorum Florentiæ die 21. Nouembris 1637.

Ego F. Gregorius de Bella Florentinus Prædicator & Sacræ Theol. Lector Generalis Ordinis Min. de Obser.

Attenta præmissa Relatione Imprimatur liber, si tamen ita videbitur Reuerendissimo P. Inquisitori D. die 24. Nouembris 1637.

Vincentius Rabatta Vic. Gen. Floren.

Adm. R. P. Mag. Io. Paulus Bimbaccius Ord. Min. Con. huius S. Off. Consultor videat an in hoc opere quid contineatur quod S. Indicis regulis sit dissonum, & referat. ex Ædibus S. Inquisit. Florentiæ die 4. Aprilis 1639.

F. Io. Muzzarellius Inq. Generalis Florent.

R. Pater

R. Pater. Excellentiss. Domini D. Stephani Roderici Castrensis Lusitani Serenissimi Magni Hetruriæ Ducis Medici, & in Pisano lyceo Medicinã in supraord. loco docentis opus inscriptum Castigationes exegeticæ, quibus variorum dogmatum veritas elucidatur, quod de Paternitatis V. Reuerendissimæ mandato attẽte perlegi, egregium vndequaque est, Philosophicis subtilitatibus redolens, Theologicis, ac scripturalibus arcanis refertum, suo demùm Authore Clarissimo, & quod minimè in tenebris lateat dignum. In publicam igitur lucem typis datum exire poterit nõ Modico studiosorum emolumento. In fidẽ &c. dat. in Conu. nostro Sanctæ Crucis die 4. Octobris 1639.

F. Io. Paulus Bimbaccius.

Imprimatur Florentiæ die 6. Octobris 1639.

F. Io. Muzzarellius Inquisitor Generalis.

Alexander Victorius Senator. Serenissimi M. Ducis Aud.